✠
BIBLIOTECA
DEL REAL MONASTERIO
DE HUERTA.
Núm. 220.

VENETIIS, MDCCXXXVI.
EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

Ejt. 41

Ind. 3a

Vol. 2

JACOBI
PIGNATELLI
E CRYPTALEIS IN SALENTINIS
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris
CONSULTATIONUM
CANONICARUM
Tomus Quartus,

IN QUO PRÆCIPUÆ CONTROVERSIÆ DE IIS, Quæ ad Sanctorum Canonizationem, ac Sacros Ritus; ad Sacrum Concilium Tridentinum; ad Episcopos, & Regulares; ad immunitatem, libertatem, jurisdictionem Ecclesiasticam, ac hujusmodi alia potissimùm pertinent; non solùm ex utroque Jure scripto, sed etiam ex Sacrarum Congregationum decretis, rebus judicatis, placitis, atque consultis, ex prudentum responsis, ex moribus receptis, breviter, ac perspicuè dirimuntur.

OPUS OMNIBUS UTRIUSQUE FORI JUDICIBUS, Juriconsultis, ac politici studii mystis, in primisque Summorum Pontificum, & Rerumpublicarum Consiliariis, & Advocatis utile planè, ac necessarium.

EDITIO QUINTA VENETA SUMMO STUDIO RECOGNITA, Multis in locis aucta, & a mendis expurgata.



BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

VENETIIS, MDCCXXXVI.
Ex Typographia Balleoniana.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

IACOBI

PIGNATELLI

E CRYPTALEIS IN SALENTINIS

Sacræ Theologiæ, ac I. U. Doctoris

CONSULTATIONUM CANONICARUM

Tomus Quartus,

IN QUO PRÆCIPUA CONTROVERSIÆ DE IIS,

Quæ ad Sanctorum Canonizationem, ac Sacros Ritus; ad Sacrum



VENETIIS, MDCCXXXVI

Ex Typographia Balleoniana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

NUMERUS, ORDO, ET ARGUMENTA

Consultationum, quæ in hoc Quarto Tomo continentur.

CONSULTATIO I.

An, quatenus, & in quibus casibus liceat pluries in eadem die celebrare Missæ Sacrificium, quinam illi sint, & qua pœna, & a quo Judice puniendus qui pluries in die celebrat, etiamsi delinquens sit Regularis? Ubi aphorismi aliquot ad rem, aliique remissivè.

CONSULTATIO II.

An Clericus, qui non habet qualitates requisitas a Sacro Concilio Tridentino cap. 6. sess. 25. de reform. *ita privetur fori privilegio, ut etiam subjiciatur legibus, constitutionibus, statutis ac consuetudinibus laicorum?*

CONSULTATIO III.

An Ecclesia Parochialis Sanctorum Dionysii, & Ludovici inclytæ Nationis Gallicanæ habeat revera privilegium, quòd omnes homines ejusdem Nationis in Urbe sub alienis Parochiis degentes, sepeliri debeant in eadem Ecclesia? Et quid de simili privilegio pro Parochiali Ecclesia S. Joannis Nationis Florentinæ quoad susceptionem Eucharistiæ in eadem Ecclesia pro satisfactione præcepti annuæ communionis in Paschate?

CONSULTATIO IV.

An consuetudo servata per tempus, de cujus initio memoria hominum non extat, quòd Gubernatori in aliquo loco, etiam ditionis Ecclesiasticæ a Sacra Consultatione deputato, fiat thurificatio triplici ductu, valida sit, ac servanda, non obstantibus iis, quæ habentur in cæremoniali Episcoporum lib. 1. cap. 23. *de ord. thurificandi?*

Et an dictus Gubernator gerens qualitatem personæ laicæ cogi possit ad interveniendum, & assistendum in Ecclesia Cathedrali diebus solemnibus, in quibus Episcopus Pontificaliter celebrat?

CONSULTATIO V.

Ut prospiciatur indemnitati jurisdictionis laicæ, quæ sæpè conqueritur de excessionibus Episcoporum, dubitatur, an Episcopus possit concedere Vicariis foraneis patentatos, gaudentes privilegio fori?

CONSULTATIO VI.

An Episcopus possit concedere inhibitiones Clericis conjugatis, qui viles artes exercent, nec habent requisita, ac etiam Tertiariis, qui vivunt domi propriæ cum suis uxoribus?

CONSULTATIO VII.

An Episcopus concedere possit inhibitiones colonis partiariis Clericorum, quanquam ex prædiis, quæ colunt, non percipiant fructus, quibus majori anni parte vivant, & an pariter possit concedere inhibitiones mulieribus nuptis?

CONSULTATIO VIII.

An Episcopus possit prohibere Clericis, ne conveniant laicos in materia profana in foro sæculari? Et quid si extaret consuetudo?

CONSULTATIO IX.

An Episcopus prohibere possit, ne cæteri Notarii præter solum cancellarium Episcopalem, possint rogari de instrumentis, quæ commodum locorum piorum concernunt?

CONSULTATIO X.

An Episcopus post introductam causam in foro sæculari, possit inhibere tam inter laicum, & laicum, quàm ad favorem Clerici, vel personæ privilegiatæ eam duntaxat ob causam, quod sint conjuncti, sive affines intereresse habentis in causa?

CONSULTATIO XI.

An Judex possit tuta conscientia impedire, ne matrimonium contrahatur a viro cum muliere longè imparis conditionis, & infamia notabili laborantis, cum qua si contrahatur, gravissima haud dubiè scandala orirentur, possitque detrudere ipsum virum in carcerem, eumque ibi detinere donec vel ducat aliam, vel scandalorum periculum amoveatur?

CONSULTATIO XII.

Quidam pius fundator tres Capellanias, reservato jurepatronatus primogenitis suæ familiæ, fundavit, atque dotavit in Castro, quod sub ejus temporali ditione tunc temporis erat, appositis in fundatione conditionibus, atque oneribus, quæ in ipsius fundationis documento leguntur. Cùm nuper dominium ejus Castri primogenitus amiserit, & una ex prædictis Capellaniis vacaverit, nunc quæritur

Primò, an de jure hujusmodi Capellania transferri possit ad aliud Castrum, etiam ejus ditionis, ubi unicus Sacerdos existit, cùm è contra in primo Castro reliqui duo Capellani, necnon Archipresbyter superstint?

Secundò, an saltem ex gratia?

CONSULTATIO XIII.

An Imperatori, vel Regibus concedendum sit a Sede Apostolica, ut possint accipere tertiam, vel aliam partem, vel medietatem bonorum Ecclesiarum in suis ditionibus existentium in subsidium belli, quòd gerunt contra Turcas, aliosve infideles, vel hæreticos?

CONSULTATIO XIV.

Utrùm in dispensatione gradus affinitatis comprehendatur etiam dispensatio publicæ honestatis?

CONSULTATIO XV.

An intret impedimentum affinitatis in tertio, vel quarto gradu ex ſola figura matrimonii, quamvis invalidi?
Item an inſurgat impedimentum publicæ honeſtatis a matrimonio ſolemnizato in facie Eccleſiæ, licèt irrito?

CONSULTATIO XVI.

An Canonicis Eccleſiæ Collegiatæ liceat concedere locum in presbyterio Magiſtratui laico, &c.

CONSULTATIO XVII.

An, quo jure, & quatenus Epiſcopi teneantur perſonaliter reſidere in ſuis Eccleſiis, præſertim tempore peſtis? Et quid de Parochis peſtis etiam tempore?

CONSULTATIO XVIII.

An poſſint erigi in eadem Civitate, aliove loco plures Confraternitates laicorum eiſdem functionibus, habitu, & invocatione, illæque aggregari Archiconfraternitatibus Urbis?

CONSULTATIO XIX.

An fratres novi Conventus Reformatorum S. Franciſci, accedentes ad proceſſiones publicas, aut privatas ſeparatim a fratribus antiqui Conventus S. Frantiſci de Obſervantia, & ſub propria Cruce reſpectu Conventuum aliorum Ordinum debeant incedere in loco juxta antiquitatem Conventus Fratrum de Obſervantia?

CONSULTATIO XX.

An Parochus Eccleſiæ non matricis, ſive non Cathedralis cogere poſſit Parochos aliarum Eccleſiarum ad intereſſendum benedictioni fontis baptiſmalis Sabbato Sancto, & Pentecoſtes?

CONSULTATIO XXI.

An, & quatenus in alienatione bonorum Confraternitatis, Oratorii, vel hoſpitalis requiruntur ſolemnitates, quæ de jure requiruntur in alienatione bonorum Eccleſiaſticorum?

CONSULTATIO XXII.

An Prothonotarii extra numerum poſſint concionari cum amiculo brevi, paſſim mantelletta, & carbaſina præſulari, vulgò rocchetto?

CONSULTATIO XXIII.

An Epiſcopus in proceſſionibus poſſit incedere ſolus, quando cum pallio ſine cappa, & pileo Sacerdotali incedit, vel incedere debeat medius inter dignitates?

CONSULTATIO XXIV.

Quibus competat delatio Sanctorum corporum in ſolemni proceſſione translationis, an dignitatibus, & Canonicis Collegiatæ, cujus ea corpora ſunt, an verò dignitatibus, & Canonicis Cathedralis, in qua fuerant depoſita?

CONSULTATIO XXV.

An mutatio ſedilium in choro a Canonicis fieri poſſit in præjudicium cœtus Sacerdotum, qui ſedent in pari gradu cum ipſis Canonicis?

CONSULTATIO XXVI.

An Regulares poſſint unquam in ſupplicationibus, ſive proceſſionibus, ac aliis actibus præcedere Clero ſæculari? Et quid in Eccleſiis ipſorum Regularium? Quidve in caſu, quo Regulares ſint ſuperiores Cleri ſæcularis?

CONSULTATIO XXVII.

De munere Archidiaconi, & Primicerii, ſive Cantoris quoad chorum, & quoad Pontificalia exercenda reſpectu Archipresbyteri.

CONSULTATIO XXVIII.

An Archidiacono, vel alii dignitati, aut Canonico ſolemniter celebranti debeatur aſſiſtentia duorum Canonicorum, vel dignitatum, præſertim ubi præbendæ ſunt diſtinctæ?

CONSULTATIO XXIX.

Reperitur in quadam Civitate Eccleſia Collegiata, quæ antiquitus erat Cathedralis, ſed poſtea, ſuppreſſa quoad Cathedralitatem, alia Eccleſia erecta fuit in Cathedralem, cui licèt eo ipſo, quod fuerit erecta in Cathedralem, fuerint conceſſa omnia jura præeminentiarum, ac privilegia Cathedralitatis, dummodò non appareat, quod fuerit in erectione aliquod jus reſervatum alteri Eccleſiæ, nihilominus pro ipſa Eccleſia collegiata quæritur

Primò, an in feſtivitate Corporis Chriſti proceſſionem Sanctiſſimi Sacramenti dirigere debeat ejus Prior, illamque ducere ab ipſa ad Eccleſiam Cathedralem uſque, ac Sanctiſſimum Sacramentum deferre?

Secundò, an in ipſa Eccleſia collegiata conſecrari debeat aqua baptiſmalis, ut poſtea deferatur ad Eccleſiam Cathedralem, in qua eſt fons baptiſmalis?

Tertiò, an in ipſo conſecrari debeat oleum, & in ea conſervandum?

Quartò, an teneatur aſſervare Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, quia ipſa Eccleſia collegiata eſt Parochialis, an verò teneatur ipſi illud ſubminiſtrare Eccleſia Cathedralis?

Quintò, an eidem Priori intereſſenti functionibus cum Capitulo Cathedralis debeatur thurificatio pari Thuribuli ductu, ac datur dignitatibus Cathedralis?

Sextò, an idem Prior præcedere debeat Canonicos Cathedralis?

CONSULTATIO XXX.

An Capitulum Cathedralis, vel collegiatæ Eccleſiæ cogere poſſit Clerum aliarum Eccleſiarum inferiorum, ut accedat ad ſupplicationem fieri ſolitam in vigilia Sancti Titularis, vel Patroni?

An Cruces diverſarum Eccleſiarum loci incedere debeant ſimul una poſt aliam in principio ſupplicationis ante Clerum, & deinde Clerici, & Sacerdotes ſimul?

An dignitates Eccleſiarum inferiorum in ſupplicationibus ſeparari poſſint a corpore ſui Cleri, & incedere in fine ſupplicationum a ſiniſtris dignitatum Cathedralis, vel Collegiatæ?

Ubi quænam ſint generales, ſive publicæ ſupplicationes, ſive proceſſiones?

CONSULTATIO XXXI.

An Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſuper Altare majori aſſervandum ſit?

CON-

CONSULTATIO XXXII.

An corpora eorum, qui cum opinione, & fama Sanctitatis decedunt, ſepeliri poſſint ſub altare, aut ejus ſcabello ſuppedaneo, ſive peduli, vulgo pradella?

CONSULTATIO XXXIII.

An donationes è conſanguineis, aliiſve abſque ulla cauſa factæ Clericis habentibus patrimonium, vel beneficium, præcipuè viventibus exinde in communi, præſumantur, ac declarari debeant factæ in fraudem immunitatis ab oneribus, & collectis? Et quis hujuſmodi fraudes cognoſcere debeat?

CONSULTATIO XXXIV.

An Monialis profeſsa, ſi mutato ſexu, fiat vir, remaneat profeſsus, ſeu propriè Religioſus, vel potiùs profeſſio irritetur?

CONSULTATIO XXXV.

De præcedentia inter Archidiaconum, & Archipresbyterum, atque alias dignitates, ubi plura ad rem haud importunè?

CONSULTATIO XXXVI.

Prima dignitas in Eccleſiis ex quibuſnam probetur?
An ex inceſsu, vel ſeſſione dextera?
An ex inceſsu, vel ſeſſione in loco primo, vel medio?
An ex thurificatione ante alios?
An ex proviſionibus Apoſtolicis?
An ex conſuetudine?
An ex eo quòd ante alios, vel ſubſcribatur, vel denominetur?
An ex commiſſione cauſarum?

CONSULTATIO XXXVII.

An ſententia ſuper non cultu, ac omnimoda obſervatione decretorum Urbani VIII. de Canonizatione Sanctorum prolata per Rectorem, ſive Curatum Eccleſiæ Cathedralis, ſive Collegiatæ, vel Parochialis, deputatum a Vicario Generali, tanquam ab Ordinario, ſit confirmanda?
Et an a dicto Curato committi poſſit viſitatio, & inſpectio ſepulchri Notario cauſæ, licèt laico?

CONSULTATIO XXXVIII.

An teſtium depoſitio in materia Canonizationis Sanctorum recipi poſſit, non citato Promotore fiſcali menſæ Epiſcopalis?
Et quid de eorum repetitione facta cum interrogatoriis, præſente Promotore fiſcali, ſi abſolutis interrogatoriis, eis ſolummodò lecta fuerit prima eorum depoſitio, quam ſinguli generaliter approbarunt?

CONSULTATIO XXXIX.

An petitio remiſsoriæ ſuper inquiſitione generali ſit concedenda antequam doceatur de continuatione, ac percrebreſcentia famæ miraculorum?

CONSULTATIO XL.

An in cauſis Canonizationum Sanctorum ritè excipiatur juramentum Monialium, quæ non jurant in manibus Judicum, neque ab ipſis videri poſſint?

CONSULTATIO XLI.

An examen Eminentiſſimorum Cardinalium, & Epiſcoporum in cauſis Canonizationum Sanctorum legitimè recipi poſſit in eorum palatiis?

CONSULTATIO XLII.

An, & quatenus in materia Canonizationis Sanctorum hiſtoricis, atque chronographis, aliiſque ſcriptoribus adhibenda ſit fides?

CONSULTATIO XLIII.

An aſitia, hoc eſt inedia ab omni cibo, & potu ſpatio plurium dierum, menſium, annorum verè dici poſſit ſupernaturalis, & miraculoſa? Et quid de abſtinentia a ſolo potu?

CONSULTATIO XLIV.

A quo tempore ſumi debeat initium litis in cauſis Canonizationum Sanctorum?

CONSULTATIO XLV.

An Summus Pontifex nuncupando Beatum ſcriptura ſua privata quempiam Dei ſervum, cenſeatur ei titulum Beati concedere?

CONSULTATIO XLVI.

An poſſint recitari orationes, reſponſoria, & antiphonæ ad laudes, & Veſpera alicui Servo Dei non canonizato, nec beatificato?

CONSULTATIO XLVII.

An liceat pingere imaginem non canonizati cum revelationibus, ſive cum claritate, vel lumine deſuper veniente?

CONSULTATIO XLVIII.

Utrum in ſepulchris Servorum Dei apponi poſſit aliquod ſignum inſolitum ad dignoſcendum, quod ibi ſint ſepulti?

CONSULTATIO XLIX.

An libri omnes a Servis Dei compoſiti, & producti coram Judice remiſsoriali, debeant reapſe produci in actis Sac. Congregationis, antequam ipſi Servi Dei Canonizentur?

CONSULTATIO L.

An lympha, vel lactis fluxus ex ſecta cervice alicujus Martyris ſit naturalis?

CONSULTATIO LI.

An habitus nigri coloris, quo ab antiquo tempore conſuevit pingi B. Virgo aliquibus in locis, prohibeatur per Conſtitutionem Urbani VIII. emanatam ſuper reformationem Imaginum?

CONSULTATIO LII.

An in proceſſibus conſtruendis pro canonizatione Sanctorum citari debeat ad ſingulos actus Promotor fidei miniſterio Curſoris, ſive nuncii?

An processus erit legitimus, si idem Promotor, sive ejus subpromotor non intervenit quando testes jurant per diem ante examen?

CONSULTATIO LIII.

Quanti faciendi sint effectus Beatitatis, ac venerationis indultæ a Summo Pontifice alicui Beato? Ubi strictim de differentia Canonizationis a beatificatione, & miraculorum a gratiis.

CONSULTATIO LIV.

An ad essentiam veri miraculi requiratur sanatio perfecta ex omni parte ad punctum temporis, ideſt quod dicunt, in istanti?

CONSULTATIO LV.

An, & quatenus visionibus, sive apparitionibus, præcipuè Sanctorum, ac somniis tam nocturnis, quàm diurnis fides dari debeat ad effectum Canonizationis, sive beatificationis?

CONSULTATIO LVI.

An morbus apoplecticus possit absque miraculo post aliquod tempus resolvi?

CONSULTATIO LVII.

An submersis per horam, & amplius in aquis, invocato auxilio Servorum Dei, si revixerint, attribuendum sit miraculo?

CONSULTATIO LVIII.

An elevatio tumoris in facie alicujus sacri signi, sive statuæ ligneæ cujuspiam Servi Dei, vel Beati sit prodigiosa? Ubi de prodigiis, ac simulacris aliqua.

CONSULTATIO LIX.

An illæso pueri, super quem pertransiit rota currus onusti sine aliqua illius fractura; apparente solo signo livoris in corpore, ob invocationem alicujus Servi Dei sit miraculo adscribenda?

CONSULTATIO LX.

An Resurrectio mortuorum sine miraculo fieri possit? Ubi an, & quatenus a dæmone?

CONSULTATIO LXI.

An, & quo pacto mors distinguatur a vita? Ubi de modis dignoscendi vera miracula resurrectionis mortuorum.

CONSULTATIO LXII.

Quanti facienda sit descriptio in Martyrologio Romano ad effectum Canonizationis?

CONSULTATIO LXIII.

Quantæ sint efficaciæ lectiones alicujus Beati, & approbatæ a Summo Pontifice ad effectus Canonizationis?

CONSULTATIO LXIV.

An, & quatenus aliqui describi possint in Martyrologio Romano, uti jam excepti ab Ecclesia Romana pro Sanctis Canonizatis?

CONSULTATIO LXIV.

An, & quatenus apparitiones Christi, B. Virginis, Angelorum, & hujusmodi viris Sanctis factæ, describi possint in Martyrologio Romano?

CONSULTATIO LXV.

De probatione miraculorum desumpta ex publica voce, & fama.

CONSULTATIO LXVI.

De adminiculis antiquarum tabularum, an scilicet illæ, & quatenus fidem indubiam miraculorum faciant?

CONSULTATIO LXVII.

Quæ, quotve sint ponderanda pro exacta discussione uniuscujusque miraculi ad effectum Canonizationis? Ubi quænam propriè dicantur miracula, & quot eorum gradus, aliaque minimè spernenda, sed strictim.

CONSULTATIO LXVIII.

An, & quatenus Ordinarius in causis Canonizationis Sanctorum, postquam Sedes Apostolica manum apposuerit, possit amplius se ingerere? Et quando dicatur Sedes Apostolica manum apposuisse?

CONSULTATIO LXIX.

An, & quatenus in causis Canonizationis remissoria in specie concedenda sit?

CONSULTATIO LXX.

An Ordinarii possint delegare viris in dignitate Constitutis processum super non cultu?

CONSULTATIO LXXI.

De quo genere intelligendus sit Ostiensis, loquens in materia Canonizationis de inquisitione in specie, ut remissoria concedatur?

CONSULTATIO LXXII.

An, & quatenus pro Canonizatione Martyris requirantur miracula? Ubi an ad martyrium requiratur, quod sit actus honestus, sitque necessarius actus fortitudinis, & ut mors ipsa sequatur? Aliaque martyrii requisita, ubi consistat vera fortitudo, & cur hæretici non sint capaces martyrii?

CONSULTATIO LXXIII.

An, & quatenus baptismi probatio in beatificando sit facienda?

CONSULTATIO LXXIV.

An Moniales, quæ profitentur unam ex Regulis a Sede Apostolica approbatis, ac emittunt, præter vota substantialia castitatis, paupertatis, & obedientiæ, quartum votum charitatis exercendæ in pauperes mulieres, morbo laborantes, habentque congruam dotem, ac servant clausuram, sint veræ professæ, ac Regulares, earumque institutum sit approbandum?

CON-

CONSULTATIO LXXV.

An, & quo pacto Judæis a Summo Pontifice, aliisve Principibus fenerandi potestas ex causa publicè fieri possit? Et

An Pontifex Summus Judæis Christianorum Religionem suscipientibus possit usuras condonare, ac universim statuere, quod restituant partem tantummodò ex usuris?

CONSULTATIO LXXVI.

An dignitatibus, aut Canonicis, creatis Prothonotariis titularibus, relicto antiquo habitu, liceat in choro, Capitulo, aliisque Canonicalibus functionibus uti carbasina præsulari, vulgò rocchetto, & amiculo brevi, sive, ut ajunt, mantelletto violaceo?

CONSULTATIO LXXVII.

An propter reverentiam Ecclesiæ possint expelli artifices propè illam obstrepentes, ac personæ infames, & sordidæ ejus divina officia perturbantes?

CONSULTATIO LXXVIII.

An forma decreti super electione Sanctorum in Patronos a S. Rituum Congregatione jussu Urbani VIII. emanati sub die 23. Martii 1630. procedat solum quoad electiones postea factas, vel etiam irritet antea celebratas, sed nondum impletas?

CONSULTATIO LXXIX.

An electio Sancti in Patronum ritè, ac rectè fieri possit in comitiis generalibus, exquisito tamen consensu per secreta suffragia populorum singularum Civitatum?

CONSULTATIO LXXX.

An causæ omnes, quæ excitantur super electione Sanctorum in Patronos spectent privatim quoad alios Judices ad solam Congregationem Sacrorum Rituum?

CONSULTATIO LXXXI.

In controversiam vocatur, an pro canonizatione Confessorum necessaria sint miracula in eorum vita?

CONSULTATIO LXXXII.

An Canonici Metropolitani, & Cathedrales ex legitima consuetudine licitè uti possint in choro pulvinaribus ex panno, vel ex corio, reclamantibus beneficiatis?

CONSULTATIO LXXXIII.

An subrogati ab Ordinario, dignitatibus absentibus, possint mutare locum sibi debitum ratione prioritatis, ascendendo supra antiquiores, & occupando locum dignitatum, quas repræsentant, necnon peragere functiones ad dignitates ipsas pertinentes?

CONSULTATIO LXXXIV.

An liceat solum Parochis exponere in die festo Corporis Christi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in suis Ecclesiis? & an etiam id liceat Confraternitatibus in suis Oratoriis?

CONSULTATIO LXXV.

An liceat Regularibus, vel Confratribus ducere supplicationem die Dominico, vel alio die intra octavam Sanctissimi Corporis Christi?

CONSULTATIO LXXXVI.

De præcedentia inter sodalitates sæculares.

CONSULTATIO LXXXVII.

De quibus Sanctis officium proprium recitari possit.

CONSULTATIO LXXXVIII.

An Prothonotarii Apostolici titulares, sive non participantes præcedere debeant Canonicos Ecclesiæ Cathedralis, quando iidem Canonici, uti singuli, non autem uti in Collegium, & corpus coaliti incedunt? Ubi quid de consuetudine pro Canonicis, & an ad illam probandum concedenda sit remissoria?

CONSULTATIO LXXXIX.

An prima dignitas manutenenda sit in habitu prælatitio, tàm in choro, quàm in aliis functionibus Ecclesiasticis?

CONSULTATIO XC.

An Cantores musici, qui non sunt de gremio Capituli, in processionibus, aliisve actibus præferri debeant Clericis beneficiatis?

CONSULTATIO XCI.

Utrum in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, in quibus paucus est numerus Canonicorum, & presbyterorum, tolerari possit consuetudo cantandi Missam Conventualem festis diebus tantùm?

CONSULTATIO XCII.

An debeat dici Missa Conventualis pro Defunctis feria secunda post Dominicam Passionis, quando officium Defunctorum recitatum est?

CONSULTATIO XCIII.

An Diaconus inserviens in Missa solemni post concionem, quæ haberi solet post Evangelium, conferre se debeat ante Episcopum, ibique Confessionem dicere, & post publicatam indulgentiam Episcopus dare debeat benedictionem?

CONSULTATIO XCIV.

An omnes Canonici accedere debeant ad excipiendum Episcopum ex aula, sive cubiculo, cum Pontificaliter celebraturus ad Ecclesiam progreditur?

Et an cum Episcopus accedit ad Ecclesiam non celebraturus, sed ut divinis assistat, debeat a Canonicis excipi, atque reduci usque ad cubiculum sui palatii?

Et an Episcopo ingredienti Ecclesiam debeat porrigi aspersorium a Canonico?

Et an Episcopus in processionibus semper incedere debeat medius inter Presbyterum, & Diaconum, non autem inter duos choros Canonicorum?

Et an omnes Canonici, & alii de choro debeant facere circulum Episcopo, dum in sacrario sacris vestibus induitur pro Missa Pontificali, seu processionibus?

CONSULTATIO XCV.

An odor, quo corpora, vel Reliquiæ Servorum Dei redolent, miraculo ſit adſcribendus?
Et quid de illorum incorruptibilitate?

CONSULTATIO XCVI.

An Canonici Cathedrales ad benedictionem Epiſcopi ſolemnem, quo populo benè deprecatur in fine Miſſæ, loco Sacerdotis celebrantis in Eccleſiis extra Cathedralem teneantur ex conſuetudine genua flectere?
Et an iidem teneantur aſſociare Epiſcopum uſque ad valvas Eccleſiæ, etiam non Cathedralis?

CONSULTATIO XCVII.

An in funeribus, quæ fiunt in Eccleſiis collegiatis, etiam pro illarum Canonicis defunctis, Capitulum, & Canonici Cathedralis præcedere debeant Capitulum, & Canonicos earumdem Collegiatarum?

CONSULTATIO XCVIII.

An Conſtitutio Gregorii XIII. de præcedentia inter Mendicantes habeat quoque locum inter Ordines Monachorum?

CONSULTATIO XCIX.

An liceat uni Parocho, ſive ſodalitati religioſæ in uno vico, ſive Caſtello erectæ ducere proceſſionem intra octavam Sanctiſſimi Corporis Chriſti eadem die, quo illam ſolet ducere alter Parochus, ſive altera ſodalitas erecta in alio vico, ſive Caſtello valdè vicino, ac finitimo? Ubi quid de conſuetudine?

CONSULTATIO C.

Quidam Præpoſiti ex Conſtitutione Pontificia in proceſſionibus, cæteriſque actibus publicis, ac privatis omnibus, & quibuſcunque, non tamen Capitularibus Eccleſiæ, habent locum immediatè poſt illius Canonicos juxta ordinem ad id eis præſcribendum, ex quo quæritur,
An dicti Præpoſiti habere debeant eamdem ſedem, quam habent Canonici in Eccleſia, ſeu Capella in receptione Ordinum?
Et an Crux Archiepiſcopalis, quæ in proceſſionibus defertur inter duos recentiores Canonicos, ſit deferenda inter duos recentiores Præpoſitos?
Et an Præpoſiti admitti debeant ad oſculum manus Prælati cum Canonici prima vice, qua Epiſcopus novus venit ad Eccleſiam in proceſſione?
Et an gaudeant prærogativa, qua gaudent Canonici in aſſignatione carceris?

CONSULTATIO CI.

An Virgo ab incubo infeſtata, amittat virginitatem? Et An per vim ſtuprata poſſit Deo conſecrari?

CONSULTATIO CII.

An Canonici teneantur excipere Epiſcopum indutum Cappa in Camera palatii Epiſcopalis ad id deſignata, in feſtivitatibus ſolemnioribus, quando vult accedere ad Eccleſiam, & ingredi per illius valvas, majores dumtaxat?
Et an quando Epiſcopus vult accedere ad Eccleſiam in aliis feſtivitatibus, & Dominicis diebus, & audiendi cauſa concionem per ſcalam ſecretam palatii Epiſcopalis tendentem ad ſacrarium Eccleſiæ, teneantur Canonici illum excipere in Camera?
Et an Epiſcopus teneatur ſtatuere certam horam ſui adventus tempore opportuno, illamque ſignificare, ſitque ipſi permiſſum venientibus Canonicis moram trahere in accedendo ad Eccleſiam?
Et an Canonici comitantes Epiſcopum in ejus redditu, teneantur illi aſſiſtere donec ſpolietur cappa, & induatur exomide, vulgò mozzetta? Ubi alia.

CONSULTATIO CIII.

An Canonicus Cathedralis, qui ex diſpenſatione Apoſtolica obtinet in eadem Eccleſia beneficium, ſeu Capellaniam, deferre poſſit habitum Canonicalem, & præcedere alios beneficiatos, vel Capellanos in functionibus, ad quas ratione beneficii, ſive Capellaniæ ſimul conveniunt?

CONSULTATIO CIV.

An, & quatenus ſimplices presbyteri gaudeant prærogativis, quibus gaudent Canonici?

CONSULTATIO CV.

An, & quatenus officium duplex ſit Sanctis concedendum?

CONSULTATIO CVI.

An Abbates Regulares, qui habent uſum Pontificalium, uti illis poſſint in Eccleſiis exemptis, præcipuè Regularium?

CONSULTATIO CVII.

Pauca de translatione Sanctorum Corporum, ſive Reliquiarum?

CONSULTATIO CVIII.

An, & quatenus danda ſit fides atteſtationi Exorciſtæ ſuper liberatione energumeni, ut miraculo adſcribatur?

CONSULTATIO CIX.

An ad verum miraculum invocari debeat auxilium Servorum Dei, vel Beati, dum caſus accidit?

CONSULTATIO CX.

An poſſit reperiri homo, qui ex corporis conſtitutione ab igne non lædatur? Ubi aliqua de illuſionibus in externis ſenſibus, & exempla varia Sanctorum, qui ab igne immunes evaſere?

CONSULTATIO CXI.

An, qui furatur in Eccleſia, etiam quoad Judicem Eccleſiaſticum, gaudeat immunitate?

CONSULTATIO CXII.

An per retentionem animalium Clericorum, quæ damnum dederunt, eorumque relaxationem illicò factam a Curia ſæculari cum fidejuſſione per laicum præſtita de illis conducendis ſub expreſſa conditione, quatenus illa non ſpectarent ad Clericum, ſed ad laicum, lædatur immunitas Eccleſiaſtica? Ubi aliqua de cenſuris Canonicis.

CON-

CONSULTATIO CXIII.

De nece ex veneno propinato ad effectum excludendi reum ab immunitate Ecclesiæ?

CONSULTATIO CXIV.

An Clericis sit vetitum conducere a laicis vectigalia?

CONSULTATIO CXV.

An homicidium ex zelotypia commissum sit proditorium, itaut homicida privetur immunitate Ecclesiæ?

CONSULTATIO CXVI.

An ad validam erectionem sodalitatum, præter licentiam, & assensum Episcopi, exigatur etiam beneplacitum Principis laici?

CONSULTATIO CXVII.

An Episcopus instare possit apud Principem laicum, ut condat edictum pœnale adversus occupantes bona Ecclesiarum, piorumque locorum, irreverenter se gerentes in Ecclesiis, ibique deferentes arma, sistentesque in earum januis, dum celebrantur officia divina, dumque prædicatur, aut docetur doctrina Christiana, obloquentes, ac verba inhonesta proferentes, ac servilia facientes in Templis, eorumque portis, ac cœmeteriis, injungendo ministris Curiæ sæcularis, ut ad omnem requisitionem Ecclesiasticorum contra prædictos, ipso Principe prius admonito, procedant ad pœnas in ipso edicto contentas?

CONSULTATIO CXVIII.

An, & qua pœna puniri possint, ac debeant Confratres sodalitatum, vel Consules alicujus artis, qui deleverint decreto publico aliquos è libro artis, vel Confraternitatis, ac deinceps memoriam abolitionis inciderint in marmore parieti suæ Confraternitatis, vel publicæ plateæ affixo? Ubi de libellis famosis aliqua.

CONSULTATIO CXIX.

An, & quatenus Tertiariæ S. Francisci, fratres ac sorores de pœnitentia S. Dominici, mantellati, ac Pizocheri fratrum Eremitarum, aliive similes gaudeant privilegio canonis, & fori? Ubi nonnulla de novitiis, conversis, oblatis, aliisque generis hujusmodi disseruntur, ac demum quæ sint personæ Ecclesiasticæ brevibus declaratur.

CONSULTATIO CXX.

An juniores, qui cum stipendio inserviunt Ecclesiæ Cathedrali, vel Collegiatæ, etiamsi Clerici non sint, neque Clericalem habitum deferant extra Ecclesiam, gaudeant privilegio fori in criminalibus pro delictis commissis extra proprium munus, ipsamque Ecclesiam? Et quid de immunitate reali?

CONSULTATIO CXXI.

An liceat Episcopis ante obtentum beneplacitum Apostolicum cogere personas Ecclesiasticas ad contributionem causa pestis, vel belli, ipsamque contributionem exigere?

CONSULTATIO CXXII.

An, & quatenus, & in quibus palatia Emin. Cardinalium gaudeant immunitate? Ubi, an in illis fieri possit recognitio cadaveris absque licentia Judicis Ecclesiastici? Et quid de palatiis Episcoporum?

CONSULTATIO CXXIII.

An Custodes agrorum spectantium ad mensam Episcopalem uti tales, gaudeant privilegio fori Ecclesiastici?

CONSULTATIO CXXIV.

A Sacra Congregatione de propaganda fide concedi solet missionariis decretum sequentis tenoris. Sacra Congregatio censuit, concedi posse dispensationem petitam concurrentibus infrascriptis conditionibus, videlicet, ut Sacerdos Missionarius sit peritus in arte medicinæ, & Chirurgiæ, & eam gratis exerceat, ut absque incisione, & adustione operetur, & in loco ubi missionarius degit, non sint medici laici. Nunc quæritur,

Quomodo se gerere debeant hujusmodi Missionarii in illis partibus, quando ob evidens periculum vitæ alterius patientis necessarium esset aliquam ex præcipuis corporis partibus incidere?

Et cum unus ex dictis Missionariis ad præservandum brachium, & vitam cujusdam in digito vulnerati, ipsum digitum inciderit, an incurrerit irregularitatem?

CONSULTATIO CXXV.

An Vicarius Generalis in concursu Parochialium possit legitimè accedere habenti paritatem votorum, omisso habente ultra dimidiam?

CONSULTATIO CXXVI.

An distributiones quotidianæ pro personali assistentia in choro Canonicis debitæ, & ante ipsorum obitum non exactæ, subjaceant spolio?

CONSULTATIO CXXVII.

An ab assignatione congruæ Parochialis detur appellatio suspensiva? Ubi de appellatione in causa alimentorum, & congrua debita Curatis, atque Episcopis nonnulla.

CONSULTATIO CXXVIII.

An, & quatenus Episcopus in causis suæ mensæ possit esse Judex, præsertim in personas non subditas, & in bona extra propriam Diœcesim?

CONSULTATIO CXXIX.

An liceat alicui habere fenestram in ipsis parietibus Ecclesiæ, ex qua possit in Ecclesiam prospicere? Quid de patronis Ecclesiæ, quidve de illius benemeritis, quidve tandem de Parochis?

CONSULTATIO CXXX.

An Præpositi, aliique, qui vulgò dignitates existimantur, eligi possint in Judices synodales, & Apostolicos?

CONSULTATIO CXXXI.

An dignitates in Cathedralibus eximantur ab aſſidua reſidentia ultra tres menſes?

CONSULTATIO CXXXII.

An in Dieceſi, in qua ſunt duæ Cathedrales unitæ, Capitulum unius Cathedralis cogi debeat, ut accedat ad ſynodum alterius?

CONSULTATIO CXXXIII.

Quæſitum in jure Canonico eſt, quiſnam dicendus ſit notorius Clerici percuſſor, itaut evitari debeat juxta ſecundam illam exceptionem Concilii Conſtantienſis, Superque ea quæſtione expoſita diverſæ ſententiæ?

CONSULTATIO CXXXIV.

An electio Nunciorum, quibus Romani Pontificis authoritas repræſentatur in Regnis, ad quæ mittuntur, omninò pendeat ab ejus libera voluntate? Ubi de facultatibus, quæ aliquibus ipſorum, ac Epiſcopis, & Miſſionariis a Sede Apoſtolica concedi ſolent

CONSULTATIO CXXXV.

An alicui pœnæ obnoxius ſit Sacerdos, qui Miſſam ſemel celebratam eadem die laico Principi, id ex cauſa, quod abſolutis omnibus aliis ad Eccleſiam veniſſet, petenti, ſuper Altari cum luminibus, ſuperpelliceo, & ſtola indutus, ſine calice, & hoſtia, omiſſis, & conſecratione, & ſecretis perlegit, ſeu recitavit?

CONSULTATIO CXXXVI.

An, & quando concedatur exemptio ab Epiſcopi juriſdictione?

CONSULTATIO CXXXVII.

An, & quatenus Archiepiſcopis, & Epiſcopis concedendus ſit Coadjutor, vel ſuffraganeus? Et quid de reſignatione Epiſcopatus, & de translatione Epiſcopi?

CONSULTATIO CXXXVIII.

An Conſtitutio ſynodalis, qua cavetur, quod advenæ ubicunque deceſſerint, ſepeliantur in Eccleſia Cathedrali, & emolumenta ad illius Curatum pertineant, niſi Parochus ejus Parochiæ, ubi advena deceſſerit, ei Sacramentum Pœnitentiæ, vel Euchariſtiæ adminiſtraſſe probaverit, locum habeat in adminiſtratione Sacramenti extremæ unctionis, & in caſu, quo Parochus vocatus ab advena infirmo ad audiendum ejus Confeſſionem, ille ob morbi gravitatem nec confiteri queat, neque ſacrum viaticum percipere?

CONSULTATIO CXXXIX.

An permitti debeant matrimonia mulierum Catholicarum cum viris ſchiſmaticis? &
An abſente Parocho Catholico, presbyteri ſchiſmatici poſſint baptizare filios Catholicorum?

CONSULTATIO CXL.

De Clerico minori obtinente per reſignationem cum penſione Parochialem Eccleſiam, mediante exhibitione falſæ fidei baptiſmatis, & ſucceſſivè eadem fide mediante promoto vigore Brevis Apoſtolici extra tempora ad ordines ſacros, in quibus miniſtravit, & curam animarum exercuit?

CONSULTATIO CXLI.

An liceat Nunciis Apoſtolicis mittere Commiſſarios ad alienas Diœceſes, ut ibi cognoſcant cauſas in prima inſtantia?

CONSULTATIO CXLII.

An, & quatenus fructus Patrimonii Clericalis poſſint alienari, vel auctione conſtituta vendi pro viaticis, & delictis Clericorum?

CONSULTATIO CXLIII.

An, & ex quibus præcipuè convincatur hoſpitale, vel Confraternitatem non eſſe titulum beneficialem, & laicos non eſſe incapaces illius regiminis, & adminiſtrationis?

CONSULTATIO CXLIV.

An Miſſionarii, aliive Confeſſores poſſint audire Confeſſionem, & abſolvere Chriſtianos illos, qui habent pro uxoribus mulieres Turcas, quibus nulla ſpes effulget, quod amplexuræ ſint fidem Chriſtianam? Et verſa vice, an poſſint abſolvere mulieres Chriſtianas in matrimonium conjunctas cum Turcis? An debeant ſeparari mulieres Chriſtianæ Turcis jam nuptæ?
Et an idem fieri debeat de illis mulieribus, quæ cum Chriſtianis matrimonium inierunt, qui poſtea fidem abnegarunt, neque ulla eſt ſpes, quod donec in illis partibus morentur, redeant ad Chriſtianam fidem?
Et an poſſint baptizari filii Turcarum quando eorum pater eſt fidei abnegator, & mater eſt Chriſtiana, ſed dubitatur, quod licèt parentes petant filium baptizari, pater tamen educare illum velit in ſecta Turcica?
Et an poſſint baptizari filii patris Turci, & matris Chriſtianæ, quæ licèt pater non aſſentiatur, vult tamen filium baptizari?
Et cum Turcæ baptizare faciant ſuos filios ob alium finem, quàm, ut fiant Chriſtiani, an cùm ii fiant majores, & petant baptiſmum denuò ſit illis adminiſtrandus? An verò ſufficiat primus baptiſmus, quem ſuſceperunt?
Et an ſit verus baptiſmus ille, qui ſuſcipitur cum fine ſuperſtitioſo, itaut non ſit iterùm conferendus ſub conditione? Ubi etiam alia ad hanc rem veluti parerga.

CONSULTATIO CXLV.

An poſſit Epiſcopus abſque beneplacito Apoſtolico præcipere, quod in Eccleſia collegiata præter præfixum numerum Canonicorum, eligantur duo presbyteri extra gremium Capituli ad inſerviendum dignitati, vel Canonico celebranti in locum Diaconi, & Subdiaconi, & quod de maſsa Capitulari aſſignentur illis ſtipendia?

CONSULTATIO CXLVI.

An pendente controverſia inter virum, & uxorem ſuper ſævitia, eſto quod uxor ſequeſtranda ſit, amoveri poſſit a domo fraterna, & quo in loco ſit collocanda?

CONSULTATIO CXLVII.

An matrimonium, maximè exterorum, præsentibus, sed contradicentibus Parocho, testibus, & parentibus viri, vel mulieris contractum, sit validum? Et quid prohibente Episcopo, quave pœna puniendi? Ubi ad hæc incommoda remedium quæsitum, sed frustra.

CONSULTATIO CXLVIII.

An possint Sacræ Em. Cardinalium Congregationes commovere, sive commutare fundationes Collegiorum, aliarumque rerum ad pias causas?

CONSULTATIO CXLIX.

Appellatio ab irrationabili judicio Episcopo in concursibus Parochialibus quo pacto interponi debeat? Ubi ad rem plura, præcipuè verò de jurisdictione S. Congregationis Concilii super tribunali S. Rotæ Romanæ.

CONSULTATIO CL.

An Canonico, qui Capitularem possessionem adeptus est, & postea, facto Capitulo, non fuit admissus ad residentiam, sicque ratione impedimenti illati a Capitulo non residet, debeantur fructus, & emolumenta, ac etiam distributiones quotidianæ, quas alii Canonici residentes lucrantur? &

An Canonicus, qui ex qualitate infirmitatis non est prorsus inhabilis ad interessendum divinis officiis, haberi debeat pro præsenti, ac percipere possit distributiones quotidianas, necnon alia emolumenta, etiam ratione anniversariorum, & Missarum inter præsentes distribuendarum?

CONSULTATIO CLI.

Titius degens in Parochia S. Clementis suum condidit ultimum testamentum, in quo inter cætera sic disposuit: Voglio esser seppellito nella Parocchia, dove mi troverò quando morirò. *Infirmatur, defertur ad hospitale, positum intra fines Parochiæ S. Victoris, in quo obiit. Quæritur in qua Parochia sit sepeliendus?*

CONSULTATIO CLII.

An granciæ, sive membra Conventuum Regularium post Constitutionem Innocentii X. sint amplius regulares, ideòque possint gaudere privilegiis Ecclesiarum Regularium, & præcipuè asservare Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, illudque fidelibus administrare, aliave facere, quæ ad Parochum in sua Ecclesia spectant?

CONSULTATIO CLIII.

Satis scitè, satisque solicitè quæritur, an deponentes pecunias in Monte Pietatis possint ex illis percipere lucrum quinque pro centenario?

Et an idem Mons Pietatis exponens postea mutuatariis dictas pecunias possit exigere ab iis septem pro centenario?

CONSULTATIO CLIV.

An, & quo pacto Episcopus possit injungere Canonicis, ne se congregent sine sua licentia?

CONSULTATIO CLV.

An Episcopus visitare possit domum Parochi Regularis cujuscunque ordinis exempti?

CONSULTATIO CLVI.

An in erectione Canonicatus pœnitentiarii requiratur consensus Capituli?

Et an pœnitentiaria exigat unionem beneficiorum simplicium?

CONSULTATIO CLVII.

An Canonito solito residere, in carcere detento, & absoluto tanquam non reperto culpabili, ac de jure punibili, debeantur distributiones pro tempore carcerationis?

CONSULTATIO CLVIII.

An Abbas Regularis non benedictus possit suis subditis Regularibus Ordines minores conferre?

Et an ordines minores per hujusmodi Abbatem non benedictum collati non suis subditis, sint invalidi?

Et an dictus Abbas non benedictus conferens ordines minores non subditis in loco exempto, existente in Diœcesi Episcopi, possit ab eodem Episcopo Diœcesano de hujusmodi collatione puniri?

CONSULTATIO CLIX.

An Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ possit in Synodo Diœcesana Judex eligi ex dispositione S. Concilii Tridentini cap. 10. sess. 25. de reform. *ubi aliqua de Judicibus synodalibus.*

CONSULTATIO CLX.

Ad quem spectent oblationes, illarumque administratio, quæ sunt Imagini translatæ ad Ecclesiam Cathedralem, & in quem usum sint convertendæ? Ubi plura de hujusmodi oblationibus.

CONSULTATIO CLXI.

An redditioni rationum reddituum, non spectantium ad Ecclesiam, sed ad beneficiatos, interesse debeat aliquis Canonicus?

CONSULTATIO CLXII.

An conservatoriæ omnes comprehendantur sub Constitutione revocatoria Gregorii XV. & Sacri Concilii Tridentini?

CONSULTATIO CLXIII.

An Episcopus præcipere possit Regularibus, quòd abstineant, etiam sub censuris, ab audiendis confessionibus in eorum Ecclesiis a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis?

CONSULTATIO CLXIV.

An tertius, qui eligitur in casu discordiæ inter Episcopum, & Conjudices Capitulares juxta formam in Tridentino cap. 6. sess. 25. de refor. *præscriptam, debeat eligi ex gremio ejusdem Capituli?*

CONSULTATIO CLXV.

De quibuſdam reverentialibus Archiepiſcopo debitis.

CONSULTATIO CLXVI.

An decretum Apoſtolicum de rebus Regularium non alienandis abſque expreſſa licentia S. Congregationis Concilii in ſcriptis obtenta, comprehendat obligationem factam a Superioribus Regularibus prætextu emptionis bonorum pro ſuis Monaſteriis?

CONSULTATIO CLXVII.

An Summus Pontifex decreto ſuo poſſit inhabilitatem inducere contrahendi matrimonium cum conſanguineis uſque ad ſeptimum gradum incluſivè, quorum majores Judaici, vel Mahumetani ſanguinis labe fuerint infecti?

CONSULTATIO CLXVIII.

An in cauſis appellationum inter Regulares ejuſdem Religionis poſſint, omiſſo medio, dari commiſſiones a Signatura Juſtitiæ, & inhibitiones ab Auditore Cameræ, ſeu aliis Tribunalibus, an potiùs hujuſmodi cauſæ ſint gradatim cognoſcendæ coram ſuis Superioribus Regularibus, a S. Congregatione Regularium?

CONSULTATIO CLXIX.

An breve Apoſtolicum, obtentum a Regulari ſuper prorogatione ſui officii, ad quod nulliter fuerat electum, ſit validum?

CONSULTATIO CLXX.

An Ordinarius poſſit augere numerum Monialium abſque illarum conſenſu per vota exquiſito, quando irrationabiliter illum præſtare noluerint?

CONSULTATIO CLXXI.

An Epiſcopus poſſit concedere licentiam acceptandi ad habitum, vel profeſſionem emittendi, Monialibus ſibi non ſubjectis?

CONSULTATIO CLXXII.

An, & quatenus Moniales eximi debeant a juriſdictione Prælatorum Regularium, & ſubjici juriſdictioni Epiſcoporum?

CONSULTATIO CLXXIII.

An, & quatenus ex conceſſione Regularibus facta, Eccleſia mutaverit ſtatum, & ex ſæculari effecta ſit Regularis?

CONSULTATIO CLXXIV.

An Confeſſores Regulares ſemel ab Epiſcopis, ſive Ordinariis locorum liberè approbati, poſſint ab eiſdem in novo examine reprobari?

CONSULTATIO CLXXV.

Iterum de exemptione Monialium a Superioritate Prælatorum Regularium, deque earum ſubjectione Ordinariis? Ubi alia multa ad rem non injucunda.

CONSULTATIO CLXXVI.

An Ordinarius poſſit compellere Regulares ad intereſſendum generalibus, ſive ſynodalibus Congregationibus pro tuenda immunitate Eccleſiaſtica, rebuſque aliis concernentibus diſtinctè commodum tam Clericorum ſæcularium, quàm etiam ipſorum Regularium exemptorum?

CONSULTATIO CLXXVII.

An laici poſſint eligere ſepulturam in Eccleſiis exterioribus Monialium? Et quatenus negativè, ubi ſint ſepeliendi?

CONSULTATIO CLXXVIII.

Epiſcopus viſitavit Conventum Regularium ſuæ juriſdictioni ſubjectum in vim decreti fel. rec. Innocentii X. propterea quod tunc temporis ibi non erant de familia, neque reipſa alebantur ſex Religioſi. Sed poſt abſolutam viſitationem, ſine ulla fraude a Superioribus Regularibus in eodem Conventu adaucta eſt familia, & impletus numerus ſex Religioſorum, ſicque Conventus exemptionem recuperavit juxta declarationes S. Congregationis, nempè 16. & 17. inter impreſſas. Hoc poſito quæritur,

An poſt exemptionem, ut præfertur, recuperatam, Epiſcopus poſſit hujuſmodi Conventum viſitare, ut videat, an ordinationes, & decreta ab ipſo edita in viſitatione præcedenti fuerint exequutioni demandata?

Et an poſſit decreta exequutioni non demandata exequi, & pro illorum exequutione pœnas adjicere, & aggravare?

Et an hæc facultas, quæ competit Epiſcopo, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato, expiret elapſo integro anno a die publicationis decretorum?

Et an Epiſcopus poſt exemptionem a Conventu recuperatam poſſit condemnare, & punire, etiam pœna corporis afflictiva, Religioſum, qui pro delicto in Curia Epiſcopali fuerat inquiſitus, & carceri mancipatus eo tempore, quo Conventus erat juriſdictioni Epiſcopi ſubjectus?

CONSULTATIO CLXXIX.

An Inquiſitores hæreticæ pravitatis habere poſſint familiam armatam? Et quæ arma eorum familia deferre poſſit?

CONSULTATIO CLXXX.

An Principes, vel Magiſtratus ſæculares aſſiſtere poſſint cum Inquiſitoribus in cauſa hæreſis, vel quovis modo ad S. Officium Inquiſitionis ſpectante?

CONSULTATIO CLXXXI.

An Archidiaconus, ſive prima dignitas debeat vocari ad examen ordinandorum?

Et an, & quomodo Archidiaconus de ignotorum ſibi ſufficientia publicè teſtari queat? Ubi ejus officia in id jam neglecta revocantur in uſum. Qua ratione antiquus ille Eccleſiarum ſplendor reviviſcere poterit, & aſperſa Eccleſiaſticis gradibus contumelia detergi?

CONSULTATIO CLXXXII.

An Epiſcopus melius faciet ſi ad ſacros ordines promoveat pauperes, quàm divites?

CON-

CONSULTATIO CLXXXIII.

An Vicario chori abſente, ſpectet regimen chori ad Archidiaconum primam dignitatem, & eo abſente, ad ſecundam?

Et an Archidiaconus prima dignitas, aliàs non Canonicus, debeat deferre Viaticum Epiſcopo ægrotanti, & peragere officium in ejus funere juxta cap. 34. lib. 2. *Cæremonialis?*

Et an in proceſſionibus ſolemnioribus, ſcilicet Sanctiſſimi Corporis Chriſti, & hujuſmodi pretioſiora Eccleſiæ pluvialia debeant inſervire dignitatibus, & illis abſentibus, Canonicis antiquioribus?

Et an Archidiaconus prima dignitas, aliàs non Canonicus, & ſecunda dignitas debeant aſſiſtere Epiſcopo Pontificaliter celebranti, vel aliàs &c. & in omnibus aliis ſolemnitatibus?

Et an Vicarius Capitularis Canonicus, ſede vacante, poſſit præcedere dignitates in aliquibus actibus, in quibus nomine Eccleſiæ extra Capitulum inceditur, an verò in loco ſui Canonicatus incedere debent, & dignitates præcedere teneantur?

Et an ad funera Regis, vel Reginæ, aut Magnatum, impedito Epiſcopo, vel ſede vacante, debeat celebrare Miſſam ſolemnem prima dignitas, & ea impedita, ſecunda dignitas, an verò præferendus ſit Vicarius Capitularis Canonicus, vel aliquis alius Canonicus electus a Capitulo?

Et an Archidiaconus aliàs non Canonicus, debeat aſſociare Epiſcopum ad pulpitum, & illi prædicanti cum aliis aſſiſtere?

Et an quando duo, aut quatuor ab unoquoque choro in vigilia Paſchatis Reſurrectionis, &c. aſcendunt in pulpitum ad intonandum Alleluja, vel hujuſmodi aliquid, dignitates debeant ire ordine ſuæ præcedentiæ, ſicuti generaliter in omnibus aliis actibus, & non ſecundùm ordinem chori?

Et an Canonicus junior, vel dignior teneatur ſupplere officium presbyteri hebdomadarii abſentis, quando hebdomada ad ſimplicem Sacerdotem non Canonicum ſpectet?

Et an ſpectet ad Archidiaconum primam dignitatem convocare Clerum, ſeu convocationem delegare pro adminiſtratione rerum temporalium?

Et an Prælatorum in ſede locatio, & in poſſeſſionem beneficiorum immiſſio pertineat ad Archidiaconum?

CONSULTATIO CLXXXIV.

An populus tempore peſtis, vel alterius neceſſitatis cum conſenſu Epiſcopi, confugiendo ad protectionem B. Virginis Montis Carmeli, vel Roſarii, poſſit ſe obligare ad celebrandum quotannis illius feſtum, necnon ad ducendum eo in feſto publicam proceſſionem?

CONSULTATIO CLXXXV.

An Coadjutor Canonici admitti debeat poſt turnum omnium Canonicorum ad cantandum Miſſas ſolemnes, dum Canonicus proximus ſolet, & vult ſupplere?

Et an idem Coadjutor poſt turnum omnium Canonicorum debeat admitti ad faciendum functiones in decantatione Litaniarum, & hujuſmodi?

Et an functiones quædam in diverſis Eccleſiis poſſint fieri in habitu Canonicali a Coadjutoribus, uti ſingulis invitatis?

Et in quo loco inſtallandus ſit Coadjutor, vivente Coadjuto?

Et ubi poſt obitum Coadjuti?

Et quid dicendum de ipſo Coadjutore poſt mortem ſui Coadjuti?

CONSULTATIO CLXXXVI.

An, & quo pacto teneantur Canonici ſuum Epiſcopum ad Eccleſiam acceſſurum comitari?

CONSULTATIO CLXXXVII.

An Canonici Eccleſiæ collegiatæ cedere debeant locum in ſynodo Beneficiatis Eccleſiæ Cathedralis, quando conveniunt cum Capitulo ipſius Cathedralis?

Et an Canonici, & Clerus Cathedralis ſedere debeant in ſynodo ad dexteram, Canonici verò cum Clero collegiatæ ad ſiniſtram?

CONSULTATIO CLXXXVIII.

An in matrimoniis Catholicorum cum hæreticis, eum quibus immiſti vivunt, poſſint Parochi aſſiſtere ritu Catholico ad impediendam fornicationem, dum ritu hæretico conjugati eodem tecto, ac lecto, tanquam legitimè conjuncti, utuntur?

CONSULTATIO CLXXXIX.

An tolerari poſsit, quod mariti, aut uxores in captivitate exiſtentes per aliquod tempus apud Turcas, ſi nihil de vita, aut morte conjugum audiverint, ad ſecundas tranſeant nuptias ex eo, quòd timeatur prædictos apoſtatare, & ad effectum prædictum recurrere ad miniſtros hæreticos? Si vero aliquid ſciverint certi de vita conjugis captivi, illicò recedere debeant a ſecundis nuptiis ſub aliqua pœna pecuniaria? Ubi de diſſolutione matrimonii infidelium ad fidem converſorum.

CONSULTATIO CXC.

Cùm Turcæ multoties Sacerdotes Chriſtianos, etiam invitos, compellant orare ſupra ſuos infantes infirmos, & conſentiunt, ut ſecretò baptizentur, quæritur, an licitè hoc Sacramentum illis adminiſtrari poſsit? Ubi effata de baptiſmo Judæorum, & alia de Turcis.

CONSULTATIO CXCI.

An Clericus contra Eccleſiam ſuam, in qua beneficium obtinet, pro extraneis advocare prohibeatur?

Et quid ſi a pluribus Eccleſiis beneficia habeat, & pro una contra aliam poſitulet, an ne tum amittet beneficium, quod ab ea habet Eccleſia, contra quam advocati munus ſubire non recuſavit?

Et num advocare prohibitus, nihilominus cauſæ litigatorum conſiliis, & ſcriptis inſervire poterit?

CONSULTATIO CXCII.

Quo jure prohibitum ſit Judæis conducere vectigalia Principis ſæcularis, illaque per ſeipſos exercere? Vel etiam conducere bona Principis ſæcularis, vel privatorum? An eadem prohibita ſint Judæis ex Conſtitutionibus Pontificiis? Ubi effata varia de Judæis.

CONSULTATIO CXCIII.

De teſtibus in minori ætate conſtitutis pro cauſis S. Officii Inquiſitionis, ubi an puer ſeptem, vel octo annorum ob jactatam apud ſuos coætaneos magiam, & nocturnos ſagarum conventus apprehendi, & ejus confeſſio attendi poſsit?

Et qua pœna affici debeat puer maleficus ob delicta in pueritia, & adoleſcentia commiſſa? Et qui proximi pubertati dicantur?

CONSULTATIO CXCIV.

An adhuc hodie prorogari poſsit juriſdictio alterius, & an requiratur conſenſus Judicis ordinarii, & competentis? Et quid in Clericis?

CONSULTATIO CXCV.

An baptizatus invalidè, sive conscius invaliditatis, sive non, redeundo ad veterem sectam, sit dicendus apostata? Ubi effata varia de apostatis a fide.

CONSULTATIO CXCVI.

Cuinam sodalitati competat præcedentia in delatione Baldachini in processionibus solemnitatis Sanctissimi Corporis Christi, & in aliis, in quibus defertur Eucharistiæ Sacramentum?

CONSULTATIO CXCVII.

An oblatæ Turris Speculorum Romæ solemni, vel saltem simplici castitatis voto teneantur?

CONSULTATIO CXCVIII.

An inter Religiones mendicantes debeatur præcedentia Religioni Prædicatorum?

CONSULTATIO CXCIX.

An Equites Hierosolymitani defuncti, idem dico de quibusvis aliis Religiosis, possint irrequisito Parocho, in cujus Parochia decedunt, & absque ejus licentia ab aliis Equitibus deferri ad propriam Ecclesiam, ibique tumulari?

An id procedat, etiamsi elegerint sepulturam in alia Ecclesia, quàm propria, & ideò, an dijudicandi sint instar aliorum Regularium, qui sepulturam eligere non possunt, sed in propria Ecclesia sepeliendi sunt, etiamsi extra claustra decedant?

Et an isti Equites deferri possint ad sepulturam in curru clauso, tàm diu, quàm noctu, Parocho non comitante?

Et an frater Capellanus in Ecclesia dictorum Equitum possit ministrare Sacramenta laicis infirmis, qui ex causa æris alieni, vel delicti confugiunt ad domos annexas dictæ Ecclesiæ, itaut etiam possint dictam administrationem intra septa præfatæ Ecclesiæ Parocho prohibere, licèt antea permissum fuisset Parocho Confessiones dictorum infirmorum audire?

Et an hæc omnia procedant eodem modo, qui servatur respectu Regularium, qui habent peculiaria privilegia, cùm dicti Equites sint propriè Regulares, sive Religiosi?

CONSULTATIO CC.

An Provincialis, aliusve Prælatus Regularis, sive eorum Vicarii ab ipsis deputati, pendente accusatione, sive appellatione super eorum electione possint administrare, & gubernare suam Provinciam?

CONSULTATIO CCI.

An novitiæ licita sit reclamatio ad Prælatum Superiorem, quòd Moniales illam non admiserint ad professionem?

CONSULTATIO CCII.

An Moniales translatæ ex uno Monasterio ad aliud, teneantur sub novo Prælato, sive Ordinario, cui perpetuò subjiciuntur, novam professionem emittere?

CONSULTATIO CCIII.

An liceat jurare per Sanctos?
Et an rectè per, & ad Sancta Evangelia juretur?

CONSULTATIO CCIV.

An, & quatenus Episcopo liceat hospitalia, ac cæteros locos pios visitare, & ab eorum administratoribus rationem administrationis exigere?

CONSULTATIO CCV.

An prætensio Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, vel Parochialis sæcularis, quod associationi cadaverum, quæ sepeliuntur in Ecclesiis Regularium, debeant interesse tot Presbyteri de suo Clero, quot Regulares habeat aliquam juris assistentiam?

Et quid si hoc ex synodo Diœcesana, vel Provinciali, a Sede Apostolica confirmata, disponatur?

Quidve si ex consuetudine? Et utrum ad probandam hujusmodi consuetudinem concedenda sit remissoria?

CONSULTATIO CCVI.

De Concionatoribus varia ad ornatum cap. 1. sess. 5. & cap. 4. sess. 24. de reform. *Sacr. Concil. Trident. cum Sacrarum Congregationum declarationibus, rebus judicatis, consultis, atque decretis in hunc locum simul congestis.*

CONSULTATIO CCVII.

Iterùm de filiis infantibus Paganorum, & Judæorum, an nimirum extra periculum mortis liceat eos baptizare, quamvis eorum parentes consentiant, non quidem certè, ut verè suscipiant Sacramentum baptismi, sed ob salutem corporalem, ut scilicet liberentur a periculo mortis, a vexatione dæmonum, & ejusmodi, si ipsis parentibus restituendi sint?

Quid verò in periculo mortis?

Quid etiam de adultis?

CONSULTATIO CCVIII.

An Parochi, præter solitam eleemosynam, cogere possint hæredes eorum, qui sepeliri volunt in Ecclesia Regularium, ad solvendum aliquid aliud?

An iidem hæredes possint cogi ad solvendum Clericis sæcularibus, cùm intersunt funeri occasione cadaveris sepeliendi in Ecclesia Regularium duplicatam eleemosynam?

An sicut pater in aliquibus locis ex consuetudine eligit sepulturam pro filio impubere, hoc idem possit mater, eo defuncto, vel absente? Et quid de filiis naturalibus, ac spuriis? Item de adoptivis, & arrogatis?

Et quid si super materia contenta in primo, ac secundo dubio extaret consuetudo immemorabilis, an ad illam probandum concedenda sit remissoria?

CONSULTATIO CCIX.

De salutatione a Concionatore Canonici Cathedralis cum expressione tituli facienda.

CONSULTATIO CCX.

An scripturæ publicæ, & apochæ in ditione Ecclesiastica sint asservandæ in Archivio Apostolico, seu Communitate, an verò in Curiis Episcopalibus?

CONSULTATIO CCXI.

Res furto ablatæ, quarum dominus non reperitur, ad quem ſpectent?

CONSULTATIO CCXII.

An aqua roſacea, aliique humores è floribus, herbis, frondibus expreſſis, ſudor, lacrymæ, urina, ſputum, & id genus aliæ ſint apta materia baptiſmatis ſaltem in caſu neceſſitatis?

CONSULTATIO CCXIII.

Utrum in Eccleſia Cathedrali, quæ Parochialis eſt, & unica in Civitate, curam animarum ſub ſe habens, & ad hunc effectum retinet Curatos, qui ab Epiſcopo approbantur, ſed ſunt ad nutum Capituli amovibiles, quod Sacri Concilii Tridentini diſpoſitioni repugnare videtur, & hucuſque toleratum dicitur, quia Capitulum ipſum hac immemorabili poſſeſſione gaudet, debeat Epiſcopus, aut poſſit Vicariam perpetuam inſtituere?

CONSULTATIO CCXIV.

An non obſtante deſignatione loci, & Eccleſiæ pro celebratione Miſſarum a tutore facta, liceat impuberi, majori facto, locum alium, aliamque Eccleſiam dictæ celebrationi deſignare? Ubi aliqua de pubertate non injucunda.

CONSULTATIO CCXV.

An Parochi poſſint a Regularibus, præſertim Urbis, nomine quartæ funeralis exigere medietatem omnium, & ſingulorum, quæ in funere, ejuſve occaſione deferuntur, offeruntur que?

CONSULTATIO CCXVI.

An liceat Regularibus ſepelire in ſuis Eccleſiis Confratres laicos, qui ſibi in illis ſepulturam non elegerint?

CONSULTATIO CCXVII.

An de expoſitione cadaveris in Eccleſia Parochiali, vel de funerali in eadem Eccleſia celebrato, debeatur quarta funeralis Eccleſiæ, in qua ſepeliri debeat?

CONSULTATIO CCXVIII.

An Patres Generales Ordinum in viſitando aliquam Congregationem reformatam debeant ſocios aſſumere ex eadem Congregatione reformata?

CONSULTATIO CCXIX.

Quo pacto ſatisfactio Miſſarum in judicio probari poſſit, etiam apud Tribunal Reverendæ Fabricæ?

CONSULTATIO CCXX.

An Epiſcopo ſternuenti Magiſtratus ſæcularis, vel Gubernator, qui adeſſe ſolent, quando ille celebrat Pontificaliter, ſalutem dicere teneantur, caput reverenter detegere, atque inclinare, & officiosè cum eo agere?

CONSULTATIO CCXXI.

An Epiſcopus poſſit totam Communitatem a carnium abſtinentia ſolvere in quadrageſimali jejunio ob caritatem, vel penuriam piſcium? Ubi, quibus in caſibus diſpenſare poſſit, & quo pacto?

CONSULTATIO CCXXII.

Cùm in decretis de celebrat. Miſs. in §. Ad hæc prohibeatur, ne in poſterum onera perpetua Miſsarum ſuſcipiantur ſine ſuperioris ſæcularis, vel regularis licentia in ſcriptis obtinenda ſub pœnis ibi præſcriptis, quæritur, an acceptationes factæ ſine hujuſmodi licentia ſint nullæ, & invalidæ?

CONSULTATIO CCXXIII.

An locatio caſalium diſtrictus Urbis, atque ejuſmodi comprehendatur in extravag. ambitioſæ de reb. Eccleſ. non alien.

CONSULTATIO CCXXIV.

An Canonicis habentibus indultum jubilationis debeantur diſtributiones, quæ manualiter diſtribuuntur Canonicis proceſſionibus, ac divinis Officiis in nocte Natalis Domini, & in feſtivitatibus Titularis Eccleſiæ intereſſentibus?

An ipſis debeantur diſtributiones, quæ diſtribuuntur inter intereſſentes Capitulis, quales ſunt laudemia, quindennia, & hujuſmodi, non obſtante prætenſa conſuetudine, quòd non dentur infirmis?

An iidem participare debeant de diſtributionibus, quæ ob aliorum abſentiam Canonicis intereſſentibus accreſcunt?

An ſaltem pro tempore, quo perſonaliter inſerviunt, participare debeant de hujuſmodi incrementis, prout alii intereſſentes participant?

An ipſis abſentibus dari debeant diſtributiones anniverſariorum?

CONSULTATIO CCXXV.

An, quatenus, & quouſque ex funere in aliena Eccleſia celebrato Canonica portio, ſive quarta funeralis Parocho debeatur?

CONSULTATIO CCXXVI.

An acceptatio legatorum pro certo numero Miſsarum annualium, ad quarum celebrationem fructus relicti non ſufficiunt, & nomine Fabricæ S. Petri interpellantur legatarii, an velint illa legata acceptare, & ipſi reſpondent, ſe velle acceptare animo obtinendi reductionem, ſit de jure admittenda?

CONSULTATIO CCXXVII.

An, qui Miſsam ſuſcipit celebrandam cum certa eleemoſyna, eandemque Miſsam alteri, parte ejuſdem eleemoſynæ ſibi retenta, celebrandam committit, peccet mortaliter, muneri ſuo ſatisfaciat, & ad reſtitutionem teneatur?

CONSULTATIO CCXXVIII.

Præſuppoſito, quòd Epiſcopus incœptam ordinationem die Sabbati ob promovendorum multitudinem ea ipſa die concludere non valens, continuato jejunio die Dominico ſequenti ordinationes proſequatur, quæritur,

an

an is Episcopus, qui etiam ex indulto Apostolico, quod vocant extra tempora, facultatem habet ordinandi Petrum in tribus festis diebus, valeat die Dominico ipsum Petrum in Diaconum ordinare, quem præcedenti die Sabbati ad Subdiaconatum promoverat, & sic ordinans in quas pœnas incurrat?

CONSULTATIO CCXXIX.

An cultus funerum, & exequiarum fieri debeat juxta qualitatem, & facultates defunctorum?

CONSULTATIO CCXXX.

An, & quatenus sit locus erectioni novæ Parochialis Ecclesiæ, ac deputationi Vicarii in exercitio curæ animarum?





D. JACOBI PIGNATELLI

CONSULTATIONUM CANONICARUM.

Tomus Quartus.

CONSULTATIO I.

An, quatenus, & in quibus casibus liceat pluries in eadem die celebrare Missæ sacrificium, quinam illi sint, & qua pœna, & a quo Judice puniendus qui pluries in die absque necessitate celebrat, etiamsi delinquens sit Regularis? Ubi aphorismi aliquot ad rem, aliique remissivè.

1 CERTUM est, nullam esse de jure divino prohibitionem pluries in die celebrandi, cùm nullibi hoc jus reperiatur, aut scriptum, aut traditum, ut proinde antiquitùs pluries in eadem die Sacerdos celebrabat, teste Vvalfrido Strabone, qui obiit anno 849. in libro, quem inscripsit *de reb. Eccl. cap.* 21. ubi testatur, se habuisse ex relatione virorum fide dignorum, quod Leo Papa septies, vel novies in eadem die obtulerit sacrificium, & concludit, quod quisque in suo sensu abundet; sed prohibitionem esse tantùm de jure Ecclesiastico, ex quo, secluſa nocte Nativitatis Domini, & privilegio Apostolico, nemini quacunque dignitate præfulgenti liceat, nisi semel in die celebrare, atque adeò peccaret mortaliter qui extra casus permissos pluries in die celebraret. Ita docent Glos. *in cap. sufficit de consecr. d.* 1. & *in cap. consuluisti de celebr. miss.* D. Thom. 3. *par. qu.* 83. *art.* 2. *ad* 1. ibique Vasquez *disp.* 233. *cap.* 5. *num.* 42. ac Suarez *disp.* 80. *de Euchar. sect.* 3. omnesque communiter.

2 Desumitur ex dictis *cap. sufficit*, *cap. consuluisti*, & *cap. Te referente cod. tit. de celebr. miss.* quibus in textibus continere hanc prohibitionem ex veriori docent idem D. Thom. *dict. quæst.* 83. *art.* 2. Vasquez *disp.* 232. *cap.* 5. *num.* 43. & Suar. *loc. alleg.* aliique. Quia omnes hi textus continent responsionem factam interrogationi, an liceret eidem Sacerdoti pluries in die celebrare, & responsio in omnibus est, quod debet sufficere celebrare unam Missam. Verbum enim *sufficit* importat taxationem itaut oratio per ipsum reddatur taxativa unius Missæ juxta ea, quæ de verbo *sufficit* tradunt Glos. *in cap. statutum vers. Canonicis de rescript. in* 6. ibique Gemin. & Abb. *in cap. fin. num.* 3. *de sponsal.* & Roman. *in l. cum mulier, ff. sol. matr.* Et cùm hæc responsio sit inserta in corpore juris, habet vim legis obligantis juxta qualitatem materiæ, ut elicitur ex *can.* 1. *dist.* 19. & ex *can. Sancta Romana dist.* 15. & *ex l.* 1. *ff. de constitut. Princ.* Ideòque, cum materia sit gravis, obligat sub peccato mortali.

3 Casus autem præcipui, in quibus licèt pluries in die celebrare recensentur ab authoribus passim, nominatim verò a Pasqualigo *de sacrif. nov. leg. a qu.* 371. Præter illos casus permissos in celebrantem pluries in die absque legitima causa nullibi in jure constituta est aliqua pœna, ideòque pœnam hujus delicti esse arbitrariam, docent Diaz. *in pr. crim. cap.* 35. *num.* 2. Menoch. *de arb. cas.* 407. *num.* 51. Genuen. *in pr. Neap. cap.* 64. *num.* 2. Mirand. *in manual. tom.* 1. *quæst.* 40. *art.* 8. *concluſ.* 2. Vasquez *d. disp.* 232. *cap.* 5. *num.* 48. Possevin. *de offic. Cur. cap.* 2. *num.* 7. Filliuc. *tract.* 5. *cap.* 4. *qu.* 6. *num.* 109. Bartol. ab Angel *dialog.* 5. §. 225. & 228. Bonac. *disput.* 4. *de Sacram. qu. ult. punct.* 7. §. 5. *num.* 10. & Chartar. *in decis. crim.* 25. *num.* 9. Et ideò non est ad hanc, vel illam speciem determinata, & proinde sufficit, quod in una specie sit proportionata delicto. Nam cùm in arbitrariis sit habenda ratio personæ, quæ est punienda, ut observat Bart. *in l. si societatem,* §. *arbitrorum num.* 28. *ff. pro soc.* potest Judex si qualitas personæ ita exigat, imponere pœnam pecuniariam, quæ licèt carior, est tamen minor qualibet pœna corporali, licèt levi, *l. in servo ff. de pœn.* Bartol. *in l.* 1. *in fin. ff. de pœn.* Menoch. *de arbitr. q.* 90. *num.* 39. præsertim quia potest suum arbitrium moderari, ut patitur subjecta materia, Roman. *cons.* 376. *n.* 5. Dec. *in l. si fugitivi num.* 93. *C. de serv. fugit.* & alii cum glos. *in l. eas causas ff. de cond.* & *demonstr.*

Quoniam autem hoc facinus a populo existimari solet 4
gravissimum, idque ut plurimum avaritiæ causa a pauperibus, & imperitis Sacerdotibus perpetratur, ideò non debent Judices leve illud judicare, sed debent inferre pœnam accommodatam delicto, consideratis prius diligenter facti notorietate, populi scandalo, ac personæ delinquentis moribus, causa sive motivo, quo motus fuit ad delinquendum, præcipuè si pro pecuniis, ut ait textus *in d. can. sufficit de consecr. d.* 1. si semel, aut pluries hoc delictum commiserit, si non jejunus, quod sæpiùs accidit, quia malitiosè hoc delictum committentes, sumunt ablutionem, ne se prodant, ac proinde gravius erit puniendus, quia committit duplex delictum, alterum contra præceptum non celebrandi, nisi semel in die, & alterum, non celebrandi, nisi præmisso jejunio naturali, quod est gravius, quia strictius obligat, ut ex eo constat, quod Doctores, excepto quando agitur de complendo sacrificio, quod per inchoantem compleri non potuit, in rarissimis casibus, aut in nullo conceditur posse celebrari a non jejuno, aliisque circumstantiis, quæ augere, vel minuere possunt qualitatem delicti.

Quare hujusmodi delinquentem aliquando punitum 5
fuisse pœna pecuniaria, locis piis applicanda, & suspensione a celebratione Missarum ego testis sum. Interdum verò exilio cum pœnitentiis salutaribus. Quandoque carcere. Sæpè omnibus prædictis simul juxta personæ, factique qualitatem, & scandalum. Non rarò etiam pœna graviori, nempè triremium, si personarum qualitas, delicti multiplicatio, ac perseverantia, populique offensio, ac exemplum pœnæ, ut alii Sacerdotes abstineant, id requireret. Pœna tamen carceris frequentior est in casu, quo semel tantùm deliquerit, prout semel tantùm præsumitur in hoc crimen Sacerdotem incidisse, ut de praxi refert Vincent. de Franc. *decis.* 317. *num.* 4. Cabal. *cas.* 135. & 142. *numer.* 1. Guazzin. *defens.* 2. *cap.* 2. *num.* 18. Giurb. *cons.* 32. *numer.* 21. & *cons.* 47. *in fin.* Capyc. Latr. *dec.* 172. *num.* 22. Et hæc pœna, stante facti notorietate, imponi solet convicto, vel confesso ad textum *in l. fin. C. de prob.* Farinac. *quæst.* 84. *n.* 1. & præcipuè si semel duntaxat deliquerit, nec confessio sufficiens adducatur, sed ex diligentia Judicis inducta, nec causa delinquendi appareat, & a reo assignata inverisimilis reddatur delictum ob avaritiam commissum censetur, & propterea inverisimile, ac ferè difficile

redditur, quod ſemel omninò pro lucro tenuis eleemoſynæ voluerit, tàm grave crimen inquiſitus committere, & tanto periculo animæ & corporis ſe exponere, ut conſiderat Dec. *reſp.* 4. cui inveriſimilitudini non valet reſponſio, quod tunc incœperat pluries celebrare, ſi duobus, vel pluribus antea, vel poſtea nunquam id præſumptum fuit.

6 Atque hinc ſiquis ſemel ac iterùm in eadem die celebraret, putans bona fide ex aliqua juſta cauſa id ſibi licere, & ſi revera non liceret, niſi tamen conſtaret, quod malitiosè ſe geſſerit, poterit dimitti cum aliqua pœnitentia ſalutari, quia cùm proceſſerit ex bona fide, non habet locum pœna, *l. ſervum, §. Prætor ff. de acquir. hæred.* & notat Cravet. *conſ.* 8. *num.* 31.

7 Quod ſi ſcandalosè eadem die miſſam iterans, eſſet de hoc crimine diffamatus, eſſet irregularis aliquo modo impropriè, quatenus ratione ſcandali celebrare non poſſet licitè ob infamiam facti. Si autem eſſet ſententia Judicis condemnatus, quod malitiosè, ſeu dolosè celebraſſet, ideſt non ex ignorantia, putat Theſaur. *de pœn. Eccl. v. Miſſa cap.* 5. *n.* 4. eum effici infamem infamia juris, & conſequenter irregularem verè ac propriè, quia damnatus eſt crimine publico, eſt jure notatus infamia, *leg.* 1. *§. qui in judicio, ff. de his, qui not. infam. canon. infames §. porrò* 3. *quæſt.* 7. Hoc autem crimen eſt publicum, quia omnis gravis injuria contra Religionem eſt crimen publicum, ut per Clar. *in pr. quæſt.* 1. Et quia de jure canonico omne crimen, dolum continens, eſt crimen publicum infamans lata ſententia condemnatoria, Angel. *in ſum. v. crimen quæſt.* 6. Sylveſt. *eod. v. quæſt.* 3. Caſtr. *de juſt. hæret. punit. cap.* 9. *poſt princ.* Aret. *inſtit. de ſuſpect. tut. §. ſuſpectus*, Gloſs. *in dict. Can. infames*, & Sanch. *in opuſc. lib.* 6. *cap.* 3. *dub.* 6. *num.* 14.

8 Denique ſi eſſet condemnatus, quod bis una die celebraſſet ob lucrum, ſeu eleemoſynam acquirendam, ut communiter contingit, tunc multò certius cenſeretur notatus infamia juris, & irregularis effectus ratione vitii ſimoniæ, quod eſt graviſſimum, ut per eundem Theſaur. *loc. alleg.* Unde Genuenſis *in pr. dict. c.* 64. *in addit.* ait, eo caſu graviùs eſſe puniendum, ſcilicet pœna triremium. Et hac quidem pœna damnatus incurrit hoc titulo ſpecialiter pœnam infamiæ, & conſequenter irregularitatem ex genere pœnæ in cauſa famoſa ſicut olim damnati in metallum, vel deportati, & remanet infamis, etiam a triremibus poſtea liberatus peracto tempore per *leg. ad tempus, Cod. ex quibus cauſ. infam. irreg.* Et quamvis Salzedus ad Diaz. *in pr. crimin. Canon. cap.* 146. *in fin.* dicat cum iis ſolere aliquando diſpenſari ipſe tamen Theſaur. *in cit. loc.* non putat poſſe Epiſcopum in hoc caſu diſpenſare, quia hoc ſacrilegii crimen, vel etiam ſimoniæ, eſt gravius adulterio, ideòque Epiſcopus non poteſt diſpenſare *per cap. & ſi Clerici, §. de adulteriis de Judic.* Abb *in cap. Cum te num.* 15. *de re jud.* Diaz. *in pr. cap.* 88. *num.* 4. & Ugolin. *de irregul. c.* 6. *§.* 5. *num.* 3.

9 Judex autem tàm ratione delicti, quàm delinquentis regulariter eſt Epiſcopus, etiamſi delinquens ſit Regularis vigore decreti Sac. Concilii Trid. *de obſerv. & evit. in celeb. Miſſ. ſeſſ.* 22. cùm in hoc delicto intercedat abuſus, qui ſaltem ex dicto decreto, reducitur ad avaritiam, vel ſcandalum, atque adeò poteſt reus, etiamſi ſit Regularis, ab Epiſcopo puniri. Dixi regulariter Epiſcopum eſſe Judicem hujus delicti. Nam poterit interdum veſtiri aliqua circumſtantia, quæ faciat ipſum ſapere hæreſim, in quo caſu puniendum eſt a S. Tribunali Inquiſitionis, cujus praxis in hoc, & ſimilibus ſervanda, ut ſi Sacerdos non jejunus ſecundò, vel tertiò in eadem die celebraverit, reddatur ſuſpectus de hæreſi, eo quod facto approbare videatur hæreſim recentium hæreticorum aſſerentium Euchariſtiam ſumere poſt ſuſceptum cibum conſultius eſſe ut videre eſt in Luteri libello *de abrog. Miſſ. priv.* ubi refert Chliton. *lib.* 2. *de offic. Miſſ.* contra Luter. *cap.* 20. ac proinde ob hujus hæreſis ſuſpicionem ab Inquiſitoribus fidei puniri poterit, ut per Alphonſ. de Leon, *de offic. & poteſt. Confeſſ. reſol.* 22. & Traſmier. *lib.* 3. *de polygam. quæſt.* 2. *num.* 55. Secluſa tamen hac, vel hujuſmodi alia circumſtantia, cum delictum ſit ſolum contra ſimplicem prohibitionem Eccleſiæ, ideòque malum, licèt ex ſe ſit aliquid licitum ex objecto, non poteſt per ſe generare aliquam hæreſis ſuſpicionem, atque adeò pertinebit ad Epiſcopum.

10 Aphoriſmi. Non permittitur celebrari Miſſa ſuper navibus, & negatur etiam magnis Principibus, ut celebrari poſſit ſuper triremibus. In ingentibus tamen navibus Indicis audio celebrari, ut puto ex peculiari indulto propter immanem navigiorum molem.

Illam celebrare non poſſunt rei S. Officii pendente cauſa, licèt ſint habilitati a carceribus, & retineantur domi, vel in aliquo monaſterio loco carceris. 11

Poteſt celebrari coram Principibus hæreticis, ad fidem catholicam converſis, præſentibus uxoribus, filiis, & aliis familiaribus hæreticis ſibi notis, dummodò non adſit ſcandalum, & non ſint nominatim excommunicati. 12

Illam celebrans ritu latino idiomate græco poteſt tolerari ex ignoratione linguæ latinæ, vel ex alia cauſa. 13

Celebrans Miſſam, vel ſacramentaliter abſolvens, cùm Sacerdos non ſit, ſit ſuſpectus de hæreſi, & cogendus ab Inquiſitore abjurare de vehementi, & degradatus tradendus eſt Curiæ ſæculari puniendus, quod importat pœnam mortis ex Conſtitutionibus Pauli Quarti, Gregorii XIII. Clementis VIII. & Urbani VIII. quæ incipit Apoſtolatus officium, in qua declaravit, eas pœnas procedere, etiam in minoribus vigintiquinque annis, majoribus tamen viginti annis. Unde ſequitur, quod cùm hoc ſit crimen depoſitione dignum, ſi fuerit notorium de jure, vel de facto, reddit ipſo jure infamem, & irregularem. 14

In Regnis Valentiæ, & Cathaloniæ conſuetudo, ſive potius corruptela irrepſit, ut in die commemorationis fidelium defunctorum quilibet Sacerdos celebrare poſſit tres miſſas pro animabus defunctorum. Id habuit originem a quodam vivæ vocis oraculo Julii Papæ Tertii, dato Cardinali Compoſtellano. 15

Diaconus, vel Subdiaconus Miſſam ſæpiùs celebrans, & confeſſiones audiens, ſi ſponte compareat, poteſt inhabilitari ad ordinem presbyteratus ſuſcipiendum, & ſuſpendi perpetuò ab exequutione ſuorum ordinum. 16

Inſerviens celebranti non Sacerdoti, quem ſcit eſſe talem, poterit torqueri ſuper intentione, abjurare de vehementi, damnari ad triremes per quinquennium, ac ſuſpendi perpetuò a munere inſerviendi Miſſæ. 17

Qui in Miſſa adhibet hoſtiam, vel particulam prius conſecratam, illamque iterùm conſecrando elevat, & aſſumit, punitur in S. Officio. 18

Nobilibus catholicis inter hæreticos poteſt aliquando concedi, ut habere poſſint domi ſuæ altare privatum, & diſpenſari cum presbytero pro Miſſa celebranda, ut in habitu laicali manere poſſit. 19

Reliqua paſſim obvia vide apud Souſam in *aphoriſm. lib.* 1. *cap.* 32. & apud alios.

CONSULTATIO II.

An Clericus, qui non habet qualitates requiſitas a S. Concilio Trid. cap. 6. *ſeſſ.* 23. *de ref. ita privetur fori privilegio, ut etiam ſubjiciatur legibus, Conſtitutionibus, ſtatutis, ac conſuetudinibus laicorum?*

PRO affirmativa ſententia primò militare videtur, quod forum ſortiri eſt legibus, ac ſtatutis illius loci ſubjici. Nam a pari procedunt forum ſortiri, & ſtatutis ligari, ut notant Gloſſa, & Doctores *in cap. Quod Clericis de for. comp.* Innoc. ac cæteri *in rubr. de conſuet.* Soccin. *in cap. licèt ratione num.* 45. pariter *de for. compet.* Dec. *conſ.* 285. *num.* 9. ubi communem Alex. *conſ.* 157. *num.* 15. *& conſ.* 150. *num.* 3. Gozad. *conſ.* 49. ac alii, nominatim Soccin. ſen. *conſ.* 129. *numer.* 3. *vol.* 1. ubi hoc multis rationibus comprobat. Clericus autem, qui non habet qualitates Sacri Concilii Tridentini ſortitur forum laicum, atque adeò ipſe quoque legibus, Conſtitutionibus, ſtatutis, ac conſuetudinibus illius loci ſubjectus eſt. 1

Deinde Clericus, qui dum erat laicus, inivit contractum, ligatur ſtatuto, conſuetudine, ac lege laicorum reſpectu illius contractus ita tamen, ut ſit judicandus ſecundùm illud jus in foro Eccleſiaſtico, ut per Jo: Andream in *cap. ſine culpa de regul. jur. in* 6. Abb. *in cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ num.* 25. *de conſtit. & in dict. capit. Quod Clericis num.* 39. *de for. compet.* Roland. *conſ.* 57. *numer.* 24. *& ſequenti*, Blanc. *in tract. de comprom. num.* 32. Atqui Clericus, qui non habet qualitates requiſitas a Tridentino, habetur tanquam laicus, ut innuit Innocent. *in cap.* 1. *de apoſt. num.* 3. & tenet Capyc. *dec.* 161. *num.* 2. ac proinde alligatur legibus, ac ſtatutis laicorum. 2

Poſtremò, quia non poteſt aliquis legibus ac ſtatutis ſubjici, niſi ſit juriſdictioni, & foro ſubjectus. Nam condere leges eſt actus juriſdictionis. Igitur è contra qui non eximitur a juriſdictione laica, non eſt cur cenſeatur ab ejus legibus exemptus. Et ideò Clericus non gaudens privilegio fori ex defectu qualitatum Tridentini, conſequenter non gaudet exemptione a legibus. Id, quod videtur ſentire Suarez in *Reg. Angl. lib.* 4. *cap.* 4. *cap.* 27. 3

cap. 27. *num.* 15. ac Thom. Delbene *de immun. cap.* 1. *dub.* 4. *n.* 13.

4 At nihilominus negativè reſolvendum cenſeo ex hiſce rationibus. Primò, quia aliud eſt privilegium exemptionis a foro ſæculari, aliud privilegium libertatis a legibus, ſtatutis, & Conſtitutionibus laicorum. Primum importat exemptionem duntaxat a judiciis, ſive a Tribunali Judicis laici tàm in cauſis civilibus, quàm in criminalibus, & habetur *in auth. ſtatuimus, C. de Epiſc. & Cler.* ibi: *Statuimus, ut nullus Eccleſiaſticam perſonam in civili, vel criminali trahere ad judicium ſæculare præſumat, in auth. ut Clerici apud proprios Epiſcopos, in canone conſulendum* 28. *dict. canone denique* 96. *dict. canone* 1. *& per tot.* 11. *quæſt.* 1. *in capit. Clerici in princ. in cap. Et ſi Clerici, & in capit. qualiter de judic. in cap. nullus, in cap. ſi diligenti, & in cap. ſignificaſti de for. comp.* ad quos textus Doctores omnes ſuffragantur, & habetur expreſsè *in cap. noverit, & in cap. gravem de ſenten. excom.* & *in can.* 15. *Bullæ Cœnæ Domini*, in quo excommunicantur trahentes perſonas Eccleſiaſticas coram ſe ad ſuum Tribunal, ſeu forum, Audientiam, Cancellariam, Conſilium, vel Parlamentum præter juris canonici diſpoſitionem. Et propterea forus appellatur, in quo judicia publicè exercentur, ut probat Iſidor. *in lib. Ethymol.* cujus tranſcripſit verba textus in *cap. forus de verb. ſignif.* unde fori jus, *lib.* 8. *qui ſatiſd. cog.*

5 Secundum importat libertatem a legibus, ſtatutis, ordinationibus, conſtitutionibus, pragmaticis, ac quibuſcunque aliis decretis in genere, vel in ſpecie ex quavis cauſa, vel quovis quæſito colore, ac etiam prætextu cujuſvis conſuetudinis, aut privilegii, vel aliàs quomodolibet libertas Eccleſiaſtica tollitur, ſive in aliquo læditur, vel demitur, aut aliàs quovis modo reſtringitur, ſive Romani Pontificis, & Sedis Apoſtolicæ, ac quarumcunque Eccleſiarum juribus quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expreſsè præjudicatur. Quod habetur *in cap.* 1. *& per tot. d.* 10. *in can. benè quidem cum ſeqq.* 96. *d. in capit. quæ in Eccleſiarum, in d. capit. Eccleſia S. Mariæ de conſtit. in auth. caſſa, C. de ſacroſ. Eccleſ.* ac præſertim *in d. Can.* 15. *Bullæ Cœnæ*, ad quos locos Doctores item omnes, & præ cæteris Abb. *in d. capit. Quod Clericis de for. compet. & in d. capit. Eccleſiæ Sanctæ Mariæ*, ubi exactiſſimè hanc materiam proſequitur in repetitione ſua *numer.* 26. *&* 37. *cum ſequenti*. Et hæc libertas a legibus, & ſtatutis laicorum Principum dicitur libertas comparatione obligationis, qua cæteri hominum titulo ſubjectionis eiſdem tenentur.

6 Sunt igitur privilegia diverſa, & ſeparata: A diverſis autem & ſeparatis non fit illatio, *l. Papinianus, ff. de minor.* cum vulgo aliis. Et ideò, licèt Clericus, qui caret Sac. Concilii requiſitis, fori privilegio privetur, non tamen habemus unde etiam privetur alio privilegio clericali libertatis a legibus, ac ſtatutis laicorum præter id, quod ſtatuit idem Tridentinum, quod non eſt in conſequentiam ad alia privilegia trahendum, maximè cum ſit odioſum, atque adeò reſtringendum.

7 Hinc ubi Sacri Canones alia privilegia volunt auferre, id exprimunt, ut *in c. un. de Cler. conjug. in* 6. quod confirmat Trident. *eod. cap.* 6. *ſeſſ.* 23. *de refor.* ubi expreſſit Clericos conjugatos nullis aliis Clericorum privilegiis gaudere, præter Canonis & fori, & his tantùm ſervatis quibuſdam conditionibus. Eas autem conditiones pro ſolo privilegio fori expreſſit.

8 Unde quod Clerici his requiſitis deſtituti gaudeant privilegio Canonis, & immunitatis a vectigalibus tradunt Molina, Avila, Clarus, Leſſius, Malderus, Garzia, Comitollus, Bellettus, Diana, Torreblanca, Suarez, Poncius, Palaus, & alii, quos adduxit *tom.* 3. *conſult.* 7. *num.* 79. Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancel. gloſ.* 5. *§.* 5. *num.* 6. *& ſeqq.* ubi refert declarationem Sacr. Congregationis Concilii, in qua declaratur *in d. decreto capit.* 6. *ſeſſ.* 23. non auferri privilegium Canonis, tanquam diverſum a privilegio fori, de Marinis *reſol. quotid. cap.* 47. *num.* 7. *cum ſeqq. part.* 2. Fagnan. *in cap. venit num.* 14. *&* 15. *de immun. Eccleſ.* & declaravit S. Congregatio Immunitatis in Firmana 10. Septembris 1629. & in Aſiſien. 26. Junii ejuſdem anni, ac alibi, Clericos, qui non habent requiſita Tridentini non privari privilegio Canonis, exemptionum, &c. ſed ſolo privilegio fori, & gaudere privilegio, *l. Presbyteros, C. de Epiſc. & Cler. & l. Sacroſanctæ* 33. *eod. tit.* firmat Sanchez *in decal. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 35. ac privilegio *cap. Odoardus*, tradit Gallet. *in marg. v. Clericus*, Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſc. part.* 2. *capit.* 12. *num.* 32. de Marinis *loc. cit.* & Sacr. Congregatio Concilii apud ipſum *num.* 10. &

in nullius 4. Maji 1619. quibus adde quæ adduxi *loc. alleg. num.* 87. *& ſeqq.* Quidquid de his omnibus dixerit Rota in Romana teſtamenti 26. Novembris 1668. coram Priolo §. pariter non adverſatur, confirmata 4. Aprilis 1672. coram Bourlemontio, & 12. Decembris ejuſdem anni, & 16. Januarii 1673. coram eodem. Unde cùm habeamus in hac re declarationes Sac. Congregationis Concilii, ad quam pertinet illud interpretari, eæque ſint tanquam leges, illas proſequi debemus, non autem deciſiones Rotæ, quæ ſemper, & ipſa veneratione eſt illas proſequuta.

Secundò, probatur ex ratione certa, & lumine naturæ nota. Quia lex non poteſt ferri, niſi ab habente juriſdictionem, atque adeò non poteſt obligare, niſi ſubditos, ut notat D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 96. *art.* 5. & deſumitur ex *cap.* 2. *de Conſtit. in* 6. *& ex l. fin. ff de juriſd. omn. Jud.* Nam lex debet dirigere in finem, quem intendit. Ille autem ſolus, qui habet juriſdictionem poteſt dirigere. Unde nec Pontifex poteſt ſuis legibus obligare infideles, quia non habet poteſtatem ſuper illos, cùm non ſint de grege Chriſti juxta illud 1. *Cor.* 15. *de his, qui foris ſunt, quid ad nos?* & habetur *in capit. gaudemus de divort.* Neque Imperator poteſt ferre leges pro Regnis ſibi non ſubjectis, ſicut nec quilibet alius Princeps defectu juriſdictionis, & ſubjectionis in populis, quæ requiruntur ad poteſtatem legislativam, ut notant Doctores *in l. Imperium ff. de juriſd. omn. Jud. & in d. c. Eccleſia S. Mariæ de Conſtit. ac in cap. ſolitæ de major. & obed.* Cùm igitur leges & ſtatuta ferantur a Magiſtratu ſæculari, tanquam a capite Communitatis laicæ, quia ſuper ipſam tantùm habet juriſdictionem, & ideò cum obligatio legis, & ſtatuti non plus ſe extendat, quàm ſe extendit extra Communitatem, cui tanquam caput non præeſt Magiſtratus. Clerici autem etſi non gaudeant privilegio fori, non ſunt de communitate laicali, neque ſunt illius Magiſtratui ſubditi, ſed ratione characteris ſubduntur ſuo Epiſcopo, *cap. contingit* 1. ubi Gloſ. & Doctores *de ſent. excom.* & donec non fuerint hoc privilegio privatis ſervati ſervandis, ſive ab homine, ſive a lege, ſemper remanent ſubjecti juriſdictioni, ac legibus Eccleſiaſticis, ut firmat Garz. *de benef. part.* 1. *cap.* 2. *num.* 16. *& ſeqq.* Et ideò obligatio legis, ac ſtatuti ſæcularis, cùm ſe non extendat extra Communitatem, ac ſuos ſubditos, non ſe extendet ad Clericos. Quia non ſolum ſunt alterius Communitatis, ſed etiam in alio ordine ac ſtatu, in quo ſecundùm peculiares leges diriguntur, non poteſt lex ſæcularis ſe extendere ad ipſos, quia tanquam actus juriſdictionis non poteſt extendi extra ſphæram ejuſdem juriſdictionis, neque ad aliam Communitatem, cujus Epiſcopus non ſit caput. 9

Tertiò, denique probatur per reductionem ad inconveniens, quod in jure vetandum ſtatuit legislator, *in l. pen. poſt princ. ff. de impenſ.* & ab omni diſpoſitione removendum eſſe ſanxit Pontifex *in Clem.* 2 *de magiſtr.* Si enim Clerici non habentes requiſita S. Concilii Trid. ſubjicerentur etiam legibus Laicorum, utique ſubjicerentur eorum juriſdictioni, atque adeò poterunt eorum bona collectari, in eorum perſonas violentæ manus injici abſque metu excommunicationis, ad munia perſonalia, etiam ſordida cogi, ut maximè enim mulctæ, & collectæ aliud non ſunt, quàm ipſa juriſdictio *arg. l.* 66. *in fin. de jur. dot. & l.* 8 *§. fin. de perm. & com. rei vend.* Et imponuntur ratione juriſdictionis in perſonas, *l. un. ff. ſi quis jus dic. non obtemp. l. nulli* 27. *§. quod ſi in via, C. de Epiſc. & Cler. leg. vectigalia C. de vectigal. & cap. ſi tributum* 11. *quæſt.* 1. *capit. illud* 20. *quæſt.* 3. *cap. tributum* 23. *quæſt.* 8. Bartol. *in l. un. C. de molier.* quem ſequitur Alex. *in leg.* 4. *§. actor. ff. de re jud.* & alii communiter. Quæ omnia pugnant cum relatis declarationibus Sacrarum Congregationum, quæ Clericos dicta requiſita non habentes ex decreto Tridentini ſolo privilegio fori privari declararunt, non autem aliis privilegiis clericalibus, ut dictum eſt. Unde cùm Princeps neque in perſonas, neque in facultates Clericorum ullam habeat juriſdictionem, per ſe manifeſtum eſt, nullam ei competere facultatem obligandi ſuis legibus, & ſtatutis Clericos, niſi in eo tantùm, quod ipſi conceſſum eſt a ſacris Canonibus, & ab ipſo Sacr. Concilio Tridentino. Non autem in hac ſpecie, eſt ipſi conceſſum, niſi quod Clericus poſſit conveniri in ejus foro, non autem quod ſit illi ſubditus, ejuſque legibus, ſtatutis, Conſtitutionibus ac conſuetudinibus ſit adſtrictus. 10

Non obſtant quæ contra deduximus. Forum ſortiri, & legibus loci alligari paria quidem ſunt in ſubjecto capaci, non autem in ſubjecto incapaci qualis eſt Clericus. In ſubjecto enim capaci ſubjecto in ordine ad juriſdi- 11

ctionem est voluntaria, sicut est voluntaria habitatio in hoc, vel in illo loco, & ideò non potest consurgere nisi ex quoddam tacito contractu partium, quo una alteri se subjiciat, tradens se ipsius jurisdictioni, & acceptetur ab alia. Clericis autem hæc subjectio, licèt esset ipsis voluntaria, non est permissa, quia non possunt prorogare ex suo contractu jurisdictionem laicalem per textum *in cap. si diligenti de for. comp.* atque adeò non possunt se subjicere alienæ jurisdictioni, nisi quoad ea, quæ ex juris Canonici dispositione permissum est. Non est autem permissum, nisi quod subjiciantur quoad forum, non autem quoad alia, in quibus non sunt subditi. Itaque objectio locum habet in eo, qui potest fieri subditus, secus autem in Clerico, qui nullo modo est subditus Principi laico. Aliud enim est forum sortiri, & aliud subditum esse, ut exquisitè observat Gail. *de pignorat. cap.* 15. *vers.* 6. docuitque Dec. *conf.* 284. *num.* 9. Gozad. *conf.* 49. *num.* 13. Alex. *conf.* 157. *num.* 3. *cum seq. vol.* 1. Ex quo sequitur, quod Clericus non subjicitur totaliter jurisdictioni laicali, quia talis subjectio non habetur, nisi ex incorporatione totali ad communitatem sæcularem, quæ fieri nequit absque privatione, vel renunciatione Clericatus. Neque subjectio in re aliqua ad cæteras extendi debet, cùm sit odiosa, neque a Tridentino extenditur. Si enim voluisset extendi, non assignasset casum particularem, in quo ejusmodi Clericus est subjectus.

12 Præterea id est intelligendum de legibus, statutis, & consuetudinibus fori, quem quis sortitur. Et ita Clericus qui non gaudet privilegio fori, ligatur legibus fori sæcularis in iis, quæ concernunt litis ordinationem, quia Tridentinum consentiens, quod ibi causæ agitentur, censetur velle, quod agitentur secundum modum illius fori, ut per Glos. *in dict. cap. quod Clericis de for. compet.* quam adducit Butr. Imol. Abb. & Gemin. *in d. cap. Ecclesia S. Mariæ de constit.* & Jo: Andr. *super rubr. de Constit.* & Canonistæ omnes. Sive ut voluit Abbas *in dict. cap. quod Clericis de for. compet.* ex ea ratione, quod ideò in ordinativis attenditur lex, vel consuetudo fori, in quo causa versatur, etiam contra Clericos, quia eo casu consuetudo non concernit personam, seu causam, quæ subjicitur illi foro, sive, ut placuit Raphaeli Comen. *conf.* 139. quod sicut qui nascitur in loco, subjicitur legibus illius loci, *leg. origine, Cod. de municip. & orig. lib.* 20. sic causa, quæ nascitur in uno foro, debet tractari legibus illius fori. Sive denique ex eo, quod probatur Felino *in dict. cap. Sanctæ Mariæ col.* 16. *de constit.* quia lex Canonica consentiens, quod causa agitetur coram Judice sæculari, ex quo disposuit, quod actor sequatur forum rei, *cap. cum sit generale de for. compet.* censetur etiam velle, quod agitetur secundùm modum illius judicii. Idque etiamsi lex sæcularis dans formam processui, vel ordinativis judicii in specie loqueretur de Clericis. Quia tunc exprimitur in statuto id, quod a jure disponitur, & permittitur quod aliàs prohibetur per text. *in capit. significasti de elect.* & tradunt Doctores post Glos. *in cap. ad audientiam* 2. *de rescript.* Qua ratione respondetur objectioni, quæ fieri potest *ex dict. capit. Ecclesia Sanctæ Mariæ*, ubi dicitur, quod statutum, loquens in specie de Clericis, vel de Ecclesiis, non valet, etiamsi commodum ipsorum concernat.

13 Et idcircò Episcopus contra Clericos contumaces, vel contra sæculares, qui in ejus tribunali uti contumaces condemnari debent, tenetur servare Constitutiones Principis sæcularis, cum hujusmodi Constitutiones nihil aliud continent, quàm ordinem quendam rationabilem pro servandis terminis ad sententiam obtinendam. Qui ordo cùm nullum contineat contra jurisdictionem, & libertatem Ecclesiasticam præjudicium, omninò servandus est, *arg. text. in leg.* 1. *Cod. quæ sit longa consuet.* & faciunt ea, quæ tradit Bald. *in cap. de causis vers. quæro de for. compet.* ubi ait, quod delegatus leges, & statuta loci, ubi est delegatus servare debet; ita pari modo de Episcopo dicendum est, qui licet in civitate habeat tribunal separatum a tribunali sæculari, sicut etiam delegatus a tribunali ordinario, tamen non faciunt Curiam separatam a curia Ordinarii, ut ait idem Bald. *in leg. si quis in hoc num.* 2. *Cod. de Episc. & Cleric.* Et ideò, licèt Ecclesia sit exempta a jurisdictione laicorum, attamen non est exempta ab illorum territorio, ideòque Ecclesia dicitur regina Civitatis, in qua existit, ut ait idem Bald. *in leg. satis numer.* 1. *de in jus voc.* ac proinde Episcopi obligantur observare statuta laicorum, si sint bona, & æqua, ut pariter ait Bald. *in leg. omnes populi numer.* 28. *ff. de just. & jur.* & concernant directionem actorum, ordinando illa ad causam. Sicut enim forensis tenetur in prosequutione causæ servare ordinem, & stylum civitatis, in qua causa ventilatur, ut ait Bald. *in l.* 1. *num.* 10. *Cod. ne fil. pro patr.* ita Episcopus servare tenetur ordinem ac stylum Civitatis, in qua existit, cùm non habeat territorium diversum ab illa, & nullum Ordini Ecclesiastico præjudicium pareat.

Confirmantur supradicta ex iis, quæ tradit Bald. *in* 14
auth. qua in provincia num. 7. *Cod. ubi de crim. agi oport.* scilicet, ut ipse exemplum adducit, quod si statuto caveturr, quod Florentinus possit trahi ad Curiam Florentinam, non contraveniretur, si traheretur ad Curiam Episcopi Florentini, cum Curia Episcopi Florentini sit Curia Florentina. Et sic sequitur, quod cum Curia Episcopi, & Curia Civitatis, in qua degit Episcopus, sit una & eadem Curia, meritò unus, & idem ordo servari debet in causis. Immò licet Ecclesiastici non habeant in jure certum ordinem expressum, tamen debent imitando leges civiles ordinem per illas datum servare. Facitque textus *in cap.* 1. *de nov. oper. nunc.* ibi: *quia verò sicut leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita & Sacrorum Canonum Statuta Principum Constitutionibus adjuvantur*, ubi Glos. *d. v. adjuvantur*, subjungit: *& ita in causa Ecclesiastica leges possumus allegare.*

Et quidem cùm hujusmodi Constitutiones Principum 15
contineant publicum, & commune Reipublicæ commodum, fas est, quod Ecclesiastici illis se conforment ita suadente ratione generali justitiæ, argumento eorum, quæ tradit Bajard. ad Clar. *quæst.* 77. *num.* 37. Carol. de Grass. *de effect. Cler. effect.* 2. *num.* 22. quamvis contrarium videatur sentire Bald. *in leg. ex causa sub num.* 2. *ff. de postul. vers. Episcopus.* Nisi dicas, quod alia sunt ordinatoria causæ, alia ordinatoria sententiæ. Ordinatoria enim a Constitutionibus hujusmodi disposita sunt in ordine ad sententiam, quæ ab Episcopo servari debent. Glossæ *in dict. leg. ex causa*, & hoc etiam videtur decidere Bartol. *in l. cunctos populos num.* 30. *C. de Summ. Trin.* ubi contra Hostiensem *in Summ. de consuet. §. de veritate* expressè dicit, quod Clerici ligantur statuto, seu consuetudine laicorum in iis, quæ pertinent ad præparatoria, & ordinatoria judicii, etiamsi negotiorum tractaretur in foro Ecclesiastico per textum in *cap. cùm venissent de eo, qui mit. in poss.* illis verbis, *vellent procedere*, sequitur Capyc. *dec.* 66. *num.* 4. ea ratione, ut diximus, quia ordinatoria non respiciunt personam, sed causam, ut præter Abbatem & alios supra citatos, tradunt Asin. *in tract. de exequut. §.* 1. *cap.* 78. *num.* 13. Grass. *de effect.* 2. *num.* 134. & Pignatel. *contr. for. centur.* 2. *cap.* 33. *num.* 30. *lib.* 2.

Minus etiam obstat secunda ratio. Quia Clericus non 16
habens qualitates Tridentini non est merè laicus, sed adhuc permanet Clericus, solumque amittit privilegium fori, cætera autem retinet donec iis non fuerit ab homine, vel a jure privatus.

Pariter non refragatur, quod perperam tertio loco 17
dictum est. Ex eo enim cœlum terræ miscendo, confunditur exemptio, libertas, & immunitas Ecclesiastica, quæ in his tribus foro, lege, & opere consistunt. Nam fit illatio ab uno privilegio ad cætera, a foro ad leges & constitutiones, a concessione ad subjectionem. Concessio enim fori non tribuit imperium ad alia contra mentem Sac. Concilii Tridentini, ac ejus Sac. Congregationis. Unde illatio non est formalis, ut probatum est. Hinc Benedictus XI. *in extrav. inter cunctas de privil.* ponit, ut distinctos casus violationis immunitatis, & violationis libertatis Ecclesiasticæ, ut observavit etiam Cajet. *in sum. tit. de immunit. Eccles.* & Villagut. *de extens. immunit. Eccles. quæst. unic. concl.* 1. *num.* 1. *cum binis seqq.* Ut igitur Clericus non habens qualitates S. Concilii Tridentini privetur cæteris privilegiis, requiritur trina monitio, & declaratoria Judicis Ecclesiastici juxta dispositionem juris communis *in Clem.* 1. *de vit. & honest. Cler.* cui a Tridentino in hac re non fuit derogatum.

CONSULTATIO III.

An Ecclesia parochialis Sanctorum Dionysii, Ludovici inclytæ Nationis Gallicanæ habeat revera privilegium, quod omnes homines ejusdem Nationis in Urbe sub alienis Parochiis degentes, sepeliri debeant in eadem Ecclesia? Et quid de simili privilegio pro parochiali Ecclesia Sancti Joannis Nationis Florentinæ quoad susceptionem Eucharistiæ in eadem Ecclesia pro satisfactione præcepti annuæ communionis in Paschate?

NEgamus. Certum enim est quod ad primos, eos, 1
qui poterant eligere sepulturam, & moriuntur absque electione, sepeliendos esse in sepulchro majorum suorum, vel in Ecclesia parochiali per textum,

in

in cap. 1. *de ſepult.* juncta Gloſ. in formatione caſus, *& in cap. Is qui*, *& in cap. licèt*, *eod. tit. in* 6. ac tradunt communiter Doctores, nominatim Jo: Andreas *in capit. Religioſi eodem tit.* Burſat. *conſ.* 226. *num.* 110. ac decernitur in ſtatuto Cleri Romani *cap.* 3. *§.* 1. *& ſequenti.*

2 Non obſtat aſſertum privilegium a Sixto IV. conceſſum Nationi Gallicanæ illis verbis : *Omnes & ſingulæ, etiam Eccleſiaſtica quacunque dignitate fungentes, & etiam laici cujuſcunque conditionis, ſtatus, aut artificii exiſtunt dictæ Nationis utriuſque ſexus perſonæ, Romanam Curiam ſequentes pro tempore, etiamſi conjugatorum uxores alienæ nationis exiſtant, quamvis infra limites aliarum parochialium Eccleſiarum Urbis habitationem habeant, ſint, & eſſe cenſeantur parochiani dictæ erectæ Eccleſiæ SS. Dionyſii, & Ludovici, & ad illam pro Sacramentis recipiendis, & audiendis divinis diebus feſtivis, & aliis accedere ſub pœna inobedientiæ teneantur, non obſtantibus privilegiis &c.* Et ideò cùm ſint parochiani Eccleſiæ parochialis Sanctorum Dionyſii, & Ludovici, in ea debent ſepeliri.

3 Primò, quia debet oſtendi in forma authentica, cùm ſit contra jus commune, & in præjudicium tertii per textum *in cap. Cum perſonæ, de privileg. in* 6. Bartol. *in l. ſi ſolemnibus, C. de fid. inſtr.* ubi exiſtentem in poſſeſſione privilegii, illud probare debere tradit. Quod etiam docuit Cyn. *in d. l. ſi ſolemnibus*, ubi in fine dicit, non ſufficere aliquem eſſe in poſſeſſione privilegii, niſi de eo probatum fuerit.

4 Secundò, quia eſt manifeſtè contrarium Concilio Viennenſi in *Clement. Dudum de ſepult.* ac Concilio Lateranenſi *in cap. omnis utriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ.* de quibus nulla in dicto privilegio facta eſt mentio ſpecialis, atque adeò non cenſetur iis derogatum, ut ex veriori, ac communiori ſententia ſæpiùs judicavit Rota, præſertim in *Trul.* Monaſterii coram Binarino ſub anno 1571. & in *Ulyſiponen.* decimarum coram Robuſterio 24. Novembris 1572. *deciſ.* 122. *part.* 1. *diverſor.* & latiùs *deciſ.* 123. *& deciſ.* 176. *part.* 1. coram Verallo, & in cauſa *Oriolen.* decimarum coram Orano, *& dec.* 279. *n.* 6. coram Coccino, & *dec.* 214. *num.* 2. *part.* 2. *& dec.* 40. *num.* 1. *& 3. deciſ.* 614. *num.* 5. *tom.* 3. *part.* 4. *& deciſ.* 42. *num.* 5. *part.* 7. *& deciſ.* 302. *num.* 13. *& ſeq. part.* 9. *recentior. & in Hiſpalen.* decimarum coram Bichio 25. Junii 1649. in qua plures aliæ deciſiones referuntur, & *dec.* 3. *num.* 12. *de reſcript.* coram Cæſare de Graſſ. & *dec.* 7. *de locato* coram Moedano, & *in Valentina* decimarum 9. Decembris 1602. coram Pegna, & noviſſimè *in Hiſpalen.* decimarum ſub anno 1664. ac paſſim alibi.

5 Tertiò, quia privilegium ejuſmodi nil aliud continet, niſi quod homines Nationis Gallicanæ teneantur ad Eccleſiam S. Ludovici pro Sacramentis recipiendis, & audiendis divinis officiis diebus feſtis accedere. Ergo non aufert ab illis omnimodam ſubjectionem aliis Parochiis, in quibus degunt, debitam; neque permittit, quod Parochus dictæ Eccleſiæ poſſit illis Sacramenta adminiſtrare extra dictam Eccleſiam in alienis Parochiis. Immò neque illum ex neceſſitate adſtringit eis Eccleſiaſtica miniſtrare Sacramenta, ut requiritur per Gloſ. *in Clem. Dudum, verſ. impediat de ſepult.* quam ſequitur Imol. *num.* 32. Abb. *num.* 24. & Anchar. *num.* 20. ac reſolvit Rot. *in Civitaten.* decimarum 6. Februarii 1589. coram Mantica, & in eadem 15. Decembris 1594. coram Gyptio. Atque adeò ſtrictè eſt recipiendum, & in iis ſolùm, in quibus ſine præjudicio aliarum Parochiarum obſervari poteſt. Poteſt autem obſervari, ſi dicti homines ad dictam Eccleſiam accederent pro recipiendis Sacramentis, & audiendis divinis diebus tantùm feſtis, non verò pro recipiendis Sacramentis in articulo mortis, cùm eo tempore nequeant ad dictam Eccleſiam accedere, ac proinde cenſetur id relictum curæ Paſtoris eorum habitationis. Et dicuntur eſſe parochiani dictæ Eccleſiæ Sancti Ludovici, quatenus ad illam accedunt ad audienda divina, & ad Sacramenta recipienda feſtis tantùm diebus, cum feſtis diebus olim nemo audire divina, & Sacramenta percipere poterat, niſi in propria Parochia. Sic quoque Regulares, qui habent privilegium adminiſtrandi Euchariſtiam quibuſcunque Chriſti fidelibus, non poſſunt illam adminiſtrare in articulo mortis. Quia Eccleſia ſemper cenſetur reſervare Parochis omnem communionem, qua præceptum divinum adimpletur, quod in articulo mortis adimpleri, tenent ex Theologis viri doctiſſimi. Unde licèt hæc communio per modum viatici a Sixto Quarto, in hoc privilegio non fuerit excepta, ipſo jure, & communi ſenſu ſemper pro excepta habetur, ut docet Roderiq. *reſol.* 126. *num.* 3. & Paulus Tertius, expreſsè excepit in privilegio conceſſo Societati Jeſu Conſtitut. 8. Ex quo fit, quod privilegium miniſtrandi viaticum, & Extremam unctionem ſit ſpeciali nota dignum, tanquam illud, quod tangit ea, quæ ſunt reſervata Parochis in ſignum ſuperioritatis ipſorum, & quæ ſolent excipi in conceſſione aliorum privilegiorum. Illa autem, quæ ſunt ſpeciali nota digna, non veniunt ſub generali conceſſione. Ac proinde hoc privilegium ſtrictè eſt interpretandum, ut, quoad fieri poſſit, non noceat Parochis, præſertim cùm deroget juri communi, *cap. Porro, & cap. ex parte, & cap. petiſtis, de privil.* & tradunt communiter Doctores.

Quartò, quia fuit revocatum a Sac. Concilio Trident. 6
ſeſſ. 24. *cap.* 13. *de reformat.* ad finem his clariſſimis verbis : *In iis quoque civitatibus, ac locis, ubi parochiales Eccleſiæ certos non habent fines, nec earum Rectores proprium populum, quem regant, ſed promiſcuè petentibus Sacramenta adminiſtrant, mandat Synodus Epiſcopis pro tutiori animarum eis commiſſarum ſalute, ut diſtincto populo in certas, propriaſque parochias unicuique ſuum perpetuum, peculiaremque Parochum aſſignent, qui eas cognoſcere valeat, & a quo ſolo licitè Sacramenta ſuſcipiant, aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit provideant, &c. non obſtantibus quibuſcunque privilegiis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus.*

Non obſtat, Sacr. Congregationem concilii cenſuiſſe, 7
quod Parochiæ, quæ certos fines non habent, ſed certum tantùm populum, & per certas familias diſtinguuntur, uſque adeò, ut Sacramenta promiſcuè non miniſtrentur, hoc Concilii decreto utique non comprehenduntur, referente Gonzalez *ad regul.* 8. *Cancel. gloſ.* 6. *n.* 96. a quo deſumpſit Garz. *de benefic. part.* 12. *capit.* 2. *num.* 88. & Barboſ. *ad dict. locum Concilii num.* 7. *de poteſtat. Paroch. part.* 1. *cap.* 1. *num.* 24. Primò, quia Gonzalez eo loco ſolùm tradit, inferendo ad dictum Concilii decretum, in quo etiam diſponitur, quod Eccleſiæ parochiales non uniantur, quod decretum illud locum habet, quando verè ſit Eccleſia parochialis, & habet certos fines, aliàs non, ut cenſuit Sacra Congregatio Concilii. Ex quibus apparet, parochialem Eccleſiam, certos fines non habentem, tum ex dicto decreto Sacri Concilii, tum ex ejus Congregationis declaratione, non eſſe verè parochialem, quia Concilium requirit ad parochialem Eccleſiam conſtituendam certos fines.

Deinde, eſto ſine veri præjudicio, quod de hac decla- 8
ratione conſtet authenticè, quod in illa habeatur, Sacrum Concilium non comprehendere hunc caſum, illa ſanè intelligenda eſt in loco & caſu, quo pro tutiori animarum ſalute, ac utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, ita Epiſcopi providerint. Hunc autem modum in Urbe non eſſe tutum, neque utilem nemo ſanæ mentis negaverit, atque adeò locum habet decretum Sac. Concilii derogatorium quorumcunque privilegiorum, & ceſſat ratio dictæ declarationis. Unde remanet id penes arbitrium Eminentiſſimi Cardinalis Vicarii cognoſcere, an expediat animarum ſaluti hujuſmodi curæ exercitium.

Quare neque privilegium ipſum ad hunc modum, 9
animarum ſaluti minus tutum, ac utilem trahi poteſt. Quia privilegia debent regulari a poteſtate juriſdictionali concedentis, quæ cùm debeat ſemper reſpicere bonum communitatis, privilegia quoque ex natura ſua, & in virtute conceſſionis debent remanere ſubordinata eidem poteſtati ſecundùm exigentiam boni communis. Et ſic quando ita exigit bonum commune, poſſunt revocari, quemadmodum hoc privilegium a Sac. Concilio revocatum eſſe diximus. Et ſicut Princeps non poteſt facere aliquid contra exigentiam boni communis, ita quando concedit aliquod privilegium, ſemper cenſetur concedere ſub tacita conditione, quod eatenus valeat, quatenus non ſit præjudiciale bono communi, *leg. ex facto ff. de vulg. & pupil. ſubſtit.* Unde, quando bonum commune exigit revocari privilegium, quia incipit eſſe præjudiciale, tunc poteſt revocari in virtute tacitæ conditionis, quæ afficit conceſſionem. Privilegium autem hujuſmodi per Sacrum Concilium Tridentinum ideò revocatum eſt, quia ita exigebat bonum communitatis, ut nimirum locum haberent proviſiones, quas pro univerſali Eccleſia, & animarum ſalute inſtituit.

Neque urgeatur, privilegium ejuſmodi, uti conceſ- 10
ſum Eccleſiæ de jurepatronatus Regio, non cenſeri a Tridentino abrogatum. Tum quia non fuit conceſſum Regi Gallorum; ſed Nationi Gallicanæ. Tum etiam quia nullibi conſtat Eccleſiam præfatam eſſe de jure patronatus Regio, ſed tantùm ſub Regia protectione,

non quidem immediato ; quæ non ſolet concedi , niſi in fundatione, & in terris proprii Principatus , ſed ſub protectione generali, quæ non eximit perſonas , neque res a poteſtate Ordinarii per textum *in cap. ex parte 2. de privileg.* & eſt caſus ſingularis apud Gem. *conſ.* 82. quo caſu videtur potiùs recommendatio , quàm protectio , per quam , etiamſi in ſignum recognitionis ſolvatur cenſus , non tamen locus , & perſonæ recommendatæ eximuntur a poteſtate , & juriſdictione ejus , cui de jure ſubſunt per textum in *capit. recipimus* , & *in dict. cap. ex parte*, *de privil.* & *in cap. ſi Papa* , *eod. tit. in 6.*

11 Quintò , quia hoc privilegium nunquam fuit , neque eſt in uſu . Nunquam enim probabitur, Parochum Sancti Ludovici populo ſuæ Nationis Gallicanæ in diverſis urbis partibus , ac Parochiis longè diſſitis , vago atque diſperſo Sacramenta ſanctiſſimi Viatici , ac ſacræ unctionis adminiſtraſſe ; neque etiam Sacramentum matrimonii , ſed illa ſemper ipſi adminiſtrata fuiſſe a propriis Parochis , in quorum Parochiis dicti homines domicilium , vel habitationem habuerunt , & mortui ſunt , ac proinde eſt dictis Parochis acquiſitum jus ſepulturæ , vel quartæ funeralis , ſi in alio loco contingat eos ſepeliri juxta tradita per Doctores *in capit.* 1. *de ſepult. in 6.* Gratian. *diſcept.* 94. *nu.* 74. & Mareſcot. *lib.* 2. *var. cap.* 95. *num.* 11.

12 Atque hinc non obſtat aſſerta ſententia ſub anno 1593. a Dom. Viceſgerente prolata pro eadem Natione. Tum quia illa non fuit ſententia , ſed quoddam potius decretum proviſionale ex eo quod cadaver illius defunctæ mulieris adhuc erat inſepultum , ut apparet ex illius lectione . ibi : *Heri ſub dicta Parochia Sancti Thomæ ab inteſtato defunctæ*. Unde nequit dici quod fuerit hæc cauſa maturè diſcuſſa , atque defenſa , ſed tantùm tumultuario modo, & ex opinione præjudicata . Et nihilominus ei opponitur ſententia pro Parochis contra Nationem Florentinam in cauſa pari ſub anno 1598. diei 25. Ianuarii ritè ac rectè Dom. Viceſgerente per acta Cæſii emanata , in qua pronunciatum , manutenendos eſſe Parochos Urbis in ſua poſſeſſione, ac juris aſſiſtentia . Et alia ſententia prolata a Dom. Viceſgerente per acta Florelli ſub anno 1659. pro Parocho Sancti Nicolai ad Cæſarinos contra eandem Nationem Florentinam . Tum etiam quia fuit nulla atque irrita . Nam emanavit contra decretum Sac. Concilii Tridentini, per quod dictum privilegium eſt abrogatum . Quodlibet enim decretum Sacri Concilii continet decretum irritans , ut habetur in Conſtitutionibus Pii Quarti, & B. Pii Quinti ſuper confirmatione , & obſervatione ejuſdem Concilii , & docet Gonzalez *gloſ.* 15. *numer.* 37. Ac proinde afficit manus cujuſcunque Judicis , ipſumque ligat , & annullat omnia, quæ in contrarium fiunt ex vulgo deductis.

13 Minus obſtat catalogus mortuorum ejuſdem Nationis, qui ex aliis Parochiis delati , ſepulti ſunt in Eccleſia Sancti Ludovici. Prout etiam neque obſtat alter catalogus baptizatorum pariter aliarum Parochiarum . Nam quoad primum non conſtat , an ex vi privilegii hujuſmodi , vel potius quia ſepulturam elegerint , vel quia majorum ſuorum ſepulchrum habeant , ibi ſepulti ſunt. Certum enim videtur , quod cum Parochus S. Ludovici Sacramenta Viatici , atque extremæ unctionis, quod eſt conſumativum pœnitentiæ ex Trid. *ſeſſ.* 14. *de Sacr. extr. unction.* ſub initio , nunquam illis adminiſtraverit , profectò ex diſpoſitione potiùs juris communis , quàm privilegii , jam a Tridentino abrogati, atque nullo unquam tempore uſu recepti , ibi ſepultos eſſe, dicendum eſt . Et quoad ſecundum poteſt ex conſuetudine introduci , quod filii parochianorum unius parochiæ baptizentur in alia , & ſic non eſt eſſentialis fons baptiſmalis , itaut una Eccleſia dicatur parochialis , & acquirat jus in parochianos alterius parochiæ tàm in adminiſtratione aliorum Sacramentorum , quàm in funeribus , & quarta funerali, ut per Rota *deciſ.* 52. *num.* 28. & *ſeq. par.* 2. *diverſor.* & Gonzalez *gloſs.* 6. *num.* 52.

14 Tandem non obſtat ratio commentitia conceſſionis dicti privilegii , ſcilicet , ut Galli homines a Parocho ſui idiomatis Sacramenta ſuſcipiant ex regula 20. *Cancell.* Primò , quia regula vult , quod parochiali proviſus intelligat , & intelligibiliter loqui ſciat idioma loci , ubi Eccleſia , vel beneficium hujuſmodi conſiſtit , atque ideò ſatis eſt , quod Parochi Romani ſciant Romanè loqui , Secundò , quia Galli optimè loqui ſciunt Italicè , & linguam Italicam facillimè addiſcunt . Tertiò , quia præſtò ſunt in Urbe viri Religioſi ejuſdem Nationis . Quartò , ſequeretur , quod Parochus Sancti Ludovici nequeat adminiſtrare Sacramenta ipſis Italis , aliiſve hominibus aliarum Nationum in ſua Parochia , degentibus, quia non intelligit illorum idioma. Quintò, idem prorſus obtenderent aliæ Nationes , atque adeò erigendæ eſſent pro eis novæ parochiales, novi Parochi inſtituendi , qui per Urbem quotidiè ſurſum, deorſum huc atque illuc curſitent pro adminiſtrandis Sacramentis , præſertim Viaticis ſuis parochianis ſparſim degentibus , eorumque confeſſionibus in caſibus repentinis audiendis . Unde confuſiones , abſurda , incommoda , ſcandala , pericula , damna ſaluti etiam animarum in dies orirentur . Quid de matrimonii Sacramento dicam ? Nam , ſi Galli omnes , qui Romæ in diverſis Parochiis commorantur , omninò ſunt parochiani Eccleſiæ Sancti Ludovici , tot eorum matrimonia coram aliis Parochis eorum habitationis celebrata, ſunt irrita, proles illegitima , hæreditates ac ſucceſſiones injuſtæ , ex quibus diſſidia , totiuſque Reipublicæ perturbatio. Quæ omnia ſunt contra mentem Sacri Concilii Tridentini in relato decreto , & in *capit. 6. ſeſſ.* 14. *de reformatione* , his verbis expreſſam : *Et quia jure optimo diſtinctæ fuerunt diœceſes , & parochiæ , ac unicuique gregi proprios attribuit paſtores , & inferiorum Eccleſiarum Rectores , qui ſuarum quiſque ovium curam habeant , ut Ordo Eccleſiaſticus non confundatur &c.* Et habetur *in canon. Eccleſias* 13. *quæſt.* 1. *can. plures* 16. *ead. quæſt.* & *in cap. paſtoralis*, *de his* , *quæ fiunt a Prælat.* & *cap.* 1. *de paroch.*

Hinc non officiunt exempla petita ab amplitudine Parochiarum Sancti Joannis in Laterano , Sanctæ Mariæ in Coſmedin , & Sancti Martini in montibus, aliarumque. Primò , quoniam habent & ipſæ ſuos certos fines. Secundò , quia ſunt ſuburbicariæ paucarum familiarum , ac proinde rarò neceſſitatis cauſa contingunt . Tertiò, quia ſtatim ac infirmantur, vel ſe recipiunt in aliquod hoſpitale, vel in domum proriæ habitationis intra Urbem , in qua tutò , & commodè Sacramenta recipiunt. 15

Itaque cùm Parochus Sancti Ludovici hominibus ſuæ Nationis Gallicanæ in aliis Parochiis Urbis degentibus Sacramenta ſanctiſſimi Viatici , ſacræ Unctionis , & matrimonii , quæ a ſolis ac propriis Parochis, tanquam ipſis reſervata in ſignum ſuæ juriſdictionis , nunquam adminiſtraverit , dici non poteſt , quod ſint ejus parochiani, ac proinde hujuſmodi aſſertum privilegium fuit ab uſu contrario ſemper rejectum , & a Tridentino abrogatum. 16

Atque ita tum ex hiſce meis rationibus, tum ex ſuis ſententiam ſuam dedit , ac judicavit Eminentiſſim. Dominus Cardinalis Carpineus Sanctiſſimi Dom. N. Vicarius per hæc verba : *Chriſti nomine invocato , &c. Per hanc noſtram deffinitivam ſententiam, quam pro tribunali ſedentes, & ſolum Deum præ oculis habentes de juriſperitorum conſilio ferimus in his ſcriptis in cauſa , & cauſis , quæ coram nobis etiam vigore reſcripti Sanctiſſimi in prima , ſeu alia veriori verſæ fuerint , ſeu vertuntur inſtantia inter inſignem Eccleſiam Sancti Laurentii in Damaſo, & illius R. R. Canonicos , & Parochum, ac Rev. Dom. Urbanum Daviſium Camerarium Cleri , ac Collegium Parochorum Urbis actores ex una , & venerabilem Eccleſiam Sancti Ludovici nationis Gallicanæ Urbis , illiuſque RR. Miniſtros , & præsbyteros de , & ſuper exercitio jurium parochialium in omnes Gallos , degentes , & morientes intra limites parochiæ dictæ Eccleſiæ S. Laurentii , & aliarum Eccleſiarum parochialium Urbis, ac jure tradendi Eccleſiaſticæ ſepulturæ illorum cadavera, & ſolvendi quartas, & alia jura ſolita præſtari , & ſolvi Eccleſiis parochialibus , rebuſque aliis , partibus ex altera , dicimus , pronunciamus , decernimus , declaramus, ac deffinitivè ſententiamus, nullum jus , nullamque actionem competiſſe , neque competere dictæ Eccleſiæ S. Ludovici, & illius miniſtris, ac præsbyteris ſuper jure adminiſtrandi Sacramenta Gallis degentibus , & decedentibus intra limites aliarum Parochialium Urbis, nec minus ſuper jure tumulandi in dicta Eccleſia S. Ludovici eorum cadavera præterquam in caſibus a jure communi ſtatutis, & expreſſis, nec minus denegandi quartam funerum dictorum Gallorum , qui de jure communi in dicta Eccleſia Sancti Ludovici ſepeliuntur. Et propterea moleſtationes, & vexationes ſuper illatas fuiſſe, & eſſe illicitas, ac de facto datas , & dictum Collegium Parochorum , & eorum Eccleſias , & dictam Eccleſiam S. Laurentii ab impetitis abſolvendum fore, & dictæ Eccleſiæ Sancti Ludovici perpetuum ſilentium ponendum , prout hac ſerie abſolvimus , & liberamus , & perpetuum ſilentium imponimus , & imponi mandamus , victoſque victoribus in expenſis in hujuſmodi cauſa factis condemnamus , quarum taxationem nobis , vel cui de jure impoſterum reſervamus . Et ita dicimus , pronunciamus , declaramus , & deffinimus ac* 17

ſenten-

ſententiamus non ſolum iſto , verum &c. Ita pronunciavi ego Cardinalis Gaſpar de Capitaneo &c. lecta , lata , & publicata fuit , prout per acta de Blanchis ſub die 8. menſis Martii 1673.

18 Quo verò ad ſecundum etiam negamus . Etenim tenentur omnes Chriſti fideles , dum pervenerint ad annos diſcretionis , ſuſcipere ſaltem in anno ſacram Euchariſtiam a ſuo proprio Parocho per textum *in capit. omnis utriuſque ſexus , & de pœnitent. , & remiſ.* eſtque definitum a Tridentino *ſeſſ. 13. de Sacra Euchariſt. can. 9.* & tradunt Canoniſtæ ac Theologi communiter.

19 Neque obſtat aſſertum privilegium a Leone X. conceſſum Nationi Florentinæ , ut omnes ac ſingulæ dictæ nationis perſonæ , quamvis infra limites aliarum parochialium Eccleſiarum Urbis habitationem habeant , ſint , ac eſſe cenſeantur parochiani Eccleſiæ S. Joannis ejuſdem Nationis , & ad illam pro Sacramentis recipiendis , & audiendis divinis diebus feſtis , & aliàs accedere poſſint .

20 Primò , quia eſt contrarium magno Concilio Lateranenſi *in d. cap. omnis de pœnit. & remiſ.* cujus in dicto privilegio nulla facta eſt revocatio ſpecialis , atque adeò non cenſetur illi derogatum , ut ex veriori , ac magis communi ſententia ſæpiùs judicavit Rota , nominatim in citata Hiſpalen. decimarum coram Bichio 25. Junii 1649. in qua plures aliæ deciſiones conſtipantur.

21 Secundò , quia eſt abrogatum a S. Concilio Tridentino *d. ſeſſ. 24. cap. 13. de ref. in fin.* verò illis ſuperiùs adductis. In quo decreto expendenda ſunt verba illa: *ubi parochiales Eccleſiæ certos non habent fines* , ut in hoc caſu . Nam præcipuum , ac neceſſarium requiſitum ad conſtituendum parochiam eſt locus certis finibus conſtitutus , in quo populus alicui Eccleſiæ deputatus degit ex *d. can. Eccleſias 13. qu. 1.* & cenſuit Rota in Ravennaten. parochialis coram Cantuccio 20. Maji 1657. Item illa: *qui eos cognoſcere valeat & a quo ſolo licitè Sacramenta ſuſcipiant* . Quod eſt alterum requiſitum conſtitutivum parochiæ , hoc eſt , ut inquit eadem Rota , poteſtas ligandi , & ſolvendi &c. quam is tantùm habere dicitur , qui neceſſitate adſtringitur Eccleſiaſtica miniſtrare Sacramenta , & fideles , quibus adminiſtrat ad eum accedere coguntur . Quæ omnia in hoc caſu deſiderantur . Nam Florentini , eorumque conjuges ac famuli , etiam alienæ nationis , non degunt infra certos fines , & Parochus S. Joannis non adſtringitur neceſſitate aliqua Eccleſiaſtica miniſtrare Sacramenta , neque fideles nationis Florentinæ ad eum accedere coguntur , cum privilegium eos ad id non adſtringit , ſed ſolùm concedit , quod poſſint , non autem quod teneantur illa ab ipſo recipere. Et quomodò parochus cognoſcere valebit nedum omnes nationis Florentinæ homines , ſed etiam eorum uxores , famulos , etiam aliarum nationum per Urbem vagantes? Ne vultus quidem pecoris ſui cognoſcere valebit.

22 Non refragatur declaratio S. Congregationis Concilii ſuperiùs adducta de certo populo per certas familias diſtincto , tum ex ibi dictis , tum & maximè quia id intelligendum eſt in loco , & caſu , quo pro tutiori animarum ſalute , ac utiliori modo , prout loci qualitas exegerit , ita Epiſcopi providerint. Hunc autem modum in Urbe non eſſe tutum , neque utile probavimus ſupra , ac proinde habet locum decretum Sac. Concilii derogatorium quorumcunque privilegiorum , & ceſſat ratio dictæ declarationis , eritque ſaltem arbitrii Eminentiſſimi Cardinalis Vicarii cognoſcere , an id expediat.

23 Tertiò , quia pone etiam quod ejuſmodi privilegium non eſſet a Tridentino revocatum , illud tamen ſtrictè eſt recipiendum , &c. , ut diximus in iis ſolum , in quibus ſine præjudicio aliarum Parochiarum obſervari poteſt . Poteſt autem obſervari , ſi dicti homines ad dictam Eccleſiam accederent pro ſuſcipiendis Sacramentis , & audiendis divinis diebus tantum feſtis , cum olim feſtis diebus ante Sac. Concilium Tridentinum nemo audire divina , & Sacramenta percipere poterat , niſi in propria Parochia , ut habetur ex Concilio Nannatenſi relato *in cap. 2. de Paroch.* etiam ſub pœna excommunicationis ex ſpeciali ſtatuto Cleri Romani , ut ex ejus vetuſtiſſimo codice manuſcripto *cap. 13.* apud Eminentiſſimum Cardinalem Vicarium . Atque adeò non comprehendit communionem parochialem , cujus nullam facit mentionem , neque poteſt extendi ad illam . Nam hujuſmodi actus ſunt diverſi , & ſeparabiles , ac ſimiliter poteſtas requiſita ad utrumque actum , & per conſequens conceſſa una facultate , altera neceſſariò non conceditur . Sine igitur alio majori fundamento hoc privilegium non eſt extendendum , cùm non ſit ſufficiens , quod ex ſola expreſſione ſuſcipiendi Sacramenta feſtis diebus , intelligatur conceſſa facultas ſuſcipiendi Saram Communionem in Paſchate , ac proinde hoc privilegium intelligendum eſt de ſuſceptione ordinaria Sacramentorum , & ſpeciatim de communione ordinaria , quæ fit extra præceptum Paſchale , & extra periculum mortis , in quibus non ſuſcipitur communio ex præcepto , neque per modum viatici . Quia in his caſibus ſemper ſervatur proprio Parocho habitationis . Quod ſi in aliquo privilegio non excipiatur expreſsè , intelligitur ipſo jure , & ex communi ſenſu excepta vel quod non ſit de illa ſermo , ſed de illis ſolis , in quibus Euchariſtia non accipitur per modum præcepti , vel Viatici , ut docet præ cæteris Suarez *in 3. par. tom. 3. diſp. 72. ſect. 2. §. ultimo verò* , ſubdens: *Unde licet ex dictis colligere voluiſſe Eccleſiam omnem communionem , qua impletur præceptum ſive divinum , ſive Eccleſiaſticum propriis paſtoribus reſervare , neque de ea aliquod privilegium concedere , ſed ſolum de aliis , quæ voluntarie fiunt* . Id , quod comprobatur in hoc caſu , dum hoc privilegium non adſtringit , ſed ſolum tribuit facultatem Florentinis ſuſcipiendi Sacramenta in eorum Eccleſia nationali , ſicque eſt ipſis voluntarium , & non coactivum , ideòque debet intelligi de ſuſceptione ordinaria Sacramentorum , quæ antiquitùs Eccleſiæ parochiali etiam reſervabatur.

Et tandem quartò id evincitur ex abſurdis , & ſcan- 24
dalis , quæ ex hoc privilegio orirentur non ſolùm in communione paſchali , quia cùm Florentini non ſint adſtricti ſuſcipere communionem paſchalem in Eccleſia ſuæ nationis , neque in aliis parochiis , in quibus degunt , ſciri non poterit , an ſatisfaciant præcepto annuæ communionis , ſed etiam in adminiſtratione aliorum Sacramentorum , ſpeciatim Viatici , & extremæ unctionis , quæ nemini , vel paucis illius nationis hominibus adminiſtrentur a Parocho S. Joannis ob difficultatem , & penè dixerim impoſſibilitatem illa miniſtrandi toti nationi per Urbem diffuſæ . Ex matrimonii autem Sacramento eadem ſequeretur perturbatio Reipublicæ , quam pro natione Gallicana ſuperiùs ſequi diximus. Quare quod hic ſit legitimus ſenſus ſupradicti privilegii , colligitur ex *cap. ut privilegia , de privil.* in quo rejicitur illa interpretatio privilegii , quæ deducit ad abuſum , & ex qua ſequitur abſurdum , & relaxatur diſciplina Eccleſiaſtica . Quia tunc ejuſmodi interpretatio eſt contra mentem concedentis privilegium , qui neque abuſus intendit , neque relaxare diſciplinam , & præcepta Eccleſiæ.

Quibus accedunt pro Parochis revocatio , ac mode- 25
ratio inhibitionis factæ ad inſtantiam ipſius nationis contra Parochos , & mandatum de manutenendo ipſos Parochos in ſua poſſeſſione , in qua exiſtunt , ac juris aſſiſtentia per acta Cæſii ſub die 27. Februarii 1598.

Ac etiam adducitur decretum in Sac. Congregatione 26
Præfectorum coram Emin. Card. Vicario ſub die 26. Februarii 1628. emanatum , quo decretum , ut ab omnibus Eccleſiis , etiam nationalibus , & quomodolibet privilegiatis dari debeat Eccleſiis parochialibus quarta funeralis . Quod quidem decretum Sanct. Mem. Urbano Octavo porrectum , fuit ab ipſo Sac. Congregationi Viſitationis Apoſtolicæ remiſſum , quæ ſub die 23. Januari 1629. reſcripſit ſi Sanctiſſimo placuerit , videtur confirmandum decretum Illuſtriſs. Dom. Cardin. Vicarii in Congregatione Præfectorum cum reſcripto ſuæ Sanctitatis habito ſub die 24. ejuſdem , ſcilicet: Sanctiſſimus annuit , uti etiam conſtat ex fide Rev. P. Dom. Ricciulli eo tempore Viceſgerentis , & Secretarii ejuſdem Sacræ Congregationis ſub die 7. Auguſti 1629. qui retulit , facto verbo cum Sanctiſſimo in Congregatione coram eodem Cardin. Vicario ſub die 21. Martii 1629. Sanctiſſimum Dominum Noſtrum annuiſſe , ac reſolutionem præfatam confirmaſſe , eidemque Reverendiſſimo Viceſgerenti commiſiſſe , ut ſervari mandaret omni appellatione remota , & aliis quibuſcunque non obſtantibus , prout latiùs in ſententia Eminentiſs. Cardin. Vicarii.

Adducitur quoque ſententia ſub anno 1659. & per 27
acta Florelli data a Reverendiſſimo Viceſgerente , in qua deffinitivè ſententiatur , Rectori S. Nicolai ad Cæſarinos fore ac eſſe tradenda , & conſignanda , & cum effectu reſtituenda funeralia pro medietate , ſive eorum æſtimationem , mandatumque , ſive mandata quæcunque exequutiva , & de conſignando contra dictam Eccleſiam Sancti Joannis nationis Florentinæ , illiuſque Curatum , Adminiſtratores , & officiales , ac eorum quemlibet , &c.

In qua pariter ſententia declaratur , non licuiſſe , ne- 28
que licere antedicto Curato , miniſtris , aliiſque ejuſdem Eccleſiæ Sancti Joannis Officialibus cogere ullos homines Florentinos , ſeu nationales in aliis Urbis parochiis degentes recognoſcere dictam Eccleſiam S. Joannis pro

eorum peculiari Ecclesia parochiali, dictæque Ecclesiæ, Curato, officialibus, &c. de & super præmissis perpetuum silentium imponatur, prout nos harum serie imponimus, imponique mandamus &c. A qua sententia pro parte Officialium nationis fuit appellatum, sed D. Vicesgerens ex tunc appellanti dedit &c. sine aliqua provisione.

29 Denique adducitur supradicta sententia ab Eminentissimo D. Card. Vicario emanata sub die 8. Martii 1637. per acta de Blanchis contra Ecclesiam nationalem Gallorum, quæ etiam prætendebant habere hoc privilegium, sibi a Sixto IV. concessum, cujus instar concessum est nationi Florentinæ privilegium a Leone X. & nihilominus dictus Eminentissimus sententiam dedit, nullum jus, nullamque actionem competisse, neque competere Ecclesiæ S. Ludovici &c. super jure administrandi Sacramenta Gallis degentibus intra limites aliarum parochialium Urbis.

30 Non obstat, quod censeatur esse derogatum dicto *cap. omnis, de pœnit. & remis.* dum in privilegio exprimitur, quod homines dictæ nationis non teneantur accedere ad alias parochias ad suscipiendum Sacramenta, ac proindè fecit illos parochianos Ecclesiæ S. Joannis. Quia non dicitur in dicto privilegio quod teneantur accedere ad Ecclesiam Sancti Joannis, ut dictum est; sed quod possint accedere, & ita esset in eorum facultate ac libertate ad illam accedere, ac suscipere Sacramenta, cùmque adstringi non possint ad illa suscipiendum in parochiis, in quibus degent, essent liberi a præcepto Ecclesiastico *d. cap. omnis*, atque adeò debebat in specie illi derogari, quod, an expediat, anve Summus Pontifex id facere possit, & proindè, an subintret dispositio Sac. Concilii Tridentini in citato *cap. 13. sess. 24. de reform.* relinquendum est prudentissimo judicio Eminentiss. D. Card. Vicarii.

31 Minus obstant binæ sententiæ pro eadem natione, altera sub die 6. Decembris 1597. data a D. Locumtenente Eminentiss. Card. Vicarii, & altera sub die 10. Maji 1631. ab R. P. D. Ricciullo emanata. Nam prima solum declarat eandem nationem fore, ac esse manutenendam in possessione privilegiorum, in qua reperitur, & non exprimit quænam sint ejusmodi privilegia, ideòque non potest intelligi de privilegio communionis Paschalis. Secunda verò est tantùm pro suscipiendo baptismate, cujus administratio ex sola consuetudine potest etiam spectare ad aliam Ecclesiam. Utraque autem est nulla, quia sunt contra decretum S. Conc. Trident. in quo dictum privilegium abrogatur. Quodlibet enim decretum S. Concilii continet decretum irritans, ut superiùs dictum est, ac proinde annullat omnia, quæ in contrarium fiunt.

32 Minùs etiam obstat commissio Rotalis jactationis jactationum, & super manutentione in quasi possessione exemptionis, expedita ad ejusdem nationis instantiam sub die 18. Decembris 1648. coram Otthobono contra Parochos Urbis citatos ad dicendum contra commissionem. Quia censetur huic commissioni fuisse renunciatum ab ipsa natione, cùm sententiæ contra ipsam emanatæ sub dicto anno 1659. per acta Florelli, acquieverit, fuitque exequutioni demandata, & in illius possessione Parochi existant.

CONSULTATIO IV.

An consuetudo servata per tempus, de cujus initio memoria hominum non extat, quod Gubernatori in certo loco, etiam Status Ecclesiastici, per Sacr. Consultationem deputato, fiat thurificatio triplici ductu, valida sit, ac servanda, non obstantibus iis, quæ habentur in Cæremoniali Episcoporum lib. 1. cap. 23. de ordine thurificandi?

Et an dictus Gubernator gerens qualitatem personæ laicæ, ac sæcularis cogi possit ad interveniendum, & assistendum in Ecclesia Cathedrali diebus solemnibus, in quibus Episcopus Pontificaliter celebrat, non obstantibus iis, quæ de Magistratu tradit Barbosa in collect. apost. dec. collect. 460. num. 11. & seq.

1 AD primum affirmativè respondendum est. Nam in materia præeminentiarum, ac juris honorifici totum defertur consuetudini juxtà celebrem doctrinam Baldi *in cap. Cùm olim num. 1. & 2. de consuet.* ac aliorum, quamvis juris dispositioni repugnaret, ut alibi diximus copiosè.

2 Eoque præcipuè, quando est immemorabilis, quam non fuisse sublatam a Cæremoniali Romano declaravit sæpiùs S. Rituum Congregat. apud Barbosam *de canonic. & dignit. cap. 23. num. 24.* & apud Aldan. *in compend. can. resol. lib. 1. tit. 23. n. 72.* quibus addo declarationes in Consentina 20. Novembris 1610. & in Viterbiensi 7. Julii 1612. ac judicavit Rota in Calaguritana juris pulsandi campanas 11. Martii 1619. coram Dunozetto seniori. Possessio enim immemorabilis optimum titulum tribuit, *cap. super quibusdam, §. præterea*, ubi Glos. *v. non extat memoria, de verb. signif.* & Rot. *dec. 677. numer. 4. p. 1. rec.* Præsertim quando adest capacitas in possidente; Rot. *decis. 11. numer. 2. part. 2. rec.* Unde eadem Rota in Valentina Capellæ 5. Martii 1599. coram Justo admisit in præscriptionem quadragenariam, vel immemorabilem in materia sedendi laicos intra presbyterium, licèt id repugnet juri communi, nempè *cap. 1. de vit. & honest. Cler. & cap. 1. & fin. de cohabit. Cler. & mul.* Quod sequuti sunt Lotter. *de re benefic. lib. 1. quæst. 13. numer. 27.* & Daniel de Mobil. *disput. 60. numer. 44.*

Et tamen ubi consuetudo non est contra, sed præter 3
jus, ut in hoc casu, cùm talis numerus thurificationum non prohibeatur expresè in Cæremoniali loco allegato, neque in corpore, satis esset ad hunc effectum solus cursus decem annorum juxta distinctionem Abb. *in cap. fin. n. 11. de consuet.* Bald. *de præscript. p. 1. princ. n. 8. & seqq.* cum aliis per Rotam adductis in Corduben. decimarum 15. Decembris 1664. cor. Bourlemontio. Et ita in hac specie validam esse consuetudinem immemorabilem thurificationis triplici ductu, declaravit S. Rituum Congregatio in Calertana 18. Septembris 1632.

Ratio autem est, quia quod non thurificentur tripli- 4
ci ductu nisi Episcopus, & celebrans, est solùm ex regulis Cæremonialis, atque adeò de puro ac mero jure Ecclesiastico. Ergo consuetudo thurificandi alios etiam triplici ductu potest illi prævalere, si sit rationabilis, sicuti est, si non in omnibus casibus, saltem in pluribus. Consuetudo autem rationabilis admittitur contra jus canonicum, ut *in cap. fin. de consuet.* Esse autem hanc consuetudinem rationabilem ex eo deducitur, quod omnes non sunt æqualis meriti, sed unus antecellit alium, nec omnes æqualiter prosunt, vel inserviunt Ecclesiæ, sed unus plus altero. Unde si quis est minoris meriti, ac minoris servitii, potest habere unum, vel duplicem thurificationis ductum, ille, qui est majoris meriti, ac servitii poterit habere triplicem ductum. Quia recta ratio dictat, quod plus sit tribuendum plus merenti, & meliori modo inservienti. Quare D. Cyprianus *Epist. 62.* jussit quosdam ob eorumdem præclara merita æquari presbyteris in distributione sportularum, ibi: *Cæterùm presbyteris honorem designasse nos illis jam sciatis, ut & sportulis eisdem cum presbyteris honorentur, & divisiones mensuræ æquatis quantitatibus potiantur.* Quod etiam tradidit Clemens Romanus *lib. 2. Constitutionum Apostolicarum cap. 32.*

Atque hinc est, quod quantò aliqua persona est prin- 5
cipalior in communitate, tantò plus ei tribuitur de bonis Communitatis juxta exigentiam justitiæ distributivæ, ut communiter docent Theologi cum D. Thoma 2. 2. *quæst. 61. artic. 2. in corp.* Ideòque cùm unusquisque possit thurificari unico, vel duplici ductu, consuetudo thurificandi triplici ductu eos, qui principaliores sunt in Ecclesia, & in Republica, vel ratione servitii, vel ratione conspicuitatis, aut meritorum, est secundùm regulas justitiæ distributivæ, atque adeò rationabilis, ut proindè ipse liber Cæremonialis in citato loco dispoluerit, quod thurificator numerum thurificationum observet pro qualitate rerum, & personarum, quæ thurificantur.

Non obstat, quod consuetudines contra Cæremoniale 6
censeantur reprobatæ ob decretum irritans expressum in Constitutione Clementis VIII. ejusdem Cæremonialis confirmante. Quia id primò, limitatur accedente immemorabili consuetudine juxta relatas declarationes Sac. Rituum Congregationis, & decisionem Rotæ in Brixiensi thurificationis 16. Martii 1626. coram Remboldo. Secundò, ubi non est omninò certum, & perspicuum, ut in hoc casu, quod Cæremoniale adversetur itaut possit probabiliter dubitari. Tunc enim decretum irritans non operatur, sed possessio, seu consuetudo etiam ordinaria. Quia dicitur potiùs interpretativa, & præter Cæremoniale, ut habet Rota in terminis Cæremonialis *decis. 102. num. 16. p. 10. rec.*

Ad secundum negativè respondendum videtur. Quia, 7
ut Episcopus ad id cogere possit, debet habere jus ad exigendum id, quod omittitur, cùm in tantum habeat locum justitia punitiva, in quantum violat jus legale, secundùm quod regitur communitas. Non violatur autem quando non assistit ad exigendum quod omittitur. Non autem assistit ad exigendum a laicis quæ liberè ab ipsis introducta sunt, etiamsi absentia ipsorum val-

dè

dè diuturna fuerit. Quæ enim dependent a libero arbitrio, & ex mera voluntate, non possunt præscribi etiam per longissimum tempus, ut notant Gloss. *in l.* 1. *v. communi dividundo*, *C. de ann. except.* Bart. *ibid.* & Bald. *in l. cùm notissimi in fin. C. de præscript. trig. annor.* ubi Alex. *in apostil.* Jo: Andr. *in cap. non est, de consuetud. in 6.* Et ideò nec acquiri aliquod jus ad illa exigenda, quamvis tempore valdè diuturno continuetur, cùm explicent solùm quid sit in potestate operantis, qui ea ad libitum exercens ponit tantùm in esse quod placet, ita tamen, ut posset non ponere, ac proinde actus hujusmodi non habent vim pariendi jus aliquod in favorem alterius, nec inducunt veram consuetudinem, quia hæc, ut obliget, debet esse legitimè præscripta juxta *c. fin. de præscript.*

8 Non obstat, si dicatur, hanc doctrinam non habere locum, quando aliquid factum est tanto tempore, cujus initii non extat memoria, ut tradunt Jo: Andr. *in c. Pervenit de cens.* Felin. *in cap. Cùm M. Ferrarienſis de constitut.* Angel. *in l. si certis annis, C. de pact.* Bartol. *in leg. Cùm de in rem ff. de usur.* & Bald. *de præscript. p. 4. princip. q.* 1. *n.* 5.

9 Quoniam id accipi debet, quando potest præsumi aliquis titulus, in quo fundari potuerit præscriptio, secus autem quando ex natura sua actus est talis, ut declaret processisse ex mera facultate. Et proinde quod nullo unquam tempore, quantumvis immemorabili, quæ sunt meræ facultatis præscribantur, habetur ex iis, quæ docent Bald. *in l. licet num.* 5. *C. de jur. delib.* Angel. *cons.* 55. *num.* 3. Aretin. *§. actionum num.* 54. *instit. de act.* Corn. *consil.* 305. *lib.* 3. Menoch. *cons.* 301. *num.* 62. ubi alii. Assistentia autem Gubernatoris laici in functionibus Episcopalibus procedit ex mera facultate. Nam cùm sit laicus, nullum jus, nullumque titulum in functionibus spiritualibus, & Ecclesiasticis habere potest.

10 Hinc minus obstat, quod favore piæ causæ, & divini cultus, non præsumatur materia facultativa, ut inter alios observat Rota *dec.* 470. *num.* 7. *p.* 1. *recent.* Quia hoc habet locum quando adiunt argumenta, aut conjecturæ, ex quibus inferatur obligatio juxta ea, quæ tradunt Rip. *in cap. Cum Ecclesia Sutrina n.* 56. *de cauſ. poſſeſ.* Rota *dec.* 135. *n.* 9. coram Pegna.

11 Et quamvis præstatio decennalis faciat præsumi titulum, ut tradunt Bartol. *in d. l. cùm de in rem num.* 14. *ff. de usur.* Fulgos. *num.* 9. Florian. *num.* 12. Salicet. *n.* 4. & 11. Bald. *in l. cum falsa n.* 5. *Cod. de jur.* & *fact. ignor.* & *in l. si certis annis num.* 6. *C. de pact.* ibique Jas. *num.* 7. Dec. *num.* 2. Curt. jun. *num.* 12. & alii. Id nihilominus solùm habet locum quando titulus, seu causa, & obligatio allegatur, secus autem si non allegetur, ut declarat Bald. *in d. l. si certis annis, Cod. de pact.* Jason. *ibidem*, & Covar. *in cap. Raynutius §.* 11. *num.* 3. *de testam.* Nam allegato titulo, præstatio decennalis facit præsumptionem pro ipso. Hoc autem non habet locum in hujusmodi sæcularium Gubernatorum assistentia omninò voluntaria. Quia cùm quoad eos sit materia facultativa, excludit titulum, seu causam obligationis.

12 Unde in re simili Sac. Rituum Congreg. Præfecto Card. Maffeo, sub die 19. Maji 1591. scripsit Archiepicopo Firmano, *che non ostante qualsivoglia lettera in contrario, facci, che i Padroni, quando vogliono venire ad accompagnarlo, vadino avanti, o dietro, come più loro piacerà. Perche essendo questo atto volontario, e di cortesia, non vuole sua Santità, che si facci loro violenza alcuna. E così V. S. dovrà eseguire.* Cumque in S. Congregatione Concilii in una Urbinatensi quæreretur, an stante obligatione inducta ex Synodo provinciali Urbinatensi, quod Confraternitates laicæ interesse debeant omnibus processionibus ordinariis, quatenus ab Archiepiscopo vocentur, & stante consuetudine interveniendi omnibus processionibus, possint ab Archiepiscopo compelli per edictum ad interveniendum dictis processionibus, ne aliàs dicta Synodus, & consuetudo reddantur illusoriæ non sine magno divini cultus discrimine, S. Congregatio die 10. Martii 1663. respondit, *non posse cogi.*

13 Ex quibus concludendum videtur, quod faciens aliquid per quodcumque tempus ex mera voluntate, & absque titulo, non possit postea cogi ad continuandum, tanquam quid debitum. Cùm enim habeat principium omninò liberum, & independens a quacunque obligatione, non potest tractu temporis variari ejus natura, itaut de libero fiat debitum juxta id, quod tradit Glos. *in d. cap. pervenit, de cenſib.* Jo: Andr. *in cap. non firmatur, de regul. jur. in 6.* Alex. Raud. *cons.* 10. *numer.* 129. quia tempus non tollit, neque inducit obligationem juxta *l. obligationum §. placet, ff. de exact.* & *oblig.* Et ideò si initium est liberum, continuatio quoque actus remanet libera.

At nihilominus affirmativè tenendum est, saltem 14
quando sumus in dubio de initio. Quia in dubio sumenda est illa interpretatio, quæ est magis favorabilis juxta *leg.* 3. *in fin. ff. de adim.* & *l. Lucius Titius, §. Lucius, ff. de leg.* 3. Et quæ favet causæ, aut personæ favorabili juxta *l. qui duos §.* 1. *ff. de reb.* & *l. fin. Cod. de instit.* & *substit.* Est autem magis favorabile, quod continuetur ejusmodi assistentia ad causam piam, quia cedit in favorem Ecclesiæ, atque animæ, & causa pia est cæteris favorabilior. Et ita declaravit S. Rituum Congregatio in Fanensi sub die 1. Septembris 1607. his verbis: *Gubernator, & Magistratus recusantes contra solitum accedere ad Ecclesiam Cathedralem debitis remediis cogendi sunt, ut accedant.* Et sub die 16. Julii 1605. & 29. Novembris 1618. scilicet: *Magistratus Civitatis cogi potest solitum obsequium Episcopo accedenti ad Ecclesiam præstare, & juxta solitum accedere ad Ecclesiam Cathedralem diebus solemnibus, & tempore Adventus, & Quadragesimæ.* Et S. Congregatio Episcoporum negotiis præposita decrevit in Guardiensi sub 10. Decembris 1602. Episcopum posse cogere Magistratum sæcularem ad visitandum Ecclesiam juxta solitum, & administrandum aquam sibi solemniter celebranti, ut in Anconitana 6. Aprilis 1596. ac alibi sæpius. Quare Episcopi possunt, ac debent hujusmodi Magistratus, & Gubernatores interpellare, eosque cogere, etiam per censuras Ecclesiasticas ad observandum solitum.

CONSULTATIO V.

Ut prospiciatur indemnitati jurisdictionis laicæ, quæ sæpè conqueritur de excessionibus Episcoporum, dubitatur,
An Episcopus possit concedere Vicariis foraneis patentatos, gaudentes privilegio fori?

REspondeo negativè. Ministri enim multiplicari non 1
debent ab Ordinariis in præjudicium jurisdictionis sæcularis, nisi pro sola necessitate negotiorum, Vener. *in exam. Episcop. lib.* 4. *cap.* 12. *n.* 4. & 5. Et parvis oppidis hujusmodi necessitati satis consultum videtur per solum Vicarium foraneum, ac proinde nullus alius officialis patentatus in illis constitui debet. Quod expressè resolvit S. Congregatio Immunitatis in Anagnina die 18. Decembris 1654.

Id tamen intelligendum est, dummodò aliud non 2
probetur per legitimam consuetudinem, ut fieri debet, Glos. *in l.* 1. *v. probatio, Cod. quæ sit longa consuet.* Gregor. *dec.* 162. *n.* 1. & *dec.* 15. *n.* 1. *p.* 11. *rec.* Quæ redditur improbabilis, quando ex attestationibus datis pro jurisdictione sæculari patet, quod contrarium fuerit observatum, Em. Ottobon. *dec.* 36. *n.* 4.

Non obstat, quod S. Consultatio anno 1665. rescripse- 3
rit Gubernatori Tudertino, Custodem damni dati gaudere privilegio fori. Nam illa resolutio facta fuit favore Custodis inservientis Curiæ Episcopali, qui cum existimetur, ac sit familiaris Episcopi, gaudet dicto privilegio, ideòque extendi non potest ad Custodes Vicarii foranei, cui non competit facultas retinendi familiares exemptos. Et ita declaravit S. Congregatio Immunitatis in Tudertina 20. Septembris 1667. nempè, quod numerus hujusmodi patentatorum reducatur ad solum Cancellarium. Et in Tarracinensi 10. Maji 1631. dictum, *che si era ricevuta piena soddisfazione, giacche i patentati non sono in numero di venticinque, come era stato suppoſto, ma solo il Vicario foraneo, il Cancelliere col sostituto, l'Avvocato fiscale, il Procurator fiscale, il depositario delle pene de' maleficii, il depositario de' pegni, il Camerlengo delle donne carcerate, e il mandatario, i quali ascendono al numero di nove.*

Porrò quoad depositarios extant hujusmodi decreta S. 4
Congregationis Immunitatis. *Depositarius pignorum Curiæ Episcopalis gaudet privilegio fori*, in Spoletana 5. Maji 1637. in Recinatensi eadem die, eodemque anno, & in Senogallien si 10. Septembris 1647. *Depositarius pro livellis exigendis Curiæ Episcopalis gaudet fori privilegio*, in Cæsenatensi 29. Junii 1636. *Depositarius mensæ Episcopalis gaudet privilegio fori*, in Reatina 20. Decembris 1667. *Qui deputari potest etiam in aliquo oppido diœcesis, inspecta tamen qualitate pignorum*, in Tudertina 24. Aprilis 1666. & ideò S. Congregatio solet declarare juxta conditiones similium depositariorum.

Et quoad patentatos hæc extant apud me decreta 5
ejusdem S. Congregationis. *Sæculares simpliciter ab Episcopo patentati non gaudent privilegio fori*, in Uritana 26. Maj 1668. & in Forosempronien si 20. Januarii 1654. ac sæpè alibi. *Simpliciter patentati absque actuali servitio neces-*

neceſſariò non gaudent fori privilegio, in Cæſarauguſtana 9. Auguſti 1670. *Patentati à S. Officio eximuntur a repreſaliis*, in Peruſiana 27. Septembris 1646. *Conſules Civitatis Aſculanæ non poſſunt in ſuo Tribunali in caſu rixarum adſtringere miniſtros, & patentatos almæ Domus Lauretanæ ad dandam cautionem de non offerendo, ſed tales cauſæ ſpectant ad Judicem ipſius almæ Domus*, in Lauretana 24. Aprilis 1668. *Cancellarius verò Vicarii foranei, ut gaudeat privilegio fori, debet actu inſervire*, ut in Auximana 26. Auguſti 1636.

CONSULTATIO VI.

An Epiſcopus poſſit concedere inhibitiones Clericis conjugatis, qui viles artes exercent, nec habent requiſita, ac etiam Tertiariis, qui vivunt domi propriæ cum ſuis uxoribus?

1 QUoad Clericos conjugatos revocandæ ſunt ejuſmodi inhibitiones, quia non poſſunt gaudere privilegio fori, dum non incedunt in habitu, & tonſura, nec inſerviunt alicui Eccleſiæ illis aſſignatæ ex mandato Epiſcopi, ut, non obſtante quacunque conſuetudine, etiam immemorabili, diſponitur a Concilio Tridentino *ſeſſ.23. de reform. c.6.* & tradit Carol. de Graſſ. *de effect. Cler. eff.1. n.79.* & *ſeqq.* ubi quod a dictis Clericis ejuſmodi qualitates ſunt probandæ. Id quod proſequitur Thom. del Bene *de immun. p.1. cap.4. dub.12. ſect.1.* & paſſim alii, ac nos alio in loco.

2 Quod verò ad Tertiarios, dum non collegialiter, ſed ſuæ domus privatæ vitam agunt cum propria familia, non gaudent fori privilegio juxta receptiſſimam diſtinctionem de qua Novar. *de elect. for. par.1. quæſt.46. n.3.* Bellet. *diſq. Cler. tit. de favor. Cler. cap.1. §.1. num.41.* & *ſeq.* Ciarlin. *controv.18. num.5.* & *ſeqq. lib.1.* ubi tamen *n.24.* tenet, hujuſmodi Tertiarios gaudere, ſi habent pro ſe conſuetudinem præſcriptam, quæ probanda eſt, cumque ex ea adimatur juriſdictio, aliàs de jure competens foro laicali, & tribuatur Eccleſiaſtica, debet eſſe quadragenaria, vel ſaltem trigenaria, *cap. fin.* ibique Gloſſ. *v. legitimè*, *de conſuet.* Franchus *in cap. Cùm in tua num.5. de conſuet. in 6.* Sperell. *dec.89. num.25.* & *ſeqq.* ac Rota in Majoricenſi Canonicatus 25. Junii 1657. *§. Deficit* coram Meltio.

3 Atque ita etiam declaravit S. Congregatio Immunitatis in Tudertina 20. Decembris 1667. nimirum Epiſcopus non concedat inhibitionem Clericis conjugatis, non habentibus requiſita, & quoad Tertiarios collegialiter non viventes de jure non gaudere. Quod etiam declaravit in Tricaricenſi 7. Septembris 1638. ſcilicet Tertiarius uxoratus non gaudet privilegio fori, nec exemptione ab oneribus. Habentes verò requiſita gaudent exemptione ab oneribus perſonalibus, ut in Spoletana 19. Auguſti 1630. Quid autem de mulieribus tertiariis? alibi diximus.

CONSULTATIO VII.

An Epiſcopus concedere poſſit inhibitiones colonis partiariis Clericorum, quanquam ex prædiis, quæ colunt non percipiant fructus, quibus majori anni parte vivant, & an pariter poſſit concedere inhibitiones mulieribus nuptis?

1 COmmunis concluſio eſſe videtur, quod coloni partiarii Clericorum non gaudeant privilegio fori, ut per Abbatem, ac cæteros *in cap. 2. de for. compet.* Theſaur. *deciſ.22. per totum*, Sperell. *deciſ.41. num. 29.* Bellett. *diſqu. cler. part.1. tit. de favor. cler. real. §.1. num.12.* del Bene *de immunit. part.1. cap.4. dub.15. ſect.1. num.27.* Idque certiùs videtur procedere in colonis, de quibus agitur, dum non colunt integrum prædium Clericorum itaut aſſiduè, vel pro majori parte temporis occupentur in illius cultura, ſed incumbunt, vel culturæ ſuorum agrorum, vel aliarum perſonarum ſæcularium. Quo caſu ne coloni quidem partiarii menſæ Epiſcopalis gaudent privilegio fori, ex literis Sac. Conſultationis firmat Sperellus *deciſ. 128. numer. 33.* de quo nos alibi copioſiùs. At nihilominus in hac re ſtandum eſt decretis Sacræ Congregationis Immunitatis, quæ die 13. Novembris 1668. ſcripſit Epiſcopo Urbanienſi, ac Vicelegato, ut faciant obſervare decreta Sacræ Congregationis, videlicet, quod coloni partiarii menſæ Epiſcopalis, & Eccleſiaſticorum gaudeant privilegio fori, dummodò ex fructibus coloniæ vivant pro majori anni parte.

2 Quo verò ad inhibitiones dotales, illæ non debent concedi a Curia Eccleſiaſtica. Nam electio fori non competit mulieri ratione dotis, quando principaliter agitur de dote, ſed ſolùm quando quæſtio principalis eſt ſuper matrimonio, & incidenter agitur de ipſa dote, ut per Gloſſ. ibique Butr. *n.4. de donat. inter vir. & uxor.* Petr. Barboſ. *part.1. l.1. num.46.* & *ſeqq. ff. ſolut. matrim.* Guttier. *pract. quæſt. lib.1. quæſt.44. num.9.* Sanchez *de matr. lib.10. diſput.8. num.15.* Molin. *de primogen. lib.2. cap.15. num.76.* Et ibi Add. Tondut. *de prævent. par.2. cap.23. n.5.* & *ſeqq.* Vel quando diſputatur de dote, ſive ante contractum, ſive poſt diſſolutum matrimonium. Quo caſu ratione perſonalis privilegii competentis virginibus, ac viduis, datur electio fori, Bald. *novel. de dot. p.9. princip. privil.10.*

Unde licèt cauſa dotis dicatur cauſa pia, & cognoſci poſſit a Judice Eccleſiaſtico, ut per Bellet. ubi ſupra §.5. *n.61.* id tamen intelligitur quando petitio fit incidenter occaſione matrimonii contrahendi, vel ad illam conſtituendam ad inſtantiam virginis, antequam nubat; poſtquam verò eſt nupta, & dos fuit conſtituta, non competit amplius electio fori, & in fine ejuſdem *n.61.* firmat idem Bellettus. Et ita declaravit S. Congregatio immunitatis cùm ſæpè, tum præſertim in Tudertinæ ſub die 20. Decembris 1667. ſcilicet ejuſmodi colonos non gaudere, neque concedendas inhibitiones uxoribus. 3

Porrò cauſa matrimonii eſt Eccleſiaſtica quoad ea, quæ neceſſariò reſpiciunt rationem contractus, vel ex ratione contractus proximè ſequuntur, ut illius firmitas; an ſcilicet ſit legitimè, vel illegitimè contractum, prolis conditio legitima, vel illegitima, divortium & ſimilia per text. *in can.133. quæſt.2. can. multorum 35. quæſt.6. cap.1. cap. non debet de conſang.* & *affin. cap. auditis de præſcript. cap. perlatam, cap. lator qui fil. ſint legit. cap. commiſſum, cap. requiſivit, cap. ex literis de ſponſal.* & *cap. tuam de ord. cognit.* & definitur a Tridentino *ſeſſ.24. can.12.* 4

Quia apud Chriſtianos ratio contractus matrimonii eſt inſeparabilis a ratione Sacramenti, & ideò ratio contractus matrimonii ſpectat ad illum forum, ad quem ſpectat de Sacramento cognoſcere. De Sacramento autem cognoſcere ſpectat ad forum Eccleſiaſticum. Adeòque ut quamvis aliqui concedant cauſam meram poſſeſſoriam beneficiorum, decimarum, oblationum, vel aliarum rerum Eccleſiæ, tanquam quid facti, atque adeò quid ſæculare cognoſci poſſe a Judice laico, id tamen minimè concedant in cauſa poſſeſſoria matrimoniali, quia ratione ſpiritualitatis propter Sacramentum excedit ſpiritualitatem beneficiorum, decimarum, oblationum, & id genus alia. 5

Ex quo fit, quòd licèt materia matrimonii ſit contractus, non idcircò poteſt Princeps ſæcularis leges condere circa ipſum; nam ex quo ejus contractus eſt elevatus ad eſſentiam Sacramenti, eſt extra Principis juriſdictionem ac poteſtatem. Sic quoque licèt homo, vel ejus bona ante ſacram ordinationem, vel donationem factam Eccleſiæ ſint materia ſubjecta juriſdictioni, ac poteſtati ſæculari, poſt tamen ejus ordinationem, vel bonorum donationem Eccleſiæ factam, per quam efficiuntur ſacram, & Eccleſiaſtica, extrahuntur a juriſdictione, & poteſtate ſæculari, 6

Verùm ea, quæ tunc matrimonio accidentalia, & acceſſoria, quæque non pertinent ad ejus ſubſtantiam, neque ex ſe impediunt principale, ut eſt cauſa dotis, lucrum dotale, donatio inter virum, & uxorem, ſponſalitia largitio, jus ſuccedendi, & hujuſmodi alia, quia ex ſe ſunt ſæcularia, ſubjiciuntur judicio ſæculari, cùm ſint extrinſeca contractui matrimonii, quamvis aliquando incidenter ab Eccleſia etiam cognoſci ſoleant, ut per Gloſſ. Innoc. Joan. Andr. Butr. Abb. & alios *in cap. 1. de ſponſal.* Vaſq. *in 3. p.4. tom.4. diſp.3. de matr. c.5. n.67.* ac Pontium *eod. tit. lib.6. c.1.* & 2. ac alios communiter, non autem ſi ad thori ageretur ſeparationem, nam hæc apud ſolum Judicem Eccleſiaſticum examinari debet. Quod fatentur ipſa ſumma Tribunalia laicorum. Ita namque arreſto judicatum eſt Pariſiis die 24. Aprilis 1531. teſte Joan. Imberto *inſtit. for. lib.1. c.25. in gloſ.* & confirmatur ex notatis per Bart. & alios *in l. omni novatione, C. de Sacr. Eccl.* Aſſerunt enim laicum Judicem in cauſa matrimoniali poſſe ſuper dubia facti ipſius controverſia cognoſcere, nempè an verba matrimonii intervenerint, non item ex his verbis an ſit contractum matrimonium. Itaque cùm prior ſeparatio gratia damni vitandi tantum fiat, in eaque magis facti, quàm juris ſit quæſtio, meritò de ea Judex laicus jus dicere poteſt ac poſterior, ſeparatio thori videlicet plus juris, quàm facti in ſe continet, ergo apud Judicem Eccleſiaſticum diſcutienda. 7

CON-

CONSULTATIO VIII.

An Episcopus possit prohibere Clericis, ne conveniant laicos in materia profana in foro sæculari? Et quid si extaret consuetudo?

1 NEgativè. Textus sunt expressi, in quibus disponitur, quod Clericus laicum ad Judicem Ecclesiasticum trahere nequeat. Iique sunt *cap. experientiæ, & can. si quisquam* 11. *quæst.*1. *cap. si Clericus laicum de for. comp.* Unde S. Congregatio Immunitatis sæpè resolvit, non posse Episcopum prohibere Clericis, ne laicos citent in foro sæculari, dum causa est profana, & tradunt del Bene *de immun. p.*1. *cap.*7.*dub.*2. *sect.*1.*n.*8. ubi ait, quod licèt per Summum Pontificem concedi possit privilegium Clericis conveniendi suos debitores coram Judicibus Ecclesiasticis, non debet tamen fieri concessio, nisi urgente magna causa, ne Ecclesia videatur Clericorum avaritiam fovere, jurisdictionem sæcularem affectare, Ecclesiastica judicia litibus occupare, & laicos offendere.

2 An verò Episcopus id possit ex consuetudine, aliàs diximus. Tollitur autem ejusmodi consuetudo ex actibus contrariis a jurisdictione laica deductis, licèt ad hunc effectum unus etiam sufficiat, ut ex Bero *cons.* 5. *numer.*23. *vol.*1. Surdo *cons.*393. *numer.*23. *& seqq.* Eminentiis. Otthobono *decis.*43. *numer.*7. & in Eugubina emphiteusis 4. Maji 1657. *§. Et quod magis* coram Celso. Atque ita etiam censuit Sacr. Congregatio Immunitatis in Tudertina sub die 20. Decembris 1667. scilicet, Episcopum non posse prohibere in casu, de quo agitur.

CONSULTATIO IX.

An Episcopus prohibere possit, ne cæteri Notarii præter solum Cancellarium Episcopalem, possint rogare de instrumentis, quæ commodum locorum piorum concernunt?

1 NEgativè respondendum est. Idque præcipuè locum habet in Notariis creatis a Summo Pontifice, quibus Episcopus prohibere non potest, quin possint conficere instrumenta, de quibus aliàs rogari valent. Quod in terminis firmat Bellet. *disquis. cler. p.*1. *§.*29. *num.*9. *in fine*, & Rota coram Seraphino *decis.*841. *numer.*9. Quia non potest Episcopus, uti inferior, tollere, seu corrigere, ac restringere privilegium, & facultatem Notariis concessam a Summo Pontifice, qui solus, tanquam condens potest de privilegio concesso judicare, ut latè prosequitur Rot. *dec.*130. *num.* 1. *& pluribus seqq. p.*2. *div.* & Dec. *cons.*17. Cùmque de jure possint Notarii Apostolici rogari etiam de instrumentis concernentibus interesse locorum piorum, præceptum prohibitivum Episcopi, tanquam contra jus, est revocandum, quia non potest statuere contra jus, *Clem. Ne Romani, de elect.* Gratian. *discept.*894.*num.*14. cum aliis in Pampilonensi Ticariæ de Stella 28. Martii 1659. *§. ultimo* coram Albergato, & ad rem firmat Rota dicta *dec.*103.*num.*7. *ac seqq. p.*2. *div.* ubi in simili, quod causæ adductæ ab Episcopis evitandarum fraudum censentur fucus, & prætextus. Nam indemnitati loci pii satis consultum erit, si Episcopus agat contra jus ministros pro relevatione damni passi, cùm fuerint in culpa, creando debitorem inexigibilem.

Et quidem cùm contractus stipulationum sint voluntariæ jurisdictionis, quilibet Notarius vocatus poterit de illis rogari, ac proindè non potest Episcopus id illis prohibere, nedum quia directè lædit jurisdictionem laicam; quia si Cancellarius Episcopalis rogatur de instrumentis, non possunt pulsari in Curia sæculari debitores laici ad solvendum, sed etiam quia est admodum præjudiciale ipsis Notariis, & partibus, quæ a propria patria suis sumptibus tenerentur abesse cum evidenti periculo pecuniarum, mulierum, minorum, pupillorumque. Et ita declaravit S. Congregatio immunitatis in sæpè citata Tudertina die 20. Decembris 1667.hoc est, Episcopum non posse id prohibere.

CONSULTATIO X.

An Episcopus post introductam causam in foro sæculari, possit inhibere tàm inter laicum, & laicum, quàm ad favorem Clerici, vel personæ privilegiatæ eam dumtaxat ob causam, quòd sint conjuncti, sivè affines interesse habentes in causa?

REspondeo negativè. Nam privilegium ratione consortii non suffragatur post contestatam litem a non privilegiato, Marches. *de commis. p.*2. *§.*2. *tit. de avocat. caus. n.*43. Scacc. *de appell. q.*7. *num.* 123. Nec quando causa communis cum privilegiato dividi potest, Novar. *de elect. for. p.* 1. *sect.* 3. *qu.*1. *num.* 17. ubi alii. Ne quando privilegiatus non est principalis in causa, & multò minus qnando nullum habet interesse, præsertim si inhibitiones concedantur cum clausula, *Assistendo judicio*, Scacc. ubi supra *d.n.*123. 1

Neque obstant Marchesanus loco allegato *nu.*42. aliique, tenentes, quod privilegium miserabilium personarum extendatur ad consortes. Nam illud non extenditur, quando judicium est incœptum, & facta litis contestatio cum persona non privilegiata, ut ex eodem Marchesano eo loco colligitur. Cessatque omnis difficultas, quando inhibitiones conceduntur inter laicos super re merè laicali ad favorem personæ privilegiatæ, nullum habentis interesse, sed solum cum clausula illa in eis appositа, & ob aliquam consanguinitatem illius partis, quæ intendit declinare forum sæcularem. Et ita etiam declaravit S. Congregatio Immunitatis in Tudertina die 20. Decembris 1667. scilicet, Episcopum non posse id inhibere. 2

CONSULTATIO XI.

An Judex possit tuta conscientia impedire, ne matrimonium contrahatur a viro cum muliere longè imparis conditionis, & infamia notabili laborantis, cum quasi contrahatur, gravissima haud dubiè scandala orirentur, possitque detrudere ipsum virum in carcerem, eumque ibi detinere donec vel ducat aliam, vel scandalorum periculum amoveatur?

REspondeo, Judicem posse tuta conscientia impedire hujusmodi matrimonium, & donec affulgeat aliud remedium, virum in carcere detinere, si hoc opus sit ad talem effectum, ut clarè colligitur ex *c.Cum in tua, de sponsal.* & docet ibi Glos. *v. scandalo*, Panorm. *num.*4. Alex. de Nev. *n.*6. Præpos. *n.*2. ac tradunt Felin. *cons.*26.*n.*21. Nav. *in sum. cap.*6. *n.*18. Menoch. *cons.*1. *n.* 44. *& 66. vol.*1. Cordub. *quæst.*13. Guttier. *lib.*1. *q. can. cap.* 20. *aum.*20. *&* 23. Capua *lib.*2. *cap.*18. *num.*3. Lopez *part.* 1. *instit. cap.*76. Sanchez *lib.*1. *disp.*14. *de matr.* Pontius *lib.* 12 *cap.*17. *num.*7. Coninch. *disp.*23. *dub.*8. *nu.*68. Tolet. *lib.* 7. *c.*21. Adde decisionem Rotæ 1258. apud Seraphinum, multosque, alios, Perez, Martinonium, Trullench. Castropalaum. Idque etiamsi sponsalia fuerint juramento confirmata, ut firmat Gabriel a S. Vincentio *de matr. disp.*5. *c.*5. *§. Jeptima causa*. Quod multæ rationes omninò persuadent. 1

Prima, quia virtus justitiæ obligare nequit ad actum, qui sine peccato impleri non potest. Contrahere autem matrimonium cum magno scandalo est apertè lethalis culpa, cùm charitas proximi notabiliter lædatur, dissolvatur parentum pietas, & cognatorum amicitia. Judex autem impedire potest actionem illam publicam, quæ cum peccato mortali conjuncta est. Si enim vir ducat ejusmodi fœminam, gravissima sequerentur scandala. Debet igitur impedire, ne illam ducat, atque adeò virum in carcere detinere, si necesse sit ad hunc finem. 2

Secunda. Ut tenetur Judex plectere delinquentes, ita, si possit, tenetur impedire, ne delinquant, immò plectit delinquentes, ut eorum exemplo alii pœnis territi non delinquant. Potest autem impedire hujusmodi virum, ne delinquat, ut revera delinqueret ducendo hanc mulierem in uxorem. Quia hoc matrimonium cum gravissimis scandalis conjunctum esset, impedire inquam, si detineat illum in carcere. Accedit, quod ut longè melius est præservare hominem ab imminente morbo, quàm morbo correptum curare, ita etiam melius est, & laudabilius impedire, ne homines delinquant, quam eosdem punire delinquentes. 3

Tertia Finis matrimonii præcipuus est propagatio generis humani, susceptio, & educatio prolis, conservatio speciei novis individuis accedentibus. Cum autem hoc matrimonium nihil, nisi cædes, & strages hominum allaturum sit, fini matrimonii maximè adversatur. 4

tur. Igitur cùm ſit Judicis munus procurare, ut ſingula ad ſuum finem, propter quem a natura inſtituta ſunt, ferantur, hoc matrimonium impedire debet, quod a ſuo fine adeò exorbitat.

5 Quarta. Ad finem matrimonii pertinet familiarum, honeſtarum præſertim conſervatio, indemnitas, integritas, pax, unio. Hoc ergo matrimonium, ex quo nobilis familiæ ruina, & mutuæ cædes conſequuntur, a dicto fine deſciſcit. Igitur omninò impediendum, etiam viro in carcere detento a Judice, cui ſcilicet incumbit hujuſmodi ſcandala removere, & perſonarum, necnon familiarum præſertim indemnitati conſulere. Quod enim apud concordes vinculum eſt charitatis, incitamentum irarum apud infenſos erit.

6 Quinta. Sæpè ac ſæpiùs contrahitur matrimonium ad tollendas magnas lites, & ad concordiam partium, immò propter hanc cauſam non rarò expediuntur diſpenſationes matrimoniales in Dataria, ut conſtat ex uſu. Illud igitur matrimonium impediendum eſt, quod non modò non tollet lites, ſed novas eaſque ſcandaloſas inducet, parietque innumeras rixas cum cæde parentum conjunctas.

7 Nec obſtat ad matrimonium liberam voluntatem contrahentium requiri, qui ſi cogantur, matrimonium irritum eſt. Quia libera voluntas ferri debet in objectum honeſtum, alioquin a Judice coercenda eſt, ſi in malum feratur, ut in hoc caſu.

8 Minus obſtat, quemlibet poſſe nubere ad libitum. Quia hoc quidem verum eſt, modò honeſtè contrahat, ſeu nubat, nempè ſi matrimonium cum aliqua certa contrahere nequit ſine lethali culpa, hoc matrimonium non eſt permittendum.

9 Pariter non obſtat inde virum, qui mulierem amat, relinqui expoſitum periculo peccandi. Sibi enim imputet, qui aliam uxorem æqualis conditionis ducere poteſt, ſi velit.

Tandem non obſtat, quod a viro exigi poſſit fides cum vadimonio, ſive cautione de non offendendo. Quia hoc remedium non ſufficit, neque Doctores ad hoc ſe reſtringunt. Si enim ex carcere educatur, etiam data cautione, ſtatim ducet ejuſmodi fœminam in uxorem. Ex quo facto illius fratres, vel parentes in furorem acti propter aſperſam familiæ infamiam, nihil non molientur, ut utrumque è medio tollant.

CONSULTATIO XII.

Quidam pius fundator tres Capellanias reſervato jurepatronatus primogenitis ſuæ familiæ fundavit, atque dotavit in Caſtro, quod ſub ejus temporali ditione tunc temporis, erat appoſitis in fundatione conditionibus, atque oneribus, quæ in ipſius fundationis documento leguntur. Cùm nuper dominium ejus Caſtri primogenitus amiſerit, & una ex prædictis Capellaniis vacaverit, nunc quæritur

Primò, an de jure hujuſmodi Capellania transferri poſſit ad aliud Caſtrum ejus ditionis, ubi unicus ſacerdos exiſtit, cùm è contra in primo Caſtro reliqui duo Capellani, necnon Archipresbiter ſuperſint?

Secundò, an ſaltem ex gratia?

1 AD primum reſpondeo, non eſſe de jure locum hujuſmodi translationi. Quia cùm præfata Capellania ſit collativa, proculdubio eſt affixa Eccleſiæ. Eſt enim beneficium Eccleſiaſticum, quod erigi non poteſt, niſi ad altare, *c. nemo de conſecr. d.* 1. & notat Lotter. *de re benef. lib.*1.*q.*4.*n.*55. Duran. *dec.*130.*n.*4. Eo ipſo autem quod erigitur, remanet affixum Eccleſiæ, in qua erigitur. Unde Tridentinum jubet *ſeſſ.*25.*cap.*5.*de ref.* ut his beneficiorum erectionibus non derogetur.

2 Ad ſecundum videtur indulgendum. Tum ex rationabili cauſa, nempè neceſſitatis ſacrificii in nova Eccleſia, præſertim cùm nullum detrimentum cultus divinus patiatur in Eccleſia, in qua fundata eſt Capellania. Tum quoniam prima Eccleſia cenſetur electa a fundatore Capellaniæ cum reſpectu ad patronos illius Caſtri, ſeu tanquam proprii, & poſſeſſi ab ipſis. Unde ſi tunc patroni tranſeant ad aliud Caſtrum trasferretur etiam Capellania. Quia Eccleſia cenſetur electa cum ſua qualitate, ſeu tanquam patronatus Caſtri, ex eo quod ſit electa cum reſpectu ad patronos. Unde dicitur 2.*Machab. cap.*6. *Non propter locum gentem, ſed propter gentem, locum eligit Deus.* Ex hoc autem fit, quod dum patroni ſe transferunt ad alium locum, transferatur cum ipſis Capellania patronatus, quia prior deſinit eſſe locus patronalis, atque adeò non amplius eſt ille, quem contemplatus eſt fundator, quia eum contemplatus eſt tanquam patronalem, & cum reſpectu ad patronos, & novus incipit eſſe ille, quem eſt contemplatus, quia fit patronalis, & fit talium patronorum, quales in fundatione fundator fuit contemplatus.

Et id a fortiori procedit, quia cùm patroni ſoleant 3
percipere emolumentum ab hac celebratione miſſarum, oritur præſumptio, quod fundator voluerit hoc pacto ipſis providere ex parte non ſolùm eorum commodo, ſed etiam præſenti neceſſitati, quia tunc tenetur ob inopiam miſſarum in novo Caſtro. Quilibet enim præſumitur operari eo modo, quo ſibi utilis eſt, *leg.*1.*&* 2 *ff. de ſolut.* Rot. *dec.*643.*n.*4.*p.*4.*recent.* Unde cenſendum eſt, fundatorem nedum reſpexiſſe ad fructum ſacrificii, ſed etiam ad ſublevandam indigentiam hæredum patronorum, cùm in hoc potuerit exercere actum pietatis, & ordinare ſuam diſpoſitionem ad duplicem finem, & ex utroque percipere utilitatem. Quare cenſeo, cum Sanctiſſimo ex gratia indulgendum, quemadmodum etiam cenſuit S.Congregatio Concilii in Viterbienſi 25. Januarii 1663.

CONSULTATIO XIII.

An Imperatori, vel Regibus concedendum ſit a Sede Apoſtolica, ut poſſint accipere tertiam, vel aliam partem, vel medietatem bonorum Eccleſiarum in ſuis ditionibus exiſtentium in ſubſidium belli, quod gerunt contra Turcas, alioſve infideles, vel hæreticos?

1 BOna Eccleſiaſtica uſu, & commercio hominum eximuntur, & alienari prohibentur per textum *in c. nulli* 10. *de reb. Eccleſ. non alien.* Extravag. *Ambitioſæ eod.tit. ac l. jubemus* 14. *cum auth. ſeq. C. de ſacroſ. Eccleſ.* vide Mantic. *de tacit. & ambig. lib.*25.*tit.*6.*paſſim per tot.* Honded. *conſ.* 31.*n.*14. *& ſeq.* & Azor. *inſtit. mor. lib.*9.*c.*1.*p.*2.

Hoc tamen non ita præcisè obtinet, quaſi omninò, 2
& nullo caſu bona Eccleſiaſtica ſunt alienabilia. Præ cæteris autem caſibus, de quibus Azor. *loco citato*, pietas, ſive miſericordia eſt, Addit. ad Guidop. *q.*149. Ant. Faber. in *Cod. rer. jur. in addit. ad lib.*7. *def.*3. *nu.*26. Pietatis intuitu juſtè alienantur bona Eccleſiaſtica pro redemptione captivorum, ſepultura fidelium, & alimentatione pauperum, *can. aurum* 12.*q.*2. *d. l. jubemus* 16. *de ſacroſ. Eccleſ.* quia pauperes ſunt vivæ Dei imagines. Conſervatio quippè ſanguinis Chriſtiani, & periculi averſio quibuslibet rebus pretioſior eſſe cenſetur, ut ipſe Imperator tradit *in d. l. ſancimus, C. de ſacroſ. Eccleſ.* hancque ſubjicio rationem, quod nulla major eſſe poſſit pietas, quam defendere patriam, & tueri infirmos ab hoſtibus. Captivorum ſiquidem redemptio multum habet favoris, maximè apud Chriſtianos, quibus lex divina hoc miſericordiæ genus peculiariter commendat. *Captivorum redemptio magnum, atque præclarum juſtitiæ munus eſt*, verba ſunt Lactantii *lib.*6. *& ut d. l. jubemus ait.* Quoniam non eſt abſurdum, animos hominum quibuſcunque vaſis, vel veſtimentis præferri.

Itaque cenſeo, annuendum ita ſanè, quod demande- 3
tur Nunciis Apoſtolicis, & primoribus Epiſcopis, de quorum intereſſe principaliter agitur, ut habita ratione præciſæ, ac inevitabilis neceſſitatis, dimiſſaque ſemper rata, quæ congrua ſit alimoniis Eccleſiaſticorum, & opportunitatibus Eccleſiarum, pretium redigendum deponi curent, ac ſtudeant, ipſorum conſcientias onerando, in cauſam belli ſacri dumtaxat erogandum, cæteriſque cautionibus juxta formam diplomatis Clementis VII. in æquali cauſa pro Ferdinando Imperatore anno 1530.

Id namque ſuadet pietas, & neceſsitas. Etenim ſi 4
propter pauperum alimoniam, etiamſi propria ſua culpa ad paupertatem relacti ſint per *can. paſce d.* 88. ac propter redemptionem captivorum, tàm ſacri canones, quàm leges civiles mandant, bona Eccleſiarum eſſe vendenda *d. l. ſancimus* 21. *Cod. de ſacroſ. Eccleſ. §. ſanctiſſimas auth. de alien. & emphyt. can. ſacrorum* 14. *& can. ſeqq. d. can. Aurum cum ſeqq.* 12. *quæſt.*2. *can. fin.*16. *qu.* Bald. & Imol. *in l. quamvis ſol. matr.* Covar. 2.*var. reſol.*79. *num.*8. pulcherrimus textus *in can. gloria Epiſcopi* 12. *quæſt.*2. multò magis permittendum eſt, ea vendi, ne imminenti clade ex Turcarum, vel hæreticorum armis Chriſtiani cum locorum everſione ab hoſtibus fidei in captivitatem redigantur. Quare D. Ambroſius *lib.* 2. *de offic. cap.*28. relatus in laudato *can. Aurum* rectè dixit, *Aurum habet Eccleſia, non ut ſervet, ſed ut eroget, & ſubveniat in neceſſitatibus. Quid eſt opus cuſtodire, quod nihil adjuvat?* Id ipſum definivit D. Gregorius *lib.*5.*ep.*17. *& lib.*7. *ep.*4. ubi vult his caſibus ſacra vaſa confringi, & conflari. Et ipſe Ambroſius loco citato dicit, ſe incurriſſe quandoque in invidiam Arrianorum, ideò quod aureos calices diſtraxiſſet ad redimendos captivos,

ptivos, quibus tamen ipſe reſpondet, quod Deo ſint gratiores animæ captivorum, qui redimebantur, quàm aurea vaſa, & reliqua templorum ornamenta.

5 Unde Ambroſius captivos redimere, maximè ab hoſte barbaro, præcipua, & ſumma liberalitas vocatur, & propterea ſuum, & Eccleſiæ factum, quod vaſa Eccleſiæ, etiam initiata, confregerit, ut captivi redimerentur: *ornatus*, inquit, *Sacramentorum, redemptio captivorum eſt*, & multa alia in eandem ſententiam. Imitatus hoc Ambroſii factum Auguſtinus, narrante Poſſidonio, qui contra carnalem ſenſum quorundam id factum dicit. Imitatus eſt & in eadem Africa Epiſcopus Deo gratias, narrante Victore Uticenſe *lib.*1. Vas, quod Remigio fuerat datum ad redimendos a Nortmannis captivos fuiſſe venditum narrat in Remigii vita Hincmarus. Simile factum Archiepiſcopi Bremenſis Rimberti laudat M. Adamus Bremenſis *Eccleſ. hiſt. c.*32. Probat hoc Synodus univerſalis 6. decreto relato in caſu 12. *q.*2.

6 Sic olim id factitatum a Syracuſanis tempore Timoleontis, in cujus vita id habet Plutarchus. Chii mulctam ſibi a Mithridate inductam etiam a ſacris vaſis conficiunt, Appianus mithridatico. Plinius *d. lib.*7. *cap. ult.* de Porcio Catone agens: Idem arbores religioſas, lucoſque ſuccidi permiſit, ſacrificio prius facto, cujus rei rationem quoque eodem volumine tradidit. Silla bello mithridatico donaria ab Olympia, Epidauro, Delphis abſtulit, Plutharcho narrante, & Appiano. Id pretium reſtituit, Diodor. Sicul. in *excerpt.* Peireſianis. Auguſtus ex templis theſauros accepit multos, Appiano docente *civil.*5. Vaſa ſacra ab Agapeto oppignorata tradit Caſſiodor. *lib.*12. *ep.*20. Heraclitus in gravi neceſſitate vaſa Eccleſiæ in nummos vertit, ſed poſtea pretium reddidit, ut narrat Theophanes. Vide & Annam Comnenum *lib.*5. & *lib.*6. Cromerum *lib.*23. & orationem Laurentiani apud Bembum *lib.*6. Sic Chriſtus adoleſcenti diviti non mandavit, ut bona ſuſpenderet in templo, ſed ut vendita diſtribueret in pauperes, Matth. 19. *v.*21. Et generaliter tenendum Eccleſiaſtica bona alienationi, & contributioni ſubjecta eſſe iis caſibus, in quibus principaliter pietas, & publica verſatur utilitas per ea, quæ tradit Cacheran. *dec.*68. *n.*8.

7 Hinc Paulus III. permiſit Carolo V. ad bellum gerendum in Germania adverſus Proteſtantes, ut ſumeret dimidiam partem bonorum Eccleſiæ per Hiſpaniam, ut tradunt Sleidan. *lib.* 17. & Tholoſan. *de Repub. cap.* 3. *n.*49. *lib.*5. Hoc idem etiam conceſſit Sereniſſimo Imperatori Leopoldo Alex. VII. ſub anno 1663. Id quod ad expeditionem Turcicam minus habet dubii, qua de re videndus Azor. *inſtit. mor. lib.*5. *c.*13. *q.*8. *p.*1.

CONSULTATIO XIV.

Utrum in diſpenſatione gradus affinitatis comprehendatur etiam diſpenſatio publicæ honeſtatis?

1 NEgant Doctores apud Sanchez *de matr. lib.*8. *diſp.* 24. *n.*37. Nam Pontifex ſub involucro, ſeu circumſtantiis, & qualitatibus impedimenti affinitatis, non poteſt intelligere impedimentum honeſtatis publicæ, cùm in ejus ſcientia vera, vel præſumpta ſtet valor, & latitudo diſpenſationis. Unde perſiſtendum videtur in opinione illorum, qui volunt ſub diſpenſatione affinitatis non venire impedimentum honeſtatis publicæ, quia diſpenſatio, uti odioſa, ſtrictè accipi debet. Et propterea in dubio ſemper etiam tutior via eligenda eſt tàm pro ſecuritate conſcientiæ conjugum, quàm etiam ne Dataria incurrat aliquam ignominiam.

2 Alii verò affirmant apud eundem Sanchez loco allegato *n.*36. Moventur primò, quia mentio affinitatis facta abſolutè, intelligitur de orta ex copula conjugali, quia in dubio non debet præſumi delictum, *l. marito*, *ff. pro ſocio*, & quia etiam in odioſis verba ſunt intelligenda in potentiori ſignificatione, ut conſtat *ex cap. penult. de ſent. excom.* ubi deciditur nomine excommunicationis a Judice prolatæ intelligi majorem. Affinitatis autem præcipua ſignificatio eſt affinitas ex copula licita conſurgens. Atqui ſub hac affinitate comprehenditur neceſſariò publica honeſtas. Deinde quia verba diſpenſationis ſunt intelligenda ſicut verba juris communis. At ſublato per jus commune impedimento affinitatis, id intelligitur de omni affinitate, & conſequenter cenſetur ſublata publica honeſtas. Quod tradunt Gloſ. *in cap. non debet*, *v. in ſecunda de conſang.* ibique Butr. *n.*19. cum aliis. Quam opinionem ſatis probabilem, ac tutam eſſe cenſet Sanch. *ibidem*.

3 Verùm in hac re ſaniores ita diſtinguunt. Si explicetur affinitas ex copula licita, vel intra tertium, & quartum gradum, non eſt neceſſarium explicare publicam honeſtatem. Jam enim ibi intelligitur, & neceſſariò includitur. Si verò explicetur affinitas in genere, non valet, quia in affinitate in genere non includitur publica honeſtas. Quippè neceſſarium eſt explicare, an affinitas ſit ex copula licita, vel illicita, nec ſufficit ſi exprimatur affinitas in genere. Ita Sanchez eo loco *n.* 38. & alii, quos ipſe refert. Pontius *de matr. lib.*8. *c.*17. *§.*3. *n.*30. ac Perez item *de matr. diſp.*46. *ſect.*5. *n.*11. quibus favet ſtylus Datariæ, quæ nunquam conſuevit utriuſque impedimenti expreſſionem facere, ubi ea tantùm adeſt affinitas, quæ neceſſariò in ſe etiam publicam continet honeſtatem. Quia cùm publica honeſtas neceſſariò comprehendatur ſub affinitate, ſatis eſt de ipſa affinitate mentionem facere. Idem firmat Pyrrus Corradus *in prax. diſpenſat. lib.*8. *c.*7. *n.*24. & declaravit S. Congregatio Concilii in Brixienſi diſpenſationis 30. Martii 1668. Cùm enim quæreretur, an in diſpenſatione Apoſtolica videatur explicandum cum impedimento affinitatis ex copula licita impedimentum quoque publicæ honeſtatis, S. Congregatio cenſuit, non eſſe neceſſariò explicandum.

Hanc eandem ſententiam tenuere defenſores matri- 4
monii inter Catharinam, & Henricum VIII. Regem Angliæ, ut refert Sanderus *de ſchiſm. Anglic. lib.*1. *ad* 6. *object.* de Julii II. diſpenſatione in hæc verba: Veniamus jam ad illud ultimum caput, in quo vim maximam adverſarii ſitam eſſe arbitrantur. In precibus Pontificis oblatis hæc verba continebantur: *Dum inter D. Catharinam, & Principem Arthurum, Henrici fratrem, matrimonium per verba de præſenti fuiſſe contractum*. Nonne his verbis expreſsè proponitur juſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum, quod ex ſolo nuptiarum contractu oriebatur? In eiſdem verò precibus mox ſequitur, *Illud matrimonium carnali copula forſitan fuiſſe conſummatum*. Nonne hinc etiam affinitatis impedimentum elicitur, ſi fortè carnalis copula interceſſiſſet? Propterea enim adjectum eſt illud *forſitan*, ut in omnem eventum matrimonio conſuleretur, etiamſi carnalis copula, quæ revera non interceſſit, caſu quopiam interceſſiſſet. Cùm ergo Papa ex re narrata intellexerit, duas ad ſummum res obſtitiſſe, quo minus Catharina Henrico nuberet, unam quod ea fœmina prius Arthuro Henrici fratri nupta fuiſſet. Alteram quod ab eodem Arthuro forſitan fuiſſet cognita, idemque Pontifex tota re intellecta, non modò affinitatis in toto genere, ſed hujus ipſius affinitatis impedimentum, quod inter Henricum, & Catharinam ex nuptiis Catharinæ cum Arthuro prius contractis, & copula forſitan ſubſequuta conſummatis, intervenerat, authoritate ſua ſubſtulerit, nonne eo ipſo juſtitiæ etiam publicæ honeſtatis impedimentum, quod copulam carnalem præcedit, multò magis ſuſtulit? Nam ſi Henrico Regi permittitur, ut fratris uxorem, etiamſi carnali copula fuiſſet cognita, tamen ducat, nonne multò magis eam ducere permittitur, ſi nupta ſolum, & non etiam cognita fuit? Hactenus Reginæ Procuratores, quorum ſententiam approbavit praxis Datariæ Apoſtolicæ modo explicato.

CONSULTATIO XV.

An intret impedimentum affinitatis in tertio, vel quarto gradu ex ſola figura matrimonii, quamvis invalidi?
Item an inſurgat impedimentum publicæ honeſtatis a matrimonio ſolemnizato in facie Eccleſiæ, licet irrito?

QUoad primum, quod quidem novum eſt, vide- 1
tur reſpondendum negativè. Nam ex diſpoſitione Sac. Concilii Tridentini *ſeſſ.*25. *cap.*4. *de reform. matrim.* hoc impedimentum reſtringitur ad primum, & ſecundum gradum copulæ illicitæ, non autem admixtæ cum figura matrimonii. Nihilominus tenendum eſt, ex hujuſmodi matrimonio inſurgere impedimentum affinitatis. Ita noviſſimè declaravit S. Congregatio Concilii in Brixienſi 3. Decembris 1667. quæ dictum locum Concilii hunc in modum interpretata eſt.

Quoad ſecundum Doctores communiter docent im- 2
pedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis non oriri ex matrimonio rato invalido ex defectu conſenſus, ſed oriri ex invalido ex defectu ſolemnitatis, vel ratione alicujus impedimenti. Ita Pontius ac Perez *de matr. ille lib.*7. *c.*36. *n.*5. hinc *diſp.*23. *ſect.*3. *n.*3. ubi referunt declarationem S. Congregationis Concilii, quæ idipſum declaravit in dicta Brixienſi ſub eadem die 3. Decembr. 1667. Cùm enim quæreretur, an inter Bartholomæum Andriolium, & Mariam Cavallariam diœceſis Brixienſis ortum fuerit impedimentum affinitatis, vel publicæ honeſtatis ex eo, quod eadem Maria ſit conjuncta in tertio gradu conſanguinitatis cum Cæcilia Boni, in qua dictus Bartholomæus in facie Eccleſiæ prius contraxerat matrimonium, ac conſummaverat ſub bona fide, quod poſtea fuit ordina-

dinaria authoritate irritum declaratum propter impedimentum quarti conſanguinitatis, quod inter præfatum Bartholomæum, & Cæciliam detectum fuit? S. Congregatio reſpondit obſtare utrumque impedimentum.

3 Ratio primæ partis eſt, quia olim ſponſalia, ex defectu conſenſus invalida, non inducebant hanc honeſtatem, ergo neque matrimonium, cùm ejus honeſtas a paritate ex illis conſuetudine populi Chriſtiani ſubſiſtat. Ratio verò ſecundæ partis illa eſſe videtur, quia ſic fiebat olim in ſponſalibus, quæ inducebant hanc honeſtatem, licèt invalida eſſent, niſi id proveniret ex defectu conſenſus. Cumque in hac honeſtate, orta ex matrimonio rato, nihil ſit innovatum a Tridentino, erit in ea ſtandum juri antiquo. Juvat hic apponere declarationem a Pontio, & Perez relatam, quam etiam adducunt Farinacius, ad dictum locum Concilii, & Rebellius *n.*102. Illa eſt hujuſmodi. *Præſuppoſita declaratione per Conſtitutionem S. D. N. Pii V. ſuper hoc decreto, cenſuit Congregatio, oriri impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis ex ſponſalibus per verba de præſenti etiam nulliter contractis, omiſſa forma decreti Concilii Tridentini c.* 1. *hujus ſeſſ.*24. *& conſtat ex cap. Ad audientiam, de ſponſ. ubi exiſtente matrimonio nullo propter impedimentum conſanguinitatis, oritur publica honeſtas.*

4 Unde infertur, oriri hanc honeſtatem ex matrimonio invalido ex defectu præſentiæ Parochi, ac teſtium, vel ob quodvis aliud impedimentum dirimens, quia tale matrimonium non eſt invalidum ex ſolo defectu conſenſus, ſed etiam legitimitatis, quia eſt inter perſonas inhabiles ex decreto S. Concilii Trid. immò matrimonium clandeſtinum, licèt nullum, habere tamen vim ſponſalium ex natura ſua multis oſtendit Perez *diſp.*8. *ſect.*4.*n.*4. Atque ita teneo cum Poncio *d.lib.*7.*c.*35. *ad fin.* & Hurtado *diſp.*21.*diſt.*2.*n.*7. contra Sanch.*lib.*7.*de matr. diſp.*70.*n.*13. & Coninch. *diſp.*32.*dub.*5. *in fin.*

CONSULTATIO XVI.

An Canonicis Eccleſiæ Collegiatæ liceat concedere locum in presbyterio Magiſtratui laico, nullam juriſdictionem in Civitate, vel Oppido, nec patronatum in Eccleſia habenti, ad effectum ibi ſtandi, & ſedendi tempore celebrationis divinorum officiorum, & maximè Capitulo, & Canonicis Eccleſiæ Cathedralis invitis, qui ad ipſam Eccleſiam Collegiatam celebraturi divina officia ſimul cum præfatis Canonicis ejuſdem Eccleſiæ Collegiatæ pluribus diebus accedunt?

1 ET negativè reſpondendum, adverſante decreto Concilii Moguntini relato *in cap.*1. *de vit. & honeſt. Cler.* ubi expreſsè vetatur laicis ſtare, vel ſedere in presbyterio, quando celebrantur divina officia, itaut ne patronus quidem ibi ſit admittendus ad dictum effectum ſedendi, vel ſtandi in eodem presbyterio cum ipſis miniſtris, ut mente S. Congregationis Concilii reſpondit Rota in Valentina Capellæ 5. Martii 1599. coram Juſto, firmatque Lotter. *de re benef. lib.*1. *qu.*13. *num.*20. *cum ſeq.* verba autem S. Rotæ non omnibus obvia ſunt hujuſmodi.

2 Cùm ex decreto Concilii Moguntini relato *in cap.*1. *de vit. & honeſt. Cleric.* laici ſecus altare, quando ſacra myſteria celebrantur ſtare, vel ſedere non debeant inter Clericos, & ibi Gloſſa, & Doctores, & eſt textus *in cap.*1. *in fin. de cohab. cler. & mul.* Glos. *in fin. l.*2.*C. de ſacroſ. Eccleſ.* Panvin. *de Viſit. lib.*2. *cap.*8. *n.*36. Durand. *de mod. congr. Concil. rubr.*55. *num.*2. Domini dixerunt, una tantùm parte informante, non licere Panniparitoribus ingredi Capellam, ut aſſiſtant divinis officiis, quinimmò licere beneficiatis prohibere eis ingreſſum, & aſſiſtentiam intra eamdem Capellam.

3 Non obſtat, ſi opponeretur de jurepatronatus. Quia cùm omnes Eccleſiæ præſumantur conſtructæ ex oblationibus parochianorum, & in hoc caſu non doceatur de jurepatronatus, ut fuit deciſum in hac eadem cauſa coram R. P. D. meo Decano 9. Martii 1594. hoc Panniparitores prætendere non poſſunt.

4 Quod ſi conſtaret, id dicendum eſſe. Quia ſedes patronorum non intra, ſed extra chorum in digniori tamen loco, ſunt collocandæ, ut dixerunt Illuſtriſs. Interpretes ad Concilium Tridentinum die 21. Auguſti 1587.

5 Non obſtat, quod aliàs beneficiati, illos in choro ſtare, & ſedere paſſi ſint. Quoniam quæ ſunt facultatis non inducunt conſuetudinem, nec poteſt prætendi conſuetudo, quia jus reſiſtit, *cap. fin. de conſuet.* Neque præſcriptio, quia cùm ſit contra jus, ut dixi, requiritur, quod ſit quadragenaria cum titulo, vel immemorabilis, ut ſæpè deciſum fuit, de qua non conſtat. Hactenus S. Rota Romana. Et ita etiam declaravit S. Congregatio Concilii in Gerundenſi die 10. Novembris *1657. ad ſeſſ.* 24. *de obſerv. & evit. in ſacrif. miſ.* Et nos fusè alibi.

CONSULTATIO XVII.

An, quo jure, quibus pœnis, & quatenus Epiſcopi teneantur perſonaliter reſidere in ſuis Eccleſiis præſertim tempore peſtis? Et quid de Parochis peſtis etiam tempore?

DE reſidentia Epiſcoporum nos ea, quæ Sacroſancta 1
Synodus Tridentina decrevit, proferamus. Illa igitur *ſeſſ.*6. *c.* 1. *de reform.* ab iis, qui majoribus Eccleſiis præſunt initium reformationis cenſuit eſſe ſumendum juxta Concilium Lateranenſe tertium ſub Leone *ſeſſ.* 9. *in Bulla reform.* Ipſi enim ſunt, qui ſuper cæteros a rebus ſæculi in altiorem ſublati locum conſpiciuntur, & in eos tanquam ſpeculum reliqui oculos conjiciunt, ab iiſque ſumunt, quod imitetur *ſeſſ.*22. *c.*1. *& ſeſſ.*25.*c.*1. *& can. miramur. d.*61. D. Ambroſius *de dignit. Sacerd. c.*6. Gloſſ. *in extravag.*1. *de elect.* D. Gregor. *p.*3. *paſtoral. admon.*1. Gloſſ. *in cap. magnæ de vot.* omneſque patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis, & Cathedralibus Eccleſiis quibuſcunque quovis nomine, ac titulo præfectos monet, ac monitos eſſe vult, ut vigilent, in omnibus laborent, & munus ſuum impleant. Hi enim pertinent ad ordinem Hierarchicum in ſupremo gradu, qui in Apoſtolorum loco ſucceſſerunt, *c. quorum d.*68. *& ſeſſ.*23.*c.*4 *de ſacr. Ord.* Et licèt Primatis nomine olim Patriarchæ comprehenderentur, *cap. Urbis d.*80. *& 2. d.*99. tamen hodie differunt in amplitudine juriſdictionis, Specul. *de juriſdict. omn. jud.* & hanc monitionem explicat Concilium *ſeſs.*23. *c.* 1. divino præcepto procedere, ut Paſtores vigilent, gregem non deſerant, ovium cuſtodiæ incumbant, eas agnoſcant, ac paſcant.

Ideòque contra non reſidentes antiquos canones in- 2
novavit, quæ innovatio cenſetur etiam facta *in ſeſs.*23. *cap.*1. *verſ. ſi quis autem.* Quia relatum eſt in referente cum omnibus ſuis qualitatibus. Sed cum per Concilium ſtatuatur nova pœna, & tempus adverſus non reſidentes, videlicet amiſſionis fructuum, & quod eos in foro conſcientiæ non faciant ſuos, videtur, quod innovatio canonum antiquorum non habet locum, niſi ubi, creſcente contumacia opus eſſet ſeveriori canonum cenſura. Præterea innovatio iſta non refertur, niſi in canones antiquos, qui de Epiſcoporum reſidentia loquuntur, de quibus loquitur dictum *c.*1. *ſeſs.*6. juxta *can. Pontifices, & can. Pervenit,* 7.*q.*1. *cap. qualiter, & c. tua,* ubi Gloſs. *de Cler. non reſid.*

Si quis igitur a patriarchali, primitiali, metropolita- 3
na, ſeu cathedrali Eccleſia, ſibi quocunque titulo, cauſa, nomine, ſeu jure commiſſa, quacunque ille, dignitate, gradu, & præeminentia præfulgeat, legitimo impedimento, ſeu juſtis, & rationabilibus cauſis ceſſantibus, ſex menſibus continuis extra ſuam diœceſim morando, abfuerit, quartæ partis fructuum unius anni fabricæ Eccleſiæ, & pauperibus loci per Superiorem Eccleſiaſticum applicandorum pœnam ipſo jure incurrat, *d. cap.*1. *ſeſs.*6.

Ad tollendum autem dubium, an Cardinales com- 4
prehendantur hoc decreto, facta eſt expreſſa mentio de illis *in ſeſs.*23.*c.*1. Et ratio dubitationis erat, quia regulariter in generali ſermone in ſuum præjudicium non comprehenduntur per Oldrad. *conſ.*46. Barbat. *de præſtant. Cardinal. p.*1. *q.*12. Tollitur fundamentum Doctorum aſſerentium Cardinales haberi pro reſidentibus, & facere in abſentia fructus ſuos, quia ſerviunt Romanæ Eccleſiæ, quæ eſt omnium mater, & magiſtra, quia ſunt magis familiares, quàm alii, & aſſumunt partem ponderis diei & æſtus *c. ex parte de Cler. non reſid.* Nam Concilium revocat omnia, & jura illa reduci debent ad cauſas per Concilium præſcriptas, quando chriſtiana charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, & evidens Eccleſiæ utilitas id expoſcunt, & ubi cauſæ priùs ſint cognitæ, ac probatæ a *d.c.*1. *ſeſs.*23. Quinimmò etiam ante hoc Concilium in reformatione per delectos Cardinales ſub Paulo III. in abuſu octavo concluſum fuit, Cardinalatum cum Epiſcopatu eſſe incompatibilem. Item Cardinalis ad Epiſcopatum non eligitur, ſed poſtulatur, Gundiſal. Villad. *de orig. Cardinal. q.*5. *n.*17. Item Innocentius VI. ſtatim, ac coronatus fuit omnes Cardinales ad Eccleſias ſuas abire coegit. Quod pientiſſimæ memoriæ B. Pius V. aliique ſummi Pontifices facto confirmarunt. Videndus Abbas *in cap. Bonæ memoriæ* 1. *de poſtul. n.*6. *& in cap. Eccleſia veſtra* 2. *de elect. n.*3. Sot. *lib.*10. *de juſt. q.* 3. *art.*4. & Sanctarel. *var. reſ. q.*2. *per tot.*

In *ſeſs.*23. *d. c.*1. exprimuntur impedimenta, & cauſæ 5
juſtæ abſentiæ, & præter illas datæ non admittuntur,

pro-

propterea *d.cap.1.ſeſs.6.* non præcedit cauſæ cognitio. Quod eſt ſecundùm jus commune, ut cauſæ cognitio præcedat ſemper, *argum. cap.1. & cap. non eſt, de vot. c. de multa de præb.* Tempus verò ſex menſium intelligitur ſine cauſa, & ſine licentia, *ut d. ſeſs.23. cap.1. verſ. extra prædictas cauſas*, & ob id reſtringitur ad duos, vel ad ſummum ad tres menſes, & ita ſervatur. In his enim, quæ ad reſidentiam pertinent, attenditur *d. c. 1. ſeſs.23.* tanquam jus noviſſimum. Sed in hac etiam abſentia trium menſium attendere debet Paſtor, ut id æquè ex cauſa fiat, & ſine gregis detrimento, quod diſcedentium conſcientiæ relinquitur.

6 Infertur modò ex *d. cap. 1. ſeſs.6.* tantò minus poſſe transferri ſedem Epiſcopalem ſine Authoritate Apoſtolica, & per *d.c.1.ſeſs.23.* hodie dictum tempus reſtringitur, ſive ſit continuum, ſive interruptum. Olim namque diverſa reperiebantur ſtatuta tempora. Nam in Concilio Sardic. *c.14.* ultra tres dies dominicos abeſſe non licebat. Idem ſancitum poſtea fuit in ſexta Synodo *c.8.* Demum per *c. ex tuæ*, quod Gloſſa intelligit, procedere in Prælatis.

7 Reſidere autem dicitur ex *dict. c.1. ſeſs.6.* non ſolùm quando in Cathedrali, ſed etiam quando per diœceſim moratur. Quod tamen limitatur per *d.cap.1.ſeſs.23.* ut certis anni temporibus principalem cathedram non relinquat. Quod etiam antiquitùs ſancitum fuerat. Sed generaliter *in c. placuit 7. qu. 1. & c. Epiſcopus de conſecr. d. 3.* & utrobique Gloſſa. Quod ſublimitatur, niſi Epiſcopalia munia in ſua diœceſi aliò eos vocent, *d. c. 1.ſeſſ.23.* vel niſi neceſſitas cogat ſecundùm D. Gregorium *in regiſtr. lib.2. ep.11.*

8 Eademque pœna confirmatur *d. c.1. ſeſſ.23.* ſed additur, quod præter reatum peccati mortalis, fructus non faciat ſuos pro rata partis abſentiæ. Quod intelligitur in foro conſcientiæ, etiam nemine privante, vel declarante reſpectu quartæ prædictæ. Et hæc pœna ſic diſtincta non habet hodie locum, niſi in Epiſcopis, & aliis Præfectis Eccleſiis majoribus. Nam quod attinet ad Curatos inferiores non proceditur ſic gradatim, ſed vel attenditur diſpoſitio *d.c. ex tuæ*, ubi Cloſſ. *de Cleric. non reſid.* vel decretum Concilii *d.cap.1.ſeſſ.23. propè fin.* ibi: *quod ſuper edictum citati*. Relinquitur enim arbitrio Ordinarii, ſi velit ſervare ordinem *in d.c.1.ſeſs.6.* præſcriptum, ut privet poſt triennium, vel ſtatim privare, ut ibi: *Poſt citationem per edictum factam*. Tamen Eminentiſſimi Patres Sacri Concilii Interpretes mediam ſententiam ſequuti, cenſuerunt, expectandum eſſe aliquod tempus, & attendendam eſſe contumaciam rei, qualis ſit, & ita ex facti qualitate arbitrio boni Judicis æſtimandum, ſi ſtatim poſt edictum privari debeat, vel obſervare formam *d. c.1. ſeſs.6.* præſcriptam. Hæc tamen forma ſit ſervanda in abſentibus a Canonicatu ex *c.12. ſeſs.24. de reform.*

9 Quod autem *dict.cap.1.ſeſs.6.* diſponitur conjunctivè, *ſeſs.23. d. cap.1.* dicitur per alternativam, ut ſenſus ſit fabricæ, vel pauperibus applicare, idque per Superiorem Eccleſiaſticum. Quod ideò dictum eſt, ne Principibus ſæcularibus liceat ſe ingerere, juxta *auth. de Sanct. Epiſc. §. Interdicimus col.9. & in auth. quomodo oport. Epiſcop. §. illud col.1.* Neque opus eſt ſententia condemnatoria, ſed ſufficit declaratoria. Quinimmò hodie per *dict. cap.1. ſeſs.23.* quoad forum conſcientiæ, nec declaratione opus eſt. Et ex his revocatur deciſio Afflicti 289. *numer.* 8. aſſerentis non poſſe ſuper reſidentia imponi pœna ipſo jure, & requiri ſententiam condemnatoriam. Quinimmò videtur, quod neque monitio requiratur juxta Gloſ. *in cap. extirpandæ §. qui verò, v. privatum de præb.* Quia hoc tempus loco monitionis habetur, *arg. cap. potuit de loc. & cond. & 16.q.3. c.placuit.* Nec moræ purgatio admittitur, *arg. c.puellæ 20.qu.2.* niſi juſtum impedimentum in promptu oſtendat cum reſidere nequit *7.qu.1. cap.præſentium*, & per Gloſ. in *d.c.ex tuæ de Cler. non reſid.* Quod hodie abſque dubio procedit, cùm ex *c.1. ſeſs.23.* antequam incipiat abeſſe, obtinere debeat licentiam, cauſa prius cognita, & probata per Superiorem.

10 Quod ſi per alios ſex menſes in hujuſmodi abſentia perſeveraverit, aliam quartam partem fructuum, ſimiliter applicandam eo ipſo amittat. Creſcente verò contumacia, ut ſeveriori ſacrorum canonum cenſuræ ſubjiciatur, Metropolitanus ſuffraganeos Epiſcopos abſentes, Metropolitanum verò abſentem ſuffraganeus Epiſcopus antiquior reſidens ſub pœna interdicti ingreſſus Eccleſiæ eo ipſo incurrenda, infra tres menſes per literas, ſeu nuncium Romano Pontifici denunciare teneatur, qui in ipſos abſentes prout cujuſque major, aut minor contumacia exegerit, ſuæ ſupremæ Sedis authoritate animadvertere, & Eccleſiis ipſis de Paſtoribus utilioribus providere poterit, ſicut in Domino noverit ſalubriter expedire, eadem *ſeſs.6.c.5.*

Uno igitur anno bis quartæ partis fructuum pœna mulctabitur Epiſcopus. Quod neque in dignitatibus, vel canonicis procedit, ut *ſeſs.24. cap.12.* neque in Curatis inferioribus. Et in hoc caſu creſcentis contumaciæ recurrimus ad innovationem canonum antiquorum, deveniendo ad privationem juxta Gloſ. *in dict. cap. ex tuæ de Cler. non reſid.* Anchar. *in cap. ex parte eod. tit.* Oldrad. *conſ.195.* Sylv. *p.4. qu.3.* Afflict. *d. dec.289. num.8.* Et licèt prohibeatur ingredi Eccleſiam, non propterea ingrediendo fieret irregularis, quamvis mortaliter peccaret, ſecus ſi ingrediatur, & celebret, Angel. *v. ſuſpenſio 3. num.4. & ſeq. per cap. is, cui de ſent. excomm. in 6.* Et cui prohibetur ingreſſus ad Eccleſiam, prohibetur etiam ad Cœmeterium, Abb. *in cap. cum Eccleſia not.2. de immun. Eccleſ.* Ideòque Romano Pontifici denunciare tenetur, quia graviores cauſas contra Epiſcopos, degradatione, aut depoſitione dignas ad Sedem Apoſtolicam referri opportet. Quod iſto caſu præcipit Gregorius VII. *q.1.cap.pervenit*, ibi: *Et nobis modis omnibus, cap. quamvis, cap.multum, cap. Dudum 3. q.6.* & habetur *ſeſs.24. c.5. & 20.* Gloſ. *in c.quoad translationem, v. reſervata de offic. leg.* 11

Adſtruunt aliqui Doctores, ſi Epiſcopus ſine cauſa abſit ſpatio trium menſium, vel minori, eum fructus ſuos pro rata non facere, ſed teneri reſtituere, ut ſupra, ita Garz.*p.3,c.2.n.28.* quia ſi non laborat, non manducat, ut inquit Apoſtolus. Sed alii contra, dicunt non teneri reſtituere, quia non videtur moraliter abfuiſſe ob parvitatem materiæ, ut patet ex eodem Trid. *d.c.1.* quod eſt verum, dummodò officium ſuum per Vicarium idoneum præſtiterit, quatenus fuerit neceſſarium. Et id tenent multi, quos ſequitur Bonac. *de oblig. benef. diſp. 5.pun.4.n.8. & 9.* 12

Limita ſupradicta decreta, ut obligatio reſidendi incipiat quoad Epiſcopos poſt conſecrationem, quoad Archiepiſcopos poſt pallii ſuſceptionem, dummodò per eos non ſteterit, quominus citiùs pallium, vel conſecrationem, ſuſcipiant. Nam antea non videntur urgeri ad reſidentiam jure naturali, cùm non poſſint adhuc exercere, quæ ſunt ordinis, Sanchez *opuſ. mor. lib.7. c.1. dub.16.n.5.* 13

Limita ſecundò, quod excuſantur a dictis pœnis, qui bona fide abfuerunt, ſcilicet ſi a mortali excuſentur, Garz.*p.3.c.2.n.30.* 14

Limita tertiò, ut Epiſcopus abſens in foro conſcientiæ non teneatur reſtituere præcisè omnes fructus pro rata temporis abſentiæ, ſed poſſit ſibi retinere partem ob alia munia, ut recitationis horarum, & alia, quibus abſens pro grege ſuo functus eſt, & quoad hanc partem decretum illud pœnale, de quo Trid. *ſeſs.6.c.1.* non obligat in conſcientia ante ſententiam, Bonac. *d. pun.4.n.5.* Barb. *alleg.43.n.101. de Epiſc.* 15

Tandem ſan. mem. Urbanus VIII. anno 1643. die 12. Decembris Conſtitutionem edidit, qua ſanxit, ut Epiſcopi, & iis majores Prælati, etiam S.R.E. Cardinales reſidere teneantur, neque a loco reſidentiæ diſcedere, niſi prius obtenta licentia a Papa per Breve, vel literas miſſivas, aliàs incurrant ipſo facto abſque ulla declaratione pœnam interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, & facultatis teſtandi, ſeu diſponendi de bonis ſuis a Sede Apoſtolica conceſſæ. Item, ut deinceps promoti ad cathedrales, a die promotionis teneantur intra unum menſem morantes in Curia Romana, & intra duos morantes in Italia, & inter quatuor menſes morantes extra Italiam ſe itineri committere, & ad reſidentiam ſe conferre, & inde non diſcedere, ut ſupra ſub pœnis eiſdem latæ ſententiæ. Et ampliat, ut Cardinales titulos Epiſcopales ſuburbicales habentes teneantur reſidere in alio Epiſcopatu, ſi quem alii habeant ſub eiſdem pœnis. Item ut ex nulla cauſa abſentiæ excuſentur quantumvis gravi, & bonum publicum reſpiciente, ſed ſolùm cauſa Synodi, vel aſſembleæ, cui ſoleant intereſſe, & ratione officii eorum Epiſcopatui adjuncti. Sed ob cauſam viſitandi limina Apoſtolorum limitavit abſentiæ tempus, ſcilicet pro Epiſcopis exiſtentibus intra montes, & mare quatuor menſium, ultra montes, & mare ſeptem menſium. Præterea idem Summus Pontifex vivæ vocis oraculo declaravit, non eſſe per hanc Conſtitutionem interdictam abſentiam ad modicum tempus, ideſt trium menſium a S. Concilio Tridentino, ut ſupra conceſſam. 16

Epiſcopi verò non reſidentes privantur multis commodis, ut gtatiæ alternativæ ſuper proviſione beneficiorum, de qua re eſt regula 9. Cancellariæ, & aliis facultatibus ſæpè conceſſis a Concilio Tridentino, & alibi in jure Epiſcopis reſidentibus. 17

His præluſis, reſidentia Epiſcoporum in ſuis Eccleſiis eſt de 18

eſt de jure divino. Ita Cajetan. 2. 2. *qu.*185. *art.* 5. & *in ſum. v. beneficium*, Driedo *de libert. Eccleſ. pag.* 204. Bartholom. a Carranza *in tract. de reſid. cap.*2. Gig. *de reſid. Epiſc. in princip. num.*2. & *cap.*2. *num.* 2. Leſſ. *lib.* 2. *de juſt. cap.*34. *dub.*29. *num.*153. Azor. *tom.*2. *lib.*7. *cap.*4. *qu.* 1. Sot. *de juſt. lib.*10. *quæſt.*3. *art.*1. & *in apolog. adverſus Catherinam de certitud. gratiæ ſub initio*, Covar. *lib.*3. *var. cap.*13. *num.*9. Navar. *in ſum. cap.*25. *num.*121. Gonzal. *ad reg.*8. *Cancel. gloſ.*24. *num.*139. & *gloſ.*41. *num.*8. & *gloſ.*43. *num.*163. Ferrett. *conſ.*32. *num.* 14. & *ſeq.* Turrian. *in tr. de reſid. qui pag.* 7. ait contrariam opinionem eſſe alienam a ſcientia ſacrarum Scripturarum, & earum virtute, & in alio opuſculo *de commendat. Eccleſiarum vacantium pag.*1. refert Romæ in quadam Congregatione habita omnes conveniſſe, reſidentiam eſſe de jure divino. Em. Sà *v. reſidentia n.*1. Valentia *tom.*3. *diſp.*10. *q.*3. *punct.* 5. Comitol. *lib.*1. *reſp. moral. q.*59. *n.*1. Ric. *in prax. for. Eccleſ. reſol.*393. *n.*5. Sanchez *lib.*8. *de matr. diſp.*6. *nu.*5. & *lib.*4. *decal. cap.*37. *n.*15. Alphonſ. Alvarez *in ſpecul. jur. Pontif. c.*9. Salzed. ad Diaz. *in pract. crim. c.*54. *lit. A.* Vargas *de Epiſc. juriſdict. axiom.*12. Bott. *de Synod. p.*3. *art.*1. *n.*150. Garzias *de benef. part.*3. *c.*2. *n.*16. Alphonſ. a Caſtro *de juſta hæret. punit. lib.*3. *cap.*4. Cordub. *in quæſtionar. lib.*1. *q.*19. Paul. Griſald. *in deciſ. catal. v. Epiſcopus*, Azeved. *in l.*27. *tit.*3. *lib.*1. *recopil. num.*8. Melch. Gallejo *in tract. de paroch. oblig. temp. peſt. p.*1. *diſp.*1. *nu.*46. & *ſeqq.* Jo: Ochon. *in repet. c.*1. *de Cler. non reſid. in* 6. *numer.* 29. Quintanadvegnas *Eccleſ. lib.*4. *nu.* 50. *cum ſeq.* Cened. *in collect.*30. *ad* 6. *n.* 2. Zavallos *q.*181. *nu.* 1. & *ſeq.* Angl. *in florib. q. de reſtit. diffic.*1. Vivald. *in append. Candel. c.*9. *n.*6. Zecch. *de caſib. reſerv. caſ.*3. & *in tit. de benef. nu.*6. & *de mun. Epiſc. c.*5. *n.*3. Vaga *in ſpecul. c.* 17. Vaſquez *in opuſc. mor. tr. de benef. c.*4. *§.*2. *dub.*1. ubi rationes Catherini confutat, Thom. Campeg. qui & Tridentino Concilio unà cum Torrenſi, Carranza, & Soto interfuit *in opuſc.*4. *de reſid.* Hojeda *in tr. de benef. incompat. p.*1. *c.*1. *n.*4. & ex antiquioribus Gabriel *in* 4. *d.*15. *q.*18. *art.*3. *dub.*2. Adrian. *in* 4. *de reſtit. q. de plural. benef.* Gerſon. *alphab.* 24. *lit. Q.* & 40. *lit. E.* & *I.* 44. *lit. I.* D. Tho. *quodlib.*9. *art.*15. & *in* 2. 2. *q.*181. *art.*5. atque ex Canoniſtis Innoc. *in c. quia nonnulli de Cler. non reſid.* Abb. *in c. extirpandæ*, *§. qui verò n.*36. *de præb.* Archid. Gemin. & Præpoſ. *in can. Sacerdotibus* 31. *d.* Gemin. *in c. cùm omnes n.*33. *de conſtit.* Fagnan. *in c. ex parte de Cler. non reſid. a n.*25. cum ſuis rationibus.

19 Idemque colligitur ex Conſtit. Pii IV. *incip. In ſuprema*, edita Romæ 7. Kal. Decembris 1564. eſtque 90. in ordine, uti habetur Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Parochos, alioſque beneficiatos non reſidentes apud Eccleſias ſuas ſacroſancta ſpiritualis matrimonii inter eos, ſuaſque Eccleſias ſolemniter contracti jura confundere in perditionem animarum ſuarum, & ſubditorum ſuorum, ac pernicioſum exemplum, & ſcandalum plurimorum.

20 Hoc idem apertè colligitur ex canone quodam Apoſtolorum, ubi dicitur Paſtores, qui in ſuo ovili non permanent, eſſe alienos a communione in Chriſto. Quem canonem refert Turrianus *loc. cit.* ex quo idem Author, & Valentia colligunt, reſidentiam Epiſcoporum, & Parochorum eſſe de jure divino. Idem planè aſſerunt Patres, & præ cæteris S. Athanaſius *in Epiſt.* ad omnes Epiſcopos ad ſuas diœceſes proficiſcentes, in qua habetur, ne diu extra diœceſes Epiſcopi contra divina jura morentur, ut refert idem Turrianus *pag.* 30. *in epiſt.* ad Metropolitam Cretenſium ait Athanaſius perindè videri gregem eſſe abſque paſtore, ut cæcum duce carere, & *in Epiſt. ad Epiſc. Apameæ*, non licet inquit, tibi quavis de cauſa abeſſe, & *in epiſt. ad Epiſc. Sardenſium*, divina jura, vel ſtatuta inquit, ne pauliſper quidem ſinunt impunè quenquam paſtorem a grege abeſſe, & *in epiſt.* ad omnes Epiſcopos, & Sacerdotes, ac præpoſitos Monachorum, ne inquit, abſque magna neceſſitate, quæ aliter vitari non poſſit, procul a diœceſi morentur, ſcientes paſtorem eſſe gregi, quod anima corpori. Damaſcenus, qui adverſus Epiſcopos non reſidentes in ſuis Eccleſiis vehementer invehitur *epiſt.*4. *ad Epiſcopos African.* aſſeritque ob illorum abſentiam negligi curam Eccleſiæ, ejuſque ſtatum perturbari, animas negligi, oves perire, morbos creſcere, hæreſes, & ſchiſmata naſci, Eccleſias deſtrui, Sacerdotes vitiari, & reliqua mala provenire, non taliter Dominum Jeſum docuiſſe, nec Apoſtolos inſtituiſſe.

21 Hoc ipſum elicitur ex aliquot S. Scripturæ locis, quos affert Fagnanus loco citato, & Carranza *cod. tr. de reſid. c.*9. contra Epiſcopos non reſidentes, præcipuè *Ezechiel* 34. *lac comedebatis*, & *lanis operiebamini*, & *quod craſſum erat occidebatis. gregem autem meum non paſcebatis.* Et infrà, *diſperſæ ſunt oves, eo quod non eſſet paſtor. Et ex Actor.*20. illis verbis: *Attendite univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo.*

Ut proindè Juſtinianus Imperator *in l. generaliter*, *§.* 22 *eos tamen*, *C. de Epiſc.* & *Cler.* voluit, ut illi tantùm Clerici, & monachi immunitatis beneficio gauderent, qui permanerent in ſuis Eccleſiis, & monaſteriis non vagantes, nec circa divina miniſteria deſides, additque rationes, quia propter hoc ipſum beneficium indulgemus, ut, aliis omnibus derelictis, Dei omnipotentis miniſteriis inhæreant. Et quamvis hæc lex nullius ſit valoris, cùm Principes ſæculares de rebus, ac perſonis Eccleſiaſticis nihil diſponere poſſint, attamen ex ea colligitur ſemper fuiſſe conſuetudinem in Eccleſia, ut ii, qui curam habent animarum, debeant permanere in ſuis Eccleſiis, & non ab illis abeſſe ſine gravi cauſa.

Ut verò aliquod huic aſſertiori a ratione pondus ac- 23 cedat, a variis nominibus, quæ Prælatis imponi ſolent diſcimus quid eis oneris incumbat, ut enim de facie noſcitur homo, ita & in nomine ſeſe aperit, ac legitur officii ratio. Dicuntur ii primum *Paſtores*. Appello illud Chriſti oraculum, quo Petrum Eccleſiæ Præſidem, & univerſo Pontificem dedit, & hac forma inaugurari voluit: *Paſce*, inquit, *oves meas*, *Jo.* 21. *v.* 17. Paſcere non tàm dignitatis eſt, quàm laboris, præſentis eſt, non abſentis, Paſtoris, non mercenarii, cujus eſt potius mulgere, & tondere, quàm paſcere. Secus omninò bonus Paſtor, cui ut piè notat D. Bernardus *in Matth.* tertiò dictum paſce, nec mulge, ſeu tonde vel ſemel eſt dictum.

Dicuntur deinde in ſacris paginis *Miniſtri* 1. *Cotinth.*4. 24 *v.*1. *Diſpenſatores* 1. *Petr. v.*5. Non dominatores in cleris, ſed forma facti gregis, dicuntur & *operarii*, Matth. 9. *v.* 98. in vinea Domini vocati non tàm, ut præſint, quàm ut proſint, non ut inſolenter quieſcant, ſed ut impigrè laborent, ut plantent, ut evellant, ut deſtruant, quod Eugenio Pontifici maximo inſinuatum voluit D. Bernardus mellea, & ſuavi eloquentia: *Diſce*, inquiebat olim, *exemplo prophetico præſidere non tàm ad imperitandum, quàm ad facilitandum, diſce ſarculo tibi opus eſſe, non ſceptro.* Quod ſi ſarculo opus, certè & præſenti manu, quæ terram ſibi creditam, id eſt immortalis animus excolat, exiiſque herbas obnoxias, & inſœlicia lolia ab innoxiis diſcernat.

Appellantur etiam *Epiſcopi*, quod, ut ait Auguſtinus 25 *lib.*9. *de Civit. cap.*19. nomen eſt operis, non honoris, & vigiles, ac ſuperintendentes ſignificat. Quaſi deſuper, hoc eſt ex altiori veluti ſpecula intendant, atque incumbant populorum ſibi ſubjectorum utilitati. De his Chryſoſtomus religioſiſſimus Eccleſiæ Doctor, *non principatu*, inquit, *ac dominationis faſtu, verum cura regiminis*, & *charitatis affectu præſideant*. Cui conſonat Auguſtinus, ſpirans ille doctrinarum bibliotheca, & flos chriſtianæ pietatis, ac eloquentiæ. De Prælatis ille ita ſentit, ac loquitur ſupra: *Intelligat ſe non eſſe Epiſcopum, qui præeſſe dilexerit, non prodeſſe*. Honor enim, & ſacra infulæ majeſtas debet eſſe in poſtremis, ſalus & incolumitas gregis in oculis, & primis curis. Cujus præcepti conſcius, & retinens Bernardus Eugenium cum omni modeſtia, ac ſubmiſſione ita monet *lib.*3. *de conſid. Præſis, ut proſis, ut diſpenſes, non imperes, hoc fac*, & *dominari non affectes hominum homo, ut non dominetur tui omnis injuſtitia*. Præeſſe autem etſi poſſit abſens Epiſcopus, ac prodeſſe vix poteſt, imperare ut queat, at diſpenſare vix abſenti conceditur. Taleſque, id eſt ſpeculatores compellantur *in can. Clerus*, *§. Epiſcopus* 21. *d.* Quare Sanct. Ambroſius vocat eos quaſi *ſuperinſpectores de dignit. Sacerd. cap.*6. quia debent ſubditos aſſiduè aſpicere, eorumque mores, ac vitam ſpeculari.

Denique, ne multis morer, in alia, atque alia appel- 26 latione dicuntur *Prælati*, & Epiſcopi *Doctores* etiam oraculo, voceque Pauli: *oportet*, inquit *Epiſcopum Doctorem eſſe* 1. *ad Timoth.*3. *v.*2. non ſcripto tantùm, ſed verbo, quod non emanat, niſi ad ſubjectum, & præſentem populi coronam.

Debent præterea Epiſcopi ſuorum ſubditorum neceſſi- 27 tatibus inſervire juxta illud 1. *Corinth.*9. *Cùm eſſem liber ex omnibus, omnium me ſervum feci*, & 2. *Corinth* 4. *Nos ſervos veſtros propter illum, id eſt Chriſtum*. Debent animam ponere pro ovibus *Jo:*16. ſubditos arguere, obſecrare, increpare *ad Tit.*3. illiſque præire exemplo, & integritate vitæ juxta illud *Jo:*10. *Ante eas vadit*. Quare 1. *Petr.* 5. dicitur, ut Eccleſiæ Paſtores ſint facti forma gregis ex animo, debent Sacramenta adminiſtrare, verbum divinum annunciare, viſitare gregem ſuum, eique invigilare, examinari qui ſint idonei ad confeſſiones audiendum, altaria, & templa benedicere, & conſecrare, tollere peccata, præſertim gravia. *Prov.* 23. Hæc enim,

alia-

aliaque hujuſmodi præſtare non poſſunt Epiſcopi, niſi perſonaliter reſideant.

28 Etenim quilibet jure divino, & naturali tenetur ritè præſtare officium, quod ſuſcipit, præcipuè quando ob talè officium ſtipendium recipit. Epiſcopus autem non poteſt ritè, ac rectè præſtare ſuum officium, niſi reſideat. Atque hæc dicta ſint contra Albinianum *de reſid.* & Catherinum *eod. tr.* qui *in epiſt.* ad Cardinalem Joannem Mariam de Monte, quæ præfigitur in citato ejus opuſculo ait, in Concilio Tridentino non fuiſſe permiſſum a Legatis Pontificiis, ut definiretur, an talis reſidentia ſit de jure divino, cùm hæc deciſio parum conduceret ad reformationem, quæ tunc deſiderabatur, & inter Patres Concilii non conveniebat, an reſidentia eſſet de jure divino. Et in cenſura contra Carrannam de Miranda ſub initio idem ſcribit: *Nam*, inquit, Chriſtus Jo: 10. ſoli Petro dixit, *Paſce oves meas, ergo ſolus Papa præcepto divino tenetur gregem fidelium paſcere, & alii Epiſcopi, & Curati ſolùm ex præcepto Pontificis, in cujus poteſtate ſit, vel eos cogere ad reſidentiam, vel liberare.* At minus rectè hæc inquit Catherinus. Nam illa verba ſoli quidem Petro ſunt dicta, ex illis tamen colligitur, teneri Epiſcopos præcepto divino reſidere, ut notant Turrianus, Valentia, Azorius, & Vaſquez in locis adductis, & ante illos D. Ambroſius *in paſtoral.* D. Auguſtinus *lib. de paſtorib. cap.* 13. S. Leo *ſer. 3. de anniv. aſſumpt.* & Fagnanus cum aliis *in d. cap. ex parte de Cler. non reſid. a n.* 26. Nam Epiſcopi, & Curati ſunt paſtores, atque adeò tenentur paſcere greges ſuos, & conſequenter tenentur perſonaliter reſidere.

29 De mente verò Concilii, quicquid dicat Catherinus ſatis conſtat ex iis, quæ ſuperiùs adducta ſunt, & ex notatis a Fagnano loco citato, ubi *nu.* 18. exiſtimat, Concilium noluiſſe formaliter hunc articulum diffinire. Nam ſi voluiſſet, diſertis verbis expreſſiſſet, ut moris eſt Patrum in definitionibus fidei, idcircò decreta de paſtorum reſidentia non poſuerunt inter canones ad dogmata pertinentes, ſed inter alia decreta de reformatione. Quinimmò *in d. c.* 1. *ſeſſ.* 23. quamvis declaraverint, Epiſcopos obligari ad perſonalem in ſuis Eccleſiis, vel diœceſibus reſidentiam, tamen hanc declarationem non poſuerunt in prima parte decreti, in qua egerunt de præcepto divino, neque illam deduxerunt immediatè ex principiis divini juris, ſed eam poſuerunt ſeorſim, & ad alium finem, videlicet ne ſtatuta ſub Paulo III. de reſidentia in ſenſus a ſanctæ Synodi mente alienos traherentur, ut *in §. Ne verò.* Demum Eccleſia neminem hactenus condemnavit ex eo, quod docuerit, vel affirmaverit, etiam cum pertinacia reſidentiæ præceptum eſſe tantùm de jure poſitivo Eccleſiaſtico, & tamen ſecus eſſet ſi ejuſmodi articulus eſſet ab Eccleſia deffinitus, *c. ſicut d.* 25. *cap. Cùm Chriſtus de hæret.* & docet S. Thom. 2. 2. *q.* 5. *art.* 3.

30 Cæterùm, ſi ſingula utriuſque decreti verba accuratè expendantur, non obſcurè apparebit, S. Synodum utrobique voluiſſe virtualiter inſinuare obligationem Paſtorum ad perſonalem reſidentiam deduci ex præcepto Evangelico. Huc enim ſpectant verba toties inculcata tàm *in d. cap.* 1. *ſeſſ.* 6. quàm *in d. cap.* 1. *ſeſſ.* 23. Non enim moris eſt S. Synodi de mortali culpa mentionem facere, niſi ubi agitur de tranſgreſſione legis divinæ, ut in decreto *de juſtif. ſeſſ.* 6. *cap.* 25.

31 Nec opus eſt enarrare, quæ incommoda oriantur ex Prælatorum abſentia. Experientia enim rerum magiſtra, optimaque veritatis interpres omni propè ſæculo exhibuit graviſſima incommoda, morum ac fidei inclinationem, populorum ſtrages ex una Paſtorum abſentia proveniſſe. Ab antiquitate exempla repetamus, benè ſapit, qui ab illa edoctus ſapit. A populo ſibi commiſſo ad quadraginta tantùm dies obfuerat Moyſes, & hoc quidem non ut propriis commodis, ac voluptati ſerviret, non ut ambitioni, Regumque oculis, & auribus, ſed ut Deo ſuo intenderet, & ſolus cum ſolo in monte loqueretur, Iſraëlique negotium ageret, ac ne ſine cuſtode grex relictus eſſe videretur, ſibi in paſtorali cura ſupparem Aaronem ei dederat; neque tamen ab hoc benè illi eſſe licuit. Ad idola præceps abiit populus, vituloque aureo genua ſubmiſit, non ſubmiſurus, ſi Moyſes ſeverus morum cenſor, ac magiſter adfuiſſet. Quod Iſraeli, hoc ferè poſteris ſæculis Sauli. Ab hoc enim diſceſſerat Propheta Samuel, & ſeptem duntaxat diebus abfuerat. Potuit ea mora temporis exigua videri, at non exiguum inde ſequutum eſt malum. Populus enim a Saule, & Saul a Deo ſuo diſceſſit, atque defecit, ille quidem turpi fuga dilapſus, hic autem infami, impioque ſacrilegio ab authore ſuo mirum quantum alienos. Ecce quid in imperita multitudine, quid in Regis animo patiatur, vel una Paſtoris abſentia, quam deinde, & ampliſſimi Regni jactura, & miſeranda populi calamitas excepit. Demus nunc ea, quæ nova lex tulit, & quæ recentioris ſunt memoriæ, fidem illa majorem, & authoritatem invenient.

A primo Religionis noſtræ limine gradum faciam. 32 Egreſſus erat Servator optimus cum diſcipulis in montem Olivarum, & ne quid ab oculo magiſtri paululum avulſis deeſſet eos optimis conſiliis munierat. *Orate*, inquiebat, *ne intretis in tentationem*, *Luc.* 22. Ecce malum imminens, ecce & mali remedium. Interim avulſus ipſe eſt ab eis quantum jactus eſt lapidis. Quid deinde? Vacat orationi, ſibique ac Patri æterno magiſter intendit totus, diſcipuli verò præceptorum immemores alto ſopiuntur ſomno, audiuntque illud: *Non potuiſtis una hora vigilare mecum? Matth.* 26. Potuerunt enimverò, immò & re ipſa vigilarunt quandiu in oculis Magiſter fuit, at ubi ab illis ſejunctus, obdormierunt, crederes ſimul & ab oculis, & ab animis ſuorum diſceſſiſſe. Hic vos ipſos appello, vos volo quicunque eſtis animarum paſtores. A grege vobis concredito vos fortaſſe non revocat ſtudium orationis, non cœli nutus, non negotia æternitatis, non vitæ, mortiſque impendentis neceſſitas, ſed voluptas veſtra, ac pruriens libido. Fortè ut in aula degatis, mali honoris aucipes, ac gloriæ venatores, fortè ut exteras regiones, regnaque luſtretis curioſi peregrini, & novorum indagatores. De vobis, & ejuſdem farinæ Paſtoribus quæſtus olim Zacharias meſtum, ac formidandum illud *cap.* 11. *v.* 17. inſcripſit: *O Paſtor & Idolum!* hebraicè *hoi*, ideſt *væ*. Væ inquam vobis, qui non eſtis Paſtores, ſed Idola inania, & larvæ paſtorales.

Hæc autem Epiſcopi reſidentia fieri debet in Civita- 33 te, ubi cathedralis Eccleſia exiſtit, ſicut D. Gregorius loquens de Pimenio Epiſcopo Civitatis Amalphitanæ, qui in ſua Eccleſia reſidere non erat contentus, reſcripſit Anthimio Subdiacono *lib. 3. epiſt.* 23. relata *in d. cap. Pervenit cauſ.* 7. *q.* 1. ibi: *Pervenit ad nos Pimenium Epiſcopum in Eccleſia ſua non reſidere. Idcircò hac tibi authoritate præcipimus, ut illi interminari non deſinas, quatenus hoc de cætero facere non præſumat, ſed in Eccleſia ſua ſacerdotali more reſideat. Quem ſi forte non emendari poſt tuam interminationem cognoveris, in monaſterio eum deputare, & nobis curabis modis omnibus indicare, ut quid facere debeas, noſtra iterùm perceptione cognoſcas.* Quare Cardinalis Turrecremata in hunc locum ante *n.* 1. & Gigas *d. tr. de reſid. cap.* 3. *num.* 12. dixerunt, vituperabile nimium eſſe in Epiſcopo non reſidere in ſua Eccleſia, ac levitatis, & intolentiæ illius curam deſerere, & per alia loca vagari, & ex hac ratione Concilium Carthaginenſe 4. *cap.* 15. repetitum *in c. Epiſcopus* 7. *d.* 41. monuit Epiſcopum, ut hoſpitium non longè ab Eccleſia habeat. Ex utroque autem Gloſs. *un. in c. Epiſcopus* 4. *de conſecr. diſt.* 3 arguit, quod Epiſcopus, dominicis diebus in Epiſcopali Eccleſia divinis officiis debeat intereſſe, in qua ſacerdotali more præcipitur reſidere, & quod cogendus ſit cum Clericis ſuis apud Eccleſiam ſuam communiter habitare.

Ex quibus patet, Epiſcopum omninò teneri reſidere 34 in ſua Cathedrali, id eſt in loco, ubi eſt ipſa Eccleſia Cathedralis, quemadmodum in hac ſpecie dixerunt Bertachinus *de Epiſcop. lib.* 4. *par.* 1. *num.* 4. *tr. tom.* 13. *p.* 2. Alvar. *in ſpecul. cap.* 9. *num.* 1. Genuen. *in man. Paſt. cap.* 31. *n.* 6. Neque eidem licere per propriam diœceſim vagari, niſi gratia viſitationis, ſicut decretum fuit in Concilio Carthaginenſi 5. *c.* 5. de quo *in can. placuit* 21. *cauſ.* 7. *lib.* 1. his verbis: *Placuit, ut nemini ſit facultas relicta principali cathedra ad aliquam Eccleſiam in diœceſi conſtitutam ſe conferre*, Gloſſaque addit, *niſi cauſa viſitandi*, & annotarunt Bertachin. *d. lib.* 4. *p.* 1. *num.* 4. Gigas *d. cap.* 3. *num.* 12. & Alvar. *d. num.* 1.

Multò minus ergo licebit Epiſcopo peſte imminente 35 deſerere reſidentiam in Civitate penes ſuam cathedralem, & ad alium ſuæ diœceſis locum ejus viſitandæ gratia commigrare, cùm a pluribus receptum ſit, Epiſcopum tempore peſtis teneri, etiam cum periculo ſuæ vitæ reſidere, nec poſſe abſque lethali culpa fugere, & oves ſibi commiſſas deſerere. Hoc enim boni Paſtoris munus eſt. Nam ſicut habetur Joan. 10. *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis, mercenarius autem, &c. cujus non ſunt oves propriæ vidit lupum venientem, & dimittit oves, & fugit, &c. quia mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ovibus.* Iſque talis appellatur a D. Gregor. *hom.* 14. ac propterea D. Auguſtinus *ſerm.* 49. *de verb. Dom.* relatus a Gratiano *in c. tres perſonas* 12. *cauſ.* 23. *q.* 4. inveſtigando qualitatem trium perſonarum, quarum meminit Dominus in Evangelio, Paſtoris, mercenarii, & furis, ſubdit, Paſtorem dixit animam ſuam ponere, pro ovibus, & intrare per januam; furem dixit aſcendere per aliam partem, mercenarium dixit lupum, vel furem ſi videat fugere, quia non eſt illi cura de ovibus, mercenarius eſt enim,

enim, non Paſtor, ibique Gloſ. *v. mercenarium* interpretatur eum eſſe, qui cauſa lucri recipit dignitatem juxta expoſitionem ejuſdem Auguſtini *tr.* 46. *d. cap.* 10. Joan. *relatam in cap.* 19. *cauſ.* 8. *q.* 1.

36 Sicque in ſpecie tradunt Rutil. Benzonus *in ſpecul. Epiſcop. in tr. de fuga temp. peſt. lib.* 1. *diſp.* 1. *concl.* 4. & Marchin. *de bell. divin. p.* 1. *cap.* 2. *per tot.* ubi complures tum ex Theologis, tum ex Canoniſtis ponderant *n.* 3. duplici labe maculari Paſtores, ſuam reſidentiam deſerentes tempore peſtis. Altera quidem contra charitatem, præponendo propriam vitam corporalem ſaluti animarum ſibi commiſſarum. Altera contra juſtitiam, cùm pro reſidentia, ac ovium cura recipiant decimas, alioſque redditus, & proventus Eccleſiaſticos tanquam juſta ſui laboris ſtipendia.

37 Neque replicetur, id eſſe intelligendum, quando non eſt convenienter proviſum curæ ovium in loco reſidentiæ itaut Eccleſia, abſente Epiſcopo, defectum patiatur in divinis, ſecus autem quando Epiſcopus ibi alterum idoneum ſuffecit, ac dimiſit, qui vices ſuas adimpleat ex notatis ab Imol. *in cap. fin. ſub numer.* 7. *de Cler. non reſid.* quatenus inquit, quando abſens non tenetur venire ad reſidentiam tempore peſtis, intelligendum eſſe, quando Eccleſia non pateretur defectum in miniſtris, aliàs videretur ſecus, Rip. *de peſt. tit. de privil. contr. cauſ. peſt. num.* 147. *cum ſeqq. ubi num.* 150. concludit cum Imola, quod ſi Eccleſia patiatur defectum in divinis, abſentem poſſe tempore peſtis compelli ad reſidentiam ex notatis *in cap. penult. eod. tit. de Cler. non reſid.* Rebuff. *in prax. benef. p.* 2. *tit. diſpenſatio de non reſid. num.* 30. *& ſeq.* Marchin. *d. cap.* 2. *numer.* 11. Franch. Marc. *deciſ. Delphin.* 520. *num.* 12. *& ſeq vol.* 1. & alii.

38 Nam prætermiſſo, quod vix poterit in Vicario reperiri eadem charitas, vigilantia, & ſolertia, quibus Epiſcopus gregem ſuum tàm calamitoſo tempore paſcere, & ad viam ſalutis æternæ dirigere valeat, reſpondetur
39 per illius dimiſſionem non eſſe ſufficienter proviſum, cùm Vicarius etiam poſſit ſubitò decedere, nequeat in neceſſitatibus repentinis ea conſilia capere, ac exequutioni demandare pro ſalute animarum, quæ ipſe Epiſcopus, ut ſuperintendens præpoſitus illarum curæ a Deo Spiritus Sancti lumine afflactus capere, ac exequi poterit exemplo D. Caroli Borromæi, & aliorum piorum Antiſtitum, ut in propoſito ponderavit Marchin. *d. nu.* 11. ac *num.* 18. prælenſitque Ripa *loc. cit.* Tunc enim fortius viget conſideratio relata per Franc. Marc. *dec.* 97. *n.* 1. *p.* 1. *& dec.* 559. *num.* 6. *par.* 2. quod ſcilicet propter peſtem non debeant perſonæ Eccleſiaſticæ deſerere locum, ubi ſunt ordinatæ, ne deſeratur officium, & ſervitium.

39 Quibus accedit, quod ſi in loco reſidentiæ Epiſcopalis deficerent omnes Parochi, qui debent peſte affectis adminiſtrare Sacramenta, ſaltem baptiſmi, & pœnitentiæ neceſſaria ad ſalutem, ipſe Epiſcopus, qui eſt Parochus univerſalis omnium exiſtentium in ſua diœceſi, cùm tota ſit ejus parochia, *cap. Apoſtolicæ de donat.* Abb. *in c. Cum ſuper* 8. *num.* 9. *de ſepult.* teneretur illa per ſeipſum adminiſtrare, ſicut ex D. Thoma, & aliis in ſpecie tradit Genuenſ. *d. c. n.* 4.

40 Et quidem hanc plerique Epiſcoporum abſentiæ ſuæ rationem reddunt, hoc pallio ſe tegunt, hanc veritatem larva cedant, & ſibi, aliiſque illudunt improbè, dum inquiunt, ad manum eſſe Vicarios, qui ovium, & gregis curam gerant, qui eas paſcant impenſius. Benè habet, opto, immò & illud ipſis concedo, non deeſſe Vicarios, qui id muneris ſedulò exequantur, an ideò Epiſcopos iſto liberos onere credo? An commiſſis animabus benè cautum? Vicario malè creditur, quod ſoli Epiſcopo concreditum eſſe Deus voluit, & ſi veniat ille in partem oneris, at eo tamen vacuus hic non ibit. Vicarius plerumque mercenarius eſt, Epiſcopus ſolus Paſtor. Ille ſui, hic gregis curam agit. *Vicarius*, inquit Hugo Cardinalis, *pecuniam extorquet a populo ſibi commiſſo, de ſalute animarum parum curat*. Vicario ad alia, quæ Epiſcopalis officii, quæ inſulæ, & pedis paſtoralis non ſunt, Epiſcopus ritè uti poteſt. Si movendæ lites, ſi difficultates enodandæ, ſi rei domeſticæ, & œconomiæ habenda ratio, ſi alia quæpiam ejuſmodi obeunda munia, ad ea uti poteſt, immò & debet Vicario, hoc enim ſui Ordinis dignitas patitur. Verùm, ut Vicarium evocet ad ea tractanda, quæ ſui ſunt inſtituti, ad paſcendas animas hoc nec admittit paſtoralis ordo, nec ratio ſinit, nec Deus unquam feret inultus. Quî enim ferat aliis relinqui, quod Epiſcopo in manus dedit? Mercenario tradi, quod Paſtori datum eſſe voluit? Certè officii ſui munia per Vicarium obire non debet, niſi etiam per Vicarium ſalvari velit. Quare hujuſmodi Præſules meretricibus ſimiles eſſe ait Damaſus Papa epiſt. 4. *quæ ſtatim*, inquit, *ut pariunt infantes ſuos aliis nutricibus tradunt educandos, ut ſuam citiùs explere libidinem valeant*. Sic plerique Epiſcoporum, quæ ſæculi hujus ingens eſt macula, & grande malum, adulteris non abſimiles, ubi pingues Epiſcopatus adierint, & eorum animas, ceu ſpiritales proles ſuſceperint, eas mercenariis alendas tradunt, & a ſe abdicant.

Deinde, ut pronunciemus, quod ex æquo, bonoque aſ- 41
ſeri poteſt, a Vicario ſolo, etiam quam optimo, vix unquam gregi erit benè. Ut è multis unum producam, nobis oſtentat antiquitas Aaronem Pontificem, non hominum ſuffragiis, ſed cœli calculo, & mirabili prodigio adlectum, ut eſſet aliquando Moyſis Vicarius. Quis enim illo melior, quis dignior ſuffici potuit? Et tamen abſente Moyſe, elanguit ille, a ſeipſo deſcivit, & qui murus eſſe debuit pro domo Dei, qui furenti populo occurere, ab inſolenti idolatria revocare, aurumque ſpargere in vindices auras, collegit ipſe, & malè liquatum æris pondus in vitulum erigi, atque adorari eſt paſſus. Diceres Vicario nomini neſcio quid adhæreſcere vitii, quid abjectæ dimiſſionis, ac imbecillitatis, ne teſe, ſuoque, cum res patitur, erigat.

Sed inquies, Aaronis culpæ fuit, hæc infirmæ men- 42
tis inclinatio. Non abnuo, ſed eam etiam in aliis Vicariis meritò reformido. Quem enim aut Aaroni patrem, aut Superiorem dabis? Ego certè non hominem tantùm, ſed & ſi voles Angelum proferam, Dei ſui Vicarium, qui cum tamen Iſraeli non fuit quàm optimè. Cùm ab Iſraele non locorum ſpatiis, quibus abeſſe non poteſt Deus, cùm ſit in immenſum undequaque diffuſus, ſed cura quadam ſingulari longiùs abire velle videretur, è cœleſtibus geniis unum aliquem ſibi ſuppoſuit. *Exod.* 33. *v.* 3. videri poterat ea cœli indulgentia, is ſuperum favor, quod pro duce eſſet Angelos aliquis, & cœleſtis aulæ Princeps. *Verum audiens populus ſermonem hunc peſſimum, luxit, & nullus ex more indutus eſt cultu ſuo*, v. 4. Tantum in eorum animis motum facere potuit ſupremi Paſtoris, id eſt Dei, abſentia, quàm ne Angelus quidem ſuperioris militiæ dux, cœli civis compenſare viſus. Quid futurum fuiſſe crederes, ſi non Angelus, ſed ex eodem luto homunculus aliquis ſubſtitutus fuiſſet? Nimirum id ſenſerat Iſrael, licèt duræ cervicis, quantum ſibi a Paſtore acceſſiſſet præſidii, quantum a Vicario decederet. Et verò idem ſentiet quiſquis Iſraelem etiam poſt ſeros annos, & ſæcula populus ſequetur.

At enim verò quia Marchinus inquit *d. numer.* 11. 43
ſufficere in loco reſidentiæ peſte infecto præſentiam mediatam Epiſcopi non longinquè, ſed proximè commorantis in aliquo ex locis ſanis ſuæ diœceſis, hoc eſt mediante actuali permanentia idonei ſubſtituti ibidem dimiſſis, qui vices ſuas in omnibus adimpleat, dum ipſe Epiſcopus manet in loco proximo, unde facilè præſidere poſſit negotiis curæ ſibi commiſſæ, eiſdemque quovis caſu contingente opportunè conſulere ex traditis in Parocho a Suarez *tom.* 4. *in* 3. *p. diſp.* 44. *ſect.* 3. *ſub numer.* 12. ideò benignè ſuademus, non præcisè cogimus Epiſcopum ad reſidendum in eodem loco infecto, ubi idoneum ſubſtitutum retinet, dum ipſe manet in proximo ſano ſuæ diœceſis, ubi invigilans præſtò eſſe valeat ſingulis neceſſitatibus, etiam loci infecti, ſicque implere onus reſidendi, quod Sacrum Concilium *dict. cap.* 1. non jubet præcisè fieri in Civitate, ſed alternativè in ſua Eccleſia, vel diœceſi.

Hinc cùm quæreretur in Sac. Congregatione Conci- 44
lii, an Parochi teneantur reſidere, ac Sacramenta miniſtrare, etiam tempore peſtis, & cum periculo vitæ? S. Congregatio die 23. Septembris 1576. cenſuit, ſcribendas literas ad Cardinalem S. Praxedis in hanc formam: *Parochi tempore peſtis tenentur omninò reſidere in ſuis Eccleſiis Parochialibus, & ſi non reſideant, agendum contra eos ex decreto Concilii cap.* 1. *ſeſſ.* 23. *ſervata forma ibi præſcripta. Miniſtrent verò omninò parochianis, peſte infectis Sacramenta baptiſmi, & pœnitentiæ per alios, idque pro commoditate parochianorum, qui ſani eſſent, quique veriſimiliter converſari nollent cum parochis ad peſte infectos euntibus*. Sanctiſſimus die 18. Decembris ejuſdem anni dixit: *decretum factum in parochis, multò magis debere procedere in Epiſcopis, qui magis obligati ſunt. Poſſe tamen Epiſcopos in locis tutioribus manere, & inde providere*.

Idem conceſſum Epiſcopis propter aeris intemperiem, 45
& damnatorum, relegatorumque incurſiones atque impetum, ut ex ſubjectis declarationibus. In Marſicana 1591. Epiſcopus Murſicanus cùm propter baunitorum incurſiones tutò in Civitate habere non poſſet, contulit ſe ad oppidum Celani intra diœceſim ſitum, ubi

ubi moram traxit per aliquot menſes. Interim caſus evenit, quod Canonici quidam Cathedralis Eccleſiæ propter certum crimen citati fuerunt ad comparendum coram Epiſcopo in dicto oppido Celani. Qui cùm reſpondiſſent, quod non tenebantur comparere extra Civitatem, recurſum habuerunt ad Sac. Congregationem ſuper Epiſcopos, quæ tenuit pro Epiſcopo, cùm ſit in caſu, quo ſe recepit in opidum prædictum, non ut ibi perpetuò, vel ad longum tempus permaneat, ſed ut tutior ſit ab invaſionibus bannitorum ex *cap. Cùm Epiſcopus de offic. ordin. in 6.* & ibi Gemin. *num.* 2. Franch. *not.* 1. Butr. *num.* 2. Archid. *col.* 2. Anchar. *not.* 2. & alii apud Bertachinum, qui hanc opinionem firmat *in d. tract. de Epiſcop. lib.* 4. *p.* 5. *n.* 45. Abb. *in c. nonnulli n.* 2. *de reſcript.* ibique Felin. *in princip.* Caputaq. *dec.* 306. *par.* 1. Seraphin. *dec.* 4. *ad med. p.* 2. Unde non privatur facultatibus ſibi a jure conceſſis, neque incurrit pœnas non reſidentis Epiſcopus, ſi reſideat propè dioceſim in loco non diſtanti ultra unum miliare, cum nullum præjudicium officio, & animarum neceſſitatibus inferatur, parum enim diſtans, moraliter eſt præſens, *l. pro locis*, *l. mediterranea*, *C. de an.* & *trib. lib.* 10. Garz. *p.* 3. *c.* 2. *n.* 179. ubi refert declarationes S. Congregationis, quæ, licèt loquantur de Parocho, multò tamen magis procedunt in Epiſcopo, cùm ipſius ſervitium non ſit tam frequens, & immediatum curæ animarum.

46 Eadem Sac. Congregatio ſuper Epiſcopis in una Tarracinenſi 18. Decembris 1601. cenſuit, Epiſcopum admitti non debere ad permutandum propter aeris intemperiem, dum in dioceſi adeſt aliquis locus puri aeris. Poteſt enim reſidere in qualibet parte ſuæ dioceſis, modò vadat ad Cathedralem temporibus præſcriptis a Sac. Concilio ea *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. Nec removeat Vicarium, & tribunal a Civitate, ut declaravit in Burgnatenſi 28. Januarii 1603. & 22. Februarii 1647. & 7. Julii 1649. & Montiſalti 3. Octobris 1611.

47 Et in S. Congregatione rerum Conſiſtorialium propoſito dubio, an eſſet admittenda ceſſio Eccleſiæ Balneoregenſis, quam in manibus Sanctiſſimi facere intendit Carolus Azzolinus, illius Epiſcopus, eo quod cœlum tàm Civitatis, quàm dioceſis Balneoregenſis, ut teſtes deponunt, adeò ſibi grave, & ſui corporis conditioni contrarium ſit, ut morbum penè exitialem, nulla remedia ex illa aeris intemperie admittentem, hactenus paſſus, nuper ab alio cœlo valetudini redditus: ad ſuam Eccleſiam redire, niſi cum certo periculo, non poteſt? die 11. Julii 1652. S. Congregatio cenſuit; Si Sanctiſſimus annuat, ceſſionem eſſe admittendam, ſecus ſi in dioceſi locum aliquem habeat bonis aeris. Quia Epiſcopus in qualibet parte dioceſis reſidere poteſt.

48 Quare S. Congregatio Concilii die 28. Martii 1615. reſpondit licere Epiſcopo Feretrano reſidere in Abbatia S. Anaſtaſii, ſita in medio ſuæ dioceſis, ibique tribunal habere, dum tamen a Cathedrali non abſit temporibus a Concilio præſcriptis.

49 At quod dicitur de tribunali eſt caſus particularis, quia regulariter Epiſcopus non debet removere Vicarium, & tribunal a Civitate, licèt ipſe alibi in dioceſi reſideat, de qua re nos alibi. Eademque Sac. Congregatio die 3. Septembris 1622. in Caſſanenſi cenſuit, Epiſcopum, ſi non accedat ad Cathedralem temporibus a Concilio præſcriptis, licèt malè faciat, non tamen incidere in privationem fructuum impoſitam a Concilio contra non reſidentes.

50 Quod autem ad Parochos præter ſuperiùs dicta, addendum monet Fagnan. *in cap. non liceat de præb. a n.* 41. eos contumaces non ideò ſtatim privandos eſſe, ſed præmiſſo edicto, ſeu monitione, contra illos procedendum, prout Concilium mandat *d. ſeſſ.* 23. *cap.* 1. nempè prius per cenſuras, ſecundò, per ſequeſtrationem, & ſubtractionem fructuum, deinde ſi hæc remedia non proſunt, poſſe per privationem. Sed agendum prius bonis verbis, & piis cohortationibus, & admonitionibus. Amplius quia Theologi aliqui diſſentiunt, ut Tabiena, Armilla, & Canoniſtæ etiam *in cap. fin. de Cler. non reſid.* & Barbat. *conſ.* 87. *num.* 2. dum dicunt, ſi Parochi excuſantur propter inimicitias capitales, ita etiam excuſari debent propter peſtem & quia ſani fugerent Parochos, & quia Parochi omnes morerentur, ideò cenſuere omnes ab Archiepiſcopo Cardinali Mediolanenſi, qui tunc temporis erat D. Carolus, temperamentum aliquod adhibendum ex ſua prudentia, vel, ut non omnes Parochos cogeret, ſed aliquos partiendo opus, vel deputaret aliquos Sacerdotes etiam non parochos, voluntarios tamen, etiam mercede conſtituta, qui Sacramenta præſtent ægrotis, prout aliàs Romæ, dicitur factum, & prout Cardinalis Senonienſis teſtatus eſt inoleviſſe laudabilem conſuetudinem, ut Principes, Magiſtratus, & Civitates provideant de miniſtris Sacramentorum ex Clero, etiam conducendos eos mercede ex fiſco, & ærario, collectis etiam a Clero exactis.

Cur autem Parochi, atque etiam Epiſcopi excuſentur 51
a reſidentia propter inimicitias, & non propter peſtem, cùm hi duo caſus a pari procedere videantur, nam utrobique ſubeſt æquale periculum mortis. Unde *in cap. ad ſupplicationem de renunc.* abſolvitur a vinculo Eccleſiæ Archiepiſc. Raguſienſis eo, quod ibi non poterat ſecurè morari, & ſi acceſſum haberet ad illam, mortis ſibi periculum immineret. Ubi Gloſſa exponens verba illa non poterat ſecurè morari, forſitan, inquit, propter intemperiem aeris, vel quia habebat capitales inimicos. Similiter *in Clem. ne in agro*, *§. Cæterum de ſtat. Monach.* ſtatuitur, ut Priores tàm Conventuales, quàm curam animarum habentes teneantur in ſuis prioratibus reſidere, niſi ſtudiorum, vel alia cauſa rationabili ad tempus fortè ab hujuſmodi reſidentia excuſentur. Ubi etiam Gloſſa exponit cauſam rationabilem, ideſt propter infirmitatem, aeris intemperiem, capitales inimicitias, & ſimilia. Atque ita Gloſſa, & Doctores hic æquiparant caſum inimicitiarum, & peſtis. Unde licere beneficiato a reſidentia abſcedere propter peſtem, ſicut propter inimicitias opinati ſunt multi ex Theologis, & plerique ex Canoniſtis relatis a Fagnano *in d. c. non liceat n.* 35. & 41 & præter eos Holt. *in ſum. in tit. de præb.* & *dignit. §. fin.*

Solutio patet ex verbis textus *in can. adverſitas*, *§. hoc* 52
tunc ſervandum 7. quæſt. 1. videlicet, cum Paſtor ſpecialiter quæritur, fugiat exemplo Chriſti, qui a facie Herodis fugit in Ægyptum, fugiat exemplo Pauli, qui a fratribus per murum ſubmiſſus eſt in ſporta. Unde Auguſtinus ait: *Fugiat miniſter Chriſti ſicut ipſe Chriſtus in Ægyptum. Fugiat & qui ſpecialiter quæritur, dum per alios firma eſt Eccleſiæ ſalus.* Hinc etiam ait Dominus diſcipulis. *Si vos perſequuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.* Hinc etiam idem abſcondit ſe, & exivit de templo, quando Judæi lapides tulerunt, ut jacerent in eum. Cum verò non Prælato tantùm, ſed generaliter periculum omnibus imminet, & animarum ſalus ſalva eſſe non poteſt, debet Prælatus animam ſuam ponere pro ovibus ſuis. Hæc ibi, & hanc diſtinctionem in materia inimicitiarum, & perſequutionis extrinſecæ ponunt Innocentius, Hoſtienſis, Joannes Andreas, Butrius, Cardinalis, & omnes *in cap. niſi cum pridem*, *§. propter malitiam. de renunc.* & D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 185. *art.* 5.

Itaque propterea Parochus poteſt fugere a perſequu- 53
toribus, & inimicis, quia non deſunt alii a periculo immunes, & per quos animarum ſalus tuta eſſe poſſit. At non poteſt fugere a loco peſtilenti, quia cùm periculum omnibus ſit commune, nec ſint alii, qui tutò poſſint gregi aſſiſtere, non illi, ad quos non pertinet de ovibus, ſed Paſtor ipſe pro ovibus ſuis debet animam ſuam ponere, *can. tres perſonas* 23. *qu.* 4. id eſt mortem ſubire, ut ſentit D. Thomas loco citato, quem ita explicat Sotus *lib.* 10. *de juſt. quæſt.* 3. *art.* 4. ſicut verus, & optimus Paſtor illam poſuit, & factus eſt obediens uſque ad mortem, & ita exemplum dedit Sacerdotibus ſuis, ut quemadmodum ipſe fecit & ita ipſi facerent, *in cap. ſignificaſti*, *de elect.* Fagnanus loco citato *num.* 48. *& ſeqq.*

CONSULTATIO XVIII.

An poſſint erigi in eadem Civitate, aliove loco plures Confraternitates laicorum cum eiſdem functionibus, habitu, & invocatione, illæque aggregari Archiconfraternitatibus Urbis?

REſpondeo, non poſſe. Conſtat ex Conſtitutione Cle- 1
mentis VIII. ſuper reformatione Indulgentiarum, & aggregationum ejuſmodi Confraternitatum edita ſub die 7. Decembris 1604. Etenim cum in Confraternitatibus toto Chriſtiano Orbe erectis ratione privilegiorum, facultatum, & Indulgentiarum illis ab Apoſtolica Sede conceſſarum, nonnulli exorti eſſent abuſus, tum ob plurium, quàm neceſſe ſit ad animarum ſalutem dictarum Confraternitatum erectionem graves lites, diſcordiæ, maximèque interdum orirentur controverſiæ, vel inter ipſas, & animarum Paſtores, vel inter ipſos Confratres, aut inter ipſas Confraternitates, quæ adeò acerrimè invicem aliquando conflictantur, ut Ordinarii locorum non leves curas injiciant, eorumque trib nalia frequenter exerceant, quidvis aliud potius, quàm pietatem, ad quam adſcriptæ fuerant, ſectantes, boni Paſtoris partes erunt in ſcandala, quæ ab hujuſmodi diſcordiis, ac litibus provenire ſolent, animadvertere, ac illis opportunum remedium

adhibere juxta *can. hi quoſcunque* 1. *q.* 1. & Concilium Tridentinum *in decret. de obſ. & evit. in celebr. miſſ. ſeſſ.* 22.

2 Propterea motus fuit Pontifex ad minuendum tot ſodalitatum aggregationes, & ad ſtatuendum, ut una tantùm Confraternitas legitimè erecta cuilibet Archiconfraternitati, ſeu Congregationi, aggregandi facultatem habenti in ſingulis civitatibus, oppidis, vel locis aggregari poſſit. Ex hac igitur Conſtitutione aggregatio fieri non poteſt Confraternitatis diverſis nominis, & inſtituti, ut per Ricciul. *lucub. Eccleſ. lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 1. & *ſeqq.* Paſqualig. ad Lauret. *p.* 1. *num.* 3. Præter verò præfatas cauſas pluralitas ejuſdem nominis inducit obſcuritatem, *l. duo ſunt Titii ff. de teſtam. tut. l. ſi fuerit in princ. ff. de reb. dub.* Jaſ. *in l. quoties n.* 7. *ff. de verb. oblig.* Nec licet amplius, quàm unum collegium licitum habere, *l.* 1. *§. non licet, ff. de colleg. illic. & l. hac parte.* Ubi etiam Gloſs. & Bart. *Cod. de Proc. ſac. ſcrin. lib.* 12. Non enim parum animæ ſuæ ſaluti conſuluit, qui ſtatuta, & Regulas unius Archiconfraternitatis ſervat. Præterea rectè ordinatum eſt, quod in pluribus Eccleſiis neminem conſcribi oporteat, *can.* 1. 2. & 3. 21. *q.* 1. Concil. Trid. *cap.* 12. *de ref. ſeſſ.* 24. Facitque textus *in l. is quidem, C. qui vel poſſ. vel non poſſ. lib.* 12. Et in ſpecie Confraternitatum ejuſdem nominis, ac inſtituti in eodem loco tradunt Leo *in theſaur. for. Eccl. p.* 4. *c.* 3. *n.* 16. & *ſeq.* Pax Jordan. *tom.* 2. *lib.* 7. *tit.* 11. *numer.* 6. Lezan. *in ſum. cap.* 18. *n.* 88. Bordon. *tom.* 2. *reſol.* 72. Pelliz. *in man. tom.* 2. *tr.* 8. *cap.* 5. *ſect.* 6. *num.* 264. & Capyc. Latr. *dec.* 169. *num.* 43. & *ſeqq.* confuſionem pariunt, æmulationem, & ſcandala, ideòque permitti non debent, ut teſtantur Doctores citati, ac præcipuè Capyc. *loc. cit. n.* 49.

3 Hinc eſt, quod ſi in aliqua Eccleſia reperitur altare cum imagine devota, non poteſt, neque debet aliud altare cum eadem imagine, vel invocatione erigi, Genuenſ. *in prax. cap.* 100. *n.* 8. Et erectio novorum Conventuum, vel monaſteriorum propè alia intra certum ſpatium prohibita eſt per Conſtitutiones Apoſtolicas, ut latè dixit Rota in Januen. privilegiorum 28. Junii 1649. coram Cardinali Corrado. Prout eum, qui prævenit in ſe dominando de aliqua familia habere jus prohibendi alterum poſteriorem in eadem Civitate poſt Chaſſan. *in cathal. num.* 1. *conſid.* 1. *concl.* 21. firmavit Rota coram Caval. *dec.* 549. *num.* 2. Et quod una Eccleſia, vel univerſitas poſſit alteri prohibere aſſumptionem novi nominis ſibi præjudicialem dixit etiam Rota in Ampurienſi denominationis Canonicorum 20. Aprilis 1646. coram Meltio. Ideòque poſſet id rationabiliter prætendi etiam circumſcripta Conſtitutione Clementis VIII. multòque magis ea concurrente, per quam certum eſt, tolli Ordinariis locorum facultatem aliter faciendi ob clauſulam ſublatam, §. 13. ob quam Ordinariis, vel Delegatis etiam Cardinalibus, & Legatis contrarium facientibus facultas adimitur.

4 Atque ita pluries cenſuit, ac declaravit S. Rituum Congregatio, nominatim ſub die 23. Maji 1639. Eminentiſſimo D. Card. Cæſarino referente petitionem Confraternitatis Sanctiſſimi Roſarii, erectæ prius in loco contra alteram Confraternitatem ſub eadem invocatione de novo aggregatam, S. Congregatio mandavit, ſervari Bullam Clementis VIII.

5 Die 19. Novembris 1639. proponente eodem Eminentiſſimo Cæſarino differentiam jam deciſam inter duas Confraternitates ſub eadem invocatione Sanctiſſimi Roſarii in eodem loco, S. Congregatio ſtetit in decretis.

6 In Forolivienſi, *referente Eminentiſſimo Cæſarino controverſiam diu agitatam inter Regulares S. Franciſci de Obſervantia, & Regulares S. Franciſci Conventuales circa titulum Confraternitatis Sanctiſſimæ Conceptionis, S. Rituum Congregatio reſpondit, Confraternitatem erectam in Eccleſia fratrum Conventualium ſub eadem invocatione, quæ jam prius erat aſſumpta a Fratribus de Obſervantia, eſſe ſupprimendam, die ultima Martii* 1640.

7 In Caſſanenſi. *Eminentiſſimo Cæſarino referente controverſiam Confraternitatis Sanctiſſimi Roſarii loci Morani cum alia Confraternitate ſub eadem invocatione, S. Rituum Congregatio mandavit, dari decretum factum in his terminis pro Civitate Forolivienſi, & Novarienſi die* 17. *Julii* 1640.

8 In Eugubina. *Orta differentia inter Societatem S. Bernardini de Suffragio nuncupatam, & Societatem S. Marci de Suffragio, S. Rituum Congregatio ad relationem Eminentiſſimi Cæſarini reſpondit Societatem S. Bernardini, utpotè ſecundo loco erectam contra formam Bullæ Clementis VIII. eſſe ſupprimendam, & pro ſuppreſſa habendam, declaravit die* 23. *Martii* 1641.

9 In Albiganenſi. *Fratres diſcalceati S. Auguſtini conqueſti ſunt de moderno Præpoſito loci* Nitræ, *prætendente erigere in eodem loco Confraternitatem ſub invocatione Mortis, jam legitimè erectam in Eccleſia oratorum, ſupplicatur prohiberi. Et S. Congregatio Rituum cenſuit, prohibendam, & ſervandam Bullam Clementis VIII. die* 11. *Novembris* 1641.

10 In Caſalenſi. *Fratres Servitæ S. Sebaſtiani de Montillio ad augendum modum orandi, inſtituere curarunt in ſua Eccleſia Confraternitatem Sanctiſſimi Roſarii ſub invocatione S. Mariæ Virginis, cujus devotionem ab antiquo tempore exercuerunt. Verum quia cum poſtea Præpoſitus dicti loci ſimilem ſodalitatem Sanctiſſimi Roſarii in Eccleſia S. Mariæ Virginis, cujus eſt Rector, a Vicario generali S. Dominici erigere obtinuiſſet, ſe ſe oppoſuerunt fratres Servitæ in vim Conſtitutionis Clementis VIII. de unica tantùm Confraternitate ejuſdem nominis, & inſtituti in ſingula quaque Civitate, vel oppido erigenda vel aggreganda, ut inſtiterunt coram Ordinario, quod cum ſimilis Confraternitas prius inſtituta fuerit in Eccleſia ſui Conventus per eoſdem retinendam eſſe poſſeſſionem pronunciaret, ſed cum Vicarius decreverit, Præpoſitum præfatum manutenendum fore, & eſſe in poſſeſſione, ſeu quaſi Inſtituti Sanctiſſimi Roſarii in dicta ſua Eccleſia erecti, fuit per fratres Servitas recurſus habitus ad S. Rituum Congregationem, quæ utraque parte pluries informante mandavit, fratres eſſe manutenendos in caſu, de quo agitur, die* 12. *Januarii* 1647.

11 Præter declarationes relatas extat quoque ſententia data per Auditorem Cameræ Apoſtolicæ, ſive R. P. D. Melchiorium, ejus in Civilibus Locumtenentem ſub die 13. Juliii 1654. in cauſa Barenſi Confraternitatis S. Antonii de Padua ad favorem fratrum Minorum Conventualium S. Franciſci contra fratres Minores de Obſervantia de & ſuper revocatione ac ſuppreſſione Societatis ſub eodem nomine S. Antonii ſecundo loco inſtitutæ in Eccleſia eorundem fratrum Minorum de Obſervantia poſtquam fuerat eadem Societas primo loco erecta in Eccleſia prædictorum fratrum Minorum Conventualium per acta Joannis Baptiſtæ Floridi, cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ notariis, quæ eſt tenoris ſequentis: *In Chriſti nomine, &c. Dicimus, &c. & diffinitivè ſententiamus, benè fuiſſe ac eſſe appellatum per dictos R. fratres Conventuales ab erectione, & inſtitutione dictæ Societatis S. Antonii facta in dicta Eccleſia Minorum de Obſervantia, etiam cum licentia, & authoritate Reveren. Archiepiſcopi, necnon ab illius, ſeu ejus Vicarii ſententia, & decretis quibuſcunque, malè, nulliter, & indebitè fuiſſe eandem Societatem erectam, & inſtitutam in eadem Eccleſia Minorum de Obſervantia, poſtquam antecedenter Societas ſub invocatione S. Antonii de Padua reperiebatur erecta, & inſtituta, etiam ſine ſaccis, authoritate tamen Ordinarii, in Eccleſia dictorum Conventualium. Et propterea eandem Societatem, ſeu Confraternitatem erectam, & inſtitutam in eadem Eccleſia Minorum de Obſervantia etiam cum ſaccis, & dictam ſententiam revocandam, & annullandam, abolendam, caſſandam, circumſcribendam, & irritandam cum omnibus inde ſequutis fore, & eſſe prout revocamus, annullamus, abolemus, &c. ac eiſdem fratribus, & reſpectivè Confratribus non licuiſſe, neque licere actus quoſcunque ejuſdem Confraternitatis tàm in Eccleſia, quàm extra eam ſacco, & ſine, ac quocunque modo exercere declaramus, Bullamque Jan. memor. Clementis VIII. incipientem*, quæcunque, &c. *editam an.* 1604. *obſervandam fore, & eſſe, ac exequendam, prout obſervari, ac exequi mandamus omni, &c. victoſque victoribus, &c.*

12 Id tamen non intelligi de Confraternitatibus Sanctiſſimi Sacramenti, & doctrinæ Chriſtianæ, quæ deberent eſſe in qualibet parochia, declaravit S. Congregatio ſuper Epiſcopis, & Regularibus in Vercellenſi 3. Februarii 1610. qua de re extant etiam literæ Sac. Congregationis Indulgentiarum ſcriptæ Vicario capitulari Piſarum in hunc tenorem: *Molto Rev. Signore. Havendo riſolto queſti miei Signori Illuſtriſſimi della Congregazione dell' Indulgenze con ordine, e autorità particolare havuta* vivæ vocis oraculo *dalla Santità di N. S. di levare alcune difficoltà, che ſi trovano nell' eſeguire la Conſtituzione di Clemente VIII. ec. permettono ancora, che ritrovandoſi diverſe Confraterie di ſecolari antiche, erette canonicamente, come ſopra in Chieſe regolari collegiate di dodeci Religioſi almeno, ſi poſſano confermare, ſervata però in tutto il reſto la forma della medeſima Conſtituzione. Ma nell' inſtituire nuove Confraternite vogliono le Signorie loro Illuſtriſſime, che una ſola ſe ne poſſa fare in qualunque Città, Terra, o luogo eccettuando la Compagnia del Santiſſimo Sacramento', la quale concedono, anzi deſiderano, che ſii eretta in ogni Chieſa parocchiale.*

Et

13 Et sanè Romulus in Curias, & fratrias, ac tribus populum Romanum divisit, ut ait Dionys. Halicarn. *lib.* 1. postea Numa Pompilius, sicut ait Plutarchius, ut differentiam populi pluribus odiosam tolleret, qua alii dicebantur Romani, alii Quirites, alii Tatii, alii Romulei, alii Sabini, &c. introduxit artium divisionem, ut tubicinum, artificum, architectorum, & quædam alia collegia, & sodalitates. Et redigens singulas artes in unum, singulis artibus collegium constituit, sodalitatem, conventum, & sacra unicuique generi propria. Meminit Plinius *lib.* 34. *cap.* 1. de tertio Numæ collegio fabrum ærarium, & *lib.* 35. *cap.* 12. septimum singulorum collegium a Numa constitutum ait. Florus verò eorundem, & Vimilium collegiorum Servium Tullium authorem facit. His accesserunt collegia alia religionis, augurum, pontificum, sacerdotum, tribunorum, & aliorum sacrificulorum, officiorum, & curiarum ac curialium, qui & fratores, & fratres dicti, item sacrorum sacramentales, de quibus lex Solonis refertur a Cajo jurisconsulto *in l.* 1. *de colleg. illic. lib.* 47. *ff. tit.* 22.

14 Titulum autem, ac prætextu Congregationum licitarum tum profanis, tum religiosis, atque sub specie pietatis plura, immò ingentia mala perpetrata fuerint olim, & hodie quoque committi videntur, quæ remedio egent. In collegiis, & confratriis artificum detectæ sæpè fraudes, Monopoliæ, commessationes vetitæ, conspirationes, ut etiam in aliis quibusdam locis religionis honore insignitis eadem apud ethnicos, & christianos detecta. Hinc conventicula, hæreses, dogmata perniciosa, clam disseminata.

15 Remedia tria. Primum, ut jam probata restituantur suæ naturæ pristinæ. Secundùm, ut si assequi id non possimus, tollantur penitus. Tertium, ne nova omninò temerè permittantur. Itaque cujusque collegii, vel sodalitatis, aut conventus, sive sit profanus, sive religiosus, institutio, & causa institutionis, legesque præscriptæ erunt perpendendæ, & abusus, qui succreverint, velut ex agro malæ herbæ, vel zizania convelli debent, si fieri potest. Quia bona non debent propter abutentium factum aboleri, ut ait D. Augustin. ad Puplic. *ep.* 154. & *in c.* 8. *de occid.*

16 Repurgandæ præsertim sodalitates a Conventiculis, quæ conjurandi habent occasionem vel in Principem, vel in Episcopum. Idipsum monet Concilium Chalced. *n.* 18. & Vvormac. *in can.* 74. & *can. si quis clericis* 23. & *can. conjurationum* 21. 11. *q.* 1. cujus verba relata digna sunt, ut nihil addi, vel detrahi oporteat: *Conjurationum, & conspirationum crimen, quod apud Græcos dicitur pharatria, publicis etiam legibus certum est inhiberi. Hoc multò magis in sancta Dei Ecclesia, ne fiat, convenit abdicari.* Eadem probat adjunctis pœnis Calixtus Papa, scribens Galliæ Episcopis *ep.* 2. *can. conspirationum* 22. *ead.* 11. *q.* 1. Concil. Tolet. *can. si Clerici ead. caus.* 11. *q.* 1. & apertiùs in Concilio Aurel. 3. *can.* 21. *relato in can. si qui Clericorum ead.* 11. *quæst.* 1. ubi superbia aliquorum, & malitia prætextu religionis, & cum magno Reipublicæ totius Christianæ detrimento exprimitur, & retunditur.

17 Hinc diligentiam, & curam a Principibus temporalibus impositum Rectoribus Provinciarum, & Præsidibus, ut malis hominibus purgare solicitè, eosque inquirant, & coerceant, legimus *in l.* 2. *§. fin. l. congruit* 53. *de offic. Præsid. lib.* 1. *ff. tit.* 18. & *novel.* 17. *c.* 2.

CONSULTATIO XIX.

An fratres novi Conventus Reformatorum S. Francisci, accedentes ad processiones publicas, aut privatas, separatim a fratribus antiqui Conventus S. Francisci de Observantia, & sub propria cruce respectu Conventuum aliorum Ordinum, debeant incedere in loco juxta antiquitatem Conventus fratrum de Observantia?

1 CEnseo respondendum, quod debeant incedere juxta antiquitatem proprii Conventus. Quia cùm adsit diversitas Conventus, & incedendo sub propria Cruce constituant etiam proprium corpus diversum a corpore alterius antiqui Conventus fratrum de observantia, habet locum Constitutio hac super re edita a Gregorio XIII. inter ejus Constitutiones 84. *§.* 3. ut quandocunque non probetur, aut non constet de quasi possessione præcedentiæ inter fratres Mendicantes, ii præcedant, qui sunt antiquiores in loco controversiæ. Pro cujus exequutione emanarunt literæ Sacrarum Congregationum Rituum, super Episcopos, & regulares, ac Sac. Concilii Tridentini confirmatæ ab Urbano VIII. in ejus Brevi, quod alibi adduxi.

2 Neque obstat, quod, ut ajunt, Ordo Reformatorum ex diplomate fan. mem. Clementis VIII. in hanc rem emisso, est idem cum Ordine fratrum de Observantia, & talis declaratur in eodem diplomate. Quia diploma nihil tale declarat, sed solùm dicit, Reformatos non novam, sed eandem Regulam, licèt purius, ac juxta literam, observare, quam observant fratres de Observantia. Quinimmò nominat hunc Ordinem, ut diversum ab Ordine fratrum de Observantia, sicuti patet, ibi: *dilectos filios professores Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de strictiori Observantia Reformatos nuncupatos*. Et infra: *quamque etiam fratres de familia nuncupati Ordinis Minorum de Observantia*.

Minus obstat, quòd idem diploma concedat huic Or- 3
dini Reformatorum omnia privilegia, etiam quoad præcedentiam, quæ competunt Ordini fratrum de Observantia. Tum ob verisimilem intentionis defectum, ex quo diploma emanavit solummodò ad tollendam calumniam, de qua agebatur, quod scilicet fratres Reformati non profiterentur regulam S. Francisci, ex quo vocabant superiores suos non Ministros, ut præcipitur in eadem Regula, sed Custodes; neque derogat dictæ Constitutioni generali Gregorii XIII. habenti derogatorias amplissimas, nec tanquam speciatim emanata ad favorem Reformatorum, de sui natura potest tollere antecedentem dispositionem generalem, cùm legem novam ita interpretari debeamus, ut ea, quoad minus fieri potest, corrigat, & non operetur ultra intentionem legislatoris ex traditis a Menoch. *lib.* 6. *præsumpt.* 38. *num.* 16. & a Rota *decis.* 126. *num.* 16. *par.* 6. *recent.* Præcipuè quando stant simul ambæ dispositiones, ut in hoc casu, in quo Reformati benè possunt esse subjecti Bullæ Gregorianæ, si recipiantur in loco, ubi non adsint fratres de familia, & nihilominus frui præcedentiis Observantium de Familia, si recipiantur in loco, ubi jam sunt, vel erant illi de Familia.

Et hinc fit, quod sicut Fratres de Familia, si novi 4
accessissent ad locum, præcedentiam dedissent proculdubio aliis Regularibus, ibi prius existentibus ex vigore Bullæ Gregorianæ, ita debent illa cedere Reformati. Quia isti in materia præcedentiæ non habent ex diplomate Clementis, ut præcedere debeant aliis Regularibus in loco antiquioribus, sed solùm quod frui solent, ac possunt. Si igitur fratres de Familia in loco non præcedunt aliis Regularibus, quia ibi non habent domum, & Reformati non succedunt in illorum domum, nec illos repræsentant, sequitur, quod non possint habere locum fratrum de Familia, sed tanquam Religiosi novi accedentes debeant habere ultimum locum juxta Bullam Gregorii; aliàs in præcedentia prætensa a Reformatis, noviter admissis in loco, ubi nulla est domus illorum de Familia, magis essent privilegiati, quàm fratres ipsi de Familia, ad quorum limites Clemens Summus Pontifex expressè præcedentiam indulsit. Et hæc certè non fuit mens Clementis juxta quam ejus diploma debemus interpretari, cùm concesserit Reformatis præcedentiam, quæ competeret fratribus de Familia, & non diversam, ac propriam pro ipsis Reformatis, qualis fuisset, si data esset absolutè supra alios Regulares antiquiores.

Corroboratur hic sensus diplomatis Clementis. Quia 5
illud procedit solùm in terminis, in quibus Reformati ingrediuntur loca, ubi jam adsunt fratres de Familia. Non enim aliter comprobari posset, quod reformati haberent locum fratribus de Familia competentem, & non providit casui, in quo Reformati de novo ac soli recipiuntur in aliquo loco, ubi non adest Familia, de qua nullum verbum in diplomate. Et propterea ipsum Clementis diploma non est trahendum ad hunc casum, in quo militat ratio diversa.

Tandem quia, quicquid sit quoad præcedentiam Ordi- 6
nis S. Francisci in Conciliis generalibus, in Capella Pontificia, & in hujusmodi actibus, quæ per Constitutionem Gregorianam *§.* 4. distinguitur a præcedentia particularium Conventuum cujusque loci in eorum processionibus, secus autem est quoad hanc præcedentiam, in qua idem Gregorius ad sedandum innumeros motus, qui hac de re excitabantur, advocatis ad se litibus omnibus coram quocunque Judice, & in quacunque instantia pendentibus, eisque extinctis, ac imposito super præmissis perpetuo silentio, statuit, ut in controversiis omnibus super hac re ortis, aut quæ oriri contigerint in futurum, servetur dicta regula, ut quandocunque non probetur, aut non constet de quasi possessione, ii præcedant, qui sunt antiquiores in loco controversiæ.

Pariter neque obstat assertum decretum in Salernitana 7
a S. Rituum Congregatione emissum. Tum quia fuit emissum non citata, neque audita parte, ac sub æquivoca-

tione, quod dictum diploma Clementis emanaverit ſuper hoc articulo, neque afficit hanc præcedentiam in ſpecie. Tum quia pugnat cum decreto ejuſdem S. Congregationis in caſu omninò ſimili fratrum Carmelitarum Congregationis Mantuanæ, qui profitentur non novam, ſed eandem Regulam, quam profitentur reliqui Carmelitæ, per quod declaratur, Carmelitas ipſius Congregationis Mantuanæ debere incedere in loco juxta antiquitatem proprii Conventus, non autem in loco juxta antiquitatem Conventus reliquorum Carmelitarum, quando incedunt ſeorſum, aut ſub propria Cruce. Tum etiam quia omnia a ſan. me. Innocentio X. in cauſa de Vivaros, præcedente decreto S. Rituum Congregationis, ac proponente Em. Card. Franciotto ſub die 13. Aprilis 1647. fuerunt revocata, & reducta ad terminos Bullæ Gregorianæ. Et præpterea contra illud hæc quoque conſiderantur.

8 Primum, quod implicitè concedit, ut Reformati poſſint erigere propriam Crucem, diverſam a Fratribus de Obſervantia, dum diſponit, ut debeant habere præcedentiam, etiamſi ſoli ſub propria Cruce incedant, quam tamen erectionem Crucis propriæ, illi non petebant, neque ipſis antea conceſſa fuerat, & aliàs non ipſis licebat ob conſuetudinem incedendi ſub Cruce Familiæ ſine ſpeciali licentia S. Congregationis, quæ non ſolet illam concedere, niſi cum conditione, ut ante alios ſolitos prius erigere Crucem incedant, ut habentem exempla Capuccinorum, Tertiariorum S. Franciſci, & Excalceatorum S. Auguſtini.

9 Secundum, quod mandat ita ubique obſervari debere. Quod induceret innovationem, & excitaret lites in omnibus locis, ubi Reformati talem præcedentiam non habent, & ubi antea obſervatum fuerat, ut ipſimet accedentes de novo cederent præcedentiam Religioſis antiquioribus, & ſic omnem ordinem, & pacem turbaret, attenta præſertim efficacia verbi *deberent*, quod importat neceſſitatem, cui præcepto fratres timoratæ conſcientiæ mirum eſt, quod ubique noluerint abſolutè obedire.

10 Tertium, quod dictum decretum adverſatur multis aliis decretis ejuſdem Sac. Congregationis, quæ paſſim conſuevit reſpondere in hac materia pro Conſtitutione Gregoriana, & ſignatè in his propriis terminis poſtmaturam cauſæ diſcuſſionem in Oriolenſi, & in aliis, quas mox adducam.

11 Quartum, quod Reformati eandem præcedentiam ſuper Regulares loci habere debeant, etiamſi ibidem non habeant Conventum, ſed accedant occaſione proceſſionum. Hæc enim exuperantia conceſſa fuit in Breve Urbani VIII. anno 1644. emanato in exequutionem decreti Congregationis particularis pro negotiis Ordinis S. Franciici. Idem dico ad ſententiam Ordinarii Salernitani, quæ ſolum nititur diplomati Clementis, & eſt reſtricta ad formam ejuſdem diplomatis.

12 Neque ſufficit, quod aliis in locis, in quibus adſunt fratres de Familia, illi fortè habeant præcedentiam ſuper alios Regulares. Quia id non poteſt contingere, niſi virtute poſſeſſionis, aut conſuetudinis, quæ de jure non extenditur de loco ad locum, vel ex vi prioritatis in loco, quæ pariter non extenditur e loco ad locum, & è Conventu ad Conventum. Et ſi in aliquibus locis Franciſcani præcedant, in aliis locis alii Regulares præcedunt Franciſcanis. Quippè continua atque interrupta poſſeſſio, aut conſuetudo præcedendi ſolùm in hac materia tollit omnem ſcrupulum tàm ex diſpoſitione dictę Conſtitutionis Gregorianæ, quod & tradit Gavant. *in man. Epiſcop. v. præcedentia n. 7.* Nicol. *in floſcul. eodem v. n.* 13. ibi: *generaliter qui ſunt in quaſi poſſeſſione præcedendi, præcedant, ubi vero de poſſeſſione non conſtat, præcedunt ii, qui ſunt anteriores in loco controverſiæ*, Salgradus, Campanilis, & alii, quos congerit Barboſ. *in collect. ad Concil. Seſſ. 25. cap. 13. n. 14. & ſeq. de Regular.* & declaravit Sac. Congregatio Epiſcop. & Regular. die 6. Octobris 1645. S. Congregatio, &c. cenſuit, ſervandas eſſe literas Gregorii XIII. & Urbani VIII. hac de re editas, itaut qui ſunt in poſſeſſione præcedentiæ præcedant, & ubi non conſtat de poſſeſſione, præcedant ii, qui ſunt anteriores in loco controverſiæ, ut refert Lantuſca *in theatro Regular. v. præcedentia nu.* 10. quam ex juris communis, diſpoſitione, quæ in hac materia totum defert conſuetudini, ac poſſeſſioni ad text. *in cap. Cum olim 6. de conſuet.* Rot. *dec. 964. num.* 1. coram Seraph. & *dec.* 121. *num.* 1. coram Ubaldo & *dec.* 70. *num.* 10. & *dec.* 729. *num.* 2. coram Gregor. XV. & latiſſimè *dec.* 419. *num.* 17. *tom.* 2. *p.* 9. *rec.* cum aliis *in dec.* 4. *n.* 35. coram Em. Cardinali Otthobono, & *dec.* 102. *n.* 17. & *ſeqq. p.* 10. *rec.*

Denique non obſtat, quod diſpoſitio præfatæ Conſti- 13
tutionis Gregorianæ videatur procedere inter Conventus diverſi Ordinis duntaxat, non autem ejuſdem Ordinis, cujus reſpectu cum impoſſibile ſit, quod idem Ordo ratione ingreſſus, aut incolatus in eadem Civitate dici poſſit antiquior, & acceptior, propterea quando agitur inter Conventus ejuſdem ordinis, remittendum eſt ad diſpoſitionem juris communis, ſecundum quam certum eſt, præcedentiam deberi ratione antiquitatis, ut notat communiter Doctores *in c. Cum certum de major. & obed.* & tradit Jaſ. *in l. cum quid in 2. lect. num. 36. ff. ſi cert. pet.* cum aliis per Rotam *dec. 868. n. 2.* coram Burratto, & *dec. 594. n. 2.* coram Cavalerio. Quod autem fratres minores de familia nuncupati, & ſtrictioris Obſervantiæ, ſeu Reformati ſint ejuſdem Ordinis, eſt extra dubium. Nam profitentur eandem Regulam, ſubſunt eidem Generali, & paſſim inter eoſdem datur promiſcuè tranſitus cum conſervatione antianitatis, ut teſtatur idem Lantuſca *v. Tranſitus*. Quod in jure certum eſt. Quia reformatio non tollit identitatem ejuſdem Ordinis, neque addit aliquam diverſitatem inter Ordinem reformatum, & non reformatum, ut ex doctrina Abb. *in cap. inter quatuor, de relig. domib.* tradit Scipio Lancellot. *in reſp. de præced.* apud Tamburin. *de jur. Abb. tom.* 1. *diſp.* 25. *q.* 1. *num.* 119. & Bordon. *in hiſtor. Tertii Ordinis cap.* 8. *num.* 71. Quare præcedere debent ſecundum antiquitatem Conventuum, ut in ſpecie declaravit S. Congregatio 3. Junii 1617. ex decreto relato a Lantuſca *d. v. præcedentia num.* 19. *in fin.* ibi: *alioquin in præcedentia ſervetur etiam inter ejuſdem ordinis fratres antianitas fundationis monaſterii cujuſcunque*. Ex quibus ſequeretur inconveniens, ut diverſi ejuſdem Ordinis Conventus, qui ſunt velut diverſa ejuſdem corporis membra, invicem ſeparentur. Quod præcipuè locum habet, ſi Conventus antiquior authoritate Apoſtolica conceſſus fuerit novis Regularibus. Quia tunc in eos transferuntur omnia jura, & privilegia ejuſdem Conventus, ut in terminis unius Eccleſiæ ad aliam translatæ decidit textus *in cap. Abbati in fin.* & ibi Gloſ. *de verb. ſinif.* Jo: Andr. *in cap. cum perſonæ*, ibique Anchar. *in 13. notab. de privil. in 6.* Rot. *dec.* 1149. *num.* 16. coram Seraph. cum aliis adductis a Fagnano *in cap. extirpandæ, §. qui verò numer.* 61. *de præb.* & in hac ſpecie admiſit Sacr. Rituum Congregatio, declarando præcedentiam deberi fratribus Minoribus ſtrictioris obſervantiæ ratione Conventuum eiſdem ceſſorum per fratres Minores Obſervantes, prout ex decreto die 17. Julii 1627. referente Cardinali Milino apud Tambur. *dict. diſp. 25. quæſt. 6. num.* 7.

Id, inquam, non obſtat. Quoniam aut agitur de pro- 14
ceſſione publica, in qua uterque Conventus incedit, & tunc non negat iis præcedentiam, ſi velint incedere ſub Cruce antiquioris Conventus, neque per alios Regulares ſeparantur a membris, vel a capite, ſin autem velint incedere ſub cruce propria, non ſeparantur per alios Regulares, ſed per ſeipſos. Aut agitur de proceſſione, in qua incedit ſolus Conventus Reformatorum, & tunc nulla fit membrorum ſeparatio. Neque dedecet, ut in iis ſervetur generalis Conſtitutio Gregoriana, ut quiſque procedat juxta proprietatem in loco controverſiæ, quemadmodum ſervatur in aliis omnibus Reformatis ſingularem fermè Religionum, quando volunt incedere ſeparatim ab antiquioris Ordinis Conventu, & ſub propria Cruce.

Quibus addimus, quod cum etiam Breve B. Pii V. am- 15
pliſſimum de præcedentia in favorem Ordinis Prædicatorum, ſupra reliquos omnes Ordines Mendicantium, recipiat interpretationem, ut procedat ſuper præcedentia in Conciliis generalibus, in Capella Pontificia, & in aliis hujuſmodi, non autem in proceſſionibus particularium Conventuum cujuſque loci, ut conſtat ex declaratione deſuper edita, & inſerta in dicto Brevi Urbani VIII. ut ſcilicet eo non obſtante, ſervari debeat Bulla Gregoriana, & attendi prioritas erectionis Conventus, in loco controverſię, profectò non debet videri grave fratribus Reformatis, ut detur eadem interpretatio illorum diplomati, quod præter ſubjectam materiam, ac præter omnem veriſimilem Pontificis intentionem attingit punctum præcedentię.

Decreta, quorum meminit ſunt hujuſmodi. *In Conſen-* 16
tina. Cùm in Oppido Terræ Montiſalti orta fuerit differentia præcedentiæ inter fratres Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula, qui ab annis hinc circiter nonaginta monaſterium in dicta Terra fundaverunt, & fratres Ordinis Carmelitarum, quia novem annis circa monaſterium in eadem Terra habuerunt, Sacr. Rituum Congregatio, ut aliàs, ita nunc juxta mentem S. D. N. Papæ declaravit in hoc caſu ſervandam eſſe Bullam Gregor. XIII. in qua cavetur

quod

quod illa Religio aliis præcedat, quæ prius in Civitate, ſeu loco, ubi accidit, fundavit, & habuit monaſterium. Et ita juxta dictæ Bullæ tenorem ſervandum eſſe in dicta Terra Montiſalti inter fratres Minimos S. Franciſci de Paula, & fratres Carmelitas cenſuit, ac declaravit die prima Martii 1614.

17 In Catanenſi. *Petente Epiſcopo Catanenſi ſibi præſcribi modum tenendi in controverſiis ſuper præcedentia, quæ ſæpè in ea Civitate, & diœceſi oriuntur inter fratres Conventuales S. Franciſci, & Fratres Reformatos ejuſdem Ordinis, S. Rituum Congregatio reſpondit, ſervandam eſſe Bullam Gregorii XIII. quæ incipit*, Expoſcit, *prout illam in caſu propoſito ſervari omninò mandavit die* 17. *Novembris* 1640.

18 In Oriolenſi. *Orta controverſia circa præcedentiam in proceſſionibus inter fratres Auguſtinianos ex una, & Regulares Recollectos S. Franciſci de Obſervantia ejuſdem Civitatis partibus ex altera, S. Rituum Congregatio, citatis ſæpius, & auditis utriuſque partis procuratoribus, utraque parte informante, cenſuit ad relationem Em. Card. Veroſpii, præcedentiam, & digniorem locum in proceſſionibus tàm publicis, quàm privatis competere, ac deberi Auguſtinianis ſupra Franciſcanos recollectos, & diſcalceatos juxta diſpoſitionem Bullæ Gregorii XIII. quæ incipit*, Expoſcit. *Et hoc ſive dicti Recollecti, & diſcalceati in prædictis proceſſionibus incedant conjunctim, ſive diviſim. Et ita impoſterum inter dictas partes in Civitate Oriolenſi obſervari mandavit. Quibus propterea in præmiſſis perpetuum ſilentium impoſuit die* 16. *April.* 1636. Quod fuit confirmatum Brevi Apoſtolico.

19 Idem quoque reſolvendum eſt inter fratres Minores Obſervantiæ S. Franciſci, & eoſdem fratres Reformatos ejuſdem Ordinis, ut cenſuit eadem S. Congregatio Rituum in Lucerina his verbis: *Quoad præcedentiam inter fratres Minores Obſervantiæ ex una, & Reformatos partibus ex alia, & ambos Ordines S. Franciſci in Civitate Luceriæ, S. Rituum Congregatio, audita quoque relatione Epiſcopi, declaravit, ſervandum eſſe decretum ejuſdem Sacræ Congregationis ſub die* 8. *Junii* 1658. *ſcilicet præcedentiam deberi fratribus Minoribus Obſervantiæ, uti antiquioribus in loco, hac die* 14. *Auguſti* 1666.

20 In Lucerina, *Fratres Minores Obſervantiæ S. Franciſci Civitatis Lucernæ, qui ceſſo fratribus Reformatis antiquiori Conventu S. Salvatoris, in alterum recentiori erectionis ſub nomine Pietatis ſe receperunt, iis præcedentiam controverti a dictis Reformatis expoſuerunt, ex quo his antiquior Conventus fuerit aſſignatus. At Eminentiſſimi Patres S. Rituum Congregationis, prælationem non ab antiquitate erectionis Conventus, ſed ab incolatu familiæ cujuſque Ordinis deſumendam eſſe juxta diſpoſitionem S. M. Greg. XIII. declararunt. Et propterea fratribus Minoribus Obſervantiæ, uti antiquioribus in loco controverſiæ, præcedentiam ſupra Reformatos Luceriæ deberi decreverunt die* 8. *Junii* 1658.

21 Porrò prælatio non deſumitur ad antiquitate erectionis Conventus, neque ab habitatione Conventus magis antiqui, ſed ab incolatu familiæ, in quo Regulares antiquiores ſunt, quemadmodum diſponitur tàm in dicta Conſtitutione Gregorii, quàm etiam in jure communi, mandante antiquiori in loco digniorem quoque locum tribuendum eſſe, *c. ſtatuimus*, ubi Gloſs. *v. nov. d.* 61. *l.* 1. *conſult. lib.* 12. *l. fin. C. Tyron. eod. lib.* Tob. Non. *conſ.* 71. *n.* 35. Rot. *dec.* 718. *n.* 1. *p.* 4. *diverſ.* & in Oppiden. proceſſionum 18. Maji 1646. coram Veroſpio, & in Albenganen. præcedentiæ 20. Junii 1653. coram Bichio, quæ eſt deciſio 320. *n.* 1. *p.* 11. *rec.* traditque Tambur. *d. diſp.* 25. *q.* 7. *n.* 5. & *q.* 8. *n.* 1. *in fine*, Novar. *in Lucern. Regular. v. præcedentia n.* 6. & Ricc. *in prax. p.* 2. *var. reſol.* 103. *n.* 1. Quæ prioritas debet attendi in hac materia, quamvis eſſet unius diei, horæ, puncti, momenti, ut firmant Ricc. *d. reſol.* 103. & Peyr. *in addit. ad Conſtit. Sixti IV. c.* 2. *n.* 27. *in fin.* & in hac ſpecie fuit etiam reſolutum a S. Rituum Congregatione in Militenſi 25. Septembris 1637. huncin modum. *Il Guardiano, e frati Oſſervanti del Convento di S. Maria delle Grazie nella Terra di cinque frondi diocceſi di Mileto fanno intendere, qualmente ſaranno da centocinquanta anni, che la Religione fondò in detta Terra un Convento diſtante un miglio ſotto l'invocazione di S. Filippo, e poi dentro la Terra un Oſpizio con la Chieſa ſotto il titolo di S. Maria delle Grazie, avvenne, che i Reformati ſi pigliarono il detto Convento di S. Filippo, e gli oratori ſi tirarono nel ſuddetto di S. Maria delle Grazie. E gli anni addietro ſotto preteſto di precedenza, la quale dal Veſcovo di Mileto fù deciſa a favore degli Oratori, mà fu rivocata dopo dal Veſcovo di Catanzaro, boggi ſi ricorre all' EE. VV. e ſi ſupplica vogliano riſolvere a chi ſpetta la precedenza. Sac. Rituum Congregatio ad relationem Em. Card. Sacchetti, cenſuit in caſu propoſito præcedentiam competere fratribus Minoribus de Obſervantia ſupra fratres Reformatos ejuſdem Ordinis die* 25. *Septembris* 1635.

Quando enim in aliquo loco Regulares ejuſdem Or- 22
nis ædificarunt duo monaſteria diverſis temporibus per primi ædificationem acquiſiverunt anterioritatem etiam pro ſecundo poſtea ædificato, cum in hac materia attendi debeat ipſorum ingreſſus, ut dictum eſt. Neque fratres Reformati ex quo ingreſſi ſunt in antiquum Conventum fratrum Obſervantiæ prætendere poſſunt acquiſiviſſe iſtorum privilegia, & præcedentiam. Quia, ut dixit Rota in Salernitana præcedentiæ inter Olivetanos, & Cœleſtinos coram Cavalerio *deciſ.* 588. *num.* 4. verum eſt, quod illi ingreſſi ſunt in monaſterium, ſed non in ipſorum privilegia.

Pariter neque ſubſiſtit, quod ab Urbano VIII. fuerit 23
declaratum, nullam præcedentiam competere fratribus Obſervantibus in Conventibus Reformatorum. Nam ejuſmodi Breve loquitur ſolùm de præcedentia inter ipſos Reformatos ibi: *Hinc eſt, quod nos fœlici dilectorum filiorum fratrum Ordinis S. Franciſci de Obſervantia Reformatorum nuncupati ſtatui quantum cum Domino poſſumus conſulere volentes motu proprio, &c. mandamus quod de cætero inter eoſdem fratres Minores S. Franciſci de Obſervantia Reformatos nuncupatos nulli illorum jus præcedendi, ſive honorationis loci competat. Datum Romæ &c. die* 23. *Auguſti* 1634. non verò de hoc caſu, in quo quæritur, an ſtante dimiſſione antiqui monaſterii, & translatione ad poſtea ædificatum fratres Obſervantes debeant adhuc præcedere, ſicuti præcedebant quando in antiquo monaſterio commorabantur, & prout præcedere debere fuit reſolutum a Sacris Congregationibus?

Et hanc concluſionem ſemper atque inconcuſsè te- 24
nuit Sac. Rituum Congregatio, & ſpeciatim ſub die 13. Junii 1617. inſtante Procuratore generali Ordinis Minorum Obſervantium fuit decretum, quod juxta Conſtitutionem Gregorii XIII. præcedentia competeret Ordini, qui prius in loco monaſterium habuit, & non tantùm illi monaſterio, ſed etiam cuilibet alii poſteriùs fundato, ejuſdem tamen Ordinis.

Alia duo decreta, producit Lantuſca *cit. v. præcedentia* 25
in quibus ad ſedendum prætenſiones ortas in Civitate Tuſculana ſuper jure præcedendi inter Capuccinos & Reformatos S. Franciſci, propoſito negotio in Sac. Rituum Congregatione, per quam facto verbo cum Sanctiſſimo, idem ordinavit, quod in Suburbanis, & territorio Romano ſervetur id, quod in ipſa Urbe ſervatur. Quod decretum emanavit 2. Martii 1613,

Simile decretum non reſtrictum in territorio Roma- 26
no, ſed ubique obſervandum refert Barboſ. *de poteſt. Epiſcop. alleg.* 78. *n.* 35. In Urbe enim Obſervantes præcedunt Reformatis, & tamen Reformati degunt in Conventu S. Franciſci ad Ripam, qui eſt antiquior Conventu Aracœlitano. Nam Aracœlitanus Obſervantium eſt erectus anno 1510. & alter Reformatorum 1229.

Verùm non eſt recedendum ab hactenus deductis, 27
quæ ſunt generalia, quibus addo aliud decretum emanatum ſub die 7. Auguſti 1655. referente Em. Card. Azolino, in quo declaratum fuit fratribus Obſervantibus Cataniæ, uti antiquioribus in loco, præcedentiam ſupra Reformatos deberi, idque ad limites Conſtitutionis Gregorii XIII. ſæpius relatæ.

CONSULTATIO XX.

An parochus Eccleſiæ non matricis, ſive non catedralis cogere poſſit parochos aliarum Eccleſiarum ad intereſſendum benedictioni fontis baptiſmalis ſabbato ſancto, & Pentecoſtis?

REſpondeo affirmativè, ſi vindicat ſibi jus in illis 1
Eccleſiis, & tunc obtinebit ſolùm quoad ea, quæ pro abit ſibi deberi præſcriptione, vel alio legitimo modo per textum *in c. dilectus, de capell. monach.* Hinc Sac. Congregatio ſuper Epiſcopis in Ariminenſi 6. Septembris 1625. declaravit parochum regularem debere juxta ſolitum accedere ad matricem, ibique aſſiſtere fontis benedictioni, & ex eo aquam accipere, projecta in ſacrarium illa, quam ipſe contra ſolitum benedixerat. Et Concilium Mediolanenſe 4. *de Sacram. baptiſm.* decernit, quod in Sabbato ſancto, & Pentecoſtis ad fontis benedictionem conveniant ii, qui de more ſolent, debentve. Quare ad hujuſmodi benedictionem convenire debent Rectores, & parochi omnes, qui aut ſupradictæ Eccleſiæ ſubjecti, aut eidem adſcripti, aut longa conſuetudine intereſſe ſoliti ſunt ex Leone IV. *homil. de cur. paſtor.*

& Concilio Moguntino *c.* 14. *c. in ſabbato de Conſecr. d.* 4. & Concilio V. Lateranenſi *ſeſſ.* 11. *conſtit.*.

CONSULTATIO XXI.

An & quatenus in alienatione bonorum Confraternitatis, vel Congregationis, vel Oratorii, vel hoſpitalis requirantur ſolemnitates, quæ de jure requiruntur in alienatione bonorum Eccleſiaſticorum?

1 COmmunis, & vera diſtinctio eſt, quod tunc in alienationibus hujuſmodi bonorum ſint adhibendæ ſolemnitates requiſitæ in alienationibus bonorum Eccleſiaſticorum, quando conſtat Confraternitatem, vel hoſpitale, &c. eſſe authoritate Epiſcopi conſtitutum, ac erectum, vel id evidenter colligatur ex certis ſignis, ex aſpectu ejuſdem hoſpitalis apparentibus, nempè quod ſit, in forma Eccleſiæ, habeant campanile cum campana, altare permanens, nomen alicujus Sancti, ſepulturas, ibique divina officia celebrentur, & ex aliis relatis a Felino *in c. de quarta n.* 12. *de reſcript.* Hoc enim caſu dicitur locus pius, Eccleſiaſticus, & religioſus, ut inquit Archid. *in can. Nemo de conſecr. d.* 1. Abb. *in cap. ſolitæ num.* 5. *de cenſib. in c. ad hæc num.* 2. *de relig. dom. & in cap. parentibus num.* 1. ubi etiam Decian. *num.* 2. *& 6. de privil.* latè Ga r. *de pia cauſ. concluſ.* 2. *n.* 1. *& ſeqq.* Joſeph. Ludovif. *dec. Peruſ.* 30. *n.* 6. *& ſeq. part.* 1. *& dec.* 90. *n.* 9. *& dec.* 93. *n.* 36. *&* 45. *par.* 2. Guttier. *can. quæſt. lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 18. *&* 29. Ricc. *in prax. for. Eccleſ. tit. de alien. rer. Eccl. reſol.* 39. *num.* 1. *& ſeqq. & d. prax. rer. quotid. reſol.* 143. *numer.* 1. *& ſeqq.* ac decidit Rot. *dec.* 725. *n.* 1. *& ſeqq. part.* 1. *diverſ. in nov.* ac cenſuit Sac. Congregatio ſuper Epiſcopis, referente Emin. Cajetano, quod ſcilicet in alienationibus prædictis ſint neceſſariæ ſolemnitates requiſitæ in alienatione bonorum Eccleſiaſticorum, & præſertim beneplacitum Apoſtolicum in re non levis momenti. Ita pro hoſpitali de diſciplina nuncupato, & Confraternitate S. Joannis Terræ Caprarolæ, diœceſis Civitatis Caſtellanæ ſub die 2. Auguſti 1641. & 30. Auguſti 1642. Ratio autem eſt, quia hujuſmodi bona ſunt Eccleſiaſtica, & proinde non poſſunt ſine ſolemnitatibus alienari.

2 Si verò non conſtat, Confraternitatem, hoſpitale, &c. eſſe fundatum authoritate Epiſcopi, nec minus colligitur ex præfatis ſignis tali authoritate fuiſſe conſtructum tunc neque religioſum, neque eccleſiaſticum, neque propriè locus pius dici poteſt, ſed profanus & laicalis; quamvis opera pia in illo exerceantur, ut poſt Baldum, Felinum, Panormitanum & alios, quos coacervavit Gabriel, ubi ſupra, & Maſcard. *de probat. concluſ.* 869. *n.* 1. *& ſeqq. lib.* 3. latiſſimè probat Valaſch. *conſult.* 105. *num.* 5. *& ſeqq.* Hier. Gabr. *conſ.* 193. *num.* 2. *volum.* 1. Cavalc. *dec.* 17. *num.* 70. *par.* 2. Joſeph. Ludov. *d. dec.* 90. *num.* 9. *part.* 2. ubi de magis communi ac veriori teſtatur Magon. *dec. Florent.* 61. *num.* 15. ac plenè Ricc. *d. reſol.* 37. *num.* 3. ac tenuit Rot. *inter recent. dec.* 30. *num.* 8. *par.* 2. & coram Ludoviſio dec. 4. n. 5.

3 In dubio autem Confraternitas, hoſpitale, &c. non præſumitur erectum authoritate Epiſcopi, ut probat Ricc. *in collect. dec. par.* 5. *collect.* 1886. *in princ.* ſed potius profanum, ut docet idem Ricc. *reſol. cit.* 35. *num.* 3. & fusè Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancel. gloſ.* 5. *§* 4. *num.* 24. ubi plures Doctores, ac Rotæ deciſiones congerit. Maximè quando inſtitutio ac deſtitutio Rectoris, & officialium confraternitatis, vel hoſpitalis ad laicos, non autem ad Epiſcopum pertinet, aliaque concurrunt, quæ laicalitatem oſtendunt, ut cenſuit Rot. *dec.* 574. *num.* 1. *div.* & comprobat Magon. *d. dec* 91. *num.* 15. & Ricc. ea *reſol.* 37. *num.* 5. ita quidem, ut non ſufficiat, ſi ibi adeſſet campanula, & altare portatile, ubi celebrantur miſſæ diebus feſtis. Quia iſta non faciunt locum religioſum, & ſacrum, ſed remanet privatus & profanus, ceu docet Guttier. *dict. cap.* 35. *num.* 20. & firmavit Rota *d. dec.* 574. Immò nec unicum ſignum ſatis eſſe, ſed plura ſimul concurrere debere poſt Abb. *in c. ult. nu.* 2. *de cenſib. in cap. inter dilectos num.* 8. *& ſeq. de donat.* Archid. *in d. can. nemo*, Felin. *in d. c. de quarta num.* 13. Butr. *in c. patentibus extr. de privileg.* & ibi etiam Decian. *num.* 4. fusè probat Maſcard. *d. concluſ.* 869. *num.* 2. *& ſeqq.* Adeò quod aſſerenti hoſpitale eſſe fundatum authoritate Epiſcopi, vel eſſe annexum Eccleſiæ, vel alia ſigna habere, ex quibus Eccleſiaſticum reddi poſſit, incumbit onus probandi, ut latè Jo: Franc. de Ponte *conſ.* 18. *n.* 5. & Rot. *dec.* 114. *n.* 11. *& ſeq. par.* 2. *diverſ.*

4 Et per conſequens bona hujuſmodi hoſpitalis, Confraternitatis &c. poſſunt liberè alienari abſque ullo beneplacito Apoſtolico, & ſine aliis ſolemnitatibus in Eccleſiaſticorum bonorum alienatione requiſitis, Bald. *in auth. hoc jus porrectum n.* 3. *& ſeq. C. de ſacroſ. Eccl.* Felin. *in d. c. de quarta n.* 6. *& ſeqq. de præſcript. & c.* 2. *n.* 1. *de for. compet.* Guttier. *d. c.* 35. n. 16. Ricc. *d. reſol.* 145. *num.* 4. ac teſtatur de veriori Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſc. p.* 3. *alleg.* 75. *n.* 32. *& ſeqq.* Bonac. *in tr. de alien. bonor. Eccleſ. p.* 2. *q. un. punct.* 2. *n.* 10. *& ſeq. & in tract. de feud. & emphyt. diſq.* 3. *part.* 8. *punct.* 4. *num.* 21.

Neque videtur efficere, quod alii hujuſmodi Confra- 5
ternitas, vel hoſpitale fuerit ab Epiſcopis viſitatum. Quia cum Epiſcopis, tanquam edis Apoſtolicæ delegatis ſit a Sac. Concilio Tridentino *ſeſſ.* 22. *de reform. c.* 8. *& 9.* conceſſa facultas viſitandi hoſpitalia, quantumvis laica, exigendi rationem ab adminiſtratoribus, corrigendi ac reformandi, & decreta tàm in viſitatione, quàm extra faciendi, confirmandi, & augendi, ut tenuit Rot. *d. dec.* 30. *p.* 2. *recent.* omnes actus & decreta, tanquam facta in vim dicti Sacri Concilii, nullam præſumptionem faciunt, quod hoſpitale ſit Eccleſiaſticum, & religioſum, dum etiam in profano, & laicali poſſint ea fieri, præſertim ſi appareat, quod omnes actus, ordinationes, &, decreta legantur facta poſt publicationem d. S. Concilii & non antea.

Minus officere videtur, ſi in hoſpitali pauperes hoſ- 6
pitentur, ac alia pietatis opera exerceantur, reddituſque illius in pios uſus expendantur. Quia dum non conſtat eſſe erectum authoritate Epiſcopi, neque ex aliquibus ſignis ſupra relatis apparet eſſe Eccleſiaſticum, & religioſum, non ſequitur, quod ex hujuſmodi piis operibus poſſit tale præſumi, cum etiam in hoſpitalibus laicis opera pia exerceantur, & redditus in pios uſus inſumantur, ut bene probat Felin. & *in d. cap. de quarta n.* 5. *in fin.* Cavalc. *d. dec.* 17. *n.* 70. *par.* 2. Ricc *de reſol.* 37. *n.* 3.

Unde non obeſt, quod nonnulla ex his operibus piis 7
videantur decreta ab Epiſcopis. Tum quia cum dicta opera pia fierent etiam ante decreta, dicendum eſt cum iis decretis ſolummodò approbaſſe opera, & erogationes præfatas, non autem nova diſpoſuiſſe. Alias enim nulliter decreviſſet juxta ea, quæ tradit Maſcard. *d. concluſ.* 869. *n.* 30. *& ſeqq.* Guttier. *d. c.* 35. *num.* 19. Tuſch *v. hoſpitale concl.* 160. *num.* 8. Tum quia ſtante authoritate Epiſcopi conceſſa a Sac. Concilio Trident. nedum viſitandi hoſpitalia laica, ſed etiam exigendi rationem ab adminiſtratoribus unà tamen cum illis deputatis, quibus ex conſuetudine ratio reddenda eſt, & ſuper bono illorum regimine decreta neceſſaria faciendi, ut latè agit Guttier. *dict. cap.* 35. *num.* 26. *& ſeqq* Valaſch. *d. conſult* 105. *num.* 55. non poteſt ex hujuſmodi decretis, & ordinationibus ab Epiſcopis emanatis, argui, quod hoſpitale ſit Eccleſiaſticum ac religioſum, quia poſſunt fieri etiam in hoſpitalibus laicis, & profanis, ut dictum eſt.

Pariter neque videtur officere, ſi hoſpitalis, vel Con- 8
fraternitati bona ſint exempta a ſolutione vectigalium, ac onerum, quæ ſolvuntur ab aliis laicis pro talis bonis, ac proinde videatur dicendum, quod ſit Eccleſiaſticum. Quia bona hoſpitalium, quantumvis laicorum, & Epiſcopi authoritate non erectorum, tanquam ad pios uſus deſtinata, ut ſunt immunia ab omnibus oneribus, & vectigalibus, ut poſt Felin. *in cit. c. de quarta n.* 13. latè oſtenait Valaſch. *d. conſult.* 105. *num.* 41. & Barboſ. *d. alleg.* 75. *n.* 35. Et propterea ex hujuſmodi immunitate nulla poteſt deduci conjectura, quod hoſpitale ſit Eccleſiaſticum.

Similiter neque officere videtur, ſi vel unica tantùm 9
vice in alienatione bonorum hoſpitalis fuerit obtentum beneplacitum Apoſtolicum, ac ſi fuiſſent bona Eccleſiaſtica. Tum quia ſtante immemoriali poſſeſſione Communitatis laicorum alienandi, ac liberè diſponendi de bonis hoſpitalis abſque ullo aſſenſu Apoſtolico, vel Epiſcopi, ex uno actu ac beneplacito obtento non ab ipſa Communitate, ſed a perſonis, quæ Communitati præjudicare non poterant, non poteſt reddi Eccleſiaſticum, & induci poſſeſſio, præſertim in præjudicium anterioris poſſeſſionis. Iſta enim recentior, quatenus ex unico actu induceretur, vitioſa & clandeſtina præſumitur, neque noceret antiquiori Communitatis, Affict. *dec.* 324. *num.* 8. & Rot. *dec.* 555. *num.* 1. *p.* 1. *recent.* Tum quia cùm non conſtet, hoſpitale eſſe erectum authoritate Epiſcopi, neque ex aliquo ſigno appareat eſſe Eccleſiaſticum, & per conſequens in alienatione bonorum illius, beneplacitum Apoſtolicum neceſſariò non requiratur, dictus actus beneplaciti unica vice obtenti, & adhibiti, debet dici voluntarius & facultativus, non autem neceſſarius, ideòque non poteſt nocere veræ laicalitati hoſpitalis, neque dici, quod ſemper hujuſmodi beneplacita requirantur juxta ea, quæ rectè ponderat Gratian. *diſcept.* 168. *n.* 8. *l.* 1. Quæ enim ad abundantiorem cautelam fuerunt adhibita, non

de-

debent contrarium operari, Seraph. *dec.* 201. *num.* 13. *p.* 1. Ultra quod ex hujusmodi actibus facultativis non inducitur consuetudo restrictiva liberæ facultatis, ut tenet Rota coram Gregorio XV. *dec.* 162. *num.* 10. ubi Add. *litt. C.* Neque ex hujusmodi actibus dicitur possessio manutenibilis, ut latè consulit Surd. *cons.* 127. *num.* 82. *& seqq.* Rot. *d. dec.* 555. *num.* 1. *p.* 1. *recent.* & Add. *ad dec.* 161. *& lit. C.* Prout neque minus obest reservatio dicti beneplaciti, cum semper intelligatur quatenus sit necessarium, & non aliàs, ut dixit Rota coram Seraph. *d.* 1027. *num.* 6. *& seqq & dec.* 1319. *num.* 2. *p.* 2. & inter *rec. dec.* 404. *num.* 6. *p.* 2.

10 Demum non sufficit, si hospitale quandoque solverit subsidium triremium, ac decimam Cameræ Apostolicæ. Quia non ex eo potest inferri, quod sit Ecclesiasticum, dum etiam hospitalia laica, & Episcopi authoritate non erecta, neque Ecclesiastica, pia tamen opera exercentia, hujusmodi onera solvere teneantur, ut latè probat Valasch. *d. consult.* 105. *numer.* 40. & relatis hinc inde contrariis resolvit Barbos. *d. alleg.* 75. *num.* 47. & Ricc. *d. resol.* 245. *num.* 6.

11 Ex quibus palam est, quod licèt hospitale possit appellari largo modo pium, ex eo quia ibi pietatis opera exercentur, ut dicebam, & præ cæteris consuluit Castr. *cons.* 167. *vol.* 2. & Rom. *cons.* 477. *num.* 2. non tamen potest dici religiosum & Ecclesiasticum, sed sæculare & profanum, ut fusè discurrit Gabr. *de pia caus. concl.* 1. *a num.* 1. Gonzal. *ad d. regul.* 8. *glos.* 5. *num.* 38. Gutier. *d. cap.* 35. *num.* 8. *& seq. num.* 15. *& 20.* aliisque *seqq.* ubi in fortioribus terminis loquitur & diffusè ac satis doctè Valasch. *d. consult.* 105. *num.* 5. *& seqq.* Cabed. *dec.* 51. *numer.* 4. *& seq.* facitque textus *in d. c. ad hæc, de relig. dom.* ac tenuit Rot. *d. dec.* 30. *numer.* 8. *part.* 2. *rec.*

12 Ac proinde in jure non est verum, quod gaudeat omnibus Ecclesiæ privilegiis. Quoniam jura & Doctores id asserentes loquuntur in hospitali, authoritate Episcopi constructo, ut post Felinum, Lambertinum, Parisium, Gabrielem, & Mascardum, ac alios firmat Ricc. *d. res.* 37. *num.* 1. Non autem quando non est erectum authoritate Episcopi. Quia tunc nullo gaudet privilegio Ecclesiæ, ut post Valasch. *d. consult.* 105. *num.* 5. *& seqq.* Joseph. Ludovic. *d. dec.* 30. *num.* 7. *in fine*, declarat Ricc. *d. resol.* 37. *concl.* 3.

13 Et quatenus admitteretur, aliquibus gaudere privilegiis, id debet intelligi locum habere in materia favorabili, & quoad immunitatem; quodve non solvat collectas, vectigalia, aliaque onera, quibus subjacent alia bona laicorum, quod quarta falcidia de relictis eidem hospitali non deducatur, quodque requiratur contra ipsum quadragenaria præscriptio, & quod gaudeat fori electione, ac hujusmodi alia, de quibus Barbos. *d. alleg.* 75. *numer.* 35. *& seqq.* Non autem in materia pœnalis dispositionis, neque quod in bonis hujusmodi hospitalis sint adhibendæ solemnitates, in Ecclesiasticis bonis requisitæ itaut eas non adhibentes, Ecclesiasticas censuras incurrant. Quia isto casu bona hujusmodi hospitalis authoritatè Episcopi non erecti, non æquiparantur bonis Ecclesiæ, ut benè distinguendo asserit Felin. *in alleg. cap. de quarta num.* 13. *sub initio*, & plenè defendit Novar. *in prax. elect. & var. for. sect.* 1. *quæst.* 41. *num.* 11.

CONSULTATIO XXII.

An protbonotarii extra numerum possint concionari cum amiculo brevi, possint mantelletta, & carbasina præsulari, vulgò rocchetto?

1 Affirmativè respondendum censeo. Extat enim decretum Sac. Rituum Congregationis in una Mazarensi tenoris sequentis: *Jacobus Altavilla a Sanctissimo D. N. prothonotarius extra numerum, turbatus a Vicario capitulari civitatis Mazarensis in delatione habitus prælatitii, nempè rocchetti cum mantelletto coloris violacei, nec non loco in Ecclesiis, & functionibus Ecclesiasticis, prothonotariis debito, supplicavit non prohiberi, & Sac. Congregatio Rituum censuit, prothonotarium extra numerum non posse prohiberi deferre habitum Prælatitium, nempè rocchettum, cum mantelletto coloris violacei, & in Ecclesiis, & functionibus Ecclesiasticis cum eodem habitu incedere, & sedere juxta dispositionem cæremonialis lib.* 1. *cap.* 13. *die* 28. *Septembris* 1630.

2 Atqui ex Glossa *in Clem.* 1. *§. Si verò, v. ad divina, de for. compet.* prædicatio verbi Dei nedum inter Ecclesiastica, sed inter divina connumeratur, comprobatque textus *in cap. interrogo* 94. *d.* ubi corpus Christi, & prædicatio verbi Dei æquiparantur, *& in c. inter cætera*, ubi sanctæ prædicationis officium, *de offic. ord.* ac firmavit Rot. in Ulysiponen. juris nominandi, vel eligendi concionatorem 16. Novembris 1663. coram Merlino *dec.* 618. *a num.* 1. In qua latè ex pluribus sacræ scripturæ testimoniis, Conciliorum decretis, summorumque Pontificum rescriptis, ac sanctorum Patrum, Theologorum, & Canonistarum sententiis ostenditur, prædicationis munus esse magnum ministerium, opus Evangelistæ, pabulum Christi fidelium, & similia, ut idcircò non videatur dubitandum, quin inter Ecclesiasticas functiones connumeretur.

Non refragatur decretum generale ejusdem S. Con- 3
gregationis jussu fel. rec. Urbani VIII. appositum in Missali, quo prohibetur usus rocchetti, exceptis iis, quibus de jure competit. Unde infertur, quod eo utentes ex privilegio, ut sunt prothonotarii titulares, non comprehendantur in dicta exceptione, sed magis in prohibitione. Quia cum versemur in materia, de qua nec jus canonicum, neque civile disponit, sed tantùm jus speciale, hoc est privilegium, quo usus rocchetti reperitur permissus, utique clausula illa *de jure* intelligi debet de jure competenti ex privilegio, ut perpulchrè docuit Abb. *in cap.* 1. *num.* 5. *ut lit. pend.* Dec. *in cap. ex parte in* 1. *notab. de rescript. & in cap. licet causam num.* 27. *de probat.* Gratian. *discept.* 99. *sub numer.* 8. Privilegium enim, & consuetudo dicuntur jus ex eodem Gratiano *num.* 11. Unde lex generalis subsequuta habens exceptionem, perneceſſe intellexit excipere illos, qui delationem rocchetti habent ex privilegio, ut ostendit Pellicion. *contr. illustr. quæst.* 2. *col.* 1. Maximè quia privilegium, postquam est concessum, dicitur esse de jure communi, & illo utens, jure videtur facere juxta textum *in l.* 1. *de const.* Eugen. *cons.* 86. *num.* 46. *lib.* 1. Valenz. *cons.* 71. *num.* 39. *lib.* 1.

Alioquin retento contrario sensu, neque etiam Sacræ 4
Rotæ Auditores, & Prothonotarii de numero participantium, Canonici Basilicarum Urbis, & Clerici Cameræ Apostolicæ possunt deferre rocchettum, cum nonnisi ex privilegio ipsis id competat, ut liquet ex concessione Innocentii X. & ex Constitutione 10. Leonis X. *par.* 1. *Bullar. §. Notarii autem.* Quod tamen dicendum non est, quia, ut jam diximus, privilegium postquam est in esse deductum, privilegiato dicitur res concessa de jure competere.

CONSULTATIO XXIII.

An Episcopus in processionibus possit incedere solus, quando cum pallio sine cappa, & pileo sacerdotali incedit, vel incedere debeat medius inter Dignitates?

Respondeo. Debet incedere solus. Huic resolutioni 1
consonat Concilio Carth. 4. *cap.* 35. textus *in can. Episcopus* 295. & Concilium Trid. *sess.* 23. *cap.* 6. *de reform.* quatenus disponunt, quod Episcopis ubique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par est; eisque in choro, in capitulo, in processionibus, aliisque actibus publicis sit prima sedes, & locus, quem ipsi elegerint. Hoc idem resolvit Sac. Rituum Congregatio die 30. Augusti 1602. & 20. ejusdem 1604. quæ censuit, assistentiam proprio Episcopo convenire, quando est paratus cum mithra, & tunc assistentes ei mithram ponere ac deponere debent. Quando igitur Episcopus non est paratus cum mithra, sed incedit cum pallio & pileo non debetur assistentia, & proindè potest incedere solus. Præcipuè quia aliàs Vicarius generalis non haberet locum supra dignitates. Quod est inconveniens.

Atque ita etiam censuit eadem S. Rituum Congrega- 2
tio in Savonensi sub die 20. Decembris 1628. nimirum: *Episcopus Savonensis supplicavit definiri.*

Primò, an ipse in publicis processionibus cum cappa, 3
& bireto incedere debeat solus, aut medius inter Dignitates? & S. Congregatio respondit, non inter Dignitates, sed solus incedere debet.

Secundò, an in processione, in qua defertur aliqua ima- 4
go, seu Reliquia ipse cum cappa, & bireto incedere debeat ante, vel post imaginem? Et S. Congregatio respondit, Episcopum post imaginem, seu Reliquiam incedere debere, nisi adsit consuetudo in contrarium.

Tertiò, quis locus competat ac debeatur Vicario gene- 5
rali in dictis processionibus, absente, vel præsente Episcopo? Et S. Congregatio respondit, Vicarium generalem in processionibus ultimo loco incedere debere inter Canonicos, seu Dignitates, dummodò non adsit consuetudo in contrarium.

At quid si adesset exemplum Metropolitani, vel dis- 6
positio Concilii provincialiis, vel consuetudo civitatis?

Ad primum censeo, exemplum Metropolitani non li- 7
gare Suffraganeos, cum ex sua voluntate forsan medius

incedat. Ex facto enim particulari aliquis non obligatur, neque de jure obligari potest. Legibus autem, non exemplis est judicandum, *l. nemo, C. de sent.* & non tàm spectandum est, quod Romæ factum est, quàm quod fieri debet, *l. sed licèt, ff. de offic. Præsid.* Eoque vel maximè quia exempla hujusmodi sunt contra ritus, & decreta jam adducta, & Metropolitani exemplum non coarctat voluntatem Suffraganei, minusque illi præjudicat, ne possit uti dispositione Conciliorum, & Canonum. Præterea si exemplis esset judicandum, non utique esset discedendum ab exemplo summi Metropolitani, ac Pontificis Maximi, qui in nocte Nativitatis Domini, & tribus diebus hebdomadæ majoris, quando incedit sine mithra ad matutinum semper incedit sine assistentia. Nam assistentia datur ad exercendum munera assistentium, scilicet ad ponendum ac deponendum mithram, quæ cum non adsit, neque assistentia adesse debet. Quod si Metropolitanus Provinciæ utitur alio ritu, debet corrigi, quia est abusus. Omnes enim Christi fideles debent Ecclesiæ Romanæ conformari.

8 Ad secundum censeo in materia sacrorum Rituum, non esse attendendam dispositionem Concilii provincialis. Si enim hujusmodi Concilia potestatem haberent ritus condendi, nunquam esset adeunda Sac. Rituum Congregatio, & cœremoniale Romanum pro sola Urbe esset editum. Solùm igitur obstaret consuetudo legitima, ut in decretis adductis.

CONSULTATIO XXIV.

Dignitates, & Canonici cujusdam Ecclesiæ collegiatæ deposuerunt apud Ecclesiam cathedralem quædam corpora Sanctorum, ubi religiosissimè fuerint servata. Cùm verò nunc petant depositum suæ Ecclesiæ restitui, quæritur, quibus competat delatio dictorum Sanctorum corporum in solemni processione translationis, an dignitatibus, & Canonicis Collegiatæ, an verò Dignitatibus, & Canonicis Cathedralis?

1 ET spectare ad Cathedralem existimo. Primò, quia Canonici Cathedralis sunt digniores in toto Clero. Qui autem dignior est, præcedere debet minus dignum, *arg. ex cap. præcipimus, d. 93.* & notat Felin. *in cap. Cùm olim num. 1. de offic. deleg.* Roman. *sing. 340.* Gratian. *discept. 288. num. 4.* Et proindè communiter concludunt *ex cap. Quamvis* 1. ibi: *propter ipsius honorem, de præb. in 6.* quod Ecclesia cathedralis debet præeminere omnibus, Decian. *resp. 50. numer. 3. vol. 4.* quia fulgeat radiis Episcopi, sicut Augusta radiis Imperatoris, *l. si augusta, ff. de leg. 2. & l. fœminæ, ff. de senat.* ac propterea præferendi in delatione sacrarum Reliquiarum, ut major honor Sanctis exhibeatur. Quia in præcedentia debet servari ordo dignitatis, *l. omnes, C. ut dignit. ord. serv.* & tradunt Glois. *§. alium, instit. de bonor. possess. & in l. quisquis, C. de postul. & in can. licet 2. dist. 45.* Lar. *de alim. num. 24. & in l. honor. §. gerendorum, ff. de mun. & honor.* Dec. *in l. cum quid num. 7. ff. si cert. pet.* Chassan. *in catal. glor. mundi p. 7. consid. 14. 26. 33. 38. & 40. & p. 9. consid. 1.* Rodriq. *tom. 3. quæst. regul. 37. articul. 2.* Campanil. *in diversi. jur. rubr. 12. cap. 12. num. 1. & seq.* Frecc. *de subfeud. lib. 2. v. quis dicatur Dux numer. 47.* & scribit Eugenius IV. ad Archiepiscopum Cantuariensem, cujus epistolam refert Diana *p. 5. tr. 2. res. 1.*

2 Secundò, cum debeat præcedere qui est major, & ille sit major, qui pluribus, & melioribus præest, *auth. de defens. civit. §. nos igitur*, debet Capitulum cathedralis præcedere Collegiatam. Quia illius Canonici sunt membra Episcopi nobiliora, & omnibus aliis præeminent, ut tradit Ant. de Pret. *in elyp. pastor. cap. 3. num. 9.* & sunt Clerici primi gradus, ut notant Gemin. *in can. Episcopus d. 17.* ibique Card. Felin. *in rubr. de major. & obed.* Menoch. *d. cons. 52. num. 84.* Innoc. *in cap. Sedis de rescrip. & in cap. fraternitatem in fin. de donat.* Abb. *in c. cùm non liceat not. 2. de præscrip.* Canonici verò Collegiatæ dicuntur Clerici secundi gradus. Et ob hanc rationem, quia Cardinales dicuntur fratres summi Pontificis, *c. fundamenta de elect. & cap. felicis, §. fin. de pœn. in 6.* & sequitur Menoch. *cons. 267. num. 25.* Paris. *lib. 3. de resign. quæst. 1. num. 71. & lib. 5. quæst. 6. numer. 9.* & quia sunt pars corporis Pontificis, ut observat Monach. *in c. ad succedendos num. 4. de schism.* Abb. *in cap. novit. de his, quæ fiunt a Præl.* & proindè sunt invisceratí summo Pontifici, Host. *in cap. antiqua num. 5. de privil.* Præpos. *in can. quanquam num. 13. 2. quæst. 7.* dicuntur habere identitatem cum ipso, Joan. Andr. *in cap. Raynutius num. 12. de testam.* Jacobat. *lib. 1. de Concil. num. 122.* Ideò præcedunt omnes Prælatos, etiam Patriarchas, etiamsi non sint cum summo Pontifice. Quia inter fratres non datur medius, neque inter membra, & caput fit separatio, ut advertit Menoch. *d. cons. 257. num. 25.* Homobon. *de stat. hom. vit. par. 1. cap. 7. §. sunt autem*, Dec. *in cap. ad præsentiam de appell.* citans Abbatem, Cardinalem, & Andream Siculum, traditque Chassan. *loc. cit. par. 4. consid. 20.*

Tertiò. Aliàs enim si deferantur a Canonicis Collegiatæ, alterum ex his absurdis sequeretur. Aut enim feretra sanctorum corporum non possent constitui in fine processionis, ut decet, cum ille locus sit dignior, aut Canonici Collegiatæ occuparent dictum locum, qui debetur Canonicis Cathedralis ratione illorum præeminentiæ, aut processio fieret sine interventu Capituli Cathedralis, quod esset in diminutionem honoris, ac venerationis, Sanctis transferendis debitæ, ac non sine notabili scandalo totius civitatis. Quæ omnia cessant, si id munus Canonicis cathedralis relinquitur. Atque ita esse servandum, rectè censuit Episcopus Lucanus, cujus formam, utpotè imitatione dignam circa translationem sanctorum corporum hic apponendam duxi. 3

Si prepari in mezo della Chiesa avanti al Coro un' altare capace della cassa, ò casse, riccamente ornato di candelieri con candele accese, altri vasi con fiori, ed altre argenterie, sopra il quale vi si pongono i corpi santi, ò siano in casse coperte di drappo, overo dette casse siano dentro ad una lettica coperta di drappo d' oro, ò seta, la quale habbia due stanghe, che avanzino da' quattro lati per poterla portare sopra le spalle, medesimamente coperte del medesimo drappo, e in terra avanti l' altare porre i tapeti con cussini per inginocchiarsi senza altri inginocchiatorj, ò banchi per non impedire la Chiesa, e occupare il luogo al popolo, che venisse per fare orazione a' detti Santi. 4

Il modo, che si può tenere in portar detti corpi, s' intimi alle Religioni tutte, al Clero, e ad altri Preti, che con le loro cotte, e a' Signori Canonici della catedrale parati secondo il loro solito, cioè sopra il rocchetto, ò cotta che portano ò piviale, ò pianeta, ò tonicelle, se hanno ordini distinti, a' quali spetta come più degni portar detti corpi, ò siano nella lettica, ò in casse. E intimar si dovranno ad un' hora certa, la quale è solita sempre d' esser doppo vespro, e così si è osservato in Roma ultimamente nella traslazione del cuore del glorioso S. Carlo Arcivescovo di Milano. 5

Inviata che sarà la processione, prima che si levino i corpi dall' altare, i cantori cantino un' antifona propria di detti Santi, e trà questo mezzo la prima Dignità benedica l' incenso, e incensati, e detto il versetto, dirà l' orazione. E se detti corpi sono nella lettica, quattro, ò più di detti Signori Canonici parati con le pianete portino detta lettica sopra le spalle, overo se saranno dentro alle casse, ciascheduno ne porterà una, ed avrà il piviale, avvertendo, che dette casse siano coperte riccamente con drappi d' oro, ò di seta di colore conveniente a' Santi, se sono martiri, rosso, se sono confessori, Abati, ò Vergini, bianco, e ciascuno tanto frati, quanto preti, canonici debbano avere una candela accesa in mano di più, ò minor peso secondo la qualità delle persone. 6

Se si porteranno detti santi corpi nella lettica, vi si porti un baldacchino sopra, portato da' nobili della Città. E se il viaggio sarà lungo, si potranno mutare di quando in quando, avvertendo, che i più nobili lo portino nell' uscire, e gl' istessi nell' entrare dove hanno da collocarsi. 7

Se staranno in diverse casse non vi occorre baldacchino, che bisognerebbe ad ogni cassa il suo, e sarebbe confusione, e perciò giudico più onorevolezza, e maggior decoro portarli in una lettica, come è stato fatto nella translazione di molti corpi Santi in Roma, per essere stati più corpi insieme. 8

Per la strada si potranno cantare inni, salmi, e i cantori motetti, ed altro secondo più piacerà loro. Giunti i santi corpi alla Chiesa, si metteranno sopra l' altare, dove si hanno da riporre, se non sarà impedito, ed essendo, si facci a canto un' altro altare, e ivi si pongano sopra, s' incensi, si canti l' istessa antifona, e versetto come di sopra, ò altro simile, e si dica l' orazione per la medesima prima dignità, e subito si potranno dagl' istessi Signori Canonici metter dentro dove hanno da stare. 9

Il modo di collocarli avanti che si facci la translazione di detti corpi nell' istesso altare, dove si metteranno vi si facci una fenestrella ò tomba, ò buca secondo la capacità della cassa, lasciandovi modo per potervi calare, ò metter detta cassa, e poterla commodamente, e presto rimuovere; overo se vi sarà sotto l' altare, ò dietro qualche onesto pilo di marmo, collocare detti corpi, e accommodare talmente ogni cosa, che subito finita la ceremonia, e messivi i corpi, si possa murare senza più aprire, acciocchè niuno gli possa più vedere, nè toccare. E perciò è necessario, che vi siano i muratori co' loro strumenti, calcina, ò gesso, e assicurare il tutto. E in questo 10

modo

modo volle la Santità di Paolo V. che si facesse nella ripositione del corpo di S. Agnese, e prima che partisse sua Santità, fù murata ogni cosa.

11 Quartò, ex consuetudine Ecclesiarum, quæ in præeminentiis potissimùm attenditur. Ita enim servatur in Ecclesia Mediolanensi, ut digniores in Clero humeros subjiciant deferendis sacris Reliquiis in translationum processionibus, ut constat ex actis illius Ecclesiæ hunc in modum. *Arca verò humeris portetur a Sacerdotibus, qui digniores sint in toto Clero, & in Ecclesia, in qua translatio fit, illique vicissim, prout Episcopus jusserit, id onus subeant. Verùm si Episcopus in loco adest, ipse quoque cum Sacerdotibus, qui in cathedrali Ecclesia sacerdotali dignitate præditi sint, canonicatumve sacerdotalem habentes digniores suos humeros sacræ arcæ portandæ subjiciant, idque saltem paulatim tum initio, tum in fine processionis, quæ translationis causa agitur. Cum verò arca non portatur reliquo omni Clero præsente, sacræ Reliquiæ a Sacerdote etiam portentur, qui dignior est. Ubi ad Ecclesiam ventum est, in qua collocandæ, recondendæve sunt, per Episcopum, aut per alium Sacerdotem ejus jussu missarum solemnia celebrantur de Sanctis, quorum translatio facta est, idque solemni ritu, nisi horæ tarditas impediat.*

12 Idem etiam servatur in Ecclesia Bononiensi, ut ex ejus Archiepiscopali, videlicet: *Tabernacula verò Reliquiarum ferebantur a Canonicis sub paratis umbellis, Illustrissimo Archiepiscopo, cæterisque prosequentibus, ipse autem in Metropolitana Ecclesia pontificalem missam celebravit. Delata sunt tabernacula sub tribus umbellis auro contextis, quas Sacerdotes parati manibus gestabant, ea verò Illustriss. Archiepiscopus, aliique Episcopi & Canonici vicissim in tribus feretris auratis accomodata humeris ferebant.*

13 Idipsum observatum lego in Civitate Lucana in translatione Imaginis B. Virginis miraculorum ad Ecclesiam S. Petri, ut ex historia dictæ Immaginis in hæc verba: *Doveva esser portata da trentasei persone, che accomodate sotto alle suddette stanghe non apparissero da parte alcuna, essendovi ordinato, che i Signori Canonici della catedrale vestiti con piviali, e mitre secondo il loro privilegio, sottomettendo le spalle al peso, facessero mostra di portarla; la qual cosa fù da tutti con ottimo ordine seguita, e parimente dal Capitolo della catedrale, il qual giunto al luogo, dov' era l' Immagine ornato nobilmente, e allumato di gran quantità di lumi, si fermò alquanto, ed entrato solamente nella loggia Monsign. Vescovo vestito pontificalmente, e i Signori Canonici co' piviali, e mitre, fatta breve e divota orazione, ec. e in questo mentre accommodati i Canonici, come si è detto da' latti della machina, si sentì nell' uscir che fecce dalla loggia grandissima salva, d' artigliarie, ec. Giunta che fù la S. Immagine alla piazza della Chiesa di S. Pietro maggiore, ove si doveva collocare, ec. ove poi Monsign. Vescovo celebrò la santa Messa solennemente, alla quale intervennero solamente il suo Capitolo, e la Signoria.*

14 Non obstat, quod sacra corpora, quæ transferuntur, sunt Ecclesiæ Collegiatæ, ideòque ad dignitates & Canonicos ipsius spectat eorum velatio. Nam in hac functione non debet considerari cujus Ecclesiæ sunt corpora, sed potius publica translationis solemnitas, in qua etiam solet indici generalis processio, ac proinde Canonici cathedralis non debent privari jure suo incedendi in loco digniori, ac deferendi sacra pignora. Quod munus pertinet ad digniores, cum etiam hoc modo major honor exhibeatur ipsis sacrosanctis Reliquiis, ut testatur Castald. *in prax. cæremon. lib. 2. sect. 10. cap. 4. de ord. serv. in transl. Reliq. & sacr. Imag. num. 20.* his verbis: *Decet, ut Sanctorum corpora ab Episcopis, vel Abbatibus mithratis deferantur, prout legimus a S. Carolo Borromæo fuisse observatum, cujus exempla sequutus est pariter Cardinalis Paleottus, quem laudabilem ritum a majoribus acceptum etiam posteri, si imitentur, erunt in laudem.*

15 Ex quo fit, ut deficientibus Episcopis, & Abbatibus, hoc munus jure debeatur Canonicis Cathedralis, tanquam dignioribus ex toto Clero juxta mentem S. Caroli, ut testantur acta Ecclesiæ Mediolanensis relata, & de universali consuetudine testatur etiam Michael Leonius, vir Cæremoniarum peritissimus, quæ in materia præeminentiarum observanda est, Seraph. *dec. 776. in fin. & dec. 964. num. 1.* cum aliis alibi deductis.

16 Neque obstat, si Episcopus non sit præsens. Nam adhuc Canonici Cathedralis sunt membra ipsius, ut capitis, *cap. Novit. de his, quæ fiunt a Prælat.*

CONSULTATIO XXV.

An mutatio sedilium in choro a Canonicis fieri possit in præjudicium cœtus Sacerdotum, qui sedent in pari gradu cum ipsis Canonicis?

REspondeo, non posse, & factam, reducendam esse 1
ad pristinum statum. Primò, si ad favorem Sacerdotum militat antiquissima consuetudo, quæ in hac materia sedendi conturbari non potest, sed præcisè est observanda, & attendenda, ut in specie Doctores affirmant, nominatim Bald. *in cap. Cum olim num. 1. de consuet.* Grillenz. *cons. 176. num. 12.* Corn. *cons. 193. numer. 14. vol. 2.* Valenz. *cons. 176. numer. 12. lib. 2.* Marzan. *cons. 26. numer. 34.* Avendan. *de execut. mand. part. 1. cap. 19. num. 15.* Mastrill. *de magistr. lib. 4. cap. 14. n. 1.* Perez. de Lar. *de anniv. & capel. lib. 1. cap. 24. num. 19. & seq. & num. 26.* Vincent. de Franch. *dec. 338. n. 4.* & judicavit Rota in Saguntina præcedentiæ 31. Januarii 1611. coram Marcmontio propè finem, sufficitque consuetudo annorum decem dumtaxat, ut tradunt Marzan. *d. cons. 26. num. 34.* & Fab. de Ann. *cons. 40. num. 4. lib. 1.* Multò magis annorum quadraginta, quæ suffragatur, etiam quando est contra jus, ut in terminis Corn. *dict. cons. 193. num. 14.* Fab. de Ann. *loc. cit.* Mastrill. *dec. 130. num. 17. lib. 2.* Et fortiùs cùm etiam immemorialis consuetudo concurrat, Marzan. *d. n. 34.* Mastrill. *d. n. 17.* quæ propterea vim legis obtinet, ac privilegii, Grillen. *cons. 2. n. 9.* Fr. Ant. Cost. *cons. 2. n. 46. lib. 1.* Valenz. *cons. 121. n. 33. & 35. lib. 2.*

Secundò, si Canonici de facto id agant, non citatis 2
Sacerdotibus, in quorum præjudicium fit mutatio, Card. *in Clem. statutum n. 7. in fine de elect.* Rota coram Buratt. *dec. 384. n. 14.*

Tertiò, si mutatio inferat Sacerdotibus, & Ecclesiæ 3
præjudicium, ut si omnibus Sacerdotibus ex hujusmodi mutatione locus in choro præcludatur, unde ex illorum expulsione proveniret diminutio cultus divini, & ex diminutione aspectus ipsius Chori redderetur minus venerabilis, ipsique Sacerdotibus tolleretur jus antiquissimum interessendi choro, ac percipiendi quotidianas distributiones. Quod Capitulum facere nequit, Rot. in Paduana sedilium 26. Januarii 1618. coram Cardinali Sacrato.

Quartò, è contra quod si sedilia, & chorus in pristi- 4
num statum reponantur, nullum omninò damnum Canonicis inferatur, cum sedeant ex immemorabili ad dexteram propè Episcopum, & sic in loco digniori, Bald. *in l. observare, §. antequam verò num. 3. ff. de offic. Proconsul.* Cum tamen consuetudo in hujusmodi materia tantæ sit efficaciæ, ut etiam minor possit ex ea majori præcedere, Fab. de Ann. *cons. 40. in fine*, Menoch. *cons. 51. lib. 1.* Rota coram Cardin. Seraph. *dec. 964. num. 1.* & in Lucana præcedentiæ 24. Januarii 1628 coram Ghislerio. Idque eo magis, si a dextris adsint tot sedilia, & omnibus Canonicis locus superfit, cum tamen in concursu præjudicii sit magis considerabile præjudicium duorum, quàm unius, ac multò magis tot Sacerdotum, quàm nullius ex Canonicis, ut benè advertit Menoch. *d. cons. 51. n. 47. lib. 1.*

Quintò, ne inter Canonicos, & Sacerdotes ex hac 5
mutatione oriantur discordiæ, & offensiones. Certum est, quod semper ex novitatibus mala excitantur, ac proinde tanquam pernicios rejiciendas esse ex Luciano, Cassiodoro, Cornelio Tacito, & aliis probat Valenz. *consil. 70. num. 26. & seqq. & cons. 24. num. 2. lib. 1.* Megal. *var. resol. tom. 1. resol. 88. numer. 7.* Quippè ordo, aut modus rerum turbandus non est, inquit Plutarchus *in polit.* sed aut pro necessariis, & quæ dilationem, sive perniciem pati non possunt, aut pro rebus illustrissimis. Natura enim inquieti, & ambitiosi animi novationibus, prætextu novi melioris studeant, ut turbatis rebus præsentibus, prædæ & ambitioni suæ satisfaciant.

Sextò, si idem quoque observetur in aliis Ecclesiis vi- 6
cinis, Glos. *in cap. statuimus, v. potiorem ante fin. de major. & obed.* Zabarel. *cons. 62. num. 1.* Grillenz. *cons. 121. num. 10.*

Septimò, si mutatio fiat postquam Canonicis novum 7
opus fuerat nunciatum. Sic enim tanquam attentata est revocanda per text. *in cap. 2. de nov. oper. nunc. & in l. Prætor ait 20. §. Ait Prætor, ff. eod. tit.* ibi: *Quod factum est, jubet restitui, neque interest jure factum sit, an non sine jure factum est, sive non jure factum est, interdictum locum habebit*, & prosequitur Lancellott. *de attent. p. 3. cap. 26. num. 78.* Thomat. *d. 34. num. 21.* & Amat. *dec. March. 64. num. 6.*

Deni-

8 Denique si mutatio fiat postquam appellatio fuerat ad Sanctissimum interposita juxta textum *in cap. significanti in fin. §. Ideoque de nov. oper. nunc.* Amat. *d. dec.* 64. *num.* 12. Thomat. *loc. alleg. num.* 18. Vel Sede Episcopali vacante ad textum *in c. novit, ne sed. vac.* ubi Butr. *num.* 1. & 8. Guidopap. Innoc. & alii, Pavin. *de offic. & potest. c. sed. vac. qu.* 8. *p.* 2. *n.* 3.

9 Non obstat, quod versamur in facultativis, in quibus non datur præscriptio ad favorem Sacerdotum. Primò, quia non potest in hoc casu prætendi materia facultativa, cum pro Sacerdotibus concurrat titulus ex immemorabili. Et propterea actus facti censentur in vim hujus tituli, Add. ad Greg. *dec.* 162. *sub lit. C.* Rot. in Calaguritana juris visitandi de Aquila 13. Februarii 1617. coram Pirovano. Secundò, excluditur materia facultativa ex pluralitate actuum per longissimum tempus gestorum, cum semper Sacerdotes habuerint dicta sedilia, videntibus ipsis Canonicis, ut benè post. *observ.* 52. *num.* 25. Sperel. *dec.* 62. *num.* 49. Rip. *in c. cum Ecclesia num.* 55. *de caus. pos.* Seraphin. *decis.* 212. *n.* 2. & Rot. *in rec. decis.* 397. *num.* 3. ac alibi. Tertiò, quia agitur favore piæ causæ ac divini cultus, Post. *d. observ.* 53. *num.* 27. Add. ad Greg. *ubi supra*, Sperel. *d. dec.* 67. *n.* 5. & Rot. *dec.* 470. *n.* 7. *in fin. p.* 1. *rec.*

10 Minus obstat, quod hic inveteratus ordo sedendi repugnat sacris Canonibus, sub prætextu quod Canones deferant Canonicis locum altiorem. Nam nullus canon super hoc allegari potest. Zecchius verò *de republ. eccles. cap.* 24. *num.* 2. & Novar. *quæst. for.* 24. *num.* 1. *p.* 1. non dicunt attribuendum Canonicis locum altiorem, sed digniorem, illumque habent Canonici, cum sedent Episcopo viciniores, Bald. *loc. alleg.* Decian. *cons.* 585. *num.* 23. *vol.* 5. Mastrill. *de magistr. d. lib.* 4. *c.* 4. *num.* 44. Cyriac. *contr.* 202. *num.* 65. Gama *dec.* 1. *num.* 7. & 8. & ad dexteram, ut latè comprobat Tiraqu. *de jur. primog. in præf. num.* 13. & *seqq.* Sperel. *d. dec.* 76. *num.* 10. ac Rota in Cæsaraugustana præeminentiarum 29. Novembris 1627. coram Coccino. Præter id, quod ex consuetudine potest etiam minus dignus magis digno, vel minor majori præcedere, ut firmant Doctores superius adducti, quibus addo Posth. *observ.* 229. *numer.* 2. & Rotam apud ipsum *dec.* 32. *numer.* 7. & 8. *ac dec.* 53. *numer.* 5. & in Saguntina præcedentiæ 23. Junii 1629. coram Card. Pamphilio.

11 Pariter neque obsistit, quod soli Canonici stallum, & jus habeant in choro, cæteris verò presbyteris nullum jus competat. Nam Glos. *in cap.* 2. *v. statutum de verb. signif.* cum aliis nullum verbum facit de hac conclusione. Abbas verò solum quærit, an illis jus competat in Capitulo, atque adeò loquitur in casu diverso. Quinimmò idem Abbas firmat, ex consuetudine etiam presbyteris jus in capitulo posse competere, ut expressè docet, ac se declarat *in cap. scriptum* 40. *num.* 4. *in fin. de elect. & in cap. dilecti ante num.* 1. *de major. & obed.* Et idem affirmant ompostel. *in cap.* 1. *numer.* 4. *de elect.* Rot. in Calciaten. Conjudicum 25. Februarii 1611. coram Attrebatensi, & in Oretana voti 27. Martii 1626. coram Remboldo, & coram Mart. Andrea *dec.* 53. *num.* 4. Unde, quidquid sit de jure, certum est, quod etiam alii presbyteri possunt acquirere vel ex privilegio, vel ex statuto facultatem, ut sint de capitulo, Rot. *dec.* 4. *num.* 5. *par.* 2. *div. & dec.* 296. *num.* 3. *par.* 1. & 708. *n.* 3. *par.* 2. *rec. & decis.* 8. *num.* 4. *par.* 5. *rec.* Quare presbyteri dicuntur habere privilegium ex eo, quod habent immemorabilem consuetudinem, & antiquissimam possessionem, sufficeretque possessio decennalis, ex qua inducitur titulus præsumptus, Cassad. *dec.* 2. *de caus. poss. & propr.* adjiciens rationem, quia non est inverisimile, quod Ordinarii, qui quotannis visitare debent, permiserint possessionem absque titulo, ubi titulus requiritur.

12 Præterea non refragatur liber cœremonialis. Quia non tollit antiquissimas, & laudabiles consuetudines, eoque minus immemorabiles, contra quas nihil innovandum esse, respondit S. Rituum Congregatio in Damascena 19. Junii 1603. in Salernitana 16. Julii 1605. in Mantuana 19. Junii 1604. in Salamantina 16. Julii 1605. in Nicien. 7. Junii 1625. in Brundusina 17. Septembris 1611. & in Tranensi 28. Januarii 1612. ac aliàs sæpè.

13 Tandem non obstat exemplum Basilicæ S. Petri in Vaticano, cum debeat attendi particularis consuetudo, existens in eadem Ecclesia cathedrali, Rot. in Placentina decimarum 10. Maji 1629. coram Coccino. Eoque magis cum sit immemorabilis, & adsit etiam eadem consuetudo in aliis Ecclesiis vicinis ac finitimis, Glos. *in c. statuimus vers. potiorem, de major. & obed.*

14 Atque ex his liquet, observandam esse antiquam consuetudinem, non permittendam rem novam, ac restituendum quod factum est in præjudicium consuetudinis antiquæ, *c. consuetudo d.* 12. & *c. consuetudinis extr. de consuet.* Et ita mandavit observari S. Rituum Congregatio in Reginensi 3. Aprilis 1641.

CONSULTATIO XXVI.

An Regulares possint unquam in supplicationibus, sive processionibus, ac aliis actibus præcedere Clero sæculari? Et quid in Ecclesiis ipsorum Regularium? Quidve in casu, quo Regulares sint superiores cleri sæcularis?

NOn possunt neque vigore transactionis, sive concordiæ, neque virtute consuetudinis, abolendusque est hujusmodi abusus, prout aboleri mandavit S. Rituum Congregatio in Oppidensi anno 1644. Idque etiam in Ecclesiis eorundem Regularium, & tàm in processionibus, quàm in funeribus ducendis, aliisque similibus, ut pluribus resolutionibus Sac. Congregationis firmat Novar. *in Lucerna Reg. v. præcedentiam num.* 4. & 5. Atque ita etiam judicavit Rota sub die 18. Maji 1646. in citata Oppidensi processionum coram Verospio, nempè Regulares debere anteire in processionibus, & locum ultimum toti Clero sæculari servare, non obstante quacumque consuetudine, conventione, & præscriptione ad formam Bullæ Clementis VIII. Cœremonialis confirmatoriæ, emanatæ ann. 1600. sub his verbis *§. 6. Non obstantibus præmissis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac etiam provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus, nec non quarumvis Ecclesiarum etiam juramento, & confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque.* Ex quibus irritatur quælibet consuetudo, & concordia, ut ex aliis luculenter deductis in dicta decisione, quam mox integram adducam, & declaravit eadem Sac. Rituum Congregatio in Regnis Castelli, & Legionis tenoris sequentis. 1

Pro parte Ecclesiarum, Presbyterorum, seu Clericorum Regni Castellæ, & Legionis in Hispania S. Rituum Congregationi expositum fuit, quod licèt in libro cœremoniali Episcoporum statutum sit, ut in generalibus processionibus fratres, seu monachi, vel ordines regulares antecedant, & presbyteri, seu clerici sæculares, quem Ordinem S. Petri vocant, subsequantur, & ultimum locum obtineant, nec mixtim cum Regularibus incedant, prout per abusum antea faciebant, idque per Breve Apostolicum a Clemente VIII. etiam declaratum, & confirmatum fuit, eadem Sac. Congregatio, facto de præfatis omnibus verbo cum eodem Sanctissimo D. N. Papa, & de ejus expresso ordine ac mandato declaravit, prædictos omnes Religiosos teneri ad observantiam dicti libri cœremonialis, & literarum Apostolicarum in forma Brevis expeditarum super observatione præmissarum omnium, & singulorum, & ordinavit, ut moneantur omnes Generales, Provinciales, & quicunque alii Regularium Superiores, ut prædicta omninò, etiam sub pœnis S. Congregationis arbitrio infligendis, observari faciant, & numerum debitum, decentem, & consuetum fratrum ad easdem proceßiones mittant, non obstante quacumque asserta, seu prætensa consuetudine in contrarium, quam abusum esse & non consuetudinem eadem Sac. Congregatio declaravit in plena Congregatione, & de ordine expresso prælibati Sanctissimi D. N. Clementis VIII. insuper ordinavit, ut præsens decretum intimetur omnibus Generalibus, Provincialibus, & aliis quibuscunque Superioribus dictorum Ordinum. Romæ die 3. Augusti 1602. 2

Idem quoque declaravit in Calaguritana de Naxera præcedentiæ in processionibus in hæc verba: *Cum Monachi Casinenses Ordinis S. Benedicti degentes in Monasterio S. Mariæ de Naxera Calaguritanæ diœcesis non acquieserent declarationibus aliàs per hanc S. Rituum Congregationem editis, & per Clementem VIII. & Gregorium XV. confirmatis, nempè Regulares non posse præcedere Clericos sæculares, prætendebant nihilominus iidem Monachi supradicti disposita non habere locum in propriis ipsorum Regularium, seu monachorum Ecclesiis, quando cadavera tumulari debent defunctorum, & eo casu ipsos Monachos præcedere Rectorem, & beneficiatos parochialis Ecclesiæ S. Crucis, Rector verò, & beneficiati prædicti pro bono pacis, & ad evitanda scandala, quæ in casu contingenti forsan oriri possent, petierunt ab hac S. Congregatione Rituum declarari, quid in casu proposito servandum? Et S. Rituum Congregatio respondit, nullo modo posse Regulares, seu monachos prædictos prætendere præcedentiam supra presbyteros sæculares, licet forsan ex sæcularium indulgentia, humanitate, seu alia quavis de causa aliter aliquando servatum fuerit, prout aliàs declaratum fuit in Tullensi 2. Martii 1616. & in Firmana Terræ S. Victoria 31. Martii 1618.* 3

1618. *Et in propoſito caſu ſervari mandavit, non obſtante quavis contraria conſuetudine, ſeu prætextu die 7. Decembris* 1630.

4 Diploma verò Gregorii XV. ſummatim eſt hujuſmodi. *Gregorius Papa XV. ad perpetuam rei memoriam. Aliàs a fel. record. Clemente Papa VIII. prædeceſſore noſtro emanarunt literæ tenoris ſequentis, videlicet: Clemens Papa VIII. ad futuram rei memoriam. Decet Romanum Pontificem &c. Cùm itaque in aliquibus Hiſpaniarum Regnorum partibus nonnulli Religioſi, &c. prætendant clerum ſæcularem in funerum aſſociatione, proceſſionibus, & aliis actibus publicis præcedere, allegantes aliquam conſuetudinem, vel potius abuſum &c. Nos &c. ex decreto venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſuper ſacris ritibus, & cœremoniis deputatorum, harum ſerie perpetuò decernimus, & declaramus, Regulares tàm monachos, quàm fratres quorumcunque Ordinum in funerum aſſociatione, proceſſionibus, & aliis hujuſmodi actibus publicis non debere Canonicos, Rectores, & Clericos ſæculares præcedere, neque cum eis mixtim incedere, & ſi aliquando ex ſæcularium indulgentia, humanitate, ſeu alia forſan de cauſa ſecus factum fuerit, & quamcunque contrariam conſuetudinem, tanquam abuſum corrigendam, idque indubitati juris exiſtere, ac ita ubique locorum in Regnis Hiſpaniarum perpetuò obſervari debere, ſicque, & non aliter per quoſcunque Judices, &c. ſublata eis aliter judicandi &c. facultate, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus &c. a quoquam &c. contigerit attentari. Non obſtantibus &c. aliiſque Apoſtolicis Conſtitutionibus, & ordinationibus, & quibuſcunque ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica &c. roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſvis in contrarium &c. quibuſvis omnibus, & ſingulis eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes hac vice ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die* 20. *Februarii* 1621.

5 Item ex eodem Gregorio. *Clemens Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam, &c. Aliàs ſiquidem decrevimus, clerum ſæcularem &c. fratribus, monachis, & aliis Regularibus quibuſcunque præferendos eſſe in omnibus proceſſionibus, &c. Cùm autem, ſicut nuper accepimus aliquando contingat, Clerum ſæcularem ad Eccleſias Regularium ex quavis cauſa accedere, & eo tempore nonnulli Regulares præcedentiam dicto Clero ſæculari in eorum propriis Eccleſiis dare recuſet. Quare nos &c. decernimus & declaramus, Clerum ſæcularem prædictum in omnibus locis, etiam in propriis Eccleſiis, & Conventibus fratrum, monachorum, & Religioſorum quorumcunque &c. juxta tenorem prædictarum literarum præferendum eſſe, & præcedere debere, ſicque & non aliter per quoſcunque Judices &c. judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus &c. non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſcunque ſtatutis, & conſuetudinibus &c. cæteriſque &c. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die* 5. *Novembris* 1603. *Pontificatus &c. Nos quibuſvis locorum Ordinariis &c. committimus, &c. quatenus præſens literas, & in eis contenta faciant illorum præmiſſorum eorundem effectu frui, & gaudere, non permittentes illos deſuper a quoquam quavis auctoritate quemlibet indebite moleſtari. Contradictores &c. per pœnas, & cenſuras &c. compeſcendo, &c. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annullo Piſcatoris die* 3. *Auguſti* 1622. *Pontificatus noſtri anno ſecundo.*

6 Ex his igitur Epiſcopis in proceſſionibus, aliiſve actibus publicis mandare poſſunt ac debent, ut obſervetur ordo, a cœremoniali Romano præſcriptus, & a tota Romana Eccleſia receptus atque ſervatus ad formam dictæ deciſionis Rotalis, cujus authoritati ſtandum eſt, nec recedendum ab ea videtur in judicando, Gregor. *dec.* 572. *numer.* 3. ubi Add. quia ex Rotæ deciſione bonum jus reſultat, idem Greg. *dec.* 523. *num.* 4.

7 Deciſio S. Rotæ coram Veroſpio eſt, quæ ſequitur: Orta inter Clerum Terrænovæ Oppidenſis diœceſis, & Monachos Cœleſtinos controverſia ſuper ordine incedendi in publicis proceſſionibus, eaque inter eoſdem hac ratione tranſacta, ut quilibet Monachus a ſiniſtris preſbyterorum incederet, cum illa poſtea in Sac. Rituum Congregatione impugnaretur, remiſſa cauſa ad hoc tribunal, mihique delata dubitavi, quo ordine in publicis proceſſionibus ibidem dirigi debeat inceſſus, & Domini reſpondendo pro Clero ſæculari decreverunt, ut omnes monachi teneantur anteire, & locum ultimum, tanquam digniori toti Clero reſervare, ex quo Clericorum cœtus, ut dignitate præſtantior, & tempore antiquior ordine monaſtico in publicis functionibus debet eundem præcedere juxta diſpoſitionem juris *in can. legi 36. can. aliam* 106. 16. *quæſt.* 1. & notat Gloſs. *in cap. Religioſo* 21. *in verbo exhiberi verſic. cum dignior. de ſent. excomm. in* 6. & *in cap. qualiter in ult. gloſs. de accuſ.* Doctores *in can. Epiſcopus* 16. *d.* poſt Gloſs. *in verb. Tempus*, ubi Gemin. *num.* 2. Turrecr. & Præpoſ. *num.* 3. Felin. *in rubr. num.* 5. *de major. & obed.* Afflict. *ſuper conſt. Regni in prælud. quæſt.* 26. *num.* 2. Bott. *de Synod. par.* 3. *num.* 29. Chaſſan. *in catal. glor. mundi par.* 4. *conſid.* 77. Carol. de Graſſ. *de effect. Cler. in præl. num.* 392. Rot. in Romana præcedentiæ 18. Maji 1620. coram Sacrato impreſſa *part.* 4. *rec. tom.* 2. *dec.* 214. *num.* 4. Mixtus autem inceſſus perſonarum diverſæ profeſſionis, ac ordinis reprobatur in *cap. in novis* 16. *quæſt.* 7. *cap. cum cauſam* 27. *de elect. Clem.* 1. *eod. tit.* & in his terminis Aym. *conſ.* 96. *numer.* 3. Qui quidem ordo in Eccleſia militanti inſtar cœleſtis hierarchiæ debet regulari, *can. ad hæc* 89. *d.* Rota in Valentina juris ſedendi 12. Junii 1634. coram Merlino.

Et hæc juris diſpoſitio fuit deinde approbata in cœ- 8
remoniali Epiſcoporum *lib.* 2. *cap.* 32. in publicis proceſſionibus eidem Clero præcedentiam reſervante, quod, uti authenticum, ac deciſorium, vim legis obtinet juxta notata per Doctores *in cap. Conſuluit de ſerv. non ord.* ubi Hoſt. *num.* 7. Jo: Andr. *num.* 4. Menoch. *conſ.* 52. *n.* 145. Bott. *de Synod. par.* 3. *num.* 7. & 43. Lotter. *de re benef. lib.* 1. *quæſt.* 16. *num.* 123. Franch. *dec.* 253. *num.* 6. eamque Sacr. Rituum Congregatio ſemper retinuit, ut in una Caſtellæ & Legionis 30. Auguſti 1602. in Marſicana 30. Septembris, & 5. Octobris 1614 in Tullen. 12. Martii 1616. & in Meſſanen. 7. Auguſti 1621. cujus declarationibus reverenter detulit hoc tribunal, ſicut ſemper conſueviſſe teſtatur Rot. coram Buratt. *dec.* 479. *num.* 3. & in Averſana beneficiorum 3. Julii 1606. coram Sacrato, & in Nicen. parochialis 20. Maji 1624. coram Ubaldo, & in Tiburtina parochialis 27 Junii 1629. coram Pirovano. Maximè quia ſan. mem. Clemens VIII. ſub die 5. Novembris 1603. ex ejuſdem Sac. Congregationis voto in propriis etiam Regularium Eccleſiis ac conventibus in Caſtellæ, ac Legionis Regnis exiſtentibus, Clero ſæculari præcedentiam decrevit, quod deinde decretum ſub die 3. Auguſti 1622. fuit a ſan. mem. Gregorio XV. confirmatum, ut refert Barboſ. *de offic. Epiſcop. alleg.* 78. *num.* 35. ſecundùm ultimam impreſſionem anno 1641.

Nec obſtat allegata in contrarium conſuetudo, quæ 9
in materia præcedentiæ ſolùm attenditur juxta doctrinam Baldi *in cap. olim num.* 1. *de conſuet.* quam ſequuta fuit Rota coram Seraph. *dec.* 964. *num.* 1. coram Cavalerio *dec.* 649. & in Placentina præcedentiæ 27. Junii 1633. coram Merlino, & in Bononien. decanatus 19. Junii 1643. & 20. Maji 1645. coram R. P. D. meo Meltio, etiamſi illa fuiſſet a jure reprobata, ut tradit idem Bald. *in cap. cum olim num.* 1. *de conſuet.* & *in l. obſervare, §. antequam num.* 3. *de offic. proc.* & *leg.* modernus Mantuan. *contr. jur.* 104. *num.* 168. & 169. Rovit. *dec.* 77. *num.* 7. Rot. coram Seraph. in adducta *dec.* 694. *num.* 1. & *in deciſ.* 85. *num.* 6. & 483. *num.* 5. *par.* 5. *rec.* & in Rom. præcedentiæ 5. Jun. 1509. coram Orano, & 18. Maji 1630. coram Sacrato *par.* 4. *tom.* 2. *rec. dec.* 214. *num.* 14. & in aliis per Add. ad Burat. *dec.* 903. *num.* 21.

Quia eadem conſuetudo abrogata cenſetur a Bulla 10
Clementis VIII. cœremonialis confirmatoria, emanata ſub ampliſſimis clauſulis, cuicunque conſuetudini derogatoriis, ex quibus irrita fuit quælibet præterita conſuetudo, vel in futurum inducenda, ut notant Doctores *in leg. ſi mihi*, & *tibi* 12. *§. ultim. ff. de leg.* 1. ubi Bald. *in fin.* Angel. *numer.* 3. Jaſ. *in* 1. *lect. numer.* 21. & *in* 2. *numer.* 14. Alex. *numer.* 7. *in princip.* ubi teſtatur de communi, Gratian. *dec.* 16. *numer.* 9. Rot. in Cracovien. juris legendi 30. Martii 1629. coram Queippo.

Neque etiam viſa fuit obſtare duplex concordia in- 11
ter partes ſubſequuta, & jurisjurandi vinculo munita, quæ a ſummo Pontifice ſub ea generali conſuetudinum derogatione caſſata non præſumitur ex notatis *in cap. conſtitutus de reſcr.* & per Gloſs. *in cap. cum non doceat in fin. v. effectus de elect. lib.* 6. & *in Clem. Dudum, §. verum, verſ. pacta de ſepult.* Alex. *conſ.* 122. *num.* 7. *lib.* 4.

Nam prima tranſactio corruit ex defectu ſpecialis 12
mandati in procuratore nomine Cleri eam ſtipulante contra diſpoſitionem, *leg. mandato generali, ff. de procurat.* & *l. tranſactione, C. de tranſact.* Ber. *conſ.* 76. *numer.* 17. *lib.* 1. Rota coram Buratto *dec.* 54. *numer.* 4. & *dec.* 992. *numer.* 4. *part.* 2. *rec.* & tollitur ex Bulla Clementis cujuſcunque conſuetudinis reprobatoria, cùm quælibet tranſactio, vel pactum plus operari non poſ-

ſit

ſit quam ipſa conſuetudo, ut notat Bald. *in l. quibus, ff. de leg. & in conſ.* 318. *numer.* 1. *lib.* 2. Prob. ad Monach. *in cap.* 1. *numer.* 14. *de conſt. lib.* 6. Decian. *reſp.* 21. *numer.* 73. *lib.* 1. *& reſp.* 7. *numer.* 73. *lib.* 3. Viv. *deciſ.* 265. *numer.* 7. Et in utraque deficit beneplacitum Apoſtolicum, cujus præſumptio ex ſpatio longi temporis non admittitur in conſuetudine per Bullam abrogata, ut tradunt Aret. in *§. Æquen.* 19. *inſtit. de act.* Abb. *in cap. pervenit num.* 3. *de cenſ.* Gloſs. *in cap.* 1. *circa med. de præſc. in* 6. Maſchard. *var. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 3. Rota in Placentina decimarum 29. Maij 1687. coram Bubalo.

13 Nec demum viſæ fuerunt obſtare ſententiæ de partibus, & decreta Sacr. Rituum Congregatione ſuper hujus concordiæ obſervantia, poſtquam ſententiæ non juſtificantur ex actis, ut advertit Rota coram Cavalerio *deciſ.* 215. *numer.* 4. & coram Buratto *deciſ.* 151. *numer.* 5. & coram Reverendiſſimo Urgellen. *deciſ.* 424. *numer.* 1. *& deciſ.* 94. *numer.* 43. *part.* 7. *rec.* Decreta verò non ſunt deffinitiva, nam primum emanavit cum præſervativa jurium ambarum partium, ſecundum ab aliis repoſuit ſub die 5. Martii 1634. & in ultimo facultatem partibus conceſſit impugnandi tranſactionem in hoc ſacro Auditorio. Et ita utraque &c.

14 Hactenus deciſio Sac. Rotæ, in qua adverto, quod contraria conſuetudo, etiamſi admittatur, debet probari, fuiſſe legitimè præſcriptam per annos quadraginta, ut requiritur, cùm ſit contraria ſacris canonibus, Ferr. *de præced. quæſt.* 18. *numer.* 7. 10. *& ſeq.* Quinimmò debet probari, quod ſit rationabilis, & obtenta in contradictorio judicio per actuum frequentiam cum aliis requiſitis, de quibus per Ferr. *d. qu.* 18. *num.* 17. *& ſeq.* Gratian. *diſcept.* 79. *a num.* 4.

15 Sed quid dicendum in caſu, quo Regulares eſſent ſuperiores, & Clerici ſæculares illius ſubditi, tam reſpectu ipſarum Eccleſiarum, quàm propriæ perſonæ, eo quod Eccleſia Regularium ſit Abbatialis, & caput, Eccleſia verò Clericorum ſæcularium ſit filialis, & ſubjecta, & Abbas ac monachi ſuperiores, & Clerici inferiores ac ſubditi, etiam reſpectu cujuſvis temporalis, & ſpiritualis contentioſæ ac voluntariæ juriſdictionis.

16 Videtur in tali caſu, præcedentiam deberi Regularibus, ſive monachis, non autem Clericis ſæcularibus. Nam non eſt conveniens, immò contra omnia jura, quod ſubditi, & inferiores præcedant Superiorem, & filiales Eccleſiæ habeant locum ſupra matricem, *can. Placuit d.* 18. *cap. his, quæ, & cap. cum inferior, de major. & obed.* ubi inquit Pontifex, abſonum videri, ut filius poteſtatem exercere prætendat in parentem, traditque ibi Gloſſa, & Abb. *conſ.* 21. *numer.* 5. *& 6. lib.* 1. Ruin. *conſ.* 155. *num.* 11. *lib.* 4. Nonn. *conſ.* 72. *num.* 24. Greg. XV. *dec.* 310. *numer.* 5. & Merlin. *dec.* 461. *numer.* 6. Clerici namque monachis ſubjecti debent eis præſtare obſequia per textum *in cap. ea, quæ §. præcipimus, de ſtat. monach.* ubi Hoſt. *numer.* 25. Jo: Andr. *numer.* 17. Butr. *numer.* 19. Zabarel. *numer.* 4. Anchar. *numer.* 17. *can. a Subdiacono d.* 93. ubi Doctores, nominatim Archid. Turrecr. & Præpoſ. *in fin.* ubi ait, majorem præferendum, qui præeſt ſubditis, quia majorem facultatem habet. Abſurdumque eſt, quod Eccleſia ſubjecta prætendat præcedere matricem, Panorm. *in d. cap. his, quæ de major. & obed.* ex quo infert, Abbatem, habentem ſubjectam Eccleſiam, habere quoque juriſdictionem in ejus Clericos. Certique juris eſt, quod major, & ſuperior præcedit ſubdito, a quo illi debetur reverentia, honor, ac omnimoda obedientia, *l. potiores 5. C. de Palat. lib.* 12. Luc. de Pen. *in l.* 1. *numer.* 2. *de Præpoſ. ſac. cub.* Jo: Ugo *de offic. quat. Præl. v. Regibus numer.* 1. inter tract. Mangil. *tom.* 13. *part.* 2. *fol.* 300. Afflict. *dec.* 205. *numer.* 27. Caſſan. *in conſuet. Burgund. rub.* 3. *§.* 4. *num.* 4. Peregr. *conſ.* 3. *ſub num.* 8. *lib.* 5. Intrigl. *de feud. cent.* 1. *quæſt.* 62. *num.* 22. diffuſè Cyriac. *contr.* 26. *num.* 16. *& ſeqq.* ac Put. *dec.* 104. *num.* 4. *& 5. par.* 3. *in correct.* aliique communiter, adeò, ut non ſolùm ſit abſurdum, ſed etiam monſtruoſiſſimum, quod ſubditus, & inferior præcedat ſuum ſuperiorem, repugnatque juri naturæ, ſecundùm quam præcedentia, & honor debetur a minori, & ſubdito erga ſuperiorem, *l.* 2. *ff. de juſt. & jur.* Aret. *conſ.* 23. *num.* 12. *in fin.* id vocat ſcandaloſum, Monter. *dec. Arag.* 22. *num.* 8. Hinc illud de Valeriano capto a Perſis ſubmittente caput loco ſcabelli Regi aſcendenti in equum.

Fata triumphales vertere inverſa quadrigas
Marſpiter in præceps martia caſtra trahit.
Sub Partho Cæſar ſupplex gemit: improba quantum
Gloria tu monſtrum, cui caput ante pedes.

Propter iſtum enim reſpectum majoritatis ſemper Eccleſia cathedralis præcedit ubicunque alias Eccleſias inferiores illis ſubjectas ex diſpoſitione cœremonialis *lib.* 2. *c.* 33. & Vicarius generalis reſpectu juriſdictionis locum habet ſupra omnes dignitates, & Capitulum cathedralis, Abb. *conſil.* 20. *lib.* 1. Grat. *diſcept.* 111. *num.* 2. 14. & 27. Rot. *dec.* 200. *num.* 4. *p.* 1. *div.* & ſæpiùs declaravit Sacr. Rituum Congregatio, ut alibi. 17

Neque contrarium ſuadere debet, quod Eccleſia matrix ſit regularis. Quia potentius eſt in hac re jus ſuperioritatis in ordine ad ſubditos, quàm ipſa qualitas ſæcularitatis ſubditorum, ut rectè firmavit Rota in Montiſregalis juriſdictionis coram Coccino *dec.* 46. *ſub princip. & dec.* 142. *per tot. ac dec.* 238. *num.* 3. Quæ licèt loquantur de præcedentia debita in Choro per Clerum ſæcularem Regulari, ordo tamen ſedendi in Choro dat regulam pro præcedentia in proceſſionibus, & è contra, ut per Gemin. *in cap. ut Apoſtolicæ num.* 2. ibique Franch. *num. item* 2. *de privil. in* 6. Gratian. *cap.* 845. *n.* 5. *& cap.* 940. *num.* 25. advertitque in hac ſpecie Rota *d. dec.* 252. *num.* 23. *part.* 6. *& dec.* 526. *num.* 2. *part.* 1. *rec.* Quemadmodum videmus, quod in Eccleſia cathedrali Canonici ſunt regulares, ut eſt videre in Eccleſia Montiſregalis in Sicilia, Regulares, qui ibi ſunt tanquam Canonici, habent in ſedibus chori præcedentiam ſupra omnes alios Clericos ejuſdem Eccleſiæ, ut ſtabilivit Rota coram Coccino *d. dec.* 46. *num.* 1. *& dec.* 238. *num.* 8. Idque etiam in terminis fortioribus, quando ſcilicèt Epiſcopus eſt ſæcularis. 18

Eoque vel maximè, quando pro Regularibus concurrit ſuperioritas, & juriſdictio Abbatialis dignitatis in Clericos ſubditos, qui præſtant juramentum in manibus monachorum obedientiæ, & fidelitatis, atque accedendi ad proceſſiones. Hoc enim juramentum eſt ſignum certiſſimum ſubjectionis, cùm a ſolis ſubditis præſtetur juxta textum *in cap.* 1. ubi notant omnes *tit. qualiter deb. jur. vaſal.* traditque Roſental. *de feud. cap.* 6. *concluſ.* 85. *numer.* 4. *& ſeqq.* Ultej. *eod. argum. cap.* 6. *num.* 5. *&* 8. Cravet. *conſ.* 27. *numer.* 1. *& conſil.* 201. *num.* 17. Socin. jun. *conſ.* 102. *num.* 30. *lib.* 2. Jacob. de S. Georg. *tract. de hom. ag. numer.* 33. Cujus reſpectu etiam illis competit omnis præcedentia, Aretin. *conſ.* 23. *num.* 12. Abbas enim habet primum locum poſt Epiſcopum, *arg. text. in cap. fin. in princ. de offic. deleg. in* 6. *& in cap.* 2. *de judic.* ac plenè Manriq. *de præced. qu.* 1. *num.* 3. *& ſeqq.* ubi in his terminis aſſerit, præeminentes altitudine dignitatis præferendos eſſe, latèque Tambur. *de jur. Abb. diſp.* 25. *qu.* 3. *per tot.* aliique præcipuè Bald. *in fin. num.* 3. ibique Felin. *num.* 9. *de offic. deleg. in* 6. Dec. *conſ.* 61. *num.* 1. & Rota poſt Tamb. *tom.* 3. *dec.* 5. *n.* 8. 19

Unde ſicut Abbas præfertur Clericis, tanquam Prælatus, & ſupremum caput, ita & monachi, ut illius membra, præferendi ſunt, *c. novit, de his, quæ fiunt a Prælat. ſine conſen. cap.* cùm membra a ſuo capite ſeparari non debeant ex regulis in materia præcedentiæ conſtitutis, ac in puncto a Rota ponderatis coram Gregorio XV. *deciſ.* 284. *ferè per tot.* Gratian. *diſcept.* 111. *num.* 1. cum pluribus *ſeqq.* Rip. *reſp.* 5. *num.* 4. *de Conſtitut.* Rota apud Tambur. *d. tom.* 3. *dec.* 113. *num.* 5. *& 6.* fuitque latiſſimè firmatum in Fanen. præcedentiæ 1. Julii 1648. coram Arguellio. Idque ne generetur confuſio, quam jura abhorrent, *cap.* 1. *dict.* 12. Rota *p.* 5. *dec.* 211. *num.* 5. Ratione autem Abbatialis dignitatis exiſtentis in Eccleſia, tanquam capitis, illis præcedentia debetur, Manriq. *quæſt.* 24. *numer.* 2. Adeòut, quicquid ſit, quando ageretur de Eccleſia cathedrali, & Canonicis, ac dignitatibus capitulariter exiſtentibus propter eandem rationem, ne membra a capite ſeparentur, certè, hoc caſu circumſcripto, Abbates ſunt majores inferioribus dignitatibus Eccleſiaſticis, *can. ſi quis deinceps* 17. *quæſt.* 7. Manriq. *dict. quæſt.* 1. *num.* 9. loquens etiam de Archidiacono. Quod ſanè multò magis id aſſerendum eſt in Abbate pro Eccleſiis illi ſubjectis, & Clericis ibi inſervientibus, præcipuè quando juriſdictionem habet quaſi Epiſcopalem Jo: Fr. Leo *in theſ. for. eccleſ. p.* 1. *cap.* 2. *num.* 31. Manriq. *d. qu.* 1. *n.* 9. 20

Concurrente etiam immemorabili conſuetudine, quæ in hac præeminentiarum materia ſummoperè attendi debet ex aliàs ſæpè deductis, quibus addo Gratian. *diſcr.* 106. *num.* 8. *& diſc.* 845. *numer.* 4. Ubi quod attenditur tanquam lex, qua de re copioſè Manriq. *quæſt.* 18. *n.* 1. *& ſeq.* Tamb. *de jur. Abb. d. diſp. num.* 250. 31. & Rota 21

coram

coram Pegna *dec.* 941. *num.* 5. & *dec.* 1049. *num.* 4. & *part.* 4. *dec.* 118. *num.* 5. *rec.* ubi quod concurrente conſuetudine jus non attenditur, & apud Poſt. *de manut. dec.* 32. *num.* 6. & *p.* 5. *dec.* 85. *num.* 5. & 6. *p.* 6. *dec.* 15. *num.* 14. Merlin. *dec.* 779. *num.* 2. ubi quod pro jure habetur ac prævalet prioritati originis. Eſtque adeò potens in hac materia, ut attendi debeat, quamvis ageretur de præferendo minus dignum digniori, vel aliàs contra jus eſſet, ut per Abb. *in cap. auditis nos* 3. *de elect.* Rip. *in c. Eam te de reſcrip.* Manriq. *d. quæſt.* 18. ubi multa, Rota apud Poſt. *dec.* 32. *num.* 7. & *dec.* 33. *n.* 6. & *p.* 5. *dec.* 85. *n.* 5. & 6. & *p.* 4. *dec.* 118. *n.* 4. & *part.* 6. *dec.* 224. *n.* 1. & *dec.* 332. *n.* 17. Seraph. *dec.* 71. *n.* 18. & *dec.* 964. *n.* 3. Add. ad Buratt. *dec.* 903. *n.* 20. & *ſeq.* ac fuit reſolutum in Romana præcedentiæ 22. Junii coram Orano, in Bononien. præcedentiæ 19. Junii 1643. coram Meltio, & nos ſæpius id decantavimus.

22 Atque ex his non obſtat doctrina Sacr. Rotæ in Oppiden. coram Veroſpio, ac reſolutione Sac. Rituum Congregationis, & Conſtitutiones Apoſtolicæ ſuperiùs adductæ. Primò, quia loquuntur, ac intelligi debent de Eccleſiis ſæcularibus, quæ concurrunt cum Regularibus, cæteris paribus, & quando nulla viget ratio contrarium ſuadens. Tunc enim ſumenda eſt diſpoſitio juris communis præferens Clericos ſæculares Regularibus. At nulla loquitur, quando Clerici ſæculares ſubjecti Regularibus. Quia tunc de jure non præcedunt, nec poſſunt allegare ſe eſſe majores, ac digniores. Quia ſubjecto facit, quod reputentur minores, Gloſs. *in cap. Cum inferior, v. ligare*, ubi Abb. *n.* 1. *de major.* & *obed.* Barbat. *in c. volentes n.* 16. *ante fin. de offic. deleg.* Put. *dec.* 104. *n.* 1. & *ſeq. p.* 3. *in correct.* & obſervatum fuit in d. Montiſregalis juriſdictionis coram Coccino *dec.* 179 *n.* 1. & *ſeqq.* repetita *in rec. dec.* 79. *co n.* 1. Hujuſmodi enim diſpoſitiones, dantes præcedentiam, intelliguntur, prout de jure, cæteris paribus, ut in terminis ſtatuti danti præcedentiam benè firmat Becc. *conſ.* 192. *n.* 24.

23 Secundò, quia non comprehendunt immemorabilem, quæ eget ſpeciali derogatione, Gonzal. *gloſs.* 32. *num.* 2. & *ſeq.* Rot. *dec.* 614. *num.* 1. *p.* 2. & *dec.* 286. *n.* 1. *p.* 2. *rec.* Buratt. *dec.* 435. *n.* 6. 12. & *ſeqq.* & *dec.* 831. *n.* 7. Ex ea enim datur titulus privilegii Apoſtolici, & quilibet alius melior, *cap. quia circa* ubi Abbas & Doctores *de conſang.* & *affin.* Gonzal. *d. gloſs.* 33. *n.* 4. Rot. *dec.* 249. *n.* 4. *p.* 5. & *dec.* 614. *n.* 1. *p.* 2. idem Burat. *dec.* 673. *n.* 5. Ex qua ratione nec idem cœremoniale, quod munitum eſt in ſua confirmatione clauſula ſublata, & decreto irritante, neque decreta Sac. Congregationis conſuetudines immemorabiles, & laudabiles tollunt, ut declaravit eadem S. Congregatio in his declarationibus.

24 Salamantina. *S. Rituum Congregatio reſpondit, quòd cœremoniales tollit abuſus, non autem immemorabiles conſuetudines, maximè ſi conſuetudo immemorabilis legitimè præſcripta ſit, die* 10. *Januarii* 1604.

25 Hiſpaniarum. *S. Rituum Congregatio, ut aliàs ſæpè ad inſtantiam particularium, ita tunc ad inſtantiam omnium Eccleſiarum in Hiſpaniarum Regnis librum cœremonialium immemorabiles, & laudabiles conſuetudines non tollere declaravit die* 11. *Junii* 1605.

26 Nicenſi. *Lettera al Veſcovo. Nella difficoltà, che portano i Canonici di coteſta Cattedrale in non volere eſſi, che il prete aſſiſtente porti ſul capo il libro conforme al cerimoniale, queſti Illuſtriſſimi Signori ſentite le ragioni loro, e vedute le fedi della conſuetudine di coteſta Chieſa, e delle circonvicine, penſarono per hora, che ſia bene V. S. laſci correre, come ſi è fatto fin quì, in finchè non ſi determina altrimente; perchè ſe la conſuetudine ſarà laudabile per le circoſtanze, che ſi ponno conſiderare, biſognerà dire, che dal ceremoniale non ſia levata, e in tanto &c. a' 7. Giugno* 1625.

27 Tornacenſi. *Laudabiles*, & *immemorabiles conſuetudines, quas liber cœremonialis Epiſcoporum non tollit, ut ſæpè Sac. Congregatio declaravit, nec etiam per Epiſcopum poſſe abrogari, ſeu tolli eadem S. Congregatio Rituum cenſuit die* 28. *Januarii* 1612.

28 Eſſe autem hanc conſuetudinem laudabilem, conſtat, dum nulla cauſa præcedentiæ, rationi congruentior afferri poteſt, quam quod ſubdito dominus præcedat. Monſtruoſum enim eſſet quod domino ſuo ſubditus præferri deberet ad textum *in c. Quis dubitet d.* 66. & *in d. c. inferior, de major.* & *obed.* ita ſanè, ut contraria conſuetudo ſit irrationabilis, atque adeò imperſcriptibilis, Gregor. XV. *dec.* 310. *num.* 5. & 6.

29 Verùm in contrariam ſententiam, quam in hoc caſu amplector, urget ſolidiſſima poſtulatio Clericis ſæcularis pro ejus præcedentia. Nam innititur tot declarationibus S. Rituum Congregationis, pluribus Pontificiis Conſtitutionibus confirmatis a Clemente VIII. & Gregorio XV. quæ ſtabiliuntur firmiſſimo atque inconcuſſo fundamento, nempè prioritate originis, & majori dignitate Clericorum nempe juxta deducta in illa celeberrima controverſia inter Canonicos Regulares Congregationis Lateranenſis, & Monachos Caſinates, quam refert Tambur. *de jure Abb. d. tom.* 1. *quæſt.* 1. *a num.* 69. ubi *num.* 110. conſideratur, quod Clerici habent Epiſcopum pro capite, qui Monachis, aliiſque Regularibus præcedit. Ex his autem rationibus expreſſis Pius IV. poſt relationem, ac ſententiam Judicum ſuper præcedentia Canonicorum ſuam Conſtitutionem 75. edidit in Bullario novo *p.* 2. quemadmodum & Pius V. aliam condidit ſuper præeminentia eorumdem Canonicorum ante alios quoſcunque Regulares poſt Clerum ſæcularem, quæ eſt 116. in eadem *p.* 2. *Bullarii*.

Neque ab his Conſtitutionibus, ac declarationibus hoc 30
in caſu recedendum eſſe arbitror eo ſub prætextu, quod concurrat rationabilis cauſa pro præcedentia Monachorum, deducta vel ex conſuetudine, vel ex ſuperioritate ac juriſdictione, vel ex dignitate Abbatiali. Nam conſuetudini expreſsè derogatur in Conſtitutionibus Clementis, & Gregorii, ibi: *Non obſtantibus Apoſtolicis Conſtitutionibus, & ordinationibus, & quibuſcunque ſtatutis, & conſuetudinibus etiam juramento, & confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate aliàs roboratis, privilegiis quoque & indultis, ac literis Apoſtolicis quibuſvis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis &c.* Ex qua derogatione propter clauſulas generales derogatum eſſe, etiam immemorabili juxta textum *in Clem. fin.* in fine juncta Gloſſa *v. quamvis de reb. Eccleſ. non alien.* certè dicendum eſt. Nam eſt irrationabilis & iniqua, & uti talis in prædictis Conſtitutionibus omninò tollitur ex adductis per Gonzal. ea Gloſs. *33. n.* 9. & ex reſolutione Rotæ *dec.* 71. *a n.* 1. *p.* 5. *rec.*

Porrò conſuetudinem hanc eſſe iniquam atque irra- 31
tionabilem exinde oſtenditur, quia præfertur junior ſeniori, ac minus dignus digniori contra regulas juris, & tradita per Decian. *conſ.* 6. *a num.* 64. *lib.* 1. ut proindè S. Rituum Congregatio paſſim reſpondeat pro præcedentia Clericorum, non obſtante quacunque conſuetudine, ſeu prætextu, ut ex relatis Conſtitutionibus Pontificiis etiam conſtat, in quibus illa tanquam abuſus damnatur, & nullo modo Regularibus præcedentiam competere definitur. Si enim modo enarrato præcedentia Regularibus competeret, talis præcedentia aliquo modo illis competeret. Dictio enim *nullo modo* ita univerſalis eſt, ut excludat quemcunque modum præcedentiæ per ea, quæ tradunt Pariſ. *conſil.* 58. *num.* 10. *vol.* 1. Gozad. *conſ.* 14. *num.* 22. Roland. *conſ.* 2. *num.* 23. *vol.* 4. Glorit. *reſp.* 1. *num.* 194. *p.* 1. Narbon. *de appell. Vicar. ad Epiſcop. p.* 2. *fun.* 1. *num.* 35. Immò excludit etiam illos modos, qui aliàs non excluderentur, ut notant Alex. *conſ.* 155. *num.* 3. *vol.* 2. Ruin. *conſ.* 68. *numer.* 10. *vol.* 4. Grat. *conſ.* 163. *num.* 19. *vol.* 2. Et omnem prorſus modum excogitabilem juxta *cap. indemnitatibus, v. ſi qua verò, de elect. in* 6. & *Clem.* 2. *v. ne igitur, de ſentent. excomm.* tantaque eſt ejus efficacia, ut ſufficiat, ſi de illo modo fuerit in genere a coſtituente cogitatum, ut dixit Seraph. *dec.* 350. *numer.* 2. Unde non eſt dubitandum, quin præſens caſus comprehendatur ſub diſpoſitione decretorum S. Rituum Congregationis, ac Conſtitutionum Pontificum, præcipuè quia non eſt diſtinguendum, quando lex non diſtinguit.

Quinimmò neque ulla conſuetudo allegari poteſt. 32
Vel quia circumſcriptis Conſtitutionibus Gregorii XV. adhuc non verſamur inter particulares, unde potius præſcriptio diceretur, quæ contra Clerum allegari non poteſt. Quia prælatione de jure debitæ ordini clericali neque expreſsè, neque tacitè renunciare valuit, ut proſequitur Decian. *d. conſ.* 21. *num.* 68. *cum ſeq. lib.* 1. Et ſucceſſores ſemper habent jus vindicandi, ut benè declarat Grat. *diſcept.* 298. *num.* 8. & *ſeqq.* ubi etiam quod actus non concludunt conſuetudinem, ac præſcriptionem, niſi intervenerit prohibitio, atque interpellatio. Vel quia, quatenus verſaremur in terminis conſuetudinis immemorabilis, requireretur, quod fuerit recepta in contradictorio judicio, ut ſubdit Decian. *d. conſ.* 21. *num.* 66. & *ſeqq.*

Ob ſuperioritatem verò ſatis eſt, quod Abbati in ac- 33
tibus juriſdictionalibus præeminentia debeatur, ita ut ex illis ad actus Eccleſiaſticos inferri non poſſit, cùm in hac materia non repugnet, quod una atque eadem perſona ratione diverſi juris præcedat, & ſubjiciatur in diverſis actibus exemplo Epiſcopi Canonici ex traditis a Lotterio *de re benefic. lib.* 1. *part.* 15. *num.* 32. & *ſeq.* ac pluribus aliis exemplis comprobatur a Gratiano *diſcept.* 288. *a num.* 26. referente declarationes S. Rituum Congreg. Quod etiam declarat Menoch. *conſ.* 52. *a num.* 99.

lib.

lib. 1. Ex quo multò minus deduci ratio æqua & rationabilis ad prælationem monaſterii, cui juriſdictio nullatenus competit, cùm ſolus Abbas, qui eſt ſuperior monaſterii juriſdictionem habeat.

34 Ultima verò ratio deſumpta ex dignitate Abbatiali nullius eſt momenti. Quia illa eſt regularis, & Abbas, uti Abbas, eſt caput monaſterii, Abbas verò, uti ſuperior Eccleſiæ ſæcularis, eſt illius caput. Et proinde regula, ne membra ſeparentur a capite optimè congruit, ſingula ſingulis referendo, ut ſcilicet Abbas in actibus monaſterii, & regularibus, debeat aſſiſtere, & incedere conjunctus cum ſuo monaſterio, ſed cedendo Clericis; in actibus verò juriſdictionis, & ſuperioritatis, tanquam ſuperiori in Eccleſia ſæculari, debeat incedere cum Clericis præcedendo ſuum monaſterium, cùm hæc non repugnent juxta deducta *in dec.* 79. *a num.* 1. *p.* 1. *rec.* ubi quia Eccleſia Montiſregalis erat regularis ex privilegio, ſæculares Clericos illi inſervire, ac Regularibus poſtponendos firmatur.

35 Quod præcipuè tenendum eſt, quando Eccleſia ſæcularis, Regularibus ſubjecta in concurſu aliarum Eccleſiarum loci præcedit alias Eccleſias ſæculares, totali juriſdictioni Epiſcopi ſubjectas, neque Abbas, ſive Regulares in illas ſuperioritatem aliquam habent. Atque adeò, ſi daretur præcedentia Abbati, & monaſterio quoad Clericos Eccleſiæ ipſis ſubjectæ, daretur etiam quoad alios Clericos, in quos Abbas ſuperioritatem non habet. Quod eſſe contra jus commune, contra decreta S. Rituum Congreg. & contra Conſtitutiones Apoſtolicas, quæ habent clauſulam ſublatam, & decretum irritans, impediunt, ac ipſo jure annullant contrariam ſententiam.

36 Quare non rectè, neque aptè adducuntur deciſiones in Cæſarauguſtana præeminentiarum. Nam in illis agebatur inter duas Eccleſias regulares, & quarum Metropolis fuerat ſæcularizata, & idem Pontifex Clemens VIII. poſtea expreſsè declaravit, ſuæ mentis, ac intentionis non fuiſſe per reductionem ad ſæcularitatem S. Salvatoris, juribus, prærogativis, ac præeminentiis B. Mariæ de Pilar, ejuſque Capitulo, &c. quomodolibet competentibus in aliquo præjudicare, itaut illius reſpectu ſæcularizatio reputaretur, tanquam non facta, non minus ac ſi in ſtatu regulari Metropolitana remaneret. Unde ſecus ſentiendum eſt, declaratione ejuſmodi ceſſante. Quin etiam declarationem ipſam admittunt in puro poſſeſſorio, reſervando diſcuſſionem in petitorio, ut legitur in dicta *dec.* 183. *ſub num.* 6. & 7. & clarius in deciſione ſub 15. Novembris 1624. coram eodem Coccino *in fine*.

CONSULTATIO XXVII.

De munere Archidiaconi, & Primicerii, ſive Cantoris quoad chorum, & quoad Pontificalia exercenda reſpectu Archipresbyteri.

1 EXcitatur ſæpius controverſia intra Archidiaconum, & Primicerium, ſive Cantorem ſuper eorum officio, in qua ſic declaratum lego a S. Rituum Congregatione in Caſſanenſi die 5. Martii 1633. *Cantoris dignitatis in cathedrali munus eſt diſtribuere lectiones, antiphonas, & prophetias, chorum regere, & gubernare, ordinare tabellas, & functiones Eccleſiaſticas per turnum ordine ſucceſſivo, nec non dicere poteſt quo, & quæ ducendæ, dirigendæve ſint proceſſiones.* Verùm cum Cantor Primicerius præfata munia juxta S. Congregationis præſcriptum obiret, ſe illi oppoſuit Archidiaconus, aſſerens ad ſuum favorem ſubdie 15. Septembris ejuſdem anni ſequentem declarationem.

2 Ad primum. *Capitulares de choro exire volentes, Archidiacono primæ dignitati, & eo abſente, digniori ordine ſucceſſivo veniam petere debere.*

3 Ad ſecundum. *Tabellam, in qua deſcribi debent ii, per quos exercendæ ſint functiones Eccleſiaſticæ per turnum, ad Archidiaconum, primam dignitatem ſpectare, præſcribere & ordinare. Cantoris autem munus eſſe, Chorum regere juxta præſcriptum in tabella.*

4 Ad tertium. *Ad Archidiaconum primam dignitatem ſpectat dare ſignum pro inchoando divino officio, & pro diſceſſu a choro, antequam ſignum detur nulli de capitulo liceat exire.*

5 Id, quod etiam fuit declaratum in Aprutina his verbis *Avendo Monſignor mio Illuſtriſſimo Card. Ginneti riferito nella S. Congregazione le pretenſioni di coteſto Archidiacono intorno al far la tabella, e altri ordini neceſſarj per la celebrazione de' diviri officj in coteſta Chieſa, queſti miei Illuſtriſſimi Signori m' hanno ordinato di ſcrivere a V. S. che facci oſſervare al medeſimo Archidiacono, e Canonici gl' inſraſcritti capitoli. Che l' Archidiacono della detta cathedrale, come prima dignità* poſt Pontificalem *eſſendo nel choro abbia da eſſer riconoſciuto per ſuperior maggiore degli altri. Che eſſendo l' Archidiacono in choro, ad eſſo ſpetti nel principio del matutino, ore canoniche, e veſpero intonare il* Pater noſter, *e quello finito, ad eſſo tocchi far cenno, che ſi cominci il* Domine labia mea &c. ò Deus in adjutorium, *nè alcuno poſſa, nè ardiſca uſcir di choro,* etiam *finito l' ufficio, ſe prima da eſſo Archidiacono non ſia dato il ſegno del fine. Che nel far la tabella di tutti tanto Canonici, come Preti, e Chierici, che hanno da ſervire ne' divini uffici, e alle meſſe ſolenni, che ſi celebrano, ſi oſſervi il ſolito*, die 18. Aprilis 1627.

Quinimmò in Monopolitana cùm Canonici cathedralis Eccleſiæ ab eadem S. Congregatione Rituum declarari petiiſſent, an abſentibus, vel impeditis Epiſcopis ac primis Dignitatibus, nempè Archidiacono, & Archipreſbytero, veſperarum, & miſſarum ſolemnia ſpectent ad hebdomadarium, ſive antiquiorem dictæ Eccleſiæ Canonicum, an verò ad Primicerios, qui chori directioni, & aſſiſtentiæ addicti inter dignitates numerantur? *Et S. Congregatio inhærendo decreto alias ſuper hac re edito die 6. Septembris 1603. prædictos Primicerios a chori aſſiſtentia, & directione non eſſe dimovendos, & ad Canonicos immediate digniores poſt præfatos Primicerios veſperarum, & miſſarum ſolemnia ſpectare declaravit, ut unuſquiſque proprio muneri incumbat. Et ita in caſu præſenti omninò obſervari mandavit die* 8. *Junii* 1658.

Nam ad Archidiaconum ſpectant omnia, quæ ad di- 6
vinorum officiorum celebrationem pertinent, Gloſſa & Doctores *in cap.* 2. *de offic. Archid.* Sebaſt. Cæſar. *de Eccleſ. hierarch. p.* 12. *diſp.* 12. *§.* 1. *num.* 7.

Quoniam verò in hac ſecunda declaratione Primice- 7
rius non fuit auditus, neque citatus, ac ne una declaratio alteri videatur contraria, ideò ſecunda ita declarari poteſt, ut primæ non deroget. Nam præter eas functiones, quæ ad favorem ejuſdem Primicerii fuerunt in prima ſpeciatim expreſſæ, aliæ ſuperſunt, de quibus favore Archidiaconi potuit S. Congreg. intelligere, nempè nominare ſacerdotes, qui debeant celebrare, & canere miſſam, item diaconos, & ſubdiaconos, ac alia facere, quæ ſpectant ad altare, non autem ad cantum, ſeu ad chorum, cujus directio nedum eſt reſervata Cantori in prima declaratione, ſed etiam in ſecunda, licèt emanaverit inſtante Archidiacono.

Atque hæc diſtinctio videtur cohærere diſpoſitioni ju- 8
ris communis *in cap. perlectis, §. ad Primicerium,* & *§. Archidiaconus d.* 25. in quo exprimuntur munia Primicerii diſtincta a muniis, & officio Archidiaconi juxta tenorem primæ declarationis ſuperius relatæ, ac etiam aliàs eadem S. Rituum Congregatio reſpondit in Hydruntina 6. Decembris 1613. & in Tarentina Cryptalearum, mea patria, qua nihil poteſt eſſe jucundius 3. die Septembris 1605. ſicque evitatur oppoſitio declarationum. Aliàs verò declaravit in dicta Aprutina 18. Aprilis 1617. quod ſervetur ſolitum in miſſis, quæ cantari ſolent ab Archidiacono diebus ſolemnibus, ſicut etiam in conficienda tabella Canonicorum, presbyterorum, & Clericorum, qui deſervire debent officiis, & miſſis ſolemnibus.

Neque videtur his obſtare, quod eorum prædeceſſo- 9
res hanc rem ad concordiam adduxerint, ſi non fuerint confirmata authoritate ſummi Pontificis; quia non ligat ſucceſſores, Concil. Trident. *ſeſſ.* 6. *cap.* 4. *de refor. Extravag. ambitioſæ de reb. Eccleſ. non al.* Rota apud Greg. XV. *deciſ.* 112. ubi Add. *lit. A.* Burat. *dec.* 132. *ex cap. veniens de tranſ.* in quo diſponitur, non ſufficere, quod tranſactio inter perſonas Eccleſiaſticas ſit confirmata in forma communi generaliter a Sede Apoſtolica in judicio contradictarum, ſed neceſſe eſt, quod ſpeciatim confirmata ſit ex certa ſcientia ſummi Pontificis cum cauſæ cognitione, aliàs autem facta non tenet, fueruntque ſublatæ a Concil. Trid. concordiæ non confirmatæ ex certa ſcientia. Verùm in materia præeminentiarum concordiam coram Ordinario factam a præceceſſoribus alligare ſucceſſores etiam abſque beneplacito Apoſtolico judicavit Rot. apud Seraph. *dec.* 36. & in Conſentino præcedentiæ 6. Junii 1618. coram Dunoz.

Solet nonnumquam ad probandum conſuetudinem im- 10
memorabilem concedi remiſſoria, quando tamen res eſt integra, ſi ſcilicet altera conceſſa exequutioni non eſſet demandata, nec aliud in contrarium urgeret. In quo caſu concedenda non eſt, niſi cum clauſula *ſine retardatione*, quoque interim Archidiaconus manuteneatur in poſſeſſione faciendi hujuſmodi functiones juxta perpetuam praxim S. Rituum Congregationis. Quia pendentibus probationibus illius, cui jus reſiſtit, non debet impediri, qui habet juris aſſiſtentiam. Ex qua ratione

idem

idem obſervat S. Congreg. Concilii, & S. Rota in controverſiis inter Epiſcopos ac Prælatos inferiores ſuper juriſdictionem quaſi Epiſcopalem. Etenim ſi Prælatus inferior alleget immemorabilem ac petat remiſſoriam ad illam probandum, datur interim Epiſcopo manutentio juxta graviſſimas deciſiones in Toletana juriſdictionis 9. Maji 1659. & 21. Maji 1660. & 27. Januarii 1662. coram Bevilaqua.

11 At verò non eſt locus conceſſioni remiſſoriæ primò, quando illa jam conceſſa fuit, ejuſque vigore factæ ſunt probationes, ac inducti plures teſtes, quorum dicta ſunt didicita, & publicata, idque ob ſuſpicionem falſitatis juxta *Clem.2. de teſtib. & dec.* Rotæ in Tullen. matrimonii 12. Januarii 1654. coram Albergato cum aliis per Burat. & Add. *ad dec.*180. Nam præſumitur, quod adverſarius induxerit teſtes meliores, quos habere credebat. Secundò, quando conſtat, materiam eſſe improbabilem, ut in ſpecie Burat. *dec.*551. & 864. & *dec.*344. *par.*11. *rec.* cum inter eſſentialia requiſita immemorabilis, adducta per vulgarem Gloſſam *in c.1. de præſcript. in 6.* illud præcipuum ſit, ut nihil unquam in contrarium geſtum, dictum, aut auditum fuerit, adeòut ſolus rumor ſufficiat ad illius interruptionem, præſertim ubi agitur de cauſa univerſali, in qua exercitium aliquorum actuum conſervat jus, ac poſſeſſionem illius, qui habet aſſiſtentiam juris, ut rectè firmat in citata Toletana juriſdictionis. Ideòque ſi comprobetur, Archidiaconum pro tempore plures peregiſſe actus ac functiones primarias, & pontificales diverſis temporibus, prætenſa immemorabilis remanet omninò improbabilis, atque adeò remiſſoriæ petitio eſt calumnioſa. Qua de re vide etiam *tomum primum*.

CONSULTATIO XXVIII.

An Archidiacono, vel alii dignitati, aut Canonico ſolemniter celebranti debeatur aſſiſtentia duorum canonicorum, vel dignitatum, præſertim ubi præbendæ ſunt diſtinctæ? Ubi an, & qualiter Epiſcopus poſſit cogere Clericos ſibi ſubditos ad ſuſcipiendum Sacros Ordines?

1 AD primum affirmo ex diſpoſitione cæremoniali Epiſcoporum *lib.2. cap.*17. & ex ſequentibus declarationibus S. Rituum Congregationis.

2 Sypontina. *Narratum fuit in Eccleſia collegiata Sanct. Michaelis Archangeli Montis Gargani Sypontinæ diœceſis adeſſe quatuor dignitates, ac duodecim Canonicos, omnes præbendatos, & dubitari inter ipſos, an celebrante aliqua dignitate, vel Canonico inſervire debeant pro diacono, & ſubdiacono Canonici, non verò alii inferiores de gremio ejuſdem Eccleſiæ? Et Sac. Rituum Congregatio reſpondit, dignitate, vel Canonico celebrante pariter canonicos pro diacono, & ſubdiacono, & non alios inferiores inſervire debere, non obſtante contraria conſuetudine, quam abuſum eadem Sac. Congregatio declaravit die* 8. *Martii* 1631.

3 Nucerina Paganorum. *Pro parte Capituli Nucerini Paganorum petitum fuit, an ſtante pauco numero Canonicorum in choro, cùm non ſint niſi octo, celebranti Archipresbytero, vel alteri dignitati debeatur aſſiſtentia duorum Canonicorum? Et S. Rituum Congregatio reſpondit, deberi die* 17. *Martii* 1629.

4 Notandum verò, quod ubi numerus Canonicorum non eſt multus, non tenentur Canonici ſe cum dignitatibus parare, & dignitates ipſæ tenentur accedere ad anagnoſtorium, vulgò legile, ut habetur ex Sac. Epiſcop. Congregatione ſub die 20. Auguſti 1601. Si verò eorum numerus ſit competens, tenentur ſe in illis ſolemnitatibus parare, in quibus cantaretur miſſa pontificalis, ſi adeſſet Epiſcopus, ut ex eadem S. Congregatione 17. Aprilis 1602.

5 Ratio autem eſt, quia dignitates, & canonicatus in Eccleſiis, præcipuè cathedralibus, ad conſervandam, augendamque Eccleſiaſticam diſciplinam ſunt inſtitutæ, nemoque ad dignitatem, canonicatum, aut portionem recipi poteſt, niſi qui eo ordine ſacro aut ſit initiatus, quem illa dignitas, præbenda, vel portio requirit, aut in tali ætate, ut intra tempus a jure, & a Concilio Tridentino *ſeſſ.*24. *c.*12. *de reform.* ſtatutum, initiari valeat, ut proinde in omnibus Eccleſiis cathedralibus omnes canonicatus, ac portiones habere debeant annexum ordinem presbyteratus, diaconatus, vel ſubdiaconatus. Qui omnes divina per ſe, & non per ſubſtitutos compelli debeant officia obire.

6 Hinc recuſantibus Vicedomino, & decano ex diſpenſatione Apoſtolica etiam Canonicis diaconis Eccleſiæ Placentinæ, ſubire onera canonicatibus annexa, quando per turnum eis contingebant, Sac. Rituum Congregatio, proponente Emin. Cardinali Brancacio, decrevit juxta formam S. Concilii Trid. *ſeſſ.*22. *cap.*4. *de reform.* & *d. ſeſſ.*24. *cap.*12. *in fin.* ſcilicet dictos Vicedominum, & decanum habentes canonicatum diaconalem teneri inſervire pro diacono, quando per turnum eis contigerit, cui decreto non acquieſcentibus, iterum per Em. Cardinalem Cæſarinum propoſita cauſa S. Congregatio perſtitit in decretis, prout ex ſequenti: *Emin. D. Cardin. Brancacio proponente petitionem Canonicorum Eccleſiæ Placentinæ contra Vicedominum, & decanum ejuſdem Eccleſiæ habentes præbendam diaconalem & renuentes inſervire pro diacono quando per turnum eis tanquam diaconis contigerit inſervire, Sac. Congregatio cenſuit, eos inſervire debere, ſi velint præbendæ proventibus gaudere die* 21. *Auguſti* 1640.

Et iterùm hujuſmodi petitionem ad inſtantiam ſupradictorum Vicedomini, & decani contra præfatos Canonicos proponente Em. Cæſarino, dictis partibus pluries auditis, eadem S. Congreg. ſtetit in decretis die 27. Septemb. 1641.

Cum S. Rituum Congreg. die 21. Auguſti 1640. cen- 7
ſuerit, decanum cathedralis Placentinæ teneri inſervire pro diacono, quando per turnum ei contingit, ſi vult præbendæ gaudere proventibus, & cùm die 27. Septembris ad inſtantiam Vicedomini, & decani ſupradicti fuerit propoſitum idem dubium, Em. D. S. Rituum Congregationi præpoſiti ſteterunt in decretis. Unde idem Vicedominus & decanus inſtiterunt, & reſpectivè obtinuerunt ad probandam contrariam conſuetudinem literas remiſſoriales ſibi concedi, quibus expeditis, & vim illarum examinatis teſtibus, fuit per Em. Cardinalem Sacchettum propoſitum dubium, an conſtet de immemorabili præfata? Et Em. DD. negativè reſponderunt, & ſervanda eſſe ſupradicta decreta mandarunt die 9. Martii 1645.

Adverto hic magnum inconveniens, quod reſultaret 8
ex prætenſa probatione immemorabilis. Ponamus enim adeſſe in Eccleſia octo præbendæ diaconales, & dignitates verò quinque. Hæ autem omnes ſi obtinerent præbendas diaconales, totum onus canendi Evangelium ſpectabit ad tres illos canonicos, & dignitates gaudebunt proventibus diaconalibus abſque ſervitio. Quod eſt contra diſpoſitionem S. Concilii Trident. *d. ſeſſ.*22. *cap.*4. & *ſeſſ.*24. *cap.*12. *de refor.* ac contra decreta ejuſdem S. Rituum Congregationis. Quare cenſeo, immemorabilem etiam probatam non obſtare in hoc caſu, quia eſt irrationabilis, eumque abuſum eadem S. Congregatio ſupra nominavit.

Inſuper adverto, quod cum de jure communi Eccle- 9
ſiæ collegiatæ ſimplici nullatenus incumbit onus celebrationis miſſarum. Ejus enim canonicatus ſecundum jus commune ſunt beneficia ſimplicia, Lotter. *de re benef. lib.3. q.*5. *num.*1. & *ſub num.*17. *ac ſeq.* Grat. *diſcept.*541. *num.*2 itaut illi conferri poſſint Clericis annorum quatuordecim, Abb. *in cap.2. num.*5. *de inſtitut.* cum aliis abundè relatis a Grat. *diſcept.*482. *num.*1. a Monet. *de diſtrib.2. quæſt.9.* ab Homob. *de hum. ſtat. p.1. cap.9. num.*2. & a Ricc. *in pr. reſol.*289. *a num.*2. cum in iis S. Concilium Tridentinum nihil innovaverit, ut ex declarationibus Gregor. XIII. & S. Congregationis tradunt Leo *in theſ. par.2. cap.*18. *num.*20. & *ſeqq.* Garz. *de benef. part.7. cap.4. num.*36. & Gratian. *d. diſcept.* 591. *num.* 10. & 12. & tanquam beneficia ſimplicia ex generali conſuetudine reſidentiam non requirunt, niſi vel in cathedralibus, in quibus habent annexum ordinem ſacrum juxta Tridentinum *d. ſeſſ.*24. *cap.*12. vel dum in Collegiatis habent annexum talem ordinem ex inſtitutione, ut firmat Lotter. *d. lib.3. quæſt.*27. *num.*21. & 24. vel demum in Collegiatis inſignibus, utique declarationes adductæ locum habere non videntur in Collegiatis non inſignibus, ſed in Eccleſiis cathedralibus juxta Tridentinum loco citato, vel in Collegiatis inſignibus habentibus plures dignitates, & non paucum numerum Canonicorum, quibus ex inſtitutione, vel conſuetudine propterea eſt injunctum onus miſſæ conventualis, ut in declaratione relata per Garziam *d. par.3. cap.2. num.*296. non autem in canonicatibus collegiatæ non inſignis, & poſſunt conferri etiam Clericis quatuordecim annorum, præſertim in Eccleſia, in qua adeſt ſolus Archipresbyteratus, qui in collegiata non urbana, neque inſignis nullatenus dici poteſt dignitas.

Quod autem Canonici non teneantur celebrare miſſas, 10
niſi ex inſtituto, vel legitima conſuetudine Eccleſiæ, innuit declaratio S. Congreg. Concil. relata per Garz. *d.p.*4. *c.2.n.*495. Et dum Canonici habent onus miſſæ conventualis, locum habent aliæ declarationes S. Rituum Congreg. quod ſcilicet miſſa votiva non ſuppleat hujuſmodi onus,

di onus, & qnod debeat cantari per Canonicum, non autem per capellanum, ut fuit declaratum in Bergomenſi contra Canonicos Eccleſiæ cathedralis, referentes Cardinale Pamphilio ſub die 17. Septembris 1642. ubi aderat conſuetudo celebrandi abſque miniſtris. Unde attenta reſolutionum S. Rituum Congregationis diſcrepantia circa ſervitium in officio diaconi, & ſubdiaconi præſtandum a Canonicis, quando alter Canonicus, vel dignitas pro Epiſcopo, vel alio abſente celebrat, cenſeo reſpondendum iu collegiatis, quarum Canonici aliquando non habent annexum ordinem ſacrum, Canonicos, vel dignitates ad hujuſmodi ſervitium non teneri.

11 Cum igitur Canonicis hujuſmodi collegiatarum non ſit annexum onus, quod ordines ſacros requirat, cùm ex poſitione conſequentis reſultet poſitio neceſſarii antecedentis, ac proindè ſequeretur neceſſitas ſuſcipiendi ſacros ordines *ad l. 2. ff. de juriſd. omn. Jud.* Everard. *loc. 229. numer. 44.* ſublata neceſſitate ſuſcipiendi ſacros ordines, ſublatum quoque remanet dictum onus, retorquendo argumentum, ut ex remotione antecedentis, conſequens removeatur, *l. veteris, ff. de itin. act. priv.* Everard. ubi ſupra *loc. 99.* ac benè Anton. Monach. *dec. Flor. 29 numer. 16.* Deficiente enim qualitate pro explicatione actus neceſſaria, deficit etiam obligatio exercendi actum, Surd. *dec. 39. num. 1.* & Ludov. *dec. 451. num. 6.*

12 Quod ſi illis tantum Canonicis onus ejuſmodi annexum eſſe dicamus, qui ordines ſacros habent, ad imparia Canonici judicarentur, nec inter eos æqualitas ſervari videretur. Immò ex hoc poſſent fortaſſe retrahi a ſuſceptione dictorum ordinum ii, qui dicta onera negligunt. Quod tamen eſſet contra mentem S. Concilii Trident. quod licèt non obligaverit ad ſacros ordines Canonicos collegialis Eccleſiæ, in omnibus tamen Canonicis eos deſideravit. Et ideò innovando diſpoſitionem *Clem. ut ii, de æt. & qual.* voluit Canonicos non ſacerdotes ſuffragium in Capitulo non habere.

13 Ac præcipuè quando in hiſce Eccleſiis conſueverint modò Canonici, modò ſimplices ſacerdotes, aut beneficiati hujuſmodi munia ſubire. Ex quo manifeſtè liquet, quod ad Canonicos non ſpectabant. Quia ſi ad eos ſpectaſſent, nunquam illa beneficiati peregiſſent. Atque ideò cùm ceſſet titulus, propter quem Canonici obligantur, actus per eos hucuſque geſti tanquam meri voluntarii, & facultativi neque ad conſuetudinem, neque ad præſcriptionem, neque ad poſſeſſionem inſervire poſſunt, *l. Proculus ff. de damn. infect.* Decian. *conſ. 44. n. 133.* Rot. *dec. 473. n. 1. & 4. p. 3. rec.* ubi quod requiritur prohibitio, & acquieſcentia, & eadem *p. deciſ. 545. n. 3.* ubi de actibus facultativis in piam cauſam, cujus favore, licèt etiam hujuſmodi actus attendatur, tamen id procedit, ut ibi dicitur, quando actus fuerint uniformes, & longum tempus interceſſerit.

14 Et quidem aut inſiſtitur in actibus geſtis a Canonicis collegiatæ, uti Canonicis, & in illis fundamentum fieri nequit, cum Canonici uti Canonici ad hæc omnia adimplenda ſint inhabiles defectu ordinis, ad quem non tenentur. Aut fundatur in his actibus geſtis a Canonicis ſacerdotibus, & in ſacris conſtitutis, tanquam habentibus ordines ſacros, & ex iis nullam poſſeſſionem contra ſucceſſores acquiri potuit. Quia non fuerunt geſti ab illis tanquam Canonicis, ſed tanquam habentibus ſacros ordines. Quæ cùm ſit qualitas extrinſeca a natura canonicatuum, & actus non potuerint fieri jure canonicatus, ex illis non poteſt aliquid contra ſucceſſores acquiri, Abb. *in c. dilecti n. 7. de for. comp.* Aut innitimur in actibus geſtis a modernis canonicis, uti ſacerdotibus, & ex illis nulla poterit acquiri poſſeſſio manutenibilis. Quia præter id, quod iſti actus probari debent, ceſſat in eis longitudo temporis, ac eorum frequentis, ſine quibus in facultativis manutentio non datur.

15 Quæ faciliùs procedunt in caſu, quo Canonici ſunt perquam pauci. Si enim concederetur hujuſmodi manutentio, & cogerentur canonici ſacerdotes inſervire, id potius cederet in detrimentum cultus divini. Tum quia canonici in poſterum, ut ſe ab hujuſmodi onere liberent, ſacros ordines amplius ſuſcipere non curabunt contra diſpoſitionem S. Concilii Tridentini, quod magis honorando ſacerdotes, & gravando canonicos in ordinibus minoribus conſtitutos, voluit omnes ad ſuſcipiendos ſacros ordines allicere, ac invitare. Tum etiam quia ſi duo ex canonicis cogerentur celebranti inſervire, chorus in feſtis ſolemnibus remaneret vacuus cum diminutione divini cultus, & ſolverentur a naturali obligatione inſerviendi choro, ob quem præcipuè fuerunt inſtituti juxta Sac. Concil. Trid. *d. ſeſſ. 24. c. 12.* & tradita a Gratiano *diſcept. 298. num. 18. & ſeq.* Tandem quatenus manutentio de jure deberetur, non poteſt concedi, niſi ad limites ſuæ poſſeſſionis in iis actibus, in quibus fundatur, Ludov. *dec. 569. n. 1. & 6.*

Atque ita declaravit S. Congregatio Concilii ſub die 18. Maji 1686. in Romana pro Eccleſia S. Mariæ in Coſmedin. Cùm enim dubitaretur, an Canonici dictæ Eccleſiæ in legitima ætate conſtituti, poſſint præcisè compelli ad ſuſcipiendum ſaltem Ordinem ſubdiaconatus, & an dicti Canonici cæteroquin inſervientes poſſint quotidianas diſtributiones percipere, & in qua quantitate? Sacra &c. ad primum reſpondit *negativè*. Ad ſecundum, *percipere poſſunt omnes diſtributiones*.

Quod ad ſecundum adi Fagnanum, qui hoc dubium diſertè ac diſtinctè tractat, *in c. quæris de æt. & qualit.* cujus tamen dicta a *n. 35.* ad finem intelligenda ſunt juxta diſtinctiones a nobis ſuperius allatas.

CONSULTATIO XXIX.

Reperitur in quadam Civitate Eccleſia Collegiata, quæ antiquitùs erat cathedralis, ſed poſtea ſuppreſſa quoad cathedralitatem, alia Eccleſia erecta fuit in cathedralem, cui, licèt eo ipſo, quod fuerit erecta in cathedralem, fuerint conceſſa omnia jura præeminentiarum ac privilegia cathedralitatis, dummodò non appareat, quod fuerit in erectione aliquod jus reſervatum alteri Eccleſiæ, can. viſis 16. q. 2. Cald. conſ. 2. de decim. Nihilominus pro ipſa Eccleſia collegiata quæritur

Primò, an in feſtivitate Corporis Chriſti proceſſionem Sanctiſſimi Sacramenti dirigere debeat ejus Prior, illamque ducere ab ipſa ad Eccleſiam cathedralem uſque, ac Sanctiſſimum Sacramentum deferre?

Secundò, an in ipſa Eccleſia collegiata conſecrari debeat aqua baptiſmalis, ut poſtea deferatur ad Eccleſiam cathedralem, in qua eſt fons baptiſmalis?

Tertiò, an in ipſa conſecrari debeat oleum, & in ea conſervandum?

Quartò, an teneatur aſſervare Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, quia ipſa Eccleſia collegiata eſt parochialis, an verò teneatur ipſi illud ſubminiſtrare Eccleſia cathedralis?

Quintò, an eidem Priori intereſſenti functionibus cum Capitulo cathedralis debeatur thurificatio pari thuribuli ductu, ac datur Dignitatibus cathedralis?

Sextò, an idem Prior præcedere debeat Canonicos cathedralis?

AD primum reſpondeo, illa officia & munera ſpe- 1
ctare ad Dignitates, & Canonicos Eccleſiæ cathedralis, non ad Priorem Collegiatæ. Quia de jure ſupplicationes diriguntur ab Epiſcopo, eoque abſente, ab ejus capitulo, quod eſt caput aliarum Eccleſiarum. Eccleſia enim cathedralis longè antecellit collegiatas honore ac dignitate, *c. venerabili in fin.* ubi Gloſſ. *de verb. ſignif. c. Cùm canonici*, ibique Abb. *in 1. not. de cenſib.* Rota in Cæſarauguſtana præeminentiarum *dec. 3. num. 1. & ſeq. par. 5. rec.* Sanctiſſimum autem Chriſti corpus a digniori deferri debet, Genuenſ. *in pr. c. 51.* ſicuti in eadem feſtivitate præferuntur digniores in deferendo umbellam, ſive baldachinum, Natta *conſ. 576.* Atque adeò abſente Epiſcopo, debent hoc munus exequi Dignitates cathedralis, ad quam de jure ſtatutum eſt, ut omnes Clerici Eccleſiarum inferiorum occaſione ſupplicationum accedere debeant, *can. quando presbyteri d. 38.* ibique Gloſſa *v. ad litanias*, & Archidiacon. *num. 2. can. Rogationes diſt. 3. de conſecrat.* Seraphin. *dec. 15. num. 1.* ac decernit cœremoniale Romanum *lib. 2. cap. 33.* ubi præſcribitur forma habendi ſupplicationes in feſtivitate Corporis Chriſti, quod nempè omnes conveniant in Eccleſiam Cathedralem, & Epiſcopus ſit ductor. Quod cœremoniale omninò, omnes obſervare debent, cùm fuerit editum, & confirmatum authoritate Apoſtolica quibuſcunque non obſtantibus, & declaravit Sac. Rituum Congregatio apud Barboſam *de Canonic. & dignit. cap. 33. num. 23. ac ſeq.*

Ad ſecundum. Aqua baptiſmalis conſecrari debet in 2
Eccleſia majori, atque adeò in cathedrali, ut ſtatuitur in allegato cœremoniali *d. lib. 2. cap. 27.* & in jure cavetur, quod deficiente Epiſcopo, id ſit officium Archipresbyteri, text. *in c. 2. de off. Archipr.*

Ad tertium. Oleum conſecrari, & conſervari debet 3
in Eccleſia cathedrali, ac fieri diſtributio a dignitatibus, & canonicis. Nam conſecratio hujuſmodi ſpectat ad Epiſcopum, debetque fieri in ejus Eccleſia cathedrali, ibique conſervari, ac diſtribui ab iis, ad quos ſpectat adminiſtratio Eccleſiæ, abſente Epiſcopo, atque adeò ad illius dignitates, & Canonicos. Quod etiam ſtatuitur *in d. cœremoniali lib. 2. cap. 23.* habeturque *ex canon.*

pres-

presbyteri, & *ex can. omni tempore de consecr. d.4.* Alioquin induceretur subjectio Ecclesiæ cathedrali, cùm tamen illud petere ab ea debeant etiam exempti, *c. veniens*, 19. *de præscript.* unde subjectionem denotare asseruit Calder. *cons.4. de priv.*

4 Ad quartum. Ecclesia collegiata parochialis debet asservare Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pro suis parochianis. Quia id spectat ad singulos parochos ex munere ipsis injuncto, *canon. si quis presbyter*, & *can. seq. 26.qu.6.*

5 Ad quintum, & sextum. Hic Prior thurificandus est duplici ductu sicut canonici cathedralis. Nam dignitas Prioratus collegiatæ non est major canonicatu cathedralis. Canonici enim cathedralis sunt canonici Ecclesiæ superioris, unde non debent esse inferioris conditionis dignitatum collegiatæ. Et proprerea Priori collegiatæ non competere præcedentiam supra canonicos cathedralis refert declaratum Barbos. *ubi supra cap,* 11. *numer. 6.* & 7.

6 Atque ita etiam censuit Sac. Rituum Congregatio in Tuscanensi præeminentiarum 19. Augusti 1616. scilicet viso, ac maturè perpenso supplici bello, S.Congregatio Sacrorum Rituum ad dissensionum inter cathedralem Tuscanellæ, & collegiatam ejusdem loci materiam imposterum submovendam Illustrissimo D.Card. Crescentio referente, in functionibus, de quibus supra, non obstante quavis contraria consuetudine, præferendam esse cathedralem collegiatæ, atque ad supradicta, ut sequitur, respondendum censuit.

7 *Ad primum, Delationem Sanctissimi Sacramenti in die ejus festo pertinere ad dignitates, seu Canonicos cathedralis, atque ab eadem cathedrali processionem debere inchoare, & ibidem finire.*

8 *Ad secundum, Sacras baptismatis aquas debere confici in cathedrali.*

9 *Ad tertium, oleum sanctum debere conservari in cathedrali ab ejusque dignitatibus dispensari.*

10 *Ad quartum, debere Collegiatam conservare Sanctissimum Sacramentum pro servitio suæ parochiæ, neque teneri cathedralem illud subministrare.*

11 *Ad quintum, satis esse, si Prior collegiatæ dum in cathedrali cum illius dignitatibus, & Canonicis interest, duplici ductu thuribuli thurificetur.*

12 *Ad sextum, non competere Priori collegiatæ præcedentiam supra Canonicos cathedralis.*

13 His non obstat, quod collegiata prætendat esse in quasi possessione hujusmodi præeminentiarum ab immemorabili, quæ non dicitur sublata a Cæremoniali Romano, ut ex declarationibus aliàs adductis. Possessio namque immemorabilis optimum titulum tribuit, *c. super quibusdam §. præterea*, ubi Glossa, *v.non extant de verb. signif.* habetque vim privilegii, ac legis, & procedit etiam in reservatis Principi, præcipuè quando adest capacitas in possidente, Burat. *dec.*435. ibique Add. *num.* 10. & *seqq.* Nec unquam censetur illi derogatum etiam per regulas Cancellariæ, nisi de illa facta fuerit specialis mentio, Rota *dec.*614. *num.*2. *par.*2. *recent.* Quare attendenda est juxta doctrinam Baldi *in cap.cùm olim num.*1. *de consuet.* & Surd. *cons.*62. *numer.*1. etiam si repugnaret dispositioni juris communis, ut præclarè Seraph. *dec.*964. *num.*1. & 2. Maximèque in casu, in quo non agitur de absoluta præcedentia, sed tantùm de quibusdam actibus, & functionibus Ecclesiasticis. His inquam non obstat.

14 Primò, quia debet probari in hoc casu cum suis requisitis necessariis, certumque est illam alleganti incumbere onus probandi, cùm consistat in facto, sitque variabilis, Gloss. *in l.*1. *C. quæ sit longa consuetud.* Mohed. *dec.*3. *de consuet.* Secundò, quia etiamsi esset probata, non relevaret, quia est meræ facultatis Nevizan. *consil.* 14. loquens de consuetudine retinendi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Ecclesia Monialium per totam octavam corporis Christi. Tertiò, quia consuetudo fuit sublata a Clemente VIII. qui motu suo proprio, & ex certa scientia, ac de plenitudine suæ potestatis cæremoniale approbavit, mandavitque illud observari in omnibus Ecclesiis metropolitanis, cathedralibus, & collegiatis cum decreto, quod non possit in aliquo immutari, nec alterari, non obstantibus Constitutionibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæteriscque contrariis quibuscunque. Quæ verba inducunt expressam derogationem statutorum Ecclesiæ, Rot. *decis.* 1. *num.* 1. *de prob. in nov.* Garz. *de benef.p.*7. *cap.*1. *n.*177. Itaque tàm consuetudo, quàm contrarius usus videtur in totum sublatus. Quare cæremoniale præfatum in cæremoniis Ecclesiasticis habetur tanquam lex scripta, & jus commune, quod inviolatè servandum est ex Mohed. *dec.* 5. *de fid. instr.* Rot. in Elboren. exemptionis 3. Maji 1600. coram Sacrato, & in Calaguritana juris pulsandi campanas 11. Martii 1619. coram Dunozetto seniore.

Et quamvis consuetudo immemorabilis non videatur 15
fuisse sublata in dicto cæremoniali ex allegatis per Rotam in citata Calaguritana, præter tamen requisita Glossæ in *cap.*1. *v. memoria de rescript. in 6.* probatio hujusmodi immemorabilis debet percutere tempus editionis cæremonialis, illiusque confirmationis ab anno 1600. Quia licèt non tollat consuetudinem immemorabilem, dicta tamen immemorabilis debet probari antequam cæremoniale confirmaretur, ex quo in confirmatione illius tollitur contrarius usus, & contraria consuetudo. Nam ubi removetur præterita consuetudo ex causa irrationabilitatis, multò magis removetur futura de novo introducenda, Gemin. *consil.*72. *n.*6. & 7. ac Rip. inter novis. *resp.*212. *n.*6.

Minus etiam obstaret, si hujusmodi possessio imme- 16
morabilis videretur probata ex attestatione Summi Pontificis prohibentis, ne quis audeat perturbare sub pœna excommunicationis Ecclesiam collegiatam. Cùm enim testetur de facto proprio, & de actu a se gesto, plenam probationem facit, illique creditur, Crescent. *dec.*2. *num.*2. *de renunc.* Rot. in Calaguritana, seu nullius 16. Junii 1606. coram Ottembergo. Adeò ut in hoc casu neque etiam admittatur probatio in contrarium, Caputaq. *decis.* 387. *lib.*1. Hinc est, quod Papæ asserenti, sibi fuisse supplicatum, creditur, ut plenè Gregor. *dec.*239. ibique Add. *num.* 10. Quia quando Pontifex fundat intentionem suam, faciendo provisionem circa rem aliquam, certè prohibitionem, & comminationem pœnæ non facit, nisi prius data veritate circa possessionem immemorabilem ab ipso enarratam, ac præsuppositam, Alex. *cons.*15. *num.*2. *lib.*5. Rot. *decis.*542. *sub princip.p.*4. *div.*

Nam præterquamquod ad hunc effectum requiritur 17
quod sit expressè enunciata, ut per Puteum, & alios quod Maresc ot. *cap.* 100. *num.* 17. sanè dici rectè non potest, quod in hoc Pontifex attestetur de facto proprio, vel a se gesto, cui assertioni statur, ut tradunt omnes *in Clem.*1. *de probat.* sicut in casu, in quo narrat, aliquem esse suum familiarem, vel provisionem a se factam, seu resignationem admissam, & his similes casus, qui aguntur cum ipso Pontifice juxta exempla tradita *in addit. ad dec.*239. Gregorii. At in hoc casu, in quo agitur de consuetudine prætensa in Ecclesia particulari, fateri oportet, quod quicquid Pontifex asserit, ab aliis acceperit. Quia consuetudo est jus speciale, cujus Pontifex non præsumitur notitiam habere, nisi sibi narretur a supplicantibus. Ita Doctores communiter *in capit.* 1. *de rescript.* Seraphin. *decis.* 1293. *numer.* 4. Eòque magis cum jura controversia sint Ecclesiæ Cathedralis ex decisione Putei 343. *lib.*2. ideò allegatur in ejus præjudicium, quod grave censetur, idem Put. *decis.* 439. *lib.* 2. Seraphin. *decis.* 22. in quo casu extra materiam beneficialem assertioni Pontificis absolutè non statur ex allegatis *in d.addit.* ad decisionem Gregorii 239.

CONSULTATIO XXX.

1 *An Capitulum Cathedralis, vel collegiatæ Ecclesiæ cogere possit clerum aliarum Ecclesiarum inferiorum, ut accedat ad supplicationem fieri solitam in vigilia Sancti titularis, vel patroni?*

2 *An Cruces diversarum Ecclesiarum loci incedere debeant simul, una post aliam in capite supplicationis ante Clerum, & deinde Clericis, & Sacerdotis simul?*

3 *An dignitates Ecclesiarum inferiorum in supplicationibus separari possint a corpore sui Cleri, & incedere in fine supplicationum a finistris dignitatum Cathedralis, vel collegiatæ?*

4 *Ubi quænam sint generales, sive publicæ supplicationes, sive processiones?*

QUoad primum, affirmativè. Nam ordinarius potest 1
cogere omnes clericos tàm seculares, quàm regulares, etiam exemptos, ad processiones publicas, sive generales Ecclesiæ, non autem ad particulares, ut ex S. Concil. Trid. *sess.*25. *de Regul. c.*13. cum eorum tamen Cruce, ut declaravit S. Congregat. super Episcop. in Cajetana 14. Januarii 1603. non obstante inhibitione, eadem S. Congregatio in Spoletana 10. Januarii 1648. & 14. Maji, & 23. Julii 1649. ac etiam Subcollectores, ex S. Congregatione Concilii in Cajacensi 2. Martii 1654. idque sub censuris, eadem S. Congreg. 18. Maji 1618. Sufficitque si vocentur solito edicto, eadem S. Congre-

gatio 13. Maji 1646. in Eugubina. Debent verò convenire cum Clero, & populo in cathedralem, vel matricem, non autem expectare in via, vel in porta ſuæ Eccleſiæ, eadem Sacr Congregatio 6. Februarii 1599. in Fanenſi, & 13. Novembris 1600. Tenenturque intereſſe Curati, etiam regulares, Sac. Congregatio Concilii 5. Aprilis 1631. Confraternitates verò laicorum poſſunt quidem invitari, ſed non compelli ad publicas proceſſiones, minuſque poſſunt cogi ad recitandum aliquod officium, niſi eſſent Eccleſiaſticæ. Tunc enim ſubjiciuntur viſitationi Epiſcopi, in quo caſu poſſunt cogi, ſed antea debent invitari, S. Congregatio Concilii in Papienſi 8. Maji 1627. & in Florentina 13. Novembris ejuſdem anni. Eſtque Epiſcopus manutenendus in quaſi poſſeſſione cogendi confratres per edicta pœnalia, exactione pœnarum, aliaque juris, & facti remedia ad intereſſendum ſolitis proceſſionibus, non obſtante aggregatione, niſi haberent privilegium ſpeciale exemptionis, eadem Sac. Congregatio ſuper Epiſcop. in Viterbienſi 9. Decembris 1586. in Camerinenſi 16. Julii 1624. & alibi.

2 Id verò non procedit in Clericis nullius diœceſis, qui non poſſunt ad proceſſiones compelli ab Epiſcopo viciniori, ſed a Prælato ſuo. Neque in Clericis, qui ſunt extra civitatem in locis, in quibus habent plebem. Neque item in ſacerdotibus & Clericis, qui nullum officium, vel beneficium habent in Civitate, vel diœceſi, maximè ſi neque ſunt originarii, eadem Sacr. Congregatio ſuper Epiſcop. in Panormitana 23. Novembris 1592. Niſi in proceſſionibus ſolemnibus, in quibus intervenit perſonaliter Epiſcopus, & ubi ita ſolitum eſt eadem Sac. Congregatio in Cajetana 5. Junii 1607. & Sac. Congregatio Concilii in Ravellenſi 5. Martii 1646. Minuſque procedit in habentibus ſola beneficia ſimplicia, niſi adſit conſuetudo in contrarium, eadem Sac. Congregatio 12. Martii 1601. in Gallipolitana.

3 Generales autem, ſive publicæ proceſſiones illæ ſunt, quæ fiunt in feſtivitate corporis Chriſti, in litaniis majoribus S. Marci, & minoribus Rogationum, quæve extraordinariè ab Epiſcopo indicuntur generaliter pro bono, vel honore publico, ut Jubilæi, nativitatis, vel adventus principis, proque divina ope imploranda, ac ſimilibus, ut tradunt Ricc. *in prax. p. 1. dec. 367. n. 7.* Tambur. *de jur. Abb. tom. 1. diſp. 24. q. 8. n. 2.* Lezan. *q. regul. 9. n. 47. p. 1.* & declaravit Sac. Congregatio Concilii anno 1597. *ad d. c. 13. ſeſſ. 25. de Regul.* juxta quam declarationem, ac pro illius obſervantia ubique locorum reſpondere ſolet Sac. Rituum Congregatio.

4 Inter proceſſiones publicas enumerantur etiam illæ, quæ ſunt de conſuetudine peculiarium Eccleſiarum, vel quas Epiſcopus generales declaravit, cujuſmodi ſunt proceſſiones, quæ fiunt in vigilia vel feſto Titularis, vel Patroni, ut habetur in Rituali Romano *in tit. de proceſ.* & poſt alios tradit Barboſ. *de offic. Epiſc. alleg. 73. n. 2.* & 14. qui licet *n. 86.* videatur ſibi contrarius, verè tamen non eſt, quia ibi loquitur, quando fiunt proceſſiones ab altera tantùm Eccleſia ſine declaratione Epiſcopi, & ſic particulares, ad quas non tenentur accedere. Unde Sac. Congregatio Concilii, cenſuit, in privatis proceſſionibus, ad quas alieni Clerici non evocantur, ſed ab ipſis capitularibus, & Clericis tantùm cathedralis Eccleſiæ ob privatas aliquas cauſas fierent, non habere locum decretum ejuſdem Concilii *d. cap. 13. de Regul.*

5 Particulares verò & privatæ proceſſiones ſunt quando fiunt in aliqua Eccleſia particulari a Capitularibus, & Clericis illius ex ſpeciali ratione ejuſdem Eccleſiæ, ſicut ea, quæ fit qualibet tertia Dominica in matrice, vel cathedrali ex Sacr. Congregatione ſuper Epiſcop. in Verulana 20. Julii 1592.

6 Quoad ſecundum, videtur affirmativè reſpondendum. Quia reſultat melior ordo. Nam poſt cruces incedunt ſimul ordinatim omnes Clerici primæ tonſuræ, ac ſimul omnes minorum Ordinum, & ſic ſucceſſivè ſacerdotes, & Canonici, & dignitates. Ex quo ceſſat illud inconveniens, nimirum, ut ſimplex Clericus intermedia altera cruce incedat medius inter presbyteros, & Canonicos præcedentes, & ſubſequentes.

7 Nihilominus dicendum eſt, id non licere, ſuitque ſemper per decreta S. Rituum Congregationis improbatum, quod in proceſſionibus cruces omnium Eccleſiarum turmatim præmittantur, & Clerici, ac præsbyteri ſimul incedant, ſed quilibet Clerus juxta ordinatum ritum Eccleſiaſticum diſtinctè incedere debet ſub propria cruce inſtar militiæ terrenæ. Quilibet enim chorus militat ſub ſuo ſigno. Atque ita declaravit ſæpius eadem S. Congregatio, præſertim in Senogallienſi tenoris ſequentis.

8 *Narratum fuit, in diœceſi Senogalienſi, & præcipuè in Terra montis Bodii vigere abuſum, quod in proceſſionibus, in quibus interveniunt ſacerdotes diverſarum Eccleſiarum incedentes ſub propria cruce juxta ordinem, & prærogativam Eccleſiarum, neglecta propria cruce, turmatim, & confuſim incedere velle ſub ultima Cruce. Ideoque petitur declarari, non convenire; in illis verò proceſſionibus, in quibus eſt antiqua conſuetudo incedendi ſub unica tantùm Cruce, digniorem locum deberi illis ſacerdotibus, qui interveniunt illi Eccleſiæ, cujus eſt Crux, quæ defertur in proceſſionibus. Et S. Rituum Congregatio reſpondit, in proceſſionibus, in quibus Clerus Eccleſiarum crucem defert ſub eadem Cruce propria incedere debere. In proceſſionibus verò, in quibus non intervenit, niſi unica Crux, Clerum illius Eccleſiæ, cujus eſt Crux, quæ defertur, digniorem locum obtinere debere. Et ita ſervari mandavit die 29. Novembris 1632.*

In Sorana ſic: *In cauſa circa modum procedendi in publicis proceſſionibus in Terra Arpini, Soranæ diœceſis tàm ab Abbate, & Canonicis Collegiatæ Eccleſiæ S. Archangeli, quàm etiam ab Archipresbytero, & Clero S. Mariæ, & a Clero aliarum Eccleſiarum parochialium, ſive Collegiatarum ejuſdem, S. Rituum Congregatio, audita relatione Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi D. Cardinalis Sabelli, cui hæc cauſa commiſſa fuerat, cenſuit & declaravit, ſervandum eſſe in futurum decretum per modum proviſionis factum ab Epiſcopo Sorano ſub die 13. Aprilis proximi præteriti, in quo diſponitur, quod clerus S. Archangeli, S. Mariæ, S. Andreæ, & S. Viti Terræ Arpini in publicis proceſſionibus incedant per ordinem quilibet ſup propria cruce, & Archipresbyter S. Mariæ in ultimo loco incedat a ſiniſtris Abbatis S. Archangeli. Et ita declaravit, & in dicta Terra Arpini ſervari mandavit quibuſcunque non obſtantibus die 30. Julii 1616.* 9

Concinunt decreta Sac. Congregationis ſuper Epiſcopis, quæ in Toletana 23. Auguſti 1593. ita decrevit: *Curet Ordinarius, ut omnes tàm ſæculares, quàm Regulares cum in proceſſionibns publicis, tum privatis, ac in eis, quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, & aliis ſimilibus, bini cum modeſtia, & decentia incedant, & ut ordines ipſi minimè confundantur.* Et in Neritonenſi 16. Maji 1588. *Nemo ſub alio vexillo incedat, niſi propriæ crucis.* Et in Verulana 31. Maji 1579. *Cruces in proceſſionibus diſtinctè deferantur, non verò omnes ſimul.* 10

Quod ad tertium conſtat, id eſſe contra regulam naturalem in ſimilibus a S. Rituum Congregatione attendi ſolitam, eſtque etiam contra ſimiles declarationes ejuſdem S. Congregationis, quæ ſæpius ob eandem rationem reſpondit, dignitates Eccleſiarum debere in proceſſionibus incedere cum ſuo Clero, non autem cum dignitatibus aliarum Eccleſiarum, ut in ſequentibus, ac aliis ejuſmodi. 11

In Nucerina. *In cauſa controverſiæ inter duos Abbates ſæculares Terræ Gualdi, S. Rituum Congregatio reſpondit, quod quando ſunt plures Abbates in eodem loco habentes Clerum diſtinctum, debet in proceſſionibus incedere quiſque cum ſuo Clero, & in ſuo loco, die 19. Januarii 1633.* 12

In Colonienſi. *Dignitates, & Canonici Eccleſiæ Colonienſis narrantes in proceſſionibus, quæ fiunt per annum abſque Sanctiſſimo Sacramento convenire omnia capitula aliarum Eccleſiarum Collegiatarum ejuſdem Civitatis, quarum Præpoſiti cùm conveniant induti pluvialibus, petierunt, an ſic indulti debeant admitti cum Canonicis dictæ Metropolitanæ, prout admittuntur quando in proceſſione cum Sanctiſſimo Sacramento dignitates etiam Metropolitanæ induuntur pluvialibus, vel definiri, quid in poſterum ſervandum ſit. Et S. Rituum Congregatio reſpondit, in proceſſionibus ſine Sacramento dignitates Collegiatarum incedere debere cum ſuis capitulis ſine pluvialibus, die 29. Januarii 1628.* 13

Immò eſt etiam contra mentem cœremonialis Epiſcoporum *lib. 2. c. 33. de proceſſ. Corp. Chr. v. ordo autem* ubi Collegiatæ integræ incedere jubentur ante Cathedralem, non autem miſceri una cum alia. 14

Ac ita quidem, ut ſententiæ contra ſtatutum ritum Eccleſiaſticum, ab Epiſcopis prolatæ non attendantur. Quia ſicut Conſtitutio Clementis VIII. pro obſervatione cœremonialis ſuſtulit omnes contrarias conſuetudines, ita non videntur attendendæ ſententiæ, ut plurimum ex facilitate vel imperitia Judicum emiſſæ. Hinc eſt, quod S. Rituum Congregatio reſcribendo pro obſervatione ſuorum decretorum aliquando mandaverit procedi ad illorum exequutionem, contrariis ſententiis non obſtantibus, ut in ſpecie in Nolana, quæ eſt hujuſmodi. 15

Ad preces Epiſcopi Nolani circa obſervantiam decretorum ab hac S. Congregatione emanatorum ad favorem Vicarii contra decanum ejuſdem Civitatis Nolanæ, eadem Sacr. Congregatio decrevit, & ordinavit, decreta prædicta omninò 16

nino obſervanda eſſe, non obſtante quacunque prætenſa ſententia, ſeu appellatione, die 8. Julii 1602.

17 Nam ubi Sac. Congregatio manum appoſuit, non poteſt inferior ſe ingerere, *c. ut noſtrum de appel.* & notant Gonzal. *gloſſ. 52. num. 27.* & proinde quando cauſa eſt introducta coram Principe, nequit inferior de illa amplius judicare, ut docet Innoc. *in cap. cum M. Ferrarienſis, de conſtit.* & Bald. *in cap. 1. §. ad hæc, de pac. jur. firm.* Nec juriſdictio prorogari poteſt in præjudicium Judicis proprii, qualis eſt hac re S. Congregatio, Bald. *in l. teſtamentum num. 12. de teſtam.* Capyc. *dec. 9. n. 15. 16.* & 18. eſſetque abſurdiſſimum, quod inferior revocaret ea, quæ aliàs a ſuperiore ſtatuta ſunt. Eoque præcipuè quia Sac. Congregatio procedit ſola facti veritate inſpecta, ut proinde non ſoleat attendere nullitates, ac ſolemnitates juris, ut declaravit die 5. Julii 1605. in hæc verba: *S. Rituum Congregatio reſpondit, in Congregatione non agi more judicii, ſed manu regia, de rebus pertinentibus ad ipſam,* & *ad evitandas lites.*

CONSULTATIO XXXI.

An Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſuper altare majori aſſervandum ſit, præcipuè in parochialibus Eccleſiis?

1 PArtem affirmativam tenendam eſſe autumo. Etenim conſuetudinem aſſervandi Euchariſtiam adeò antiquam aſſerit S. Concilium Trid. *ſeſſ. 13. cap. 6.* ut eam ſæculum Niceni Concilii agnoviſſe doceat. Idque comprobatur ex iis, quæ recenſuit S. Clemens *epiſt. 2. ad Jacob. fratr. Dom.* ibi: *Diaconi reliquias fragmentorum Corporis Chriſti cuſtodire debent. Et lib. 8. Conſtitut. Apoſt. cap. 13. ſumant diaconi reliquias,* & *inferant in tabernaculum*, ac teſtatur Leo Nonus, ſcribens ad Michaelem Imperatorem, Hieroſolymis Euchariſtiam in pyxide pro advenis, & quotidiè eam ſumere volentibus aſſervari ſolitam. Quæ pyxis quandoque arcula, & tabernaculum appellata eſt a Clemente loco allegato, ciborium a S. Germano *in theor. rer. Eccleſ.* Turris a Gregorio Turonenſi *lib. 1. de glor. martyr. cap. 86.* & in columbis aureis, vel argenteis appenſis ſuper altaria aſſervari conſuevit, ſicut ex actis S. Baſilii, quæ Amphilochii nomine inſcripta habentur *cap. 6.* & libello ſupplici, quem Clerus, & Monachi Antiocheni porrexerunt contra Antoninum Severum *act. 5.* Concilii Conſtantinopolitani celebrati anno 536. annotavit Durant. *de ritib. Eccleſ. lib. 1. cap. 16. num. 4.* Baron. *ad ann. 57.* & 570. *num. 13.* & Caſal. *de veter. ſacr. chriſt. ritib. par. 1. cap. 13.* Huncque locum, ubi arcula includitur paſtophorium non impropriè veteres appellarunt, de quo idem Durant. *n. 8.* ex Clemente, Hieronymo, & Joſepho, quod propriè thalamum ſignificat.

2 Itidemque in altero ex binis ſcriniis poſitis ab utroque latere apſidis, quorum meminit S. Paulinus Epiſcopus Nolanus *ep. 12.* ad Severum, agens de Baſilica ab ipſo erecta, duobus diſticis, indicando dexterum inſerviſſe conſervationi ſacræ Euchariſtiæ, cui titulus erat:

Hic locus eſt veneranda penus, qua conditur, & *qua*
Ponitur alma ſacri pompa miniſterii.

Siniſtrum verò, ut ibi aſſervarentur ſacri Codices divinæ Scripturæ cum hac inſcriptione:

Si quem ſancta tenet meditanda in lege voluntas,
Hic poterit reſidens ſacris intendere libris.

3 Ex quibus idem referunt Baron. *ad martyrol. cap. 3.* & ad dictum *an. 57. n. 152.* ac Theatrum *vit. hum. lit. E. tit. Euchariſtia, v. locus* editione noviſſima.

Sed, utraque conſuetudine abolita, Concilium Turonenſe ſecundum celebratum anno 570. ſedente Joanne tertio, ſtatuit *c. 3.* ut Corpus Domini in altare, non imaginario ordine, ſed ſub Crucis titulo componatur. Quod duplici modo explicat Baronius. Primò quidem *anno 57. n. 252.* Secundò dicto *anno 570. num. 15.* de quo etiam loquuntur Coriolan. *in brev. chronolog. Concil.* & Jacob. Gualter. *in tab. chronogr. ſec. 6.* cui decreto ſolùm addiderunt Innocentius III. in Concilio Lateranenſi *c. 20.* relato *in cap. 1. de cuſtod. Euchar.* quod ſub fideli cuſtodia clavibus adhibitis aſſervetur, ne poſſit ad illam temeraria manus extendi, & Honorius III. *in cap. ſanè 10. de celebr. miſſ.* quod in loco ſingulari, mundo, & ſignato ſemper honorificè collocetur, ac fideliter conſerveturr. Nec quicquam innovarunt Patres Concilii Tridentini *loco cit.* Quò etiam reſpexit Leo *in cap. officium 3. de offic. Archipr.* Ideòque ſuper altare majori collocandum decrevit S. Carolus in Concilio *Mediol. 1.* cujus hæc ſunt verba: *Epiſcopus diligentiſſimè curet, ut in cathedrali, Collegiatis, parochialibus,* & *aliis quibuſcunque Eccleſiis, ubi ſacroſancta Euchariſtia cuſtodiri ſolet in majori altare collocetur.* Id quod etiam aſſerunt Fulc. *de viſitat. lib. 1. cap. 5. num. 3.* Piaſec. *in prax. Epiſcop. p. 2. c. 3. num. 24.* Ricc. *dec. Archiep. Neapol. 23. n. 5.* & *6. p. 4.* Barboſ. *de offic. Epiſc. p. 2. alleg. 22. n. 2.* & *in collect. ad Conc. Trident. ſeſſ. 13. c. 7. n. 4.* quos ſequuntur quamplurimi, & præcipitur ex libro Pont. S. Gregorii, qui juſſit in Baſilica S. Petri ſuper altare ciborium fieri pro aſſervando Sanctiſſimo Sacramento. Quod certè nonniſi de altare majori intelligendum per antonomaſiam. Et ex eo etiam, quod neque infra imagines ſuper altare poni ſolitas, ſed ſub ipſa Cruce, quæ in meditullio ipſius altaris collocare mos erat, Sacramentum locari liceret, ut refert Baron. *ad an. 404. lit. E.* Et hoc certè in altare majori tantùm fieri potuiſſet, quo deſuper nullo unquam tempore imago aliqua collocata legitur, ne quo Euchariſtiæ Sacramentum latriæ cultu, qui ſoli Deo debetur, adorandum proponebatur, Sanctorum reliquiæ, vel eorum imagines, duliæ tantùm cultu venerandæ collocatæ reperirentur, & cultus hujuſmodi confundi contigiſſet.

Et quidem Paulus Apoſtolus *act. 17. 25.* de Deo optimo maximo dixit cum manibus humanis non colatur, nulla tamen re eum egere. Deus enim, ut aliis rebus non indiget, ita nec cultu noſtro. Verùm & in hac vita, & in futura nos eo indigemus. Et licèt in futura externis adminiculis nobis non fuerit opus, quandiu verò mortale hoc corpus circumferimus in Dei cultu externis nos juvare neceſſe eſt. Unde etiam templorum ſtructura, atque cœremoniarum obſervatione utimur, ad quas totum Dei cultum publicè peragendum templa requiruntur, quæ ſoli Deo ædificantur, & præcipuè ſacrificii cauſa, cum ſacrificium ſoli Deo ſit debitum; licèt non repugnet, quod in honorem alicujus Sancti Deo ædificentur, ut pro bonis in illum collatis, & pro beneficiorum impetratione in gratiam, & preces ejuſdem offeratur ſacrificium Deo. 4

Quapropter cum Deus ſumma benignitate populum ſuum ex Ægypto eduxiſſet, eundemque peculiari fœdere ſibi adjunxiſſet, a quo fide & obedientia coleretur, tabernaculum extrui curavit, quò ter quotannis mares ſaltem convenirent. Et ita ad Salomonis Templum deinde ad illud Zorobabelis, deventum eſt, quæ, ut legitur *Deuteronom. 12. Paralip. 28. Ezech. 40.* humano non fuerunt erecta arbitrio. 5

Itaque Deus ille ſapientiſſimus docuit illorum exemplar, & Templi formam diſtinctè propoſuit, in quo cœremoniæ omnes, ad cultum divinum ſpectantes erant peragendæ. Et cùm in ſacratiſſima ejuſdem Templi parte, & principaliori, atque in medio illius ſibi locum conſtituerit, ubi collocanda eſſet ſua ſedes, ut ibi divinitas habitaret, quod clarè ex eodem exemplari appareret, quis hanc non imitabitur formam reſpectu Sanct. Sacramenti, ut illud in præſtantiſſima Eccleſiæ parte in ipſius medio, ac in majori, & inſigniori altare collocetur? Quis præſtantior magiſter ipſo Deo. 6

Hujus loci deputati a Deo prodiit in ſuo Templo, ab ipſius ſpiritu talis Conſtitutio, quinimmò ipſemet tàm præcepit, quàm etiam refert Paulus *ad Hebr. 8. vide*, inquit, *omnia facito ſecundum exemplar, quod tibi oſtenſum eſt in monte*. Igitur multò magis in Eccleſia Chriſtianorum hoc obſervandum de Sanctiſſimo Sacramento, quæ ſicut in omnibus aliis fuit illo antiquo Templo præſtantior, in hoc quoque ulla in parte veteri cedere minimè debet, ut ſi divinitas ibi in parte ejuſdem nobiliſſima conſiſteret, etiam hoc Sacramentum in noſtra Eccleſia non inferiorem locum teneat. Et tantò magis, quia certum eſt, Deus futuram Eccleſiam, & fabricæ ſtructura & ritibus, ac omnibus aliis ſub Meſſiæ conditionem deſcribere. Unde ea appoſuit, quæ doctiſſimorum Judæorum conſenſu nunquam in Regno Meſſiæ futura eſſent, ut ſpecialiter, & allegoricè iſta accipienda doceret.

Si igitur chriſtianæ Eccleſiæ ſtatus in veteri teſtamento delineatur, ac prædicitur, ut Apoſtolus *ad Hebr. 10.* apertè inſinuat, atque ut omnia conveniant, ſpiritualem continere ſenſum, & in Chriſto Domino perfici gradatim, & tandem ad ſummum perfectionis apicem pervenire neceſſe eſt, quare Templum, ſive domus orationis eorum ſignificavit Eccleſiam noſtram, ut idem Apoſtolus *ad Hebr. 9.* replicat, dum eorum meminit, quæ in Templo erant his verbis: *Non eſt dicendum modò per ſingula*; quibus haud obſcurè ſignificare voluit, hæc ſingula habuiſſe ſignificationes, de quibus operæ pretium fuiſſet dicere, ſi locus id poſtulaſſet. Arca enim, ut volunt Doctores, in qua fuit manna, futuram Chriſti carnem ſignificavit, in qua plenitudo divinitatis inhabitaret corporaliter *ad Coloſſ. 2.* Propitiatorium verò Chriſtum paſſurum, *Joan. 2.* 7

Quare ſi hæc noſtra umbrarum illarum judaicarum ſunt imagines, & certè ut illis reſpondeant, maximè in conſor- 8

matione earum, quæ apparentem Dei cultum in ſe continent, materialis locus nobilior in Eccleſia, ſicut erat in veteri Templo reſpectu divinitatis, aſſignandus eſt ſuper diviniſſimo Sacramento, ut eadem forma quoad ritum ſaltem conſpiciatur, illique conformetur.

10 Tandem noſtra Templa Cœli imagines eſſe nulli dubium eſſe poteſt, ut dicitur *in Apoc. 7. & 15.* in quo omnes Angeli, & Sancti Chriſto Domino aſſiſtunt. Cùm igitur neceſſarium eſſe putemus exemplum reſpondere exemplari, imaginemque ſimilem eſſe ipſi rei, cujus eſt imago, in eam ſententiam venire debemus, ut ſicut Chriſtus Dominus in Cœlo primum locum tenet, ita in Eccleſia in altare majori, mediante admirabili Sacramento Euchariſtiæ, non verò in alio inferiori, eſſe debet.

11 Ut proinde Doctores ſuperiùs adducti abſolutè ac indiſtinctè dixerint Tabernaculum, in quo Sanctiſſimum Euchariſtitiæ Sacramentum conſervatur, collocandum eſſe in altare majori, vel ſi ibi commodè nequeat, in alio ſaltem magis conſpicuo, & nobiliori Eccleſiæ loco decenter ornato, & benè clauſo, licèt Pax Jordan. *in elucubr. vol. 1. de re ſacr. lib. 3. de ſanctiſs. Euchar. num. 5.* diſtinguendo aſſeruerit, quòd hujuſmodi Tabernaculum in Eccleſia cathedrali, collocetur extra altare majus ſuper alio decentiori, & eminentiori, in parochialibus verò, ac reliquis Eccleſiis omninò ſuper majori, cui diſtinctioni favet uſus communis. At hæc diſtinctio nullo prorſus innititur fundamento, nullaque authoritate roboratur. Conſuetudinem verò non probo, dicente Andrea de Sauſay Epiſcopo Tullenſi *in panopl. ſacerd. lib. 1. p. 2. c. 8.* ex antiquo Eccleſiæ more, quod in Eccleſiis ſolum altare majus hæc prærogativa pollebat quod Euchariſtia ſuper id, & ad venerationem, & ad fidelium paſtum aſſervabatur. Et ideò altare ſummum dicit vocari ab Optato Melevitano corporis, & ſanguinis Chriſti ſedem, & quod in cæteris altaribus Chriſti corpus non ſervabatur, ſed in iis erat, ut Optatus loquitur, certis momentis, ſcilicet eo tantùm tempore, quo ſacrificium offerebatur.

12 Illud verò animadvertendum puto, id, quod probavimus non poſſe in pleriſque Eccleſiis obſervari. Non poteſt enim Tabernaculum aptè, congruenterque collocari ſuper altare Apoſtolorum Baſilicæ Vaticanæ. Nam ſi poneretur in meditullio ſub titulo Crucis, impediret populum adſtantem miſſis ſolemnibus, ne videat incruenti ſacrificii oblationem, quæ ibi fit a celebrante. Si verò elevetur, erit in ordine imaginario vel loco appenſionis columbæ aureæ contra decretum Concilii Turonenſis. Atque ideò altaria majora quinque Patriarchalium Urbis, ſuper quibus ſolemniter celebrat, ac divina officia peragit ſummus Pontifex, non adhærent parieti, ſed in medio collocata ſunt, ut tunc undique poſſit ab omnibus adſtantibus videri. Quod profectò ſuadet, nil prorſus in illis collocandum eſſe, quod hunc finem valeat quoquomodo impedire.

13 His additur primò, quòd cum ſolus Papa celebrat ſuper dicto altare Apoſtolorum, ſicut teſtantur Bertachin. *in repert. v. Miſſas*, & cœremoniale editum ſub Leone X. *lib. 3. ſect. 1. tit. de Bull.* pro celebrando ſuper altare S. Petri, non poterit ſine ſpeciali indulto alter ibi exercere munera concernentia adminiſtrationem, & renovationem Sacramenti, quod ibi aſſervabitur.

14 Secundò, id monente cœremoniale Epiſcoporum *lib. 1. cap. 12.* non decet, quod miſſæ etiam privatæ celebrentur in altare, ubi aſſiduè manet Tabernaculum immobile Sacramenti Euchariſtiæ quod repetit Gavant. *in com. ad rubr. Miſſali Rom. p. 1. art. 20. lit. V.* ideòque non poterit talis indecentia evitari, collocato ibi tabernaculo Euchariſtico, cum omnes Miſſæ Pontificiæ celebrandæ ſint ſuper eodem altare juxta decretum D. Gregorii Magni, cujus meminit Joannes Djaconus in ejus vita apud Surium die 11. Martii

15 Tertiò, quod genuflexiones eſſent multiplicandæ a Pontifice ibidem celebrante ob præſentiam Sacramenti, & forſan aliæ cœremoniæ, quarum genus vagum fuſum, & multiplex.

16 Quartò, quod locus undique claudendus eſſet cancellis marmoreis, vel æreis, ut congruant reliquæ ſtructuræ altaris, idque impediet, ne familia pontificia poſſit amplius ſedere in illius gradibus. Quia tunc ſolis Clericis inſervientibus altari aditus intra illos patebit.

17 Et nihilominus declaratum reperio a Sac. Congregatione ſuper Epiſcopis in hunc modum : *Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti in cathedralibus non debet eſſe in altari majori propter functiones pontificales, quæ fiunt verſis renibus ad altare. In parochialibus verò, & Regularium Eccleſiis debet eſſe in altare majori regulariter, tanquam digniori in Lucenſi 10. Febr. 1579. in Aquilana 29. Auguſti 1594. & in Caſertana 28. Novembris ejuſdem anni.*

Exciperet aliquis etiam Eccleſias Collegiatas, ne ab iis qui cœleſti dape refici voluerint, perturbetur chorus, ſive ante, ſive poſt altare majus ſit collocatus. Sed huic incommodo poterit occurri collocando diebus feſtis tempore antemeridiano tabernaculum Euchariſtiæ portatile in alio altari decenter ornato, ex quo Chriſti corpus impertietur. Quod etiam obſervari poterit in cathedralibus tempore, quo munera pontificia explentur. 18

CONSULTATIO XXXII.

An corpora eorum, qui cum opinione, & fama ſanctitatis decedunt, ſepeliri poſſint ſub altare, aut ejus ſcabello ſuppedaneo, ſive peduli, vulgò predella.

NOn poſſunt. Conſtat ex Concilio Vaſenſi, relato *in can. præcipiendum 13. queſt. 2.* ibi: *Inter Eccleſiam verò, & prope altare, ubi corpus & ſanguis Domini conficitur, nullatenus ſepelliantur.* Quod extat in Concilio Nannatenſi *can. 6. aliàs* 11. ex quo citatur a Burcardo, & Ivone. Quoniam hic honor eſt ex illis, qui ſecundùm conſuetudinem Eccleſiæ tribui ſolet Sanctis, quibus jam Eccleſia conceſſit venerationem. Decedentibus autem cum fama ſanctitatis non ſolùm non concedit venerationem ſed etiam prohibet omnia illa, quæ ſunt ſigna venerationis, ut patet ex decretis Urbani VIII. *de beatif. & canoniz. Servor. Dei.* Quod ſi aliqui ante dicta decreta reperiantur tumulati ſub altare, vel ejus peduli ſunt extrahendi. Quia decreta prohibent continuari ſigna exteriora venerationis. Unde in alio loco debent collocari. 1

Hinc autem eſt, quod altare erectum ſupra aliquod ſepulchrum non poteſt conſecrari. Quod procedit etiamſi in eo nemo ſit ſepultus. Si autem quiſpiam ſepultus ſit, extrahendum eſt ejus cadaver, ſive oſſa, & cineres, & replendus locus, ſicut etiam debet repleri, etiamſi nemo ibi fuerit tumulatus. Ita ſtatuitur *in can. Non oportet, de conſecr. d. 1.* & tradunt communiter Gloſſ. *ibid.* Tabien. *v. altare n. 5.* Armill. *eod. v. num. 6.* D. Anton. *3. p. tit. 12. cap. 6. §. 9.* Piaſec. *in prax. p. 1. cap. 5. num. 7.* Fuſc. *de viſ. lib. 1. cap. 21. num. 15.* Nald. *in ſum. v. ſepultura num. 12. in fin.* Gavant. *in man. Epiſcop. v. altare n. 9.* Pax Jord. *tom. 1. lucub. lib. 5. tit. 10. num. 37.* & ita pluries decrevit Sac. Congregatio ſuper Epiſcopis, nominatim verò in Interamnen. die 13. Septemb. 1593. nempè, *altaria ſub quorum predellis cadavera ſunt ſepulta, licèt propterea conſecrationem non amittant, debent tamen interdici, donec dicta cadavera, vel altaria ipſa in alium deferantur locum*, & in eadem 8. Februarii 1599. Epiſcopo, *che non permetteſſe, che ſotto gli altari, e per quanto circonda la predella ſiano cadaveri, nè ſepolture* etiam *ſotterranee, & eſſendovene, le faceſſe empir di muro, eſſendo così ordine della riforma, e diſpoſizione de ſacri canoni.* Unde idem Epiſcopus appoſuit interdictum Eccleſiæ fratrum S. Auguſtini, quia hujuſmodi ſepulturas replere diſtulerunt, & S. Congregatio mandavit, fratres prædictos parere debere die 30. Martii 1594. Et in Meſſanenſi 2. die Maji 1601. *all' Arciveſcovo : quanto agli altri, ſotto i quali, ò nel mezzo ſono ſepelliti Prelati, ò laici, non pare, che in modo alcuno ſi habbia da tolerare, che vi ſi celebri per l'avvenire, onde voi ci provvederete, niſi oſſibus amotis ſepulchrum terra repleatur* eadem S. Congregatio in una S. Dominici 15. Junii 1635. 2

Ratio autem eſt, quia tumulari ſub altare eſt quædam declaratio ſanctitatis, nam eſt honor, qui non tribuitur, niſi Sanctis ab Eccleſia canonizatis. In primitiva enim Eccleſia ad ſepulchra Sanctorum, præcipuè Martyrum, & ſuper oſſa eorum veneranda exigebantur altaria, ut ſcilicet ſacrificium, quod offertur Deo, redundaret etiam ad ipſorum gloriam. Nam & *Apoc. cap. 6.* D. Joannes ſcribit, ſe vidiſſe animas occiſorum ſub ara. Quem locum D. Auguſtinus *ſerm. 11. de ſanct.* interpretatur de viſibili ara, dicens : *Videte autem quem locum Martyres apud homines mereantur, qui apud Deum locum ſub altari meruerunt.* D. Hieronymus adverſus Vigilantium, *malè*, inquit, *ergo facit Romanus Epiſcopus, qui ſuper mortuorum hominum Petri, & Pauli, ſecundùm nos oſſa veneranda, ſecundùm te vilem pulviſculum offert Domino ſacrificia, & tumulos eorum Chriſti arbitratur altaria.* Et Paulinus *ep. 12. ad Severum.* 3

Ecce ſub accenſis altaribus oſſa piorum
Regia purpureo marmore cruſta tegit.

Eademque ratio eſt quoad pedule, quia cùm hujuſmodi ſcabellum ſit altaris, eſt particeps honoris altaris. Unde etiam qui ſepeliuntur ſub ſcabello trahuntur ad participandum honorem altaris. Et ideò ſi quis ſepeliretur ſub altari, vel ejus pedule, tribueretur ei honor, qui tribui non 4

poteſt

potest absque judicio Sedis Apostolicæ, ut *ex cap. audivimus, de reliq. & vener. Sanct.*

5 Itaque sepulchri ostium tribus cubitis distare debet ab altaris peduli adeòut ipsum sepulchrum pedule non attingat.

CONSULTATIO XXXIII.

An donationes a consanguineis, aliisve absque ulla causa factæ Clericis habentibus patrimonium, vel beneficium, præcipuè viventibus exinde in communi, præsumantur, ac declarari debeant factæ in fraudem immunitatis ab oneribus, & collectis? Et quis hujusmodi fraudes cognoscere debeat?

1 REspondetur affirmativè. Quia data causa simulandi, simulatio solis conjecturis probatur, Mantic. *de tac. lib. 8. tit. 25. num. 33.* Farinac. *quæst. 162. num. item 162.* Rot. *decis. 69. num. 2. p. 2. div. & in rec. dec. 283. num. 13. p. 5.*

2 Causa autem simulandi est commodum, atque utilitas eximendi bona donata a vectigalibus, quæ tanquam verisimilis, probabilis, rationabiliisque existimatur sufficiens, & idcircò attendenda, Add. ad Greg. *decis. 157. sub num. 27.* Add. ad Buratt. *decis. 99. sub litt. A. decis. 413. num. 1. p. 2. rec.* ad hunc effectum sufficit, quod eam partes opinentur, cum simulatio pendeat ab animo, & voluntate contrahentium, Burat. *dec. 902. num. 2.* & Emin. Otthob. *dec. 268. n. 12.*

3 Urgentque conjecturæ tum ex conjunctione sanguinis, quæ arguit simulationem donationis factæ inter patrem & filium, ac consanguineos, ut animadvertit Dec. *cons. 659. num. 2.* Gratian. *discept. 255. num. 7.* præcedente potissimum prædicta causa simulandi, ex qua donator potuit moveri ad faciendam donationem simulatam, & fraudulentam, Gratian. *ubi supra num. 8.* Tum ex donatione omnium, vel majoris partis bonorum, cùm non sit verissimè, quod aliquis velit omnibus suis bonis se privare, & in necessitate se constituere contra consuetudinem, ut per eundem Gratianum post alios, quos adducit loco allegato *num. 18.* cum binis sequentibus. Tum ex communione, ac possessione, in qua remanent donantes cum Clericis donatariis post donationem per text. *in l. omnes, §. Lucius ff. quæ in fraud. cred.* Specul. *tit. de Cler. conjug. v. ad hujus autem*, Car. de Grass. *effect. 3. num. 193.* Mascard. *de prob. Concl. 558. num. 2.* & Gratian. *ibid. num. 29.* Tum ex numero filiorum. Quia non censetur verisimile, quod uni ex pluribus talem voluerit facere donationem, cùm præsumatur æqualis affectio, *l. rescripto, ff. und. lib.* Tum denique si Clericus habeat patrimonium, vel sacerdotium, sive beneficium Ecclesiasticum sufficiens, quia is de altari, cui servit, vivere potest, *cap. cum secundum de præb.* Ricc. *in pr. resol. 431. num. 2.* & Molfes. *in sum. tr. 6. cap. 10. num. 66.* qui etiam *p. 2. tract. 12. cap. 22. num. 163.* ingenuè fatetur, quod si parentes in fraudem Universitatum donarent bona Clericis, donatio intelligeretur solùm pro rata, spectante ad filium Clericum, computatis omnibus bonis.

4 Hinc a Sacr. Congregatione Immunitatis præ cæteris datus fuit Episcopis, aliisque Ordinariis hic modus cognoscendi fraudes hujusmodi donationum sub die 22. Augusti 1628. & 2. Julii 1630. & 15. Julii 1664. & 5. Martii 1641. & 6. Novembris 1634. & 16. Januarii 1635. Nam hujusmodi fraudes ab Episcopis cognosci debent, ut in allegatis declarationibus, & nos alibi copiosè diximus, ac declaravit eadem Sac. Congregatio nominatim in Regiensi 20. Septembris 1667. scribens Vicario, ut cognoscat contractus simulatos, & rigorosè puniat fraudulentes.

5 Hinc etiam *lex. 11. tit. 10. lib. 5. recopil.* non irritat ipso jure donationem filio Clerico factam, sed solùm illam præsumit fraudulentam, & annullat ipso jure ad effectum procedendi, non autem ad alium effectum. Quod inde probatur, quia dicta lex concedit donatori licentiam allegandi suum jus, quæ licentia inanis esset, si donatio semper, & in omni casu esset nulla. Quandoquidem si talis esset semper, & in omni casu, semper & in omni casu quidquid allegasset donator, ab ipso, vel ab ipsius hærede fiscus sua tributa posset exigere. Quare dicendum, quod præsumptio in lege illa non sit juris & de jure, cùm possit probari contrarium, sed solùm juris, ac proinde quod nullitas ibi inducta non sit nullitas vera, sed præsumpta, atque adeò reperta veritate revocabilis, ceu docent post alios Flores de Mena *var. lib. 2. quæst. 21. §. 2. num. 73.* contra Azeved. *tom. 3. lib. 5. tit. 10. leg. 11. num. 18. recopil.* Matienzum *in cit. l. 11. tit. 10. lib. 5. glos. 5. num. 3.* & Vasquez *opusc. de restit. cap. 6. §. 1. dub. 2. n. 34.* ubi ait, quod dicta donatio absolutè sit nulla, etiam in foro conscientiæ. Quod intellige, si facta esset in fraudem tributorum.

CONSULTATIO XXXIV.

An monialis professa, si mutato sexu, fiat vir, remaneat professus, seu propriè religiosus, vel potius professio irritetur?

FActos esse ex mulieribus viros multos olim legimus, & nostris temporibus vidimus. Nunquam verò mares viri in fœminas mutantur, repugnante scilicet natura, quæ semper expetit dignius, & indigniori resistit. Nec fabulosum hoc est habere etiam mulieres suos testiculos, & genitalia æquè atque, viros atque ob id non minus etiam quàm viros castrari posse, quemadmodum eas in Lidia castrari affirmat Alciatus *in l. Spadonum ff. de verb. signif. & lib. 4. antiq. lect. cap. 10. & lib. 20. cap. 14.* quamvis in maribus genitalia membra propter caliditatem expellantur, in fœminis verò propter frigiditatem intus retineantur. Hippocrates *lib. 6. epid. p. 8.* scribit Abderis Phetusam uxorem Pithei partui vicinam, misso in exilium marito, aliquot mensibus cessante fluxu menstruorum, cunctis in membris magnos perpessam dolores corporis, habitu in virum mutatam. Nam corpus ei virile factum, hispidam totam factam, barbam emisisse, & vocem asperiorem redditam. Idemque apud Chasios accidisse Animisiæ uxori Gorgippi. Titus Livius *lib. 42.* de Spoletana muliere idem refert belli Punici secundi tempore. Plinius *lib. 7. c. 4. ex fœmina*, inquit, *mutari in mares non est fabulosam. Invenimus in annalibus Publio Licinio Crasso, Cajo Cassio Longino Consulibus Cassini puerum factum ex virgine sub parentibus, jussuque auspicum deportatum in insulam desertam. Licinius Mutianus prodidit visum a se Argis Arescontem, cui nomen Arescusæ fuisse, nupsisse etiam, mox barbam & virilitatem provenisse, uxoremque duxisse. Ejusdem sortis, & Smyrnæ puerum a se visum. Ipse in Africa mutatum in marem nuptiarum die L. Cossicum civem Trisditanum, vivebatque cum proderem hæc.* Aulus Gellius *lib. 9. noct. cap. 4. Libitum tamen est*, inquit, *in loco hoc miraculorum notare id etiam, quod Plinius secundus, vir in temporibus ætatis suæ ingenii, dignitatisque gratia, auctoritate magna præditus, non audisse, neque legisse, sed scire sese, atque vidisse in lib. natur. hist. 8. scripsit, quæ infra posui ipsius sunt ex eo libro sumpta. Quæ profectò faciunt, ut neque respuenda, neque ridenda sint notissima illa veterum poetarum de Cœnide & Cœno cantilena.* D. August. *ult. c. lib 3. de civit.* memorat ex Gentilium scriptis, & mulieres homines masculinum sexum fuisse conversas. 1

Sed veniamus ad tempora propinquiora. Jovinianus Pontanus *in hist. Neapol.* narrat Cajetæ mulierem piscatori cuidam annis quatuordecim nuptam in virum migrasse, & aliam, cui nomen Æmilia, nuptam Antonio Spensæ civi Ebulano post annum nuptiarum duodecimum in virum mutatam, soluto matrimonio, uxorem duxisse & liberos procreasse. Addit idem aliam fœminam cum marito filium unum peperisse, subito exorta virilitate marito jam non fœminam relicto, alteram duxisse, è qua liberos genuerit. Nonnulla de pluribus consimilia narravit Coccius Sabellicus *lib. 9. exempl.* Amatus Lusitanus author est in Oppido Ezgueyra Lusitaniæ distante a Conimbria novem leucis, vixisse quemdam virum nobilem, cui filia erat vocata Maria Pacheco, quæ cum ejus jam ætatis esse inciperet, qua fœminis menstrui fluores inchoantur, loco liquidi humoris, erupit ei è locis, si intus absconditum latuerat, vel aliter natum foras prodiit virile membrum, sicque ex puella subito adolescens ephebus apparuit cum sexu vestitum virilem nomen quoque assumpsit Manuelis Pacheci, navim conscendit, in Indiam profectus, rebus fortiter gestis, strenui militis existimationem, opesque magnas comparavit, in patriam rediens, uxorem nobilem duxit. De liberis mentionem subdit Amatus nullam *cent. 2. curat. 39.* sed ait, illum imberbem permansisse, facie in fœminam declinante, quæ sunt indicia non perfectæ virilitatis. Antonius Torquemada *dial. 1.* ait se ab amico viræ magnæ authoritatis, & fidei pleno accepisse non procul ab urbe Beneventana Hispaniæ uxorem rustici cujusdam fortunæ mediæ, quæ quod sterilis esset minus a marito benignè habebatur, pertesam malæ tractationis quadam nocte aufugisse sumpto vestitu famuli domestici. Sic ornata, virumque mentita variis in locis opera servili virum sustentavit. Post aliquod tempus, sive quod calor in ea naturalis tàm efficax foret, sive quod imaginatio nata, & confirmata continuo habitu, & ministerio virili eam efficacitatem nacta sit, certè ipsa se in virum mutatam deprehendit. Statuit er- 2

go quæ diu fuerat uxor, maritum agere. Fœminam ſub matrimonio copulat, diu res latuit illo non audente cuiquam rem narrare, donec quidam, ei prius optimè notus, cernens tàm ſimilem eſſe facie uxori profugæ ruſtici illius, interrogavit, num fortè frater eſſe talis mulieris. Huic rem omnem, uti contigerat, narravit. Sic res in lucem venit.

2 Fulgoſius ſcribit ſequentia *lib. 1. exempl. cap. 6.* Neapoli regnante Ferdinando primo cùm Lodovicus Guarna Salenitanus civis quinque filias ſuſcepiſſet, quorum natu majoribus duabus alteri Franciſcæ, Carolæ alteri erat nomen. Poſteaquam ad quintum decimum annum pervenerunt ambabus genitalia membra in marium morem eruperunt, mutatoque habitu pro maribus habiti ſunt, Franciſcus, & Carolus nuncupati. Item Eboli ſub eodem Rege puella, quæ in quatuor annos viro promiſſa ſponſæ habuerat nomen, qua nocte primum viro tradita cum eo cubuit, ſive ex confricatione, ſive ob aliam cauſam, quæ ignota ſit, effractis membranis, quæ ut mulier videretur, efficiebant, virilia membra prodierunt, domumque reverſa in judicio dotem repetivit, in virorum numero poſtea habita. Narrat Phlegon. *lib. 1. de mirab. & longæv.* quod virgo quædam Smyrnæ nata, Philotis nomine cum matura viro nuptum tradita eſſet a parentibus, maſculino enato membro, in virum abiit. Quin & Lardicææ, & quæ eſt in Syria, mulier Acteta nomine, etiamnum cum marito degens, è fœmina vir extitit, cui nomen Actetus, præſide Athenis Macrino, Romæ Coſſ. Lucio Lancia, & Æliano Vetere. Michael Montanus *lib. 1. experim. in cap. 21.* teſtatur ſuo tempore Vitriaci fuiſſe puellam nomine Mariam, quæ cum ſaltaret violentiùs, ſubito virilibus erumpentibus in virum mutata ſit, & ab Epiſcopo Sveſſionenſi confirmationis Sacramento mutato nomine, Germanus vocari cœperit. Ejus poſtea mento barbam adnatam, diu vixiſſe ad decrepitam uſque ætatem, uxorem tamen duxiſſe nunquam. Ille hoc vehementi imaginationi tribuit, ſed addo corporis conſtitutionem eo vergentem. Author Antimologii ſcribit, ſibi viſum Auſcis in Vaſconia virum pluſquam ſexagenarium canum, fortem, & hirſutum, qui ad anſium decimumquintum ante puella fuerat, tandem tamen ex caſu ruptis tenuibus ligamentis pudenda erupiſſe, ſexumque mutaſſe, cum ei nunquam antea menſes fluxiſſent. Noſtra ætate Aſſiſii monialis profeſſa in virum mutata eſt, ideòque hanc quæſtionem propoſuimus.

3 Et affirmant nonnulli. Primùm, quod differentia ſexus quoad profeſſionem videtur accidentalis, cùm vir & fœmina poſſint ſimiliter profiteri. Immò quod mas & fœmina ſolum accidentaliter inter ſe differant, & quod genitalia viri ac fœminæ ſolo ſitu diſtinguantur, ut quod vir habeat de foris, fœmina contineat intus, tenet communis græcorum, & arabum medicorum ſententia, ut Galenus, Ægineta, Avicenna, Raſius, & alii apud Andream Laurentium *hiſt. anotom. lib. 7. q. 8.* Addùcam tantùm verba Galeni *lib. 2. de ſemin.* ubi ſic ait: *Eſt enim proportio maxima inter genitalia maſculi, & fœminæ. Omnia ſiquidem genitalia membra tum maſculus, tum fœmina habere eadem videntur, poſitione tantùm, & magnitudine differentia. Quin & vaſa teſtes nutrientia utrique ſexui ex eiſdem venis, & arteriis procedunt, &c.* Idem *in lib. de viſ. par. & lib. de anotom. adminiſtrat.* Et oſtendunt non obſcuram eſſe rationem, qua id natura det effectum, conari ſemper eam id, quod perfectius, mulierem eſſe quaſi monſtrum virum quendam imperfectum, menſtruis retentis diutiùs fieri vocem robuſtiorem, cutem pilo veſtiri, reliquum corporis habitum roborari, nec aliud metamorphoſi huic deeſſe, quàm, ut quæ ſunt intus vaſa ſeminaria, foris appareant, expelli autem caloris naturalis urgentis impetu. Et quod fœmina ſit mas imperfectus ait etiam D. Thom. *p. 1. q. 69. ar. 2.* Tiraq. *de legib. connub. p. 1. num. 99.* Benedict. *in c. Raynucius v. duas habens filias n. 524.*

4 Deinde quia profeſſio facta a viro in Monaſterio Monialium, habitu fœmineo aſſumpto, & ſimulato ſexu eſt valida itaut teneatur ingredi Religionem virorum, ceu tradunt Speculator, Butrius, Archidiaconus, S. Antoninus, & Silveſter apud Sanch. *in decal. lib. 5. cap. 4. num. 40.* quibus addo Angelum, Tabienam, & Armillam, quos refert, ac ſequitur Comitolus *lib. 2. reſp. q. 8. num. 3.* & Portell. *in dub. Regul. v. Profeſſio Hermaphroditis n. 3. in addit q. 4.*

5 At nihilominus contrariam ſententiam puto tenendam eſſe. Nam differentia ſexus eſt eſſentiale impedimentum, ac dirimens profeſſionem viri in monaſterium monialium, ut docent Nav. Emanuel, Sà, Henriq. & Rodr. quos adducit, ac ſequitur idem Sanch. *l. c. & de matr. lib. 7. diſp. 106. n. 20.* Pyrrh. Siculus *in theſ. Relig. lib. 1. q. 229.* & Gloſſ. *in cap. tuarum, v. ſignatos, de privil.* ibique Hoſtienſis, itemque Hugo & alii apud Archidiac. *in can. quod interrogaſti 27. d.* Quod præcipuè locum habet in profeſſione expreſſa, quia tunc non cenſetur ſe voluiſſe obligare, niſi illi Religioni, ſeu monaſterio, in quo caſu profeſſionem viri inter moniales irritam fatentur Barthol. Brixienſis, quem ſequitur Jo: And. *in d. cap. tuarum*, Geminian. *in d. can. quod interrogaſti num. 7.* Cùm ergo non valeat profeſſio viri in monaſterio monialium, ſequitur etiam irritari profeſſionem monialis in virum mutatæ, quia profeſſio redacta eſt ad caſum, a quo incipere non poteſt, nec eſſe, ut per Bald. *in l. ſi Gaudentius, C. de contrab. empt.* Quia mutatio materiæ profeſſionis illius facta eſt, ſicut matrimonium carnale, etiam conſummatum dirimitur, ſi mulier fiat vir, Majol. *lib. 1. c. 27. n. 6.*

Immò in hoc caſu dicendum eſt, fuiſſe ab initio pro- 6
feſſionem viri inter moniales. Anatomiſtæ namque demonſtrant converſionem ſexus fœminei, in maſculinum naturaliter impoſſibilem eſſe, cùm genitalia maris ac fœminæ differant forma, ſtructura, & nervorum numero, ideòque dicunt in tali caſu mutationem non eſſe veram, ſed virilia, quæ vel ob defectum caloris, vel propter obſtaculum alicujus membranæ latebant intus, procedente tempore aucto colore, vel ex aliquo conatu, vel copula conjugali, fracta membrana foras prodire. Et hanc veram eſſe ſententiam, & contrariam medicorum eſſe falſam, probat præſtantiſſimus Laurentius *loc. cit.* ac tenet Martin. Delrio *magic. diſquiſ. lib. 2. q. 22. col. ult.* Additque idem Laurentius, quod veriſimile eſt in illis utriuſque ſexus adeſſe genitalia, prima quidem ætate ob caloris imbecillitatem latentia, quæ tandem per caloris emicatus, & effulgeſcentias erumpant. Aut exiſtimandum eſt, mulieres eſſe quaſdam a primo ortu calidiſſimas, & ita a natura conformatas, ut earum clytoris mentulæ formam referens promineat, ut quia penis inſtar diſtenditur, moxque flaveſcit, virilem priapum mentiatur, & rudioribus imponat. Sed & ſæpè fallunturobſtetrices ob vitiatam genitalium conformationem, pena ſcilicet brevioris, & penis tanquam in rimas reconditi, teſtiumque latitantium, ut ſexum vir poſſint internoſcere. Scribit Pineus Lutetiæ anno 1577. in vico S. Dionyſii mulierem noctu peperiſſe filium, qui feſtinanter ob virium imbecillitatem baptizatus fuit pro filia, & Joanna vocata. Eam paucis poſt diebus pro filio mater primum, deinde alii agnoverunt non ſine magna admiratione, & Joannem nominarunt.

Sic Laurentius, qui etiam *lib. 8. q. 1.* docet, a natura 7
non minus fœminæ, quàm maris intendi generationem, & fœminam naturæ erratum, ac prolapſionem ducere id philoſopho indignum eſſe. Omnis ſiquidem rerum naturalium perfectio ex fine petenda eſt. At fœminam ita formari neceſſarium fuit, alioqui non poſſet ſpecies humana conſervari. Sanè cùm dicunt fœminam eſſe monſtrum, mihi ſemper viſi non ſatis honorificè de primæ mulieris creatione loqui. Ideò dicendum, naturam ſemper quod perfectius eſt intendere, non quia ſemper virum gignere intendit, ſed quia virum intendit perfectiſſimum gignere, cum fœminam, hanc quoque conatu perfectiſſimam. Unde Raynaud. *diſt. 4. theolog. leg. natur. q. 4. art. 4. n. 244.* cum Mercuriali *6. var. cap. 20.* eodem Laurentio *lib. 7. anotom. q. 8.* & aliis omnes, quæ apud Plinium *lib. 7. cap. 4.* Authorem quæſtionum veteris ac novi Teſtamenti *quæſt. 15.* & recentiores aliquos leguntur, naturales ſexus mutationes, nequaquam fuiſſe mutationes nullo modo dubitat.

Præterea Doctores, qui dicunt, profeſſionem viri in- 8
ter moniales valere, loquuntur quando ſic ſcienter vir profitetur nedum ex ſua parte, ſed etiam ex parte monaſterii. Secus autem dicendum eſt, quando erravit in ſexu ſuo, vel quando ex poſt facto verè ſexum mutaſſet juxta ſententiam medicorum. Quia cenſetur utrobique defuiſſe conſenſus profitentis, & monaſterii, cujus defectus irritat profeſſionem, ut per Canoniſtas *in d. c. tuarum*, & Sanchez. *lib. 5. c. 4. n. 82. in decal.* Gloſ. *in cap. porrectum v. monachum de Regul.* ubi Anchar. & alii communiter. Quia in profeſſione intervenit mutua obligatio, & contractus. Contractus autem non poteſt valide celebrari a profitente ſine conſenſu monaſterii, *c. continebatur, de iis, quæ fiunt a Prælat.*

Illud porrò in hac controverſia certum eſt, expellen- 9
dum eſſe hunc profeſſum a monaſterio monialium. Quia viri non poſſunt cum monialibus permanere *per. can. definimus 18. q. 2.* & in terminis Portell. *loco allegat. num. 9. q. 4. & n. 13. q. ult.* ubi addit, tunc dotem expulſo reſtituendam eſſe. Item & illud etiam certum, hujuſmodi virum remanere perpetuò irregularem, a ſolo Papa diſpenſabilem proter indecentiam, & monſtruoſitatem, ut per Majol. *lib. 1. cap. 33. n. 13.*

CON-

CONSULTATIO XXXV.

De præcedentia inter Archidiaconum, & Archipresbyterum, atque alias dignitates, ubi plura ad rem haud importunè.

1 QUoniam nullum habitura est Ecclesia, cujus fœtu, ut D. Cyprianus *de simplic. Prælat.* ait, *nascimur, lacte nutrimur, spiritu animam honorem, si non ordine christianum felix Ecclesia constet*. Sane nec in hominum, & præsertim Magnatum congressibus, ordo, utpotè contentionibus, & rixis, quæ ex prærogativa sessionis oriri solent, obvians negligi debet, Menoch. *cons.* 51. *num.* 1. & *seqq. vol.* 1. Unde Theodosii Imperatoris Constitutione provisum, nulli fas esse indebitum sibi locum usurpare, *l.* 3. *Cod. ut dignit. ordo serv.* Quin etiam sine ordine Natura ipsa constare non potest. Nihil enim absque ordine vel meditata est, vel effecit illa, quemadmodum scribitur *in* 8. *physic.* æqualitas, enim inæqualiter est injusta in Republica, Hocr. in *Areop.* & Plinius *epist.* 5. *lib.* 9. qui ait, nisi ordinum, dignitatumque discrimina custodiantur nihil esse ipsa æqualitate inæqualius. Itaque hac in re, ut rectè atque apertè differamus sit prima conclusio.

2 Præcedentia tàm in functionibus pontificalibus, absente, vel impedito Episcopo, nempè delatio Sanctissimi Sacramenti in processionibus Corporis, & Cœnæ Domini, distributio candelarum, palmarum, & cinerum, celebratio missæ solemnis in diebus Natalis, Paschatis, & Pentecostis, in solemnitate Sancti titularis cathedralis, & cætera hujusmodi, quàm in omnibus præeminentiis jurisdictionalibus, & cœremonialibus, quæ per aliquam dignitatem explicari solent, sicuti præsidere in choro, indicere principium, vel finem officii, primus thurificari, convocare Capitulum, vel Clerum, dirigere processiones, præsentare Episcopo ordinandos, eidem dare candelam, palmam, cinerem, & id genus alia, spectat ad primam dignitatem post pontificalem, quæcumque illa sit, vel quocunque nomine nuncupetur, dummodò sit in ordine sacerdotali constituta.

3 Ratio autem est primò, quoniam hujusmodi præeminentiæ non competunt ratione nominis, sed dignitatis. In præcedentiis autem servandus est ordo dignitatis, ut sæpè probavimus, estque textus *in l. fin. Cod. de primic. & secundic. & toto tit. ut dignitat. ord. servet. Cod. lib.* 12. *l. quisquis in fin.* & ibi Glos. *fin. Cod. de postul.* absonumque est a ratione digniorem a minus digno præferri. Quod etiam firmat Greg. *dec.* 124. & 310. ubi Add.

4 Secundò, quia in præeminentiis ille debet subsequi suum caput, hoc est Episcopum, qui magis participat cum capite, ut ars imitetur naturam *l. quibus idem, ff. de verb. oblig.* Unde membra minus digna debent esse magis remota a capite, Boer. *de autor. mag. consil. num.* 79. & in specie Præpos. *in cap. Episcopus col.* 1. *d.* 12. Magis autem cum Episcopo participat prima dignitas, cùm sit veluti Episcopo conjunctior, ad eumque propius accedere videatur. Quare licèt pleræque declarationes S. Rituum Congregationis præferant cæteris dignitatibus Archidiaconum, id tamen habetur demonstrativè, non autem taxativè, quatenus scilicet ille in sua Ecclesia sit prima dignitas, alioquin præfertur alia dignitas quoquo nomine vocetur.

5 Atque ita declaravit sæpius S. Rituum Congregatio, & præ cæteris clarissimè in Civitatensi, seu S. Severi hunc in modum: *Missarum solemnium, celebrationem, delationem Sanctissimi Sacramenti in processione in ejus festivitate, candelarum, cinerum, & palmarum benedictiones, & similes functiones, quas Episcopus præsens in sua cathedrali facere solet, & debet juxta formam libri cœremonialis Episcoporum, absente, vel impedito Episcopo, ad primam dignitatem, & deficiente prima, ad secundam, & sic ordine successivo pertinere sæpe S. Rituum Congregatio declaravit. Et ideò cum in Ecclesia Civitatensi, alias S. Severi nuncupata Archidiaconus sit prima dignitas, & in ordine presbyterali, ad eum prædictas functiones pertinere eadem Sacra Congregatio declaravit die* 25. *Junii* 1611.

6 Luculenter etiam in Veneta. *Ad instantiam Archidiaconi primæ dignitatis in Patriarchali Ecclesia Venetiarum S. Rituum Congregatio juxta alias resoluta respondit, solemnes functiones, quas Eminentissimus Patriarcha per seipsum, si præsens esset, obiret, eo absente, vel impedito, ad primam dignitatem quocunque nomine appelletur, spectare, & pertinere. Et ita in casu proposito servari mandavit die* 6. *Octobris* 1640.

Idem quoque declaravit in Parmensi die 28. Aprilis ejusdem anni 1640. his verbis: *Functiones Episcopales, Episcopo absente, vel impedito, spectare ad primam dignitatem quocunque nomine nuncupetur. Et propterea in casu proposito omnia munera, quæ ad Episcopum pertinerent, si præsens esset, competere Archidiacono.* Quod decretum emanavit ex eo, quod pro certo sumebatur, quod Archidiaconatus absolutè etiam in divinis, sit prima dignitas post Pontificalem, & in contrarium non extaret dispositio statuti Ecclesiæ Parmensis.

Secunda conclusio. De jure, non docto de limitatione, regula est, Archidiaconum esse primam dignitatem post Pontificalem, *cap. perlectis §. Archipresbyter* 25. *d. cap.* 1. *de offic. Archipresb. ac toto titulo de offic. Archidiac.* & tradunt Aretin. *cons.* 23. *sub num.* 18. & 23. *vol.* 2. Menoch. *cons.* 902. *sub num.* 71. Azor. *instit. mor. p.* 2. *cap.* 15. *de potest. Archipresb.* Lotter. *de re benef. lib.* 1. *quæst.* 16. *nu.* 112. *Rot. dec.* 1. *num.* 3. *de elect. & dec.* 9. *de præb. in nov.* & apud Mohed. *dec.* 1. *de for. comp.* & apud Mantic. *dec.* 122. *num.* 4. & apud Merlin. *dec.* 192. *num.* 3. sufficitque, quod habitu sit dignior. Nam ad effectum præcedentiæ non requiritur jurisdictio actu in Archidiacono habente assistentiam juris, sed sufficit habitu, cùm possit esse sine administratione spiritualium, ut de Archidiacono Parmensi adverterunt Aret. *cons.* 23. *sub num.* 2. Maschard. *concl.* 515. *num.* 3. Lotter. *lib.* 1. *quæst.* 16. *num.* 112. & *seq.* ubi enim agitur de præcedentia consideratur solus habitus, Barbat. *cons.* 5. *lib.* 2. 7

Et quamvis Archipresbytero, tanquam majori in ordine committatur celebratio missarum per textum *in cap.* 1. *de offic. Archipresbyter.* Id tamen procedit, quando Archidiaconus est in ordine diaconali constitutus, cùm de jure sacerdotium suscipere non teneatur, *canon. gesta* 2. *can. honoratius* 8. *d.* 74. & S. Rituum Congregatio in Rheginensi 9. Decembris 1600. ac firmavit Rota in Viterbiensi celebrationis missarum 11. Decembris 1600. coram Sacrato. At verò quando Archidiaconus ex sua devotione est sacerdos, tunc ipse par est in ordine, major in administratione, ac proinde Archipresbyter cedere debet, etiam quoad missas solemnes, juxta celebrem declarationem Hostiensis in *d. cap.* 1. *num.* 5. *de offic. Archipresbyter.* quem ibi omnes sequuntur, nominatim Jo. Andr. *num.* 4. Butr. *num.* 1. Abb. *sub initio*, Archidiac. *num.* 1. Anchar. *num.* 3. Boer. *cons.* 22. *num.* 25. & *seqq. lib.* 1. Tusch. *lit. A. concl.* 482. *num.* 16. quibus adstipulatur Ferr. *de præced. cap.* 5. *num.* 3. Vulpel. *in pr. for. Eccles. cap.* 24. *num.* 13. Add. ad Gregor. *dec.* 411. *num.* 5. Ricc. *dec.* 348. *p.* 4. & Rot. *dec.* 244. *p.* 3. *rec.* & in Comensi præeminentiarum 26. Junii 1615. & 13. Martii 1616. coram Sacrato, ac declaravit Sac. Rituum Congregatio in dicta Rheginensi, & in S. Agathæ Gothorum 22. Martii 1602. & in Juvenacensi 17. Novembris 1607. passimque alibi. Quoniam non idcircò eædem functiones prohibentur Archidiacono, quod sint demandatæ Archipresbytero, si ratione majoritatis ex aliis juris regulis possint competere etiam Archidiacono, cùm non sit insolens in jure, quod idem officium pluribus ex ordine competat, perperam reclamante Fagnano *in d. cap. ad hæc de offic. Archid. a nu.* 1. & Gratiano *discept.* 298. cum ab eis deducta procedant in functionibus parochialibus; nempe in funeribus, & Sacramentorum administratione, quia tunc Archipresbyter fungitur munere proprio cum habitu sacerdotali, cùm deferat stolam, de quo alibi, non autem in functionibus Pontificalibus, quæ curam animarum non concernunt. Et cùm hæc declaratio sit concepta ex verbis & ratione legis, perinde se habet ac si esset expressa in lege *l. nominis & rei §. verbum ff. de verb. signif. & l. scire oportet, §. aliud, ff. de excus. tut.* & notat Bald. *in l.* 2. *§. quid si, ff. de negot. gest.* & Mantic. *de conject. lib.* 1. *tit.* 16. *num.* 12. 8

Quam conclusionem eadem S. Congregatio ita firmam, & inconcussam retinet, ut ne quadragenariam quidem consuetudinem in contrarium admittat. Unde licèt omnes res Ecclesiæ quadragenaria præscribantur, *cap.* 1. & ibi Gloss. *de præscript.* etiam ad dignoscendum, quod Archidiaconus sit prima, vel inferior dignitas, cum in aliquibus Ecclesiis Archipresbyter, vel Decanus, vel Cantor, vel Præpositus, vel Prior sit prima dignitas, & in hoc attenditur consuetudo quadragenaria ex Barbos. *de Canon. & dignit. cap.* 3. *num.* 39. & *seq.* attamen quoad functiones pontificales, quæ propter majestatem Sanctissimi Sacramenti ac decentiam Ecclesiæ fieri debent per digniorem, Rota in d. Viterbiensi, tunc solum eadem S. Congregatio excludit primam dignitatem quando constat de immemorabili, & donec formiter probetur immemorabilis contra Archidiaconum, sive primam dignitatem, mandat functiones fieri per ipsum Archidiaconum, ut patet ex sequentibus declarationibus. 9

10

In

11 *In cauſa Melphitenſi vertente inter Archidiaconum, & Archipresbyterum circa functiones ſolemnes ejuſdem Cathedralis ad relationem Emin. D. Cardinalis S. Georgii, & S. Rituum Congregatio reſpondit, non conſtare de immemorabili, 15. Martii 1630.*

12 In Interamnenſi. *S. Rituum Congregatio ad relationem Em. D. Cardinalis Pamphilii, Capitulo, & Canonicis legitimè citatis, reſpondit, Priore ſolemniter celebrante, ſive præſente Epiſcopo, ſive eo abſente, aut impedito ſemper & indiſtinctè inſervire debere pro diacono, & ſubdiacono Canonicos, & non alios inferiores, nec non functiones ſolemnes, quas, ſi Epiſcopus præſens eſſet, obiret, eo abſente, vel impedito, ad ipſum Priorem unicam dignitatem ſpectare, & pertinere, & ita ſervari mandavit in cathedrali Interamnenſi, donec formiter probetur immemorabilis contraria per Canonicos allegata die 21. Julii 1635.*

13 Fuitque adeò conſtans in hac immemorabili, quod nulla habita ratione decretorum Synodalium, ac teſtium depoſitionum ſuper probatione immemorabili, voluit, quod illa formiter probetur, non retardata exequutione decreti ad favorem primæ dignitatis, ut in Molphetana tenoris ſequentis.

14 *Orta controverſia inter Archidiaconum, & Archipresbyterum Cathedralis Molphetæ ſuper functionibus Epiſcopalibus, abſente, vel impedito Epiſcopo, Archipresbyter, qui habebat pro ſe immemorabilem, ſupplicavit, hanc cognitionem committi Illuſtriſſimo Madruccio, coram quo jam pendet alia ſimilis inter Archidiaconum, & Archipresbyterum Eccleſiæ Monopolitanæ, & S. Congregatio remiſit ad Illuſtriſſimum S. Georgii, & conceſſit remiſſoriales, non retardata exequutione decreti jam facti ſub die 17. Julii 1627. nempè prædictas functiones ſpectare ad digniorem, & ita cenſuit die 24. Januarii 1628.*

15 Nec acquieſcens Archipresbyter in hac reſolutione iterùm inſtitit, ut ipſe interim manuteneretur, plurimas atteſtationes teſtium, & antiquas ſynodos producens; at S. Congregatio ita cenſuit.

16 *In Molphetana præeminentiarum die 26. Februarii 1628. In cauſa præeminentiarum inter Archipresbyterum, & Archidiaconum Eccleſiæ Molphetanæ circa functiones Epiſcopales, abſente, vel impedito Epiſcopo, referente Illuſtriſſimo S. Georgii, & Sac. Rituum Congregatio perſtitit in decretis, & conceſſit remiſſoriales Archipresbytero ad effectum probandi immemorabilem per ipſum prætenſam, non retardata exequutione decreti jam facti die 27. Julii 1627. Ita quoque aliàs cenſuit in Monopolitana 3. Septembris 1617. & in Nucerina Paganorum 1634. & in dicta Interamnenſi 21. Julii 1635.*

17 Commiſſis itaque remiſſorialibus Archiepiſcopo Tranenſi, coram quo examinatis teſtibus cum interrogatoriis, & facta formiter extractione ſcripturarum, diſputato dubio, an conſtaret de immemorabili, in S. Congregatione die 2. Martii 1630. fuit reſolutum, non conſtare de immemorabili, an autem probationes factæ ſuffragentur, videatur. Diſputatoque deinde dubio ſuper probationibus, quæ ſatis ſuperque eſſe videbantur, quoniam S. Congregatio die 21. Auguſti 1632. Em. S. Georgii referente, controverſias exortas inter Archidiaconum, & Archipresbyterum cathedralis Molphetanæ circa functiones Epiſcopales, abſente, vel impedito Epiſcopo, reſpondit, functiones Epiſcopales in caſu propoſito ſpectare ad Archidiaconum, uti primam dignitatem, non autem ad Archipresbyterum, niſi abſente, vel impedito Archidiacono, prout idem inter dictos Archidiaconum & Archipresbyterum reſpondit ſub die 29. Januarii, & 26. Februarii 1628. nullam faciendo mentionem de probationibus, ideòque prætendebat Archipresbyter, quod licèt illæ non concluderent rigoroſam immemorabilem, illam tamen quaſi probarent, & quod ſufficerent inferiores conſuetudines, verùm S. Congregatio proponente eodem Em. S. Georgii die 21. Julii 1635. circa immemorabilem probatam reſpondit, probationes factas per Archipresbyterum non ſuffragari.

18 Et aliàs orta controverſia ſuper dictis functionibus in Rota inter Archidiaconum, & Archipresbyterum Comenſem coram Sacrato, in qua emanarunt duæ deciſiones ad favorem Archidiaconi ſuper allegata, & probata per Archipresbyterum quadragenaria in Rota, conjunctim Archidiaconus, & Archipresbyter ſupplicarunt S. Rituum Congregationi, an ſufficiat dicto Archipresbytero præfata quadragenaria jam probata? Et S. Congregatio non ſufficere reſpondit die 18. Februarii 1617. Non ſufficit enim quadragenaria, ubi requiritur immemorabilis.

19 Neque obſtat, quod danda ſit manutentio Archipresbytero, vel aliis, cum de ejus longiſſima poſſeſſione conſtet, ut in hac ſpecie reſolvit Rota coram Cavaler. *dec.* 589. ſub initio, ac penè per totam, ubi reſpondetur deciſioni Sacrati, dicens, quod loquatur in petitorio, non autem in poſſeſſorio. Præcipuè dum probatur poſſeſſio, & è contra nihil oſtenditur. Eo enim caſu S. Congregatio jubere debet, probationes fieri, & interim dare manutentionem, quemadmodum Judices habentes ampliſſimas facultates illam dare tenentur, donec cognoſcatur de petitorio, ut in terminis, quando habent facultatem procedendi manu regia, & ſola facti veritate inſpecta, dixit Rota *deciſ. 99. num. 6. p. 1. div.* Et in Bononienſi de carnalibus coram Innocentio X. Nec reſolutio, de qua Barboſa *in dec. apoſtol.* 253. *num.* 21. quatenus eſſet authentica, aliquid habet momenti, quia loquitur, quando conſuetudo nullo modo eſt probata. In hoc enim caſu verum eſt, quod datur manutentio habenti aſſiſtentiam juris, ſecus verò, quando de poſſeſſione conſtat, & datur fumus conſuetudinis; nam iniquum eſſet denegare manutentionem, quæ, docto de poſſeſſione, non denegatur, etiam habenti reſiſtentiam juris, Coccin. *dec.* 304. *num.* 5. & *ſeqq.* & aliàs paſſim. Sicque etiam declarationes in Molphetana relatæ loquuntur, nulla facta probatione poſſeſſionis, neque ibi actum fuit de manutentione, ſed exequutione decreti in negotio principali emiſſi, quod cùm habeat viam exequutivam, ideò S. Congregatio dixit, dandam immiſſionem, non retardata exequutione, prout fit in exequutivis, at nihil dixit de manutentione, quod eſt judicium diverſum.

Et potiſſimum quando poſſeſſio eſt temporis conſide- 20
rabilis. Tunc enim datur abſque difficultate manutentio habenti reſiſtentiam juris communis, ut firmavit Rota in congeſtis a Beltram. *ad dec.* 370. *num.* 10. Duran. *deciſ.* 21. *num.* 18. & in Lauden. decimarum 20. Junii coram Veroſpio. Semper enim hæc conſuetudo, quando eſt alicujus temporis notabilis, manutenenda eſt contra juris aſſiſtentiam, Franc. *in cap. ad decimas num.* 8. *in* 4. *limit. de reſtit. ſpol. in* 6. Covar. *pract. quæſt.* 17. *num.* 9. Poſt. *de manut. obſ.* 538. *num.* 7. & *dec.* 595. *num.* 4. *p.* 1. *div.* Quæ juris aſſiſtentia ad effectum manutentionis non conſideratur, neque obſtat habenti præſcriptionem ac poſſeſſionem pro ſe, donec cognoſcatur petitorium, Seraph. *deciſ.* 595. *num.* 2. & *deciſ.* 1380. *num.* 1.

Et cum in libro cœremoniali præſervetur conſuetu- 21
do, non poteſt dici, quod ſit contra jus, ſed præter jus. Quo in caſu neque requiritur immemorabilis, ſed ſufficit decennalis juxta doctrinam, Gloſſa *in c. ultim. v. Conſuetudo, de conſuet. in* 6. Alex. *conſ.* 123. *num.* 1. *lib.* 5. Mantic. *dec.* 51. *num.* 4. Seraph. *dec.* 639. *num.* 11. & *dec.* 1159. *num.* 3. Cavaler. *dec.* 73. *num.* 3. & *dec.* 95. *num.* 2. & *dec.* 356. *num.* 1. & *dec.* 375. *num.* 8. *p.* 2. Immò cùm textus ſit perſpicuus pro Archipresbytero *in d. cap.* 1. *de offic. Archipresb.* licèt ſit declaratum ab Hoſtienſi, & aliis non procedere, quando Archidiaconus eſt ſacerdos, tamen conſuetudo contra receptam opinionem Doctorum non eſt contra jus, ut cenſuit Rota coram Puteo *deciſ.* 240. *per tot. lib.* 3. Seraph. *deciſ.* 639. *num.* 1. Cavaler. *deciſ.* 497. *num.* 4.

Minuſque poteſt fieri fundamentum ſuper eiſdem 22
controverſiis. Quia cùm ſemper Archidiaconi ſuccubuerint, potius confirmant, quàm deſtruant conſuetudinem, Rota in Romana præcedentiæ 18. Maji 1620. coram Sacrato, quæ eſt *dec.* 214. *num.* 2. & 3. *p.* 8. *rec.* Accedentibus etiam fidibus, quæ faciunt fidem ad effectum manutentionis, Burat. *dec.* 720. *num.* 2. Poſt. *obſerv.* 38. *num.* 22. Et ſi habent aſſiſtentiam aliarum ſcripturarum præcipuè viſitationum, debent attendi, Rota in Bergomenſi Capellaniæ coram Pirovano, impreſſa per Farinac. *poſt* 2. *volum. conſil. deciſ.* 323. *num.* 2. Zerol. *in prax. verb. viſitatio*, Lezan. *conſul.* 41. *num.* 1. Caputaqu. *dec.* 229. *num.* 1. Seraphin. *dec.* 780. Agiturque in judicio poſſeſſorio, in quo etiam leviſſimæ atteſtationes ſufficiunt, Maſchard. *de prob. concl.* 1099. Rota *dec.* 460. *num.* 1. *par.* 3. *rec.* & Gregor. *dec.* 418. Maximè quando agitur de præcedentia in exercitio alicujus peculiaris actus, Menoch. *conſ.* 52. *num.* 99. Seraph. *dec.* 964. Add. ad Greg. *dec.* 124. *in fine*, ubi conciliat opiniones, & concludit non eſſe incongruum, etiam minus dignum in hoc caſu præferri digniori, juxta *cap. cùm olim num.* 1. *de conſuet.* ubi Bald. & Menoch. *conſ.* 51. *num.* 51. *lib.* 1. idem Add. *dec.* 370. & Rota in Seguntina præcedentiæ 12. Junii 1609. coram Pamphilio.

Hæc, inquam, non obſtant. Nam procedunt ubi 23
cùm poſſeſſione allegatur etiam titulus, non autem ubi totum jus habentis reſiſtentiam eſt innixum in ſola poſſeſſione. Omnium exactiſſimè Baldus *in l. Titia col.* 2. *ff. ſolut. matr.* Nam, ut ſtatus, inquit, quem inducit poſſeſſio, vel quaſi poteſt naturaliter ineſſe ab origine, & tunc relevat ab onere probandi, *l. circa eum, ff. de prob.*

prob. aut non poteſt naturaliter ineſſe, & tunc refert, an poſſit ineſſe de jure communi ſine præjudicio alterius tertii, an verò non poſſit ineſſe, niſi de jure ſpeciali. Primo caſu aut deducitur incidenter, & relevat ab onere probationis per notata *in l. ſicuti §. ſed ſi quæratur, §. ſi ſer. vend. & l. 1. ff. fam. herciſc.* Aut deducitur principaliter, & tunc poſſeſſio non relevat ab onere probandi, *l. 3. hoc autem, ff. de itin. actuq. priv.* & notat Oldrad. *in l. pen. ff. de cond. inſtitut.* & Cin. *in l. 2. C. quæ ſit long. & in l. 2. C. ubi cauſ. ſtat. & in l. 2. Cod. de ſerv. & aqu.* Secundò caſu, quando ſcilicet ſtatus, quem indicat primo non poteſt ineſſe, niſi ex privilegio cum alterius injuria, & tunc nunquam relevat ab onere probandi, quia habet contra ſe præcedentem neceſſariam veritatem, quæ ex præterito infert in ſequentia, niſi contra probetur, ut *in cap. ad decimas de reſt. ſpol. in 6.*

24 Igitur donec immemorabilis non fuerit formiter probata, jus ſolum Archipresbytero integrum eſt petendi remiſſoriam ad illam probandum, interim verò functiones peragendæ ſunt per Archidiaconum habentem juris aſſiſtentiam, ut ex relatis declarationibus S. Rituum Congregationis docemur. In iis quippè, quæ juri reſiſtunt, & nequeunt haberi, niſi per privilegium, vel immemorabilem, donec de hoc cognoſcatur, res pertinet ad eum, qui habet juris aſſiſtentiam, & habenti reſiſtentiam non datur manutentio, ut in materia decimarum pendente diſcuſſione præſcriptionis, ſuper exemptione, tradit Mareſcot. *lib. 1. var. cap. 11. num. 6.* Rota in Hiſpalen. decimarum 15. Februarii 1647. coram Meltio, & 25. Junii 1649. coram Bichio, & in Toletana decimarum 21. Junii 1649. coram Em. Otthobono, & generaliter firmant Menoch. *de retin. remed. 3. num. 59.* Capoblanch. *de Baron. pragm. 1. num. 590.* Rovit. *pragm. 1. de juriſd. non turb. num. 29. & ſeqq.* Greg. *dec. 404. num. 1.* aliique communiter. Et in caſu S. Concil. Trident. *ſeſſ. 24. cap. 20. de refor.* Archidiaconi non ſolùm cauſas in eo narratas, cognoſcere poſſunt, ſtante immemorabili, ſed etiam alias beneficiales, quæ tamen donec probetur immemorabilis, cognoſcuntur ab Epiſcopo, ut reſolvit S. Congregatio ejuſdem Concilii in Burgenſi, in Salernitana, & alibi ſæpius,

25 Quare in re non ſufficit, quod teſtes deponentes dicant, Archipresbyterum ejuſmodi functiones peregiſſe. Tum quia id potuerit evenire, vel propter abſentiam Archidiaconi, vel de ipſius licentia, atque ita nullo modo probarent aſſertam conſuetudinem in præjudicium Archidiaconi, Aym. *conſ. 96. num. 4.* Cæſ. de Graſſ. *dec. 6. num. 5. de præb.* Afflict. *dec. 280. num. 9.* Greg. *deciſ. 162. num. 10.* Vel poſſunt comprobari quando Archidiaconus pro tempore non erat ſacri presbyteratus ordine inſignitus, vel quod noluerit celebrare; ſine hac enim expreſſa definitione, immò ſine contradictorio judicio non probarent conſuetudinem, Menoch. *conſ. 187. num. 57.* Maſchard. *de probat. concl. 244. num. 3.* Mareſcot. *var. lib. 2. cap. 100. num. 6. & ſeqq.* Caval. *dec. 77. num. 6.* Burat. *dec. 497. num. 9. & 10.* Quare eſt etiam neceſſarium, quod dicant, Archidiaconum voluiſſe peragere functiones, & fuiſſe ab Archipresbytero impeditum, eique prohibenti acquieviſſe. Aliàs cum ſimus in facultativis, per non uſum Archidiaconi non cenſetur acquiſitum jus aliquod Archipresbytero abſque hujuſmodi probatione, & acquieſcentia, Burat. *dec. 43. num. 6. & 7.* Rot. *dec. 491. num. 8. & 10. p. 1. rec. & dec. 677. num. 3. p. 3.* Coccin. *dec. 402. num. 10.* & apud Poſt. *de manut. dec. 191. num. 8.* & in terminis præeminentiarum Seraph. *dec. 716. num. 10.*

26 Præcipuè verò ſi poſſeſſio non fuerit pacifica, & deponant de actibus contrariis. In hiſce enim caſibus conſuetudinis probatio redditur impoſſibilis, Rip. *in cap. cum Eccleſia Sutrina num. 64.* ubi Abb. *num. 24. de cauſ. poſſ. & propr.* Put. *deciſ. 350. num. 5. lib. 4.* Cavaler. *dec. 649. num. 3.* Surd. *conſ. 393. num. 23. & ſeqq.* Greg. *dec. alleg. 162. n. 19. & 25.* & Burat. *dec. 23. n. 7.*

27 Quod ſi Archidiaconus non eſt charactere ſacerdotali inſignitus, de jure non poteſt in divinis aliquam prælationem prætexere ſupra Archipresbyterum, ut latè probat Barboſ. *de jur. Eccleſ. l. 1. cap. 24. num. 42.* non obſtante quacunque conſuetudine, ſive potius corruptela. Nam actus repugnantes rationi, tanquam improbi, neque jus, neque poſſeſſionem tribuunt, *l. improba, C. de acq. poſ.* Cyriac. *contr. 12. num. 5.* Ferr. *de præced. qu. 5. num. 12. & 13.* Barboſ. *loco citato cap. 21. num. 8.* ubi refert declarationes S. Rituum Congregationis. Repugnat autem rationi, quod in divinis qui non eſt presbyter preferatur presbytero.

28 Tertia concluſio. Quamvis de jure Archidiaconatus in Eccleſia cathedrali ſit dignitas major poſt Pontificalem, & ex regula ubi Archidiaconus eſt ſacerdos præferatur Archipresbytero in functionibus, quæ ad Epiſcopum ſpectant, receptiſſima tamen concluſio eſt, quod attenditur inſtitutio, vel conſuetudo legitimè præſcripta cujuſvis Eccleſiæ juxta ea, quæ tradit Innoc. *in cap. de multa num. 6. de præb.* ibique Hoſt. *num. 9.* Zabarell. *num. 3. & conſ. 30. num. 6.* Abb. *num. 21. poſt. med.* Boer. *dec. 286. num. 4.* Rimin. jun. *conſ. 151. num. 11. cum ſeqq.* Maſchard. *de prob. conſ. 115. num. 2.* & Lotter. *de re benef. lib. 1. quæſt. 10. num. 111.* Ruin. *conſ. 156. num. 4. lib. 4.* Eaque diſpoſitioni juris communis prævalet, Alex. *conſ. 142. num. 4. lib. 6.* Pariſ. *de reſign. lib. 2. quæſt. 1. num. 83.* Grammat. *dec. 64. num. 17.* Rota coram Mantica *dec. 275. num. 3.* ac latè Add. ad Greg. *dec. 411. num. 5.* & declaravit S. Congregatio Rituum in Juvenacenſi 9. Maji 1609. ac alibi, præcipuè in Laudenſi 18. Septembris 1666. videlicet: *Relata in S. Congregatione controverſia orta in Eccleſia cathedrali Laudenſi inter Archidiaconum ſecundam dignitatem ex una, & Archipresbyterum tertiam dignitatem ex altera, quiſnam eorum, abſente, vel impedito Præpoſito prima dignitate, debeat exercere functionem obeundi ſereniſſimæ Imperatrici pluviali indutus, Archidiaconus ne ſacerdos, & ſecunda dignitas, an potius Archipresbyter tertia dignitas? Eadem S. Congregatio declaravit, ſpectare dictam functionem ad Archipresbyterum, attento quod Archidiacono obſtat ſtatutum dictæ Eccleſiæ cathedralis. Et ita ſervari mandavit.* Et die 21. Julii 1668. in eadem Laudenſi cenſuit, functiones omnes ſacerdotales ſpectare ad Archipresbyterum, licèt tertiam dignitatem, non autem ad Archidiaconum quamvis actu ſacerdotem, cùm ita diſponatur in ſtatuto illius Eccleſiæ, quod eſt obſervandum.

Idem obſervatur in Eccleſia Patavina, ut teſtatur Alex. *conſ. 152. lib. 6.* Menoch. *conſ. 51. num. 51.* Pichard. apud eundem Menoch. *conſ. 52. num. 181.* in Taurinenſi authore, Gemin. *in cap. penul. num. 6. de offic. deleg. in 6.* in Parmenſi, teſtibus locupletiſſimi Innoc. Hoſt. Zabarell. & Boer. ſupra relatis, & Aretino *conſ. 32. num. 2.* 29

Et generaliter quod uſus, & conſuetudo decennalis ſufficiat in materia præcedentiæ, quod aliquos particulares actus, quamvis ſit contra jus, tradit copioſè Add. ad Greg. *dec. 124. num. 4.* & fuſiùs Rota *dec. 85. num. 4. ac ſeqq. p. 5. rec.* Et in terminis longè durioribus eadem S. Congregatio Rituum id firmavit in Oppidenſi præcedentiæ pro Patribus Cœleſtinis contra Clerum ſæcularem, ubi fuit confirmata conſuetudo alternatim incedendi in proceſſionibus unus canonicus a dextris, & Monachus a ſiniſtris, quæ videbatur corruptela, cùm non ſit arandum cum Aſino, & bove, nec veſtis Eccleſiæ debeat eſſe lino, lanaque contexta. Et nihilominus ita fuit reſolutum proponente Eminentiſs. Brancacio anno 1644. menſe Majo licèt aliter poſteà decretum. Præſertim autem ſi hujuſmodi conſuetudo ex actibus judicialibus atque adeò etiam ex ſententiis inducta ſit, ut eſt communis omnium ſenſus. Immò ſufficere duos actus, ſatis communiter tradunt Hoſt. *in c. ex parte nu. 16. de conſuet.* Præpoſ. *in can. mos eſt num. 5. d. 1.* Bartol. *in l. de quibus ff. de legib.* Bald. *ibi*, Zaſ. *tit. de leg. in fin.* Pariſ. *conſ. 31. num. 44. lib. 4.* aliique. Quod intelligendum eſt, quando partes acquieſcunt ſententiæ, Alex. *conſ. 132. num. 4.* Rota *dec. 301. nu. 3. p. 2. rec.* Nam quando non acquieſcunt, ſententia non ſortitur exequutionem, ſed reperit obſtaculum pro ſuo effectu, & conſequenter non intervenit conſenſus, quo Communitas mediante parte, cujus intereſt, admittat actum ut inductivum conſuetudinis. Ad inducendam autem conſuetudinem requiritur tacitus conſenſus populi, ut deſumitur *ex l. de quibus, ff. de legib.* & notant Alex. *conſ. 132. num. 9. lib. 2. & conſ. 23. num. 7. lib. 6.* Corn. *conſ. 293. num. 7. lib. 1.* Oſaſch. *dec. 99. num. 45.* & Rot. *dec. 72. n. 22. p. 2. div.* Eſt enim conſuetudo jus quoddam moribus inſtitutum *can. conſuetudo d. 1.* Non poteſt autem moribus inſtitui, niſi interveniat conſenſus Communitatis. 30

Quod adeò verum eſt, ut ſecundùm opinionem magis receptam, quam tradunt Petr. de Raven. *de conſuet. n. 115.* Natt. *conſ. 309. n. 7. lib. 2.* Piagius *eod. arg. de conſuet. q. 3. n. 14.* ſententiæ quoque nullæ inducant conſuetudinem, ſi partes acquieſcant, cùm tamen ſententia nulla ſit, neque ſententiæ nomen merentur, *l. 4. §. condemnatum, ff. de re jud. & Clem. paſtoralis de ſent. & re jud.* & oſtendit Rip. *in d. §. condemnatum num. 3.* ac ſequitur Menoch. *conſ. 1131. num. 2.* Cùm enim ſit nulla, non habet formam, & ſubſtantiam ſententiæ, & ideò cùm inducat conſuetudinem, inducit ratione ſolius acquieſcentiæ. Unde hac ſublata, ſententiæ quoque legitimæ illam non inducent, cùm deficiat id, cujus virtute inducitur conſuetudo. 31

Quare in hoc caſu obeſſe non poteſt diſpoſitio cæremonialis, quæ mandat, quod munera ſacerdotalia per- 32

ſolvan-

ſolvantur a digniori ex Capitulo. Quia hæc diſpoſitio non tradit ritum & formam illis Cathedralibus, aliiſve Eccleſiis, quæ habent proprios ritus, & ſtatuta, eſtque regula, quod lex & Conſtitutio generalis ceſſat in iis locis, in quibus vigent propria ſtatuta, *l. fin. Cod. de teſtam.* Doct. *in l. de quibus, ff. de leg.* Gabr. *conſ.* 29. *num.* 47. *lib.* 2. Gratian. *diſcept.* 9. *num.* 14. Et in terminis ſtatutorum Capituli, quod debeant adamuſſim obſervari, neque liceat recedi ab eorum expreſſa diſpoſitione, & ſi aliter jus diſponat, firmavit Alex. *conſ.* 142. *num.* 4. *lib.* 6. & Rota *dec.* 317. *num.* 1. *p.* 10. *recent.* Quinimmò conſuetudo hujuſmodi præſervatur in cœremoniali *lib.* 2. *cap.* 7. *ſub initio.*

33 Id tamen haud facilè admiſerim, niſi in functionibus, in quibus Archipresbytero ratione ordinis competit in divinis præcedentia, ſecus autem in actibus, & functionibus a jure communi attributis dignitati ac muneri Archidiaconali. Nam ſtatuta correctoria juris communis ita accipienda ſunt, ut, quod minus fieri poteſt, lædant jus commune, ceu tradunt Salic. *in l.* 2. *C. de nov.* ibique Baldus & alii, Cravet. *conſ.* 236. *n.* 9. Soccin. jun. *conſ.* 122. *num.* 3. *lib.* 2. Comenſ. *conſ.* 30. Curt. Jun. *conſil.* 7. *num.* 8. & 10. Abb. *in cap. cùm dilectus circa fin. de conſuet.* ac Menoch. *conſ.* 261. *num.* 35. Statuta autem, ſive conſuetudines hujuſmodi ſunt correctoria juris communis, quia corrigunt, quod in illo, nempè *cap.* 1. & *c. ad hæc de offic. Archid.* & in cœremoniali ad favorem Archidiaconi præſcribitur, ac proindè iſta reſtringi debent, ut ipſum lædant quam minus fieri poteſt, atque adeò quod locum habeant ſolùm illis functionibus, quæ Archipresbytero in divinis competunt. Præcipuè quia in materia præcedentiæ non eſt abſurdum, quod quis ex diverſis qualitatibus, exque pluribus cauſis modò præferatur, modò poſtponatur juxta ea, quæ tradunt Menoch. *conſ.* 52. *num.* 99. & *ſeqq.* Mareſcott. *var. lib.* 1. *c.* 69. *num.* 20. & 21. Gratian. *diſcept.* 298. *num.* 38. & 50. Contilor. *de præced. num.* 19. Rota coram Puteo *lib.* 3 *deciſ.* 104. *num.* 4. & coram Seraphin. *deciſ.* 964. *num.* 1. & 2. & coram Merlino *deciſ.* 779. *n.* 6.

34 Confirmatur. Statuta accipiunt interpretationem a jure communi, ut aſſerunt Doctores *in l.* 1. *§. lex falcidia, ff. ad leg. falc.* ubi Bart. Alex. aliique, Bellam. *dec.* 723. *nu.* 19. Rota coram Creſcentio *dec.* 1. *num.* 4. *de præſcript.* & coram Millino *deciſ.* 359. *num.* 10. & *deciſ.* 512. *in fin. p.* 1. *div.* Unde etiam hujuſmodi ſtatuta, ſive conſuetudines Eccleſiarum recipient interpretationem a jure. Jus autem, quod concedit præeminentiam Archipresbytero ſuper Archidiaconum, declaratur tantùm, ut non comprehendat ea, quæ ſunt juriſdictionis, ſed ſolùm ordinis, & in iis, quæ ſpectant ad divina, *cap.* 1. & *cap. officia, de offic. Archid.* & *Archipresbyt.* & *can. perlectis §. Archipresbyter. d.* 25. & docet Barbat. *d. conſ.* 5. ac Ruinc. *conſ.* 151. *num.* 22. & 27. & *ſeqq.* Præterea hujuſmodi ſtatuta loquentia in caſu ſimplici, non debent extendi ad caſum mixtum, quando nimirum Archidiaconus eſt ſacerdos, Bero. *conſ.* 110. *n.* 14. *vol.* 1. cum aliis adductis a Rota *dec.* 63. *n.* 7. *p.* 9. *rec.* Ita etiam declaratur in his terminis diſpoſitio juris communis; nam licet diſponat in caſu ſimplici, ac indiſtinctè, limitatur tamen in caſu, quo Archidiaconus eſt ſacerdos. Statuta enim non operantur præter caſum expreſſum, & caſus in ſtatuto omiſſus, habetur pro omiſſo, itaut in eo non impediatur effectus juris communis. Rota *deciſ.* 181. *num.* 4. *cum ſeqq. p.* 5. *recent.*

35 Verùm attendenda eſt obſervatio ſubſequuta. Nam hæc optimè interpretatur privilegia, leges, ſtatuta, diſpoſitiones, & quoſcunque alios actus, *cap. cùm veniſſent de inſtit.* & *cap. cum dilectus de conſuet.* & *l. ſed Julianus, §. Porrò, ff. ad S. C. Maced.* & *l. ſi de interpretatione, ff. de leg.* ibi: *Si de interpretatione legis quæratur, in primis inſpiciendum eſt, quo jure Civitas retrò in ejuſmodi caſibus fuiſſet. Optima enim eſt legum interpres conſuetudo,* & *l. ſeq. Nam Imperator noſter Severus ſcripſit in ambiguitatibus, quæ ex legib. proficiſcuntur, conſuetudinem, aut rerum perpetuò ſimiliter judicatarum authoritatem vim legis obtinere debere,* & tradunt Ruin. *conſil.* 38. *num.* 6. *lib.* 1. Pariſ. *conſ.* 22. *num.* 24. *lib.* 1. Purpur. *conſ.* 367. *num.* 77. Menoch. *conſ.* 65. *num.* 56. Cord. *conſil.* 193. *num.* 10. *lib.* 2. aliique innumeri, præcipuè Mantica *deciſ.* 320. *nu.* 5. & Caſtill. *lib.* 5. *controv. cap.* 93. *§.* 7. Idque etiamſi non ſit longi temporis, ut docent Caſtr. *conſ.* 437. *num.* 4. Roman. *conſil.* 371. *num.* 3. Aretin. *conſ.* 11. & Menoch. cum aliis *conſ.* 275. *num.* 19. Quia tanta eſt virtus obſervationis ſubſequutæ, ut etiam poſſit inducere jus novum, *l. de quibus, ff. de legib.* & *l. nulli, ff. quod cujuſque univ.* & *l. obſervare, §.* 5. *de offic. Proconſ.* Ideòque attenta ea obſervatione, ſecundùm illam in concluſionis propoſitæ deciſione neceſſariò concludendum eſt, Rota *deciſ.* 157. *n.* 27. *p.* 5. *rec.* & *dec.* 14. *num.* 5. *p.* 7. & coram Emin. Othobono *deciſ.* 257. *num.* 15. Et in ſpecie quando ſimul concurrunt ſtatutum Eccleſiæ, & antiqua conſuetudo obſervata reſpondit S. Rituum Congregatio in dicta Juvenacenſi 9. Maji 1609.

CONSULTATIO XXXVI.

Prima dignitas in Eccleſia ex quibuſnam probetur?

1 *An ex inceſſu, vel ſeſſione dextera?*
2 *An ex inceſſu, vel ſeſſione in loco primo, vel medio?*
3 *An ex thurificatione ante alios?*
4 *An ex proviſionibus Apoſtolicis?*
5 *An ex conſuetudine?*
6 *An ex eo quod ante alios vel ſubſcribatur, vel denominetur?*
7 *An ex commiſſione cauſarum?*

AD primum videtur negativè reſpondendum. Quia latus dexterum non ſemper infert præcedentiam, cùm aliquando ſiniſtrum, præſertim antiquo tempore dignius exiſtimaretur, Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancell. gloſ.* 1. *num.* 36. & *ſeqq.* & *gloſſ.* 51. *num.* 55. Gratian. *diſcept.* 106. *num.* 43. Burattus, ejuſque Add. *deciſ.* 488. *num.* 7. & *ſeq.* Anton. Nebriſ. *quæſt.* 53. ſive *annot.* 39. qui pluribus authoritatibus ſacris, & profanis id probat. Nam ſiniſtrum adſcribitur Patri, dexterum Filio, ut legitur *pſal.* 109. in quo Pater Filio ſuo dicit: *Sede a dextris meis.* Et quia indecens eſſet dicere, quod Filius occuparet primum locum, ideò concludendum eſt, latus ſiniſtrum eſſe dignius ac nobilius. Item 3. *Reg.* habetur, quod Berſabea ſedit a dextris, quemadmodum etiam ſcribitur *pſal.* 44. *Aſtitit Regina a dextris tuis in veſtitu deaurato.* At nulli ignotum eſt, quod primus locus, niſi non intra domos, ſaltem in publico, ſemper Principi tribuitur, ac proindè dicendum eſt, Regem ſediſſe ad latus ſiniſtrum, tanquam nobilius. 1

Idem probatur ex Ovidio, ex Silio Italico, Xenophonte *in Cyroped. lib.* 8. Dicunt & Turcæ honorabiliorem partem hominis ſiniſtram, quod eam gladius delatus cohoneſtet, & qui ſit in parte dextera, gladium habeat ſub manum ejus, qui ſiniſtrum latus claudit, ille verò liberum eum geſtet, & expeditum, Auger. Giſſen. *in itiner. Conſtantinop.* Neque diſſentit Cardinalis Baronius, qui *anno* 213. & 325. in ſeſſionibus Conciliorum, & univerſim in ſacris ſiniſtrum oſtendit eſſe nobiliorem locum. Unde Petrus de Marca *in comment.* de hac controverſia inter D. Petrum, & Paulum, expediens hanc difficultatem, confugit ipſe quoque ad loci ſiniſtri præcellentiam, ſi referatur ad inſpicientes Sanctorum Petri, & Pauli ſic collocatorum imaginem. Quod enim latus dexterum videtur, ſi imago B. Pauli cum B. Petri imagine comparetur, eſt latus ſiniſtrum, ſi ad inſpicientes referatur. Ex qua relatione ſæpè metiendus eſt in publicis conventibus gradus honoris. 2

Hinc fit, ut Epiſcopus in ea chori parte, ſedeat, quæ dextera eſt ingredientibus, & tamen reſpondet ſiniſtro cornui altaris, in quo ſiniſtrum, ac dexterum latus nuncupatur reſpectu habito ad præſentiam Numinis, cujus ibi ſedere majeſtas conſideratur, veluti olim dicebatur ſedere ſuper Cherubim, aut perindè ac ſi Chriſtus in altari ſub ſpeciebus abditus vultu ad populum obverſo conſiſteret. Ex eodem uſu inſpecta ingredientium Templum poſitione olim viris in æde ſacra dabatur pars dextera, mulieribus verò ſiniſtra. Idem ſervatur in ſolemni magiſtratuum ſæcularium conſeſſu, cum in ædes ſacras conveniunt. Qui enim eminentiores ſunt, locum chori dexterum, ſiniſtro cornui altaris reſpondentem occupant, reliqui tenent latus ſiniſtrum, quod reſpondet dextero cornui altaris. Similiter in publicis Senatuum auditoriis Præſides id latus occupant, quod ſiniſtrum eſt, ſi conſeſſus ordo a perſonis magiſtratuum ſedentium ducatur, quod tamen latus reſpondet lateri dextero cœtus aſtantis. Sic item Rege in Senatu pro tribunali ſedente Pares Franciæ Eccleſiaſtici ad Regis ſiniſtram conſident, ad dexteram verò Duces, quæ latera vices mutant habita aſtantium ratione, itaut eorum dexteræ Parium Eccleſiaſticorum ordo reſpondeat. Ex hoc igitur uſu monſtratur poſitionem ad ſiniſtram aliquando haberi nobiliorem, ac proinde locum dexterum B. Paulo tributum in diplomatibus non eſſe primum, ſed ſecundum. 3

Accedit ratio, ſive congruentia. Quia cùm pars hominis dextera ſit dignior, is, qui alium nobiliorem comitatur, ad ejus dexteram incedit, non ut ſit in loco honoratiori, ſed vel ut pars potiſſima, & honoratior medium teneret locum, vel ut eum commodius poſſet tueri, atque defendere. Et ideò iſti, qui latus dexterum alterius olim claudebant, ac tegebant, dicebantur ſtipatores, 4

res, ſeu laterones. Hinc Cyrus apud Xenophontem *cit. lib.* 8. ut venerunt invitati ad cœnam non temerè, & inconſultò ſingulos locabat ad menſam, ſed quam maximè honoraret; ad ſiniſtram ſedere jubebat manum, quod hæc inſidiis magis ſubjecta ſit, quam dextera, ſecundum verò ad dexteram, tertium rurſus ad ſiniſtram, & quartum ad dexteram. Quod ſi plures eſſent eodem modo.

5 Dicuntur iſta ingeniosè, & acutè, nec inveriſimiliter, niſi quod uſus contrarius antiquus in conſeſſibus conciliaribus huic enodationi difficultatis propoſitæ minus favet. Nam in antiquis Conciliis generalibus, ubi Evangelia in throno medio in conſeſſu collocabantur, ut Chriſtum repræſentarent, ad dexteram Evangeliorum ſedebant Legati Apoſtolicæ Sedis, quæ tamen pars ingredientibus erat ſiniſtra.

6 Ut ut ſit, ſciendum eſt, nobilitatem laterum referri poteſt ad diverſas cauſas efficientes, nempè ad naturam, & ad uſum. Quod ſpectat ad naturam cenſuit Plato *lib. 6. de Repub.* utramque partem eſſe æquè nobilem, omnemque differentiam oriri ab uſu, quæ leges naturæ corrumpit. Scio, Ariſtotelem *lib. de mot. animal.* opinionis contrariæ fuiſſe, at nobis ſatis eſt Plato, qui quoad naturam, nullam agnoſcit differentiam. Atque ideò juxta hanc opinionem concludi non poſſet cui danda ſit major dignitas reſpectu naturæ.

7 Quoad uſum verò ille conſiderari poteſt vel antiquus, vel recens. Si conſideretur antiquus, aſſero, locum ſiniſtrum eſſe præcellentiorem ex dictis, non tamen apud omnes nationes. Si recens, dexterum eſſe nobiliorem, quamvis non deſint, qui dicant non ſolùm antiquis, ſed etiam antiquiſſimis temporibus ſaltem in Sacra Scriptura, & apud plures, locum dexterum ſemper fuiſſe digniorem, quibus etiam aſſentior. Id enim abſolutè affirmat Div. Hieronymus *ad Epheſ.* 1. & D. Ambroſius *ſerm.* 61. ac expreſsè deciditur a Gloſſa *in can. quam periculoſum* 7. *q.* 1. per quam dicit Bald. *in l. decernimus in* 2. *not. C. de ſacroſ. Eccleſ.* quod cùm honor conſiſtat in ſedendo ante alios, digniorque debeat ſedere a dextris, & inferior a ſiniſtris, ideò filius primogenitus Regis debet ſemper ſedere a dextris Regis. Idem repetit *in l. liberti col.* 5. *C. de oper. lib.* & *in l. ex hoc jure col.* 2. *ff. de juſtit.* & *jur.* quam Gloſſam etiam ſequuntur Jo: Andr. Butrius, Cardinalis, & Panormitanus *in c. licet extr. de vot.* & eam ſingularem vocat Barbat. *conſil.* 18. *lib.* 2. dictumque Baldi laudat Curt. ſen. *conſ.* 74. *col.* 1. *in fin.* Card. Alex. *in canon. Epiſcopus* 17. *d.* Socin. *lib.* 74. *lib.* 3. Gulielm. de Bened. *in repet. cap it. Raynutius lib.* 1. *num.* 157. Felin. *in rubric. de major.* & *obed. colum.* 4. Natt. *in repet. c. quamvis col.* 3. *de pact. lib.* 6. & Velaſch. *in repet. l. Imperium in* 3. *not. ff. de juriſd. omn. Jud.* Ibi illud dictum appellat ſingulare. Sed id quomodo intelligatur leges apud Comment. *in conſuet. Par. tit.* 1. *§.* 8. *gloſ.* 3. *in* 1. *q.* concinit Gloſ. *in l. decernimus v. reſidendi*, Chaſſan. *in cath. glor. mund. p.* 3. *conſid.* 2. & docuit olim Ariſtoteles, qui *in problem. lib.* 31. *c.* 12. & *ſeq.* & 19. *ac* 25. & *lib.* 32. *c.* 7. affirmat dexteram partem eſſe ſiniſtra præſtantiorem, validiorem, efficaciorem, nobiliorem, ubi & illud ait dexteram partem eſſe maſculam, ſiniſtram autem fœmellam. Et rurſum *lib. de hiſt animal.* 1. *cap.* 15. *de partib. animal. lib.* 3. *c.* 3. *ad fin.* & *c.* 9. atque etiam *lib.* 4. *c.* 8. & *lib.* 2. *de Cœl. text.* 8. & *ſeq.* ubi inter differentias poſitionum dexteram ſiniſtræ præferre videtur, quia inde eſt localis motus principium, & abſolutè dexteram honoratiorem eſſe, prolixè ac eruditè defendit Cardinalis Bellarminius in illa controverſia de comparatione S. Petri cum B. Paulo *tom.* 5. *controv. lib.* 1. *de Roman. Pontif. c.* 27. ac tenuit Rota in Oriolen. juris ſedendi in choro die 2. Decembris 1592. coram Blanchetto, & in Calaguritana præeminentiarum coram Pegna *deciſ.* 465. *a num.* 4.

8 Idipſum etiam ex S. Scriptura demonſtratur. Ita enim habetur *d. pſal.* 109. *Dixit Dominus Domino meo, ſede a dextris meis.* Quod repetitur Matth. 12. Marc. 12. & ad Hebr. 10. Habetur item ex Matth. 25. beatos ſeſſuros ad dexteram Dei, reprobos ad ſiniſtram. Et iterum ex Matth. 27. *Amodò videbitis filium hominis ſedentem ad dexteram virtutis Dei.* Et *Act.* 7. *Ecce video Cœlos apertos*, & *filium hominis ſtantem a dextris virtutis Dei*, & ex Paulo *ad Coloſſ.* 3. *Quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens.* Et *ad Hebr.* 1. *ſedet ad dexteram Majeſtatis in excelſis.* Et *ad Epheſ.* 1. *Ipſe conſtitutus eſt ad dexteram Patris in cœleſtibus.* Quodque habetur *in cap. ſolitæ verſ. Hæc autem*, in his verbis: *juxta ſcabellum pedum tuorum in ſiniſtra parte ſedere, extr. de major.* & *obed.* ubi notat Hoſt. Jo: Andr. & Panorm. dexteram eſſe nobiliorem, honoratioremque, & potiſſimum *ex Geneſ.* 48. quemadmodum Joſeph conatus manum dexteram patris Iſrael, quam ſuper caput Ephraim junioris poſuerat, transferre ſuper caput Manaſſe primogeniti, ad patrem dixit: *Non ita convenit pater, quia hic eſt primogenitus: pone dexteram tuam ſuper caput illius.*

Dexteramque partem aliàs ſemper eſſe anguſtiorem, 9
religioſiorem, fœliciorem ex aliis multis conſtat. Nam dexterum pro fœlici, & propitio poni ſolitum affirmat Nonius Marcellus authoritate Virgilii *lib.* 8. *Ænead.* ubi & Servius. Idem videre licet apud Livium 1. *decad. lib.* 3. & Plin. *lib.* 11. *cap.* 45. ex quo Virgilii *lib.* 3. *Ænead.* & alibi. Ratio eſt fundata in ipſa rei natura, quia pars dextera potior eſt ſiniſtra, & ad res agendas, ut plurimum magis cum decore, celerius, & aptius admovetur. Vide Ariſtotelem *lib.* 2. *de cœl.* & *lib.* 1. *de inceſſ. animal. c.* 4. Hinc fit, ut res decoras, & aptas, item actiones & ipſas perſonas ſoleamus dexteras vocare, quæ autem contra ſunt ſiniſtras. Manum etiam dexteram docti a nutricibus pueri vocant pulchram, & ſiniſtram vocant ſævam, ſeu turpem.

Et licèt aliquando locus dexter non concludat præ- 10
ſumptionem majoritatis, ut in citata *deciſ.* Buratti 488. *n.* 7. & 8. & juxta ſententiam Rotæ *dec.* 4. *de elect. in nov.* ubi cùm ſimilis ratio deduceretur ad inducendam principem dignitatem Præpoſiti ſupra Decanum, qui habebat multò plures alias præeminentias, firmatum fuit Decanum, & non Præpoſitum eſſe primam dignitatem, quamvis Præpoſitus ſederet ſupra Decanum. Quia non eſt inconveniens, neque incompatibile, quod quis ſedeat a ſiniſtris alterius, qui habet inferiorem dignitatem. Cujus deciſionis judicio, Rotam, quam in alia cauſa Sac. Rituum Congregatio conſuluit, id ipſum affirmaſſe, teſtatur Gonzal. *d. gloſ.* 51. *nu.* 16. & *ſeqq.* Attamen negari non poteſt, quin ex modo ſedendi a latere dextero non oriatur validiſſimum argumentum majoritatis, ut ait idem Gonzal. *loc. cit. gloſ.* 1. *n.* 39. & poſt alios idem Gratian. eo *c.* 103. *n.* 40. juxta accuratam diſtinctionem Rotæ in Albiganen. præcedentiæ 20. Junii 1653. *§. ſecundo quia, cum ſeq.* coram Bicchio, ubi ex cœremoniali Romano dicitur dupliciter conſiderari partem dexteram. Uno modo in iis, quæ ſunt quodammodò pars altaris & presbyterii, & ab altari regulantur. Alio modo reſpectu ſacerdotis celebrantis, verſi ad altare. Et firmatur, quod in confeſſu circa altare, & perſonas illud integrantes, ac per alias ordinibus diſpoſitis ſe invicem reſpicientibus, pars illa eſt dignior, quæ eſt a latere dextero perſonæ primariæ in medio, & è conſpectu adſtantium ſedentis.

Pro loci verò B. Paulo attributi præcellentia non deeſt 11
commoda expeditio. Nam præter multa, quæ in hanc rem alii diſputant, non abs re dici poteſt ex quadam urbanitate, quæ etiam inter ſanctos Cœlites locum habet S. Petrum cùm Romæ ſit veluti in propria domo, excipere aliquatenus videri S. Paulum, qui non erat Urbis Romanæ proprius Epiſcopus, ſed hoſpes, & peregrinus. At peregrini Præſules ab Urbis Præſule, ad quem divertunt, honorificè excipiuntur, eiſque locus nobilior aſſignatur. Etiam inter Beatos cœlites noſtro uſui, ſe accommodantes uſurpari hoc non indecorum urbanitatis officium monſtrat exemplum S. Joannis eleemoſynarii, cui duo corpora Sanctorum Præſulum ceſſere tumuli locum potiorem, ſicut ipſe S. Joannes Eleemoſynarius ceſſit locum S. Joanni Baptiſtæ, ut ex Rocho Bruni recitat Joannes Tieplus *lib.* 4. *de invoc. Sanct. c.* 3. Vulgatius eſt exemplum Sanctorum Laurentii, & Stephani, quorum merita ponderare, & uter alteri præferendus ſit in ſanctitate ſolius Dei eſt ſtatuere. Et tamen cùm tempore Pelagii Papæ corpus S. Stephani Romam advectum infertur ſepulchro S. Laurentii, ceſſit iſte hoſpiti ſuo potiorem tumuli locum, ut eſt in priſcis actis illius translationi, quæ recolitur 7. Maii. Affine eſt, quod habetur in actis S. Severi Ravennatium Antiſtitis, quæ exhibet Surius. Ita hunc nodum expedivit Suarez *tom.* 2. *in* 3. *par. diſp.* 51. *ſect.* 3. tractans ſeſſionem Chriſti ad dexteram Patris, ubi ait, quod quandocunque dextera ponitur in ſcriptura ad locum honoris indicandum, ſignificat honoris magnitudinem, ut notavit Ambroſius *ad Hebr.* 1. & ferè omnes alii Sancti hoc myſterium Chriſti explicantes. Quapropter etiam Euſebius *lib.* 1. de vita Conſtantini dixit, Conſtantinum adoleſcentem ſummo honore apud Imperatorem fuiſſe dignum, quem honorem poſteà explicans, ſubdit ad Imperatoris dexteram aſtitiſſe. Solent enim Principes, quamvis ipſi dignitate præcellant, honoris tamen, hoſpitiique cauſa ad dexteram ſuam alium Principem ducere. Ex quo non licèt colligere, locum dexterum eſſe inferiorem, ſed potius eſſe ſuperiorem, licèt interdum a digniori perſona inferiori concedatur. Quomodo ſolet etiam Rex Reginam ferre ad dexteram honoris cauſa, quamvis Regis perſona, ſtatuſque dignior ſit. Et ita intelligitur illud

lud Pſal. 44. *Aſtitit Regina a dextris tuis, & illud 3. Reg. 2.* ubi Salomon fecit matrem ſedere in throno ad dexteram ſuam. Deinde reſponderi poteſt, ſedere ad dexteram dignius, & honorabiſius eſſe comparatione ſiniſtræ, non tamen comparatione loci medii, & hoc modo poteſt dici Chriſtus, & Regina ſedere ad dexteram Patris, & Regis, non quia ſint in loco digniori reſpectu Patris, & Regis, ſed reſpectu eorum, qui ad ſiniſtram ſedent.

12 Eodem modo expediendum eſt, quod in Miſſa ſolemni ad S. Petrum a Pontifice, vel a Cardinali celebrata, cum venitur ad thus adolendum erga imagines Sanctorum Apoſtolorum initium adolendi ducitur ab imagine S. Pauli, poſtquam idem officium præſtatur imagini S. Petri. Præterea non incommodè ſeſſio Chriſti ad Patris dexteram explicari poteſt tanquam primogeniti. Nam primogenitus præ cæteris ſedere debet ad dexteram Patris ex ſupra deductis. Quare autem dicatur, & primogenitus, & unigenitus Dei filius, ut id obiter dicam, diſces ex D. Auguſtino in libello *de fid. & ſymbol. cap.* 5. & iterum *in libel. expoſit. quat. propoſ. ex epiſt. ad Roman.* & ante eum D. Athanaſio *in libell. de aſſumpt. homin.* contra Marcellionem.

13 Varias hujus obſervationes criticas, præter citatas, lege apud Jacobum Mazon. *in Dant. lib. 3. cap.* 74. Lel. Biſciol. *in hor. ſubſec. tom. 2. lib.* 11. *cap.* 5. Juſt. Lipſ. *in lib. elect. 2. cap.* 2. Jo: Stuch. *in conv. antiq. lib. 2. cap.* 35. Levin. Torrent. *in orat. ſatyr.* 5. *lib.* 2. Philip. Beroald. *in Svet. in Tiber. c.* 17. Andr. Tiraquel. *de jure primogen. in præf. num.* 13. *& ſeqq.* Jo: Bodin. *in meth. hiſt. cap.* 5. Jacob. Pontan. *ſuper Virgil. Æneid. lib.* 10. *ver.* 160. Benedict. Juſtin. *in S. Paul. tom.* 1. *pag.* 4. *& to.* 2. *pag.* 123. *& ſeq.* Serv. *in Ænead. lib.* 5. *v.* 825. Ludovicum a Cerda *in Virgil. Ænead. lib.* 1. *v.* 702. *& lib.* 5. *v.* 170. S. Cyrill. Alex. *in Theſaur. lib.* 12. *cap.* 14. *ad fin.* Petr. Damian. *epiſt.* 16. *lib.* 2. Corn. Janſen. *in concord. Evangeliſt. c.* 150. Abb. Joachinum *in Apocal. cap.* 2. *p.* 1. Thom. Minadol. *hiſt. bel. inter Perſ. & Turch.* Joſeph. Caſtaleon. *var. lect. cap.* 1. Adrian. Turneb. *lib.* 14. *cap.* 24. Alex. ab Alex. *in genial. dier. lib.* 2. *cap.* 19. *& lib.* 4. *c.* 7. Theophyl. Raynaud. *in heteroct. p.* 1. *ſect.* 3. *punct.* 1. *num.* 5. Jo: Bapt. Lezan. *in conſult. var. conſult. ult. num.* 82. D. Th. *lect. in ep. ad Galat.* D. Greg. *homil.* 21. *in Evang.* Franciſc. Mucant. *in pecul. libell. de Sanctor. Apoſtol. Petr. & Paul. imaginib.* Marc. Anton. Georg. *in libello inſcripto; Statua D. Pauli ad dexteram D. Principis Eccleſiæ Petri non removenda.* Delrium *in adag. ſacr. p.* 2. *adag.* 321. in illud Eccleſ. *cap.* 10. *cor ſapientis in dextera ejus, & cor ſtulti in ſiniſtra ejus*, Perer. *in cap.* 47. *Geneſ. num.* 5. Maldonat. *in cap.* 15. *Matth.* Alex. Carrer. *de poteſt. Pontif. lib.* 1. *cap.* 5. eruditè, ac prolixè Henric. Kormannum *de trip. annul. num.* 18. & alios.

14 Ad ſecundum quoad locum primum affirmo per textum *in l.* 2. *C. de Præfect. Prætor. lib.* 12. *& in l.* 1. *C. de Præpoſ. ſac. Cubic. cod. lib.* 12. *& in l. ult.* ibique Bartol. & Luc. de Pen. *Cod. de tyr. eod. & in l. unicuique, Cod. de Prox. ſacr. ſcrin. eod. lib.* 12. *& in l. decernimus*, ubi Gloſs. *Cod. de ſacroſ. Eccleſ. & in can. placuit* 18. *d.* & notat Gloſs. *in canon. ſtatuimus* 61. *d.* Quod & voluit *in cap. ſtatuimus*, & ibi Henric. *de major. & obed.* Innoc. & Hoſt. aliique *in cap.* 1. *eodem tit. & in cap. Cùm olim de conſuet.* ubi Gloſſa in ſeſſionibus, ait, quemlibet ſecundum dignitatem ſuam honorandum eſſe, Bald. *in d. cap. Cùm olim*, Roman. *in repet. l. ſi verò, §. de viro, ff. ſolut. matrim.* & Aretin. *conſ.* 23. *in* 3. *dub.* Afflict. *dec.* 1. *in fin.* Congruitque quod ſcribit Bartol. *in l.* 1. *ff. de obſeq. a lib. pr.* Dignior enim cæteris reputatur, qui cæteris præfertur, ut dixit Rota *deciſ.* 518. *num.* 3. *part.* 1. *diverſ. & deciſ.* 585. *num.* 2. *part.* 4. cum aliis per Add. ad Greg. *deciſ.* 411. *num.* 5. *ad fin.* Anton. Quett. *conſ.* 1. *num.* 4. Quo tendit illud Taciti de Agrippina *lib.* 14. *annal.* comiter convivio excepta, ſuperque ipſorum collocata. Ergo is locus in convivio honeſtior, quoties duo accumberent. Nec refellit me alter Taciti locus *lib.* 3. *annal.* Quod ne accuſatores quidem ſatis firmabant, in convivio Germanici, cùm ſuper eum Piſo diſcumberet, infeſtos manibus ejus cibos arguentes. Scito enim tres diſcubuiſſe, mediumque inter eos Germanicum. Nec diſſentit Sac. Scriptura pluribus in locis, præcipuè *Matth.* 23. 6. *Marc.* 9. 35. & 12. 39. *Luc.* 11. 43. & 14. 7. & 8. & 20. 26.

15 Et quoad locum medium etiam affirmo ex Luc. de Pen. *in d. l.* 2. *Cod. de Præf. Prat. lib.* 12. ex Homero *lib. ult. Iliad.* Virgilio *lib. Ænead.* ubi Donatus ac Servius annotant eum locum apud veteres fuiſſe potiorem, citantque illud Saluſtii *in hiſt. Rom.* quæ temporum injuria periit: *Igitur diſcumbere*, inquit, *Sertorius inferior, in medio ſuper eum Titus Fabius Hiſpanienſi Senator, ex proſcriptis in ſummo Antonius.* Hactenus ille, qui ita Sertorii convivium deſcribit, ut ipſum, quia dominus convivii erat, collocarit in imo loco, Senatorem autem in medio. Et infra: *Scriba Sertorii Verſius, & alter Scriba Mecænas in imo, medius inter Tarquinium, & Deacium Perpenna.* Et idem Virgil. *lib.* 5. Ænea loquens, *& lib.* 6. *& 7. ac lib.* 10. loquens de Jove, *& lib.* 11. de Latino Rege, quem & ſequutus eſt Ovid. *in Faſt. lib.* 5. Svetonius de Tiberio loquens, *Medius*, inquit, *inter duos Conſules cum Auguſto ſimul ſedit.* Idem de Claudio *cap.* 24. *De majore negotio a Laurus in Curia medius, inter Conſulum ſellas tribunitio ſubſellio ſedebat.* Saluſtius in Jugurta ſcribit, Hiempſalem dextera ad Adherbalem aſſediſſe, ne medius ex tribus, quod apud Nimidas honori ducitur, Jugurta foret. Xenophon tradit, Cyrum ſolitum fuiſſe medium inter amicos honoratos diſcumbere. Extat apud Spartianum locus Adriani Imperatoris dignus memoratu, qui cùm ſervum ſuum inter duos Senatores medium ambulare vidiſſet, miſit qui ei colaphum daret, & diceret: *noli inter eos ambulare, quorum potes adhuc eſſe ſervus.* Ex Niceno Concilio ſedere in medio presbyterorum non licet diacono, cùm multo ſit inferior, *can. pervenit* 63. *d.* Legitur autem Luc. 2. inventum Jeſum in medio Doctorum. Et Daniel 13. ſcriptum eſt: *Veni, & ſede in medio noſtrum, & indica nobis, quia tibi Deus dedit honorem ſenectutis.* Ex quibus locis etiam conſtat, quod quando tres ſedent, vel incedunt, nulli unquam dubium fuit, quin locus medius ſit digniſſimus, juxta illud: *In medio fratrum Rector eorum.* Nam tunc, qui medius eſt, ab aliis tegitur, & quaſi cuſtoditur. Et his moribus hodie vivimus. Nam apud noſtros primus locus eſt medius, ſecundus dexter, tertius ſiniſter, ut videre eſt in cœremoniali Romano.

Ad tertium videtur reſpondendum negativè. Nam ſicuti præcedere in ſeſſione in choro dum non arguit primam dignitatem in eo, qui ſedet ſupra alium, ita & multò minus præcedentia thurificationis, & ſimilium, quæ dicto loco ac ſedi ſunt quodammodo annexa, & ideò quis thurificatur aliquando ante alios non ratione majoris dignitatis, ſed reſpectu loci poſiti a cornu dextero, a quo thurificatio inchoari ſolet, etiam ipſo abſente, ut fuit conſideratum a Rota *dec.* 866. *ſub num.* 2. *& dec.* 867. *in fine.* At nihilominus ſignum quoque præeminentiæ præberi a thurificatione ante alios, etiam quando ab unico acolyto thus adoletur, cenſuit Rota *dec.* 518. *n.* 2. *par.* 1. *& dec.* 585. *par.* 4. *div.* 16

Ad quartum affirmativè reſpondendum videtur. Nam ex collationibus Sedis Apoſtolicæ arguitur qualitas beneficii, ac dignitatis per Regulam 4. Cancellariæ, & communis exiſtimatio primæ dignitatis, ut in puncto Rota coram Burat. *dec.* 473. *n.* 6. & 9. cum aliis in Placentina Archidiaconatus 3. Aprilis 1658. coram Albergato, *§. Præterea, & §. quibus accedunt.* Aliæ verò dignitates conferri ſolent ab Ordinario, ſive per Sedem Apoſtolicam ratione menſium in vim regulæ 8. aut ex alia accidentali affectione, ut advertitur a Rota *dec.* 99. *par.* 1. *rec.* 17

Nihilominus negandum exiſtimo. Ex hoc enim non inſurgit certa probatio, quod ſit prima dignitas, ut in ſpecie reſpondit Aretin. *conſ.* 53. *num.* 7. *cum ſeqq.* quem Rota ſequuta eſt *dec.* 439. *num.* 1. *par.* 9. *rec.* Neque enim cenſetur incompatibile, quod duæ dignitates, exempli gratia Archidiaconatus, & Archipresbyteratus dici poſſent majores ac primæ poſt Pontificalem ex cauſis diverſis, illa ſcilicet extra divina, hæc autem in divinis, ut obſervavit Rimin. jun. *conſ.* 151. *num.* 21. & 27. & ita utraque dignitas caderet ſub regula reſervatoria, ut deciſum a Rota refert Garz. *de benef. part.* 5. *cap.* 1. *num.* 265. *& ſeqq.* Et dum clarè probatur, alteram eſſe primam dignitatem, nihil officit, quod illius proviſio per Epiſcopum aliquando facta ſit, quemadmodum in puncto reſolvit Garz. *loc. alleg. n.* 261. 18

Ad quintum affirmo, quando conſuetudo eſt probata cum requiſitis Gloſſæ *in cap.* 1. *de præſcript. in* 6. Hæc enim ſola, ceſſante quavis ſtatutaria diſpoſitione, licèt obſtet juri communi, ſufficit ad dignoſcendum, quænam ſit prima dignitas, cum ante omnia conſuetudo Eccleſiarum attendenda ſit, non autem jus commune ex traditis a Grammat. *deciſ.* 64. *num.* 17. *& ſeq.* & fusè ab Add. ad Gregor. *deciſ.* 41. *num.* 5. *deciſ.* 224. *num.* 1. *& deciſ.* 322. *num.* 17. *part.* 6. *recent.* & a nobis paſſim. Ea ratione, quod aliquando prima dignitas in una Eccleſia eſt Archidiaconatus, in alia verò Archipresbyteratus; alibi Prior, Decanus alibi. Accedente præcipuè communi exiſtimatione, ac publica fama, cùm illa dicatur prima dignitas, quæ pro tali communiter in eo loco cenſetur, etiam ſi pro tali in jure non habeatur, ut in hac ſpecie docet Abb. *in cap. de multa, de præb.* relatus per Add. ad Gregor. *d. deciſ.* 411. *num.* 2. Ejuſmodi verò conſuetudo in uno actu, vel caſu inducta, in illo 19

dum-

dumtaxat præcisè operatur, neque ex illa extenſio, vel illatio, etiam ad caſus ſimiles, & ex identitate rationis prætendi poteſt juxta receptum conſilium 237. Oldradi, & *deciſ.* 45. *num.* 6. Gregorii, ubi Add. & *deciſ.* 162. ac in Majoricen. Canonicatus 27. Martii 1656. & 25. Junii 1657. coram Meltio, & 23. Januarii 1658. coram Eminentiſs. Cerro poſt Tondut. *de penſ.* & poſt Zuff. *de legitim. proceſſ.* Quia eſt ſtricti juris, ac proinde non extenditur ad caſus diverſos, ut vulgò aliàs diximus.

20 Ad ſextum reſpondeo, quod qui prius nominatur, major eſſe videtur, *l. quoties*, *ff. de uſufr.* Ex priorique nominatione major, potiorque dignitas arguitur, ut apertè voluit Gloſ. *in can. benè quidem, v. Mediolanenſi* 96. *d.* & *in cap. Sedes Apoſtolica in* 2. *gloſ.* & ibi Panorm. ac Dec. *extr. de reſcript.* & *in cap. quorundam v. prædicatorum de elect. in* 6. & *in cap. ult. gloſ.* 1. *de pact.* eod. Bald. *in l. Cum quidam in* 3. *oppoſ. ad fin. Cod. de verb. ſignific.* & *in auth. hoc amplius col. ult. Cod. de fideicomm.* Angel. & Imol. *in leg. qui ſolvendo*, *ff. de hæred. inſt.* Gemin. *in cap. ult. ſub init. de offic. deleg. in* 6. Benedict. *in rep. cap. Raynutius v. teſtamentum* 2. *num.* 28. *de teſtam.* cum ſimilibus, ut per eundem Dec. *in cap. avaritiæ col.* 1. *de præb.* & *conſ.* 161. *col.* 1. *ac ſeq.* Barbat. *conſ.* 5. *num.* 17. ac Rota *deciſ.* 585. *num.* 1. *part.* 4. *diverſ.*

21 Hinc cum erant ſimul duo, tres, vel etiam quatuor Imperatores nunc unum primum, nunc alium ſe ſe in ſuis literis, ſanctionibus, ac reſcriptis nominaſſe deprehenditur, ne ſi ſemper unus primus fuiſſet nominatus, veluti aliis ſuperior eſſe videretur, & major. Hunc enim titulum Gratianus, Valentinianus, Theodoſius in multis legibus comperies, in quibus ſatis erit duas, aut tres deſignaſſe, videlicet *in l.* 1. *C. de ſum. Trinit.* & *in l. ſi quis de apoſt.* & *in l. Judæi*, *C. de Jud.* Alibi eum ordinem inverſum comperies, *ut in l.* 2. *de offic. magn. equ.* & *in l.* 2. *de offic. civ. jud.* & *in l. nobiliores de commerc.* & *merc.* & alibi ſæpè. Et ita quoque alio ordine *in l. juſſio*, *C. de Judæ* & alio *in l.* 1. *C. de offic. mag. milit.* & *in l. Civitas de offic. Rect. Prov.* & *in tit. l. Minæ*, *C. de Epiſcop. aud.* Et ordine inverſo *in l. ult. de offic. Præf. Præt.* & *in l.* 1. *de offic. civ. jud.* ac paſſim in Codice.

22 Atque ideò in mentione plurium virorum ſublimium ante omnes dignior nominandus eſt, exempli cauſa Pontifex, Cardinalis, Epiſcopus, Parochus. Vel Imperator, Rex, Princeps, Dux. Quæ præcedentia nominationis perſonalis obſervari poterit etiam in cæteris, collocando in primo loco qui virtute, nobilitate, ætate, & hujuſmodi præcellit. Id, quod dogmata ſacra, legalia, politica, & theorica diſertè docent, ut eſt legere apud D. Chryſoſt. *in epiſt.* 1. *ad Cor. homil.* 3. D. Ambroſ. *de Cain*, & *Abel lib.* 1. *c.* 3. Tiraqu. *de jur. primog. in præf. nu.* 110. & *in q.* 9. ac Phil. *de Sacrif. Abel*, & *Cain.*

23 Accedente præſertim ſententia Epiſcopi, in qua diſpoſitivè prima dignitas nominatur juxta conſilium Baldi 331. *lib.* 1. Thomati *deciſ. Macerat.* 38. *num.* 18. & *ſeqq.* Rot. *deciſ.* 34. *num.* 22. *part.* 2. *div.* & *deciſ.* 187. *num.* 18. *p.* 7. *rec.* Secus verò ſi enunciativè. Nam verba enunciativa non probant ubi de veritate enunciati principaliter dubitari contigerit, Surd. *conſ.* 5. *num.* 16. Cæphal. *conſ.* 261. *num.* 2. Rota apud Put. *deciſ.* 381. *n.* 3. *lib.* 1. *in cor.* Ac præcipuè ſi ſententia fuerit antiqua, & ab utraque parte accepta, unde amplius impugnari non poteſt neque in parte, neque in totum, cum ſit individua reſpectu formæ, Gratian. *diſcept.* 151. *num.* 5. Rota *deciſ.* 54. *num.* 1. & *ſeqq.* apud Gilian. *ad ſtat. Peruſ.*

24 Idem dico de ſubſcriptione ante alios, ſicuti obſervant Gloſſ. *in d. c. ſtatuimus* 61. *d.* Innoc. Hoſt. & alii *in c.* 1. *de major. obed.* Henric. *in c. ſtatuimus eod. tit.* Roman. *in rep. l. ſi verò*, *§. de viro n.* 53. *fall. ff. ſol. matr.* Qui enim dignior eſt, is quoque prior debet ſubſcribere per textum *in c. notandum* 17. *d.* & aſſeruit Gloſ. *in c. Cum olim extr. de cenſ.* & Rot. *dec.* 295. *n.* 4. apud Merlinum.

25 Non obſtant exempla, quibus probatur infimum locum apud Romanos fuiſſe honeſtiſſimum. Hoc verò eſt paradoxum in Romana hiſtoria, nunquam prius auditum. Exemplum e theatro petitum, alienum eſt. Nam ibi Imperator, & Patres in ima cavea ſedebant, non quia ille locus cenſeretur per ſe honeſtiſſimus, ſed quia accommodatiſſimus ad audiendum, & videndum. Neque verum eſt, quod in triumpho poſtremus locus eſt Imperatoris. Triumphi namque Romani, ſive potius pompæ triumphalis duæ partes erant. Prior continebat ea, quæ populo proponebantur ſpectanda, aurum, argentum, gemmæ, ſimulacra urbium captarum, captivi nobiles, ipſe Imperator. Poſterior ex iis conſtabat, qui honoris cauſa Imperatoris currum proſequebatur. Proximi erant cognati, propinqui, amici, Senatores illuſtres. Deinde ſequebantur turmæ ex ordine equeſtri. Poſtremò legiones. In priori parte ſervata hæc ratio, ut ſemper creſceret ſpectaculum. Primò igitur loco traducebantur quæ minoris momenti erant. Deinde ſequebantur ſpectatu digniora. Nihil autem dignius Ducibus ipſis qua victore, qua victo. Itaque agmen illud claudebat Imperatorius currus, quem proximè præcedebat Dux captivus, & quidquid erat in pompa nobiliſſimum. Quare de hac parte pompæ priore verum eſt poſtremum locum fuiſſe Imperatoris. At non ultimus ſequitur Imperator, quia ultimus locus honoratiſſimus, ſed quia rerum ſpectandarum omnium maxima erat ipſe Imperator. Reſpectu verò totius pompæ Imperatorem ultimum proceſſiſſe falſum eſt, quin potius in medio pompæ univerſæ locatus longum ordinem a tergo ſequentium præcedebat. Livius *lib.* 45. de triumpho Æmilii Pauli. *Ipſe poſtremò* (poſtremus in priori pompæ parte) *Paulus in curru magnam cum dignitate alia corporis, tum ſenecta ipſa majeſtatem præferens. Poſt currum inter alios illuſtres viros filii duo Q. Maximus*, & *P. Scipio. Deinde Equites turmatim*, & *cohortes peditum ſuis quæque ordinibus.* Sic in aliis triumphis. Vide & Svetonio in Julio *cap.* 49. Ita reperitur verum etiam in pompa trimphali, quod alibi ferè perpetuum fuit apud Romanos, ut locus medius cenſeretur honoratiſſimus.

Ultimum exemplum eſt de loco, qui dicebatur Con- 26
ſularis in conviviis. Res ita habet. Tribus ferè lectis Romani erant ſoliti ſua convivia agitare. Honoris ratio ſpectabatur, & in lectis, & in ſedibus diſcumbentium in illis lectis. Lectus medius ſemper honoratiſſimus. Sedes item media cum terni accumbebant in eodem lecto, ſin bini, locus ſuperior honoratior erat. Hoc clarum eſt, & multis probatum a viris Romanæ antiquitatis peritiſſimis, inter quos ætate noſtra primus eminet Raphael Fabrettus Urbinas, vir in omni diſciplinarum genere verſatiſſimus, ob ſingularem doctrinam, multiplicem linguarum cognitionem, ac præclaras animi dotes omnibus ordinibus carus, cujus opus de Aquæductibus, per quod *Latium nomen*, & *Italæ crevere vires*, *famaque*, vivit, vivetque ſemper ære perennius, & donec

Arctus, & *in thermas longè venit arctior amnis,*
Et cadit in montem, patuliſque canalibus actus
Circumfert clauſum cava per divortia ſtumen.

Sidon. Apollin. *carm.* 22. *v.* 184. *de aquæ duct. Urb.*

Hæc inſtituta in eo, qui dicebatur locus conſularis, ex parte ſunt ſervata, non penitus. Moris enim fuit, ut Conſul in medio quidem lecto diſcumberet, quem diximus fuiſſe dignitatis præcipuæ, ſed in ultimo loco, non medio, aut ſummo. Putant aliqui, eum fuiſſe Conſulis locum, quia ea ſedes honoratiſſima. Sed verius dixiſſent, eam ſedem fuiſſe honoratiſſimam, quia erat conſularis, per ſe non erat, neque honoris cauſa ille fuit locus Conſuli attributus, ſed propter alias rationes, quas inquirit Plutarchus toto problemate tertio libri primi Sympoſiacorum, ubi ſcriptor eruditiſſimus ponit locum ultimum, etiam in medio lecto, minus honoratum fuiſſe, quam vel medium vel ſummum. Maneat igitur inconcuſſum axioma, quod omnium gentium conſenſu ſcimus firmatum, ut locus ultimus, niſi peculiaris quædam ratio interveniat, cenſeatur minimè omnium honoratus.

Ad ſeptimum. Ita ſanè videtur. Et idcircò Sac. Con- 27
cilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 2. *de ref.* vult Archidiaconos eſſe magiſtros in theologia, aut doctores, vel licentiatos in jure Canonico, quia judices ſunt, & a jure data eſt illis poſt Epiſcopum ſuper Clericos juriſdictio, ut advertit Menoch. *de arb. lib.* 2. *caſ.* 245. *num.* 41. & 42. ſubdens ad rem, minimè locum habere præfatum decretum Tridentini ubi non Archidiaconus, ſed Archipresbyter ex Eccleſiæ conſuetudine habet jus dicendi poteſtatem. Quod repetunt Ricc. *deciſ.* 248. *num.* 5. *part.* 4. & Barboſ. *de jur. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 24. *numer.* 7.

At contrarium verum eſt. Quoniam ejuſmodi cauſæ 28
committi ſolent ad libitum Pontificis, vel ejus officialium alicui dignitati, vel Canonico cathedralis juxta *cap. ſtatutum de reſcript. in* 6. Neque iis committuntur tamquam primæ dignitati, quod probandum eſſet. Quia quando qualitas eſt cauſæ, ut quis aliquid obtineat, illa præcisè probanda eſt, Curt. jun. *conſ.* 124. *numer.* 1. Pariſ. *lib.* 5. *conſ.* 152. *num.* 5. Cæphal. *conſ.* 250. cum aliis per Rotam *in rec. part.* 2. *deciſ.* 402. *ſub num.* 4. *in fine*. Neque Archidiaconus tenetur neceſſariò eſſe doctor, magiſter, aut licentiatus, niſi habeat curam animarum, ſive juriſdictionem annexam, ut limitando declarat, ac deciſum refert Garz. *de benef. part.* 7. *cap.* 7. *num.* 40. & *ſeq.* Barboſ. *de poteſt. Epiſc. alleg.* 60. *nu.* item 60. & *de jur. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 7. & Gavant. *in man. Epiſc. v. Archidiaconus numer.* 1. & declaravit

ravit sæpius Sac. Congregatio Concilii, præsertim in Pacen. 8. Augusti 1653. Unde de stylo tantùm Curiæ primæ dignitates etiam in Collegiatis solis doctoribus conferri solent, præcipuè si jurisdictionem aliquam habeant. Quare eadem Sac. Congregatio in Tudertina 5. Julii 1571. *ad d. cap.* 12. *sess.* 24. censuit, quod illud decretum hortatur tantùm, non autem præcipit, quod dignitates in cathedralibus Ecclesiis, & in Collegiatis insignibus magistris ac doctoribus conferantur, sed ubi id fieri potest.

29 At enim verò monendum arbitror, cum sint diversæ de locatione honorabilioris sententiæ, nihil certis ex hactenus deductis definiri potest, illo excepto, quod mores loci, & in qua sint sententia, qui ibi habitent, sequi oporteat, cùm etiam eadem resolutio certò tenenda sit in ipsis moribus, verborum proprietate, & valore monetæ.

CONSULTATIO XXXVII.

1 *An sententia super non cultu, ac omnimoda observatione decretorum Urbani VIII. de Canonizatione Sanctorum, prolata per Rectorem, sive Curatum Ecclesiæ Cathedralis, sive Collegiatæ, vel Parochialis, deputatum a Vicario generali, tanquam ab Ordinario, sit confirmanda?*

2 *Et an a dicto Curato committi possit visitatio, & inspectio sepulchri Notario causæ, licet laico?*

1 QUod ad primum attinet, negativè respondendum videtur. Primò, quia dicta decreta Urbani *pag.* 11. loquuntur de Ordinario, ibi: *Et nisi postea successive idem Ordinarius, &c. diligenti præhabita disquisitione circa eandem personam supradicto decreto nullatenus contraventum fuisse rite pronunciaverit.* Siquidem nomine Ordinarii intellexit de ipso Episcopo, non autem de illius Vicario, eoque minus delegato ab isto, cùm neget talem esse Goffred. *in sum. de offic. Vicar. num.* 2. Alciat. *in rubr. de offic. Ordin. num.* 24. *& seqq.* ac Rimin. sen. *rubr. ff. de offic. ejus*, quibus adhæsisse videtur Glos. *in cap.* 2. *v. statuuntur*, *ne Prælat. vic. suas*, dum inquit, Episcopum non posse dare Judicem ordinarium.

2 Secundò, quia in literis circularibus directis Episcopis, relatisque libello decretorum *pag.* 58. *& seqq.* dicitur, quod *per te ipsum exequi S. Congregatio exoptat, sed si ob invalitudinem, sive ob legitimum grave impedimentum id conficere non valeas, &c. poterit amplitudo tua delegare Vicarium generalem, vel alium in dignitate Ecclesiastica constitutum.* Non enim talis videtur dictus Rector Curatus, deputatus a Vicario generali, cum Plebania nuncupetur officium, non autem dignitas *in cap. quod Dei timorem, de stat. Monach.* Jo: Andr. *in cap.* 1. *num.* 2. *de consuet. in* 6. Pacian. *de probat. lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 9. qui addit, hoc procedere, quamvis Plebanus præter curam animarum habeat baptismum, & chrisma, & alia facere possit.

3 Tertiò, quia verba dictarum literarum hujusmodi delegationem tribuunt ipsi Episcopo, non autem ejus Vicario, qui propterea non potest onus sibi injunctum in alium rejicere ex traditis a Rom. *cons.* 238. Paris. de Put. *de Syndic. cap. de arbitr. num.* 6. & Menoch. *de arbitr. lib.* 1. *quæst.* 54. *sub init.*

4 At nihilominus pars affirmativa tenenda est. Quia prædicta decreta generaliter loquentia de Ordinario, generaliter sunt intelligenda, *l.* 1. *§. quod autem, ff. de aleat.* ibique Bald. *ff. de testam. milit.* traditque Afflict. *decis.* 319. *num.* 3. cum vulgo aliis, & restringuntur secundùm subjectam materiam, *leg.* 3. *§. si quis hæredi, de stat. lib.* Vicarius autem Episcopi in iis, quæ de jure communi illi competunt ex generali officio Vicariatus non solùm dicitur Judex ordinarius, ut post Jo: Andr. *in addit. ad Specul. tit. de offic. Vic. §.* 1. & Doctores communiter *in cap.* 2. *de officio Vic. in* 6. docet Sbroz. *de Vic. Episc. lib.* 1. *quæst.* 67. *num.* 2. censeturque una & eadem persona cum Episcopo, & facit idem auditorium, ac consistorium cum illo *cap.* 2. ubi Archid. *de cens. in* 6. *cap. Romana* 3. *de appell. eod.* atque habet jurisdictionem ordinariam, nec non eamdem, quam habet Episcopus, cum tribunal unius dicatur tribunal alterius, persona unius persona alterius, idem Judex, unum officium, idem judicium, idemque effectus authoritate Episcopi, & Vicarii ministerio *d. cap. Romana*, Ruin. *cons.* 148. *num.* 1. *& 3. ac seq. vol.* 4. & dicitur associatus Episcopo in jurisdictione, *cap. in nova actione* 22. ubi Archid. 16. *quæst.* 6. *cons.* 21. *num.* 2. *part.* 1. Menoch. *cons.* 51. *eod. num. vol.* 1. Et regulariter potest omnia, quæ potest Episcopus, *l. fin. Cod. de offic. ejus qui vic. alt. ger.* Host. Jo: And. & Archid. *in d. cap. fin. de off. vic. in* 6. & cognoscit omnes causas sicut Episcopus, quia est constitutus ad omnia, quæ sunt jurisdictionis voluntariæ, & contentiosæ, *cap.* 2. ubi Glos. *in v. officialem de offic. Vic. in* 6. *d. cap. Romana*, ubi etiam Glos. *v. generaliter*, Rebuff. *in prax. tit. de Vicar. Episc. n.* 18.

Quare a sententia Vicarii generalis non datur appellatio ad Episcopum, tanquam ab eodem ad seipsum per textum *in cap. non putamus* 2. *de consuet. in* 6. *& in d. cap. Romana*, ubi Innoc. & Archid. *de appell. in* 6. Sed etiam est Ordinarius, tanquam Episcopus, *d. cap. Romana*, & Glos. *in cap.* 2. *v. ordinariam*, ubi Host. *num.* 2. *de offic. Vic. in* 6. Archid. *in d. cap.* 2. *de consuet. eod. lib.* Innoc. *in cap. Romana de offic. ordin.* pariter *in* 6. Alex. *in rubr. num.* 17. ubi Jas. *num.* 2. *de offic. ejus*. Quam opinionem uti communem sequuti sunt Doctores *in d. rubr.* & Covarr. *var. resol. c.* 20. *n.* 4. 5

Neque obstant Doctores allegati. Non enim negant Vicarium Episcopi esse Ordinarium. Et licet Glossa *in cit. cap.* 2. *v. statuuntur*, dicat, Episcopum non posse dare Ordinarium, sed solùm Principem, vel legem, attamen lex ipsa est, quæ dat jurisdictionem Vicario generali secundùm Glossam *in d. cap. Romana v. generaliter de appell.* rejecta opinione Goffredi, & sequacium, Host. *in sum. de offic. Vic. num.* 2. *in fin.* Abb. *in cap. quoniam etiam in fin.* asserens quod Episcopus propriè non dat jurisdictionem Vicario, sed lex ipsa ministerio, & facto Episcopi interveniente, firmatque Vestr. *lib.* 13. *num.* 2. Quare potuit etiam delegare dictum Rectorem Curatum pro constructione præfati processus, cùm receptissima conclusio sit, quod ille, qui habet ordinariam jurisdictionem, Judicem dare potest, *l. more* 5. ubi Doctores *de jurisd. omn. Jud.* & in hac specie, quod Vicarius possit committere vices suas in modum delegationis, cùm causas alteri delegare non prohibeatur, tenent Glossa, Innocentius, Archidiaconus, & alii *in cap.* 1. *v. Ipsius*, *de offic. Vic. in* 6. Bald. *in l. aliquando* 5. *num.* 3. *ff. de offic. Proconf.* Capyc. *decis.* 151. Vant. *de nullit. tit. de nullit. ex defect. jurisd. Ordin. num.* 2. *tr.* 4. *fol.* 386. Soccin. *in d. l. more num.* 23. *ff. de jurisd. omn. Jud.* cum aliis allegatis a Sbrozio *de offic. Vicar. lib.* 2. *q.* 66. *n.* 16. *& 23.* 6

Eo quidem magis, quia in literis circularibus libello *pag.* 59. in processionibus informativis faciendis super sanctitate vitæ, virtutibus, & miraculis alicujus servi Dei cavetur, Episcopum Ordinarium ob legitimum, & grave impedimentum, super quo conscientia sua oneratur, posse delegare Vicarium suum generalem, vel alium, &c. Multò ergo magis poterit hoc facere præfatus Vicarius generalis, cùm agatur dumtaxat de processu particulari, de quo nullibi fit mentio in præfatis literis circularibus, gravibus negotiis detentus. Quando enim oneratur conscientia alicujus, statur ejus assertioni, nec requiritur alia probatio, Glos. *in cap. statutum* 11. *§. Assessorem, ver. relinquatur, de rescript. in* 6. Bald. *in l. rem non novam*, 4. *Cod. de judic.* Alex. *cons.* 20. *num.* 2. *eod. lib.* Maximè cùm præsumptio semper est pro validitate processus, Scacc. *de judic. cap.* 97. *num.* 78. & delegatus non sua, sed delegantis jurisdictione, ac vice fungatur per text. *in l.* 1. *ff. de offic. ejus, cui mand. est jurisd. cap. sanè, & c. studuisti, de offic. deleg. cap.* 1. 93. *d.* Abb. *in cap. Visum est, eod. tit.* 7

Ex quibus non solùm corruit, quod dictus Vicarius Generalis non possit alterum deputare pro confectione præfati processus, sed etiam cessat quod in ipsius literis circularibus S. Congregatio exoptat, quod processus hujusmodi conficiatur per Episcopum, & in casum impedimenti per Vicarium generalem, vel alium in dignitate Ecclesiastica constitutum, nec præfatus Rector Curatus deputatus a Vicario talis sit, cùm Plebania non sit dignitas, advertendo in facto, prædictas literas circulares nihil penitus disponere super forma processus particularis super paritione dictorum decretorum, utpotè quia de illa plenè, ac sufficienter provisum fuit tàm in novis decretis *pag.* 10. *§. demum, & seq.* quàm in novissimis *pag.* 20. *§. particularis*, tribuentibus jurisdictionem pro illius confectione Ordinario, seu Apostolicæ Sedis Delegato, sed discretivè, & limitatè duntaxat præscribere formam servandam in processibus informativis simili authoritate ordinaria peragendis super sanctitate vitæ, ac miraculis servorum Dei cum fama sanctitatis defunctorum; ideò non excludunt, quod præfati Ordinarii alios delegare queant, prout de jure illis est permissum, tanquam delegatis Principis, *l. a Judice, Cod. de judic. cap. pastoralis de offic. deleg. cap. cum causam in fin. de appell.* & in specie de Episcopo delegato Papæ probat textus *in cap. fin. §. idem quoque dicendum*, ubi Glos. *v. Cùm mandatur Episcopo, de offic. deleg. & in cap. fin. de offic. ord.* Glos. *in cap. statutum, §. In nullo v. designatis in fin. de rescript. in* 6. ac plenè Sanchez *de matrimon. lib.* 2. *disp.* 40. *nu.* 13. *cum seq.* 8

Ad

9 Ad ſecundum etiam negativè reſpondendum videtur. Nam viſitatio, & inſpectio ſepulchri ſervorum Dei, in qua juxta decreta Urbani VIII. conſiſtit præcipua pars proceſſus de non cultu, non poteſt a Delegato committi Notario laico, ſed debet per ſeipſum id expedire. Unde tanquam indecorum id juſtè refellitur 16. *quæſt.* 7. *cap.* 19. Eoque præſertim ſi non conſtet de commiſſione illi deſuper data per ſolam ipſius atteſtationem. Debet enim ſuper illa rogare inſtrumentum manu alterius Notarii ex notatis ab Hoſt. *in c. quoniam* 11. *num.* 5. *poſt med.* Abb. *n.* 29. Imol. *num.* 33. & Felin. *num.* 41. *de probat.* eſtque communis Doctorum ſententia, de qua teſtatur Alex. *conſ.* 213. *n.* 6. *vol.* 2. & *conſ.* 212. *num.* 18. *vol.* 6.

10 Verum non officit, quare contrarium tenendum cenſeo. Nullibi enim neque ex formula præfatarum literarum circularium, neque ex præſcripto in ipſis decretis Urbani VIII. cavetur eſſe neceſſariam talem viſitationem, ſed ſolùm requiritur, quod ex legitimis probationibus conſtet, omninò paritum fuiſſe prædictis decretis ſuper non cultu, adhibito alicui ſervo Dei, nec dictus Notarius dicendus eſt laicus, ſed potius Eccleſiaſticus, ſi ſit Notarius publicus Audientiæ Epiſcopalis, ac Curſor deputatus in cauſa alterius Servi Dei. Et in omnem caſum nil urgeret, etiamſi eſſet laicus, cùm in cauſis canonizationum paſſim laicos admitti teneat Contilor. *de canon. c.* 25. *u.* 35. & *ſeqq.* Ea potiſſimum ratione, quia Notarius nudum miniſterium præſtare dicitur, quare in laicis non eſt prohibitum, cùm non ſit metienda facultas ab eo, qui creavit Notarium, ſed ab eo, qui approbando ejus fidem tale negotium ei delegavit, ſicuti reſolutum fuit in relatione S. Raymundi *p.* 1. *art.* 2. *ad fin.* conſtatque ſatis de ejus commiſſione per atteſtationem propriam, ut tenuit Rota coram Verallo *deciſ.* 245. *p.* 2. *in impreſſ.* & *deciſ.* 27. *num.* 1. *ac* 145. *num.* 3. *par.* 3. *recent.* Contil. *ubi ſupr. c.* 24. *n.* 21. & *d. c.* 25. *n.* 29. & *ſeqq.* Quam Rotæ opinionem ſequitur in cauſis canonizationis S. Rituum Congregatio, ut in relatione S. Hyacinthi *tit. an ſolemnitates*, §. *Notarius*, & S. Raymundi *p.* 1. *art.* 2. Cumque ſe delegatum a præfato Judice pro facienda ejuſmodi viſitatione, & inſpectione aſſeruit, & pro tali ſe geſſerit, & quod amplius eſt non ſolùm a dicto Judice, ac Vicario generali, verùm etiam ab omnibus, tanquam talis agnitus, & approbatus fuerit, reſultat communis exiſtimatio, quæ plurimi facienda eſt ad textum *in l. Barbarius*, *ff. de offic. Præt.* quem procedere etiam in materia juriſdictionis, tradunt Doctores congeſti per Add. *ad dec.* 15. *num.* 11. *p.* 3. *recent.* Et præſertim in proceſſibus de partibus, in quibus juxta illarum ſtylum obſervatur conſuetudo, ibi vigens.

CONSULTATIO XXXVIII.

1 *An teſtium depoſitio in materia canonizationis Sanctorum excipi poſſit, non citato Promotore fiſcali menſæ Epiſcopalis?*

2 *Et quid de eorum repetitione facta cum interrogatoriis, præſente Promotore fiſcali, ſi abſolutis interrogatoriis, eis ſolummodò lecta fuerit prima eorum depoſitio, quam ſinguli generaliter approbarunt?*

1 VIdetur dicendum, quod ejuſmodi depoſitio excepta fuerit informiter abſque figura judicii, non citato Promotore fiſcali. Ideoque illi obſtat regula, quod teſtes informiter examinati, parte non citata, nihil probant, *cap.* 2. ubi Gloſ. *v. admonendus*, & *v. contra legem*, Innoc. ac cæteri Canoniſtæ *de teſtib. l. ſi quando*, §. *ſed cum oportet in fin.* ibique etiam Gloſ. *v. induxerint*, omneſque Juriſtæ, *C. eod. tit.* cum ſimilibus abundè congeſtis a Farin. *de teſtib. qu.* 72. *c.* 1. *n.* 1. ampliante *n.* 2. eam procedere etiam in receptis ad perpetuam rei memoriam per textum *in §. Et ſic verò*, *auth. de teſt. n.* 13. & locum habere etiam quando proceditur juris ſolemnitate non ſervata, & *num.* 14. licèt procedatur ſummariè, de plano, ſine ſtrepitu ac figura judicii.

2 Nulliuſque momenti eſſe poteſt dicta eorum repetitio. Etenim modus hic deponendi expreſsè rejicitur in libello decretorum *pag.* 41. ibi: *explanatè*, & *per extenſum deponant, nec ſe referant ad atteſtationes aliàs redditas, neque eis recitentur ea, quæ aliàs ipſi depoſuerunt.* Optimaque quidem ratione, quam tradit Gloſ. *in cap. Venerabili* 51. *v. diligentia*, *de teſtib.* quod cùm maximum periculum verſetur in ejuſmodi cauſis, major quoque diligentia adhibenda eſt in teſtibus examinandis. Quamobrem Sac. Congregatio noluit admittere opinionem Bartoli, & aliorum docentium, quod teſtis aliàs examinatus ſe referre poſſit ad primum examen, ſed contrariam Baldi *in l. juſjurandi* 8. *n.* 3. & *in l. fin. n.* 12. *C. de teſt. v. quod ſcilicet teſtis*, nequeat ſe referre ad primas atteſtationes, ſed debeat clarè, & explicitè iterum deponere, quam probarunt etiam Felin. *in cap. cùm in tua* 44. *n.* 1. dicens communem, *de teſtib.* Tyndar. *cod. tr. qu.* 3. *cap.* 10. *n.* 1. *in fin.* Burſatt. *conſ.* 20. *n.* 64. *vol.* 1. Boer. *deciſ.* 108. *n.* 6. Oſaſch. *dec.* 128. *per tot.* Laur. *dec. Aven.* 91. *n.* 5. *in fine*. Quod maximè obſervandum eſt in caſu, quo prima teſtium depoſitio recepta fuit informiter, parte non citata, juxta ea, quæ tradit Salic. *in d. l. fin. n.* 3. *C. de teſtib.* Felin. *in d. cap. cùm in tua n.* 1. *cod. tit.* Soccin. ſen. *conſ.* 98. *n.* 14. *vol.* 3. Menoch. *de arb. lib.* 2. *conſ.* 109. *n.* 7. *cum ſeq.* Laur. *d. deciſ. Aven.* 91. *n.* 4. & 5. Farinac. *d. quæſt.* 66. *part.* 1. *n.* 48. Unde liquet infirmandam eſſe ſententiam propter illegitimas depoſitiones teſtium, ut omnes aſſerunt, quia hæc ſunt media cauſæ, & de ordine juſtitiæ, adeòut ipſa ſententia abſque illis lata omnium conſenſu dicenda ſit injuſta, & iniqua, immò, & nulla, Innoc. *in c. tua nos* 8. *in fin. de cohab. Cler.* & *mul.*

At verò dicendum eſt, hæc non obſtare, ſi teſtes fue- 3
rint a Judice ordinario, prævia illorum inductione, examinati, præmiſſo juramento, nil refragante, quod nullus pro Curia appareat citatus, cum dentur etiam citationes extrajudiciales notificandi gratia illa, quæ deſuper fieri contigerit, teſte Uberto *de citat. p.* 1. *c.* 7. *n.* 1.

Nec refragatur, quod nulla vis fieri poſſit ſuper illo- 4
rum repetitione coram præfato Judice ſub prætextu, quod in fine examinis, dictis teſtibus lectum fuerit primum eorum examen. Quia id non habet locum quando iidem teſtes fuerunt denuò examinati formiter ſuper interrogatoriis a Promotore fiſcali ſemper citato, adhibitis, ac finito illorum examine juxta quodlibet interrogatorium, reſponderunt cum cauſa, & rationibus ſcientiæ, aliiſque circumſtantiis. E quibus liquet de paritione, præfatis decretis de non cultu, debita, ex abundanti verò ipſis lecta poſtea prima depoſitione illam confirmarunt, & ratificarunt. Poteſt enim teſtis ſe referre ad primum examen, etiamſi fuerit nullum, ut tenuit Diaz. *reg.* 749. *in* 2. *limit.* relatus a Monticel. *in rubr. fol.* 154. *col.* 1. & benè comprobat Menoch. *de arb. d. caſ.* 109. *n.* 4. & 5. Corrad. *in pract. tit. de teſtib. rubr. de dub. fol.* 131. *n.* 39. teſtans de communi, a qua non eſſe recedendum latiſsimè docet Jo: Crot. *de teſtib. n.* 375. & *ſeq.*

Præcipuè cùm id pendeat ab arbitrio Judicis, ac pro- 5
inde, ſi ipſi ita viſum fuerit, nulla inde poteſt cadere nullitas per text. *in d. cap. venerabili* 51. *de teſt.* quod in hac materia præſcribit ſolam formam circa hujuſmodi examen, ut fiat de teſtibus ſingillatim, ne unus ab alio inſtruatur, ut obſervat ibi Fagnan. *n.* 6. Nec prohibetur de jure, immò neque ex forma noviſſimorum decretorum relatio ad ſuperiùs dicta in eodem examine. Quin etiam relati a Farinac. *de teſt. q.* 66. *n.* 39. & *ſeqq.* ponunt multos caſus, in quibus teſtis in ſecundo examine ſe referre poteſt ad primum, multò ergo magis ad idem. Decreta verò Urbani citata *pag.* 41. ſolùm præſcribunt formulam examinandi teſtes authoritate Apoſtolica, non autem authoritate ordinaria. Ex quibus, conſtito de omnimoda carentia cultus Servi Dei, & ſufficienti paritione dictis decretis, confirmanda eſt ſententia, tanquam ritè ac rectè prolata, ac omni ex parte æquiſsima, reſolvendumque poſſe ad ulteriora in cauſa procedi.

CONSULTATIO XXXIX.

An petitio remiſſoriæ ſuper inquiſitione generali ſit concedenda antequam doceatur de continuatione, ac percrebreſcentia famæ miraculorum?

AFfirmativè reſpondeo. Primò quidem ponderando, 1
quod ea, quæ olim ſuper continuatione ac percrebreſcentia famæ ſanctitatis, & miraculorum pro committenda inquiſitione generali deſiderabantur ab Hoſtienſi *in cap.* 1. *requiſ.* 1. & 2. *de reliq.* & *vener. Sanct. num.* 3. ubi inquit: *Non enim conſuevit moveri ſtatim ad committendam hanc inquiſitionem Summus Pontifex, ſed potius expectare quod diù pulſetur, & famam attendere, & utrum miracula crebreſcant, & continuentur antequam inquiſitionem committat. Et numer.* 5. ait: *Si continuetur ſupplicationis inſtantia, & miraculorum continuatio perdurare dicatur, conſuevit hoc Romanus Pontifex ponere inter fratres, & aliquibus Epiſcopis, &c. committere, ut inquirant de fama, & devotione populi, de miraculis, & aliis, quæ eidem ſunt nuncianda in genere, non in ſpecie, & quoad famam, &c.* Ea, inquam ex diſpoſitione noviſsimorum decretorum, jubentium *pag.* 28.

§. In proceſſibus ſervari omnia diſpoſita in cœremoniali, ſeu Rituali Romano, ac tradita ab eodem per Hoſtienſem, & alios Doctores, debent antecedere priuſquam Sedes Apoſtolica manum apponat per commiſſionem manu Sanctiſſimi ſignandam pro introductione cauſæ, ibi: *Nec prius Sedes Apoſtolica moveri ſolet, quam Reges, Principes, & aliæ perſonæ authenticæ, & honeſtæ inſtanter ſupplicaverint Summo Pontifici, & tunc etiam non ſtatim, ſed expectare quod diù pulſetur; nam ſi perdurabunt miracula, & ſupplicantium inſtantiæ, tunc Summus Pontifex per commiſſionem Sanctitatis ſuæ ſignatam, &c. committit cauſam S. Rituum Congregationi.*

2 Tantumque abeſt, quod eadem decreta poſt ſignatam hujuſmodi commiſſionem jubeant fieri novas informationes ad docendum de hujuſmodi continuatione, & percrebreſcentia, quin potius ad effectum deliberandi, an per Sedem Apoſtolicam debeant concedi literæ remiſſoriales ſuper dicta inquiſitione in genere *pag.* 27. *§. Verùm ne pereant*, ſpeciatim permittunt agi poſſe de eiſdem proceſſibus informativis authoritate ordinaria confectis, idem clarius exprimendo in formula commiſſionis generalis *pag.* 31. *verſ. Etſi ex illis*.

3 Immò cùm inhærendo diſpoſitioni *cap. ut noſtrum*, & ibi Gloſ. *v. revocamus*, *de appell. & cap. licet*, *de offic. deleg. pag.* 61. *§. Toſtquam verò*, penitus interdixerint Ordinariis, poſtquam Sedes Apoſtolica manum appoſuit in aliqua ex prædictis cauſis per commiſſionem amplius in eam quoquomodo ſe ingerere, fieri ſanè non poterit confectio novarum informationum, non quidem authoritate ordinaria, quia, ut dixi poſtquam Sedes Apoſtolica manum appoſuit in aliqua ex prædictis cauſis, nullatenus poteſt Ordinarius in eam ſe immiſcere; neque authoritate Apoſtolica, quia eſt id, de quo quæritur ac petitur.

4 Secundò, eſto, quod prædicta deſiderarentur, ad id profectò ſatis forent reiterandæ inſtantiæ inquiſitionis generalis Principum, Civitatum, Capitulorum, ac ſimilium enixè ſupplicantium pro beatificatione Servi Dei.

CONSULTATIO XL.

An in cauſis canonizationum Sanctorum ritè excipiatur juramentum monialium, quæ non jurant in manibus Judicum, neque ab ipſis videri poſſunt, & an moniales, aliique Regulares ſint teſtes idonei in cauſis Canonizationis ſuorum Regularium? Et quid ſi examinentur ſine licentia earum vel eorum Superiorum?

1 NON videtur, quia eſt contra formulam remiſſorialium *libel.* decretorum *pag.* 40. *in fin.* & 41. ibi *coram vobis, &c. ac coram fide digno Notario Apoſtolico, ſive Eccleſiaſtico, &c. examinetis, &c.* dictio autem *coram* exigit præſentiam corporis, & intelligentiam mentis, *l. coram Titio* 209. *ff. de verb. ſignif. l. diem proferre* 32. *§. coram ff. de recept. arbitr.* cum ſimilibus.

2 Niſi tamen conſtiterit, eſſe moniales ſtrictiſſimæ obſervantiæ, quæ propter rigorem arctiſſimæ regulæ, quam profitentur, non poſſunt aſpici. Unde in proceſſu confecto in cauſa beatificationis S. Franciſci Borgiæ *fol.* 544. fuerunt admiſſæ moniales S. Claræ, accedente præcipuè ſtylo, & conſuetudine de hujuſmodi examine. Etenim moniales, quæ propter cratem tabula obſtructam, vel panno, dum per Judices examinantur aſpici nequeunt, idoneæ ſemper exiſtimantur, quando ex vocis diverſitate dignoſci poſſunt, cum ex ipſa vocis diverſitate, facilè poſſit deprehendi perſonarum diverſitas, præſertim in longo examine, in quo illa ratio fingendi vocem alterius ceſſare videtur ob temporis diuturnitatem, & verborum copiam ac religioſam monialium mentem, *Exod. cap.* 22. *& Jud. cap.* 18. ibi: *cognoſcetis vocem adoleſcentis*, *& lib.* 1. *Reg. cap.* 27. *cognovit Saul vocem David*, *& Gen. cap.* 17. *Vox quidem Jacob eſt*, traditque Gloſ. *in l.* 2. *§. idem Labeo* 1. *v. audierint*, *ff. de aqu. pl. arc.* vide Cautel. *p.* 2. *pag.* 81.

3 Atque ideò non adverſatur formulæ remiſſoriæ, cum dictio *coram* non minus referri debet ad præſentiam intellectualem, quàm ad corporalem, ut *in d. l. diem proferre*, *§. coram*, *ff. de recept. arb.* & poſt alios probat Barboſ. *dict.* 71. *num.* 2. Et in ſpecie, quod validè moniales examinentur, etiamſi per Judicem videri non poſſint, probat Contilor. *de Canoniz. cap.* 18. *num.* 9

4 Affirmo, tum ex regula generali, quod teſtes de univerſitate admittuntur pro illa teſtimonium dicere, quando de illorum ſingulari commodo non agitur, ut per Bald. *in cap. inſuper num.* 3. ibique Felin. *num.* 1. *de teſt.* idem Bald. *in c. Cum nuncius eod. tit. in* 1. *not.* ubi etiam Butr. *n.* 3. & de communi pluribus relatis tradit Conrad. *in prax. §.* 2. *de teſt. num.* 55.

Quæ regula magis procedit in Religioſis, tàm Monachis, quàm monialibus, Gloſ. *in auth. de Monach. §. cogitandum*, & Gloſ. *in l. idonei*, *ff. de teſtib.* Bald. *in c. Tertio loco num.* 4. *v. Fratres*, *de prob.* Dec. *conſ.* 62. *in princ.* Afflict. *deciſ.* 400. *num.* 2. Curt. *de teſtib. concl.* 4. poſt *num.* 15. & loquens de monialibus Mandel. *conſ.* 30. *num.* 25.

Concurrente præſertim maxima religione ac Sanctitate vitæ, ac perfectione Monialium, aliorumque Regularium ex qua multò magis præſumuntur veritatem dicere medio juramento, & ſic faciliùs ad teſtificandum pro ſua Religione admittuntur ex notatis *in d. c. Inſuper*, ac ibi Felin. *n.* 1. Butr. *not.* 1. & Dec. *n.* 20. ubi de communi, prout de illa teſtatur Viv. *cum opin. concl.* 954. Tum quia cum Moniales, aliique Regulares deponant de geſtis intra clauſtra Monaſterii, & quæ per alios ab extra probari non poſſunt, illarum depoſitiones admittuntur ad textum *in c. Veniens* 2. *de teſt.* ibique Bald. *n.* 9. & Doctores communiter, & ad textum *in c. ſuper prudentia* ibi: *qui eadem negotia tractaverunt*, ubi Gloſ. *in v. tractaverunt* 14. *q.* 2. Abb. *in d. c. Inſuper n.* 2. Dec. *n.* 14. & 25. Gloſ. *in d. c. Tertio loco in v. Curati*, ubi etiam Abb. *n.* 5. & Felin. *n.* 3. Imol. *n.* 1. Butr. *n.* 5. Bald. *n.* 7. traditque Bart. *in l. In tantum §. Univerſitati n.* 1. *de rer. diviſ.* Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *caſ.* 106. *n.* 1. & hanc ſententiam ſequuta eſt Rota in Canoniz. S. Franciſcæ *p.* 1. *ar.* 7. & in *relat.* 1. *ar.* 2. de miracul. B. Thereſiæ *mirac.* 1. & Nos *in* 1. *tomo*.

Nec depoſitiones Monialium, aliorumve Regularium impugnari poſſunt ex eo, quod ſine licentia ſuperioris fuerint examinati contra diſpoſitionem textus *in cap. Quamquam* 14. *q.* 2. Nam quod hujuſmodi depoſitiones ſint validæ, affirmant Abb. *in cap. Cùm nuncius n.* 4. ibique Felin. *n.* 3. *de teſtib.* idem Abb. *in cap.* 1. *de juramento*, Specul. *in tit. de teſt. §.* 1. *n.* 23. & 26. Quos ſequuti ſunt Auditores Rotæ, *in d. Canoniz. S. Franciſcæ d. ar.* 7. *& in d. relat.* 1. *ar.* 2. *de mirac.* B. Thereſiæ *d. mirac.* 1. in quibus fuit conſideratum eſſe valdè veriſimile hanc licentiam interceſſiſſe, tùm propter numerum monialium examinatarum ad inſtantiam ſuperiorum, qui pro Canonizatione inſtabant; tùm quia agebatur de Canonizatione matris ac fundatricis ſuæ Religionis, ex quibus ſcientia, & licentia ſuperiorum ſatis induci poteſt, quare cùm Abbate id tenent Corn. *conſ.* 135. *n.* 33. *lib.* 1. Guidopap. *deciſ.* 517. Sylvan. *conſ.* 16. *n.* 6. & 7. Aret. *in d. c. Cùm nuntius n.* 11. ubi quod opinio Abbatis in praxi obſervatur. Minus obſtat ſuſpicio affectionis in hujuſmodi cauſis. Nam illa purgatur per juramentum teſtis, Bald. *in d. c. Cùm Nuncius in princ.* Felin. *in d. c. Inſuper n.* 1. *de prob.* Auditores Rotæ *d. ar.* 2. *in d.* 1. *mirac.* B. Thereſiæ, & nos etiam *l. c.*

CONSULTATIO XLI.

An examen Eminentiſſimorum Cardinalium, & Epiſcoporum in cauſis canonizationum Sanctorum legitimè recipi poſſit in eorum palatiis?

NEgandum videtur, quia eſt contra legem præſcri- 1
ptam in formula decretorum, *pag.* 41. ibi: *Hoc expreſſe ſervato, quod teſtis in Eccleſiis, Oratoriis, piiſque locis, & in loco loci in eiſdem deputato omninò interrogentur, eorumque dicta excipiantur.* Animadverto inſuper quod licèt *pag.* 52. libelli decretorum ſub *§. Eſt etiam obſervandum*, Cardinales excipiantur a præſtando juramento tactis Evangeliis, relinquuntur tamen ſub regula generali, quod illorum examen fiat in Eccleſia, vel loco Deo dicato.

Verùm hæc ſententia facilè convellitur, ponderando 2
formam, ſub qua examinari debent Cardinales, & Epiſcopi, recenſitam *in §. nulli verò auth. de Sanctiſs. Epiſcop.* ibi: *Sed Judex mittat ad eos quoſdam ex perſonis miniſtrantium ſibi, ut propoſitis Sanctis Evangeliis ſecundùm quod decet Sacerdotes, dicant quæ noverint*, unde ſumpta eſt *auth. ſed Judex*, *C. de Epiſcop. & Cler.* ubi Gloſ. *v. miniſtris*, notat eſſe ſpeciale, quod eatur ad domum teſtis juxta diſpoſitionem, *l. ad perſonas egregias* 15. *ff. de jurejur.* ubi Gloſ. *v. domum* aſſerit, eis non deferri juramentum, ſed quod per ſe debent jurare.

Quare Baldus *in l. nec honore* 7. *in* 2. *not. ſub num.* 2. *C.* 3
eod. tit. de Epiſc. & Cler. proponit exemplum perſonæ mittendæ in Notario cauſæ, quia per eum ſcribi debent acta, quæ ſcribere cœpit in cauſa, ſubdens *n.* 3. peculiare id eſſe, quod Notarius poſsit recipere juramentum Epiſcopis teſtibus. Idemque tradunt Speculat. *in tit. de teſtib. §. qualiter autem n.* 22. juncto *v. vel Epiſcopus*, Caravit. *ſuper rit. magn. Cur. rit.* 147. *n.* 7. Farinac. *de teſtib. q.* 77. *cap.* 5.

cap. 5. *n.* 213. & Barbos. *in collect. ad d. auth. sed Judex sub n.* 2. loquentes de Cardinalibus, qui alios referunt.

4 In praxi quoque servatur, quod Cardinales solummodò ponant manus ad pectus, teste Castrense *in d. auth. Sed Index num.* 2. *cum seq.* ibi: *Practica est, & ita servavi de facto, cùm examinarem Cardinales, ponunt manus ad pectus, absque eo quod tangant, vel videant librum Evangeliorum, & sufficit adeò, ut non sit necessarium ante eos proponere librum Evangeliorum, quodve illum tangant*, cum satis superque sit, quod tacto pectore jurantes deponant, sicut de visu testatur Farinac. *de testib. qu.* 74. *num.* 8. *in fine.*

5 Itaque sufficit Cardinalibus, quod ipsimet absque ullis interrogatoriis dandis ab alia parte dictent Notario ad se misso, ea, quæ noverint, maximè quia Manfred. *de Cardin. decis.* 184. *tr. tom.* 13. *p.* 2. *fol.* 100. rectè notat, Cardinales legibus communibus non subjici, cùm sint pars corporis Papæ. Unde ob dignitatis excellentiam non veniunt sub generali dispositione, ut latissimè probat Roman. *cons.* 498. *num.* 2. *cum seqq.* & post alios Germon. *de sacr. immun. lib.* 3. *cap.* 6. *a num.* 54. Ideòque casus hic remanere debet sub dispositione juris, quo attento, ad personas egregias, eos, qui valetudine impediuntur, domum mitti oportet ad jurandum, ut sancitur *in d. l. ad personas egregias, ff. de jurejur.* Et in specie de Episcopis, quod Judex mittat ad eos quosdam ex suis ministris, ut dicant ea, quæ noverint, habetur expressè *in d. auth. sed Judex.* Quin etiam plures dixerunt, credi soli testimonio Cardinalis sine juramento, nempè Innoc. *in cap. Cùm olim* 11. *n.* 2. *de privil.* Mart. Laud. *de Cardin. qu.* 50. *tr. tom.* 13. *p.* 2. *fol.* 26. Manfred. *eod. tr. qu.* 152. *d. tom.* 13. *p.* 2. *fol.* 99. & Jacob. Choel. *in notit. Card. cap.* 16. *privil.* 5. *pag.* 106.

CONSULTATIO XLII.

An, & quatenus in materia canonizationis Sanctorum historicis, atque chronographis, aliisve scriptoribus adhibenda sit fides?

1 QUoniam in probatione tota virtus causarum, ponduſque litium, & omnium controversiarum exitus constitit, notante Baldo *in cap. quapropter num.* 23. *extr. de elect. & in l.* 2. *sub n.* 8. *C. de Episcop. aud.* Immò ab hac omnis ferè contentiosi fori dependet justitia, quæ ex actis, & probatis a Judice distribuitur, ut ait Jacob. de S. Georg. *in rub. ff. de probat. numer.* 8. & Bald. *in rubr. extr. de judic. sub num.* 3. Hinc Juriſperiti post Ulpianum probationi tantùm tribuunt, ut Judicem per probata adstringi, atque ligari, & secundùm ea, non autem secundùm conscientiam judicare debere dixerint *in l. illicitas, §. veritas de offic. Præf. cap. Judices* 3. *qu.* 7. & ibi Glos. & alibi Glos *in cap.* 1. *de offic. ord. & in c. Pastoralis, §. Quia verò de offic. deleg.* Glos. *in l.* 2. *de fer.* Bart. *in* 1. *C. ut quæ des. Advoc.* Jo: Andr. *in addit. ad Specul. tit. de disp. & alleg. num.* 13. Felin. *in d. §. quia verò numer.* 10. & ibi Barbat. *ubi num.* 36. hanc communem opinionem esse dicit, & ibi etiam Imol. *col. pen. & in d. c.* 1. *de offic. ord. n.* 14. ibique Alc. *num.* 83. & Bald. *in prælud. ad lib.* 2. *decretal. col.* 2.

2 Unde eleganter non nemo probationem animam processus appellare consuevit, & Bero. *q.* 50. *n.* 1. ipsam probationem causæ victoriam, & decisionem respicere prodidit. Quippè nulla lis est, cui probatione opus non sit. Nam cum de illis, quæ in judicio vocantur, Judici sententia dicenda sit, is sanè priùs decernere non potest, quàm si probatum sit, ita esse, uti intenditur. Itaut quamvis maximè alia omnia nonnunquam sine detrimento abesse possint aliis, hac tamen probatione nulla disceptatio, aut controversia carere queat usque adeò, ut deficientes probatione, tota causæ substantia deficiat ex traditis a Pacian. *de probat. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 5. nihilque nobis profutura sint jura, & actiones, ubi probatione destituimur, *cap. solemnitates de consecr. l. duo sunt, ff. de testam. tut.* Cravet. *cons.* 48. *n.* 4. *lib.* 1. Herculan. *in tr. de probat. negat. n.* 30. Berlinch. *in conclus. pract. part.* 1. *concl.* 26. *in princ.* Ut proindè rectè Baldus dixerit, eum qui deficit in probatione, deficere in salutari suo, confert Mascard. *de prob. vol.* 1. *qu.* 1. *per tot.*

3 Hinc est, quod multos sæpè videmus etiam justas causas foventes, propter egestatem, & inopiam probationum causas cadere, & succumbere juxta illud: Amice tibi non deficit jus, sed probatio, *d. l. duo sunt, ff. de testam. tut.* ibique Bald. *& in l. ingenium n.* 9. *ff. de stat. homin.* Anchar. *cons.* 242. *in princ.* Quod quidem maximè in hoc canonizationis jure, cum nonnisi longo annorum interstitio probationes fieri soleant, nec facilè postmodum propter antiquitatem, & diuturnitatem temporis præter la-

psi de eo constare queat, evenire posse, palam est. Monente præsertim Augustino, Triumpho *de potest. Eccles. qu.* 16. *art.* 3. *in resolut.* quod quando aliquis denunciatur Papæ canonizandus pro martyre, causam quare passus est, debet diligenter inquirere, & non solùm causam patiendi, verùm etiam modum passionis, quòd scilicet mortem voluerit subire pro Christo, & de facto subierit, ut concisius dixit Scach. *de not. & sign. Sanct. sect.* 2. *c.* 3. *in fin.* ex Bald. *cons.* 394. *vol.* 2. quod nisi factum concludenter probetur, qualitas probari minimè potest, & *cons.* 465. *n.* 1. *vol.* 4 quod volens probare qualitatem, debet prius substantiam probare. Quod tradunt etiam Rom. *cons.* 91. *n.* 8. ubi Mandosius alios congerit, Aym. *cons.* 21. *n.* 5. & Roland. *cons.* 58. *n.* 8. & 9. *vol.* 3. Unde obstat illud notabile, cujus meminit Bald. *in l. matrem* 17. *n.* 1. *C. de prob.* quod probatio non concludens non est probatio. Ideò nos, ut & huic incommodo occurramus qualiter id a postulatoribus in casu necessitatis probari possit per historias, aliasque scripturas enodare necessarium duximus.

Et sanè solida certitudo facti statui minimè videtur ex 4
scriptis per hujusmodi Authores. Primò, quia historiæ narrant, non probant, nihilque aliud sunt, quàm privatæ illorum annotationes, & scripturæ, ut inquiunt Vasquez *illustr. contr. lib.* 2. *c.* 84. *n.* 16. & Georg. Everard. *cons.* 27. *n.* 9. *lib.* 1. Certi autem juris est, scripturas privatas nullam fidem per se facere, nec ullum probationis gradum constituere, *l. instrumenta* 5. *l. exemplo* 7. *C. de prob. auth. si quis vult, in fin. C. qui pot. in pign. hab. c.* 2. *de fid. inst.* Immò nec summus Princeps facere potest, ut credatur alicui scripturæ privatæ, sicut notant omnes *in c.* 1. *eod. tit.* Roman. *sing.* 101. Purpur. *cons.* 581. *n.* 29. *vol.* 2. Præsertim si hujusmodi scripturæ sint panegyrici oratorum. Nam in eis oratorio more adeò laudibus habenæ laxantur, ut veritas ampullosis verbis fucata potius, quam nuda ac simplex auditorum auribus insinuatur, perniciosumque sit fidem tractu temporis adhibere dictis ad placitum, sicut in *cap. Cum causam de prob.* notarunt scribentes, Socc. sen. *cons.* 258. *n.* 5. *cum seq. vol.* 2. & alii.

Secundò, quia sunt simplices assertiones extrajudiciales 5
sine juramento, ac testimonio scribentium, Guid. Turrian. *cons.* 5. 8. *n.* 40. *lib.* 3. Card. Bellarm. *de transl. Imper. Rom. lib.* 3. *c.* 3. Nulla autem de jure fides exhibetur testificationibus non juratorum, *l. jurisjurandi religione* 9. *C. de testib. can. tuis qu.* 39. & *c. nuper* 51. *extr. eod. can. hortamur* 3. *qu.* 9 cum similibus. Quare Scacc. *de not. & sign. sanct. sect.* 11. *c.* 6. *sub lit. A. & B.* dixit in judicio ferendo pro beatificatione, & canonizatione eorum dictis ac scriptis minimè standum est.

Tertiò, quia absonum videtur pluris æstimare attesta- 6
tionem in scriptis, posteris relictam ab aliquo, quàm reipsa valuisset ejus testimonium vivum. Quoniam viva vox mortuæ præfertur secundùm Bald. *in l.* 1. *n.* 10. *C. de eden.* Anchar. *cons.* 28. *n.* 9. & alios relatos a Farinac. *de testib. q.* 60. *n.* 12. Quare Justin. *novel.* 17. *§. si verò, Auth. de instr. caut. & fin.* dixit, existimamus quæ viva dicuntur voce, & cum jurejurando hæc digniora fide, quàm scripturam ipsam secundùm se subsistere. Sed quatenus authores ejusmodi extrajudicialiter eadem in vita sine juramento dixissent, nullam prorsus fidem promeruissent in judiciis. Ergo neque illam promerere debent scripta post obitum, dum res judicialiter agitur.

Quartò, quia nec sola antiquitas scripturæ majorem il- 7
lis fidem conciliat quemadmodum in specie post Alex. *cons.* 170. *num.* 9. *vol.* 6. tradunt Gryphiand. *cap.* 17. *n.* 22. *cum seqq.* ac Turrian. *in præc. cons.* Obstat enim regula, quod ab initio non valet, neque tractu temporis convalescit, *l. quod initio* 29. & *l. quæ ab initio* 210. *ff. de reg. jur.* esseque absurdissimum, nam alioquin facilè posset in scriptis imprimendis aliquid non solidum, nec judicialiter vindicatum asseri, quod tractu temporis postea fidem faciat in honorem, aut commodum in affectantium, quod non videtur permittendum juxta notata per scribentes *in cap. cum causam* 13. *de prob.* Soccin. sen. *cons.* 258. *num.* 5. *vol.* 2.

Quintò, quia ejusmodi Authores, & historiæ sæpè er- 8
roribus scatent, neque veris assertionibus innituntur, sicuti ex Theologis observavit Melch. Canus *lib.* 11. *de loc. Theol. c.* 3. ubi pluribus exemplis id ostendit, etiam in scriptoribus Ecclesiasticis, & ex historicis Baronius passim, & ex Jurisconsultis Paris. *cons.* 23. *n.* 253. *vol.* 1. Soccin. jun. *cons.* 132. *n.* 11. *vol.* 3. & Menoch. *cons.* 112. *n.* 71. ac præ cæteris fatentur D. August. *de Civ. Dei*, & Flavian. Vopisc. *lib.* 3. inquiens in Aureliano, neminem scriptorum quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentitum, & esse in quo Livius, in quo Salustius, in quo Tacitus, in quo denique Trogus manifestis testibus convinci possint. Quarte Bart. Chenerman,

de nat. & propr. hiſtoriæ cap. 2. can. 5. & ſeq. firmat, nullam hiſtoriam indubitatæ fidei eſſe præter ſacram. Quæ cauſa Gelaſio fuit, ut hujus generis hiſtorias multas in Concilio ſeptuaginta Epiſcoporum reprobaret, ut videre eſt *in can. Sancta Romana diſt. 15.* Quod ſi prophetias, quæ Numinis afflatu edi ſolent, Paulus docet non ſpernendas quidem, ſed explorandas tamen, ecquis nos accuſare jam audebit, ſi hiſtorias humano ſenſu editas exploremus?

9 Sextò, ex doctrina Curtii junioris *in l. 1. n. 50. & ſeq. ff. ſi cert. pet.* ubi appoſitè ait, Judicem ex hiſtoriis poſſe quidem animi motum habere ad ſe informandum, non autem illas præcisè probare ſine aliis adminiculis, quæ veritatem aperiant. Unde & Decius *in alleg. cap. cum cauſam 13. num. 13. de prob.* animadvertit, Honorium III. ibi *in v. mandamus* conſultò loquutum fuiſſe conjunctivè de libris antiquis, teſtibus, fama, & quibuſcunque aliis adminiculis. Quia libri antiqui per ſe tantùm non probant. Pariter Zaſ. *conſ. 16. n. 40.* ex eo, quod incivile ſit velle fidem facere ſcripturam privatam, cenſuit, non poſſe ſcripturam chronicæ, ut talem, probare.

10 Septimò, quia probatio hiſtoriarum in adeò antiquis, quæ hominum memoriam, ac vitam excedunt, redigitur ad ſolum teſtimonium famæ, cùm ſint ſcripturæ privatæ, per ſe omni fide carentes, quæ propterea dicuntur, illam aſſumere ex temporis antiquitate, ac fama ſimul junctis, adeòut qualem fidem mereantur pendeat ex pluribus, in quibus exactè ponderandis ſummo judicio opus eſt, ut aſſeruit Alciat. *in alleg. l. 1. ſub n. 55. & ſeq. ff. ſi cert. pet.* & Vaſquez *d. c. 48. n. 16.*

11 Atque idcircò fidem humanam Ariſtoteles virtutum intellectualium numero exemit, quod juxta ad falſum, & verum inclinat. Canonizatio ergo Sanctorum, quæ tota veritate perpenditur, non accipiet ab humana fide adjutorium, nec verax cum fallaci ad judicandum conſociationem contrahet. Quoniam tale judicium ex ea parte, qua humanæ fidei innititur, æquè falſitati, ac veritati innitetur. Confirmatur id vel maximè quod homines mendaces ſunt, fallereque & falli omnes ad unum poſſunt. Sive igitur pauci, ſive plures hiſtorici quidquam affirment, imbecilla ea omnis probatio erit, quæ in teſtimonia hominum inclinata recumbit. Quocirca probatio quæcunque ex humana hiſtoria petita imbecillior eſt, quàm ut in canonizatione ullam omninò faciat fidem.

12 Octavò, quia ſæpè ſcriptores non conveniunt inter ſe quoad tempus vitæ, ſanctitatis, ac miraculorum alicujus Servi Dei. Quæ diſſenſio in recenſendo certum tempus clarè demonſtrat, Authores, qui de illis ſcripſerunt, non fuiſſe conſcios integræ veritatis facti, ac proindè plena fides iis in re tàm gravi nullatenus præſtanda eſt, cùm diverſimodè teſtando ſeſe invicem collidant ex iis, quæ de teſtibus inquiunt cumulati a Farinac. *de teſtib. quæſt. 65. p. 1. n. 2. & 3.*

13 Minus quoque facti certitudo roboratur depoſitionibus teſtium, ſi ſolùm dixerint, id legiſſe in ſcriptoribus, & audiviſſe a majoribus ſuis, undè etiam ipſi elicitur publicam vocem, & famam, quam conantur aſſerere. Nam prior cauſa ſcientiæ innixa dictæ lectioni ſcriptorum corruit ex jam dictis. Non enim poteſt plus credi copiæ, quàm originali inquit Aym. *conſ. 6. n. 7.* cum ſimilibus. Poſterior autem eſt auditus alieni, cui obſtat regula firmata per Hoſt. *in c. licet ex quadam 47. ante n. 1. de teſtib.* alioſque ubertim coacervatos a Farinac. *eod. tr. qu. 69. cap. 1. num. 2.* quod teſtes de auditu alieno non probant ex ratione adducta per Bald. *in l. 2. §. idem labeo n. 5. ff. de aqu. pl. arc.* quod per auditum auditus non percipitur veritas ſenſus, ſed ſola quædam relatio veritatis. Nam cùm dicto primi, a quo illa emanavit, non ſit credendum in judicio ſine juramento, ſequitur perneceſſe, quod neque Judex poſſit fidem adhibere iis, qui eandem relationem accipiunt a tali primo non jurato. Quod etiam conſideravit Bart. *in tr. de teſtib. num. 10.* Quæ regula procedit etiam concurrente fama ad textum expreſſum *in c. tàm literis 23. de teſtib.* ubi Innocentius III. in principio dixit, nil ſufficienter oſtenſum fuiſſe depoſitionibus teſtium de auditu tantùm, & fama, unde Gloſ. *v. de auditu arguit*: ergo teſtimonium de auditu cum fama non facit fidem, addens, contraria loqui de probatione violenta, non autem de vera probatione, quam ibi ſequuti ſunt Hoſt. *num. 2.* Bald. *num. 1.* Abb. *num. 5.* & Fr. Aretin. *n. 3. in 2. not.* Rip. *in l. 1. n. 87. ff. ſi cert. pet.* Alex. *conſ. 25. n. 3. vol. 4.* Add. ad Rom. *ſing. 753. in princ.* & alii, quos ſequitur Farinac. *d. quæſt. 69. cap. 1. n. 122.* ſubdens hujuſmodi ampliationem abſque dubio eſſe communiter receptam, quamvis ab illa videatur diſſentire Felin. *in c. Præterea 27. num. 1. de teſt.*

Neque dicatur in antiquis ſupra centum annos, regu- 14
lam eſſe affirmativam, quod teſtes de auditu a ſuis majoribus probent. Nam reſpondeo primò cum Gloſ. *in can. teſtes 15. §. de his etiam, v. audierunt 3. q. 9.* teſtimonium de auditu a majoribus admitti ſolummodò in matrimonio ex traditis *in c. quoties 5. ad d c. licet ex quadam 47. de teſtib.* & in probanda memoria operis facti ad textum *in l. 2. §. Idem labeo, ff. de aqu. pl. arc.* in aliis verò non conceditur.

Secundò, non habere locum quando agitur de proba- 15
tione rei, quæ verum hominis factum requirit. Quoniam tunc neque in antiquis teſtes de auditu fidem facere, dixerunt Alex. *conſ. 94. n. 13. vol. 2.* Pariſ. *conſ. 23. n. 260. vol. 1.* Guidop. *conſ. 95. n. 7.* Gabr. *tit. de teſtib. concl. 3. n. 11.* & Farin. alios referens *d. q. 69. c. 1. n. 137.* qualis quidem eſt præſens materia, cum agatur de probandis ſanctitate, ac miraculis Servorum Dei, quæ conſiſtunt in verò facto hominum, neque ideò probabilia ſunt ex ſolo teſtimonio auditus alieni, ſed ex vera entitate ipſius facti.

Tertiò, quia ubi vera & certa ſcientia requiritur, non 16
ſufficit ſola ſcientia per famam, ſecundùm Gloſ. *in clem. cauſa, v. plena, de elect.* juxta ſententiam Cardin. ibi, *v. intimatio q. 1. n. 5.* & Imol. *n. 79. in princip.* Felin. *in c. contingat 24. n. 4. propè fin. de reſcript.* Buratt. *dec. 459. n. 6.* Quia fama accedit rei jam geſtæ, neque ineſt actui, dum fit, neque ideò poteſt illius probationem fundare per ſe ipſam, ſed, ſi quæ adſit, eam tantùm confirmare, ut ſcitè docuit Bald. *in cap. Veniens 10. num. 7. in fin. de teſtib.* At in probatione facti miraculoſi requiritur vera, & certa ſcientia veritatis individuæ talis facti, ut omnis ſuſpicio eluſionis penitus, cùm plurimum contingat, homines in hoc decipi juxta notata per Angel. Rocch. *de Caniz. Sanct. c. 25.* & Paul. Zacch. *quæſt. medico leg. lib. 4. tit. 1. q. 8. n. 1.* Atque adeò probatio innixa ſoli famæ, ne quidem in antiquis videtur ſufficiens ad certò ſtatuendum factum, quod poſſit dici miraculoſum.

Immò cùm tota facti probatio redigatur ad publicam 17
vocem, & famam, timendum profectò eſt in re tàm ardua de indole ipſius famæ, aſſerente Tertulliano *in apolog. cap. 7.* quod fama, ne tunc quidem cum aliquid veri aſſerit, ſive mendacii vitii eſt, & Alexandro Magno apud Curtium *lib. 9.* nunquam ad liquidum fama perducitur, ſed falſis mixta omnia illa tradente majora ſunt verò, quo comperto Iſidor. *de orig. lib. 5. c. 27.* dixit, quod fama adjicit multa, vel mutat de veritate. Quibus concinunt quæ de fama canunt Poetæ, quippè quod ſua per mendacia creſcit. Quare Marquard. *de fam. lib. 1. c. 10. n. 10.* dixit in rebus arduis famam parum poſſe, ſubdens cum Matthæſil. *not. 15.* & aliis, quod neque conſuetudo poſſit efficere, ut probatio imperfecta per famam habeat vim plenæ probationis in cauſis, quæ ſunt magni præjudicii, quia eſſet irrationabilis.

Præterea cum fama plus, minuſve probet, prout ſe 18
habent cauſæ, ex quibus illa cauſatur, atque ideò Felin. *in cap. Veniens 10. n. 11. de teſtib.* dixerit, hoc eſſe committendum Judicis arbitrio, attenta qualitate famæ, illius probatione, arduitate negocii, ac reliquis circumſtantiis ab eo ponderandis, utique videtur hærendum omninò tutiori parti, quòd ſcilicet fama non ſatis ſit ad plenam probationem conſtituendam in re certa, & planè dubia per ſe, maximè quia Doctores, ac deciſiones admittentes, quod fama publica, & communis opinio plenam fidem faciat in rebus antiquis excedentibus metam centum annorum, utpotè ſupra hominum memoriam, quarum probatio foret aliàs difficilis, loquuntur in rebus civilibus, ut videre licèt apud Marquard. *d. lib. 1. c. 8. n. 3. & 4.* neque ideò extra illas trahendi ſunt ad cauſas canonizationum, in quibus agitur de patefaciendis arcanis Cœli, ac definitione ſtatuenda ex Cathedra Petri ſub præcepto fidei in Eccleſia militante, quod talis Defunctus æterna beatitudine certò fruatur in triumphante.

Fama igitur non ſufficit ad probandum in ordine ad ca- 19
nonizationem, vel beatificationem, quia non facit plenam probationem, *l. 3. §. ejuſdem quoque, ff. de teſtib.* ubi Accurſ. *v. confirmat*, Bartol. *ibid.* & Card. Alban. *n. 2.* teſtans de communi. Quod præcipuè verum eſt, ſi ageretur de probandis miraculis; quia circa ipſa debet fieri diligens, & exacta inquiſitio, itaut de ſingulis circumſtantiis innoteſcat, de quibus *in cap. cauſam de teſtib.* ut notat, & firmat Bartol. *d. tract. de teſtib. §. qualitas ſine ſubſtantia num. 56.* & proinde docet debere teſtes interrogari unum ſeorſum ab alio, ut advertit Jo: Andr. *in cap. venerabili, v. ſingilatim, de teſtib.* Troyl. *de canoniz. Sanct. §. aggredior n. 54.* Quæ non poſſunt haberi, quando probatio innititur famæ.

Scripturæ itaque ſive publicè, ſive privatim expoſitæ, 20
ut ſunt hiſtoriæ, ac tabellæ, non ſufficiunt ad probandam ſanctitatem, ſeu miracula alicujus, quia cùm non ſint

autho-

authoritate publica confectæ, non excludunt terminos ſcripturæ privatæ juxta doctrinam Innoc. *in cap.* 1. *de fid. inſtr.* Unde per ſe nullam fidem faciunt per ea, quæ tradunt communiter Doctores *in l. etſi Contractus, C. de fid. inſtr.* & *in l. ſcripturas, C. qui pot. in pignor. hab.* & per adducta a Marant. *p. 6. ſpec. v.* & *producuntur num.* 34. Quod verum eſt, etiamſi ſcripturæ in aliquo archivio reperiantur. Nam tunc ſolùm ſcripturis in archivio repertis fides adhibetur, quando archivium eſt publicum, in quo ſolùm ſcripturæ publicæ, & authenticæ recondi ſolent, *c. ad audientiam, de præſcr.* & *l. cenſus*, ubi Gloſſ. *ff. de prob.* & annotat Bartol. *in l.* 1. *ff. ſi cert. pet.* Corn. *conſ.* 333. *n.* 7. *vol.* 1. cum Gloſ. *in c. pervenit. v. archiviis* 30. *q.* 1. & *auth. ad hæc, C. de fid. inſtr.* Immò etiamſi in archivio, in quo ſolùm ſcripturæ authenticæ ſervari ſolent, reperiretur aliqua ſcriptura, narrans alicujus ſanctitatem, aut miracula, non ſufficeret in ordine ad canonizationem, aut beatificationem, niſi ſimul exprimeret, quod ſanctitas, & miracula authoritativè, & eo modo, quo debent examinari fuiſſent examinata, aut approbata, aut niſi per modum proceſſus exprimeret omnia neceſſaria pro juridica examinatione, itaut poſſet procedi ad examinandum. Quia cùm ſe habeat, ut purum teſtimonium, teſtificans de ſanctitate, & miraculis, niſi ſufficienter teſtificetur pro examine inſtruendo, ut inſufficiens rejiciendum eſt, ſicut rejicerentur proceſſus inſufficientes.

21 Idemque dicendum eſt, ſi alicujus vitæ ſanctitas, vel miracula in lapidibus publicè expoſitis inciſa eſſent. Quia in re gravi, præcipuè quando agitur de gravi præjudicio alterius non faciunt lapides plenam probationem, *l. monumentum, ff. de relig.* & *ſumpt. fun.* Felin. *in c. cum cauſam de prob. n.* 7. & 27. tradens de communi. In hoc autem caſu agitur de præjudicio fidei. Quod tamen ſolùm valet quando ſcriptura non eſt authenticè, & authoritativè inciſa lapidibus. Nam ſi authoritate publica ſit inciſa, probat ſufficienter, tanquam ſcriptura authentica, *can. ſanè* 2. 24. *q.* 2. & *l.* 1. & 2. *ff. de alb. ſcrib.* & docent Guidop. *q.* 193. *n.* 1. & *conſ.* 88. *n.* 2. Hippol. de Marſil. *in rubr. n.* 192. *C. de prob.* Alex. *conſ.* 90. *n.* 22. *vol.* 6. Barbat. *conſ.* 60. *n.* 8. *vol.* 2. Calcan. *conſ.* 90. *n.* 8. Atque adeò eſſent ſufficientes pro miraculis, & ſanctitate alicujus comprobandis, ſi exprimerent, quod debitum examen præceſſerit, aut in ordine ad examinandum, ſi exprimerent neceſſaria pro tali examine inſtituendo. Verùm ſi jejunè, & exiliter narrent miracula, aut ſanctitatem teſtentur, ſunt inſufficiens teſtimonium, licèt aliàs authenticum, quia non poteſt in ipſis fundari examen, quod debet neceſſariò præcedere beatificationem, & canonizationem.

22 Ratio autem omnium hactenus dictorum ea eſt, quoniam in materia beatificationis, ſeu canonizationis requiruntur certæ, ac evidentes probationes, quia eſt ex graviſſimis, ideòque requiritur diſcuſſio ſolemnis, & exquiſita examinatio atque matura, ut paſſim habetur in Bullis canonizationum, unde etiam probationes debent eſſe proportionatæ gravitati materiæ, atque adeo certæ, ac evidentes, non autem præſumptivæ, & conjecturales, quia iſtæ non ſunt veræ probationes, *l. Lucius, ff. de condit.* & *demonſtr.* ubi Bart. & Imol. Rom. *in l.* 1. *C. de teſt. mil.* Ruin. *conſ.* 128. *n.* 2. *lib.* 4. Nat. *conſ.* 29. *n.* 8. & *conſ.* 581. *n.* 9. Bald. *in c.* 1. *§. cum autem de contr. inveſt.*

23 Idque etiamſi verſemur in antiquis. Deſumitur ex doctrina Petri Galeſini *p. 3. de canoniz. S. Didaci cap.* 6. & *c.* 8. & 10. *ac ſeq.* Jacobi Caſtellan. *de canoniz. Sanct. qu.* 7. *§. quæro qualiter*, Troyli Malvezii *in cap.* 1. *ejuſd. tit. n.* 5. & *c.* 4. *n.* 64. & *ſeqq.* Luc. Caſtellin. *de inquiſ. miracul. in not. ad* 3. *punct. q. n.* 12. & conſtat etiam ex relationibus factis Summis Pontificibus pro canonizatione, quarum aliquas refert idem Caſtellinus.

24 Cujus rei antequam rationem adducam, obſervandum eſt, quod canonizatio Sanctorum eſt ex iis, quæ pertinent ad univerſale regimen Eccleſiæ, ac proinde Pontifex non poteſt errare in re tàm gravi. Unde quando aliquem canonizat, certum omninò eſt, quod fruatur gloria Sanctorum, & ſit a nobis colendus. Ideòque in Sanctorum ordinem relatio pertinet ad cauſam fidei, & ita tradunt Innoc. Jo: Andr. Butr. Hoſt. Abb. Zabarel. & alii, quos ſequitur Tuſc. *lit. C. concl.* 41. *n.* 8. & *ſeq.* Bellarm. *de beatitud. Sanct. c.* 6. Molfeſ. *conſ.* 45. *n.* 30. & *conſ.* 49. & *in ſum. tract.* 11. *c.* 6. *n.* 44. & conſentiunt Sylveſt. *v. canoniz. n.* 1. citans Jo: de Neapol. Nugn. *in* 3. *p. q.* 20. *ar.* 3. Catherin. *in tr. de cert. glor. in voc.* & *vener. Sanct.* Roſſenſ. *ar.* 37. *contra Luther. §. ſi ſit hæreticus*, D. Anton. *in* 3. *p. tit.* 1. *c.* 8. *§.* 2. ac ſtatuunt Valent. *to.* 3. *diſp.* 1. *q.* 1. *punct.* 7. Turrian *in* 2. 2. *diſp.* 16. *de poteſt. Pontif. dub.* 3. Pitigian. *in* 3. *d.* 25. *q.* 2. *ar.* 5. Rocc. *de canoniz. Sanct. c.* 42. *in ſolut. arg. in* 2. *edit.* Malvet. *de canoniz. dub.* 1. *n.* 23. & *dub.* 2. & 6. Malder. *in* 2. 2. *q.* 1. *ar.* 10. *diſp.* 6. *propoſ.* 4. Michael. Nauder. *p.* 2. *de monarch. lib.* 4. *c.* 7. *§. cæterum*, Caſtellan. *de cert. glor. Sanct. c.* 5. Aſten. *p.* 6. *lib.* 6. *tit.* 29. *ar.* 5. Armil. *v. Canonizat. n.* 3. Alphont. de Caſtr. *contr. hæreſ. lib.* 13. *v. Sancti*, Auguſt. *Triumph. de author. Eccleſ. q.* 14. *ar.* 3. Cajet. *de indulg. c.* 8. Dried. *de dogm. c.* 1. Covar. *lib.* 1. *var. c.* 10. *n.* 13. Turrecrem. *in def. revelat. S. Brigit.* Valdenſ. *to.* 3. *de Sacram. tit.* 14. *c.* 22. nec revera diſſidet Canus *de loc. Theol. c.* 5. Viguer. *c.* 10. *inſtit. Theol. §.* 8. Aragon. *in* 2. 2. *q.* 1. *ar.* 10. *tit. de Sum. Pontif. concl.* 2. Bann. *dub.* 7. *concl.* 7. Azor. *p.* 2. *lib.* 1. *c.* 16. Sign. *de reliq. c.* 4. & communiter cum D. Thom. *quodlib.* 9. *ar.* 16. Quia Spiritus Sanctus aſſiſtit Summo Pontifici in iis, quæ pertinent ad fidem, & ad ſalutem hominum, & ad cultum Dei, & Sanctorum, in quibus Deus ipſe colitur, ut fusè Turrecrem. *in ſum. de Eccleſ. c.* 108. & *ſeq.*

Atque ex hoc ita probatur, Idcircò determinatio Pon- 25
tificis circa venerationem Sanctorum eſt infallibilis, quia veritatem a Deo revelatam circa gloriam, & venerationem Sanctorum applicat perſonæ particulari, decernendo id, quod a Deo in communi revelatum eſt, convenire ipſis. Eſtenim revelatum, quod ii, qui in hac vita ſanctè vixerunt fruantur beatitudine, ac proindè ſint digni veneratione, *pſal.* 36. 60. & 126. *Apoc.* 4. *ad Hebr.* 11. 1. *Joan.* 3. habeturque *ex tot. tit. de reliq.* & *vener. Sanct. in* 6. & ex Tridentino *ſeſſ.* 25. *in decr. de invoc.* & *vener. Sanct.* Hæc autem applicatio non poteſt fieri, niſi interveniant certæ, ac evidentes probationes quoad ea, quæ probanda ſunt in ordine ad beatificationem, & canonizationem, quæ ſecundùm fidem humanam faciunt, quod is, cui fit applicatio, ſit certè, ac verè talis, quales ſunt ii, de quibus Scriptura revelavit, quod fruantur beatitudine. Si enim probationes non ſunt certæ, ac evidentes, neque etiam poteſt certò affirmari, quod talis perſona fuerit ſancta, & juſta, & quod fruatur Deo. Quia idcircò de ipſa affirmatur, quia continetur implicitè in revelatione, quod ſit ſancta, & fruatur Deo, & idcircò continetur implicitè in revelatione, quia per certam, & evidentem conſequentiam ipſi applicatur veritas revelata. Quoniam autem applicatur per diſcurſum, applicatio non poteſt eſſe certa, niſi diſcurſus ſit certus. Non eſt autem certus, niſi certum ſit, quod talis perſona fuerit juſta, & ſancta, & quod ſanctitas ſit miraculis certis confirmata. Unde ſi non eſt certum, quod ſanctè vixerit, & quod ſanctitas ſit miraculis comprobata, non poterit eſſe certa applicatio veritatis revelatæ, quod tanquam Sanctus fruatur Deo. Quia non poteſt concluſio eſſe certa, niſi utraque præmiſſa ſint certa.

Deindè in canonizatione, & beatificatione debet fer- 26
ri ſententia, ſecundùm rei veritatem, cùm proponat colendos eos, qui ſecundùm rei veritatem colendi ſunt, & non ſecundùm præſumptionem. Atque adeò probationes in ordine ad talem determinationem debent procedere ſecundùm rei veritatem, & non ſecundùm præſumptiones, quia multoties præſumptio contrariatur rei veritati. Non procedunt autem ſecundùm rei veritatem, niſi certæ, ac evidentes ſint; nam niſi ſint tales, non comprobant rei veritatem, ac proinde determinatio ipſis innixa non tendit ad rei veritatem ſecundùm ſe, ſed tantùm, ut eſt in opinione.

Denique cauſa canonizationis eſt de majoribus, quæ 27
apud Romanam Sedem tractantur, ut habet Gloſſa communiter recepta *in cap. un. v. Sedis Apoſtolicæ, de reliq.* & *vener. Sanct. in* 6. Unde debet Pontifex habere ſufficiens fundamentum procedendi ad talem determinationem. Et cùm hæc cauſa pertineat ad fidem, ut docent omnes, eſt major quacunque cauſa criminali, etiam quando agitur de capitali, ac proinde requirit majorem diſcuſſionem, ac certiores probationes. Quando autem agitur de cauſa capitali, debent probationes eſſe luce meridiana clariores, *l. Neratius ad l. Aquil.* & *l. fin. ff. de prob.* cum hujuſmodi aliis, & tradunt Doctores communiter, nominatim Specul. *in tit. de præſumpt. §. ſpecies n.* 7. & Bald. *in l. obſervare, §. proficiſci qu.* 11. *ff. de offic. Proconſ.* & *in l. fin. C. de prob.* Et quia circa majora majus periculum imminet, ideò cum majori cautela, & maturitate procedendum eſt, atque adeò cum majori fundamento, *can. quieſcamus d.* 40. *can. miramur d.* 61. *can. nuper.* 7. *qu.* 2. *cap. ubi periculum de elect. in* 6. & *l.* 1. *§. Sed* & *ſi quis, ff. de Carbon. edict.* Ac proinde in cauſis canonizationis, & beatificationis tanquam ex majoribus cum ſolido fundamento procedendum eſt, atque adeò cum probationibus certis, & evidentibus.

Addo inſuper, quod quatenus ſine veri præjudicio fi- 28
des aliqua habenda ſit hiſtoricis, & chronographis, neceſſarium eſt, quod eorum atteſtatione, & ſcripta longiſſimo tempore, hoc ſpatio annorum centum ſint communi omnium aſſenſu approbata, ut inquiunt Felin.

in cap. inter dilectos 6. n. 12. de fid. instrum. Paris. *cons.* 23. *n.* 235. *volum.* 1. Rota coram Coccino *dec.* 132. *n.* 4. & coram Em. Otthobono *dec.* 234. *n.* 6. & *dec.* 253. *n.* 21.

29 At nihilominus inhærendum esse arbitror receptissimæ sententiæ, quæ asserit in rebus antiquissimis, viventium memoriam excedentibus, fidem adhibendam chronographis, atque historicis, quibus antiquitùs fides communiter adhibita fuit a majoribus, ideòque illis credendum, tàm in judicio ad plenum probationis gradum, causarumque decisionem constituendum, quàm extra, quemadmodum per Summos Pontifices Leonem III. in canonizatione Svvitberti, Joannem XV. in canonizatione S. Uldarici, & Alexandrum III. in canonizatione S. Eduardi, Angliæ Regis observatum fuit, cum ex sola lectione vitarum eos in Sanctorum numerum retulerint, ac de iis, aliisque testantur Panvin. *in relat. S. Bonaventuræ par. 3. ar.* 8. Rota in relationibus S. Raymundi *p.* 2. §. 3. S. Hyacinthi *cap.* 3. S. Franciscæ Romanæ *p.* 2. *art.* 18. ac S. Andreæ Corsini *p.* 4. §. 1. *sub princ.* Quod absque dubio procedit, quando dicta historicorum adminiculantur non solùm ex constantissima majorum, totiusque antiquitatis traditione, sed etiam ex depositionibus plurium contestium, idem firmantium, Rota *dec.* 93. *n.* 16. & 350. *num.* 28. *p.* 5. *rec.* & alias passim, ac in terminis canonizationum in relationibus Sanctorum Raymundi, Hyacinthi, Leopoldi ab Austria, Andreæ Corsini, Franciscæ Romanæ, Ignatii Loyolæ, Francisci Xaverii, Isidori, Philippi Nerii, & Elisabethæ, ac in aliis pluribus.

30 Hoc in primis demonstrat textus *in l.* 1. *ff. de off. Consul.* ibi: *a quibusdam scriptoribus traditum est*, & asseverant Felin. *in cap.* 2. *de rescript. in fin.* Abb. & Dec. *in cap. Cum causam de probat.* Bartolus ac omnes *in l.* 1. *ff. si cert. petat.* Marian. Soccin. *cons.* 76. *n.* 64. *vol.* 1. Tib. Decian. *cons.* 19. *n.* 80. *vol.* 4. & *cons.* 21. *n.* 29. *vol.* 1. Natt. *cons.* 656. *n.* 41. & 91. Joan. Garz. *de nobil. gloss.* 18. *n.* 10. Caputaq. *dec.* 190. *p.* 2. Zerol. *in prax. Episcop. p.* 1. *v. Arma*, Roder. Suar. *alleg.* 8. *n.* 21. Menoch. *consil.* 512. *n.* 5. & 30. Hieron. de Monte *de fin. regund. cap.* 62. *n.* 6. Baron. *in addit. ad Palac. in rubr. de donat. in introd. n.* 2. *lit. A.* Faber. *in §. idem pretium n.* 5. *instit. de empt. & vend.* Avil. *in cap. Prætor in proœm. v. nono Reyna num.* 9. Mascard. *concl.* 287. Lassart. *de gabell. in præf. num.* 23. & 25. Molina de Medrano *in alleg. Vicereg. extrav. in Regno de Arag. num.* 168. ubi de historicis Ecclesiasticis, & sæcularibus. Quibus adstipulatur post Præpositum, & Alexandrum a se allegatos Cardinal. Tusch. *concl.* 139. *tom.* 4. ubi *num.* 3. id procedere astruit, quando ab antiquo communiter iis creditum fuit, & cum eorum monumenta propter vetustatem omnium populorum, & judicantium approbatione fidei, & veritatis testimonium meruere.

31 Spatium verò longissimi temporis juxta opinionem Butrii *in c. Veniens* 1. *de testib.* est annorum quadraginta, quem sequuntur alii relati a Cravet. *de antiq. temp. p.* 1. *n.* 2. Et juxta aliam opinionem, quam sequitur Rota, ubi agitur de probando per testes, est annorum sexaginta, ut in *dec.* 694. *n.* 2. *p.* 2. *rec.* & 360. *n.* 8. *p.* 5. & 424. *n.* 3. *ead. p.* 5. *to.* 2. & coram Buratto *dec.* 111. *n.* 3. & 725. *n.* 4. & ubi agitur de probando per scripturas, aliàs Rota censuit, tempus antiquissimum esse annorum septuaginta, & apud Put. *dec.* 200. *n.* 2. *lib.* 1. *in cor.* Et junctis adminiculis fuit admissum coram Pegna *dec.* 1286. *num.* 14. & verior, crebiorque opinio est, quod arbitrio Judicis relinquatur, Cravet. *d. p.* 1. *num.* 3. Menoch. *de arb. l.* 1. *cas.* 3. *n.* 2. Sacra verò Rituum Congregatio in causa Servi Dei Joanne a Cruce censuit requiri solùm tempus sexaginta annorum ad effectum probandi per testes publicæ vocis, & famæ.

32 Prima. Quia si scriptura privata in vulgus edita, & longo tempore, hominumque opinione, & approbatione accedente, probat, & fidem conciliat, Bertaz. *cons. crim.* 147. *n.* 14. & Georg. Everar. *cons.* 27. *n.* 7. *lib.* 1. multò magis eam tribuere valent scripturæ historicæ in publicum sub omnium censura vulgatæ. Quia palam sub historicæ veritatis lege publicatæ, si communis assensus earum fidei accesserit, videntur ex hoc quodammodo posse nuncupari publicæ, in quo sensu tales appellavit Dionys. Alicarn. *hist. lib.* 2. *n.* 7. ibi: *Ex publicis scripturis accepimus*, & re ad partes vocata, concludit Gaspar KlocK *de contrib. c.* 20. *n.* 519. & *seqq.* ac in terminis canonizationis Sanctorum inquiunt Castellan. *de canoniz. quæst.* 7. *princ.* §. *quæro*, Panvin. *in relat. S. Bonaventuræ p.* 2. *art.* 8. *in princ.* ac respondit Rota *in relat. S. Raymundi part.* 1. *art.* 5. & *par.* 2. *art.* 21. *S. Hyacinthi c.* 3. *v. nec prædictorum*, & in aliis.

33 Posteà. Non requiruntur probationes, nisi secundùm capacitatem, ac possibilitatem materiæ, aliàs redderetur impossibilis administratio justitiæ. In antiquis autem materia non est capax, ut plurimum, aliarum probationum, quàm historicarum, & certiores probationes sunt impossibiles, cùm deficiant testes, qui de certa scientia deponant, neque adsint scripturæ authenticæ. Ac ita docent Cravet. *dict. par. partic. ult. n.* 30. & *seqq.* Soccin. *cons.* 266. *n.* 31. *vol.* 1. Paris. *cons.* 104. *n.* 42. & 43. *vol.* 1. Corn. *consil.* 24. *n.* 1. *vol.* 4. & *cons.* 62. *n.* 1. *vol.* 3. Alex. *cons.* 187. *n.* 3. *lib.* 2. & Afflict. *dec.* 13. *n.* 64. ac desumitur *ex l. census*, & *monumenta*, *ff. de prob.* & *l. qui ex liberis*, *ff. de bon. pos. ex d. c. cum causam*, *de prob.* & *ex d. c. Veniens de test.* Immò, quòd sufficiant præsumptivæ, & conjecturales probationes, etiam quando lex requirit probationem plenam, & perfectam, prodierunt Cravet. *d. partic. ultim. n.* 35. Decian. *cons.* 54. *n.* 3. & *in rubr. de prob. num.* 13. Bald. *in l.* 1. *n.* 18. *C. de fideic.* Jas. *in l. licèt Imperator not.* 3. *ff. de leg.* 1. Afflict. *dec.* 44. *num.* 5. & Tiraquel. *in l. si unquam*, *v. donatione largitus num.* 159. *C. de revoc. donat.*

Postremò. Necessarium est, ut homines hominibus 34
credant, nisi vita pecudum more degenda sit. Qua de re Theodoret. *in oper. de cur. græcan. affect. lib.* 1. & D. August. *in lib. de util. cred. ad Honorat. c.* 12. & *de fid. rer. invisib. cap.* 1. & 2. ait, non amicitiam modo, verùm omnem omninò humanam societatem interire, si amicus amico, maritus uxori, parentibus filii, fratres fratribus, civibus cives, sociis socii fidem non habeant. Necessitudo igitur, ac pietas, duo humani generis sanctissima vincula violabuntur, atque dissolventur, nihilque prorsus in hominum consociatione incolume remanebit, si nihil credere statuerimus, quod non idem possumus quasi manu tangere ac tenere perceptum. Adjiciam etiam illud ex Theodoreto, nempè fidem esse ceu primariam artium basim, disciplinarumque omnium crepidinem. Neque enim pueri elementarii ullam omninò disciplinæ puerilis facultatem adipisci possunt, nisi & nomina literarum, & syllabarum nexus fide a præceptoribus acceperint. Quare videtur illud Isajæ in omni etiam arte, & ætate verissimè comprobari: *Nisi credideritis, non intelligetis*. Præclarum etiam est illud Aristotelis in omni facultate atque doctrina oportere addiscentes credere. Qua ex re fit, ut naturæ author in hominum mentibus inclinationem ad credendum naturalem impresserit. Unde qui humanam fidem ex hominum animis evellere conantur, ii non solùm stulti sunt, sed Gigantum more cum Diis pugnant, hoc est cum natura. Quid enim rogo, tàm puerile, tamque stultum dici potest, quàm si ea, quæ viderunt alii, negemus esse, quia ipsi non vidimus?

Præcipuè si inter historicos aliqui sint, qui testentur 35
de visu ac certa scientia, sicque tanquam coetanei, contemporaneique, ac optimè informati historias prodiderint. Nam in jure certum est, testes de auditu, ac publica voce, & fama cum unico de visu plenè probare etiam in factis recentibus, sicut in specie probationis miraculorum tradit Contil. *de canoniz. Sanct. c.* 18. *n.* 11. ac sæpè decisum fuit in relationibus S. Hyacinthi propè finem, cæterisque passim.

Eoque perfectior, & concludentior existimari debet 36
probatio, dum concurrunt ulterius tot historici, & scriptores tàm catholici, quàm hæretici, & plures contemporanei, qui omnes consentiunt, itaut, ne unus quidem reperiatur, qui per tàm longum tempus unquam de veritate dubitaverit. Quæ sanè circumstantia maximè ponderanda est, cùm non solùm suadeat, sed evincat, cogatque Judicis animum ad ita credendum. Et admitti conjunctionem testium etiam de auditu, & publica voce, & fama, & scripturarum ad constituendam plenam, & concludentem probationem, docet Abb. *in c. Cum nobis n.* 6. *de præscr.* & *in dict. cap. cum causam num.* 2. ibique Holt. *num.* 12. *de prob.* estque optimus textus *in l.* 3. §. *ejusdem quoque*, *ff. de testib.* egregiè Rota *decis.* 353. *n.* 27. & 28. *par.* 5. *rec.* Et famam in antiquis concludenter probationem constituere, quando nihil in contrarium adest, ex quo illa debilitetur, dixit Rota *dec.* 176. *n.* 6. *par.* 1. *div.* & *decis.* 182. *n.* 7. *par.* 1. *rec.* & coram Cavaler. *dec.* 6. *num.* 5.

Igitur aut factum non est recens, sed vetustum, & tunc 37
vel in annales relatum fuit, vel non. Si illud, tunc historicorum testimonio edoceri potest; quia libris historicis, quibus a majoribus nostris fides adhibita fuit, creditur, ut per Glos. *in c. inter dilectos de fid. instrum.* & *in c. venerabilem de elect.* Bartol. *in l.* 1. *col.* 12. *ff. si cert. pet.* ibique post alios Dec. *n.* 22. Gozzadin. *consil.* 8. *n.* 99. Hier. Grat. *resp.* 9. *n.* 5. *volum.* 1. Roland. a Val. *cons.* 2. *n.* 60. Si non fuit relatum in annales, tunc ad famam ea de re extantem recurrendum est. Illa enim in antiquis plenam fidem facit, & pro plena scientia habetur, ut infra latè probabimus.

Neque

38 Neque urgent quæ pro contraria ſententia produximus. Non primum, quia in rebus antiquiſſimis, & hominum memoriam excedentibus, de quibus non poteſt exhiberi probatio directa, ſufficit præſumptivè per famam, ut advertit Bald. *in auth. quas actiones numer.* 17. & 18. *C. de ſacroſ. Eccleſ.* quem ſequuntur Felin. *in c. Cum nobis num.* 8. ibique Bellam. *num.* 18. *cum ſeqq. de præſcr.* Anchar. *in c. unic. in fin. eod. tit. in.* 6. ac ibidem Lac. Abb. *num.* 8. & luculenter Vaſquez *dict. lib.* 2. *cap.* 84. *num.* 15. per Gloſ. *in l. atqui natura, §. cum me abſente, ff. de neg. geſt.* Bald. *in l. cum ſuper, C. de res vendic.* & *in l. bonæ fidei col. ult. C. de reb. cred.* & *in l.* 4. *C. de prob.* & *in l. non ignorat col.* 6. *C. qui accuſare non poſ.* Dec. *in cap.* 1. *num.* 46. *de appell.* ubi teſtatur de communi, ea quidem ratione, quia antiqua, quorum origo memoriam exceſſerit, nullum genus probationis admittunt præter probationem famæ, & idcircò in eis ſola fama citra ullum adminiculum facit plenam probationem. Non enim poſſunt teſtes rectè deponere, neque ſcripturæ, & inſtrumenta publica fidem facere. Nam ſimul, ac inſtrumentum authenticum eſſe negatur, vix poterit verum, ſive authenticum probari, & hiſtoriæ dicuntur eſſe privatæ, quæ ex antiquitate, & fama fidem accipere intelliguntur. Sicque in tàm antiquis, quæ vitam ac memoriam hominum excedunt, ad ſolam famam omnes ſpecies probationis rediguntur. Quare in rebus tàm vetuſtis probationes leviores & admittuntur, & ſolent ſufficere per *l. ſi ſervus ſervum, §. inquit lex, ff. ad leg. Aquil.* Sufficitque probatio per indicia, & conjecturas, *l. cenſus, ff. de prob. l. qui ex litteris, ff. de ſecund. tab. c. cauſam de prob. c. cum olim. de cenſib.* & utrobique Gloſ. & Doctores, Caſtr. *conſ.* 164. *col.* 1. *libr.* 2. Anchar. *conſil.* 310. *col.* 2. & *conſil.* 6. *dub.* 3. Calcan. *conſil.* 8. *col.* 5. Jaſ. *conſil.* 128. *col.* 1. *lib.* 1. ac alii, quos refert Gratian. *c.* 918. *num.* 5. & firmavit Rota apud Caſſad. *deciſ.* 2. *n.* 5. *de prob.* & *deciſ.* 353. *num.* 8. *par.* 5. *rec.* Quam probationis ſpeciem admittit etiam in rebus arduis, & in hac ipſa materia canonizationis, licèt ſi de majoribus cauſis, rectè notavit Caſtellan. *de canoniz. d. quæſt.* 7. *princ. §. In contrarium facit.*

39 Hinc ſequitur, quod hujuſmodi hiſtoriæ, licet in ſua origine omnes eſſent ſcripturæ privatæ, quia tamen ex antiquitate, & communi hominum conſenſu fidem acceperunt, plenam & concludentem in antiquis probationem facere debeant, immò notorium conſtituant juxta celebrem theoricam Bartol. *in l.* 1. *n.* 22. *ſi cert. pet.* communiter receptam apud Gratian. *c.* 893. *num.* 7. Lar. de Capellan. *lib.* 1. *c.* 25. *num.* 32. Garz. *de nobilit. gloſ.* 18. *num.* 10. Rota *deciſ.* 353. *num.* 23. *cum ſeqq. par.* 5. *rec.* & in Auximana ſepulturæ 26. Maji 1646. *§. Et ulterius* coram Arguelles, & in Fanen. ſeu Senogallien. bonorum 26. Junii 1648. *§. corroborationem* coram Meltio, & in Cæſarauguſtana cathedralitatis 22. Junii 1655. *§.* coram Bichio.

40 Neque alterum. Quoniam atteſtationes, & relationes fide dignorum, etiam non juratæ, ſolent in judiciis eſſe non levis authoritatis, præcipuè ſi deceſſerint, cùm nemo præſumatur objiſſe immemor ſalutis æternæ, & voluiſſe falſa ſcripta poſteris relinquere, & mors efficiat, quod magis credatur libris defunctorum, quàm viventium, Natt. *conſ.* 283. *num.* 6. Purpur. *conſ.* 599. *num.* 13. *lib.* 2. Surd. *conſ.* 245. *num.* 18. *vol.* 2. Klok. *d. c.* 20. *nu.* 263. ſubdens *num. ſeq.* id maximè, & a fortiori procedere in antiquis, ubi jurata teſtimonia nequeant haberi, & in hiſtoricis, quia ex ſolita lege ſuæ profeſſionis cenſentur ſe ab initio obſtrinxiſſe neceſſitati ſolùm veritatem dicendi, quod proculdubio locum habet in antiquis. Quia tunc defectus juramenti, etiam in teſtibus non excludit vim probationis ex notatis a Rip. *in l. admonendi num.* 200. *ff. de jurejur.* & cenſuit Rota in relatione Gregorii Papæ X. *miracul.* 12. *ſub §. Quia fundamentum.*

Ex quibus tertium quoque evitatur. Non enim agitur de ſimplici ſcriptura ad uſum privatum confecta, & in domeſticis ſcriniis retenta, ſed de ſcripturis palam editis in vulgus, omniumque cenſuræ expoſitis ſub nomine hiſtoriarum, & chronicorum, obſtringentium ſoli veritati dicendæ, cui proinde pro circumſtantiis, ac ſubjecta materia ſolertis Judicis arbitrio præſtari poſſunt ſcripta mortuorum teſtimonia ex prædictorum concurſu magis faciendo, quam vocalem aſſertionem viventis, ut ſuperiùs dictum eſt. Idque indubiè procedit ſtante numero ingenti, & qualitate hiſtoricorum. Tunc enim res dicitur notoria, non indigens alia probatione, Maſcard. *de prob. concl.* 749. *num.* 21.

41 Quartum verò tollitur animadvertendo, quod licèt tempus nullius rei cauſa, vel origo ſit ex ſe, ſed dicatur concomitantia quædam ipſarum cauſarum a Baldo *in l. ſi certis annis num.* 6. *C. de pact.* nihilominus veritas facti non reſidet in ſola temporis antiquitate, ſed in concurſu plurium circumſtantiarum, urgentiſſimorumque adminiculorum, tum ſcilicet ex vetuſtiſſima, communiterque recepta majorum traditione, in qua fideliſſimæ antiquitatis mos eſt retinendus. Tum ex aſſertione multorum ex hiſtoricis, quorum aliqui præſentes fuere. Alii conterranei, & populares, ſicque de rei ibi geſtæ veritate melius inſtructi. Tum ex depoſitionibus plurimorum teſtium ſui dicti rationem reddentium non ſolùm ex lectione hiſtoriarum, ſed etiam de auditu a majoribus, qui idem acceperant a ſenioribus, qui rei præſentes adfuerant, & de publica voce, & fama, perpetuaque ac ſucceſſiva antiquitatis traditione a nemine controverſa. Quibus concurrentibus dicta hiſtoricorum in antiquis plenum probationis gradum conſtituere ſæpè deciſum fuit a Rota, nempè coram Bellam. *dec.* 7. *per tot.* Caſſador. *d. dec.* 2. *de prob.* Caputaq. *dec.* 344. *n.* 3. & 347. *n.* 4. *p.* 3. Put. *dec.* 74. *n.* 2. *lib.* 1. & Coccin. *dec.* 93. *n.* 16. *ac* 353. *n.* 28. *p.* 5. *rec.*

Reſultare autem plenam, & concludentem probatio- 42
nem ex teſtibus, licet de auditu alieno, quando ſunt perſonæ graves, & id, quod referunt, didicerunt ab antiquioribus fide dignis, quos nominant, habetur ex reſcripto Innocenti III. *in c. licet, de teſtib.* eſtque opinio paſſim recepta. Immò ſola probatio publicæ vocis, & famæ cum ſuis requiſitis per ſe in antiquis ſufficeret juxta doctrinam Bald. *in d. auth. quas actiones n.* 17. & 18. *C. de ſacroſ. Eccleſ.* quam ſectantur Farinacius, aliique apud ipſum *in tr. de teſt. q.* 69. *n.* 24. & 44. & reſolvit Rot. *dec.* 414. *n.* 2. *p.* 5. *rec. to.* 2. & *dec.* 211. *n.* 12. *p.* 8. ubi quod hoc procedit in rebus magni præjudicii.

Quintum corruit obſervando, quod licèt interdum in 43
hac, vel illa re ab hiſtoricis erratum reperiatur, non ideò tamen omnia illorum ſcripta rejici poſſunt. Poteſt namque liber in uno falſus eſſe, & in aliis verus, ut benè tradit Trentacinq. *var. reſol. lib.* 2. *tit. de prob. concl.* 7. *ſub num.* 19. Nec propterea hiſtoriam, quamvis fabulas, & figmenta permiſtim referat, e medio tollendam eſſe putarunt Cambiſ. *in præfat. tom.* 1. *Anglic.* & Petr. Matth. *in hiſt. Gallic. in proœm.* prudentiſſimè obſervat, hiſtoricos plerumque hallucinari, ſed non idcircò hiſtoria deſinit eſſe hiſtoria, ſicut vinum non deſinit eſſe vinum, quamvis guttæ quædam aquæ ſint permiſtæ, & in ſpecie concludit Klok *d. c.* 20. *num.* 528. *cum tribus ſeqq.* Unde hìc locum habet illud Gelaſii *in d. can. Sancta Romana, Cum hoc ad Catholicorum manus pervenerit B. Pauli Apoſtoli ſententia præcedat: Omnia probate, quod bonum eſt, tenete.* Videndus Canus *d. lib.* 11. *per tot.* ubi plura obſervatè, curiosèque ad rem animadvertit, ſæpè tamen nimis minutè, ac propè etiam ſubfrigidè, nec ſine faſtu, rejectiſque Annii regulis, tres alias ipſe ſubjicit, ſive leges, quibus veraces hiſtoricos a fallacibus diſtinguere, atque internoſcere valeamus. Et prima quidem ex hominum probitate, integritateque ſumitur. Quæ omninò res locum habet, cum quæ narrant hiſtorici, ea vel ipſi ſe vidiſſe teſtantur, vel ab iis, qui viderunt, accepiſſe. Quam regulam in profanis quoque authoribus locum habere aſſerit. Secunda, ut eos hiſtoricos reliquis anteferamus, qui ingenii ſeveritati quandam prudentiam, & ad eligendum, & judicandum adjunxerunt. Quæ ſanè lex in illis rebus locum habet, quas neque ſcriptores ipſi ſunt intuiti, neque a viris fide dignis, qui viderint, audierunt. Tertia, Si cui hiſtorico authoritatem Eccleſia tribuat, hic dubio procul dignus eſt, cui nos etiam authoritatem adjungamus; contra verò cui Eccleſia derogat fidem, ei quoque nos fidem jure, ac meritò derogabimus; concluditque, ſi omnes probati, ac graves hiſtorici in eamdem rem geſtam concurrant, tunc ex eorum authoritate certum argumentum depromitur.

Sextum itidem enervatur ex dictis. Quia fides hiſtori- 44
corum tot, adeòque concludentibus probationibus, ac vehementiſſimis conjecturis, potentiſſimiſque adminiculis corroboratur.

Septimum ceſſat ex ipſiſmet dictis a Vaſquez *d. cap.* 45
84. Nam licèt in allegato *num.* 16. aſſeruerit probationem hiſtoriarum in factis antiquis hominum memoriam excedentibus, redigi ad ſolam famam, ſequenti tamen *num.* 17. firmat, plenum probationis gradum conſtituere, quia in iis tàm vetuſtis probationes leviores admittuntur, & ſolent ſufficere, Anchar. *conſ.* 310. *num.* 2. Præcipuè ſi factum non ſolùm eliciatur ex ſimplici aſſertione hiſtoricorum, ſed partim fundetur in propria, ac certa ſcientia multorum, partim verò in relatione aliorum illud atteſtantium. Nam licèt eorum atteſtatio munita eſſet ſimplici ratione famæ, nihilominus plenum probationis gradum conſtituerent, quia recenſent totam ſeriem facti, & ſic actum de præterito plenè, & concludenter probatum, Rip. *in d. l. admonendi n.* 154. *ff. de jurejur.*

Curt. jun. *conſ.*168.*n.*10. & 11. Surd. *conſ.*60.*n.*6. & 7. Bellam. *dec.*690.*n.*8. Rota coram Coccin. *dec.*398.*n.*2. & 433.*n. etiam* 2.*par.*1. & *dec.*32.*n.*4.*par.*4.*tom.*2.*rec.* & in relatione Gregorii X. *miracul.*1. *ſub §. fin.*

46 Vel ſi famigerata Sanctitas non ſolum per Scriptores, & hiſtoricos comprobetur, verùm etiam aſſeratur in antiquiſſimis epitaphiis ſepulcralibus, vel in aliis antiquis inſcriptionibus, publiciſque monumentis, quæ ſanè tanquam facta in opere antiquo plenè probant ſecundum Gloſ. 1. *in c. Cum cauſam, v. item ſi, de prob. c. Cum olim, v. inſtrumentis, de cenſ.* & *in can. Jane* 6. *v. diutius* 24. *q.*2. Alberic. *in l. fin. ſub num.*2. *ff. fin. reg.* Rip. *in l.*1. *nu.*73. *ff. ſi cert. pet.* præclarè Bald. *conſ.*310. *num.*1. *vol* 5. Abb. *in dict. cap. Cum cauſam num.* 1. & Rota in Auximana ſepulturæ 28. Maji 1646. coram Arguelles, & ita fuiſſe deciſum teſtatur Jo: Vinc. de Anna *ſing.*289. Quibus conſenſum præbent Bartol. & Bald. *in l. monumentorum, C. de relig.* & *ſumpt. fun.* Guidop. *qu.*321. *nu.*2. & Gril. *lib.*2. *obſerv.*149. *n.*8. ubi ſcribit per ſcripturas antiquas lapidibus, vel columnis inciſas induci plenam probationem, teſte Innocent. *in c.*1. *num.*1. *de probat.* Quia non eſt credibile tales ſcripturas, ſi veræ non eſſent, in publico poſitas fuiſſe, neque Epiſcopi in præjudicium fidei eas toleraſſent, Menoch. *lib.*3. *præſumpt.*90. *num.*10. & *lib.*2. *præſumpt.* 59. *num.*1. *cum binis ſeqq.* ubi ait, hujuſmodi literas inducere notorium, quod repetit *conſ.* 512.*num.*12. *vol.*6. Et quia iſti appellantur tituli, quibus eſt credendum, niſi contrarium appareat, ex quo longinquitate temporis fulciantur, & ſequitur Aym. *conſ.* 458. *num.* 4. & in terminis firmavit Rota in relatione Gregorii Papæ X. *in rubr. de ſanctit. in gener. ſub §. Quintum deprehenditur.*

47 Vel ſi inter ſcriptores adſint plurima antiqua, & authentica inſtrumenta legitimè compulſata ex albo, & faſtis Eccleſiarum, & publicis archiviis. Ex his enim non minus probatur fama antiqua quàm per teſtes, de ea formaliter deponentes, Bald. *in l. Cum aliquis num.*4. & apertius Salicet. *num.*3. & Caſtr. *num.*6. *C. de jure de lib.* Aym. *de antiq. temp. par.*1. *§. ampliatur num.*14. Rota coram Caputaq. *dec.*343.*num.*2.*p.*3. & in d. relatione Gregorii X. *ſub §. Quantum elicitur.*

48 Vel ſi ſervorum Dei ſanctitatem non inficiantur etiam ſcriptores hæretici, ſectarii, novatoreſque præcipui. Quorum uti fidei catholicæ adverſarii propria confeſſione mille teſtibus prævalente, nulla poteſt eſſe major, ac certior probatio ad tradita per Decian. *conſ.*163. *n.*11. & Cravet. *conſ.*6.*n.*62. Rota coram Gregorio XV. *dec.*143.*n.*3. & *dec.*375.*n.*3. Burat. *dec.*121.*n.*1. & 147.*n.*10. *per text. in c.*3. *de prob.* Bald. *in l.*2. *n.*1. *C. de non num. pec.* Quia confeſſione partis nulla excellentior probatio dari poteſt, quippè quæ habet vim inſtrumenti, relevat ab onere probandi, præponitur teſtium depoſitioni, ſupplet defectum ſcripturæ, omneſque alias probationes excellit, ſicut in terminis latè probat Herculan. *de negat. n.*196. *cum ſeqq.*

49 Vel ſi confeſſarius alicujus Servi Dei atteſtetur de illius ſanctitate. Id enim plurimi æſtimandum eſt, cum ſit de re, nedum ab eo viſa, ſed cum ipſo tractata, & ſibi ſecretò communicata, ut ſimiles confeſſariorum depoſitiones in hiſce materiis ſemper habitæ fuerunt in maxima conſideratione, ſicuti habetur in relatione S. Franciſcæ Romanæ *part.*2.*art.*7. *in fin.* & S. Thereſiæ *ſub rubr. de divin. don. art.*21. §.1. & admiſit Sedes Apoſtolica pro canonizatione S. Catherinæ Senenſis *in Bullar. tom.*1. *conſtit.*6. §.11.

50 Octavò adverſus fidem hiſtoricorum multipliciter reſpondetur. Primò, quia licèt exempli cauſa ex hiſtoricis aliqui aſſerant Servum Dei obiiſſe in juvenili ætate, magis tamen attendendi ſunt reliqui omnes concordantes, qui adſtruunt, obiiſſe in ultima ætate. Nam ex ſimili quando duo, vel plures conteſtes concordant in majori ſumma, etiamſi unus, vel pauciores deponant de minori, dictum unius, vel paucorum deponentium de minori non attenditur, ut poſt Gloſ. *in l. diem proferre, §. ſi plures conſenſerunt, ff. de arb.* reſpondit Aret. *conſ.*82. *col. fin.* & ſequuntur Petr. *de fideic. q.*12. *nu.*797. juncto *n.*300. Urſill. ad Afflict. *dec.*240.*n.*11. Benintend. *dec.*70.*n.*10. & Farinac. *q.*64.*n.*247. *de teſtib.*

51 Secundò, quia cùm non agatur de probatione actus momentanei, ſed de perenni ſanctitate per ſucceſſivam annorum ſeriem continuata, quatenus etiam hiſtorici in tempore non concordarent, non tamen eſſent ſingulares, ſed probarent, Gloſ. *in can. nihilominus, v. ſimul,* ibique Præpoſ. *n.*7. ubi de communi 3. *quæſt.*9. Alberic. *in l. teſtium n.*9. *C. de teſtib.* & *in l. ob carmen, §. fin. num.*11. ibique Forian. *num.*4. *ff. eod.* & latè Petra loco allegato *n.*625. 639. 647. 701. & 720. *cum ſeqq.* Farinac. *d.q.*64. *n.*90. & 91.

Tertiò, quatenùs aliqua varietas eſſet conſiderabilis inter hiſtoricos ſuper tempore ſuæ ætatis, ſive miraculorum, quia tamen agitur de probanda in genere eſſentia ſanctitatis, ac continuatione, ideò non unico actu, ac temporis momento, ſed pluribus, ac diverſis actibus, & cum plurimo temporis progreſſu eorum teſtimonia, quantumvis ſingularia in tempore, conjungenda ſunt ad conſtituendum plenam illius probationem, Felin. *in c. licet, col.*5. ibique Bero, *nu.*40. *de teſtib.* Dec. *in cap. licet cauſam num.*69. *de prob.* Jacobin. de S. Georg. *in d. l. ob carmen, §. fin. num.*16. juncto *num.*22. *ff. de teſtib.* Aym. *de antiq. temp. part.*4. *§. ſed enim num.*12. & *ſeq.* Riminald. jun. *conſ.*7. *num.*27. *cum ſeqq. vol.*1. ac fusè Petr. *d. q.*12. inquiens *nu.*339. *in fin.* pro hac ſententia eſſe quadraginta duo Doctores, & a *n.*538. ad 550. & *n.* 683. teſtatur de magis communi, ac Farinac. *d.q.*64. *nu.*150. & 164. & 221. & *ſeqq.* 52

Quartò, quia cùm tempus brevioris, vel longioris vitæ non ſit de eſſentia ſanctitatis, utique conſiderabilis eſt, ſivè duraverit viginti, ſive decem, ſive quinquaginta annis. Et ideò parum refert, quod aliqui non conveniant in tempore, quia probant ſaltem de minoris temporis ſanctitate, ut per Alex. *conſ.*64. *n.*3. & 11. & *conſil.*65. *n.*4. *vol.*2. in ſimili de teſtibus, quorum unus ſi deponat de poſſeſſione triginta annorum, alius de poſſeſſione viginti annorum, & alter de poſſeſſione decem annorum, utique probant de minoris temporis poſſeſſione, quia illi qui dicit de viginti, non negavit de decem, quem ſequuntur Pariſ. *conſ.*167.*n.*20. *vol.*1. Alberic. *de teſtib. c. ult. n.*16. Petr. *d. q.*12. *num.*865. & Farinac. *d.q.*74. *n.*235. & *q.*65.*n.*251. 53

Quintò, quia agitur de probatione facti antiquiſſimi, viventium memoriam excedentis, in quo propterea oblivio præſumitur. Quia teſtis circa longum annorum curſum facilè errare poteſt, Angel. *conſ.*65. *n.*4. Bero. *in cap. quoniam num.*39. *de prob.* Grammat. *deciſ.*60. *num.*9. Monticel. *de teſtib. rubr. Impugnatur teſtis, quia varius, v. teſtis ex diuturnitate,* & *v. teſtes tractu temporis,* Cæphal. *conſ.*164. *num.*5. *vol.*2. ubi quod in teſte per biennium oblivio præſumitur, Riminald. jun. *conſ.*344. *nu.*75. & *ſeqq. vol.*3. ubi pariter quod oblivio in teſte præſumitur per duos, vel tres annos, Magon. *dec. Lucen.*42. *nu.*10. ubi de teſtis oblivione per decem annos, Laur. *dec. Aven.*91. *n.*5. *propè fin.* & *ſeqq.* Petr. *d. q.*12. *n.*878. 54

Illud verò, quod adverſus teſtes opponitur, nullam ſcilicet vim fieri poſſe in eo, quod pro ratione ſui dicti adducant lectionem hiſtoricorum, & publicam vocem, & famam, & auditum, atque antiquam traditionem majorum, omninò evaneſcit. Primò, ex fide hiſtoricorum, ut ex præcedentibus reſponſionibus ſolidè firmatum eſt. Secundò, quia in factis, & materiis antiquiſſimis, viventium memoriam excedentibus frequens eſt theorica Baldi *in d. auth. quas actiones n.*17. *C. de ſacroſ. Eccleſ.* Quod nempè cùm probatio directa ſit impoſſibilis, quia nulla hominis vita eſt adeò longa, ut reddere queat cauſam ſcientiæ, ideò præſumptiva per publicam vocem, & famam ſufficiat, & ratione difficultatis obtineat locum ac vicem plenæ probationis, quam concurrentibus adminiculis, uti indubitatum, ac in jure communiter receptum, probarunt Doctores aliàs allegati, & ſæpiſsimè admiſit Rota, etiam ubi agitur de gravi præjudicio, ac de probatione rei verum hominis factum, ſeu alterius cujuſpiam certam ſcientiam exigentis ſecundùm communiorem ſententiam, quam præ cæteris ſectantur Abb. *in d. c. veniens n.*8. *de teſt.* & alii, teſtantes de magis frequenti apud Aym. *de antiq. temp. p.*1. *§. viſo n.*1. & *p.*8. *§. materia n.*41. *in fin.* & Maſcard. *de prob. p.*1. *concl.*105. *n.* 3. Potiſsimum quando fama adminiculatur aliis probationibus, ſive urgentiſsimis præſumptionibus, & conjecturis. Quia tunc in factis antiquis, & cauſis quantumvis arduis plenam probationem inducit, Barbat. *conſ.*8. *n.* 12. Aym. *d. p.*1. *viſo n.*3. & Rot. *dec.*126. *n.*3. *p.*3. *rec.* 55

Ac in ipſiſmet terminis, & cauſis beatificationum, & canonizationum, quod juxta antiquam, & aſsiduè obſervatam Eccleſiæ conſuetudinem plena probatio elicitur ex depoſitionibus teſtium de publica voce, & fama, eoque magis quando corroborantur antiqua traditione, & conſtanti teſtimonio hiſtoriarum poſt Caſtellanum, Panvinum Molpheſium, & alios ſæpiùs reſpondit Rota, & approbavit S. Rituum Congregatio in relationibus S. Raymundi *p.*1. *art.*5. & *par.*2. *art.*2. & *ſeqq.* S. Hyacinthi *c.*3. S. Leopoldi *in* 10. *fundam. §.*4. S. Andreæ Corſini *par.*4. §. 1. S. Franciſcæ Romanæ *par.*2. *art.*12. S. Ignatii *p.*2. *rubr. de charit.* S. Franciſci Xaverii *p.*2. *rubr. de Sanctit. vit. in gener. §.* & *cum verſemur,* B. Philippi Benitii *in rubr. de fact. Sanct.* B. Jacobi de Marchia *in rubr. de fam. Sanctit. §. authores.* Gregorii X. *in rubr. de ſanct. in gener. v. ſecundum ex fama,* & alias paſſim. 56

Quan-

57 Quanquam enim fama plenam probationem non faciat, quantumvis ipsa plenè, ac legitimè probata fuerit, ut expresse cautum est a Rot. *decis. 236. de præb.* Bellam. *dec. 564. & dec. 98.* Mant. *conf. 62. num. 41. & conf. 248. num. 7.* Paris. *conf. 104. vol. 1.* Bero. *conf. 193. num. 23. vol. 3.* & Bursatt. *conf. 20. num. 31.* plerique tamen asserunt, famam regulariter probare præsumptivè, *arg. cap. illud extr. de præsumpt.* Ex quo sequitur, quod fama transferat onus probandi in adversarium, ut apud Alex. *conf. 51. vol. 1. & conf. 15. in princ. vol. 5.* Alciat. *con. 6. num. 18.* Gozad. *conf. 50. num. 24.* & Natt. *conf. 460. num. 17. vol. 2.* Quodque illa æquè valeat, ac testimonium de auditu. Illud enim in casibus, in quibus non probat, facit saltem præsumptionem, & transfert onus probandi in adversarium, Archid. *in can. hoc videtur 22. quæst. 5.* Roman. *singul. 341.* Decian. *conf. 372. & conf. 595.* Tantò magis in antiquis, quia fama generaliter plenè probat in iis, in quibus aliàs probatio est difficilis secundum Bartol. *in l. siquidem, C. soluto matrim. & in l. continuus, §. Cum ita, ff. de verb. oblig.* Bald. *conf. 73. col. ult. vol.* Alex. *conf. 461. col. ultim.* Roman. *consil. 86.* & Anchar. *conf. 316. col. 2.* Nam in his rebus propter difficultatem directæ probationis, etiam admittitur probatio per conjecturas, & præsumptiones, Alex. *conf. 24. col. vol. 2.* cum multis ibi allegatis. Conjecturæ enim ad probationem rerum præteritarum in dubio plurimum possunt, etsi ad probationem futurarum tutum non sit illis fidem habere.

58 Hinc in omnibus illis casibus, quibus res conjecturis, ac præsumptionibus potest probari, potest quoque per famam, ut tradit Bart. *in l. de pupillo, §. si quis nu. 17. de nov. op. nunc.* Quia fama in obscuris magnam præbet conjecturam, itaut cæteris conjecturis præferatur, Doctores *in cap. illud, de præsumpt.* Et ubi aliunde probatio sumi non potest, fama plenè probat, Jas. *in l. cum ea num. 5. Cod. de transact.* Dec. *in cap. 1. num. 16. de appell.* Et his in casibus fama non habetur pro vano rumore, etsi aliquando talis sit juxta notata *in l. non omnes, §. a barbaris de re mil.* Monach. *de arbitr. cas. 89. num. 88. & seqq.* Quinimmò communi etiam Doctorum calculo receptum est, quod fama publica, & communis opinio in rebus antiquis, quarum difficilis est probatio, plenam fidem faciat, & pro plena scientia habeatur per textum *in l. si arbiter 28. ff. de prob. & l. 2. §. item Labeo de aq. pluv.* Glos. *in l. at quin 19. §. si cum me absente, ff. de negot. gest.* quam omnes laudant, ut singularem, Innoc. & Host. *in cap. quid pro novale, de verb. signif.* Butr. *in d. c. veniens, de test.* Bald. *conf. 104. p. 2.* ubi ait, famam in antiquis haberi pro veritate. Quippè verisimile est, quod diu in ore hominum fuit, esse verum per *d. l. arbiter*, & Menoch. *de præsumpt. lib. 1. q. 18. num. 15.* ac Bald. *conf. 73. vol. 3.* in quo præclarè item de more asserit, famam valdè antiquam, quæ transcendit hominum viventium memoriam, facere notorium, & probare in vim notorii per notata Archid. *in can. benedictum de pœnit. quæst. 7.* Innoc. *in c. Cum causam de jur. calum.* Glos. *in cap. de præscr. in 6.* Alex. *conf. 13. in princ. par. 5.* Soccin. *conf. 85. col. 2.* Roman. *cens. 424.* Corn. *conf. 48. num. 4.* Zas. *conf. 16. num. 21. & conf. 6. num. 8. lib. 2.* Et licèt Corneus contrarium tenere visus sit *conf. 304. col. 3.* hanc tamen esse communem opinionem, quod fama in antiquis, plenè probet, testantur Cravet. *de antiquit. temp. d. part. 1. num. 302.* Zas. *in l. Prætor ait, §. Prætor, n. 25. ff. de eden.* Alex. *conf. 18. col. 2.* Dec. *in cap. 1. col. 46. de appell.* Lambert. *de jurepatr. lib. 2. art. 4. quæst. 10. num. 13.* Afflict. *decis. 277.* Paris. *conf. 52. vol. 3.* Dec. *in l. ex his, C. de testam. mil.* Curt. jun. *conf. 1.* Viv. *com. opin. v. fama*, aliique plenè innumeri allegati a Tiraquello *in tr. de præscript. §. 1. glos. 4.* Quæ famæ virtus in antiquis tanta est, ut etiam instrumenta de antiquo habeant vim famæ ad probandum, ut per Doctores *in l. cum aliis de jur. delib.* Soccin. *conf. 89. col. 3. lib. 1.* Alex. *conf. 90. col. 2. lib. 6.* Cravet. *conf. 54. num. 10. & conf. 258. num. 17.* Quod verum est, etiamsi agatur de re magna, & gravi præjudicio, ut ibidem docet Cravetta, & firmavit Rota *cit. dec. 353. num. 23. par. 5. rec. & dec. 718. num. 2. part. 4. div.*

59 Neque dubitari potest de optima indole publicæ, ac indubitatæ vocis, & famæ in his materiis. Nam in processibus remissorialibus testes deponentes non solùm pro causa scientiæ sui dicti solent adducere publicam vocem, & famam, verum etiam juxta quadragesimam interrogatorium deponunt de quidditate, ortu, causis, proprietatibus, cæterisque omnibus publicæ vocis, & famæ requisitis juxta formam novissimorum decretorum in decimoquarto interrogatorio *pagin.* 49. approbante sententiam Bartoli *in l. de minore, §. plurimum, ff. de qu.*

Ex quibus conficitur, quod junctis etiam traditione, 60
ac testimonio historicorum, aliisque probationibus, &
adminiculis superius ponderatis ratio publicæ vocis, &
famæ evehitur ad plenum probationis gradum in factis
antiquis constituendum. Etsi enim historia non ad probandum, sed ad narrandum scribatur, aliquid tamen sine dubio probat, interdum probabiliter solùm, interdum verò necessariò.

Tandem licèt admitti possit post decreta Urbani VIII. 61
causas canonizationis Sanctorum factas esse judiciales,
ac per consequens non sequamur sententiam communissimam apud omnes scriptores de hac materia, jugiter a Rota in omnibus relationibus laudatam, probationes de æquo ac bono esse examinandas pro salvandis necessibus; & testificantibus, ut legitur apud Panvin. *in relat. S. Bonaventuræ par. 2. art. 10.* Simonetam *in relat. Sancti Franciſci de Paula circa fin. §. sed omisso*, Rota *in relat. S. Raymundi part. 1. art. 1. §. quia ista doctrina*, S. Hiacinthi *§. sed levem*, S. Andreæ Corsini *par. 3. §. 3.* B. Pii V. *par. 1. §. Præter hæc dicebamus*, idque per decisionem 611. Bellameræ, quam sequitur Castellan. *de canon. Sanct. qu. 7.* & Pavin. *loc. cit.* aliique frequenter, sed credamus probationes debere esse juridicas, & concludentes.

Nihilominus probationes ejusmodi non debent esse de- 62
monstrativæ, neque analethicæ, sed tales quales conveniunt materiis permixtis fidei, ut egregiè docet Thomas Evaldensis, author pius ac eruditus de fide catholica, teste Martino V. optimè meritus, in opere quod inscripsit *de Sacram. tom. 3. tit. 14. cap. 122. num. 5.* ubi inter cætera adducit illud Ambrosii *de fid. resurrect. circa med. Quorum vitam nescimus, horum mortem celebramus.* Et explicans illud *nescimus*, dicit, *hoc est scire fidelium, hæc scientia non ex principiis posteriorum demonstratur, quia teste Apostolo, non est scientia hujus sæculi, sed scientia fidei, secundùm quam*, inquit, *judicatur in his causis canonizationis*. Loquitur enim de actu canonizationis, non de præparatoriis. Quoniam licèt ad canonizationem concurrere debeant probationes per actorem, reum, ac testes ad similitudinem divini judicii, ut optimè Origenes *in epist. 2. ad Roman.* attamen actus canonizationis non dependet præcisè ex illis probationibus, sed magis ex instinctu Spiritus sancti, ut docet D. Thom. *quod lib. 9. art. 16. ad 1.* quem amplectitur Turrecrem. *de Eccles. qu. 51. num. 75. & de consecr. d. 3. can. 1. num. 22.* Catherin. *de cert. Sanct. glor. lib. 1.* Bannes *in 2. 2. quæst. 1. art. 10. dub. 7.* Bellarm. *de Sanct. beatitud. lib. 1. cap. 9.* & alii communiter. Et propterea quamvis causæ istæ cum diligentia sit tractandæ, & tali, quali cæteræ causæ tractantur *in cap. venerabilis de testib.* immò etiam cum majori, ut ibi Glossa declarat, cum sint gravissimæ, & de majoribus ex eadem Glossa *in cap. un. de reliq. & vener. Sanct. in 6.* probationes tamen debent esse morales, & tales, quæ sufficiant ad instructionem Summi Pontificis, & non committantur abusus, ad quos solos tollendum emanarunt Constitutiones *in tit. de reliq. & vener. Sanct.* relatæ, & decreta Urbani VIII. ut ex eorum principio, ac *fol. 9.* passimque apparet. Ex quibus probationibus motus Pontifex prudenti modo procedit in iis, quæ pertinent ad regimen universalis Ecclesiæ, quia adhibet quæ ad talem determinationem sunt ex natura rei necessaria, nempe probationes obliquas, quæ est natura rei in antiquis sufficiunt, ac proinde cum assistentia Spiritus sancti, qui assistit actionibus prudenter factis, tanquam bonis.

CONSULTATIO XLII.

An asitia, hoc est inedia ab omni cibo, & potu spatio plurium dierum, mensium, & annorum verè dici possit supernaturalis, & miraculosa? Et quid de abstinentia a solo potu?

QUoad primum negat Fortunius Licetus in ope- 1
re, cui titulus de his, qui diu vivunt sine alimento *lib. 2. cap. 172.* a quo ferè acceperunt recentes authores ea, quæ de hac ipsa re tradiderunt, nominatim Michael Angelus Lapies epistola ad Abbatem Michaelem Justinianum. Nos verò proferemus ordine singula, quæ ipse Licetus pro se adducit, & sua, & aliena, sicque disputabimus, ut ejus non solùm argumenta confutemus, sed etiam christianam confirmemus Religionem. Postquam autem solidis argumentis negavit Licetus diuturnum jejunium cum abstinentia ab omni cibo, & potu adscribendum esse miraculo; nam cum id prædicetur etiam de ethnicis, idolorum cultui deditis, quales erant incolæ Livoniæ in ulteriori Sarmatia apud Cetisium, aut de nulla sanctitate præditis, terreniſque

potius

potius voluptatibus addictis, veluti puella pedemontanæ, quæ abstinens Genuæ choreas ducere, & canere ad citharam consueverat, ac inverisimile sit, Deum talibus tàm grande privilegium indulsisse, quod primis hominum parentibus denegavit, indicendo illis, ut unà cum posteris in sudore vultus sui vescerentur pane, neque concessit Danieli posito in lacu Leonum, cui cibaria misit per Angelum, neque Eliæ transfugæ ob minas Reginæ Jezabelis, neque D. Paulo primo Eremitæ, aliisque magna sanctitate præstantibus, quibus panem, aliosve cibos cœlitus per corvos, aut aliunde, sed alio modo providit ad vitam sustinendam; cùm tamen eosdem sine cibo incolumes admirabiliùs servare potuisset, subdit, cæterum neque ut affirmem omnes, qui eximia sanctitate clari diu absque alimentis incolumem vitam egere supra naturæ legis miraculosum sustinuisse jejunium, unde illud efficit exemplum Nicolai Helvetii Undemaldensis, qui post susceptos ex conjuge liberos, ad solitudinem profectus, ibique annos quindecim moratus in jejunio tali, tantaque sanctitate excelluit, ut divino spiritu afflatus futura prædiceret. Nam suæ abstinentiæ causam esse naturalem, non autem miraculosam tum ipse idem asseverabat, quam tàm diro mendacio Dei summi potestatem, ab benignitatem immensam in hac re occultare nefas esse putarem, ac piaculum grande, cum sancti viri, ac timentes Deum vel magis mortem horreant levissima crimina. Tum apertè satis indicavit dolor ille stomachi triduanus, quo laboravit acriter ab assumpto parvo cibo, quem renuens deglutivit coactus sub imperio sanctæ obedientiæ a Suffraganeo Episcopi Constantiensis, cujus in diœcesis vitam agebat.

2 Neque enim verisimile est sanctum hominem Dei omnipotentis gratia peculiari sine cibo, potuque diuturnam vitam ducentem, stomacho eam morbosam affectionem contraxisse, ob quam ab ingesto quomodocunque alimento doloribus conflictaretur, cum ex adverso probabile sit iis, qui divino favore diu ab alimentorum usu queunt abstinere, nihil pati viscera, vel stomachum, sed benè posse cibaria sustinere, quod Christo Domino contigit, qui post quadragesimale jejunium, benè toleravit alimenta, sibi ab Angelis ministrata. Potius asserendum est, vi naturali probum hominem hunc Helvetium ab omni eduliorum genere abstinentem in stomacho, qui tandiu nullo humore fuit irrigatus eam siccitatem contraxisse, ob quam conglobatus, & constrictus corrugatis, conniventibusque in seipsas ventriculi tunicis dolorosam pateretur quamlibet sui distensionem, ac dilatationem ab ingrediente alimento.

3 Quod caput hisce verbis concludit. *Ulterius autem plerique eorum in tanto jejunio languidi observati fuere, qui ad usum ciborum revertentes, iterum sani, & robusti evasere, ut puella Tusca, & aliæ multæ. Non ergo supra naturæ vires divinum, ac miraculosum extitit eorum jejunium. Quippè nefas est miracula esse imperfecta, & aliqua morborum labe inquinata. Quamobrem licèt fieri valeat, ut divina virtute homines diu ab omni alimento abstineant, id tamen asserendum non est, quotquot hucusque jejunasse observatum est, eos omnes supra naturæ fastigium miraculoso jejunio claruisse. Nam secus vererer mihi objici posse illud Lucretianum.*

Quorum operum causas nulla ratione videre
Possunt, hæc fieri divino Numine rentur.

4 Eademque strictim repetit *d. lib. 2. cap.* 175. addens ad rem: *Præterea illud etiam mihi verisimilius esse videtur, Deum optimum, quos gratuito, ac nobiliori favore cumulare voluerit, ut non indigeant cibis nostratibus, illis apertè alimenta meliora divinitus suggerere, quo ipsi enim advertentes se a Deo sic enutriri, ejus hanc peculiarem erga se ipsos beneficentiam agnoscentes, quod divino favori tribuendum est, naturalibus causis non adscriberent, quod efficere consuevisse Nicolaum Helvetium supra notavimus. Constantissimè namque diuturni sui jejunii causam naturalem esse asseverabat, non divinam, aut angelicam.*

5 Et sanè validissimum est utrumque Liceti argumentum ad evincendum, jejunium non esse miraculosum. Primum quidem quod ipsimet jejunantes asserunt suæ abstinentiæ causam esse naturalem, non miraculosam. Quod antea dixerat Baptista Fulgos. *lib. 1. cap. 6. de miracul. in rubr. de his, qui sine cibo vixerunt*, & Andreas Eborensis *tom. 2. tit. de miracul.* Alterum quod dolor stomachi, quem patiuntur ob modicum cibum assumptum, arguit illorum abstinentiam non esse miraculosam, cùm opus miraculosum debeat esse undequaque perfectum, ut inquiunt relati a Paulo Zachia *in qu. medico-leg. lib. 4. qu. 3. num.* 10.

6 Et quod diuturna abstinentia a cibo, & potu naturaliter dari possit sine miraculo exemplis, & authoritate probatur. Etenim plura exempla eorum, qui diù vixerunt absque ullis alimentis post antiquiores enumerantur Fulgos. *fact. memor. lib. 1. cap. 6. de miracul. in dict. rubr. Eborensis exempl. memorab. in tit. præcit.* Cœlius Rhodign. *antiq. lect. lib. 13. cap.* 24. Fortun. Licet. *loc. alleg. lib. 1. ex cap. 1. usque ad* 15. a pluribus diebus prosiliens ad menses, & mox ad annos, Marin. Delrio *disq. magic. lib 2. quæst.* 21. Ravis. Textor. *in offic. tit. de sobriet. & temper.* Laurent. Imbert. *decad. 1. paradox. 2.* Kirman. *de miracul. vivor. tit. de jejun.* Jo: Lang. *epist. medic. lib. 2. ep.* 28. Marcel. Donat. *histor. med. mirab. lib. 4.* Georg. Hont. *ejusdem histor. lib. 7. cap. 1.* Lilius Girald. *dialog.* 17. Marsil. Cagnat. *de sanit. tuend. lib. 1. cap. 5.* Daniel Sennert. *tom. 2. medic. pract. lib. 3. par. 1. sect. 2. cap. 2.* Jo: Schenk *obser. medic. lib. 3. tit. de asit.* Paulus Zacch. *quæst. medico-leg. 7. num. 9. & 12. lib. 4. tit. 1.* Jul. Cæs. Benedict. *epist. medic. lib. 7. epist. 1.* Quercetan. *in die tetic. sect. 2. cap. 4. Theatr. vit. hum. impressum Lugd. tom. 1. vers. abstinentia, tom. 3. v. Eucharistia, tit. beneficia temporalia*, & Uden. Nisielius *in progymn. poetic. vol. 4. progymn. 59.* aliique apud ipsum.

Prætermissis autem iis, qui ultra septimum diem, præ- 7
finitum ab Hippocrate *lib. de carnib. in fin.* ac ultra undecimum protensum a Plinio *hist. natur. lib. 11. cap.* 54. per plures dies, ac menses incolumes vixerunt absque ullo cibo, & potu, inter quos ex sacra Pagina recensetur quadragenarium Salvatoris nostri jejunium in deserto, narratum Matth. *c.* 4. Marc. *c. 1.* & Luc. *c.* 4. ac duplex Moysis in monte Sinai tàm prima vice *Exod. c.* 24. *in fine*, quàm secunda, tempore, quo tabulas legis accepit a Deo *cap.* 34. Quibus subnecti potest celebris abstinentia Simonis Stylitæ, qui trabe alligata columnæ funibus illi annexus quadraginta dies jejunus permansit, ut Theodoretus ait *in hist. relig.* Ludovici Pii Imperatoris per quadraginta dies ante obitum, & Catharinæ Senensis aliquot quadragesimis, ab istis tamen quotidie sumpta Sanctissima Eucharistia, sicut de Ludovico asserunt Cugnatus *d. lib. 1. cap. 5.* ac de altera Pius II. in Bulla canoniz. ac Surius ad diem 29. Aprilis, atque è Græcis Pythagora, quem Diogenes ex Dicearco testatur quadragesimum diem sustinuisse absque alimento, quinquemestris populorum Livoniæ in Sarmatia a mense Novembris usque in finem Aprilis, teste Francisco Citesio *in opusc. de abstinente*, sesquianni puellæ Conflanensis, ut de visu testatur. Quercetanus loco allegato, octimestris mulieris Patavinæ ex Alexandro Vigontio medico, plurium mensium Abbatis Scythæ, qui testimonio Heroditi ab Hiperboreis Legatus Athenas veniens ad suos rediit nil comedens, immò addunt sagittam per universum circumferentem nihil gustasse, Pontanus, Ravisius, & alii, de quibus Licetus *d. lib. 1. cap.* 14. & Jul. Cæs. Benedict. *d. ep.* Septidecimi mensis Mariæ puellæ Tuscæ ex rusticis parentibus ortæ in agro Lunensi Pisis observata a Liceto; biennalis Jacobi Belli amanuensis in Urbe sub Pontificatu Eugenii IV. & Nicolai V. relata a Pogio, Bulgosio, & Eborensi locis allegatis, triennalis Joanne ad Confluentem, quam Franc. Citesius evulgavit eodem opusculo, ac literis ad M. Vidard. regium Cognitorem in præsidiali Curia Pictonum, alterius puellæ, quæ citra cibum, & potum supra triennium vixerat, de qua idem Quercetanus *ibid.* Quadriennalis puellæ Spirensis nomine Rodi, de qua Simon Portius *in opusc.* dicato Paulo III. Jo: Langius *d. ep.* 27. Licetus *d. lib. 1. cap.* 11. Georg. Hont. *d. lib. 7.* Marc. Donat. *d. cap. 1.* Paul. Zacch. *d. quæst. 7. num.* 13. & plerique alii. Septennis Columbæ Reatinæ, quam alii Palumbam Interamnensem appellat recognita Perusiæ ab Innocentio III. testibus Fulgosio, & Eborensi iisdem in locis, & Catherinæ Victoris Rusticani filiæ, quam septem annis sine cibo, & potu, vixisse, bis medicos jussu Joannis Casimiri Comitis Palatini, semel 24. Novembris 1584. ac iterum 14. Aprilis 1588. recognovisse, testantur Henricus Smetius *miscel. lib.* 10. Sennert. *dict. cap. 2.* Jacob. Zunger. *in epist. obser.* 53. *cent.* 5. Licetus *d. lib. 1. cap.* 12. Jul. Cæs. Benedict. *dict. ep. 1.* & Paul. Zacch. *d. quæst. 7. num.* 17. asserentes, typis de hoc editam fuisse historiam.

Omissis quoque avia, seu amita Timonis, quam Plu- 8
tarchus in *sympos. lib. 8. cap. 9.* & Athen. *in dipnosph. lib. 2. cap.* 147. dixerunt quotannis ursarum more in speluncis Ciliciæ absque ullo alimento semianimem delituisse per tempus bimestre, ut sola respiratione vivere dignosceretur, Epimenide Cretensi, quem missum a patre ad ovium custodiam, cùm propter æstum meridianum divertisset in speciem, somno captum inquiunt, obdormisse annos quadraginta, Pausanias, quadraginta septem Eridemius, quinquaginta septem Laertius, & septua-

ptuagintaseptem Giraldus, ac iis etiam, quos Aristoteles *phys.* 1. *text.* 97. narravit sua tempestate in Sardos apud Heroas, quam historiam tusiùs explicat Simplicius ex Alexandro, inquiens esse novem filios susceptos ab Hercule ex filiabus Thertiæ, qui apud Sacerdotes longissimo somno integris corporibus permanebant, eamque prosequuti sunt Themistius & Averroes; septem quoque dormientibus apud Ephesios in Asia, quos Surius, & alii asseverant Decio imperante ob sævissimi tyranni metum confugisse in antrum, ibique sine alimentotum usu dormivisse usque ad tempora Theodosii secundi somno simul, ac jejunio traductis in annum ducentesimum, ac persimilibus septem, vel quinque Romanorum Christianorum more vestitis dormientibus in antro penes ultimas regiones Germaniæ apud Aquilonem in ora maris Oceani, quorum meminit Paulus Diaconus *hist. Longobard. lib.* 1. *sub init.* Olaus Magnus *histor. Septentrion. lib.* 1. & Method. *dialog.* 2. *de pact. histor.* His, inquam, & similibus prætermissis, eorum duntaxat, qui longo, & longissimo tempore vigiles, & incolumes ab omni cibo, & potu abstinentes fuerunt, exempla sunt.

9 Primum relatum ab Olympiodoro Platonico, dicente, Aristotelem vidisse hominem, qui permanendo in solo nunquam manducavit, neque dormivit, de quo Marsilius Fainus *in arg. ad Platon. lib.* 29. inscriptum *Phedro*, vel *de anima*, Cæl. Rodig. *lib.* 23. *cap.* 21. Fulgos. *loc. cit.* Eborens. *ibid.* & Licet. *dict. lib.* 1. *cap.* 14. *sub fine*.

10 Secundum puellæ, quam se vidisse inquit Gulielmus Rondelit. *de piscib. cap.* 13. ex eoque repetit Licet. *eod. in loc.* testantes nullo præter aerem cibo ad decimum ætatis annum perveniisse, & grandiorem nupsisse, prole suscepta.

11 Tertium puellæ, quam Popius se legisse ait tempore Lotharii Imperatoris a cibo abstinentem, dixisse annis duodecim, sicut ex Pogio refert Licet. *dict. lib.* 1. *cap.* 11. *in fine*, ejusdemque rei tanquam memoriæ traditæ in annalibus sub dicto Lothario, ac Paschali Summo Pontifice meminit etiam Joannes Langius *d. ep.* 27. *propè finem*.

12 Quartum mulieris juvenis in Normandia, quam per decem, & octo annos non comedisse inquiunt Petrus Apponensis *in com. ad probl. Aristot. prob. ult. sect.* 10. Licet. *d. lib.* 1. *cap.* 13. Sennert. *d. cap.* 2. & Jul. Cæs. Benedict. *d. ep.* 1.

13 Quintum puellæ Anglicanæ, quam pariter viginti annis nihil comedisse scripserunt Roger. Baccon. relatus a Mart. del Rio *d. qu.* 21. Licet. *d. c.* 13. Sennert. *d. c.* 2. & Benedict. *d. ep.* 1.

14 Sextum Evæ Flegen, mulier Massensis, quam ultra annos vigintinovem sine cibo vixisse, edita narratione publicum fecit Gulielm. Fabr. *centur.* 5. *observ.* 35. & ab illo mutuati sunt Sennert. *dict. cap.* 2. & Benedict. *d. ep.* 1.

15 Septimum mulieris Germanæ, quam triginta annis sub omnimoda inedia vitam traduxisse memorant Jo: Boccac. Jo: Lang. *d. epist.* 27. Licet. *d. cap.* 23. Sennert. *d. cap.* 2. & Benedict. *d. ep.* 1. Petrarch. *in rer. memor. lib.* 4. *cap.* 9. Lel. Biscol. *in hor. subsec. tom.* 1. *lib.* 16. *cap.* 2. & Girald. *dial.* 17.

16 Octavum alterius mulieris in Normandia, quæ spatio annorum triginta sex nihil alimenti sumpsit, & pro libitu sanguinem è naribus, ac ore effluere faciebat, asserente Petro Appon. *in suo Concilio diff.* 112. *ad fin.* quem de hoc certiorem fecit Jo: Corceus, quod pariter affirmat Licet. *dict. lib.* 1. *cap.* 13. & Sennert. *dict. cap.* 2. Paul. Zacch. *dict. quæst.* 7. *numer.* 20. ac Benedict. *dict. epist.* 1.

17 Nonum Sacerdotis, quem sola aeris inspiratione quadraginta annis Romæ vixisse ferunt, atque Leoni X. justu diligenter custoditum, illius jejunium absque ulla fraude compertum fuisse, Hermol. Barbat. *in sua histor.* Imbert. *decad.* 1. *parad.* 2. Rondelet. *de piscib. d. cap.* 13. Licet. *d. lib.* 1. *cap.* 13. Schenk *d. titul. de asyt. obs.* 1. Sennert. *d. cap.* 2. & Benedict. *d. ep.* 1.

18 Authoritates verò uberrimè suppetunt apud Licet. *d. tract. lib.* 1. *per totum*. Nam post exempla allata *lib.* 1. proposuit, ac mox discussit *lib.* 2. viginti septem opiniones diversorum super causis, ad quas censuerunt referendum diuturnam abstinentiam a cibo & potu, quarum singulas referre non gravabor.

19 Primam nempè Argentorii *in com. ad aphorism. Hippocr. tom.* 2. *aphor.* 1. Rondeletii *de piscib. cap.* 12. Vidi senioris 2. *de cur. gener. cap* 7. Laurentii *anathom. cap.* 15. & aliorum apud Conciliatorem *dist.* 155. existimantium, abstinentes nutriti aere inspirato.

20 Secundam Augerii *epist. med. lib.* 2. *epist.* 3. & Manardi *eod. tit. lib.* 6. *ep.* 18. putantium ali odoribus, & exhalatione aerem obsidente.

Tertiam Joannis Costæi *in disquis. physiolog. lib.* 4. *cap.* 1. & 2. *ac de pot. in morb. lib.* 1. *cap.* 15. contendentis vivere ex simplicis aquæ potu. 21

Quartam Bonamici *de motu cap.* 24. & fusiùs *de alim. cap.* 21. asserentis, posse nutriri aqua ob innati caloris summam imbecillitatem. 22

Quintam clarissimi viri, dicentis ali terra clandestinè comesa. 23

Sextam insignis medici credentis abstinentes a cibo alimentum sibi comparasse usu potionis vini. 24

Septimam innixam theoricæ Alberti Magni *de matrimon. & nutrit. tract.* 1. *cap.* 4. *ac lib.* 4. *de animal. tract.* 3. *cap.* 3. decernentis, abstinentes ali pituita, & crudioribus succis, qui actione caloris vertuntur in probum alimentum, quam declarando sequuti sunt Imbertus, Citesius, Portius, Conciliator, Battarinus, & alii. 25

Octavam Cardani *de subtil. cap.* 9. hujusmodi abstinentiam referentis in copiam humoris melancholici ex lentis, & crassis humoribus exorti, quam exemplificat in Nicolao Helvetio. 26

Nonam præfati Bonamici *de alim. lib.* 1. *cap.* 5. *cum duobus seqq.* 12. & 39. *ac lib.* 3. *cap.* 50. & 58. affirmantis, ejusmodi abstinentes nutriri colliquamentis partium internarum. 27

Decimam affirmantium dictos abstinentes ali menstrui sanguinis potione in ipsis recondita ab utero materno. 28

Undecimam Brasavolæ *de rat. vict. in acut. com.* 44. statuentis fabulosum, ac fictitium esse quidquid circumfertur de abstinentia plurium mensium, & annorum. 29

Duodecimam, ac decimam tertiam Harvecti insignis medici, alteram, qua tàm diuturnam abstinentiam fraudulenter simulari dixit pluribus exemplis superiùs allatis. Alteram, qua censuit, ejusmodi jejunium a supernaturali causa prodire, & miraculosum esse in viris piis. 30

Decimamquartam Diogenis Laertiis, ac Demetrii agendum de abstinentia Epimenidis Cretensis, quem dixerunt a Nymphis accepisse cibum, cui sententiæ adhærent, dicentes, quod ita jejunantes cœlitus alantur ab Angelis aliquo cibo pretiosissimo. 31

Decimamquintam negantium esse corpora viva, sed cadavera a dæmonibus assumpta. 32

Decimamsextam Jamblici philosophi Platonici *lib. de myster. Ægypt. capit.* 4. & 25. admittentis quidem esse hominem, verum dæmoniacam vitam, non humanam eos vivere. 33

Decimamseptimam Cornelii Celsi *lib.* 3. *cap.* 4. Apponensis *lib.* 5. *probl.* 22. & *lib.* 10. *probl.* 9. ac Rogerii Bacconi hujus diuturnæ abstinentiæ causam referentium in virtutes astrorum, quas alii vocant peculiares influentias, a quibus pendent conversio Magnetis ad polum, maris æstus, ac frigiditas in hæc inferiora. 34

Decimamoctavam eorum, qui longioris abstinentiæ causam referendam esse inquiunt in sympathiam constitutionis corporis humani cum aere, & antipathiam cum cibis. 35

Decimamnonam proclamantium abstinere a cibis tempore diuturno esse qualitatem individualem. Nam ad manifestas omnia deducere qualitates, summa impudentia est. Id, quod Alexander multa, & frustra conati sunt, & temerè instituerunt. Venenorum namque multa diversas habent ab elemontorum qualitatibus proprietates, quæ omninò latent animos temperatos, illudunt curiosis. Iidemque isti, qui sese putant cuncta ad certas causas reducere manifestas, tandem huc se devolvunt, ut dicant in oculis hominis, & catoblepæ esse principia contraria, & tamen irridet illi salutare asylum illud occultæ proprietatis. 36

Vigesimam Abulensis *in Genuens. cap.* 13. *qu.* 400. & Priadoæ *l.* 3. *cap.* 46. dictæ abstinentiæ originem tribuentis extasi, quasi animæ jejunantium alienatæ a corpore non obeant munera consueta. 37

Vigesimamprimam Joannis Posthii *in paradox.* asserentis animam illorum, qui diù ab alimento abstinent per cataphoram, & intentiorem somnum vacare a propriis officiis. 38

Vigesimamsecundam Benedicti *lib.* 12. *cap.* 10. Montici, & Mercurialis *lib.* 6. *var. cap.* 12. dicentium, causam longioris jejunii esse constrictionem cutis, & occlusionem pororum, non permittentes quidquam è corpore defluere. 39

Vigesimamtertiam Franciscí Citesii *in opus.* quod inscripsit *de abstinentia puellæ Constuentanæ*, tradentis causam esse constitutionem sive compressionem viscerum nihil nutrimenti admittentium. 40

Vige-

41 Vigeſimamquartam Joannis Langii, approbatam ab eodem Citeſio dum putat hoc jejunium pendere a morbo, nimirum a tabe jecoris, ac ſtupore ventriculi, & omninò ab atrophia.

42 Vigeſimamquintam Joſephi Quercetani *in diætet.* diuturni jejunii puellæ Conſtanenſis *ſect. 2. capit. 4.* hujus abſtinentiæ cauſam referentis in purificationem partium imi ventris, & nutricatum aliarum ex aere, & odoribus.

43 Vigeſimamſextam aſſeverantium abſtinentes a cibo, ac potu vivere virtute alicujus herbæ, aut medicamenti pellentis famem, ac ſitim.

44 Vigeſimamſeptimam Valeriolæ *lib. 1. de loc. homin. capit. 2.* totum adſcribentis puræ conſuetudini.

45 Vigeſimaoctava eſt noſtra, attribuens id vehementi contemplationi. Anima namque per ſuperiores actiones veluti abſorta impeditur, ne alias actiones inferiores expeditè exercere queat.

46 Quibus propoſitis, & ſingillatim diſcuſſis, ac improbatis, latiſſimè probat idem Licetus integro *lib. 3.* tàm diuturnam abſtinentiam naturaliter fieri poſſe, nec perneceſſe dicendum eſſe, quod ſit opus miraculoſum, plura in primis præmittendo ad firmandum hujuſmodi axioma, mox ſtatuendo ex *cap. 18. uſque ad* 22. homines poſſe intermittere functionem ſe alendi, & nutriendi habita ratione animæ, corporis, caloris vitæ, ſeu viventis totius ipſiuſmet nutricationis humoris ſubditi calori, ac ſpirituum.

47 Ac ſucceſſivè hujus ſuæ ſententiæ fundamenta confirmat è *cap. 33. ad 39.* pluribus textibus Ariſtotelis, Hippocratis, Galeni, Avicennæ, Cornelii Celſi, Chriſtophori Marcelli de anima, & Laurentii *in hiſt. anathom.* in locis ab ipſo relatis, ex quibus conſtanter aſſerit *cap. 40.* homines naturaliter poſſe vivere otioſos, & vacantes a munere ſeſe nutriendi, adeòut cauſa formalis tàm diuturni jejunii ſit ipſa abſtinentia ab alimento externo, & interno cum voluntaria intermiſſione nutricationis. Et *cap. 41.* loquens de cauſa effectrice, cujus ideam eſſe inquit otium ab officio nutriendi pluribus ſequentibus capitibus probat, hanc eſſe æqualitatem caloris nativi, & humidi radicalis, ac proportionem eorundem ad invicem, concludendo *cap. 59.* iſtam æqualitatem, ac proportionem caloris nutritivi ac humidi radicalis ſtatui poſſe cauſas naturalis abſtinentiæ a cibo, & potu, cùm ceſſante prædominio unius in alterum, & conſequenter diſſipatione humidi primogenii, non ſit opus reparatione partis diſſipatæ, quod argumentum confirmando proſequitur aliis capitibus.

48 Et quia *cap. 63.* tria genera dictæ proportionis conſtituit, primum, in quo exilis calor pauco, tenuique humori aſſociatur ad mediocritatem accedenti, nulliuſque viſciditatis participi, quod propter diſparitatem activitatis, etiamſi pari mentura junguntur ad ſenſum ubique tamen caloris vigor excedet virtutem humoris. Secundum, in quo proportio conſiſtit in ipſa ſocietate moderati caloris, & humoris paulò mediocritatem ſuperantis copia, & conſiſtentia, quibus nonnihil viſciditatis conjunctum ſit, atque adeò caloris mediocris ad longam temporis intercapedinem reſiſtere potuit humor hic cum levi, & lenta jactura propriæ ſubſtantiæ. Tertium quando calor ingens habet adjunctum humorem plurimum craſſiſſimum, quantum viventis natura, & ſanitatis latitudo ferrè poſſit. Conſideravitque *cap. 65.* non difficile eſſe in abſtinentibus, qui præter vegetales operationes, probè funguntur omnibus officiis vitæ tum ſentientis tum rationalis, & proportionis virium, caloris, & humoris primogenii, ut calori valido ad prædicta omnia peragenda coæqualis ſit humor plurimus denſiſſimus, ac lentiſſimus intra circum valetudinis, ideò ibidem circa finem dixit in Nicolao Helvetio fuiſſe ſecundum genus dictæ æqualitatis, & proportionis.

49 Cùmque adverſus hanc Liceti opinionem ſcripſerit Stephanus Rodericus Caſtrenſis Luſitanus *lib. de alim. ſect. 1. qu. 12.* ipſe Licetus, novo libello edito, quem inſcripſit *de feriis altricis animæ*, vigintiquatuor diſputationibus abſoluto, illam a ſingulis objectionibus vindicare, pleniſſimè confirmare conatus fuit.

50 Verùm quod ad rem noſtram attinet, nec Rodericus, neque alii negarunt, diuturnam abſtinentiam naturaliter dari ſine miraculo, quamvis invicem altercati ſint, neque conveniant in cauſas illius. Hoc enim ultrò fatetur etiam Daniel Sennertus *d. cap. 2.* licèt ſexdecim opiniones diverſas ſtrictius, quàm Licetus recenſeat ſuper cauſis nil obſtante, quod in ſecunda confugientium ad miraculum nominet abſtinentiam præfati Nicolai, cum ibi ſubdat, non ſtatim recurrendum eſſe ad cauſam ſupernam, dum ethnicos, alioſque non præmerentes hoc ſupernaturale beneficium a Deo, diù vixiſſe conſtet ſine alimento, ubi propterea dixit, hujus diuturnæ abſtinentiæ cauſam eſſe eam proportionem humidi ad calorem, ut illud ab hoc nonniſi longo tempore abſumi poſſit.

Neque ex eo, quod Paulus Zacchias non ſubſcripſerit ſententiæ Liceti, immò pluribus illam impugnaverit è *num. 25. ad 56.* dici poteſt, non agnoviſſe veritatem concluſionis, quod longum jejunium toleratum non ſolùm ad plures dies, ac menſes, ſed annos quoque nihil in ſe miraculoſi contineat, ſed rari duntaxat, dum illa expreſſit *num. 57.* ſubdens *num. 59.* qualitatem miraculoſam poſſe duntaxat admitti in illis Servis Dei, de quibus tale quid prædicatur, quod Sanctæ Romanæ Eccleſiæ acceptum, ac probatum, & pro miraculo canonizatum fuerit. 51

Admiſitque pariter in hac re cauſam naturalem Julius Cæſar Benedictus *d. ep. 1.* licèt ſub compendio relatis aliorum ſententiis, neque Liceti, neque Sennerti placitum probaverit, ſed circa finem dixerit, ſibi magis arridere opinionem Imberti aſſerentis, id pendere ex frigido corpore, & humore craſſo, & glutinoſo, atque ex calori parvitate, & corporis conſtrictione. Quæ fuit etiam opinio Pomponatii *in 4. methor. Ariſtotel. dub. 62.* 52

Itaque, eſto, illæſa veritate, Licetum non attigiſſe ſignum in erudienda è tot placitis vera ſententia naturalis, ad rem tamen ſatis ſuperque eſt, demonſtraſſe non eſse qualitatem miraculoſam in hujuſmodi diuturnis abſtinentiis, ſed eſse naturæ adſcribendum, & quod omnes fatentur non ſemper hoc a miraculo pendere. Ex quibus corruere videntur quæ adduci poſſunt pro aſtruendo miraculo, cùm illud minimè evincant perneceſſe, & in dubio eligenda ſit ea pars, quæ non diſcedit a natura. 53

Neque prætermittendum arbitror, quod ejuſmodi jejunantes poſſint ſufficiens nutrimentum ſumere ex ſuccis radicum, quos ipſa tellus ſponte ſubminiſtrat. Non enim poteſt controverti, quin radices, & herbæ ſufficientem nutritionem hominibus præſtent, cùm memoriæ proditum ſit, viros, qui ob ſummam pietatem ac religionem olim ſeſe in loca deſerta conferebant, herbis, & radicibus duntaxat veſci conſueviſſe, teſte eodem Liceto *de fer. altric. anim. diſp. 5. pag. 52. & ſequenti.* Quin etiam Diodorus Siculus *lib. 1. cap. 4.* aſſeruit priſcis Ægyptiis victum præbuiſſe herbas paluſtres, caules, & radices, quas guſtu experti comprobaſſent, addens *lib. 3. cap. 3.* Rhirophagos habitantes in Æthyopia juxta flumen Aſopum veſci radicibus arundinum, quas è locis propinquis effodiunt lapidibus terentes, donec molles effectæ cohærent, & manu coactas in modum lateris ad ſolem decoquentes, exemplaque Sacræ Paginæ de Nabuchodonoſor Rege apud Danielem *cap. 4.* qui ejectus ab hominibus ſeptem annis habitavit cum beſtiis, fœnumque inſtar bovis comedit, ac Juda Machabeo cum ſociis, qui ob perſequutionem Antiochi ſeceſſerunt in locum deſertum cibo fœni veſcentes, ut legitur *Machab. lib. 2. cap. 5.* Unde Licetus *in cit. opere de his, qui diu vivunt ſine alim. lib. 4. cap. 6. poſt med.* dixit, non eſse ſtrictè intelligenda de fœno, prout eſt herba ſicca, cui non ineſt ſuccus hominibus alendis juxta tradita per Rebuffum, & alios *in leg. pratum 31. ff. de verb. ſignif.* quod Galenus *lib. 2. cap. 2.* inquit eſſe proprium alimentum a natura præſcriptum jumentis, de quo etiam intellexit Ulpianus *in leg. 3. §. ſimili modo, ff. de pœn. leg.* dicendo jumentorum cibaria penu contineri, cùm Plutarcus in opuſculo adverſus Colotem exclamet, cibis nos veſci, non fœno; ſed latiori vocabulo, prout eſt herba cruda, & virens, quæ multiplici genere poteſt hominibus etiam alimentum ſuppeditare, quoniam, ut dixi, multos novimus in eremis ea victitantes, & quidem incolumes. 54

Immò nec herbas, quæ famem depellant in rerum natura defuiſſe conſtat. Nam de halenio herba non diſſimili damaſonio paluſtri, quam Matthiolus apud Dioſcoridem *lib. 1. cap. 3.* ait, naſci in Creta mirabilis effectus, quod ea tantùm admorſa, fames arceatur. Quapropter Joannes Langius *ep. med. 27. lib. 2.* & Licetus *de his, qui diù vivunt lib. 2. cap. 217.* ſub initio dicunt triennalem abſtinentiam puellæ Spirenſis relatam fuiſſe in pharmacum confectum ex dicta herba halenio. Deque herba, quam ſpartaniam appellant, & apud Scythas haberi dixit Plinius *hiſt. natur. lib. 25. cap. 8.* commendatam ex eo, quod illam habentes in ore, nec famem, nec ſitim ſentiant. Pariterque de herba nuncupata hippace apta ad famem, & ſitim ferendam per duodecim dies, quam itidem apud Scythas Plinius inquit reperiri, ex eoque repetit Licetus *dict. cap. 227.* & de utraque meminit Matthiol. *in epiſt. nuncup. Dioſcorid.* relatus 55

tus a Martino del Rio *diſquiſ. magic. lib. 2. quæſt. 21.* qui etiam refert *hiſtor. Peruan. par. 1. cap. 86.* & Auguſt. Zarat. *cad. hiſtor. lib. 1. cap. 8.* memorantes apud Indos herbam Cacà, quæ ore geſta famem depellit. Idem aſſerit de butyro, & glycirrhiza Plin. *lib. 11. cap. 54.* Traditum eſt etiam ab Xiphilino ex Dione *in Severo*, Britannos olim cibum quendam parare ſolitos, qui fabæ magnitudine ſumptus, hominem a fame, & ſiti diù defenderet. Indos etiam occiduos, ceu Narrat Nicol. Monard. *in hiſt. ſimplic. medic. ex nov. orb.* triduum, & quatriduum per deſerta loca iter facientes, vivere, pillulam ore habentes perexiguam ex cujuſdam conchylii pulvere, & tabaci foliis confectam, qua liquata ſubindè aliam, atque indè aliam ſubſtituunt, nullo præterea cibo, potuque.

56 Hæc igitur feruntur, quæ multos habentia teſtes, & non magnam admirationem negari facilè non debent. Non eſt autem incredibile aliquem in fame, atque ſiti triduum atque quatriduum nullo quoque externo auxilio ducere, famis tamen, ſitiſque moleſtiam ſedari illarum uſu rerum, quas dixi, experimentis credendum eſt, & rationem quoque habere videtur manifeſtam. Etenim hæc retenta ore ſuccum ex internis corporis partibus ad os tradunt, qui ſuccus deinde abſorptus, ſubit ſpeciem cibi, & potus inſtar ruminationis, qua imagine ventriculus quaſi decipitur, & deſinit eſſe moleſtus. Eraſiſtratus nobilis medicus aliam contra famem Scytharum machinam expoſuit, apud quem *lib. diæreſeon.* a Gellio referente *lib. 16. cap. 3. noct. actic.* narratio hæc extabat: Soliti autem ſunt Scythæ cum aliquam ob cauſam coguntur cibo abſtinere latis faſciis ventrem conſtringere, veluti hac ratione minus a fame perturbentur. Hujus autem rei cauſam exiſtimabat hanc eſſe quando plenus ſtomachus eſt, quia inanitas in eo nulla eſt, idcircò non eſuriunt, quando verò vehementer connivet, inanitatem non habet. Itaque cum illos inediam volentes plurimam paſſos, fames primum ſequatur, deindè verò dimittat, hoc idcircò fieri putabat, quoniam ſtomachus ex longa inedia conſideret, & conniveret.

57 Unde ceſſat argumentum ductum ab impoſſibili, quod ſcilicet ii nullum cibum aſſumpſerint, arguendo cum Baldo *in leg. filium 6. numer. 9. ff. de his, qui ſunt ſui, vel al. jur.* quod ubi deficit potentia, ibi deficit actus, & *num. 16.* quod impoſſibili poſito in eſſe, nullum ſequitur contingens. Nam prætermiſſo quod talis negativa potentiæ, & redactio ad impoſſibilitatem impoſſibilis eſt directè ſecundùm Bald. *in leg. in quibuſdam 7. num. 1. ff. de naut. fœn. & in leg. actor. 23. num. 7. Cod. de probat.* reſpondetur, quod non idcircò excluditur educatos ex herbis, & radicibus ultroneis in eremis, aut ab ipſa rerum natura accolis eremi ſemper paratis, neque ideò quærendis aliundè, vel petendis extra ab aliis, ſicque objectio retorquetur. Nam poſito poſſibili in eſſe qualis eſt dicta nutritio ex herbis, & radicibus, nullum ſequitur impoſſibile, ut Baldus ſubdit *in d. leg. filium n. 17.* repetitque *in leg. teſtium 14. num. 24. Cod. de teſtib.* quod ſufficit ad omnimodam excluſionem dicti argumenti, atque ad enervandam vim probationis abſtinentiæ elicitæ ex ſcriptis per Authores, cùm omnis probatio debeat concludere, *leg. neque natales*, ubi Bald. *num. 1. Cod. de prob.* qui propterea monuit *in leg. metum 17. num. 1. Cod. eod.* quod probatio non concludens non eſt probatio, *& in leg. 1. num. 7. Cod. de reb. al. non alien.* quod probatio, quæ non probat integraliter, nihil agit. Probatio enim debet eſſe certa, & cadere in intellectu determinato ex notatis per eundem Bald. *in leg. ſi ex cautione 3. num. 18. Cod. de non nu. pecun.* neque ideò eſt contenta ſolo poſſibili, aut veriſimili, aſſerente ipſo Baldo *in leg. ad probationem 33. numer. 1. Cod. ac prob.* quod probatio vera nunquam concludit per poſſibile, *& in leg. interpoſitas 13. num. 6. Cod. de tranſact.* quod ubi requiritur probatio clara, & certa, non ſufficit probare per veriſimile.

58 Cùm præcipuè facilè ubique ſit haberi herbas pro victu. Experientia enim docemur etiam in ſuperficie lapidum expoſitorum aeris ſponte ſua herbas, ac ſtirpes exoriri non quidem aeris concretione, roris incubatu, & nebularum inceſſu, ut Scaliger exiſtimavit *tom. 2. de plant. pag. 117.* cum aer concreſcere nequeat in ſtirpem, neque ros, aut nebula in genere mixtorum imperfectorum immediatè valeant animari; verùm quia in ipſo verè multa ſtirpium ramenta ſolent contineri, quæ roris glutine conglobata, & adhæreſcentia lapidi calores ſolis concoquuntur, fiuntque materia ſpontè naſcentis herbæ, quæ lapides muſcoſos, herbiſque veſtitos reddit.

59 Hinc Tullius *lib. 1. de divin.* retulit in capite ſtatuæ marmoreæ Liſandri, quæ Delphis ſtabat, ex aſperis, & agreſtibus herbis tantùm pullulaſſe, ut coronæ ſpeciem exhiberet, ejuſque faciem tegeret. Id enim pulvis, & ramenta inter Comarum rimas collecta, roreque ac pluvio humore in unam maſſam conglobata, & ſolis calore digeſta effecerant herbas, & virgulta producenda, quæ ambientes caput ſtatuæ ſpeciem coronæ præſeferebant, Immò paſſim videmus caprificum, cymbalariam, aſplenium, aliaſque ſtirpes ſpontanea pullulatione in aliquo lapide enatas, de quarum generatione Theophraſtus *de cauſ. plant.* egit, *dict. lib. 2. cap. 13.* quæve, ſicut obſervavit Ariſtoteles *phyſic. cap. 23.* dum augentur, ipſoſmet lapides, quamvis duriſſimos, & ſaxa prægrandia findunt, & ſcindunt. Quod pariter idem Ariſtoteles nobis hiſce verbis inſinuavit *lib. 2. de plant. cap. 1.* Planta igitur, quæ in ſolidis lapidibus naſcitur longo tempore contingit, qui enim in illis comprehenſus eſt aer calefacit, & humorem, qui in lapidibus eſt ſecum trahit ſurſum, exitque vapor cum humore illo, cum partium lapidis minimarum reſolutione. Etenim frequens lapidibus, eſt, ut eos ſol juvet per ſuam concoctionem, & adhunc modum ex illis planta fit.

Quod verò ait Sennertus *hypomn. 5. cap. 7.* non ſolùm 60
in ſuperficie lapidum plantæ interdum naſci, ſed & profundis ex iis emergere videntur, cauſa eſt, quod proculdubio lapides illi rimulas oculis non obvias habent, in quas corpuſcula illa formam plantæ in ſe continentia ſeſe cum pluviis inſinuant, quæ a calore ambientis excitata, ſeſe tandem exerit. Quod verò è muris, vel ex coctili lapide, vel ex lapidibus exciſis, calce, vel limo ferruminaris interdum plantæ, immò frutices, & arbores naſcuntur, mirum non eſt. Eſt enim earum ortus idem, qui plantarum è terra, cùm vel in arena, vel calci ad ferruminendos lapides adhibitæ admiſcetur ſemen aliquod plantæ commixtum fuit, vel ab avibus eo deportatum, vel ventorum impetu eo delatum rimis murorum ſeſe inſinuat, vel cum excrementis avium, aut pluvia, corpuſcula formam plantarum in ſe continentia eo feruntur, & in rimas illa ſeſe inſinuant, ſuo verò tempore emergunt.

Immò neque teſtimonio ejuſdem Ariſtotelis *d. cap. 1.* 61
nives penitus excludunt ſpontaneum exortum ſtirpium, cum dixerit ita ferè non invenitur planta in nive, licèt in eo viſa ſit nonnunquam proveniſſe, ut & animalia quædam, præcipuè lumbrici, hi enim in nive gignuntur, & herbæ amaræ omnes, minuſque prohibeat quin ſub eis adſint latentes herbæ, ut liquet ex relatione Legatorum Innocentii Quarti, ad Scytas deſcripta *in collat. Rhamuſ. navig. & itin.* ibi: *Cùm perveniſſemus Kiovim, conſultis Decurione, & aliis hominibus de noſtro itinere, audivimus noſtros equos in Scythiæ finibus multa nive morituros, utpotè ignaros eruendi ſub nive latentes herbas, quas equi Scytharum ſibi opportune in alimentum effodiunt.* Verùm credibilius eſt plantas è nive non generari, ſed eas ſub nive naſci. Etſi enim fieri poſſit, ſed rarò, inquit Sennertus loco citato, ut cum nive corpuſcula, plantarum rudimenta in ſe continentia deſcendant, tamen calor, a quo in actu deduci poſſint, in ea deeſt, ac proinde vel nunquam, vel certè rariſſimè, ſi fors calore ſolis nix tepeſcere, & liqueſcere incipiat, aut ſi ea pars nivis, & quidem profundioris, quæ terræ proxima eſt, a calidis è terra exhalationibus nonnihil tepeſcere incipiat, & anima illa ibi latens excitetur, & in actum deducatur, plantæ è nive generantur. Quin & fungi ex lapidibus naſci eſui aptos plurimi docti viri ſtatuunt, Scaliger *exerc. 173. ſect. 2.* ſcribit: *privata lapidis natura inter admirabiles referenda. Is apud Romanos magno in pretio eſt. Unum vidimus Neapoli, quo in Regno tradunt inveniri, cruſta craſſa eſt. Ea terræ dodrante operta, aſperſaque tepida irroratione, quarto poſt die fungos edit.* Hoc idem Cardanus affirmat *lib. 13. de ſubtil.* Matthiol. *in Dioſcorid. lib. 4. cap. 74.* & confirmat Jo: Baptiſta Porta in ſua villa *lib. 10. capit. 70.* & ego hic Romæ in horto Seraphini Cincii, Patritii Romani duos tales lapides fungiferos ex agro Neapolitano tranſmiſſos, vidi, & fungos ex iis natos comedi.

At nihilominus dicendum eſt, quod conſtito de facti 62
veritate, dubitari nequeat de qualitate illius ſupernaturali, cùm ex ſententia Ariſtotelis, & aliorum liqueat, hominem continuò indigere alimento, ideòque nutritionem in vivente nunquam ceſſare, neque hominem ſecundùm naturam a nutritione vacare poſſit, vita ſalva adeò, ut lethalis ſit inedia, quæ ſeptimum diem exceſſerit ex ſententia Hippocratis, Macrobii, Torreblancæ, Senerti, & Zacchiæ, quibus addo Marcum Marionem *de hebdom. ſeu imaginib. ac virtut. ſepten.* & Aulum Gel. *noct. attic. libr. 3. capit. 10.* propè finem, vel ſecundùm

dum extenſionem Plinii ad undecimum diem porrecta fuerit.

63 Equidem eſſe hominem divinitus ſupra hominem factum, naturam aliquo pacto ſuperare humanam, parem Angelis in hoc mundo evadere, & carne adhuc veſtitum, carnis tamen neceſſitudini minimè obnoxium, & addictum eſſe, utique magnum, inſigne, admirandum miraculum eſt. Quemadmodum enim lampadis flamma aſſiduè conſumit ea, quæ ſibi apponuntur, ut ſeipſam diu conſervet, faciatque, quamvis non poſſit, ſe immortalem, ſic ut calor naturalis, qui in nobis exiſtit, inceſſanter agit in membra, & corporis humiditates, & ſicuti oleo deficiente, flamma ipſa lichnum brevi tempore comburit, & conſequenter extinguitur, & ſic & noſter calor, poſtquam humidum nutriens defecerit, partes corporis aridas facit, extinguitur, qui ſuam conſumit materiam, ut inquit Avicen. *in* 4. 1. *capit.* 1. 4. & 1. 4. *cap. de ethic.* Cùm aut extinctus fuerit calor naturalis, neceſſe eſt, ut & anima a corpore ſeparetur, quia deficiente inſtrumento, non poteſt artifex operari, ſic & anima ſuas amplius non poteſt actiones exercere, calore naturali deficiente, qui ſuum erat inſtrumentum, ut ait Princeps *in* 1. 1. *doc.* 3. *cap.* 3. & fuit ſententia Galeni *in* 5. *de ſimplic. medic. dict.* 2. *cap.* 5. dicentis: *Calor innatus eſt illud, quod nominamus ſpiritum, & eſt ille, qui fixus eſt, & plantatus in corpore cujuſque animalis, qui, quamvis non ſit de ſubſtantia animæ, eſt tamen primum inſtrumentum ejus. Neceſſe eſt igitur volenti hunc calorem, & vitam ipſam conſervare, ut eum nunquam ſine pabulo, & nutrimento relinquat, quoniam ſine alimento non poteſt diu durare*, teſte Ariſtotele *in* 2. *de anim.* & Galeno *in* 1. *de alim. cap.* 2. dicente, *ſine alimento non eſt poſſibile vivere neque ſanos, neque ægros*. Cujus rationem affert etiam Raſis *en* 25. *contin. cap.* 1. quia corpora noſtra ſunt continuæ diſſolutionis ex aere circumferente, & caliditate innata, quæ eſt in nobis, & ideò indigent nutrimento ad reſiſtendum ei, quod diſſolvitur. Diffuſuſque Haliabas *in* 5. *theor. cap.* 14. verbis: *Dico ergo cum ſit corporum animalium rationalium, irrationalium ſubſtantiam eorum diſſolvi ſemper, & continuè naturalis cauſa, qui in iis eſt caloris, & illius obvius aer, aut diſſolutione levi, ut quod a corporibus omnibus relaxatione diſſolvitur, aut certè manifeſta, ut ſputa, emunctiones, ſudor, utrina, & egeſtio, neceſſariam habuit natura materiam ab exterioribus, quæ eorum loco ſuccederet, quæ a corpore diſſolvuntur. Hæc ergo materia ſunt eſca, & potus*. Quæ quidem ſunt verba Galeni *in lib. de diſſol. contin. cap.* 1. ubi ait: *Quia corpora hominum ſunt in continua diſſolutione, & prpter calorem aeris circumdantis ea extrinſecus, & calorem interius exiſtentem, fuit neceſſarium reſtaurare in iis, quod diſſolutum eſt de ipſis, ideoque fuerunt neceſſarii cibi, & potus. Nutrimento*, ſubdit Avicenna *in* 2. 1. *doc. ſum.* & *cap.* 2. *indigentes ſumus, & noſtræ conſervatio ſanitatis eſt ex nutrimento nobis conveniente, quod æquale exiſtit*. Etenim ſi reſolutio eſſet, reſtauratio autem non exiſteret, proculdubio vita citò fluiret. Sed poſito calore, reſolutio ſequitur, non poſita autem refectione conſumptio, idcircò eſt neceſſarium, ut nutrimentum partibus ſuppleat reſolutis, multum verò, aut parum ſecundùm majorem, aut minorem reſolutarum partium quantitatem, aſſerente Avicenna *in* 13. 3. *tr.* 2. *cap.* 7. Neceſſitas cibi eſt, ut ſuppleat locum ejus, quod reſolvitur. Cùm ergo non eſt reſolutio, aut eſt reſolutio parva, non eſt neceſſarius cibus extrinſecus. Quod etiam voluit *in caut. cent. com.* 124. dicens: *ſcias, quod vera cibi actio eſt augere augenda, & reſtaurare omne deperditum ex diſſolutione corporis, & ad primum ſtatum reducere*. Quod tamen ita intelligendum eſt, ut reſtaurata nunquam ad quantitatem, neque ad perfectionem diſſolutorum attingant, & hanc ob cauſam neceſſe eſt ad finem devenire. Id quod dixit Galen. *in* 1. *de reg. ſanit.* ibi: *ſi poſſumus tale aliquid introducere, quod ſimile eſſet effluenti, hoc ſaniſſimum, & optimum eſſet. Sed hoc impoſſibile eſt. Quia id, quod defluit ab unoquoque membrorum tale natura eſt, quod ipſum membrum, a quo defluit. Nihil autem eorum, quæ comeduntur, aut bibuntur tale eſt omninò, quale id, quod defluit*. A quo deſumpſit Avicen. *in* 1. *de ætat. §. illo*.

64 Neque obſtat primò, quod Licetus *in oper. de his, qui diù vivunt lib.* 2. *cap.* 172. cenſuit, jejunium tàm diuturnum fuiſſe naturale. Tum quia contrarium adverſus Licetum firmat Harvetus, quem medicum inſignem appellat, ac refert idem Licetus *lib.* 2. *cap.* 171. Poſtquam enim admiſit, ac firmavit, viros ſanctitate conſpicuos, qui diuturnam abſtinentiam tolerarunt, ſumma præpotentis Dei virtute ſupra Naturæ conditionem operante, tàm diuturnum jejunium ſubſtinuiſſe, & abſolutæ longioris abſtinentiæ cauſam ad miraculum referendam; concluditque in hæc verba: *Ad ipſam verò alia ex parte roborandam, qua decernitur hujuſmodi jejunium divinæ poteſtatis eſſe miraculum proponunt viri clariſſimi plurima exempla eorum, qui longo jejunio claruere, quos omnes homines fuiſſe Deo caros, & ſanctiſſimè præſtantes, certum eſt*.

Nam, ut omittamus, ſilentio venerantes, vetuſtiora il- 65
la jejunia miraculoſa Chriſti Domini, Eliæ Prophetæ, ac Moyſis, recentiori hiſtoria obſervatum eſt primò, ſeptem illos dormientes in ſpelunca Montis Cœlon per tot annos jejunaſſe, quos S. Mater Eccleſia Sanctos Dei colit in gloria. Deinde certò conſtat, Ludovicum Pium, Galliæ Regem, qui ultimis quadraginta diebus vitæ ſuæ poſt aſſumptum diviniſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, a cibo, potuque penitus abſtinuit, Sanctum fuiſſe Regem, ac Deo dilectum. Hoc ipſum fateri oportet de Sacerdote illo, qui totidem dies abſque alimento vixit Romæ ſub Leone X. deque Palumba Interamnenſi tempore Innocentii VIII. de Nicolao Helvetio Eremita, de diva Agnete, de B. Catharina tum Genuenſi, tum Senenſi, aliiſque plurimis, quorum diuturnum jejunium poſt ſacram communionem cum certa vitæ ſanctimonia conjunctum vero miraculo adſcribendum eſt.

Daniel Sennertus *med. pr. to.* 2. *lib.* 3. *p.* 1. *ſect.* 2. *c.* 2. 66
qui poſtquam rationibus hinc inde ponderatis ejuſdem Liceti diſtinguendo inter eos, qui ſanctitate minus illuſtres fuerunt ac inter eos, qui vitæ ſanctimonia claruerunt, illorum abſtinentiam eſſe naturalem, horum verò ſupernaturalem, ac miraculoſam eſſe affirmavit, hæc profert: *Cum Hippocrates lib.* 1. *de princip. ſcribat, hominem ſi ſeptem diebus nihil commedit, moriturum, & Plinius id ad undecimum diem extendat, ſi qui ultra id tempus jejunium tolcraverint, id virtute divina præſtitiſſe, idemque exemplis Moyſis, Eliæ Prophetæ, hiſtoria ſeptem dormentium, & Ludovici Pii, Galliæ Regis, qui ultimis quadraginta vitæ diebus poſt ſumptum ſacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramentum ab omni cibo, & potu abſtinuit, ut etiam Nicolai Helvetii Eremitæ ac aliorum quorundam vitæ ſanctimonia clarorum; neque negandum Deum optimum maximum idem omnipotente virtute præſtare potuiſſe ac poſſe*.

Ac Stephanus Rodericus Caſtrenſis Luſitanus *in lib.* 67
de inedia, & in altero *de alim.* quos conſcripſit evertendo, ac expugnando omnia fundamenta, quibus Licetus *de his, qui diù vivunt* conatur nova a ſe excogitata ratione firmare, hominem a nutricatione diù ceſſare poſſe. Tum quia perenne, ac diuturnum ejuſmodi jejunium communi omnium penè conſenſu exiſtimatum fuit miraculoſum. Communem autem exiſtimationem magni momenti eſſe ad effectum probationis, dixit Rota in Mediolanen. Emphyteuſis 23. Januarii 1599. coram Orano, & in ſpecie canonizationis, ac probationis miraculorum cenſuit in relatione Beati Thomæ de Villanova *rubr. de mirac. in vit.* ad corroborandam magnitudinem fidei poſt Contilor. *de canoniz. pag.* 487. & *ſeq.* idem repetentem *cap.* 18. *num.* 22. addentemque *num.* 23. prædicta ſine dubio procedere, quando agitur de probando miraculo antiquitus perpetrato, Caſſador. *dec.* 23. & probat Rot. *dec.* 13. & 21. *de fid. inſtr.* & fuit dictum in relatione S. Raymundi *par.* 2. *art.* 10. & alias paſſim.

Tum quia Liceti opinio non pluris facienda eſt, 68
quàm rationes, quas ad illius comprobationes adducit. Dictum quippè Doctoris intelligi debet ſecundùm legem, authoritatem, vel rationem, quam allegat, Bartol. *in l. non ſolùm, §. liberationis num.* 10. *ff. de lib. leg.* & *in leg. cum quidam* 12. *num.* 1. *ff. de his, quibus ut indign.* Mantic. *de tacit. lib.* 4. *tit.* 19. *num.* 53. & *lib.* 14. *tit.* 26. *ſub num.* 30. Leviſſima autem, ac nullius ponderis ſunt bina argumenta, quibus idem Licetus conatur docere jejunium quorundam Servorum Dei fuiſſe naturale.

Et primum quidem ſumptum ex eo, quod cùm ipſi 69
ſuam abſtinentiam non miraculo, ſed naturæ tribuerent, credendum non ſit, viros pietate inſignes voluiſſe id cum mendacio aſſerere, facillimè diluitur.

Primò, quia tantum abeſt, quod de mendacio argui 70
poſſint, etiam abſtinentiam naturæ, non miraculo tribuerent, quin potius evincitur grande hujus abſtinentiæ myſterium declaraſſe, quod Scriptores, & hiſtorici plerique optimè agnoverunt. Quod nempè Deus naturam humanam Servorum ſuorum olim eſuritioni, ac cæteris communis mortalitatis neceſſitatibus ſubjectam tranſmutarit in aliam eminentiorem, Angelicam ſcilicet, ac divinam, quæ ſcilicet ſola panis Angelorum refectione contenta tanta animum Servorum Dei perfundebat deliciarum dulcedine, roboriſque confortatione, ut illius

lius copia uberrimè etiam in corpus promanaret, neque propterea terrenum quidquam eſuriret, aut ſitiret, ſed robur, ac vi res ex corporis, & ſanguinis Chriſti cognitione, & ex dominicæ paſſionis religioſiſſima commemoratione reficerentur, adeòut dicere poſſunt cum *Jo: 6. In me manet ipſe, & ego in eo*, & cum Apoſtolo *ad Gal. 2. vivo ego jam non ego, vivit verò in me Chriſtus*. Cùm enim verbum Natura ſit univocum reſpectu Dei, & creaturarum, ideòque prædicetur tàm de creata, quàm increata, & tàm de divina, quàm Angelica, & humana, proculdubio dictum Servorum Dei non potuit a Liceto intelligi taxativè de natura humana, itaut ab eorum jejunio excluſiſſe dicatur qualitatem ſupernaturalem, & miraculoſam.

71 Secundò, quia eſto Servi Dei abſolutè dixiſſent, ſuam abſtinentiam fuiſſe naturalem, non miraculoſam, non tamen inde arguendi eſſent de mendacio, nec per conſequens quidquam detraxiſſent ſubſtantiæ jejunii miraculoſi, immò commendanda foret eorum profunda humilitas, qua effugiendo vanam gloriam, ea, quæ divinitus ſibi indulta fuerant, conſultò ſatagebant occultare, adeò, quod ſæpè enixè rogati ſoli Confeſſori rei ſeriem in ſecreto manifeſtarunt. Nam, ut Div. Auguſtini *ſerm. de jejun.* ait: *Jejunium verboſitatem non amat, ſuperbiam ſpernit, humilitatem commendat, præſtat homini ſeipſum intelligere, quod eſt infirmum, & fragile*, rationem reddens, *quia jejunium purgat mentem, ſublevat ſenſum, carnem ſpiritui ſubjicit, cor facit contritum, & humiliatum*, dicens propterea *epiſt.* 176. jejunium eſſe humilitatis ſignum, monente etiam D. Hieronymo *epiſt. ad Galat.* nil prodeſſe corpus abſtinentia tenuari, ſi animus intumeſcit ſuperbia.

72 Idque exemplo Salvatoris Domini *Jo: 2.* in reſurrectione Lazari in Bethania mortui, qui non ſolùm Mariæ, & Marthæ pro ſalute fratris lethali infirmitate laborantibus inquit; hæc infirmitas non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eam; ſed etiam cum deinde deceſſiſſet, nihilominus diſcipulis dormire dixit, ibi: *Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado, ut a ſomno excitem eum*. Dixerat autem Jeſus de morte ejus, illi autem putaverunt, quia de dormitione ſomni diceret. Ac Filiæ Principis Sacerdotum, cujus patri pro reſurrectione filiæ mortuæ oranti Jeſus puellam non eſſe mortuam, ſed dormire reſpondit Matth. 9. Marc. 6. & Luc. 8.

73 Et hac ratione in relatione Rotali Sancti Iſidori *art. 3. mirac. 1. in vita* legitur, quod licèt Iſidoro oranti Angeli albis amicti adjutores ſuiſſent in aratro, itaut dum ille orabat, Angelus arabat, nihilominus hero ſuo de hoc ſciſcitanti Iſidoro reſpondit, nullos vocaſſe, neque vidiſſe adjutores. Et *in 3. miraculoſi* ac perennis fontis è monte ac ſolo percuſſo repentè promanati hero ſimiliter conquerenti, quod in loco prædicto aquam non reperiſſet, nullumque aquæ veſtigium conſpiceretur, ſed omnia ſicca, & arida appararent, Iſidorus tamen reſpondit, hìc aquam adeſſe, & ſtimulo, quem geſtabat, percuſſa terra repentè a loco percuſſo fons vivus emanavit.

74 Eademque ratione Sanctam Eliſabetham tàm matri, quàm filiæ a nativitate cæcæ ejus precibus illuminatæ expreſsè vetuiſſe, ne hoc revelarent, ſed diligenter celarent, habetur in relatione ejus Rotali *part. 3. mirac. 1. in vita ſub princ. ac in 2. mirac.* ſimiliter mandaſſe Margharitæ moniali ejus precibus liberatæ ab apoſtemate, ne illam ſanitatem divulgaret, cùm non eſſet tribuenda ſuis manibus, ſed potius miſericordiæ Dei, quem pro ſalute recuperata laudare tenebatur.

75 Et Sanctum Franciſcum Xaverium, ad cujus preces puer ſuffocatus in puteo, ad vitam revocatus miraculum clamitarunt, ne cuipiam rem geſtam narrarent, habetur quoque in ejus relatione Rotali *part. 3. mirac. 5. in vita*. Sanctamque Magdalenam de Paz. Mariæ Benignæ de Orlandinis moniali Sanctæ Mariæ de Angelis, quæ ad illius preces peſſima ſcabie ſanata fuerat, præcepiſſe, ne cui geſtum erat pateſaceret, ut habetur in ejus relatione *rubr. de mirac. in vit. mirac. 5. ſub initio*.

76 Parvi quoque momenti eſt alterum Liceti argumentum de dolore ſtomachi, quem Servi Dei aliquando paſſi ſunt vel ob modicas panis particulas abſortas, vinique pauxillum epotum. Non enim eſt contra rationem miraculi, ſi fiat cum dolore, ut ſatis etiam Liceto compertum eſt exemplo pueri per Chriſtum ſanati a ſpiritu muto, & ſurdo *Marc. cap. 9.* qui exclamans, & multum diſcerpens cum exivit ab eo, & factus eſt ſicut mortuus, itaut multi dicerent, quia mortuus eſt. Et hoc etiam declaratur in vita Sancti Franciſci *rubr. de intellig. ſcriptur.* ſigno itaque crucis facto, ſtatim qui contractus jacuerat, ſurrexit ſanus, & in Dei laudem prorumpens, ego, inquit, ſum liberatus, inſonuerunt oſſa renum ejus, audientibus multis, veluti cum ligna ſicca franguntur, & tradunt Archid. *in can. nec mirum num. 9.* ibique Bellam. *26. quæſt. 5.* Panvin. *in relat. S. Bonaventuræ par. 2. art. 6. in princ.* Caſtellan. *de canon. Sanct. quæſt. 7. princ.* Malvet. *eod. tit. dub. 3. num. 52. tract. tom. 14.* & ſæpiſſimè reſpondit Rota in relationibus, ſpeciatim Sancti Caroli *mirac. 4. §. nec* refert, & ſequitur S. Thereſiæ *mirac. 11. poſt mortem, §. fin.* B. Paſqualis Baylon. *mirac. 7. §. item fin.* B. Ludovici Beltrandi in miraculo ſtrumoſæ fœminæ, & S. Andreæ Corſini *par. 2. §. 6.*

Quia potius hujuſmodi dolor ex deſuetudine ciborum 77
contractus plenè confirmat veritatem, & qualitatem miraculoſam hujus abſtinentiæ. Quia, ut ſuperiùs dictum eſt, Hippocrates *princip.* ſcripſit, *homines, qui ſeptem diebus nil comedunt, neque bibunt, poſteà non poſſe, quia venter amplius non ſuſcipit, &c. moriunturque etiam illi*. Licet enim tunc Servi Dei ex cibo, & potu ſtomachi dolorem contrahant, nihilominus ad Sacramentum Euchariſtiæ accedunt ſumma cum hilaritate, alacritateque, eiſque divinis dapibus adeò recreantur, ut proſpera ſemper, ac vivida valetudine vivant.

Et in ſimilibus terminis miraculoſæ abſtinentiæ San- 78
ctæ Catherinæ ſenenſis, quæ inventa eſt aliquando a diæ cinerum uſque ad Aſcenſionem Domini jejunium produxiſſe ſola Euchariſtiæ communione contenta, nulla ratione viſum ſuit obſtare dolores intenſos ſtomachi, & capitis, quibus penè aſſiduo torquebatur, nec febres, nec alios diverſos morbos, quibus cruciabatur, ut legitur in Bulla canonizationis ejuſdem *Conſtit. 6.* Pii II. traditque Surius ad diem 29. Aprilis. Maria quoque Ognacenſis, tametſi in ſua infirmitate nihil penitus edere poſſet, immò nec modici panis odorem perferre, facilè tamen, & quidem crebrò Chriſti corpus ſumebat, adeout cùm Hoſtia non conſecrata illi exhibita fuiſſet, panis odorem mox exhorruit, & cum niſi exiguam particulam dentibus attigiſſet, cœpit clamare, & expuere, & perinde ac ſi pectus rumperetur, anhelare, & cum ingenti anxietate ſingultire, teſtibus Jacobo a Vitriaco *in hiſt. occid. cap. 38.* ac Surio 23. Junii. Plures excitare poſſem teſtes ex monumentis Annalium eccleſiaſticorum, ex quibus appareret Servorum Dei abſtinentiam non naturæ, ſed miraculo tribuendam eſſe, quia ut ait Maro: *Non hæc ſine numine Divum eveniunt*, quidquid perperam dixerit Licetus, & oblatret ab eo relatus ille Lucretius, qui in Epicuri grege educatus ſui præceptoris veſtigia ſequutus eſt, cujus Deus nihil habuit nec ſui, nec alieni negotii, teſte Tullio 2. *de divin.*

Secundò, principaliter non obſtant exempla tàm dor- 79
mientium, quàm non dormientium, qui diù vixiſſe ſupponuntur ſine alimento. Primò, quia in jure non exemplis, ſed legibus judicandum eſt, *l. nemo, C. de ſent. & interl. omn. Jud.* communiter ſcribentes, ac præcipuè Bald. *in princ.* ſubdens *num. 3.* exempla non arctant regulam, *l. regula, §. fin. ff. de damn. infect.* cum aliis per Neguſ. jun. *reſp. 215. num. 2. & 3.*

Secundò, quia argumentum ab exemplis, ſeu a ſimi- 80
li non procedit a caſibus a jure expreſſis ad textum *in cap. 1. de ſolut.* Quia caſus proviſus, & expreſſus facit ceſſare tacitum, *l. fin. Cod. de pact. conv.* Cùm autem argumentum a ſimili veniat ex conjectura, ſanè in caſibus non dubiis ceſſat argumentum a conjectura ſecundùm Bald. *in leg. data opera 11. ſub num. pariter 11. C. de his, qui accuſ. non poſ.* Nil ergo mirum, ſi ceſſet, quando contrarium illius quod fuerat inferendum in jure eſt expreſſum, ac deciſſum. Quia in incertis, non autem in certis locus eſt conjecturis, *leg. continuus, §. cum ita, ff. de verb. oblig.* Maximè autem quando exemplum, ſive authoritas eſt improbabilis, vel dicitur per rationem manifeſtam; ac neceſſariò inferentem, Bald. *in leg. Conventiculam 15. ſub num. 5. C. de Epiſc. & Cler.* cum cæteris fusè notatis ab Everard. *in loc. a ſimili num. 11. & in loco ab authoritate ſub num. 6. & ſeq.* Atqui ex ſæpè citata ſententia Hippocratis, quam pro lege ſervandam eſſe, inquit Juriſconſultus *in l. ſeptimo menſe, ff. de ſtat. homin.* certum eſt, hominem ultra ſeptimum diem vivere non poſſe abſque cibo, & potu, vel ad ſummum ultra nonum, vel undecimum juxta extenſionem Plinii.

Tertiò, quia tunc ſolummodò procedit, quando firma- 81
tur ab eo, quod frequenter, & ut plurimum contingit adeſſe, & rarò abeſſe alioquin non procedit, ſed habet locum regula *l. neque natales, C. de probat.* quod non probat hoc eſſe, quod ab hoc contingit adeſſe ad tradita per Everard. *d. loc. a ſimili ſub num. 12. & in loc. a communiter accident. num. 6. & 10.* Certum verò eſt,

quod

quod ultra ſeptimum diem, vel ad ſummum ultra undecimum protrahi nequit jejunium, & ſi qui hujuſmodi tempus excedant, tamen moriuntur juxta ſæpiùs relatam ſententiam Hippocratis.

82 Quartò, non procedit quando non adeſt omnimoda ſimilitudo in eo, in quo fit comparatio, aliàs ob defectum ſimilitudinis multum fragile, unoque pede claudicans argumentum appellavit Everard. *in cit. loc. a ſimili*, dicente Bald. *in leg. 1. ſub initio, ff. de jud. & jur.* quod ſimilitudo eſt recta adaptatio, quando fit proceſſus ab uno particulari ad aliud particulare ferè aliquid, quod eſt commune utrique per eandem rationem, ita ut extrema ſint habilia, ſcilicet extremum a quo debet eſſe certum, & extremum ad quod, quod debet eſſe dubium, ut ait Everard. *num.* 11. & ſequitur Neguſ. *dict. reſp.* 115. *num.* 9. Diſſimilitudo autem magna eſt inter abſtinentiam Servorum Dei, qui vitæ ſanctimonia claruerunt, ac inter eos, qui ethnici, ac profani, vel nullius ſanctitatis fama celebrati ſunt. Quicquid enim ſit de veritate eorum abſtinentiæ a ſcriptoribus prædicatæ, nonnulli tamen in ſomno abſtinentiam ſervarunt. Alii aquæ potu vitam ſuſtinuerunt. Alii tabeſcentes. Alii diverſis infirmitatibus detenti. Alii humani corporis functiones, aliaque opera familiaria nequaquam exercere potuerunt, quia robur exigunt, quod deficiente alimento, recedit, ſicut ex Diomede Homeri *Iliad. 9.* animadvertit Vizzan. *ad Ocel. Lucan. cap. 2. text. 9.* At Servi Dei, quamvis nihil cibi, potuſve ſumant, ſola tamen Euchariſtiæ ſumptione refecti, neque eſuriunt, neque ſitiunt, ſed ſaturi pane, qui de cœlo deſcendit, paſſioniſque dominicæ meditatione confortati abſque communis vitæ detrimento vigent viribus corporeis, conſtantque ſemper vivida valetudine, aſperitatiſque exercitia nunquam intermittentes.

83 Nec denique viginti ſeptem authoritates relatæ, & improbatæ a Liceto, ac multò minus excogitatæ ab ipſo excludunt qualitatem miraculoſam a diuturna abſtinentia Servorum Dei, quin potius decimatertia Harveti, & ſequacium illam apprimè aſtruunt.

84 Prima nempè Argenterii, & aliorum exiſtimantium eos, qui diù ſine cibo vixerunt, aere, quo ſpiramus, nutritos fuiſſe, non ſubſiſtit. Etſi enim Hippocrates *lib. de flat.* exiſtimet, quod omnibus corporibus aeris neceſſitas, adeſt, ut ſiquidem omnibus abſtineat aliis homo, nec cibum ſumat, neque potum, poſſet tamen duos, aut tres, vel plures dies durare, ſi verò cuipiam uno die ipſius ſpiritus in corpus intercipiatur, vel exigua diei parte, peribit profectò, cùm ab omnibus operibus aliquando immunes quieſcant homines, ab hoc tamen opere nulla omnibus caducis animalibus requies contingit, quin ſemper reſpirent, vel expirent; nihilominus quia ſecundùm Ariſtotelem 2. *de gener. text.* 50. omnia quidem nutriuntur eiſdem, quibus ſunt, ex eoque repetunt Zacut. *tom.* 1. *de medic. princip. hiſt. lib.* 1. *hiſt. 9. quæſt.* 8. ac Vizzan. *d. text. 9. verſ. nec objicit.* Ex ſententia verò Hippocratis 6. *epid.* 7. & Galen. 1. *de differ. febr. cap.* 1. ſicut corpus noſtrum triplici ſubſtantia conſtat, ſolida, aquea, ſpiritali, ita ſolùm triplici alimenti genere refici deſiderat ſolida cibo ſolidiori, aquea potu, & ſpiritalis conſpiratione ex aere, ut poſt alios tradunt Sennert. *tom.* 2. *medic. pract. lib.* 3. *par.* 2. *ſect.* 2. & Ludovic. Mercat. *tom.* 1. *lib.* 2. *de ſanit. ejuſq. conſerv. claſ.* 2. *quæſt.* 173. *num.* 7. Quia ut ubertim declarat Sennertus *ubi ſupra*, cum nutritio ſit corpus miſtum, & converſio alimenti in corporis noſtri ſubſtantiam, alimentum autem corporis nutriendo ſimile eſſe debeat, ita non ſolùm ſpirituum refectione, quæ reſpiratione aeris fit, ſed alimento ſolidiori opus eſt, illaque ſolùm dicuntur apta ad animalium corpora nutrienda, quæ ſunt perfectè miſta, latiuſque proſequitur Licetus *de his, qui diù vivunt lib.* 2. *cap.* 3. *& ſeqq.* ac docuit Vizzan. *d. text. 9.* concludendo propterea, nullum vivens nutriri poſſe ſolo aere, nec ſimplici nec miſto.

85 Neque idcircò ſubſiſtere quæ ex Plinii *hiſt. lib.* 8. *cap.* 33. ab Argenterio, & aliis traduntur de chamæleonte, quod hiante ſemper ore ſolus animalium nec cibo, nec potu alio, quam aeris nutrimento alatur, cùm teſtibus locupletiſſimis Scaligero *in Cardan. exercit.* 196. *ſect.* 4. & aliis, qui diligentius in hujus animalis naturam inquiſiverunt, res aliter ſe habeat, certiſſimaque ſuadeant experimenta, naturam chamæleonti tribuiſſe linguam exerptam, veluti promuſcidem ſemipedalis longitudinis, quam jaculi inſtar evibrat tanta velocitate, ut viſus aciem effugiat, qua locuſtas, muſcas, formicas, ſcarabeos, & alia inſecta capiat, iiſque alatur. Quod etiam obſervaſſe Pier. apud Gaſſend. & Bellon. *obſerv. lib.* 2. *cap.* 34. & Tob. Aldin. teſtantem pluries vidiſſe chamæleontem bibentem, refert Vizzanus mox citatus, & latiſſimè Panarol. *in ſuo chamæleon. exam.* Eandemque, rationem eſſe de cane levi, & manacodiata apud Indos viperis, & aliis animalibus inſectis, quod ſcilicet aere ſolo non nutriantur, addit Sennertus *loc. cit.* & Licetus *d. lib.* 1. *cap.* 19. Ad quem enim uſum datum manacodiatæ roſtrum a natura? Melius enim eſſet ei cum illa conſtitutum, ut ſine oſſeo mucrone os haberet in ſummo vertice, ſicut in inferiore parte, unde cibum capiunt piſces multi,

Quare contra horum ſententiam graviter a doctiſſi- 86
mis viris eſt diſputatum, authorem, & ducem Ariſtotelem, habentibus, qui *lib. de ſenſ. & ſenſil.* contra Pythagoricorum quoſdam ſtatuit nec aquam, nec aerem nutrire. Licet enim multa ſit inter nos, & aerem neceſſitudo, non tamen ſequitur, aerem eſſe nobis alimentum; nam aer alia nobis commoda præbet, quæ ſiquis translatè alimenta velit appellare, liceat, propriè nutrire dicendus non eſt. Medici, & præ aliis Galen. *lib. de uſ. pulſ. cap.* 3. *de util. reſp. cap.* 5. aerem aſſerunt duo præſertim præſtare. Alterum eſt refrigerium nativi caloris, alterum nutritio ſpiritus. Concedamus igitur utrumque, non tamen aer idcircò nutrire dicendus eſt. Nam caloris refrigerium omninò abeſt a nutritione, nutritio autem ſpiritus non eſt hujuſmodi, qua poſſit homo plures dies ſine alio cibi ac potus genere ſuſtineri. Nam, ut vivat, non ſolùm ſpiritus, ſed oſſa quoque, caro, ut omnis particula nutriri debent. Deinde ſpiritus aere nutriri metaphoricè tantùm dici poteſt. Quod enim verè alimentum eſt, debet per os in ventriculum, & inde per venas ad ſingulas corporis partes meare. Aer igitur non nutrit. Unde nihil omninò ſcyllæ, & aloe extrinſecus advenit, quo nutriantur, nequis credat aerem illis alimentum eſſe, ſed habent in ſeipſis, unde nova germina nutriantur. Scyllæ germen exterioris ſucco tunicæ alitur, cui tunicæ demum ea de cauſa proxima ſuccedit, quæ ſuccedentem ſimiliter germinationem nutriat, cùm interim tunica illa exterior arefiat. Aloes verò frondes externæ novis germinibus alimoniam præbent, ipſe verò exhauſtæ deficiunt, & ſuccedentibus locum relinquunt, a quibus ſuccedentia ſimiliter germina nutriantur. Idemque cæpa facere poteſt, quæ pariter repoſita germinat, & tunicis multis veſtitur, ut ſcylla, ſed citò corrumpitur, quia neque aſpera eſt, ut ſcylla, neque amara, ut aloes.

Simileque ratione patet, ſecundùm Augerii, & Ma- 87
nardi contendentium, abſtinentes ali odoribus, & exhalatione aerem obſidente, non majoris eſse ſubſiſtentiæ. Nam quod odores alendi vim non habeant pluribus rationibus dixit Ariſtoteles. Prima quidem *de ſenſ. & ſenſil. cap.* 5. quia qualitas odorata non eſt miſti ſpecies, ſed ſimplex, merumque accidens, quod nutrire non poteſt. Cùm enim nutritio ſit vacui repletio, corporeiſque rebus perficiatur, cibum oportet eſse miſtum, & corporale aliquid conſtitutivum. Secunda, quia ut dictum eſt, omnia nutriuntur iis, ex quibus ſunt. Sed corpora noſtra non conſtant ex odoribus, hoc eſt ex ſimplicibus illis qualitatibus odoriferis. Ergo illis nutriri nequeunt. Tertia, quia teſte eodem Philoſopho *de reſpir. cap.* 9. cùm ex alimento neceſse ſit ſeparari ſuperfluum, ubique rationem obtinet id ſolùm, ad quod percoctionem caloris ope excernantur excrementa. Ex odoribus autem actione caloris neque interni, neque externi nullum poteſt ſegregari excrementum, nec ſenſile, nec inſenſile, & pluribus aliis rationibus ex eodem depromptis proſequitur Licet. *lib.* 2. *cap.* 22. Zacut. *dict. lib.* 1. *hiſt. 9. quæſt.* 8. & Sennert. *dict. cap.* 2. *& nos tom.* 1. ac ſubſcribit Scaliger. *exerc.* 303. ubi docet, quod corpus quidem alitur odoratis, quatenus odorata ſunt, quando quod admirabilius eſt, ne ſapidis quidem, quatenus ſapida ſunt, ſed quatenus ſubſtantia tranſmutabilis in ſubſtantiam corporis, quod nutriri debet. At ſapor, & odor appoſitus, ut invitaretur animal ad veſcendum.

Tertia item Coſtæi, & quarta Bonamici exiſtiman- 88
tium abſtinentes nutriri, ac vivere poſſe ex ſimplici aquæ potu non applicatur omnibus. Quia certum eſt quamplurimos Servos Dei ab omni cibo, & potu, alioque humano alimento abſtinuiſſe. Neque ſubſiſtere modo ullo docuerunt philoſophiæ, ac medicinæ principes, unanimi conſenſu aſſerentes, aquam hanc noſtram, quam bibimus, licèt neceſsariam ad corporis noſtri, ut perfectè miſti conſtitutionem, ſolam tamen non cedere in alimentum, nec ope caloris converti in ſubſtantiam bibentis, ſed duntaxat inſervire tum ad refrigerandum æſtum caloris interni, tum inſtar vehiculi ad diſtribuendum alimentum neceſsarium ſingulis univerſi corporis partibus enutriendis. Sic enim ſcripſerunt Plato *in Tim.* Ariſtoteles

de

de sens. & consil. cap. 5. ibi: *Amplius verò neque aqua valet ipsa sola nutrire incommista existens: corporale enim aliquid oportet esse constitutivum*; quia cum sit fluida, & tenuis, non autem pars misti, converti nequit in viventis corporationem, ac nutrimentum. Quod tamen, ut ait 2. *de gener. text.* 50. debet esse corpus mistum ex multis elementis. Sic etiam Hippocrates *lib. de cord.* & ex eo Galenus *de us. part. cap.* 3. & *de vict. cap.* 17. & Avvicena 1. *fen.* 2. *doctr.* 2. *cap.* 15. & 3. *fen.* 10. *tract.* 2. *c.* 1. statuentes nullam viventis particulam aqua cruda ali posse, nullumque alium esse illius usum, quàm deducere alimentum per venas instar vehiculi. Ex quibus, atque aliis idem diffusè comprobarunt Zacut. *d. quæst.* 8. Licet. *d. lib.* 2. *cap.* 58. & *seqq.* & *latius lib.* 4. *cap.* 16. probans ex eodem Aristotele *hist. animal. lib.* 8. *cap.* 2. & 3. *de gener. animal. cap.* 11. & ex Theophrasto 2. *de caus. c.* 7. & 8. neque plantas, neque aquatica sola aqua ali. Quod strictim repetit Sennert. *d. cap.* 2. docentque omnes nos iisdem ali, quibus constamus, & constare, quibus alimur. Est enim cibus substantia corporis futura. Neque enim uno ali nos *in lib.* 2. *de generat. ait* Princeps sapientum.

90 Quinta alterius medici putantis, abstinentes nutriti terra, & calce clandestinè comesa, refellitur a Liceto *dict. lib.* 2. *ex cap.* 98. & a Sennerto *dict. cap.* 2. Quia etsi terra, & calx dicenda forent mista, tamen sunt mista imperfecta, non habentia dispositiones proximas, ut convertantur in alimentum, & substantiam humani corporis, & vitam conservent, inferentes propterea, quod licèt compertum sit, infantes, & gravidas terram, & cretam, & similia in stomachum ingessisse, tamen ea nullo modo cessisse ipsis in alimentum. Exempla verò animalium, quæ terra vesci dicuntur non esse satis clara, neque extra dubium, cùm & plantæ illa alantur, serpentes quoque, bussones, aliaque insecta, & ignobiliora, licèt terram vorent, non tamen inde ali, vel in omnem casum inferri non posse, quod terra homini alimentum esse possit.

91 Minus quoque sexta medici cujusdam, supponentis abstinentes a cibo alimentum sibi comparari vini potu, alicujus est momenti. Ea enim improbatur a Liceto *d. lib.* 2. *c.* 119. & *seqq.* firmante vinum solum ex se alere non posse partes corporis solidiores, neque ideò sufficere ad alimentum multo tempore. Nam etsi facilè in sanguinem converti possit ob naturæ similitudinem, quia tamen commutatio vini in substantiam sanguinis momento non fit, sed in tempore debito, nec ubique locum habet, sed in hepate, vel corde, sanè si vinum, cujus materia fluxilis est, solum bibatur, nihil reperiens in stomacho solidi, quo ejus fluor cohibeatur, facilè dilabitur in intestina per alvum, & ad officinam sanguinis non permeans, naturam sanguinis non induit. Ita ergo vinum solum converti nequit in sanguinem, nec per consequens sufficiens alimentum homini tribuere ad vitam, quo plenè satisfieri possit tàm fami, quæ teste Vizzano *d. tex.* 9. definitur ab Aristotele 2. *de anim. text.* 28. appetitus calidi, & sicci, quam siti, quæ est appetitus frigidi, & humidi. Quia licèt penitus extinguat sitim, famemque leniat, non tamen penitus tollit. In vino quippè teste Galeno *de tuen. valet c.* 2. non adsunt qualitates solidioribus corporis partibus sufficientes, sed solis mollioribus.

92 Septima opinio aliorum, qui ex authoritate Alberti Magni hujus abstinentiæ causam volunt esse pituitam in succum in corpore redundantem, rejicitur. Nam, prætermisso, quod Aristoteles 1. *de gener. animal. c.* 12. docet, pituitam esse quidem utilis alimenti feracem quoties cùm cibo puto permiscetur, solam tamen ex se nullo pacto cedere in alimentum corpori, ac Licet *c.* 131. & *seq.* ubi copiosè probat, pituitam, crudumque succum in ventriculo, in hepate, in venis, totoque corpore redundantem nutrire non posse, immò si per universum corpus dispergatur ejus copia, veluti alimentum, nihil aliud, quàm obstructiones, aliaque innumera mala parere posset non applicatur illis Servis Dei, qui non sunt pituitosi, nec crudo humore ac pituitoso succo abundant. Immò durante eorum abstinentia semper sunt prosperæ, ac vividæ valetudinis. At verò teste Liceto *d. lib.* 2. *c.* 131. homines pituita, ac luxu ad articulos intensissimis doloribus cruciantur, etiamsi pituita illa dulcis existat, inferens propterea vix fieri posse, quin abstinentes cum tanta pituita podagricis, aliisque morbis articularibus crucientur.

Minus quoque urget opinio Cardani abstinentiæ causam referentis ad humorem melancholicum. Nam, quidquid proposuerit Cardanus. Servi Dei non sunt melancholici, sed mente semper alacri, hilarique animo, serenumque vultum, perpetuamque lætitiam referunt, ac refellitur a Liceto *d. lib.* 2. *c.* 149. & *seq.* & ex Aristotele, Hippocrate, Galeno, & aliis, firmantibus humorem melancholicum abstinentiæ longioris causam esse non posse. Quia licèt melancholia appetitum deiicere possit, non tamen potest efficere, ut non comedentes diutius vitam protrahant. Non enim cedere valet in alimentum. Et quamvis Pallier. *in disquis. de ver. lact. genes.* asserat, quod melancholicus humor, quo, ut plurimum abundasse fertur illos, qui ad annos cibum non assumpserunt, sua ariditate, & stiptica facultate per universum corpus diffusus alimentum ita figat, ut non facilè discutiatur, adjuvante in mulieribus præcipuè uteri dispositione, verior sententia videtur, putat tamen difficillimum fore, ut melancholiæ insignis proventus, & concors nteri dispositio ita jungantur ad hoc, ut mirabilem hunc effectum producere valeant.

Nona Bonamici statuentis jejunantes ali colliquamen- 93
tis partium internarum, pariter ex dictis non adaptatur. Quia fervorum Dei corpora ex succa, & exhausta carent colliquamentis. Immò, ut Licettus docet *d. lib.* 2. *cap.* 152. hujusmodi colliquamenta gigni non possunt in abstinentibus. Quia licèt aliquando fame laborantes colliquescant, tamen Aristoteles 1. *sect. probl.* 5. apertè docet eam colliquationem cedere in alimentum corporis, sed cum universi corporis tabe, ac macie concedere in tumorem pedum. Prætereà nec pituitosi humoris redundantiam, aut internarum partium colliquamenta abstinentiæ hujus, quam inibibetiam vocat Plautus, pro causa admittit Pallier. *dict. disquis. numer.* 151. Talis namque humor nec ita copiosus cumulari potest, ut tàm longo temporis tractu alere possit. Quod verò colliquatur, haud confluit in ventriculum, & in chylum, & ex hoc in sanguinem mutatur, sed vel corporis ambitum & cutem sensibiliter, vel insensibili transpiratione discutitur, vel in ventrem extremum depositum per alvum egeritur.

Decima putantium abstinentes ali menstrui sanguinis 94
portione, ab utero materno in ipsis recondita, expellitur a Liceto *lib.* 2. *cap.* 171. demonstrante jejunantibus alimento non esse menstruum benignum ex utero matris corporatum. Quia, esto quod forsan posset sufficere fœtui primis diebus a conceptu, postquam tamen tota pueritia, & deindè consuetis alimentis usi, salubrem vitam agerent, nulla jam ratione fieri posse videtur, ut in adeò longo jejunio alantur menstruo benigno sibi ab utero matris recondito, & in provectam ætatem comportato.

Undecima Brasavolæ putantis fabulosum esse quid- 95
quid de abstinentia plurium mensium, & annorum circumfertur, non potest simpliciter, & absolutè admitti, sed solùm quoad ethnicos, & prophanos, secus autem ad eos, qui vitæ sanctimonia claruerunt, diuturnamque abstinentiam sola panis Angelorum refectione servarunt. Unde exemplis, quæ ex magnorum virorum autographis desumuntur, sicuti fidem omninò non detrahimus, ita nec absolutè credimus. Ipsi enim relata ab aliis scripserunt, & quid oculare perhibent testimonium, nunquid jejunantium custodes fuerunt, ut diu, noctuque excubias agerent vigilantes, ne cibum degustarent? Quippè istorum quamplures, qui se jejunium longo tempore ferre jactabant, deceptores, & impostores compertos fuisse scribit Vuierus *lib.* 3. *de commentit. jejun.* Relinquimus tamen unicuique more suo liberam credulitatem, dum quod naturaliter impossibile, divinitus fieri posse affirmamus, ut de Moysis, & Eliæ jejunio sacra testantur monumenta, aliorumque sanctitate excellentiam legimus apud historicos.

Quod verò ad duodecimam, ac decimam tertiam Gar- 96
veti distinguentis inter profanos, quorum abstinentiam fictè simulatam fuisse putat, testante Liceto *d. lib.* 2. *c.* 168. & *seqq.* ac inter eos, qui vitæ sanctitate claruerunt, quorum jejunium a supernaturali causa productum fuisse, & miraculosum firmat, proculdubio ex superiùs dictis standum est secundo membro præfatæ distinctionis, quidquid in contrarium perperam dixerit idem Licetus *c.* 172. cum bina ejus argumenta leviissima esse superiùs ostensum fuit, & adversus eundem speciatim scripserint Sennertus *d. cap.* 2. aliique antea relati, qui etiam ejus opinionem de causa naturali abstinentiæ omninò improbarunt, ut infra dicetur.

Ab hac quidem distinctione non abesse videtur decima- 97
quarta statuentium jejunantes clam, ali ab Angelis. Siquidem Servi Dei sacra Eucharistia contenti, saturique pane Angelorum, Angelicam penè vitam agentes, nutriuntur ab eo, qui vera vita est, & cujus ex carne vivifica, & sanguine sanguis etiam, & caro eorum efficiuntur.

Decima quinta existimantium, abstinentes non fuisse ve- 98
re viventia corpora, sed cadavera a dæmone aliquo assum-

pta, & mota, de qua Licet. *cap.* 178. *& ſeqq.* ac decimaſexta Imblici, philoſophi Platonici, & ſequacium, teſte eodem Liceto *cap.* 181. ſtatuentium eſſe quidem corpora viventia, ſed a dæmone obſeſſa, non ſolùm improbantur ab ipſo Liceto locis allegatis, & a Sennerto *dict. cap.* 2. ſed etiam ex heroicis actionibus, & excellentia virtutum Servorum Dei ſanctitate conſpicuorum, animique ac corporis tranquillitate, & alacritate, perpetuaque lætitia nihil tale in eis fuiſſe, certiſſimum eſt.

99 Decima ſeptima Cornelii Celſi, Apponenſis, & Bacconii diuturnæ cauſam abſtinentiæ referentium ad virtutes aſtrorum, & peculiares Cœli affectiones egregiè refellitur a Liceto *d. lib.* 2. *cap.* 187. ac Sennerto *d. cap.* 2. Tum quia Cœli, ac ſydera cùm ſint agentia phyſica, ſed remota, & communia omnium eventuum ſublunarium, præterquam luminis, & caloris, aliarumque primarum qualitatum, ex eiſdem profectò prodire nequeunt alii effectus, niſi itidem communes. Unde rarò unus vel alter in una Provincia, diverſoque tempore diuturniori abſtinentia claruiſſe vix reperitur. Nam, ut ait Ariſtoteles 2. *phyſic. text.* 38. univerſalium cauſæ ſunt univerſales, & particularium particulares. Quare Martinus del Rio *d. lib.* 2. *quæſt.* 22. *in fine*, poſtquam impium appellavit eundem Bacconium, omnia hæc ſtellarum viribus aſcribentem, petit, cur ſi hoc ita eſt, uni duntaxat, & non alteri quoque vim hanc tolerandæ inediæ ſtellæ iſtæ in commune influxum ſuum demittentes, largiuntur? An quod ſolius hujus corpus ita diſpoſitum? Sed quæ hæc diſpoſitio ſola influxui pervia? Quæ hæc in aliis tanta vis, & obſtinatio ad excludendum? Tum quia peculiares iſti infixus, quorum virtuti tribuunt abſtinentiam, nihil commune habent cum Cœli, ſyderumque motu, ac lumine. Nam idem Ariſtoteles 2. *de Cœl. text.* 42. *& c. metheor. c.* 4. in aſſignandis virtutibus, quibus cœleſtia agunt in hæc inferiora, ſolum motum, lumenque recenſet, nullibique agit de occultis, & particularibus influentiis. Immò 4. *metheor. c.* 1. *&* 2. cauſam proximam & immediatam eventuum ſublunarium educit a calore, frigiditate, veluti cauſa proxima, a Cœlo autem, ut e cauſa communi, & remota. Unde cauſa proxima, ac peculiaris diuturnæ abſtinentiæ perperam referri ad Cœlorum influxus ex prædictis, & aliis rationibus, ex eodem philoſopho deductis, prolixè ac doctè tradit Licetus *c.* 187. inferens propterea *c.* 189. argumentum in contrarium elicitum ex magnetis converſione ad populum, maris æſtu, fluxu ac refluxu, ortuque frigiditatis a Cœlo non procul eſſe a paralogiſmo petente principium, ignotumque probari magis ignoto, aut æquè ignoto.

100 Decimaoctava eorum, quia abſtinentiæ cauſam referunt ad ſympathiam conſtitutionis corporis humani cum aere, & antipathiam cum cibis confutatur a Liceto *d. lib.* 2. *cap.* 193. *& ſeq.* ac Sennerto *dict. cap.* 2. Hominis namque conſtitutio, quæ eſt cauſa conſurgens ex quatuor primarum qualitatum conjunctione in quolibet miſto, ideòque dicitur forma miſti, nullam habere poteſt cum aere ſympathiam, ac ſimilitudinem, ut ſine alimentis illo ſolo diù ſuſtineatur, & conſervetur. Similiter etſi aliquando quis antipathiam habeat cum cibis, & reſpuat alimenta, non tamen ob id inferri valet, ut quis ſine cibo diù vivere poſſit, de quo eſt præſens quæſtio.

101 Decimænonæ ex Alexandri Afrodienſis authoritate abſtinentiæ cauſam ad proprietates occultas referentium plenè reſpondetur a Liceto *dict. lib.* 2. *cap.* 96. *& ſeqq.* cum Ariſtoteles 2. *de anim. text.* 8. 17. *&* 18. docuerit, intellectum humanum poſſe omnia, & ſingula penitus cognitione aſſequi, ac proinde nihil unquam eſſe, quod ab homine dignoſci nequeat, ex quo Fracaſtorius, cui multi aſſentiuntur, hujuſmodi proprietates occultas e cauſarum in genere reſpuit, tanquam aſylum inſcitiæ.

102 Vigeſimam Abulenſis originem abſtinentiæ tribuentis extaſi, quaſi anima jejunantium alienata a corpore non obeat munera conſueta, non ſolùm diluit Licetus *dict. lib.* 2. *cap.* 199. *& ſeqq.* verùm etiam illa non accommodatur iis Servis Dei, qui licèt nihil omninò cibi, potuſve ſumant, vires tamen corporeæ conſtant, ſolita pietatis, pœnitentiæ & auſteritatis ſpiritualia exercitia nunquam intermittunt, eunt, redeunt, itinera ſatis longa perficiunt, menteque alacri, & vultu ſereno, proſpera ſemper, ac vegeta valetudine corporis munera conſueta obeunt.

103 Pariterque vigeſima prima Joannis Poſthii, putantis abſtinentium animam per cataphoram, & interiorem ſomnum vacare a propriis officiis, evertitur a Liceto eodem *lib.* 2. *c.* 202. & non aptatur Dei Servis, qui angu-ſtioribus contenti cellulis, diutinam abſtinentiam aſſiduis vigiliis, & orationibus, aliiſque ſpiritualibus exercitiis diu ac noctu nullo puncto temporis intermiſſo conjungunt.

Vigeſimæſæcundæ Mercurialis, & aliorum, dicentium cauſam jejunii diuturni eſſe conſtrictionem cutis, pororumque occluſionem, quidquam e corpore diffluere non permittentem, reſpondetur cum Liceto *d. lib.* 2. *c.* 205. *& ſeqq.* primò, uſum, ac neceſſitatem alimentorum non eſſe abſolutè reſtaurationem deperditi, licèt huic reſtaurationi aliqua ratione per accidens, & ex neceſſitate materiæ alimonia deſerviat, ſed primarium alimentorum finem revera eſſe avocationem caloris nativi a celeri conſumptione humidi ſubſtantifici, ut patet ex pluribus locis Ariſtotelis. Secundò, animali viventi nullo modo poſſe ita coſtringi meatus omnes, ut nihil indè è ſubſtantia capitis effluat; aliàs enim occludendi eſſent patentes corporis, oris, narium, & aurium, ac hujuſmodi, qui pervii ſunt aeri introeunti ad reſpirationem, olfactum, & auditum, & ex quibus egreditur ſubſtantia corporis, interni caloris actione attenuata. Tertiò, quia niſi fuligines per expirationem ex intimis præcordiis è ſubſtantia corporis calore in alitus diſſoluta diffunderentur, cor ſanè illis obrueretur, & è contra ſi cutis latentes pori diutius occluſi aditum negarent externo aeri ad calorem arteriarum refrigerandarum neceſſariò, brevi animal in febrim incideret, teſte Galeno 8. *method. cap.* 2. 104

Vigeſimætertiæ Citeſii, dicentis longioris abſtinentiæ cauſam eſſe conſtrictionem, ſive compreſſionem viſcerum nil nutrimenti admittentium, reſpondetur primò cum eodem Liceto *d. lib.* 2. *cap.* 209. hujuſmodi viſcerum coarctationem jejunii cauſam non eſſe, ſed potius effectum. Secundò, nullo modo famen, ſitimve tollere, ſed potius augere, & ventriculum exhaurire inſito ſibi penuriæ ſenſu ad appetendum cibum, quo ſe reficiat, ut ex Hippocrate expertè docet Galenus *de ſymptom. cauſ. c.* 7. Aſſignatque reipſa hanc rationem, quia, exinanito ventriculo, ideò eſurimus quoniam contrahit ſeſe, corrugaturque ad attrahendum, & quo magis contrahitur, eo major fames percipitur. Tertiò, eſto inteſtinorum adſtrictio impedimentum afferret indigeſtioni alimentorum in ventrem, non tamen inde poſſe, quod abſtinens ab omnibus alimentis diù vivere poſſit. 105

Vigeſimaquarta Joannis Langii, ac Citeſii exiſtimantium longum jejunium pendere a morbo, nimirum a tabe jecoris, ac ſtupore ventriculi, & omninò ab atrophia, retunditur a Liceto *d. lib.* 2. *cap.* 212. *& ſeqq.* & tollitur ex facto. Quia Servi Dei proſperæ ſemper ac vividæ ſunt valetudinis, ac in exuccis quidem, & macilentibus corporibus vires vigent, & calor, licèt humori prædominans, ab ejus tamen conſumptione abſtinet, & naturalis appetitus non planè extinctus, ſed vegetus, & valens nullum omninò illis parit moleſtiæ ſenſum, quod propterea miraculo adſcribendum eſt, teſte ipſo Liceto *cap.* 213. 106

Vigeſimaquinta Quercetani, cauſam referentis ad putrefactionem partis ventris imi, & nutricatum aliarum ex aere, & odoribus, non ſolùm tollitur ex facto ipſo, cum in ſervis Dei nullum ſignum putrefacti obdominis obſervatum fuit, ſed rejicitur a Liceto *d. lib.* 2. *c.* 215. & validiſſimis rationibus ſuperius exploſa eſt. 107

Vigeſimaſexta dicentium, abſtinentes vivere vi herbę, ac medicamenti cujuſdam famem, ſitimque pellentis, enervatur ex traditis a Liceto *d. lib.* 2. *cap.* 218. *& ſeqq.* 108

Vigeſimæ ſeptimæ Valeriolæ diuturnæ abſtinentiæ cauſam referentis in puram conſuetudinem, reſpondetur cum Liceto *d. lib.* 2. *c.* 221. *& ſeqq.* ac Sennerto *d. c.* 2. conſuetudinis quidem maximam vim eſſe, non tamen in omnibus locum habere. Unde licèt abſtinentibus tribuat, ne fame, ſitique crucientur extinctione appetitus, non tamen efficere poteſt, ut abſtinentes diù vivant ſine alimento. Neque enim in ſenſus actiones ullam habet poteſtatem, nec ideò quis efficere poteſt, ut olfaciat, ſentiat, vel non reſpiret, aliaque prætermittat, quæ ad vitales facultates pertinent, quarum præcipua eſt nutricatio, quę propterea nulla conſuetudine poteſt aboleri. Nam, ut inquit Ariſtoteles 2. *de anima text.* 3. *tandiu vivit homo, quandiu nutritur. Et text.* 14. *Omne, quod nutritur, neceſſariò vivit, & non vivit, niſi dum poteſt nutrimentum accipere. Ac text.* 37. *Nihil*, ait, *detrimentum patitur, neque augmentatur phyſicè, niſi alatur, alitur autem nihil, quod non communicet cum vita.* Inferens propterea *text.* 48. quod privatum alimento eſſe non poteſt. Et *lib.* 3. *text.* 59. quod nutritivam animam neceſſe eſt habere omne quodcumque vivit, & animam habet a generatione uſque ad corruptionem. Ac repetunt Mercatus *tom.* 1. *lib.* 1. *p.* 5. *de anim. ejuſque potent. quæſt.* 132. *&* 141. & Vizzan. *in dict. text.* 9. Ideòque concludendum cum 109

Liceto

Liceto ac Sennerto, hominem nulla conſuetudine ad id ut ſine alimento vivat, adduci poſſe, cùm natura corporis plenè, & abſolutè repugnet.

120 Ad noſtram vigeſimam octavam reſpondemus cum Suarez, qui hunc modum reprobatur, ſupponens operationes animæ vegetativæ eſſe merè naturales, quæ ſola alteratione qualitatum exercentur, quæ ideò non pendet ab actuali animæ operatione, & influxu, & per conſequens eſt neceſſarium miraculum, ut ſcilicet ſine cibo, & potu quis poſſet diù vivere.

121 Vigeſima nona Liceti opinio exiſtimantis viventia omnia poſſe naturaliter vivere per longum tempus abſque eo, quod nullo modo nutriantur, nutritionemque non ſemper, & unicuique animali ad vitam eſſe neceſſariam tum ratione animæ, tum ratione corporis, tum ratione caloris, tum ratione totius viventis, quamvis eam pluribus authoritatibus, & argumentis muniri conatus ſit, nullo modo ſubſiſtit.

122 Tum quia aſſumptum ejus de nutritionis intermiſſione, quod nimirum animal abſque eo, quod aliquo modo nutriatur, vivere poſſit, falſiſſimum eſſe authoritatibus Ariſtotelis, Hippocratis, Galeni, & aliorum, pluribuſque rationibus conſtanter firmarunt doctiſſimi viri Sennertus *d. cap.* 2. Paulus Zacchias *lib.* 4. *q. medico. leg. tit.* 1. *q.* 7. *num.* 25. *cum ſeqq.* & Benedictus Aquilanus *epiſt. med. lib.* 7. *epiſt.* 1. Prolixè verò Stephanus Rodericus Caſtrenſis medicus, ac philoſophus præſtantiſſimus in *tract. de aſitia*, quem ex profeſſo conſcripſit adverſus dictam opinionem Liceti, & in commentariis *ad lib. Hippocr. de alim. ſect.* 1. *art.* 12. quæ poſteà edidit ad evitandas replicationes ejuſdem Liceti. Tum quia argumenta a Liceto adducta pro ſubſidio ſuæ opinationis nullius momenti eſſe luculentiſſimis authoritatibus Ariſtotelis, Hippocratis, aliorumque doctiſſimorum virorum, & concludentiſſimis rationibus demonſtrant Sennertus, Rodericus, & Zacchias locis allegatis.

123 Primùm enim, quod in homine nutriendi functio ceſſare poſſit tum ratione animæ, tum ratione corporis, tum ratione caloris, tum ratione totius compoſiti omni ex parte corruit. Animæ quippè, ad quam attinet, nutritio interumpi nequit. Nam longè alia ratio eſt de actione facultatis ratiocinantis, ſentientis, & moventis, alia verò nutrientis. Hæc enim ſimpliciter adeòque neceſſaria eſt ad vitam, ut homo ſine nutritione, vivere non poſſit. Nutritio enim non animæ, ſed compoſiti viventis affectio eſt. Cùm autem diſſipatio eſt continua, & nunquam ceſſet, continua quoque nutritio eſſe debet, & nunquam ceſſabit, ut animadvertit Galen. *de ſanit. tuen. cap.* 4. & in ſpecie arguunt Roderic. *d. tract. de ahm. ſect.* 1. *quæſt.* 5. *art.* 6. Senert. *d. c.* 2. & Zacch. *d. q.* 7. *n.* 38.

124 Non itidem ociari poteſt nutritio ratione corporis, prout argumento a ſimili, elicito ab accretione, & generatione prætendit Licetus. Magna quippè diſparitas eſt inter accretionem, & generationem, quæ non ſunt actiones ſimpliciter neceſſariæ ad vitam, ſed ſolùm ad meliorem, & perfectiorem, cum his vita diù vivere poſſit, ac nutritionem, per quam neceſſariò fit inſtauratio ſubſtantiæ deperditæ, a qua propterea anima, ut ab aliis actionibus, quæ liberæ ſunt, ceſſare nequit, cum neceſſitati naturæ actio adducta ſit juxta ponderata a Sennerto *d. cap.* 2. & latius a Roderico *d. q.* 5. *art.* 7. & a Pallier. *in cit. diſq. num.* 146. *& ſeqq.*

125 Minus ratione caloris: Nam Ariſtoteles *de longit. & brevit. vit. cap.* 2. ſic ait: *Impoſſibile enim materiam habenti non exiſtere aliqualiter contrarium. Nam omninò quoque ineſſe calidum, aut rectam contingit. Quodcunque autem eſſe impoſſibile, autem calidum, aut rectum, aut album. Erunt enim paſſiones ſeparatæ. Si igitur quando fuerint activum, & paſſibile, hoc quidem ſemper agit, hoc autem patitur, impoſſibile non tranſmutetur, &c.* Quapropter omnia ſemper in motu ſunt, & fiunt, aut corrumpuntur, continens autem aut cooperatur, aut contra operatur. Ex quo, & ex Platone in Timæo, & *in dialog. de natur.* Ludovicus Mercatus *d. par.* 5. *quæſt.* 141. tradit, quod propter continuam actionem calidi in humidum neceſſaria ſit continuatio nutricativæ actionis; alioquin, ea ceſſante calor nativus innatam ſubſtantiam diſſipabit, & corrumpet. Quia deficiente alimento partes viventes agunt in alias.

126 Et quidem quod neceſſe ſit animal eſſe continuè calidum probatur. Nam *ex* 2. *de anim.* in his inferioribus non datur vivum ſine nutritivo. Nutritivum autem non nutrit, niſi aſsimilet nutrimentum nutrito. Hæc autem aſsimilatio fit per decoctionem, decoctio per calorem. Ergo neceſſe eſt animali ineſſe calorem, quo operetur actiones partis nutritivæ.

127 Item omne vivens vita mortali indiget calido in actu immò vita talis conſiſtit in calido actu. In dicto enim *lib. de longit. & brevit. vit.* ſic ſcribitur: *oportet enim, accipere quod animal eſt natura humidum, & calidum, & vivere taliter. Et in lib. de juvent. & ſenect. omnes autem particulæ, & totum corpus animalium habent quandam caliditatem naturalem, propter quod viventia quidem videntur calida, morientia autem, & privata vivere contrarium.* In libro quoque de morte, & vita: *generatio quidem igitur eſt prima participatio in calido nutritivæ animæ; vita autem manſio hujus, juventus autem eſt primæ refrigerativæ particulæ augmentatio, ſenectus autem hujus decrementum activæ horum medium. Et in lib. de reſpirat. Quoniam autem dictum eſt prius quam vivere, & animæ halitus cum caliditate quadam eſt. Igne igitur operantur omnia.* In multiſque aliis locis idem ab Ariſtotele habetur. Ex quibus apertum eſt, quod calidum in actu in iſtis inferioribus diù permanere non poteſt, niſi continuè regeneretur, & pabuletur. Conveniens autem ejus pabulum eſt humidum aereum. Quare in pingui ignis nutriri videtur, ipſoque fomento deficiente, ſtatim, & ignis ipſe deficit. Cùm itaque viventia mortalia calido conſiſtant, ideò ſi eorum vita perdurare debet, oportet aſſiduam ejuſdem calidi fieri regenerationem ex humido nutritivi in locum deperditi, ut ſuperiùs dictum eſt. Videantur præ cæteris Sennert. *d. cap.* 4. & Zacch. *d. quæſt.* 7. *num.* 30. & latius Roderic. *d. quæſt.* 5. *artic.* 8. agnovitque id etiam ipſe Licetus ſibi contrarius, cum in ſæpè citato opere *de his, qui diù vivunt &c. lib.* 2. *cap.* 24. docuerit, calorem noſtrum aſsiduè mutari, ac minui.

Denique nec ratione humoris, qui calori ſubjicitur, 128
nec ratione ſpirituum, nec ratione totius compoſiti, nec ratione ipſius nutricationis firmat Sennert. & Zacch. locis citatis, ac Roderic. *d. quæſt.* 5. *art.* 9. *cum ſeqq.* concludentes, quod quatenus ratione unius nutritio intermitti poſſet, ratione tamen omnium ſimul omninò neceſſaria foret. Nam niſi ad præſens ſit neceſſaria ratione unius, erit tamen neceſſaria ratione alterius, itaut omnium reſpectu intermitti omninò ſit impoſſibile.

Quin amplius Zacchias *dict. q. ſub num.* 39. addit, quod 129
ſi aliquando in vivente nutritio intermitteretur, eſſet præternaturalis, idque hoc dilemmate. Aut enim hæc intermiſſio eſſet ſecundùm naturam, utpotè quia ex æqualitate caloris cum humido, ſicque conſtitutione corporis temperatiſsimi. Aut id eſſet per accidens, & præter naturam. Si primum proculdubio nutritio eſſet quid maximè præter naturam, vel tantùm recederet a conſtitutione naturali, quantum intermiſsio nutritionis ad naturalem conſtitutionem accederet. Si verò alterum, cùm omnia, quæ præter naturam ſunt, ipſi naturæ vim inferant, abſque dubio hujuſmodi etiam intermiſſio foret ſupernaturalis. Undè ſequitur, quod in ſententia quoque Liceti hæc intermiſſio qualiſcunque foret, dicenda eſſet miraculoſa.

Quæ verò de ſeminibus plantarum, ramis arborum, 130
ſtirpibus, brutis quibuſdam, aliiſque inſectis tradit Licetus, aliquando vivere abſque eo, quod aliquo modo nutriantur, uti a veritate aliena penitus tolluntur a Zacch. *dict. quæſt.* 7. *num.* 31. & *ſeqq.* argumento ducto a fortiori. Quod ſi plantarum ſemina alimentum continent, & vivunt donec nutriuntur ſecundùm Theophraſtum *lib.* 1. *de cauſ. plant. numer.* 7. multò magis de ipſis cæteris id firmandum erit. Quin ipſe Licetus hoc ſuum argumentum penitus deſtruit altero, quod *lib.* 3. *cap.* 53. affert, nempè diuturni jejunii cauſam eſſe tardam, & exilem admodum conſumptionem humoris a calore. Indè enim ſequitur, quod ubi calor agit in humidum, nutricatio nequaquam intermittitur.

Et ſi verum ſit, quod hyemali tempore animalia 131
per multa ſub aquis degant, aut in cavernis ſuis lateant, nulloque utantur alimento, verius tamen eſt, quod horum nonnulla muccoſo quodam abundant excremento, quod eorum tranſit in nutrimentum. Immò illorum calor tunc temporis ita debilis eſt, ut parum nutrimenti abſumat. Verùm alia inſecta nimirum ob aeris ambientis frigiditatem, qua elanguidus ipſorum calor devictus obrigeſcit, & ad interiora repellitur, quaſi mortua deliteſcunt, donec vere adveniente aeris frigida intemperies zephyris repentibus miteſcat. Nec ex eo, quod plantæ hyeme ſterileſcant, virentique frondium coma viduatæ ſenilem, glabramque præſeferant ruvido cortice ariditatem, ociatur in illis nutritio. Terra enim ipſarum venter eſt, quo radicibus infixæ humorem nutritium ſemper prolectant, ea verò tempeſtate, cum nec frondibus luxuriant, nec pomis fructiceſcunt, ſuccus ille utilis congeritur, quo repletæ concipiunt, veris

poſtmodum initio prægnationis tempore abſoluto folia, & botros eleganti fœtura parturiunt, homo verò cùm nobiliſſimæ ſit naturæ nunquam ſine alimento vivit, longamque inediam non ſine maxima virium amiſſione, vel evidenti vitæ periculo ferre poteſt, ex quo nutritionem haud in ipſo nunquam ceſſare apertum eſt.

132 Nullius quoque roboris eſt alterum Liceti argumentum, quod cauſa formalis tàm diuturni jejunii ſit ipſa abſtinentia ab alimento externo cum voluntaria intermiſſione nutricationis, cujus neceſſitas cum ſit ob deperditionem humidi radicalis, quod a calore nativo jugiter abſumitur, auferri poſſit humidi radicalis conſumptione ſublata ob æqualitatem caloris nativi cum humido radicali, ac proportionem ad invicem.

133 Impoſſibilitatem namque hujus æqualitatis, ac proportionis inter calidum, & humidum manifeſtiſſimè demonſtrant verba Galeni 12. *metod. cap.* 5. ac ſiquidem proſpici his ſpiritibus, ſolidiſque partibus poſſet, ut nec ſubſtantiæ eorum quidquam vacuaretur, aut prorſus immutaretur, id eſſet optimum. Sed quoniam in commentariis *de ſanit. tuen.* oſtendimus, fieri non poſſe, ut generali corpori contingat, &c. Ex quo Zacch. *dict. quæſt.* 7. *numer.* 41. & fuſiſſimè Roderic. *dict. quæſt.* 5. *artic.* 12. *numer.* 10. hanc æqualitatem inter calidum, & humidum nullam habere exiſtentiam, ſed omninò impoſſibilem, & confictam eſſe. Quia cùm unum ſit ad agendum, & propter id exiſtat, alterum ad patiendum, & propter id ſubſiſtat, ſi humido, quod eſt caloris pabulum, calor non paſceretur, ex defectu pabuli extingueretur, indeque mors accederet, quæ eſt extinctio caloris, ſicque animal nunquam vivere poſſet.

134 Quod ſi negotium faceſcere, & fictitium hoc alioquin Naturæ ocium ſuadere poſſet, permultos extitiſſe, qui non ad dies, ſed ad menſes, immò, & plurium annorum ſeriem vitam abſque ullo cibo produxerint, ut ex probatis, & fide dignis authoribus objicitur. Equidem monſtra in arte aliquando fieri notum, naturamque mirabili, inſuetoque etiam ordine agere acceptum eſt; at cum nutritionis neceſſitas tanta ſit, ut nec ſine illa corpus vivat, nec vivens tali pacto diù perduret, naturaliter hoc fieri vix poſſibile cenſendum erit. Et licèt hoc propter contemperantiam quandam humidi primigenii, inſitique caloris fieri dicant nonnulli adeòut proportione quadam mutuò inter ſe diſpoſita, hoc in illud nonniſi leviter agat, illud verò ab hoc lentè admodum abſumatur. Hinc fœdere hoc durante corpus nec alimento indiget, nec ſenſibiliter inedia conficitur, hancque contemperantiam materiæ illius, quæ pabulum eſt caloris ita diſponi poſſe, ut ignis agens diù in illo hæreat, nec facilè adeò abſumat antiquorum lucernis innoteſcit, de quibus diſertè ac erudité idem Licetus *lib. de lucern. antiqu. recond.* Verùm arte facta, etſi æmulo quodam ad naturam ordine fiant, tamen ſicuti ejuſdem opera perfectè nunquam aſſequuntur, ita nec probant, hocque de lucernis hiſce meo judicio dicendum. Nam etſi hæ per multa ſæcula, ut de illa Maximi Olibii in agro Patavino, altera Romæ in tumulo Tulliæ, Ciceronis filiæ, quarum primam ad annos 1500. aliam verò ad annos 1552. exurſiſſe dicitur, admiſſo autem aere, illicò extinctæ ſunt, cenſendum eſt pabulum illud oleoſum, quo iplarum ignic.lus alebatur, craſſiſſimum extitiſſe, ut in tumulis, in quibus nulla daretur aeris penetratio, perduraret, hinc illius præſentia diſſipatum, ſtatim evanuiſſe, quia aeris adventu craſſus liquor extenueretur, aut flammula illa hoſtili obruta appulſu, interiret. Itaque ſi ignis hujus vita unius contrarii aſpectu deſtruitur, ſoloque aeris afflatu contemperantia illa deſinit, quomodò in homine admittitur, cujus generationis exordium quandoque ex intemperato ſemine, morboſa conformatio, accurata parum educatio, quique aeris non modò injuriis, temporum viciſſitudinibus, ſed innumeris animi, corporiſque ærumnis ſubjicitur? Quo inſuper ritu calor inſitus æqualiter diù agat in humidum, dum mitior modò, modò fortior pro ætatum, & conſtitutionum varietate efficitur, levique de cauſa excandeſcit? Et quænam corpora primigenium humidum ita accommodatum ſortientur tot inter humores invicem oppoſitos, & naturæ malè diſpoſitæ recrementa?

135 Inſuper Rodericus *art.* 12. *num.* 15. *& in lib. de aſitia* per quaſdam proportiones alimenti ad partes anni demonſtrat, non poſſe intra corpus tantam levari materiam, quæ ſufficiat ad nutritionem unius anni. Undè infert, impoſſibile eſſe, quod calor, & humor ita in æquilibrio manere poſſit, ut nulla tempeſtas, nulla aeris mutatio in alterutram partem faciat inclinare, ut idem Licetus, ſibi non conſtans, ſatis agnovit. Quin etiam Zacch. *d. quæſt.* 7. *numer.* 39. *& ſeq.* ac Roderic. *d. art.* 12. addunt quod ſi daretur hujuſmodi æqualitas, & proportio inter humidum, & calidum intermittens neceſſitatem nutricationis, poſſet nobis inferre immortalitatem.

Et quidem fatendum eſt, fore ſupernaturalem, & mi- 136
raculoſam. Quia, ut teſtatur D. Thomas, Theologorum Solſtitium *p.* 1. *q.* 97. *art.* 3. & 4. *in corp.* homo, etiam in ſtatu innocentiæ, cibis indigebat, cùm haberrt vitam animalem, cujus primum principium in iſtis inferioribus eſt anima vegetabilis, juxta ea, quæ de primo parente in hanc rem tradit Auguſtinus *tom.* 5. *lib.* 14. *de civit. cap.* 26. quod cibus aderat homini, ne eſuriret, potus, ne ſitiret, & lignum vitæ, ne eum diſſolveret. Quapropter rejicienda eſt opinio Liceti, utpotè ſolidis deſtituta fundamentis.

Neque obſtat aſſerta poſſibilitas ſumendi nutrimentum 137
ex ſuccis, & radicibus herbarum, ſuper qua multa congeruntur. Primò, quia ſecundum Baldum *in l. ſi reus* 37. *num.* 4. *ff. de procur.* argumentum deſumptum a poſſibili, ſolvitur per contrarium poſſibile, & quando ſe habere poteſt ad alterum, in meliorem partem interpretari debemus, ſubdendo, menti tenendum. Atqui aſſerta poſſibilitas ſumptionis nutrimenti ex radicibus herbarum penitus eliditur probatione contrarii, quod ſumere non potuiſſent, quin id exploratum fuiſſet ex diligentiſsimis, atque exactis cuſtodiis ad hoc diſpoſitis. Argumentum quippè hujuſmodi ceſſat probatione contrarii; quia præſumptio cedit veritati, Maſchard. *de prob. concluſ.* 1120. *numer.* 7. & Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *caſ.* 117.

Secundò, quia in dubio attenditur quòd veriſimilius 138
eſt, & quod plerumque fieri ſolet, ſive a communiter accidentibus, *l. in obſcuris, ff. de reg. jur.* cum ſimilibus per Tiraquell. *de retract. §.* 2. *gloſs.* 14. *num.* 74. Et poſſibile ſolùm deducibile eſt, quando poteſt facilè contingere, ſecus ſi cum multa difficultate, & vix contingat, quia tunc non eſt attendendum ad text. *in leg. Julianus ff. qui, & a quib. & l. ſi quis ab alio, ff. de re jud.* Non eſt autem veriſimile, quod Servi Dei nutrimentum ſumpſerint ex ſuccis herbarum. Non enim præſumendum eſt, quod eximiæ pietatis viri, ac Dei valdè timorati voluerint in grave animæ ſuæ præjudicium tàm arduo, ac rigoroſo jejunio ſeſe tandiù macerare, Deumque, & homines, ac ſeipſos decipere. Quæ ſanè ad rem animadverterunt plures ex hiſtoricis. Cùm ergo prædicta veriſimilitudo excludat omnem præſumptionem contrarii, locus eſt regulæ, *l. neque nataleſ, C. de prob.* quod non probat hoc eſſe, quod ab hoc contingit abeſſe, quam pluribus exornat Everard. *loc. com ab accid.* præcipuè *n.* 10. Unde unum veriſimile, ſeu poſſibile tolli per aliud fortius veriſimile ac poſſibile, inquit, in loco a veriſimili *n.* 12. *& ſeq.* latèque Matcard. *concl.* 1224. ut proindè veriſimiliora ſemper præferenda eſſe firmaverit Rot. coram Gregorio *deciſ.* 239. *n.* 2. *& dec.* 245. *n.* 7.

Immò non ſolùm præfatæ circumſtantiæ deſerviunt 139
pro adminicula veritate, ſed per ſe ſufficiunt ad probandum negativam. Diligentia enim ponendi cuſtodes, qui exactiſſimè obſervarent, ac fideliter referrent, præbet certiſſimam negativæ probationem juxta inſignem theoricam Bartoli *in l. in illa ſtipulatione* 8. *num.* 12. *ff. de verb. obligat.* Quibus ex diligentiis factis oppoſitam affirmativam non potuiſſe eſſe occultam, dicunt Bald. *in leg. actor. num.* 2. *Cod. de prob.* Dec. *in l.* 1. *num.* 8. *C. de bon. poſ.* Felin. *in cap.* 3. *num.* 5. *de prob.* Rip. *in cap. Cum Eccleſia Sutrina num.* 81. *de cauſ. poſ.* Abb. *in cap. Bonæ* 1. *num.* 13. *& 16. de elect.* ibique Butr. *n.* 53. Pariſ. *conſ.* 62. *n.* 14. *lib.* 4. Alciat. *reg.* 3. *præſumpt.* 20. & Pacian. *de prob. lib.* 1. *cap.* 40. *numer.* 18.

Negativa porrò probatur tum per inſpectionem ocu- 140
lorum removentium affirmativam per inſpectionem, Bald. *in leg. fin. Cod. de reb. credit.* Jaſon. *in leg. de perjurio num.* 3. *ff. de in lit. jur. & in l. admonendi numer.* 5. *& in leg. Eum, qui, §. in popularibus num.* 5. *ff. de jurejur. ac in l. cum te num.* 4. *C. de tranſact.* Herculan. *de negat. n.* 246. Tum per coarctationem loci ac temporis. Quia ubicunque negativa eſt coarctata æquè cadit in ſenſum teſtis, atque affirmativa, & tunc non minus creditur teſtibus ſuper negativa deponentibus, quàm ſuper affirmativa. Quia ſicuti in facto proprio cadit vera ſcientia propoſitionis negativæ, ita & in facto alieno ſic coarctatio. Quia ſic virtus intellectiva, & ſenſitiva clarè, & apertè percipit negativam adeòut teſtis ſic de propria præſentia videatur deponere de ſcientia, & cenſu in tali actu, licèt non ſpecificet de ipſo ſecundùm Bald. *in d. l. actor num.* 6. *Cod. de prob. & in l.* 1. *num.* 7. *Cod. de ſecund. tab.* Florian. *in l.* 2. *ff. de prob.* cum aliis apud Herculan. *nu.* 260. & Farinac. *de teſtib. qu.* 96. *n.* 222. *& ſeqq.*

Tum

Tum per missionem exploratorum, qui diligenter inquirant, & referant, se non invenisse tale quid juxta dictam theoricam Barthol. in *d. l. illa stipulatione* 8. *num.* 12. *ff. de verb. oblig.* adentis propterea, quod in iis, quæ sunt difficilis probationis, seu quæ non possunt liquidò probari, sufficit informatio Judicis per vehementem opinionem, & conjecturas, atque indicia, quæ sufficiunt pro plena probatione. Cujus doctrinam approbarunt ibi Jas. *n.* 17. & 18. ac scribentes communiter, ac fusè Herculan. *n.* 167. *& seq.*

141 Quin, esto sine veritatis præjudicio, quod Servi Dei herbarum ac radicum copiam sufficientem habuissent, non ideò tamen naturaliter vivere potuissent ex succis, seu radicibus herbarum duntaxat. Nam, quidquid sit de herba halimo, quam in Creta nasci, ejusque solo admorsu famem arceri ferunt Solinus, & Plutarchus relati a Mathiolo in suo Dioscoride *lib.* 1. *c.* 3. ac de spartamo, quam apud Scyhas reperiri, eamque in ore habentes, neque famem, neque sitim sentire, scribit Plin. *natur. hist. lib.* 25. *c.* 8. monens, id præstare apud eosdem Scythas aliam herbam hippacem dictam, ac de quibusdam aliis, cùm Licetus, Sennertus, & aliis retulerint plurimas historias abstinentium, qui nullam herbam, vel stirpem idque generis, unde fames, ac sitis arceri possit, ante jejunium assumpserint, inhærendum profectò est sententiæ ejusdem Liceti, qui in sæpiùs citato opere *de his, qui diù vivunt &c. toto lib.* 2. relatis opinionibus scribentium super longa abstinentia, & jejunio, singulisque improbatis, in specie vigesima sexta, opinionem asserentium, diù abstinentis a cibo, & potu vixisse vi herbarum, aut medicamenti cujusdam famem ac sitim pellentis, relatam *c.* 217. pluribus rationibus refellens *seqq. cap.* 218. & 219. concludit, abstinentes nullius herbæ, aut medicamenti virtute adeò longum jejunium tolerare, ac producere posse, neque id evincere causam, & rationem extinctæ appetentiæ adductam ab assertoribus contrariæ opinionis. Longè enim aliud est non appetere, & non appetentem diutiùs abstinere. Etsi enim pharmaca, & herbæ multæ appetitum cujusvis facilè prosternere dicantur, non tamen ita extinguunt, ut etiam sine alimentis diù viventes in abstinentia conservent. Unde probandum esset, quod non solùm pharmaca, & herbæ famem ac sitim arcere, sed etiam vitam sine alimento conservare queant, ut appositè ratiocinatur idem Licetus *d. c.* 218. & *seq.*

142 Neque stomachi contractio fasciarum ope famis illius remedium est, quæ multis diebus ferri posse. Quoniam cibus ita liberat ab inanitate ventriculum, ut intumescere ipsum faciat, quemadmodum naturalis alendi ratio postulat, quæ in adjectione novæ materiæ consistit. At constrictio, quæ dicta est, facit illum detumescere. Hoc autem est naturali stomachi officio contrarium. Itaque non potest diù ferri sine periculo.

143 Idque præcipuè quando asserta possibilitas excluditur, nedum ab omnibus historicis uno calamo firmantibus, talem Dei Servum omnimodam, perennemque abstinentiam ab omni cibo, & potu humano servasse, sui dicti rationem reddendo, verum etiam ex testium depositionibus, qui non solùm ex experimentis de facti notorietate testatur, sed etiam ex communi, & antiqua majorum, & seniorum traditione, ac publica voce, & fama, quæ fuit semper constans ac perpetua, contra quam nihil unquam dictum, factum, vel auditum fuit.

144 Nam si in factis, & materiis antiquis ratione difficilis probationis negativa concludenter probatur per publicam vocem, & famam, sicut post Martin. de Fano *in tr. de negat. num.* 7. *tr. tom.* 4. *fol.* 2. Bartolum, Baldum, Alexandrum, Decium, Marsilium, & Aymonem tradit Herculan. *de negat. sub num.* 309. multò quidem fortior, & concludentior erit probatio negativæ per notorium non indigens probatione, Bartol. *in l. si verò §. qui pro rei qualitate n.* 1. *ff. qui sat. dar. cog. in l.* 1. *n.* 1. *ff. de in integr. rest. & in leg. emptorem numer.* 4. *ff. de act. empt.* Bald. *in l. non idcircò num.* 3. *Cod. de contrab. empt. in l. Cives num.* 1. *C. de appell. & in l.* 1. *num.* 7. *C. quando, & adversus, quos* Pacian. *de prob. lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 148. *& cap.* 46. *num.* 84. Rot. *decis.* 1. *de offic. Vic. in nov.* idem Bald. *in auth. qui semel num.* 9. *C. quomod. & quand. Judex*, ubi refert, satis probare notorium, licèt non probetur rem sic esse, quia, ut ait, *in l. is, cui bonis n.* 2. *ff. de testam.* notorium æquiparatur sententiæ quoad liquidationem facti, & *in leg. ea quidem num.* 22. *Cod. de accusat.* quod cùm impossibile sit, notorium non esse notorium, negatio illius nihil operatur, nam subdit *num.* 19. notorium esse communem, & indubiam certitudinem rei, de qua quæritur, indubiam ideò fidem faciens, ut negari, vel inficiari non possit. Additque id procedere non solum in notorio de præsenti, sed etiam in notorio actus de præterito, quando notorium olim necessariò, & memoriæ retentum a vulgò ex manifestis quondam principiis, & tunc non negabilibus, procedit, sicuti, ut ipse ait, quod Alexander fuit magnus Capitaneus.

Unde tollitur replicatio, quod negativa, & redactio 145
ad impossibilitatem sit impossibilis directè. Nam distinguendum est cum Baldo *in d. l. actor. n.* 11. & *seq. Cod. de prob.* inter negativam simplicem, & coarctatam. Illa utpotè *nunquam contraxit*, cùm non cadat in sensum testis propter suam infirmitatem, si testis de ea deponat, & non interrogetur de causa scientiæ, non probat hanc negativam. Quia est impossibile probari per rerum naturam sensitivam, nam, ut ait Aristoteles, illud, quod impossibile est esse in sensu, impossibile est esse in intellectu, maximè in intellectu testis. Quia in teste requiritur præsentia, & consensus. Et in hoc casu locum habent tradita ab eodem Bald. *in l. in quibusdam, ff. de naut. fæn.* An verò negativa coarctata, quæ demonstrat nobis fines affirmativæ propositionis potest directè probari, nihilque differt ab affirmativa, ut post Cyn. *in l.* 2. & Bartol. *n.* 2. *C. de error. ac in l.* 1. *n.* 1. *C. de canon. frument. Urb. Rom. lib.* 11. tradit idem Bald. *in d. l. actor. n.* 15. *de prob.* reddens rationem *n.* 18. quia intellectus hominis ita est connexus sensui immediatè objecto, quod non potest intelligere unum, nec scire sine altero. Et ideò illa dicitur probatio directa, quia oculus hominis dirigit se in veritatem, sicut sagitta dirigit in signum. Undè a sensibili limitato inducitur limitata notitia, quod ultra limites nihil est. Et ita est negativæ probatio, intuitivè cognita, non per rationem syllogizandi, quæ fit per medium. Inferens propterea *nu.* 9. quod negativa directè probabilis est vel per abnegationem conjunctam ipsi materiæ, vel per adjectionem aliquam, ita coarctantem, quod veritas negativæ immediatè apprehendatur. Idem repetit *in l. Cum iis, §. nihil autem num.* 2. *ff. de recept. arb. & in d. cap. Cum Ecclesia Sutrina num.* 8. ibique Rip. *num.* 86. *de cauf. pos.* traditque Abb. *in cap. in nostram in fin.* ubi etiam Felin. *n.* 7. Aretin. *in cap. Cum in tua num.* 8. *in* 5. *not. de test.* Jas. *in l. ut cum num.* 6. *ne just. & jur.* Imol. *in cap. bonæ memoriæ* 5. *num.* 15. *de elect.* Zabaral. *cons.* 10. *num.* 9. Alex. *cons* 110. *num.* 5. *vol.* 1. Soccin. jun. *cons.* 12. *num.* 22. *vol.* 2. Grammat. *consil.* 69. *num.* 12. Gratian. *cons.* 81. *num.* 68. *lib.* 2. Herculan. *de negat. num.* 64. & alii plenè congesti a Pacian. *de prob. lib.* 1. *cap.* 37. *n.* 29. & latiùs *c.* 50. *num.* 34. & a Farinac. *de testib. d. qu.* 66. *num.* 222.

Quod procedit etiamsi custodiæ ac diligentiæ non fue- 146
rint semper, & continuè adhibitæ, cùm satis fuissent custodiæ per annum, & mensem. Nam, ut supra dictum est, Hippocrates, vir doctissimus, cujus authoritatem vim legis habere dixerunt Paul. *in d. l. septimo mense* 12. *ff. de stat. hom.* & Ulpian. *in l. Intestato* 3. *§. fin. ff. de suis, & leg.* ad comprobandum, quod vita hominis septem dierum est *in lib. de carnib. seu de princip. sub num.* 21. Ex hoc manifestum esse, ait, quod si quis in septem diebus nihil edere, aut bibere velit, plerique quidem in ipsis moriuntur. Cujus sententiæ subscripsit Macrob. *in somn.* Scip. *lib.* 1. *cap.* 6. & probarunt Turrebl. *in epit. delict. lib.* 2. *cap.* 22. *numer.* 2. Sennert. *tom.* 2. *medic. pr. lib.* 3. *p.* 1. *sect.* 2. *cap.* 2. *sub initio*, & Zacc. *d. quæst.* 7. *n.* 3. Undè sequitur, quod ad hoc, ut supernaturalis censeatur abstinentia Servorum Dei, satis esset, illius veritate fuisse exploratam ultra septem dies juxta doctrinam Hippocratis, vel summum ad undecimum juxta extensionem Plinii *hist. nat. lib.* 11. *c. fin.* Hoc enim tempore elapso, abstinentia sine ulla contröversia dici debet supernaturalis, & miraculosa, & sic reliquum tempus non est amplius de substantia miraculi, sed solùm extensivè ad illius magnificentiam.

Gravissimorum itaque virorum authoritate persuasum 147
nobis est, jejunia tàm longa, non quidem natura, sed vel miraculo: & divina ope, vel diaboli fraude, vel humano mendacio constare, Moysen, & Eliam S. Chrysostom. *hom.* 13. *in Matth. cap.* 4. scripsit, Dei potentia sustentatos jejunasse, & S. Augustinus *lib.* 1. *de mirab. sac. script.* Moysen divini sermonis consortio fultum tàm longam inediam sine esurie sustinere potuisse. *Jesus autem*, inquit S. Anselmus *in enar. cap.* 4. *Matth. intus habebat, quod sustentabat, videlicet divinitatem.* Quod si quis alius jejunium hujusmodi imitatus reperitur, hunc etiam asserо divino adjutum præsidio, non propriis, & naturæ viribus fultum, hanc fœlicitatem adeptum esse. Diaboli verò fraude factum est illud, quod a S. Prospero *lib. de promis. & prædict. cap.* 5. narratur, qui sua ætate Carthagine puellam, scripsit, natione Arabem diabolo obsessam, dies duos ultra octoginta jejunasse, quæ tamen diceret, media nocte, quandam sibi avem apparere, & nescio quid in os instillare. Eam verò denique

fuisse liberatam sumpta corporis dominici particula, & calice salutari epoto. Simili quoque fraude accidisse suspicor illi viro, quem Magnus Albertus cognovit. Etenim cùm esset melancholicus, quod genus hominum iis simile est, quos sinit Deus a dæmone obsideri, qui sic obsidebatur, pro melancholico haberi facilè potuit. Dolo autem humano, atque mendacio illud constabat, quod de Antonio Picento Ordinis Eremitarum scribit Anton. Panormit. *lib. 2. de gest. & fact.* Alphonsi *c. 9.* & Jovin. Pontan. *lib. 2. de serm. c. 16.* Ille enim impostor, & magnus hypocrita justo Dei judicio, & decreto punitus; nobilitatus quidem prius, quod per quadraginta dies, & noctes perpetuò jejunare ferebatur, & ita Italiam, Siciliam, atque Hispanias compleverat nomine sanctitatis, & abstinentiæ pluribus in locis a custodibus cella inclusus, & observatus si ederet, aut biberet, Angelosque illum visitare opinabantur. Verùm ipsi erant candelæ fistulatæ, & in fistulis cannarum concluſa erat tacitè, & clam farina infarta ex contritis phasianorum, & caponum carnibus, saccharo, & aromatibus immixtis. Ajunt enim, & singulum gestasse fistulatum, plenum nectare, quod hypocraticum dicitur, & his epulis clanculum vixisse, vulgi opinione tamen abstinentissimum. Qui tandem vermiculis, & acerbissimo genere morbi absumptus miseram animam afflavit, jactans plurima convitia in Christum, & ejus matrem. Cujus mors fuit hypocrita digna, ut palam esset vindicatus, qui palam deceperat pios, comprobavitque illud Job *c. 20. v. 4.* hoc scio a principio, ex quo est homo positus super terram, quod laus impiorum brevis sit, & gaudium hypocritæ ad instar puncti. Si ascenderet usque ad cælum superbia ejus, quasi sterquilinium in fine perdetur, & qui eum viderunt, dicent, ubi est? Cui simile exemplum Romæ visum sub Nicolao Pontifice anno Domini 1511. ut Æneæ Sylvio narratum est. Tale quoque est, quod de femina quadam nomine Anna traditur, quæ Augustæ Vindelicorum habitabat & virgo habebatur, etsi jam major esset quadragenaria. Ea igitur neque edere, neque bibere, neque dormire credebatur, sed piis meditationibus Christi gratia sustineri. Verùm deprehensa est demum meretrix esse fallacissima, quæ ejusmodi præstigiis Cæsari, ac ditissimis quibusque imponeret. Itaque proscripta est, & Friburgi Vocontiorum publico judicio damnata, & aquis tandem submersa. Igitur in his, quæ proposita, & enarrata exempla sunt, disquiri primum oportet in re præsenti diligenter, an mendacium subesset. Qua diligentia non adhibita, suspectæ narrationes redduntur. Quoniam, ubi fuit adhibita, nonnunquam fraus comperta est. Deinde verò si mendacium non adsit, & naturæ limites transgredi res a peritis viris judicabitur, divina ope fiat, an fraude diabolica, sanctiori judicio distinguendum relinquerunt.

148 Sicque solutis, quæ in contrarium statuuntur, retinenda est distinctio Harveti, Sennerti, Zacchiæ, Martini Delrio, Gasparis a Reyes in campo Elisio *cap. 18.* & aliorum distinguentium inter abstinentes profanos ac sanctitate conspicuos, ut nempè, quidquid sit de veritate, vel causa illorum abstinentiæ, horum sanè diuturnum jejunium omninò censendum sit supernaturale, & miraculosum. Deus enim tum, qui creavit eos virtute sua sine corporali subsistentat cibo. Vide de his quædam apud Picum Mirandulanum *lib. 3. prænot. c. 5.* Exempla Mariæ Ægyptiacæ, S. Lutgardis, Christinæ mirabilis apud Surium: Et lege D. Joannem Chrisostomum *de prov. lib. 2.* Ephiphanium *in hæres. 80.* D. Augustinum *de morib. Eccl. 33. & epist. 80.* Renatum de Barre *in fine schol. super opus.* de jejunio Tertulliani, ac vitas Patrum eremitarum editas ab Eriberto Rosueido *v. Jejun.* non verò aliqua dabimus modò.

149 Quid verò de iis, qui diù sine potu vixerunt, dicendum sit, patet ex subjectis exemplis. Puella quædam in pago Roedit ex morbo eo devenit, ut annum, & illum quidem aridissimum, sine potu vixerit, & duodecim quoque dies asque cibo, & potu transegit. Quod adeò, sicuti cætera alienum est. Nam sine potu vivere hominem posse, si quis non credat Plinio *lib. 7. c. 18.* Julium Viatorem, Equitem Romanum potu diutissimè caruisse, & Raphaeli Volaterrano cujus sunt illa verba: *Vivit etiam Romæ nunc mihi notissimus, qui plures in anno impotus omninò transigit dies.* Nobilis Gallus, Marchio Pisanus, qui Romæ apud Pontificem Galliæ Regis Oratorem agebat anno 1585. suo arbitratu menses, & annos sine omni potu degere inconfesso est, ut nihil dicam de animalibus quæ natura nunquam bibunt. Cæterùm præter relatas subjicio longissimas aliquas abstinentias quorundam Servorum Dei prorsus ab omni cibo, & potu.

Asella sanctissima virgo, de qua S. Hieronymus *ad Marcel. ep. 14.* Cùm per omnem annum, inquit, jugi jejunio pasceretur, biduo, triduoque sic permanens, tum verò in quadragesima navigii sui vela tendebat, omnes penè hebdomades vultu lætante conjungens, hoc est nullam sumens refectionem, & quod impossibile forsitan est hominibus ad credendum, Deo autem præstante possibile est. Ita ad quinquagenariam pervenit ætatem, ut non dolens stomachum, non viscerum cruciaretur injuria. Dies decem absque cibo exegisse aliquos Christianos, scribit Lucianus, alioquin hostis Christianorum *in Philop.* & Nazianzenus *ad Hellen.* laudat monachos solitudinis Ponticæ, qui totos viginti dies potuerint hoc pacto abstinere, ut dimidia ex parte saltem Christi jejunium imitarentur. Immò ad hoc jejunium etiam perveniſse quempiam virum pium S. Augustinus testatur *ep. 86. ad Casplan.* Sed juge ac perpetuum fuit jejunium Bersanophi sanctissimi anachoretæ, qui genere Ægyptius propè Ur em Gazam in ædicula vixit spatio annorum amplius quinquaginta nullo usus alimenti genere, ac tantùm innutritus a Deo ubere de cælo pleno. Nimirum explorare, an ita esset aliquando voluit Eustachius Episcopus Hierosolymitanus, sed ignis erumpens ex ædicula, quam tentavit profodere, ipsam, & eos, qui in comitatu erant, perterrefecit, ac propemodum incendit, Evagr. *lib. 4. c. 32.* alia alibi.

CONSULTATIO XLIV.

A quo tempore sumi debeat initium litis in causis Canonizationum Sanctorum?

REspondeo. Sumi debet a tempore commissionis, 1
datæ a Summo Pontifice, citato Reverendissimo Fidei Promotore, cum clausula appositа in corpore ejusdem commissionis: *citra tamen aliquam approbationem hactenus gestorum, & quavis authoritate, sed facultate peractorum, &c.* juxta modum ita decretis Sanctissimæ inquisitionis præscriptum. Idque, non attento, quod prius facti fuissent aliqui processus; quia omnes fuerunt extrajudiciales, & ad solam notionem, prout antè dicta decreta mos erat, ideòque nulla dici poterit antea introducta, seu contestalis, ut præcisè tradit Bellam. *in cap. venerabili num. 2. de test. & dec. 671.* ubi latè fuit discussus articulus, an opus esset citatione in processu canonizationis, & in fine rationibus hinc inde perpensis dicitur, quod pro negativa fuit concluſum, & quod in hoc concordarunt omnes Domini Cardinales in Consistorio sequiturque Castellan. *de canoniz. q. 7. princ. n. 88.* & Contilor. *c. 25. num. 41. cum seq.* ubi quod hanc opinionem pluries amplexi fuerunt S. Rotæ Auditores in variis relationibus.

CONSULTATIO XLV.

An Summus Pontifex nuncupando Beatum scriptura sua privata quempiam Dei Servum, censeatur ei titulum Beati concedere?

NEgandum est. Tum quia scripturæ privatæ nulla fi- 1
des adhiberi potest juxta regulam pluribus firmatam a Genua *de script. priv. lib. 1. q. 4. n. 1.* Tum quia nuda ac simplex vox Beati, familiariter dicta, non est trahenda ad titulum Beatitatis, quem Sedes Apostolica, nonnisi prævio legitimo processu, in quo juridicè probatæ sint virtutes in gradu heroico, ac certa miracula, & matura illorum discussione, concedit, quemadmodum animadvertit Schacch. *de not. & sign. Sanct. sect. 1. c. 8.*

CONSULTATIO XLVI.

An possint recitari orationes, responsoria, & antiphonæ ad Laudes, & Vesperas alicui Servo Dei non canonizato, neque beatificato?

REspondeo, non posse. Obstant enim verba ad Lau- 1
des, & Vesperas, cum supponunt illis Servum Dei invocari pro Sancto, ac Beato in recitatione Sacri officii, quod sanè respicit cultum publicum nomine totius Ecclesiæ institutum, ut inquiunt Bellarm. *lib. de sanct. c. 10.* & Sanch. *in decal. lib. 2. c. 43. n. 5.* Ubi declarat id procedere, quamvis officium recitetur privatim, non publicè. Nam revera semper illius recitatione præstatur cultus publicus, institutus ab Ecclesia tanquam publicus, & solemnis, qui solis canonizatis competit. Neque credendum est Molpheco contrarium asserenti *cons. 45. n. 60.* cujus dicta moderatus est Lezan. *cons. 1. n. 21.* ad mentem decretorum Urbani VIII.

Quod

2 Quod ſi hujuſmodi cultus eſt privatus devotorum, & orationes, ac invocationes ſunt privatæ Servorum Dei, quos eorum devoti credunt frui gloria æterna, & non recitantur publicè, neque a perſonis publicis ſolemniter, non prohibentur per decreta Urbani, neque per Concilium Lateranenſe, ut omnes Canoniſtæ, & Theologi concludunt. Unde licèt ſint inſtitutæ ab Eccleſia ad cultum, nihilominus quando dicerentur privatim, & a ſingulari homine, ſive ſingillatim, non excederent cultum privatum, qui non prohibetur, *ut tom. 1. probavimus.*

3 Neque obſtat Sanchez loco allegato loquens de Litaniis, & officio, quæ non poſſunt recitari privatim pro non canonizato. Quia præter quod eſt opinio ſolius Sanchez, reſpondetur, quod Officium a perſona arctata, ne privatim quidem poteſt recitari de non canonizato, & idem de Litaniis in rogationibus, ſed a perſona non arctata, vel a perſona arctata præter Officium diei currentis, non videtur prohibitum pro libitu ſuæ devotionis magis uno modo, quàm alio illos, quos credit Sanctos poſſe invocare, & illorum interceſſionibus ſe commendare. Et quatenus id verum eſſet de toto officio, ſaltem de aliqua oratione non reperitur improbatum.

CONSULTATIO XLVII.

An liceat pingere imaginem non canonizati cum revelationibus, ſive cum claritate, vel lumine veniente deſuper?

1 NOn licere aſſeruit Contilor, *de canoniz. Sanct. c.* 22. *n.* 2. cùm hæc videantur apponi ad denotandum peculiare aliquod ſignum, quo Deus oſtenderit Sanctitatem defuncti. Additurque ex iis poſſe tractu temporis deſumi aliquam ſanctitatis probationem, cui decreta Urbani VIII. occurrere voluerunt. Immò prohibent quodcunque aliunde venerationem, & cultum præferens, & indicans, & gratia exempli duntaxat, non limitativè expreſſerunt aliqua individua, cùm protritum ſit, quod exempla non reſtrigunt regulam ex latè deductis a Tiraq. *in l. ſi unquam n.* 37. *C. de revoc. donat.* & a Bec. *conſ.* 108. *n.* 15. *lib.* 1.

2 At nihilominus obſervandum eſt, quod illa, quæ in imaginibus, & circa illas pingi ſolent duplici ſunt conſideratione. Alia enim de ſua natura præferunt ſenſu univerſali cultum, ſeu venerationem, ut ſunt radii ad caput, ſeu ſplendor, laureolæ, & diadema, quæ apponuntur ad denotandum eum, cujus eſt imago, æterna potiri fœlicitate, ac per conſequens Sanctum eſſe, vel Beatum, ac proinde venerandum; & hæc prohibentur in decretis Urbani. Unde *fol.* 2. & 3. 7. & 8. *ac* 17. ubi de imaginibus verba faciunt, ſemper ad quatuor prædicta ſe reſtringunt, & hæc eadem neque in libris, neque alibi extra caput, & imaginem Servorum Dei pingi, vel fieri debent.

3 Alia verò ſunt, quæ de ſua natura non important cultum, ſeu venerationem, ſed ſolùm ponuntur ad denotandum gradum, factum, vel quid ſimile pertinens ad eum, cujus eſt imago. Unde militi apponitur enſis, doctori liber, etiam in imaginibus profanis, & in imaginibus eorum, qui pro fide creduntur occiſi, apponitur inſtrumentum eorum mortis. Ex quo tamen nomen infertur, quod fuerint martyres quemadmodum Divi Paulus, & Laurentius, unde illud:

Stringit amans chalibem Paulus, Laurens amat ignes,
Cauſa patet. Ferro ille occidit, iſte foco.

Sed tantummodò hiſtoria eorum mortis repræſentatur, ut apparet ex libello P. Cardini, nuper cum approbatione non ſolùm Reverendiſſimi P. Magiſtri S. Palatii, ſed etiam S. Congregationis S. Officii impreſſo, in quo ponuntur omnes imagines eorum, qui creduntur pro fide catholica in Indiis occiſos fuiſſe.

4 Atque ad hanc ſimilitudinem cùm Servus Dei Joannes a Cruce fuerit valdè extaticus, ut ex ejus libris apparet, ut circa paſſionem Chriſti valdè ardens, ad denotandum vim illius contemplationis, ipſiuſque in fervore orationis cum Chriſto colloquia, ad denotandum illius patiendi deſiderium appoſita fuerunt in illius effigie genuflexa ante imaginem Salvatoris, qui radios in illius faciem emittit, verba illa Chriſti: *Joannes quid vis pro laboribus?* Et illa Joannes: *Domini pati, & contemni pro te.* Non tamen ex hoc infertur, quod illa fuerit vera revelatio, vel quod ex ea fuerit ſanctus, nec omnes, qui audiunt, vel audire credunt ſimilia verba, ſunt ſancti, nec quod hæc fuerint fermè verba Chriſti, ſuſpicetur, licèt privatim, quis hæc talia credere poſſit. Quia etiamſi eſſet vera revelatio, non idcircò infertur ad ſanctitatem, cùm multi etiam non ſancti revelationes habere poſſint. Unde approbatio revelationis non concludit approbationem perſonæ, ut rectè annotavit Contilor. *c.* 5. *n.* 17. Et propterea Leo X. in Conſtitutione ſupernæ majeſtatis 21. *in Bullar. §.* 7. in caſu neceſſitatis concedit Epiſcopis facultatem approbandi revelationes, non autem approbandi miracula, quia ex iſtis, non autem ex illis infertur ad ſanctitatem.

Hinc vero exciſum manet placitum Contilorii *cit. c.* 2. *numer.* 2. Nam ex imagine non approbatur revelatio, neque ipſa eſt ſignum ex rei natura inventum ad venerationem, ut diadema, radii, laureolæ &c. quæ expreſsè in dictis decretis Urbani prohibentur. Quia ex eorum inſtituto indicant venerationem: cætera verò, quæ ſunt promiſcua, debemus benignè interpretari, appoſita eſſe pro hiſtoria, & quod non excedant fidem, & authoritatem humanam, ac ſuorum authorum, ut de titulo Beati, & Sancti aliàs diximus. 5

CONSULTATIO XLVIII.

Utrum in ſepulchris Servorum Dei apponi poſſit aliquod ſignum inſolitum ad dignoſcendum, quod ibi ſint ſepulti?

NOn poſſe, reſpondendum videtur. Ex judiciali enim acceſſu ad ſepulchrum alicujus Servi Dei non ſolum conſtare debet de obſervantia Conſtitutionis B. Pii V. *jubentis §. 6.* ut capſulæ omnes, & depoſita, &c. ſuper terram exiſtentia, omninò amoveantur, &c. & defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur, quam hodie ſervandam eſſe docent Lavor. *Lucubr. var. tit. 2. cap. 8. num. 2.* & Scacch. *de not. & ſign. Sanctit. ſect. 9. cap. 1. lit. B & C* & propterea depoſitum capſæ Servi Dei non eſt locandum in cavitate proxima pavimento, ſed in tumulo profundo; verùm, quod amplius eſt, neque more inſueto, relicta ſcilicet feneſtella cum crate ferrea, & tabula deſuper mobili ad hoc, ut inſpici, ac venerantium oculis ſubjici poſſit, ſicut obſervatur in reconditoriis Sanctorum, quamvis Concilium Triburienſe celebratum ſub Formoſo anno 895. *cap* 17. *tom.* 7. *Concil. Binii p.* 1. *pag.* 151. juſſerat, corpora in Eccleſia ſepulta condi ſub pavimento, nullo tumulorum veſtigio apparente, cujus decreti meminit Laurentius Bell. *in repet. can. nullus mortuus nu.* 1. *quæſt.* 2. ac ideò noviſſimè ſancitum ſit Concilio Mediolanenſi 1. *tit. de ſepultur.* quod locus ſepulturæ humi tantùm detur, & ſepulchrum, in quo cadaver condetur opere fornicato cum reliquo Eccleſiæ pavimento æquatum ſit. 1

Ex hujuſmodi ergo ſignis inſolitis, aut veſtigiis non ſolum diverſitas manifeſtè indicat ibi eſſe monumentum cujuſdam Servi Dei, ſed etiam, ut ſemota tabula, facillimè illius corpus intueri poſſent ſatagentes ei cultum, ac venerationem exhibere, ac proinde committitur in decreta Urbani VIII. prohibentia, ne aliquid venerationem, & cultum præferens, & indicans apponatur in ſepulchro defuncti cum fama ſanctitatis, *libel. decret. pag.* 3. & 8. Potiſſimum quia paria ſunt peccare in verba legis, vel oblique niti contra ejus mentes, *l. non dubium* 5. cum ibi notatis per ſcribentes, *C. de l.* Abhorret enim a forma ſepulchri quævis detectio, cum eſſe debeat undique occluſum, itaut corpus defuncti nulla ex parte inſpici poſſit, *ut tom.* 1. jam diximus. Unde *in c. abolendæ* 13. *de ſepult.* dicitur effodi ſepultura, ut in ea cadaver occultetur ſub imo terræ. Nec immeritò, quia terræ, & cadaveris contubernium non debet eſſe diviſum, cum naturæ conſentaneum ſit, ut ſimillima conjungantur. Quapropter reddenda eſt terra terræ, ut homo, qui terra eſt, revertatur in terram, *can. in Eccleſiaſtico* 13. *q.* 2. ac proinde humillimè funerandi ſunt ii, qui non ſunt relati ſolemniter in Sanctorum numerum. 2

At verò dicendum exiſtimo, quod cum via regia virtutis, & veritatis in medio poſita ſit adeò, ut ſicut ad dexteram, ita ad ſiniſtram declinare nefas ſit, ideò licet corpora Servorum Dei, qui cum fama ſanctitatis objerunt, publicè venerari non poſſimus, quia id prohibent decreta Sedis Apoſtolicæ, quibus crimen eſt non obtemperare, ipſa tamen deterioris conditionis, quàm corpora eorum, qui ſine ulla ſanctitatis fama objerunt, nunquam eſſe debent. Hoc enim eſſet contra pietatem, ac venerandam antiquitatem, qua ex Apoſtolica traditione in Eccleſia catholica ſemper obſervatum, & cuſtoditum eſt, ut inter horum atque illorum corpora ſit aliquod diſcrimen. 3

Quare Dionyſius Areopagita *de Eccleſ. Hierarch. p.* 1. *c.* 7. loquens de utroque genere defunctorum: *Non eſt*, inquit, *ſacris, profaniſque commune, verum ut utrorumque vitæ eſt ſpecies varia, ita ubi in morte ceſſat.* Rationemque diver- 4

ſitatis adducens, ait: *Caſta ſunt Sanctorum virorum corpora, cum quibus una, & vitæ mortalis iter egerunt, ſimulque certarunt pro ſacris ſudoribus ſuis, ut Chriſti effecta membra beatam recipiant quietem.* Quæ ſi hoc modo non diſcernerentur, injuria ipſis Sanctis irrogaret. Unde paulo poſt infert: *Injuriis, ut reor, quantum in ſe eſt, afficiens corpora, quæ cum ſanctis animabus laborarunt, ſacriſque retributionibus parum honeſtè privantes, quæ ad finem ſanctiſſimi curſus pervenerunt.*

5 Dionyſium omnes ſequuti ſunt Patres, ac uſus ſemper diſcernendi hos ab illis in Eccleſia inolevit, nec unquam privatus cultus prohibitus fuit. Unde Bellarm. *in libel.* contra Anonymum, qui hunc cultum improbat, *cæpit*, inquit, *hæc conſuetudo Apoſtolorum tempore. Deferebantur enim ſemicintia, & ſudaria a corpore Pauli ſuper ægrotos, ut ſcribit S. Luc. c. 19. & inde per univerſalem Eccleſiam hoc pietatis genus propagatum eſt, neque Concilium Lateranenſe prohibuit privatum reliquiarum cultum, ſed publicum tantùm, ut ipſa verba per ſe fidem faciunt.* Et paulo infra increpando Anonymum ait: *certè neque pium, neque tutum eſt cum ſanctis viris, quamvis nondum canonizatis, bellum gerere.*

6 Atque ex his facilis eſt ſolutio objectionis petitæ ex aliquo ſigno inſolito, ſeu feneſtella in pavimento terræ relicta ad probandum exiſtentiam corporis alicujus Servi Dei, tumulo ſecluſi, ex qua poſſunt excitari fideles ad petendum tabulæ aperitionem, & ſepulchrum inſpiciendum.

7 Primò, quòd ex hoc poſſibili non probato, nihil poteſt inferri ad condemnandum de tranſgreſſione decretorum Poſtulatores. Quoniam ad condemnationem non ſufficiunt probabilia, veriſimiliave, ſed probanda eſt formalis transgreſſio, & quidem concludentiſſimè, quia ad probandum delictum, quale eſt contumacia in literas Apoſtolicas, requiruntur probationes ſole clariores.

8 Secundò, demus etiam, quod aliquis devotus Servi Dei inſpiceret privatim ejus ſepulchrum, quodnam malum eſſet dum cultus privatus, ut ſæpè diximus, non eſt prohibitus? Concedamus enim apud aliquem virum pium eſſe reliquiam cujuſpiam Servi Dei, privatim aſſervatam, & aliquis devotus illam peteret videre, oſculari, immò privatim venerari, ad infirmum deferre, illique preces effundere, ſeque illi commendans, eſt ne hoc illicitum, prohibitumve? Sane ex his, quæ geſta ſunt adhuc viventibus Apoſtolis erga ſudaria Pauli, non videtur prohibitum. Quæ igitur major ratio de privata ſepulchri inſpectione?

9 Tertiò, ſi non poſſet apponi ſignum aliquod ad dignoſcendum ſepulchrum Servorum Dei ex poſſibili, quod fideles excitarentur ad venerationem, ſequeretur, quod aliorum corpora eſſent melioris conditionis. Quia hoc idem argumentum valet de quocunque ſigno. Ponamus enim non adeſſe tabulam in ſepulchro alicujus Servi Dei, ſed lapidem cum ſimplici inſcriptione. Ex hac poſſent excitari fideles ad devotionem Servi Dei. Quod igitur non denegatur iis, qui ſine fama ſanctitatis objerunt, denegaretur Servis Dei, eorumque corpora in loco ignoto deberent ſepeliri, atque occultari.

10 Quartò, ſi tolleretur omnis cultus privatus, actum quidem eſſet de canonizatione Sanctorum. Quia totum penè illius fundamentum conſiſtit in fama ſanctitatis, & miraculorum, quæ per inquiſitionem in genere probatur, & ſine qua non poteſt procedi ad inquiſitionem in ſpecie. Quomodò enim probabitur fama ſanctitatis, & miraculorum, ſi nullus actus externus venerationis erga Servos Dei poteſt exhiberi, cùm ſciamus, quod de internis, & occultis Eccleſia non judicet? Quomodò probabitur frequentia ſepulchri, devotio, invocatio? Et quomodò ex decretis Urbani VIII. committetur inquiſitio ſuper prædictis ad probandum famam ſanctitatis, ſi poſtea, illis probatis, obſtarent canonizationi, & ex iis inferretur argumentum prohibens ad ulteriora procedi?

11 Quintò, nos agimus de Servis Dei, qui objerunt cum fama ſanctitatis, & miraculorum, ideòque ſtatim poſt eorum mortem licita eſt privata veneratio. Unde Jo: Baptiſta Signius inhærendo Dionyſio Areopagitæ, & communi Sanctorum Patrum ſenſui, quorum longum recenſet catalogum *c. 6. de reliq. & vener. Sanct.* concludit in hæc verba: *Hæc autem de illis dicta ſunt, quorum merita in vita claruerunt. Horum enim corpora ſtatim poſt mortem venerationem meruerunt.* Et licèt ibi promiſcuè de cultu publico, & privato loquatur, & ſcripſerit ante decreta Urbani, nihilominus rectè infertur, quod, etſi publica ſublata ſit veneratio, privata tamen manſit, manetque.

12 Sextò, Eccleſia militans debet concordare cum triumphante juxta illud *Exod.* 25. & docent communiter Doctores in hac materia, ſpeciatim Malvet. *dub. 1. num. 2.* Caſtellan. *qu. 1.* Caſſan. *in Catal. glor. mund. p. 3. conſid. 46.* & Contilor. *c. 9.* In triumphante autem Deus honorat animas Sanctorum, & operatur etiam multa miracula ad eorum corpora, & reliquias. Ergo etiam in militante, ſaltem privatim, eorumdem corpora venerari, & colere debemus. Eſt argumentum Thomæ Vvaldenſ. *de Sacram. tom. 3. tit. 4. c. 124.*

Neque Urbanus huic divinæ diſpoſitioni officit, immò 13
id pro fundamento ſuorum decretorum ponit ſub initio ſuæ Conſtitutionis *Cœleſtis Jeruſalem*, & ideò ſe declarat, ſubdens: *Nos, qui tantummodò volumus occurrendo abuſibus, qui irrepere videbantur, certiorem parare viam ad eorum in terris gloriam, quorum ſanctimoniam divinæ clementiæ placuerit admirandis operibus illuſtrare.* Ecce quod Summus Pontifex vult tollere tantum abuſus, qui irrepſerant ex publico cultu, non autem præcludere viam ad probandum eorum ſanctitatem, quæ ſanè præcluderetur, ſi omninò cultus privatus obſtaret.

Neque objici poteſt, quod hic cultus ſit publicus, i- 14
deòque prohibitus ſecundùm illorum opinionem, qui publicitatem a loco, vel a perſonis deſumunt. Quia præterquamquod communis Doctorum ſententia eſt, quod cultus publicus ſit illi, qui exhibetur a perſona publica, vel nomine Eccleſiæ, de qua re nos alibi *in 1. tom.* reſpondetur, quod hæc opinio, quatenus etiam admitteretur, habet ſuam latitudinem, & reſtrictionem. Non enim poteſt convenire omnibus communiter, aliàs eſſet ſublatus omnis cultus privatus, quia non poſſet exhiberi cultus ullus privatus Servis Dei coram aliquo, ſeu aliquibus, & ſic non poſſet fieri aliquis actus externus, qui per teſtes probari poſſet, ac ceſſarent probationes factæ.

Igitur cultus privatus alicui Servo Dei exhibitus, ſtan- 15
te illius ſanctitatis fama, & informatione juridicè ac legitimè ſumpta, non poteſt moram illius cauſæ inferre, neque proindè illius memoria debet aboleri, ſed potiùs pro inſtructione Eccleſiæ, ac fidelium promoveri debet.

Et ex eiſdem fundamentis reſpondetur ad objectiones 16
de pictura, antiphonis, & orationibus. Quia hæc omnia tendunt ad privatam venerationem, cum ex iis non probetur aliquis cultus publicè exhibitus, ſed privata devotio privatarum perſonarum. Ad convincendum enim de contumacia Poſtulatores, oporteret probari, ipſos in ſuis Eccleſiis, vel aliis in locis publicis ſibi ſubjectis hujuſmodi picturas, elogia Beati, vel Sancti, & orationes atque antiphonas pro veneratione tenere, ac reſpectivè recitare. Et quatenus etiam hæc atque id genus alia venerationem redoleant juris eſſe arbitror ipſas privatas perſonas punire, non vero cauſis Servorum Dei cunctationem moratoriam nectere.

CONSULTATIO XLIX.

An libri omnes a Servis Dei compoſiti, & producti coram Judice remiſſoriali, debeant reapſe produci in actis S. Congregationis, antequam ipſi Servi Dei canonizentur?

AFfirmo, debentque una cum proceſſu ad eum mit- 1
ti. Nam licèt Promotor Fidei admittat illos verbaliter tantùm ad fidem Judici faciendam productos fuiſſe, non facta dimiſſione in actis, neque illorum tenore regiſtrato per Notarium, in quo caſu ſola productio dicitur eſſe de actis, non autem ipſe tenor juxta theoricam Innoc. *in cap. Cum in jure 31. num. 6. de offic. deleg.* quam laudarunt Abb. eo loco *n. 6.* Bald. *in l. 2. n. 14.* ac Dec. *n 4.* pleniuſque Alex. *in auth. ſi quis in aliqu. n. 9. C. de eden. ac conſ. 6. n. 7. vol. 4.* Marant. *in ſpecul. p. 6. act. 10. n. 3.* Aym. *de antiq. temp. p. 1. n. 12.* Oſaſch. *dec. 1. n. 50.* Rot. coram Caval. *dec. 524. nu. 2. cum ſeq.* coram Pirovano *dec. 542. n. 1.* apud Poſt. *de manut.* coram Durano *dec. 33. n. 9.* & Add. ad Greg. *dec. 59. n. 13.* congeſta per Rotam coram Pegna *dec. 968. num. 6.* Coccino *dec. 115. n. 3. ac dec. 203. n. 1.* apud eundem Poſt. Sacrato *dec. 561. n. 10. p. 1. rec.* ac Roja in Terdonen. juriſpatronatus 22. Junii 1646. *ſub §. Demum.*

Nihilominus ipſe Promotor tenetur pro munere ſuo 2
curare, quod reipſa producantur in S. Congregatione, ut eorum dicta poſſint diligenter expendi, teſte Maranta *d. p. 6. act. 10. n. 3.* ponderante quod dum pars cœpit illis uti in judicio per productionem verbalem ratione hujuſmodi uſus tenetur illos ad alterius partis inſtantiam edere, ut poſſet accuratè diſcuti, & examinari.

CON-

CONSULTATIO L.

An limphæ, vel lactis fluxus ex secta cervice alicujus Martyris sit naturalis?

1 AFfirmat Thom. Bartolinus in suo *de torac. lact. opusc.* qui lactearum usum serius expendens, illas a natura conditas ita vult, ut lac, sive chylum ad axillares deferant, ubi historiis aliquot lactis ex secta cubiti vena dimanantis suam exornat sententiam, quibus mirum etiam ex obtruncata D. Pauli cervice lactis fluxum ad ulterius robur adjungit.

2 Et primò, D. Ambrosii fidem incertam adducit, ut quod sanctus Doctor fluxum hunc lactis ex D. Pauli collo firmiter haud asserat, sed potius ex dubia aliorum traditione describat, ex quo inde ad celebrandas Apostoli laudes, ejusque doctrinæ encomia desumat argumentum.

3 Secundò per thorachas lacteas, quæ cum axillaribus sunt ictu gladii vulneratæ, lac effluere adstruit.

4 Verùm hoc opusculum Bartolinum, ejusque sententiam sive potius temeritatem, quæ ratiuncularum figmentis miraculum extenuat, castigavit Ayginus Thalassius. Et quidem levissima sanè est ejus prima ratio, cujus imbecillitas ex ipsius D. Ambrosii verbis innotescit. Sic enim *serm. 68.* loquitur: *De cervice verò Pauli cum eam Persequutor gladio percussisset, dicitur, fluxisse lactis magis unda, quàm sanguinis & mirum in modum Sanctum Apostolum baptismi gratia in ipsa cæde extitisse splendidum potius, quam cruentum.* Hic certè miraculum, non commentum, ut ait Bartolinus. De sui mente non describit, sed ab aliis desumptum fatetur, pro verò tamen admittit, licèt primæ narrationis authorem non nominet. Subdit inde Ambrosius: *Quæ quidem res in S. Paulo stupenda non est. Quid enim mirum si abundat lacte nutritor Ecclesiæ, sicut ipse ad Corinthios ait: Lac vobis potum dedi, non escam: Hæc est plane promissionis illa terra, quam Deus patribus nostris promisit, dicendo: Dabo vobis terram fluentem lac, & mel. Nec enim de hac terra loquutus est, quæ dimanantibus aquis cœnum involvit, lutumque permiscet, sed de illa tum Pauli, tum similium Paulo, quæ jugiter purum, suaveque distillat. Quæ enim Pauli epistola non melle dulcior, & lacte candidior? Quæ epistolæ tanquam ubera Ecclesiæ populos enutriunt ad salutem. De cervice ergo Apostoli pro sanguine lac manavit.*

5 Videat ex his Bartolinus, an D. Ambrosius verum affirmat lactis fluxum ex D. Pauli cervice, anve dubium relinquat, dum non tantùm admittit, immò in sancto viro rem stupendam non esse præditat. Neque de ejus epistolis allegoricè intelligendum est lac hujusmodi, ut perperam interpretatur Bartolinus. Nam ex hoc, licèt D. Ambrosius lacteam Apostoli doctrinam celebret, facti tamen veritatem non excludit, sicque absoluta ejus doctrinæ panegyri de cervice Apostoli pro sanguine lac manasse firmiter concludit.

6 Neque inter D. Ambrosium, & D. Chrysostomum, facti seriem recensentes narrationis diversitas suspicitur, quæ fidem facilè non admittat. Cùm enim quarto seculo floruerit Ambrosius, quinto verò Chrysostomus, hic priori authoritati acquiescens peculiare dumtaxat factum superaddit, ut lac effluens usque ad militis vestem profilierit, sicque de eo scribens *orat. in Princip. Apostol. to. 5. Nivel. edit. Beatus autem Paulus, cui caput ense præcisum est, vir cujus laudes verbis exprimi nequeunt. At cujusmodi ensis illius guttur, dominicum inquam instrumentum Cœlo suscipiendum, & terræ tremendum pervasit? Qualis locus tuum, Paule, sanguinem excedit, qui lacteus apparuit in ejus veste, qui te percussit? Qui quidem sanguis barbaricum illius animum reddens melle dulciorem, ut ipse una cum sociis ad fidem traduceretur, ita effecit.*

7 His adstipulatur Cardinalis Baronius *ad ann. 69. §. 11.* quidquid inde malè judicet Rivetus, nimiam ejus credulitatem temerè incredulus accusans, ac parum cautè, inquit Bartolinus, quæ casu accidunt, frustra miraculis adscribi. Sat enim de rei veritate, & miraculo per Sanctos Doctores liquet. Ex D. enim Bernardo *de 12. gradib. humil.* fides aliquando recipit, quod ratio non præsumit.

8 Quod verò ad secundam rationem, & experimenta, quæ pro naturæ tutela, & vindiciis adducit Bartolinus, cur ipse naturam omniparam ducit, & ad suæ leges potentiæ rem hanc ipsis longè imparem reducere satagit? Mira in dies ex ipsius ergastulis prolata suscipimus, monstrosa, invisa, multaque adhuc latentia anxio animo desideramus. At cur naturæ Dominum ad moderatorem sine natura mirabilia efficere ambigit? Quidni magna, & supra, immò & adversus naturam priora suspexerant sæcula, nostroque ævo Orbis obstupuit? Lac ex D. Pauli cervice si naturaliter fluxisse infirmæ suadent rationes, dubiaque experimenta, cur mirabili, insuetoque ordine certior fides credulitatem non invehit? At si per thoracias lacteas, quæ cum axillaribus fuerunt ictu gladii vulneratæ, lac effluxit, cur successivè aquosus liquor, & sanguis dimanarunt? Hoc, ne naturæ instituto factum, vel rectè dicitur disquirendum.

De lactis, & sanguinis scaturigine testimonium perhibent Acta Sanctorum Nerei, & Achillei, ibi: *De ejus vulnere unda lactis usque in vestimenta milites exilivit, & postea sanguis effluxit.* Sed quid de aqua? Ne verbum quidem apud D. Chrysostomum, compertum tamen habeo, dixisse nonnullos, obtruncatum D. Pauli caput ter super humum saltasse, quibus icta, statim fontes illi, qui inter Hostiensem, Ardeatinamque viam Romæ conspiciuntur, eruperunt. Quid de successivo hoc, distinctoque triplicis humoris fluxu? Mira res sanè est, nec unquam naturæ viribus cognita, sectum caput lac primò, sanguinem deinde effundere, ut spectantium oculis distinctè appareat. Siquidem in collo quot venæ, quot arteriæ, hæque grandioris magnitudinis, quæ sauciatæ cruorem plenè totum corporis confestim evacuant? Augetur miraculi majestas si aquosus humor accedat, atque salientes in hunc usque diem aquæ fontes perenni authoritate confirmant. 9

Quod autem secta vena aliquando in cacochymis, & scorbuticis sit lacteum serum in sanguine observatum, non vereor affirmare. Verùm peculiaris observatio sanguinis per venæ sectionem educti non probat adversus nostrum eventum. Quippè serum illud verè lac non est, sed quid subcandidum, cœruleum, sublividum, etsi calore intenso lac æmuletur, humorum corruptionem, caloris nativi extinctionem designat, mortemque præsentem minatur, ait Bartolinus ex propriis, aliorumque observationibus. At nos miracula naturalibus eventibus indistinctè a sanæ fidei, & orthodoxæ veritatis professoribus præter impudentiæ, & magni criminis notam minimè confundenda esse pronunciamus. Subjiciam nobile epigramma S. Catherinæ Martyri dictum, quæ, secto capite, lac manat pro sanguine. 10

Inclyta crudelis detruncat colla satelles
Mirum, pro roseo sanguine lacte fluit.
Fortè cruor, nivea præcinctus cyclade, gaudet,
Pro Domino fundi promeruisse suo?
Fortè dies fulsit cùm non felicior ulla,
Candidulis signat candida gemma notis?
An quæ docta phalanx genita est, Catharina, diserto
Ore tuo, par est, crescere lacte tuo?
Lacteolis fundis num lilia mixta ligustris?
Ut religent meritas florea serta comas?
An video. Astra petis, dissectis lactea venis
Sit cervix, niveo ut tramite signet iter.

CONSULTATIO LI.

An habitus nigri coloris, quo ab antiquo tempore consuevit pingi B. Virgo aliquibus in locis, prohibeatur per constitutionem Urbani VIII. anno 1642. emanatam super reformatione Imaginum?

IN Constitutione emissa ab Urbano VIII. circa formam, & habitum sacrarum Imaginum prohibetur, ne Imagines Deiparæ Virginis Mariæ sculpi, aut pingi, vel sculptæ, aut pictæ teneri, ac publico aspectui exponi possint cum alio habitu, & forma, quam in catholica, & Apostolica Ecclesia ab antiquo tempore consuevit. Sed certum est, illam a tempore jam Apostolorum sculptam, ac pictam fuisse cum palla cœrulea, ut liquet ex effigie, quam dicunt Apostolos posuisse in sacra Æde Lauretana, de qua P. Horatius Tursellinus sic inquit *in Lauret. hist. lib. 1. pag 11. Simulacrum stola aurea tegit latiore zona gentis more succincta, demissaque ad pedes palla cærulea stolæ superinducta pendet ex humero, utraque in eodem trunco celata, pictaque.* Laurentius Masel. *in vit. B. Virgin. lib. 10. cap. 4.* idem italicè testatur in hæc verba: *La statua è d'una indorata veste coperta, accinta con cingolo alquanto largo cadente fino a' piedi, come presso a que' popoli si costuma. Pende da' sacri homeri un turchin manto posto sopra l'altra veste, ambedue nel medesimo legno intagliati.* Atque etiam patet ex omnibus ejusdem Imaginibus pictis a D. Luca, quarum plures Romæ colimus. Nam singulæ palliam habent coloris cœrulei, vestem verò rubri, seu punicei, ut nuper etiam observatum fuit in tabula, quæ occasione translationis ad novum sacellum post supplicationem peractam publicè 1

blicè expoſita fuit ſuper altare majori Eccleſiæ ejus nomini dicatæ in via Lata. Nimirum ex dicta Conſtitutione cenſetur prohibita pictura, ſculptura, ac publica expoſitio Imaginis Deiparæ Virginis cum palla alterius coloris, quam cœrulei.

2 Et meritò, quia cœruleus color, quaſi cœlulus propriè eſt color cœli, ut inquit Anton. Thyleſ. *in libell. de color.* ac olim innuit Ennius, dum cœli templa cœrulea dixit, ideòque adamuſſim convenit pallæ Beatiſſimæ Virginis, quæ nedum ſua puritate elucet, ut cœlum ſerenum abſque ulla macula, Deique in ejus viſceribus ex Spiritu Sancto concepti auguſtiſſimum domicilium fuit in terris, inſtar Cœli, quod Dei domicilium appellat Ariſtoteles *lib. de mundo*, ſed noſtræ ſalutis Redemptorem pariendo occluſos cœli cardines ob crimen primi parentis nobis reſeravit, ac exoptatam ſerenitatem reſtituit, qua prius tenebris addicti carebamus.

Nec hujuſmodi color videtur immutandus in nigrum ſignificandi gratia mœrorem, quem Beatiſſima Virgo paſſa fuit in morte ſui Unigeniti, cùm repugnet gratiæ totalis liberationis a fomite peccati, quam præ cæteris illa obtinuit, ut impleretur, quod dicitur *Cant.* 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*. Nam teſte Ariſtotele *lib. de color. cap.* 1. niger color conſequitur elementa, cùm in ſe invicem mutantur, ſcilicet quando unum alteri ſuccumbit, ut ibi declarat Simon. Port. *in com.* Nec propterea poteſt convenire Virgini, quæ nulli unquam peccato ſuccubuit, neque ullam mutationem a ſimplici elemento ſummi boni paſſa eſt.

4 Qua propter Eccleſia Catholica non immutat illi colorem veſtium, dum vult ejus dolores exprimere, ſed ſeptem tantùm gladios evaginatos addit circa ejus cor juxta dictum Simeonis *Luc.* 2. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, animadvertens, quod, licèt ex communi Doctorum ſententia ſignificet dolorem, quem paſſa fuit in paſſione Chriſti, ejus filii, nihilominus juxta declarationem D. Ambroſii *lib.* 2. *in Luc.* in capite, cujus eſt titulus de Simeone, & Anna, relatam a D. Thoma *in ſumm. par.* 3. *quæſt.* 27. *art.* 4. *ad* 2. ſignificat etiam illius prudentiam, cùm non eſſet ignara miſterii cœleſtis, ac divinæ voluntatis. Ideòque ne ſignum prudentiæ a doloris typo ſeparet, non pallæ colorem immutat a cœruleo in atrum, ſed pro argumento ſenſus interni gladios cordi ſuperaddit, ut illum juxta vaticinium Simeonis exprimant. Quod publicè teſtatur Imago ejuſdem Virginis cum palla cærulea, veſte rubra, & ſeptem gladiis in pariete depicta apud D. Stephani Protomartyris in Monte Cœlio.

5 Conſtantiſſimè igitur retinendus eſt color cœruleus, quo Catholica Eccleſia hactenus expreſſit pallam Beatiſſimæ Virginis, quamvis pictæ ad repræſentandum dolorem paſſum in morte Filii, nec pro illius nece mutandus in atrum, quo utimur in funere mortalium juxta emblema Alciati 217. cum minimè fingendum ſit, eam veſte lugubri voluiſſe proſequi funus Filii, quem certò ſciebat eſſe Verbum Dei, ac voluntariè obiiſſe pro redemptione generis humani, & poſt triduum cum majeſtate a mortuis reſurrecturum. Qua ratione Joannes Echius, relatus a Molano *de pictur. & imagin. ſacr. cap.* 67. negat, illam è vita migrantem pingendam eſſe habitu, & facie ægrotantis.

6 Neque ex eo, quod dicitur ſeptem primis inſtitutoribus Ordinis Servorum apparuiſſe Beatiſſimam Virginem veſtem nigri coloris manu tenentem, eiſque inter alia dixiſſe. Aſpicite filii, qualis vos veſtium genere indui jubeo. Habitus hic pro ſuo atro colore judicat quem ego in morte Unigeniti mei ſim paſſa mœrorem, inferri poteſt, quod illa ſit pingenda cum veſte nigri coloris, ſed potius contrarium, cùm non apparuerit ea induta, ſed ea manu tenens, ut Servitis oſtenderet habitum, quem ſuſcipere deberent in memoriam doloris, quem paſſa fuit in morte ſui Unigeniti.

7 Immò, ſi ipſis permitteretur, ut poſſint Imaginem Deiparæ retinere, ac publico aſpectui exponere cum veſte uniformi quoad colorem nigrum, non ſolùm offenderetur prima pars dictæ Conſtitutionis, prohibens diverſitatem habitus ab antiquo conſueto per Eccleſiam Catholicam, & Apoſtolicam, ſed etiam altera vetans, quod neque etiam pingenda, & exponenda ſit cum habitu peculiari alicujus Religionis, quia color niger permitteretur in veſte ipſius Virginis, ut conveniret colori habitus conceſſi Ordini Servorum.

CONSULTATIO LII.

1 *An in proceſſibus conſtruendis pro canonizatione Servorum Dei citari debeat ad ſingulos actus Promotor Fidei miniſterio Curſoriis, ſive nunçii?*

2 *An proceſſus erit juſtus, & legitimus, ſi idem Promotor, ſive ejus Subpromotor non interveniat, quando teſtes jurant per diem ante examen?*

AD primum, Cenſeo, non deberi, quia ſufficit, ſi ad hoc monitus fuerit, cum monitio Judicis ſit melior forma citationis, quæ per ſacros Canones, & Conſtitutiones Pontificias, ſeu civiles probata fuerit, ut exemplo Altiſſimi, qui ita citavit Adam, plenè monuit Vant. *de nullit. ex defectu cit. num.* 7. 17. 18. & 82. ubi quod habet vim peremptorii, quia eſt libera multis fraudibus, & erroribus, quibus ſunt obnoxiæ aliæ citationes. Id ipſum Marant. *in pr. tit. de citat. par.* 6. & approbavit Rot. in Ferrarien. attentatorum *dec.* 198. *num.* 18. & *dec.* 205. *num.* 1. & 2. coram Durano, Soccin. *de dilat. art.* 8. *num.* 2. ita loquens tenet Baldus, *qui in leg. poſt edictum ff. de judic. ubi dicit, quod benè fatuus eſt Judex, qui habet partem, vel teſtem in conſpectu, & jubet nuncio, ut illum citet*, ſequiturque Caball. *milleloq.* 839. quem refert Ariſmin. *tit. de in jus voc. cap.* 4. Ruin. *de appell. in* 2. *impreſ. §.* 10. *gloſs.* 8. *num.* 1. & ex ore Angeli eamdem ſtultitiam improperat Aſin. in *pr. §.* 7. *lim.* 9. *num.* 2. & in ſpecie Rota *in rec. p.* 1. *dec.* 393. *num.* 15. & *ſeq.* Idque *per l. ceſſante*, ubi Doctores, *Cod. quomodo, & quando Judex*. 1

Igitur tantùm abeſt, ut iſte modus citandi per monitionem Judicis cenſeatur excluſus per decreta Urbani VIII. ac literas remiſſoriales, ut potiùs primo loco cenſeatur injunctus, ubi commodè poſſit obſervari, ut rectè ſubjungit Vant. *loc. cit. num.* 83. quia modi citandi gradatim, & viciſſim cenſentur ſuccedere, Ubert. *de cit. cap.* 7. *a num.* 334. Ridolphin. *in pr. par.* 1. *cap.* 13. *a n.* 533. & ex mente legislatoris potiùs excluditur reſtrictiva, cum optimi ſit optimè unumquodque facere, ut ex doctrina D. Thom. *lib.* 2. *opuſc. cap.* 100. annotavit Anton. Merend. *de opin. prob. n.* 891. 2

Ad ſecundum, fore juſtum ac legitimum exiſtimo. Nullius enim ponderis eſt præſentia Subpromotoris in actu juramenti teſtium, quia notorium eſt in quibuſcunque cauſis tàm in Romana Curia, quàm extra illam, neminem citatum intervenire in hujuſmodi actu præſtationis juramenti ex deductis a Contilor. *de canoniz. cap.* 25. *num.* 40. 3

CONSULTATIO LIII.

Quanti faciendi ſint effectus Beatitatis, ac venerationis indulta a Summo Pontifice alicui Beato? Ubi ſtrictim de differentia canonizationis a beatificatione, & miraculorum a gratiis.

MAgni profectò faciendi ſunt, cùm efficaciſſimum argumentum ad canonizationem obtinendam præſtare dixerit Scacch. *de not. & ſing. Sanctit. ſect.* 1. *cap.* 8. *a pag.* 95. Unde ex his dici poteſt, quod ſaltem obliquè ſubindicentur virtutes, & miracula, licèt pro comperto habeatur, canonizationem eſſentialiter, & ſecundùm propriam rationem intrinſecam diſtingui a beatificatione. Quia Summus Pontifex in canonizatione procedit, ut Judex Eccleſiæ univerſalis, ideòque cultum alicui deberi in Eccleſia militante decernit per ſententiam definitivam infallibiliter, reſpondendo de cathedra, ut nequeat errare. In beatificatione verò non definit, ſed ſolùm procedit uti Princeps Eccleſiæ, indulgendo, quod tali Servo Dei in aliqua Eccleſia particulari, ac certo loco cultus exhiberi poſſit citra pœnas inflictas in eos, qui abſque licentia Sedis Apoſtolicæ illum alicui præſtant, ſicut in ſpecie inquit Scacch. *d. cap.* 8. *lit. C. & in argumento operis ſub §.* 4. cum Pegna *de cult. & vener. Sanct.* ac Luyſio Turriano *in* 2. 2. *D. Thom. diſp.* 17. *dub.* 3. aſſerit Contil. *de canoniz. Sanct. cap.* 2. *n.* 5. & *ſeqq.* Certumque proindè ſit, quod in ſola canonizatione judicium dicitur ultimò terminatum, & abſolutum, in beatificatione autem non ultimò terminatum juxta verba Scacch. *ſect.* 11. *cap.* 6. *pag.* 873. *lit. B.* 1

At verò hæc doctrina non eſt a Sede Apoſtolica, ideòque non video quomodò ſubſiſtat. Beatificatio enim univocè convenit cum canonizatione, ſcilicet in nomine, cum beatificatio ſit etiam canonizatio, quamvis particularis, ut breviter, ſed optimè dixit Pegna *loc. cit.* Turrian. *ubi ſupra diſp.* 16. *dub.* 2. & 3. Card. Tuſch. *v. canonizare*, Contirol. *d. cap.* 2. *num.* 4. & alii. Ac etiam 2

in

in ratione substantiæ. Nam, & Beatus potest invocari aræ possunt Deo dicari in ejus memoriam, Missa, laudes ac preces in officio divino ei dicuntur, dies festus in ejus memoriam celebratur, pingitur cum radiis insignum gloriæ, qua fruitur in Cœlis, ejus reliquiæ exponuntur in Ecclesiis ad venerationem. Qui omnes sunt honores essentiales Sanctorum canonizatorum, teste Bellarm. *tom. 2. contr. 4. lib. 1. cap. 7.*

3 Et quamvis canonizato prædicta omnia competunt ex præcepto, Beato autem ex indulto, ex hoc tamen non arguitur differentia essentialis. Quia tàm præceptum, quàm indultum respiciunt eumdem cultum certum, & infallibilem. Et licèt canonizatio sit universalis, beatificatio autem particularis, id nihilominus cùm respiciat non cultum simpliciter, sed majorem, aut minorem, non facit differre essentialiter. Magis enim, & minus non variant speciem. Verùm autem est, beatificationem non esse judicium ultimum, est tamen judicium certum ac infallibile, alioquin possemus in varios scrupulos atque errores incurrere, poteritque esse dubium de æterna salute multorum, qui coluntur in Ecclesia universali, cùm tamen nil aliud habeant, quàm diploma beatificationis.

4 Verùm quia pro habenda certiori veritate virtutum, sanctitatis vitæ, ac miraculorum jam beatificati, cujus canonizatio postulatur, literaliter exigunt nova decreta *pag. 55.* ut præter elargita venerationis intuitu, fiat plena ratio eorum, quæ postea supervenerunt, de quibus constare possit, ideò solùm restat videndum, quænam legitimè constet de his, quæ postea dicuntur supervenisse, præcipuè verò quoad miracula, cùm multa sint, quæ simplicium gratiarum indolem non excedant, quas certum est a veris miraculis differre, ceu præ aliis docent Roch. *de canoniz. cap. 26. in fin. pag. 46. & cap. 27. pag. 48.* Scacch. *loc. cit. sect. 8. cap. 1. pag. 568. lit. B. & C.* Novar. *in summ. Bullar. part. 2. tit. de Sanct. non canoniz. num. 10.* & Bordon. *contr. 13. num. 26. cum pluribus seqq.* exempli causa dicentes non esse vera miracula, sed simplices gratias, quando sanitas, prævia intercessione alicujus Sancti, vel Beati, cum aliquo temporis progressu, non autem illicò, sensim, non autem repentè restituitur, seu quando liberatio non obtinetur perfectè, ac integrè eodem momento temporis, vel quando aliquid modicum infirmitatis depellitur, aut solùm agitur de inventione rei deperditæ, quod speciatim exprimit Bordon. *num. 27.*

5 Et quamquam aliqui non deponant, quid sit miraculum, & in quo differat a gratia, sufficit tamen, quòd concludenter doceant de actibus, qui sint miraculosi, ut possit judicari, an ex illis resultet miraculum, juxta distinctionem Malvetii *de canoniz. Sanct. §. aggredior num. 71.* ut in simili ad probandum famam satis est, testes deponere per verba facti, & de actibus, a quibus illa necessariò resultet, Farin. *quæst. 47. numer. 225. de test.* Mascard. *de prob. concl. 749. numer. 35.* & Merlin. *decis. 36. num. 8.*

CONSULTATIO LIV.

An ad essentiam veri miraculi requiratur sanatio perfecta ex omni parte ad punctum temporis, ideſt, quod dicunt in instanti?

1 AFfirmo cum Genuensi *in pr. cap. 50. num. 1.* Zacchia *quæst. medico leg. lib. 4. tit. 1. quæst. 3. num. 10. & qu. 8. num. 9.* Novario *tit. de Sanct. non canoniz. num. 4. & 10.* Bordono *contr. 8. num. 38.* Quia opera Dei sunt perfecta, atque adeò miraculum ab ipso promanans, ut a causa supernaturali perfectissima, in se debet esse opus perfectum, & absolutum.

2 Nihil tamen offerret in miraculis tertii generis, si supra naturæ vim sanato modicus livor, cicatrix, aut tumor, vel debilitas corporis, aut membrorum permanserit, cùm ista, & hujusmodi alia non adimant perfectionem præservationis ab interitu, in qua consistit miraculum, ad quod satis est divina virtute impedire quidquid necessariò interitum afferebat. Satis quippè est, sublatam in instanti esse malitiam morbi, quæ viribus naturæ tolli non poterat. Instantanea enim censetur curatio licèt perfectæ sanationis effectus intervallo temporis inde habeatur. Ea certè, quæ naturæ beneficio recuperari non possunt, quamvis, servato naturæ ordine, auferantur, miraculum non destruunt, ut ante omnes annotavit Archid. *in canon. Nec mirum 26. quæst. 5.* ubi plura adducit exempla *numer. 9.* ibique Bellamer. *numer. 6.* & tradit Laudens. *de canoniz. Sanctor. quæst. 7. sub §. quæro*, Zacch. *loc. allegat. quæst. 3.* Panvin. *in relat.* Sancti Bonavent. *part. 2. artic. 6.* & Contilor. *de canoniz. capit. 17. numer. 15.* ac dixit Rota *in relat.* Sancti Caroli *miracul. 4.* Sanctæ Theresiæ *miracul. 11.* post mortem, & Sanct. Andreæ Corsini *part. 2. §. 6.* B. Paschalis Baylon *miracul. 7. §. fin.* Sancti Ludovici Bertranei *in mirac. sanat.* strumosæ fœminæ, & alibi, cùm etiam sufficiat philosopho, quod sit opus non sua natura factum, nec curet, an fiat cum dolore, licèt addubitaverit, an hæc sit una ex conditionibus miraculi, Malvet. *de canoniz. Sanctor. dub. 3. num. 52.* Medic. *de mirab. oper. Dei lib. 1. quæst. 21.*

Neque est insolens in admirandis sanationibus, quod 3
sublata improbitate morbi, aliquod tempus inde insumatur in acquirenda exactissima sanitate. Legimus quippè apud Divum Augustinum supra ordinem naturæ restitutam visionem alligato primo oculo jam lapso, & pendente, indèque ligato orario, & hoc nonnulli post septem dies soluto, *de civitat. lib. 22. cap. 8.* Et hanc sententiam videtur etiam sequi Rota *in relat.* Sancti Raymundi *part. 2. art. 5.* quæ licèt sectetur partem eorum, qui dicunt miracula in instanti de necessitate fieri debere, attenta divina potentia, quæ non alligatur tempori, nihilominus *§. quod si quando*, declarat, sufficere, quòd in instanti auferatur malitia morbi, etsi postea successu temporis reliquiæ morbi tollantur, adducitque diversa exempla usque ad finem articuli. Quem ordinem sequutus est Contilor. *dict. capit. 17. numer. 9.* ubi de communi testatur, & concludit *numer. 14.* Judicem arbitrari posse miraculum esse in instanti, si in instanti sublata sit malitia morbi, licèt effectus perfectæ sanitatis successu alicujus temporis subsequatur.

Unde successio quædam temporis in aliquibus mi- 4
raculis non facit cessare rationem veri miraculi, quia semper illud, in quo consistit natura veri miraculi, fit in instanti, tametsi quædam alia, ipsum miraculum subsequentia fiant tractu temporis, uti verbi gratia in vulneribus, & aliis infirmitatibus lethalibus, ex quibus, ut plurimùm, ac necessariò cursu, ac ordine naturali expectato, moriendum esset, miraculum consistit in tollenda malitia morbi, mortem inductiva, quam naturaliter etiam potentissimis remediis auferri non poterat, neque medicamentis ullatenus superari. Quòd autem postea successu temporis vulnera conglutinentur, obducantur cicatrices, & imbecilitas corporis ex gravi infirmitate orta depellatur, non facit cessare rationem veri miraculi. Quod multis exemplis demonstratur. Isajas enim *cap. 36.* Ezechias ad mortem ægrotavit, & nisi divina misericordia obvenisset, omninò mortuus fuisset, cujus ægritudini nullum erat remedium naturale. Et quamvis miraculo fuerit liberatus a morte, non tamen subitò sanatum est vulnus, sed adhibitis medicamentis, & consueto naturæ ordine servato: ait enim Scriptura: *Et jussit Isajas, ut tolleret massam de ficis, & cataplasmarent super vulnus, & sanaretur.* Clarius Marci *cap. 8.* de cæco illuminato, qui statim vidit, non tamen perfectè cognoscendo, sed paulatim augebatur usus rectè videndi, ubi Glossa inquit: *Quem uno verbo statim curare poterat Christus, paulatim curat, ut magnitudinem humanæ cæcitatis ostendat, quæ vix, & quasi per gradus ad lucem redeat, & gratiam suam nobis indicat, per quam singula perfectionis incrementa adjuvat.* Tobias etiam supra naturam sanatus est ab Angelo, & tamen ex præcepto Angeli Tobias junior, ut ait textus *cap. 11. fumens de felle piscis linivit oculos patris sui, & sustinuit quasi dimidiam ferè horam, & cœpit albugo ex oculis ejus quasi membrana ovi egredi, quam apprehendens Tobias traxit ab oculis ejus, statimque visum recepit.* Non minuit ratione miraculi ejusque magnitudinem, quod uteretur Angelus felle piscis illud perpetrandum, neque etiam dilatio temporis, nempe dimidiæ horæ applicationis.

In miraculis verò primi, & secundi generis, quæ 5
fiunt contra naturam non valentem ea producere ex intervallo temporis, videlicet in resurrectione mortui, illuminatione cæci a nativitate, & similibus, non eliditur vis miraculi, etiamsi in illorum operatione intercedere videatur intervallum temporis, seu aliqua naturalia commisceantur, ut in terminis resurrectionis patet binis exemplis relatis in veteri Testamento. Primò nempè de filio viduæ a mortuis excitato ab Elia 3. *Regum cap. 17. qui expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus, reversa est anima pueri intra eum, & revixit.* Et in altero de filio Sunamitidis pariter suscitato a mortuis ab Elisæo 4. *Regum capit. 4.* non statim, sed paulatim. *Nam Elisæus ingressus domum ascendit, & incubuit super puerum, posuit os suum super os ejus, & oculos suos super oculos ejus, & manus*

nus ſuas ſuper manus ejus, & incurvavit ſe ſuper eum, & calefacta eſt caro pueri, & ille reverſus deambulavit in domo ſemel huc, atque illuc, & aſcendit, & incubuit ſuper eum, & oſcitavit puer ſepties, aperuitque oculos. Tuncque Eliſæus filium vivum reddidit matri.

6 Enim verò in probationibus indirectis, quales ſunt probationes miraculorum, ratio inſtantaneitatis eſt, quæ demonſtrat rationem miraculi. Pro quo advertere licèt doctrinam Sancti Thomæ 2. 2. *quæſt.* 178. *artic. prim. ad* 1. dicentis, quod miraculum non poteſt a priori, vel per rerum principia probari, quia ſubjectum, in quo Deus operatur miraculum, non habet cauſam aliquam præexiſtentem, vel aliquam qualitatem permanentem, a qua procedunt miracula. Unde miraculum non poteſt viſu, vel ſenſu directè cognoſci, ſed poteſt probari a poſteriori, ſeu per indirectam probationem, & per neceſſariam conſequentiam. Ex eo enim, quòd videam aliquid fuiſſe factum, & conſtat non potuiſſe fieri ex cauſa, vel arte aliqua naturali, ex neceſſaria conſequentia probatur fuiſſe factum a cauſa altioris ordinis, & ſupernaturali, quæ dicitur indirecta probatio, ut exempli gratia.

7 Si probare voluero aliquem a nativitate cæcum, fuiſſe ſupra naturæ ordinem ſanatum, probo ſic: Petrus erat cæcus: Natura non poteſt præſtare viſum cæco: Igitur viſus reſtitutus eſt a Deo, qui eſt ſupra naturam: Item in miraculis tertii generis ſi voluero probare vulnus fuiſſe ſupra naturam ſanatum, ſic probabo: Vulnus, quod Paulus habebat in pectore, ſtatim ſanatum eſt, facto ſigno Crucis, vel applicatis reliquiis talis Sancti. Sed natura non poteſt ſanare vulnus in inſtanti, ſed ſolùm in tempore, & per varias alterationes, & operationes: Igitur ſanatio non provenit a natura, & per conſequens adſcribenda eſt miraculo. Ita Divus Thom. 1. *part. quæſt.* 105. *artic.* 8. *in corp.* & *quæſt.* 110. *artic.* 4. & 2. 2. *quæſt.* 178. *artic.* 2. Quotieſcunque ergo reperimus factum, quod naturæ vires excedat, vel quoad factum, vel quoad modum, & hoc conſtat eſſe factum non ex cauſa naturali, ut ſunt hujuſmodi inſtantaneæ ſanationes in infirmitatibus, & vulneribus, quæ licèt a natura ſanari poſſent, multum tamen tempus requirerent, habemus conſequenter eſſe factum ex cauſa ſupernaturali. Quod autem fit ex cauſa ſupernaturali ſupra vires totius naturæ creatæ, neceſſariò tribuendum eſt miraculo.

CONSULTATIO LV.

An, & quatenus viſionibus, ſive apparitionibus, præcipuè Sanctorum, ac ſomniis tàm nocturnis, quàm diurnis fides dari debeat ad effectum canonizationis, ſive beatificationis?

1 SAnctorum apparitiones ad unum omnes quidem ut falſas, ac ut aniles fabulas, & meras præſtigias exagitant. Et hoc cum primis, quòd apparitiones iſtæ non ſcripturarum modò, verùm etiam probatorum Authorum teſtimonio deſtituuntur. Neque enim prudentem hominem multum movere debent, quæ Nicephorus *lib.* 10. *cap.* 11. quem nugacem eſſe conſtat, de Theodori martyris, aut Sozomenus *lib.* 7. *cap.* 5. *lib.* 2. *capit.* 3. *lib.* 9. *cap.* 2. & 17. de B. Mariæ, Michaelis, Zachariæ Prophetæ, Thyrſi, aut Paulus Diaconus *lib.* 3. *de geſt. Roman.* de Ambroſii apparitione ſcribunt. Iſta enim, & cætera id genus aut conficta ſunt, aut propter ſuperſtitionem ita contingere. Pugnare item cum Petro, & Paulo, qui mortuos dormire dicunt. Paulus propterea docet, eos eſſe cum Chriſto *Philipp.* 1. inſuper hiſce viſionibus obſtare videntur luculenter tradit a Larrea *deciſ. de revelat. poſt ſecundum volumin. deciſ. Granat. numer.* 13. 23. & 58. Suppoſitis enim noctu inſomniis minimè deferendum eſſe docet ſacra Pagina *Eccleſiaſt. capit.* 34. ibi: *Multos errare fecerunt ſomnia*, Deuteron. *capit.* 13. *Non audies verba Prophetæ illius, aut ſomniatoris, quia tentat vos Dominus Deus veſter.* Hierem. *capit.* 29. *Ne attendatis ad ſomnia veſtra, quæ vos ſomniatis*, cum aliis apud Nicol. Leont. *lib.* 2. *var. hiſtor. cap.* 67. Simon. Majol. *tom.* 1. *dier. canic. colloq.* 2. & *tom.* 2. *dialog.* 2. *de vatic.* Torreblanc. *de mag. lib.* 1. *capit.* 25. *per totum*, & Martin. Delrio *diſquiſ. mag. lib.* 4. *capit.* 3. *quæſt.* 6. deque ſomniorum ludibriis egit etiam Divus Auguſtinus *lib.* 10. *confeſ. cap.* 30. decipulumque eſſe viſionum fidem probant multa congeſta per Majolinum *dict. colloqu. de vatic. pagin.* 507. *cum ſequent.* & Delrius *dict. lib.* 4. *capit.* 1. *quæſt.* 3. *ſect.* 3. & 6.

2 Neque prætermittendum, dæmonem multa poſſe circa internas ſenſationes interventu commotionis ſpirituum, & humorum. Indè enim accidere externas phreneticorum, & febrientium imaginationes, dum per eum humorum, & ſpirituum tumultum ſenſata cum ſenſatis incongruè componuntur, tradit Cajetanus 2. 2. *qu.* 95. *artic.* 3. ex Philoſopho *lib. de ſomno cap.* 2. & Divus Thomas *quæſt.* 16. *de malo*, poſſeque ex eadem cauſa ſimilia contingere non febrientibus, & vigilantibus annotat Durandus *in* 2. *dict.* 7. *numer.* 5. Opportet itaque, ut Gabriel rectè advertit *in* 2. *dict.* 8. *part.* 2. *art.* 3. res, ad quas cogitandas aliquis per dæmonis induſtriam excitatur, prius fuiſſe ſenſatas, ut conſtat ex eo, quod dæmon nunquam adducit cæcos a nativitate, ut imaginentur colores, neque ſurdos, ut imaginentur ſonos, ſed quæcunque exhiberi procurat, fuerunt ante percepta, & eorum ſpecies in phantaſia aſſervantur. Sed quia hæ humorum nimio affluxu plerumque ſopiuntur, aut aliter impediuntur, facilè eſt dæmoni abſtenſione humoris, vel alterius corporei impedimenti ab actione, aut certè novi humoris ad hoc, vel illud cogitandum opportunioris affuſione, eas quaſi excitare, ut rectè aſſeruit Argentin. *in ſecund. diſt.* 8. *quæſtion. unic. art.* 13.

Sunt qui exiſtimant ſpecies illas interni ſenſus tranſponi, ac moveri a dæmone. Ita Gabr. *ſupra*, & Ægydius, quem refellit Scotus *in* 2. *diſt.* 11. *quæſt. unica lit. D.* & meritò. Nam phantaſmata inſident ipſi cerebro, quod cùm vivat, & continuetur cum partibus, & ſtabilibus viventis, non poteſt ſubire eam tranſpoſitionem, vivo animali. Si tamen ſpecies aliquæ ſenſus interni inhærerent ſpiritibus, vel humoribus, ut Scotus *ibidem*, & Pererius *in capit.* 7. *Exod. diſput.* 4. falsò exiſtimant, facilè concederetur illam ſpecierum in hujuſmodi caſus tranſpoſitio, & ita ſenſit Mayro *in* 2. *diſput.* 7. *quæſt.* 3. ſed ea tranſpoſitione admiſſa, videtur impoſſibile exponere, cur dæmon non poſſet ſpiritus phantaſmate fœtos, ex uno capite in alterum exportare, atque adeò facere, ut cæcus a nativitate verè, & legitimè imaginetur colores, vel ut ſurdus imaginetur ſonos, quod meritò dæmoni denegat Div. Thomas *qu.* 16. *de malo art.* 11. *ad* 9. 3

Ex his ergo patet, qua ratione dæmon varias imaginationes procurare poſſit pro libito. Quomodo item varia ſomnia poſſit immittere, de quo plenius Pererius *lib. de obſerv. ſomnior. quæſt.* 2. *in* 3. *cauſ.* & Thyræus *lib. de apparit. imag. cap.* 15. & 16. perilluſtrique exemplo ad imprudentum cautelam declaratur apud Antiochum monachum *hom.* 84. Remedia verò ad curationem læſæ a dæmone imaginationis dabit Franc. Picus *lib. de imagin. cap.* 12. 4

Et ſanè eſſe ſpeciem, ſive viſum, quod objecta exteriora repræſentat ad veritatem inefficacia, quod etiam in illo eſſet indifferentia veri, & falſi, quæ in objectis reperitur, jampridem oſtendit Arceſilas apud Tullium *lib* 2. *capit.* 7. *in* 7. *Academ.* Et præter ea, quæ ibi habentur, alio etiam modo viſa fallere poſſunt, quando nempè ſe, ut objectum offerunt, quod ſomiantibus, furioſis, ebriis, interdum etiam ſapientibus, & ſanis accidere ſolet. Quam rem egregiè tradiarunt Henricus 1. *part. ſumm. articul.* 2. *quæſt.* 2. & Tullius *in* 2. *Academ.* Quod autem vigilantibus, & ſanis ſpectra quædam occurrant, quæ ab interna animi motione pendeant, teſtantur Peripatetici, & præcipuè Averroes, qui ſpectrorum, & phantaſmatum viſa non motus ad animam, quibus anima objectis veris percellitur, ſed motus ab anima nuncupavit, quibus id, quod anima intra ſe finxit, decepta videtur extra ſe collocare. Unde Epicurus ille, qui adeò fidebat ſenſibus hanc fallaciam etiam in viſis agnovit. Qua de re Caſſius Epicureus apud Plutarchum ita loquitur: *Iſte præceptis imbutus Epicurei, & de his pugnare ſolitus cum Bruto. Noſtra eſt hæc*, inquit, *Crute, doctrina non omnibus affici verè nos, neque videre, ſed rem fluxam eſſe, & fallacem ſenſum. Multò etiam mentem perniciоſiorem eſſe ad movendum eum, & vertendum a nulla re ſubſiſtente in omnem ſpeciem. Nam ceræ impreſſio iſta ſimilis. Menti autem humanæ, quæ & quid fingitur, & quod fingit, in ſe habet, facultas adeſt, idem facillimè, ut ipſa variet, & per ſe figuret.* Oſtendunt id per ſomnum inſomniorum converſiones, quibus vertitur imaginatio, quæ levi ex principio varios animi motus, & ſpecies edit. Ex quibus ita poſſumus argumentari: Species rei ſenſibilis in phantaſiam, ſeu in mentem noſtram inſculpta, & impreſſa, ſive expreſſa, ſimilitudinem habet cum falſo, itaut cum vero, quantum eſt ex ſe, internoſci non poteſt, an veri, vel falſi ſit judicatrix, præterea interdum ſe ſe obtrudit, ut objectum ipſum, interdum verò ut objecti 5

ſpe-

ſpecies. Ergo non poteſt eſſe inconcuſſa, & ſolida regula veritatis.

6 At nihilominus dari apparitiones Sanctorum, certum omninò eſt. Neque eſt immorandum in his, quæ contra illas hæretici objiciunt, cùm hunc ludum iſti ferè continuò ludant. Cujus rei, fraudiſque, ut cætera taceam, iſtud ipſum, de quo jam agimus, manifeſtum eſſe poteſt argumentum. Habes enim hæc Nicephori narratio de Theodoro martyre, apparente, & admonente Euzojum Epiſcopum, ne populus eſculentis illis, ſacrificio deorum pollutis, uteretur authorem Nectarium, quem iſti ne nominare quidem audent. Eum, inquam Nectarium, quem præ cæteris Patribus ita amplificat Calvinus *dialog. 1. cap. 27.* dum privatam confeſſionem abolere nititur, ut omnes alii præ eo Patres nullius ſint ponderis. Pauli verò Diaconi cur iſti authoritatem extenuarent, nihil dicunt, nec, ſi dicerent, facilè probarent. Volunt tamen neſcio quas tenebras imperito lectori offundere, quaſi non ſit optima, & ſpectatiſſima ejus fides, cùm narret tàm longè diſſita a ſuo tempore. Qua præclara ratione ſi nitamur, facilem, & paratam viam iſti ingenioſi homines invenerunt ad totam penè antiquitatis memoriam abolendam. Quaſi verò, qui recentius ſcribunt, non ſoleant plerumque ſumere ſelectiſſima, & veriſſima quæque ab iis, qui ne ſuo quique ſæculo ſcripſere, aut iſti aliud, quàm fraudes conſectentur. Et ut de Sozomeno agam, vel ille de his rebus tradit, quod non acceptum a probatis teſtibus, atque authoribus, vel quod non fuerat eo tempore tàm illuſtre, ut omni vanitatis ſuſpicione careret, ea cum primis, quæ ab illo narrantur de quadraginta Martyribus, quorum pompæ ipſemet interfuit. Quæ tàm certa, tàm memoratu digna, & ad Eccleſiaſticam hiſtoriam tàm neceſſaria arbitratus eſt, ut ea nullo modo prætermittere ſe potuiſſe, aut debuiſſe palam confeſſus fuerit. Hiſtoriam verò ſuam Theodoſio Imperatori, cujus celeberrima, ac ſanctiſſima fœmina Pulcheria ſoror fuit, cui martyrem Thyrſum in ſomnis apparuiſſe ſcribit, dedicat.

7 Sunt præterea Authores alii, in quorum libris teſtimonia extant de apparitionibus Sanctorum. Superſunt planè *lib. 6. capit. 5.* Euſebii de Pontamiena, Baſilii de Mamante in vita ejus, Nazianzeni de fratre Cæſario, & variis martyribus *orat. 1. in Julian. & orat. funebr. Cæſar.* Nyſſeni de Beata Maria *in vita Gregor. Thaumat.* Ambroſii de Protaſio, & Gervaſio *in ſerm.* de eis, Hieronymi de Paulo *in vit. Pauli*, Auguſtini de Felice Nolano, cujus præſidio Nola a Barbaris *capit. 16. de jur. pro mort.* ut noſtrorum memoria ope Divini Martini Guintium a Turcis oppugnantibus conſervatum creditur ex Jovio *libr. 30.* Paulini de Ambroſio *in vit. Ambroſ. & Felic. natal. 8.* Evodii de Beato Stephano Protomartyre *de miracul. S. Stephan. lib. 1.* Prudentii de Fructuoſo, & ſociis *in vit. ejus*, Sulpitii de Maria, Agnete, Thecla, Petro, & Paulo *in vit. Martini*, Luciani de Gamaliele *in miracul. Stephan.* Theodoreti de Joanne Baptiſta *in Philoth. in vit. Jacobi: & Eccleſiaſt. hiſt. lib. 5. capit. 24.* Palladii de Colutho martyre, & alia aliorum luculenta teſtimonia de Sanctis ſæpè poſt mortem apparentibus. Cujus rei non ſolùm a privatis illorum ſcriptis, ſed & ab Oecumenicis Conciliis, præſertim Niceno ſecundo, probationes etiam peti poſſunt, de Petro nimirum, & Paulo Apoſtolo *act. 2.* qui Conſtantino Magno, de Platone martyre *act. 4.* cuidam Galatæ apparuit. Nec ſumus tàm inopes ac nudi, ut iſti putant, a ſcripturis. Judas Machabæus Hieremiam in ſomnis vidit *2. Machab. cap. 4.* Samuel apparet Sauli, Moyſen, & Eliam, Petrus, Jacobus, & Joannes viderunt cum Chriſto in monte colloquentes, *Matth. 17.*

8 Et quidem cur id Sanctis invident, & quod & ipſi dæmonibus non denegant? Et etiam vivis hominibus, longèque invicem disjunctis, quoties ita divina voluntas tulit, contigiſſe conſtat? Ita S. Vitus Conſtantino Magno, Sozomen. *lib. 6. cap. 33.* Ita Miletius Antiochenus Theodoſio Magno, Theodoret. *lib. 5. capit. 6. & 7.* adeòut eumdem poſtea nunquam, niſi per ſomnium, prius viſum in Epiſcoporum Synodo ultrò agnoverit. Ita Joannes prædictionum dote celeberrimus mulieri cuidam, Auguſtin. *de cur. pro mort. cap. 17.* Ita D. Nicolaus eidem Conſtantino, Metaph. *in vit. Nicol.* Auguſt. *de civit. Dei lib. 22. cap. 10.* Ita alii aliis ſe viſendos obtulere.

9 Quando verò ita colligunt, Beatos apparere non poſſe, quòd ſint cum Chriſto, & dormiant, ipſi ſanè in eo altum ſtertere, & ineptias ſomniare videntur. Nam ex eo multò faciliùs, & verius colligitur, Beatos, quibus velint poſt mortem ſe oſtendere. Quid enim aliud eſt eſſe cum Chriſto, quàm fœlicitate gaudere omnibus ſuis numeris, & partibus expleta? Cujus profectò in Beatis portio eſt, ut quibus velint profint, quibus velint ſe oſtendant, cum tota illorum voluntas a divina nunquam diſſideat. Iſti verò illorum fœlicitatem, voluntatemque ſuis neſcio quibus cancellis, & neſcio quo glirario, in quo dormiendo nihil aliud, quàm faginentur, circumſcribunt.

Jam quòd iſti, has eſſe privatas apparitiones, ac viſiones, & ideò ſuperſtitionem, ac vanitatem redolere, non ſatis aſſequor, cur ita differant. Nam ſi privatas appellant, quòd privatis, & obſcuris hominibus contigerint, falsò ita appellant, niſi fortè Gregorius, Ambroſius, Martinus, de quibus diximus, Epiſcopi, niſi Theodoſius magnus, Pulcheria, Juſtinianus, atque alii Imperatores in privatorum jam ordinem ſint redigendi. Theodoſio enim Joannes Evangeliſta, & Philippus Apoſtoli, Theodoret. *lib. 5. capit. 24.* Pulcheriæ martyr Thyrſus ſeſe oſtenderunt, Sozomen. *lib. 9. capit. 2.* Coſmus, & Damianus non apparuerunt modò, ſed periculosè ægrotantem ſanaverunt, Procop. *de ædif. Juſtin.* Quòd ſi ideò privatas apparitiones dicant, quia privatim uni alicui, & non pluribus ſimul Sancti ſe oſtenderint, id quoque a veritate alienum eſſe tum ex aliorum Sanctorum, tum ex Fœlicis confeſſoris hiſtoria evidenter oſtenditur: de quo ita Auguſtinus *de jur. pro mort. dict. cap. 16. tom. 4. Non ſolis beneficiorum effectibus, verùm etiam ipſis hominum aſpectibus confeſſorem apparuiſſe Fœlicem, cujus inquilinatum pie diligit, cum a Barbaris Nolla oppugnaretur, audivimus non incertis rumoribus, ſed teſtibus certis.* 10

Quòd autem ad Larream ſicut non excludit revelationum veritatem, ſed monet lentè procedendum in illis admittendis, cùm plerumque dæmon ad decipiendum mortales ſe transformet in Angelum lucis, nec deſinit viri vaferrimi, qui quæſtus captandi gratia eas ſibi confingant, ut ideò eas aſſerat examinandas, conſiderando, an veritati ſint conſonæ, & ad Dei gloriam pertineant, & cum continuata humilitate recipiant *numer. 72.* Quod idem docet Contilor. *de canoniz. quæſtione 14. numer. 30.* Zacch. *loc. alleg. dict. tit. 1. numer. 23. & ſeqq.* ita eadem ratione ſervata procedendum eſt in apparitionibus, ac ſomniis, quæ neque contemniſſe facilè, neque ſuaſum eſſe, ut monuit ante non neminem Ariſtoteles *de divinat. per ſomn. capit. 1.* ubi enim quod eſt cauſa ſomniorum, poteſt eſſe cauſa futurorum eventuum, eſt attendendum, Ariſtot. *ibi & capit. 2.* Ac licèt ipſe loquatur de cauſis intrinſecis, & extrinſecis, quæ ſint corporeæ, quales ſunt ambientis aeris diſpoſitiones, vel cœleſtium corporum impreſſiones, eadem tamen ratio ad ſpirituales cauſas etiam extenditur, quæ vel poſſint futuros eventus producere, vel ſaltem cognoſcere, ut obſervat D. Thom. *2. 2. quæſtione 65. art. 6. in corp.* cùm tamen operatione dæmonum aliquando ſpecies aliquæ dormientibus appareant, ex quibus vel pii homines illudantur, vel impii, cum quibus ipſi pacta habent expreſſa, vel tacita, futura conjiciant, ſuperſtitioſa, & illicita erit eorum obſervatio ſomniorum, quamvis priora illa admittantur, ideòque de poſterioribus his intelligenda ſunt ea S. Scripturæ loca, quæ protulimus, cùm ex oppoſito priores illas ſpecies S. Pagina plures nobis exhibeat, Theologorum ſchola non reprobet, ſubſequuti eventus confirment, & Deus ipſe proprio ore approbaverit juxta illud *Num. 12. Si quis fuerit inter vos Propheta Domini in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum.* Et plures, in quibus a medicis deſperata fuit ſalus, a ſanctis viris, qui ſe illis obtulerunt in ſomnis, priſtinæ ſaluti reſtitutos fuiſſe ex probatis Authoribus comprobat Author. *mirab. hiſtor. de ſpect. lib. 2. cap. mirab. ſatan. præſtig.* 11

Porrò ſomnia hujuſmodi nihil aliud ſunt, quàm viſiones, ſive ſermones Dei, vel Sanctorum, qui dormientibus accidunt. De quo eſt illud D. Hieronymi ad ſignificandam excellentiam Danielis ad caput ejus prophetiæ primum: *Daniel*, inquit, *hoc extra tres pueros habebat inſigne, quòd viſiones, & ſomnia, quibus per ſymbola quædam, & ænigmata futura monſtrabantur, ſagaci mente cernebat, ut quod alii videbant in phantaſmate, hic oculis cordis aſpiceret.*

Et ſi autem pleraque ſomnia vana ſunt juxta illud *Eccleſ. 5. verſ. 6. Ubi multa ſunt ſomnia, plurimæ vanitates. Et Eccleſ. 34. verſ. 2. Quaſi qui apprehendit umbram, & perſequitur ventum, ſic & qui attendit ad viſa mendacia*, eſſe tamen ſomnia, quæ advertere, & curare oportet tum experientia, tum ratio, tum denique fides ipſa docet. 12

Pri-

13 Primum ergo ſupponendum ex communi doctrina, eſſe ſomnia naturalia, animalia, divina, dæmoniaca, latiùs hoc nomine uſurpato, ut comprehendat quæ a bonis, ac malis Angelis emittuntur ſomnia. Naturalia ſunt, quæ oriuntur ex varia affectione corporum. Unde melancholici funeſta vident ſomnia. Idcircò medici ſomnia obſervant juxta Galen. *in lib. de præſag. ſomn.* Animalia ſunt, quæ ſequuntur exercitationes diverſas, & officia vitæ varia, propterea qui militiæ vacant bella ſomniant, qui venationi ſylvas. Utrumque genus videtur D. Auguſtinus attigiſſe 12. *ad Geneſ. ad lit. cap.* 30. Divina ſunt, quæ a Deo immittuntur vel per novas ſpecies intelligibiles in mentem, vel per novas imagines in phantaſiam, aut certè per novam earum, quæ in ea jam inerant, compoſitionem. Atque contra Epicureos, qui omnium quidem, ſe maximè divinorum ſompniorum ſubſtulere fidem, indignum ſcilicet exiſtimantes obire Deum lectos dormientium, ut ſterentibus injiciat ſomnia.

14 Verùm divina ſomnia narrat Scriptura ſacra, & Sancti omnes meritò obſervant, & ne dubitatio aliqua in nobis, haberet locum, Deus ipſe diſertis verbis ea promiſit *Num. 12. verſ. 6. cit.* & *Ioel. 2. verſ. 28.* ibi: *Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem*, & *prophetabunt filii veſtri*, & *filiæ veſtræ, ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt*, & *juvenes veſtri viſiones videbunt*. Denique ſomnia dæmoniaca a bono, & a malo Angelo immitti poſſe, certum eſt, idque præſtant non per novas ſpecies, quas immittunt in phantaſiam, ſed mediante commotione ſpirituum, variè componendo, & permiſcendo eas, quibus antea informata erat. Quod Ariſtoteles non videtur conſideraſſe *lib. de divinat. per ſomn.* cum viſa improborum, quia in Deum referre indecorum cenſuit, naturalia putavit, idem judicium de quibuſdam ſomniis faciens, quod innuit etiam Senec. 2. *natural. quæſtion. capit.* 32. aliter juxta prædicta judicaturus, ſi & a Deo malis prænuncia ſomnia interdum immitti poſſe ſine indecoro, pro ea, qua eſt in omnes beneficientia, conſideraſſet, & ut a Deo, vel bonis Angelis non immitterentur, a dæmonibus immitti poſſe perpendiſſet. Itaque philoſophum, quem in hac re dubitaſſe ait Artemidorus *lib.* 5. *capit.* 7. reprehendunt Canus *lib.* 10. *de loc. cap.* 5. Suarez *lib. de ſuperſt. capit.* 13. *numer.* 18. & ante eos Gregorius ad Syneſium de inſomniis. Excuſat autem Pamelius *ad capit.* 46. *Tertul. de anim.* Item Leonicus in Trophonio, adducens a Tullio annotatum ex Ariſtotele exemplum ſomnii non naturalis, atque adeò divini, ſeu potiùs, ut ex circumſtantiis conſtat, dæmoniaci. Item Ariſtoteli tribuit Plutarchus 5. *de placit. capit* 1. De dæmoniaca divinatione per ſomnia non pauca præterea dabunt, Gyrald. *ſyntagm. 9. ſub fin. ad* Scaliger. *ad Hipocrat. de inſomn.* & interpres Philoſtrati *ad imag.* Amphiarai. Quomodò autem hæc ſomnia a malo, & a bono Angelo diſcernenda ſint, docet D. Gregor. 8. *moral. cap.* 13. idem oſtendit Perer. *lib.* 1. *in Daniel.* & Thyreus ex profeſſo *loc. allegat.* ac noviſſimè Cardin. Bona, vir pius & doctus in luculento, & ſpiſſo libro *de diſcretione ſpirituum capit.* 16. ubi etiam *cap.* 15. agit de viſionibus, & apparitionibus, quomodò ſcilicet veræ a falſis dignoſcantur, ac nos alibi.

15 Illud porrò magnoperè notandum ex D. Gregorio, ubi proximè, ſomnia divina ſæpè oriri ex cognitione hominis, & revelatione Dei, & ponit exemplum in ſomnio Nabuchdonoſor, quod inquit, Daniel a radice cogitationis inchoavit, dicens: *Tu Rex cogitare cœpiſti in ſtrato tuo, quid eſſet futurum poſt hæc*, id-eſt cœpiſti hæc inter ſomniandum volvere animo. *Et qui revelat myſteria, oſtendit tibi quæ ventura ſunt*. Similiter Pharaoni regia cura dignum ſomnium monſtratum eſt de futura ubertate, & ſterilitate Ægypti *Geneſ.* 40. Nec non piſtorum, & pincernarum Principes agnata muneribus ſuis videre ſomnia, quæ divina quidem fuere. Quoniam a Deo immiſſa ob fines a ſe præſtitos, ſed ſimul etiam fuiſſe animalia, quoniam erant conformia muneribus ſomniantium, quibus ſe Deus in divinis ſomniis ſolet accommodare. Immò, & ſecundùm philoſophos, naturale ſomnium aliquando poteſt eſſe divinum, quoniam poteſt ſe Deus accommodare affectioni corporis, unde habet ſomnium, ut ſit naturale. Neque naturale hoc modo contraponitur divino, ac ſupernaturali. Non enim dicitur naturale, quod naturæ viribus habeatur, ſed quod naturali compoſitioni reſpondeat.

16 Quæſtione dignum, an quando Deus dormienti ſomnium infert divinum, elevando ejus mentem, & phantaſiam ad cognoſcendum aliquid, id fiat in dormiente cum uſu liberi arbitrii? Et quod attinet ad prophetica ſomnia affirmo cum D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 113. *articul.* 3. *ad* 2. Eſt ergo vera ſententia, per Dei potentiam fieri, ut dormiens Propheta, ſolutus tamen, & liber ſit ad exercendas actiones tum rationis, tum liberi arbitrii. Unde conſtat erraſſe Montanum, qui aſſerebat, Prophetam non intelligere quæ videt, vel loquitur. In quo etiam errore fuit Tertullianus ut conſtat ex Hieronym. *de Scriptor. Eccleſ.* Verùm hoc meritò vocat idem Hieronymus meram inſaniam, ut convincit ex Paul. 1. *Corinth.* 14. & ex modo loquendi, & Scribendi Prophetarum. Quare Baſilius *proœm. in Iſai.* Quid conſentaneum, inquit, eſt, ut quis ex ſapientiæ ſpiritu, inſanus fiat? Verius videndi vim a natura inditam expergefacit.

Ratio tamen dubitandi in ſomnio Salomonis eſt 3. *Reg.* 3. quia libertas videtur eſſe uſu poſſe, niſi intercedente perfecto judicio, atque uſu libero voluntatis. Et tamen perfectum judicium, & uſus libertatis non videtur abſque perfecta vigilia eſſe poſſe. Quare partem, quæ negat libertatem in ſomnio Salomonis aſſerit D. Thom. 1. 2. *quæſtion.* 1. *articul.* 3. *ad* 2. & 2. 2. *quæſt.* 154. *articul.* 5. *ad* 1. & *de verit. quæſtion.* 28. *articul.* 3. Abul. 3. *Reg.* 3. *quæſtion.* 4. 12. & 13. Videturque eſſe D. Auguſtini 12. *de Geneſ. ad lit. capitul.* 15. & ſequitur Perer. *in Daniel. diſputat. de verſ. & var. ſomn. quæſtion.* 7. Pinel. *libro* 3. *de reb. Salomon. cap.* 5. & videtur ſentire Salmeron, ſed obſcurè *tom.* 3. *tract.* 30. 17

At conſiderantibus rationem narrationis illius *capit.* 3. *Reg.* videtur certum poſſe Deum elevare intellectum, & phantaſiam hominis dormientis ad perfectam intelligentiam, & judicium rationis cum perfecta libertate. Quia poteſt Deus tàm perfectè purgare, & diſponere phantaſiam tamque fortiter ac dilucidè elevare mentem dormientis, ut clarè, & cum affectu agat de Deo, & cum Deo circa res ſuas. Quod egregiè ſignificavit Rupertus agens de ſopore Adam *Geneſ.* 2. *verſ.* 21. quod ſomnium fuiſſe corporale ſentit D. Thomas 1. *part. quæſtion.* 97. *art.* 2. aſſeritque Nyſſenus ſuper Cantica ad illa verba *cap.* 5. *verſ.* 2. *Ego dormio*, & *cor meum vigilat*. Idem exiſtimo certum in ſomnio Salomonis. Quoniam petitio ejus placere non potuit Deo, ut ibi narratur, niſi voluntaria foret, atque meriti apud Deum capax. Unde Ambroſius *ad Pſal.* 118. de Salomonis hoc ſomnio agens, oraſſe eum tunc, & promeruiſſe, diſertè aſſerit. Quod etiam ſentit apertè Tertullianus 4. *adverſus Marcion.* 15. Carthuſianus, Hugo, Gloſſa, & Lyranus *ad dict. loc.* 3. *Reg.* 3. Alenſis, Bonaventura, & Richardus, ac defendit latè Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 2. *de orat. cap.* 19. 18

Quod verò attinet ad rationem dubitandi, verum quidem eſt in communibus ſomniis, in hoc autem eſt ſpeciale privilegium, quoniam omninò fuit extraordinarium, & divinam habuit præſtò opem, quæ confortavit, illuſtravitque intellectum, & phantaſiam Salomonis ad perfectè intelligendum, non obſtante impedimento ſenſuum externorum, quo factum, ut conſervato interno vero ſomno corporali, habere potuerit perfectum diſcurſum, & colloquium cum Deo liberum. 19

CONSULTATIO LVI.

An morbus apoplecticus poſſit abſque miraculo poſt aliquod tempus reſolvi?

POteſt, ſicut in muliere annorum ferè ſexaginta, quæ in apoplexiam inciderat contigiſſe, refert Schenckius *obſer. lib.* 1. *tit. de apoplex. obſ.* 1. ex Altom. *cap.* 19. *de medend. humor. corp.* ſcilicet arte, aut natura, ut Zachutus ſubdit *tom.* 1. *de medic. princ. hiſt. lib.* 1. *hiſt.* 34. *de apoplex. dub.* 20. *ſub init.* ponens exemplum curationis a natura tàm ibi, quàm in præcedenti paraphraſi, quando calor nativus valdè exagitatus, & commotus ſuas vires exerit ad noxam expellendam, quoniam vehementi tunc actus impetu in univerſum corpus, ſubindeque proſiliens in partes affectas, diſcutit, & abſumit quidquid pravi humoris, ac impedimenti in eis repetit, adeòut quem non operoſa medentium manus, non accurata phyſicorum diligentia, non ulla medicamentorum genera curare potuerunt, ſolus calor nativus ſanare poſſit. Naturam enim morborum medentem eſſe omnes proclamant cum Hippocrate *epid.* 6. *ſection.* 2. *text.* 2. & Galeno 1. *aphor.* 14. & 15. *diſtinct. aphor.* 37. & 5. *aphor.* 32. inferendo ex hoc, quod apoplectici ſanari poſſint ſola natura vires ſuas 1

inna-

innati caloris potestate uniente ad expulsionem noxii, cùm mirabiles sint effectus, quos unio dicti caloris innati præstare solet, ut plures diù claudos resolutos, & contractos repentè sanos efficiat juxta exempla Valeriolæ *lib. 2. observ. 4.* Quarum eventuum causa est aggressus naturæ ad humorem noxium expellendum, sicque etiam valeat apoplecticos sanare ob solum conatum dicti caloris innati, cujus agitatione natura concitata insurgit ad morbificam causam evincendum, quo fieri potest, ut ipso humore pravo, vel discusso, vel expulso pristina sanitas eis restituatur.

2 Neque dubitari potest, quin hanc unionem caloris innati possit inducere per accidens vehemens imaginatio apoplectici, incitando, & movendo potentias naturales, quarum munus est, spiritus excitare, & præcipuè illam cordis facultatem, quæ agitatio appellatur. Ipsa enim imaginatio dirigit spiritus, ut rursus hanc potiùs, quàm illam partem corporis moveantur, & facultatem motricem determinat, ut ad talem partem eos moveat, quemadmodum ratiocinatur Sennertus de chymicorum cum Aristotelis consensu, ac dissensu *capit. 14. de virib. Imaginat.* ubi præterea docet, imaginationem morbos curare per accidens.

3 Idque præsertim quando asserta gratia non fuit perfecta, & absoluta ex omni parte, ut si non potuerit qui jam hoc morbo laborabat primis diebus incedere sine fulcris, & postea sine baculo. Quæ imperfectio, sicut ex alibi dictis non congruit essentiæ veri miraculi, ita convenit sanitati restitutæ in parte per causas naturales, etsi nobis occultas.

4 Hæc verò locum non habent ubi ætas, victus, vestitus, & liberationis congruæ ratio, unaque atrocium morborum complicata congeries calorem potiùs in dies minuunt. Potest quidem vehemens ira interno calore lacessita contractionem nervorum resolvere per fervidam spirituum copiam, dum illa procedat a sanguine circa cor efferveſcente, ut plenè Vales. *contr. med. & phylos. libr. 5. capit. 8.* Potest & illud idem in partibus inferioribus operari metus per abundantem spirituum copiam, quos ad eas partes consuevit transmittere, ut post Aristotelem *sect. 2. probl. 26. & sect. 28. probl. 2.* docet D. Thomas 2. 2. *quæst. 44. articul. 1.* ubi tamen ira, & metus defecerint, frustra ex his petuntur exempla.

5 Neque idipsum imaginationem operari posse dicendum est. Cùm enim imaginatio sit actus animæ intellectivæ, per se progignere, vel destruere non poterit morbos illos, qui a vegetatrice, vel naturali facultate emanant, quam sensus, vel intellectus nullo pacto moderantur, ut pluribus rationibus comprobat Thomas Fienus *de viribus imaginat. quæst. 10. numer. 11.* ubi contrariis respondet. Poterit illa quidem per accidens aliquid operari, humores, & spiritus commutando, mediante appetitu, & passionibus pro vario spirituum motu juxta naturam passionis, cui adhæret. At ubi non aliam passionem concurrisse possumus suspicari, quàm fiduciam, quæ est spes cum imaginatione rerum salutarium ex Aristotele Rhetor. 2. *capitul. 3.* incongrua est spirituum motio ad progignendum sanitatem, cum spes spiritus non agitet, nec ad exteriores partes instar iræ, vel metus impellat, sed potiùs illos inhibeat, & veluti immobiles, ac suspensos detineat, simulque humorum impetum inhibeat, ut susè differit Cambran. *in charact. passion. del Esperante capit. 6. part. 3. & in prælud.* ac Laurent. *de mir. strumar. sanat. lib. 1. cap. 7.*

6 Quinimmò ut plurimum quilibet spirituum motus progignendæ sanitati est longè impar. Siquidem in morbis, quorum materia est humor in venis oberrans, & nedum obfirmatus, multum valeat ægri imaginatio, quasi nativum calorem excitet, & naturam stimulet ad noxiorum coactionem, secretionem, & excretionem, sed ubi per longum temporis decursum confirmata morbi natura artus contorserat, sensum & motum partibus læsis ademerat, inanis redditur quilibet imaginationis spirituum, & naturæ conatus. Nam in morbis illis, qui habitum contraxerunt, & quorum causa humor est crassus, frigidus, parti infractus, infixusque, sola ægri confidentia parum prodest, ut plenè examinata materia Laurentius cùm discuteret articulum, an imaginatio in strumarum curatione quæ fit a Regibus Galliæ, aliquid operetur *d. cap. 7. in fine.*

7 Imperfectio verò sanitatis nullius est momenti, quando æger posset etiam fulcris incedere, & cùm esset prorsus inhabilis ad motum, surgeret, & cum fulcris ambularet. Ut hinc etiam pateat non imaginationi, aliàs quippè ad breve tempus tantummodò morbus cessaviſſet, Zacc. *lib. 3. quæst. medico leg. 8. numer. 9. & 10.* adscribendam esse curationem, sed Deo, vel Dei servis invocatis, ut aliàs Sancti Cosmæ & Damiano attributam legimus sanitatem uxori Constantini Laodiensis, quam illi promiserunt duo viri, qui in somniis sese illi obtulerant ea figura, qua Cosmas & Damianus depingi consueverant in actis septimæ Synodi *act. 4.*

CONSULTATIO LVII.

An submersis per horam, & amplius in aquis, invocato auxilio Servorum Dei, si revixerint, attribuendum sit miraculo?

NEgandum videtur. Nam veræ essentiæ miraculi 1
obstat primò, quod Alex. Benedict. *de morb. cur. lib. 10. capit. 9. in fin.* & Schenck. *observ. med. lib. 2. tit. de suffocat. rubr. aqua observ. 1.* testantur, submersos in undis post octo, & quadraginta horas recreatos revixisse, ac uterque addit, quod si immersus aqua extinctæ animæ speciem præseferat, cruribus protinus debeat suspendi, ejusque anima suscitari calido conclavi, & suffitionibus, ille quidem *lib. 7. cap. 3. hic d. observ. 1. sub initio.*

Secundò, quod Alexander Oliva dum puer vaga- 2
batur propè Saxoferratum cecidit in puteum, indeque exanimis a vicina extractus, matrique redditus, paulò post ad se rediit, teste Garimberto *lib. 4. de vit. Pontif.*

Tertiò, quod Æneas Sylvius *Asiæ capit. 34.* narrat, 3
Zenobiam, uxorem Radamasii, filii Pharasimenis Regis Iberorum a viro insimul fugiente ob rebellionem populorum ferro jugulatam, ac in fluvium Aronem projectam, ne hostes illius corpore potirentur, a pastoribus inventam, quod adhuc viveret, ad Theridatem Vologesi, Parthorum Regis, fratrem viri hostem perductam fuisse.

Ac tandem ex iis, quæ adducit Michael Angelus La- 4
pius in discursu Italico de hac re.

Ex quibus patet, naturaliter contingere posse, quod 5
etiam aqua immersi non suffocentur, hoc comprobantibus binis exemplis allatis a Schenkio *dict. observat. 1.* ex Christophoro a Vega *de articul. med. lib. 3. sect. 5. capit. 8.* & Petro Foresto *lib. 15. observ. 26.* Primum est infantulæ bimis, quæ in vasculum aqua saponis plenum cecidit, eaque absorpta animam agere videbatur, levi tamen vomitu irritato, cum totam aquam saponariam evomisset, paucis horis a suffocatione liberata fuit. Alterum est plurium, qui è ponte ligneo effracto in aquam ceciderant, eademque obrupti de vita periclitabantur extra mentem sine loquela persistentes, sumpto decocto florum Camomillæ in cervisia, lectoque positi, ut sudor hoc modo eliceretur, sanitatem recuperarunt.

Præcipuè si submersus repertus fuerit sub aqua ore, ac ventre limo inhærens, ex quo liquet non decidisse supinum, ut ore aperto statim ebiberit tantam aquæ copiam, ut potuerit suffocari, sicque non respirationem saltem transpirationem integram permansisse, quæ satis superque est ad vitam ei conservandam, ut in suffocatis etiam fatetur Zacch. *lib. 4. tit. 1. quæst. medico leg. ult. num. 43.*

Verùm enim verò, his non attentis, tenendum est, 6
quod homo statim ac in aquam demergitur, necessariò suffocetur, ac pereat, cum aere, & respiratione juvari non possit, teste Aristotele *de respir. capit. 7.* Hippocrate *lib. de pal. text. 6.* & Fernelio, medicorum sui sæculi principe in physiolog. *lib. 16. capit. 16.* dicente, hanc esse differentiam inter aquatilia, & alia terrena animantia, quod ista ex quo multo sanguine, eoque puriore sunt prædita, celeri ac prompta refrigeratione ac nutritione aeris indigent. Indeque meritò Divus Anselmus *super epist. 2. D. Pauli ad Corinth.* pro miraculo ponit hominem in aquis submersum non præfocari. Eandemque impossibilitatem naturaliter vivendi absque respiratione agnoscit Cornel. a Lapide *ad cap. 2. Joan.* & apertius ad dictum locum D. Pauli, Plater. *quæst. med. parad. cent. posth. num. 55.* & Zacch. *d. tit. 1. quæst. 11. num. 28.*

Respiratio enim sub aquis non datur in terrenis ani- 7
mantibus, nisi mediante aeris respiratione, quæ ibi deficit ob occlusas vias aeris attractioni destinatas, cùm non attrahatur aer ventilando cordis calori necessarius ad hoc, ut in statu naturali conservetur, cordisque actio-

actiones rectè perficiantur, Sennert. *in med. pr. lib.* 1. *part.* 3. *capit.* 1. ut alibi contingit ex frigida qualitate, quæ ex aeris appulsu, mediante refrigeratione, & disflatione suppeditatur, cùm aer tamquam rarus, & fungosus levitate subtilis, celeriter in omne corpus penetret, & partibus singulis præsens sit, ac facillimè cuncta spiracula permeando nos omni ex parte ambiat, circumdetque, Laurent. *in oper. anat. de respir. natur. quæst.* 20.

8 Unde sicuti momento inspiratur, ita & eodem momento respiratur, & magis præstò est, quàm aqua, quæ licèt celerrimè hausta, non tamen ita facilè depellitur, & ideò aer implens pulmones, ad motum leviores reddit, & è contra aqua eorum motum impedit, unde natura provida omnium parens homini amplos, & magnos pulmones porosæ substantiæ, tanquam vitæ organa spirabilia, haustum aerem excipientia concessit, cujus attractu naturalis calor quodammodo frigore moderato contemperetur. Aquatilibus verò non ita, præterquam in aliquibus, quæ deinde etiam extra aquam vivere possunt ad differentiam innati caloris, cumque illis minus, & caloris, & sanguinis insit, non tantùm refrigerii debetur itaut ex aquæ humore calorem insitum confoveant, quæ illis locum refrigerationis supplet. Igitur quod homo aquis submersus spiritum non intercludet, adscribendum est miraculo.

9 Idque maximè affirmandum est, si submersus fuerit puer, artis natatoriæ imperitus, & si diù manserit sub aquis, ut ex hujusmodi circumstantiis impossibilitatem naturaliter evitandi periculum suffocationis pueri, qui ludo intentus, in aquam ceciderat, & per intercessionem Sancti Theodosii cœnobiarchæ fuit liberatus, firmat Surius in ejus vita *die* 11. *Januarii*, & agnovit Rota in terminis pueri quinquennii qui ceciderat in flumen Ticini, liberati per intercessionem Sancti Caroli in ejus relatione *miracul.* 9. & magis in specie in relatione Sancti Francisci Xaverii *mirac.* 5. in vita de puero in puteum delapso, ac refert Lypsius exemplum pueri in lacunam lapsi, & capite in limo fixi *in hist. D. Virg. Hallens. capit.* 10. qui etiam *capit.* 16. recenset casum pueri sexennis, qui ludens cum fratre in puerum cecidit, & clamante matre, viciniamque concitante accurrit unus cum harpagone, quo in aquam demisso, puerum extraxit; sed palam mortuum, & colore mortis, at emisso voto D. Virgini Hallensi, statim vitam, & vires puer recepit. Et *capitul.* 18. alium adducit puellæ casum, in puteum dum fune aquam educebat lapsæ, & per semihoram ibi relictæ priusquam auxilium adveniret, proindeque eductu mortuæ secundum existimationem omnium cum notum esset effugium ad D. Virginem, precibus, & votis oblatis, vitæ puella fuit restituta. Sicuti & miraculo adscriptum fuit, quod Meldensis Episcopus sua oratione navim submersam cum omnibus, qui in ea erant, servaverit, de quo Marul. *lib.* 2. *cap.* 2.

10 Ponderandæ tamen sunt facti circumstantiæ. Si mirum submersus in ipso casu aliquem Dei Servum invocaverit, qui cadenti apparuit, astititque, ac illum præservavit, de qua apparitione, licèt habeatur illius sola depositio, ipsi tamen standum est, cùm deponat de facto proprio, quod aliundè probari nequit juxta ea, quæ tradit Castr. *in leg. quicunque num.* 11. *Codice de servis fugitivis & consil.* 331. *numer.* 3. *in fin. part.* 1. Cravet. *consil.* 178. *numer.* 7. Gabr. *de testib. concl.* 1. *numer.* 18. & 25. traditque Simonet. *in relat.* Sancti Francisci de Paula *fol.* 45. Rota *in relat.* Sancti Raymundi *part.* 2. *articul.* 8. & *in relat.* Sanctæ Franciscæ *part.* 3. *miracul.* 8. & *in relat.* Sancti Hyacinthi *in* 2. *miracul.* Sanctæ Theresiæ *articul.* 3. Sancti Francisci Xaverii *miraculo* 4. Gregorii Papæ X. *in* 3. *miracul. §. neque dubitamus*, Sancti Cajetani *in* 1. & 2. *miraculo* Beati Andræ Avellini *in quarto miraculo* Sancti Caroli *parte tertia miraculo quarto* Sancti Ignatii *miraculo tertio* & Beati Jacobi de Marc. *miraculo quinto*. Quibus favet antiquus Ecclesiæ ritus, quæ ad publicandum a Servis Dei edita miracula hoc veluti præcipuum opus adhibuit, quod libelli eorum, qui beneficia percipiunt, recitentur a populo, & apud Divum Augustinum *de civitate lib.* 22. *cap.* 8. & ostenditur in pluribus miraculis a Christo Domino patratis, ut est illud cæci nati, & a Christo illuminati. Parentes namque cæci, qui sciebant filium cæcum fuisse, ipsi Pharisæis dixerunt: *Scimus, quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est*, ipsum solium in testimonium miraculi adduxerunt, ibi: *ipsum interrogate, ipse de se loquatur*, *Jo:* 9. Et illud mulieris Samaritanæ quando Christus illi occulta cordis revelavit, & anteactæ vitæ seriem exposuit. Etenim propter testimonium mulieris Christo, & miraculo crediderunt. Sic enim dicitur *Jo:* 4. *Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum propter verbum mulieris testimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia quæcunque feci*. Nec non aliud paralytici, cui Dominus præcepit tollere grabatum, & ambulare, manifestatum fuit per testimonium ipsius, in quo patratum fuerat miraculum *Joan.* 5. *Abiit ille homo, & nunciavit Judæis, quia Jesus esset, qui fecit eum sanum*, super quem locum sic ait Divus Augustinus *tract.* 21. *in Jo: Et primum quidem, ut eo absente testimonium insuspicabile fieret, qui enim adeptus fuerat sanitatem, idoneus erat beneficii testis*.

Præcipuè verò si ejus dictum aliquis alter contestetur, & sic per duos testes, ex quibus habetur quævis legitima probatio per *capitul. licèt* 46. *de testibus* ubi Glos. *v. gradus, & can. de parentela* 35. *quæstion.* 6. & in terminis miraculorum ad effectum canonizationis docet Contilor. *capit.* 18. *numer. item* 18. & *seqq.* ubi testatur de praxi, admittitque *numer.* 30. in facto probabili ab aliis. Vel concurrentibus adminiculis, Hostiensis, ac cæteri communiter *in cap. fin. de succes. ab intest.* Bald. *consil.* 136. *ante fin. lib.* 2. Cæsar. de Grassis *decision.* 3. *numer.* 6. *de prob.* & Farinac. *de test. quæst.* 63. *num.* 35. 11

Vel si parentes post lapsum sui filii tàm ante, quàm post extractionem ab aquis, continuò Servum Dei invocaverint, & pro ejus vita exoraverint, vel votum emiserint. Ex hoc enim pervenit validissimum argumentum, quod Deus illum suscitare, vel præservare voluerit ad ostendendum, ac probandum sui Servi sanctitatem, quem cæteris in exemplum proponebat, Bartol. *in tractatu de testibus in capit. qualitas sine substantia numer.* 57. Divus Thom. 2. 2. *quæstione* 178. *articul. secundo* Cassan. *in catal. part.* 3. *consid.* 49. Castellan. *de canoniz. Sanct. quæst.* 7. *artic.* 1. & firmavit Rota in relatione sororis Catharinæ de Riccis *miraculo* 6. 12

Vel ob conceptam prius erga Dei Servum devotionem, in cujus fidem, & clientelam subsmersus se contulerat, ejusque imaginem, vel affixam parieti suæ domus, vel secum assiduè retinebat. Hinc enim probatur devotio, & meritum petentis, quibus gratiam meruit, cùm hæc devotio, & oratio sit impetrativa, ut docet Divus Thom. 3. *contra Gent. cap.* 96. *art.* 2. & in simili concluſum fuit in relatione Sancti Caroli *part.* 3. *mirac.* 10. 13

Accedentibus maximè peritis, qui judicium certum suffocationis, vel præservationis faciunt, tanquam de rebus, in quibus quamplurimum sunt versati. Unde illis magis credendum est, Rota in Calaguritana præstimonii 10. Maji 1649. coram Em. Otthobono, præcipuè si reddant rationem peritiæ, *capit. proposuisti* cum ibi notatis per Dec. *numer.* 17. *de probat.* Bald. *consil.* 136. *numer.* 4. *lib.* 2. idem Dec. *consil.* 20. *numer.* 31. & 34. *lib.* 1. Menoch. *consil.* 311. *numer.* 16. Seraph. *decis.* 665. *numer.* 2. & 4. Merlin. *decis.* 52. & observat Contilor. *de canoniz. dict. capitul.* 18. *numer.* 12. & stabilivit Rota *in relat.* S. Thomæ de Villanova *tit. resuscitatio duorum mortuorum*, in dicta relatione Sororis Catherinæ de Riccis *mirac.* 3. passimque alibi. 14

Neque urgent exempla in contrarium adducta. Nam falsa unicuique apparet Alexandri Benedicti assertio, quod aquis submersi post quadraginta octo horas vixerint, nisi ejus dictum interpretemur per exiguum temporis spatium aquis submersi post longam quadraginta octo horarum curationem incolumes evasisse. Alexandrum Olivam non mortuum fuisse, sed tanquam mortuum, refert Garimbertus. Neque proditum est, Zenobiam fuisse aquis submersam, & suffocatam, sed in fluvium projectam è pastoribus vivam repertam, ut proinde potiùs enatasse dicendum sit, quod sine ipsius opera contingere potuisse per aliquod temporis intervallum, observat Henric. *in respons. de innatat. Lamiar.* in quo probat, secundùm naturam manibus, & pedibus revinctis posse mulieres innatare, quod nimirum quædam mulieres ventricosæ sint, protensoque utero, ac pulmones laxissimos habeant, ubera maximè fungosa, intestina ampla, ideòque copiosè flatibus impleatur; unde facilè innatant, tuncque potissimum quando adactæ metu submersionis spiritum cohibent, & fauces claudunt. Porrò de Zenobia ita refert Tacitus lib. 12. annal. *Nec aliud Rhadamisto subsidium fuit, quàm pernicitas equorum, quibus seque, & conjugem abstulit. Sed* 15

con-

conjux gravida, primam utcumque fugam ob metum hostilem, & mariti charitatem toleravit: post festinatione continua, ubi quasi uterus, & viscera vibrantur, orare, ut morte honesta contumeliis, captivitatis eximeretur. Ille primo amplecti, allevare, adhortari, modò virtutem admirans, modò timore æger, ne quis relicta potiretur. Postremò violentia amoris, & facinorum non rudis, distringit acinacem, vulneratamque ad ripam Araxis trahit, flumini tradit, ne corpus etiam auferretur. Ipse præceps Hiberos ad patrium regnum pervadit. Interim Zenobiam (id mulieri nomen) placida illuvie, spirantem, ac vitæ manifestam advertere pastores, & dignitate formæ haud degenerem reputantes, obligant vulnus, agrestia medicamina adhibent: cognitoque nomine, & casu in Urbem Artaxata ferunt, unde publica cura deducta ad Tiridatem, comiterque excepta, cultu regio habita est. Ea verò, quæ tradit Lapius mira quidem sunt, sed an vera alii judicent, hoc certum, quod tanquam Subpromotor fidei potuit illa ex contradicendi officio proferri, innixus potius fabulosis narrationibus, quàm rationibus. Præterea exempla, quæ ipse refert, sunt de natatoribus, ac urinatoribus, non autem de submersis, atque adeò minus rectè ad rem proferuntur.

16 Quod autem submersus vitam sub aquis conservare possit sola transpiratione, nullatenus subsistit. Nam juxta veriorem, ac magis communem opinionem sola transpiratio non sufficit ad vitæ conservationem, sed omninò necessarius est concursus alicujus respirationis, quæ potest esse tàm exigua, & insensibilis, ut sensibus nostris non percipiatur ex sententia Galeni, qui ita se declarat *lib. de diffic. respir. cap. 8. & de loc. affect. lib. 4. cap. 7.* ac optimè Zacch. *quæst. 11. num. 42. & seqq. d. lib. 4. tit. 1.* ubi ait, impossibile esse, quod quis vivat sine respiratione. Qui deinde respondens opinioni illorum, qui dicunt, vitam conservari transpiratione, addit hoc procul vero esse, sed hujusmodi submersos respirare, licet quoad nostrum sensum non appareat, aliter impossibile esse illos vivere.

17 Atque, etiamsi contraria opinio admitteretur, illa tamen procederet in iis, in quibus ex Galeno *d. lib. de diffic. respir. cap. 8. & de loc. affect. c. 8.* & ex Fernel. *physiolog. lib. 1. cap. 14.* potest servari transpiratio, quæ fit attractione, & ventilatione insensibili aeris ambientis per poros, & per occulta cutis spiracula. Hoc autem est impossibile in aqua submersis ex duplici ratione. Altera ob frigidum, & humidum ambiens, quæ transpirationem in corporibus impediunt, Galen. *9. method. cap. 5.* Sennert. *de febr. lib. 2. cap. 2.* Altera, quia neque cor, neque arteriæ per poros ullum attrahere possunt aerem sub aquis, dum ibi non adest, immò confestim arteriæ, cor, & pulmones per inspirationem replentur maxima irruentium aquarum copia, auferendo omnem usum respirationis, & transpirationis celeriorem reddunt interitum, ut ex eodem Galeno tradit Fernel. *d. cap. 14.* Unde ex hac causa deperditæ respirationis aqua submersos interire, non autem ex eo, quod multum aquæ hauriant, docent Plater. *quæst. medic. paradox. centur. post. lib. num. 55.* & Zacch. *d. quæst. 11. num. 28.* sufficit enim ad interitum, paulisper impediri respirationem, ut liquet ex relatis exemplis apud Sennert. *pr. lib. 2. cod. tit. obs. 1.* videatur Scaliger. *exercit. 273.* ubi multa subtilissimè ad rem nostram.

CONSULTATIO LVIII.

An elevatio tumoris in facie alicujus sacri signi, sive statuæ ligneæ cujuspiam Servi Dei, vel Beati, sit prodigiosa? ubi de prodigiis, ac simulacris aliqua.

1 QUamquam ex D. Thoma *2. 2. quæst. 178. art. 1. ad 3.* duo possint attendi in miraculis, quatenus excedunt vires totius naturæ creatæ, id scilicet, quod fit excedens facultatem dictæ naturæ, quo inspecto, miracula dicuntur virtutes, & id, propter quod ea fiunt, scilicet ad manifestandum aliquid supernaturale, cujus gratia nuncupantur signa: unde infert Angel. Rocch. *de canoniz. Sanct. cap. 22.* miracula quatenus aliquid præostendunt, ostenta, sive portenta vocari, quatenus verò futura prædicunt, appellari prodigia, & hoc casu *Act. cap. 2.* dicatur: *multa quoque prodigia, & signa per Apostolos in Jerusalem fiebant*, deque D. Stephano *cap. 6.* faciebat prodigia, & signa magna in populo, ac Paulus Apostolus scripserit *ad Hebr. cap. 5.* per manus autem Apostolorum fiebant signa, & prodigia in populo. Ulpianus etiam *in l. ostentum 38. de verb. signif. ostentum*, inquit, *Labeo definit omne contra naturam cujusque rei gentium, factumque. Duo autem genera sunt ostentorum; verum, quod quoties contra naturam nascitur, tribus manibus fortè, aut pedibus, aut qua alia parte corporis, quæ naturæ contraria est: alterum cum quid prodigiosum videtur, quæ Græci phantasmata, idest visiones, vocant.*

Plura tamen suadent, nullum in hoc, & in hujus- 2
modi aliis ostentis fundamentum fieri debere ad essentiam miraculi constituendam, prætermissis etiam iis, quæ de Sacerdotum deceptionibus, & impostoris scripserunt Albertus Magnus *lib. 2. miner.* Petrus Pomponatius de *natural. effect. admir. caus. cap. 10.* Polydor. Virgilius *de prodig. lib. 3. pag. 128.* & Paponius *lib. 1. Rhapf. 1. arest. tit. 1. arest. 5. & 6.* ubi de subjicientibus fucum falsorum miraculorum, quibus pii homines devotè illecti, venientes stipem ingentem inferrent, artificiis, & artibus imagines aliquando flentes, vel sudantes populo exhibentibus, donec detectis fraudibus condignis pœnis artifices puniti sunt.

Primum nempè quod ejusmodi ostenta a Polydoro *d.* 3
lib. 3. pag. 226. asseruntur mera figmenta, arguendo in principio sequentis *pag.* hunc in modum. Ergo quod fieri non potest, si fiat, portentum erit? Sed si fieri non potuerit, quomodo fiet, nisi illud factum esse configatur? Atque sic fictio sola est portentorum parens. Qui propterea exemplum ex Tacito relatum *d. lib. 3. pag. 187. & pag. 201.* quod scilicet in Britannia sub Claudio Principe simulacrum Victoriæ existens Camaladuci subitò conversum sit retrò, quasi hostibus cederet, dixit *pag. 202.* fraude humana factum fuisse, ut Britanni ad defectionem parati Romanos ea superstitione terrerent, quominus suis viribus confiderent, & ad rem addidit Tullius *de divinat. lib. 2.* quod in metu, & periculo tum creditur facilius, cum figuratur impunis, indè arguens nostram levitatem, & inconsiderationem. Porro de his artibus Cardanus varia *de subtilit.*, & Tholosanus *de Republica.*

Secundum, quod ostentum Græci, ut jam dicimus, ap- 4
pellant phantasma, quia vel nihil reipsa est, licèt nostris sensibus objectum, aliquid esse videatur, vel si aliquid est, aliud tamen est, quam appareat, esse, sive præseferat speciem alicujus rei naturalis, sive non naturalis, ac divinæ, sicuti animadvertit Laur. BeyerlinK *in theatr. vit. hum. v. divinatio.* Quare Polydor. *d. lib. 3. pag. 197.* dixit, ostenta ex nostra facili opinione pendere.

Tertium quod per imaginationem, quæ per accidens 5
est causa mirabilium effectuum, sæpè putantur videri, quæ non videntur, audiri, quæ non audiuntur, & sentiri, quæ non sentiuntur, ut Thom. Fienus *de viribus imaginat. ait cap. 8.* sub initio. Qua ratione D. Thomas *lib. 3. contra Gent. cap. 99.* volens ostendere, quod Deus possit operari præter ordinem naturæ, producendo effectum absque causis propriis, id probat ex eo, quod imaginatio id possit. Siquidem vehementia passionum, quibus anima afficitur, alterari potest imaginatio, atque adeò tenaciter efformari in phantasia, ut imaginans existimet reipsa videre, quod phantastica solum videt, utpotè ejus desiderio conforme exemplo D. Monicæ, matris D. Augustini, quam ex vehementi desiderio filium è libidinum cœno, mediante matrimonio, redigendi ad bonam frugem vana quædam, & phantastica desuper vidisse, refert idem Augustinus *confes. lib. 6. cap. 13.* cujus in proposito meminit Gravina *in lapid. lyd. p. 2. lib. 1. cap. 1. assert. 2.* indeque Pompanatius *loco citato cap. 4.* ex Petro Apponensi *in Concil. cap. 155.* dixit, imaginativam, & cogitativam esse habitus valdè fixos, & diu permanentes circa aliquid, habereque obedientiam spirituum vitalium, & sanguinis adeòut in ipsis imaginantibus, ac desiderantibus sint aptæ producere res imaginatas, & desideratas secundùm suum esse reale. Ac etiam Gravina *d. p. 2. lib. 1. cap. 2.* loquens de visus deceptione, scripsit, quod subtilitas visus addita forti imaginationi vana spectra intuebitur, ac si nera essent, referendo Cardanum *de rer. var. lib. 6. cap. 43.* dicentem cùm volo video, quæ volo oculis, non vi mentis, veluti imagines illas, de quibus dixi, cùm infans essem me vidisse. Itaque video lucos, animalia, urbes, & quæcumque cupio. Credo causam esse vim virtutis imaginatricis, visuque subtilitatem. Et Torreblanca *in epit. delict.* quibus aperta, vel occulta invocatio dæmonis intervenit *lib. 2. de magia operatrice cap. 15. num. 7.* constanter asseruit, quod, phantasia vitiata, facile est, ut visus decipiatur. Quibus assensum præbet Delrius *lib. 2. magic. qu. 27. sect. 1.* & alibi.

Quartum quod Tullius *academ. q. lib. 2.* considerans visa 6
sensibus alia esse vera, alia falsa, respondit his oculis non esse contentum, additoque etiam paulò inferius cor cum oculis consentire, nihilque certius esse, quàm inter vera, & falsa nihil interesse ad animi assensum. Quinimmo *de divinat. lib. 2.* fallacissimum appellavit oculorum sensum in his, quæ potius ratione, animoque debent videri, pluraque in

eandem ſententiam proſequitur Polydorus *de prodig. lib.* 2. *pag.* 143. Et in hoc ſenſu Salomon *proverb. c.* 23. *n.* 3. dixit, oculi tui videbunt extranea, hoc eſt viſiones admirandas juxta verſionem chaldaicam.

7 Quintum quod idem Tullius *d. lib.* 2. loquens de partu mulæ, ait, res mirabilis propterea quia non ſæpè fit, ſed ſi fieri non potuiſſet, facta non eſſet, atque hoc contra omnia oſtenta valeat, nunquam quod fieri non potuerit eſſe factum, ſin potuerit, non eſſe mirandum. Cauſarum enim ignoratio admirationem facit. Raritas quippè, aut ignoratio facit admirationem, uſitata autem non delectant, quia non movent, quia intellectus eſt in potentia propinqua, neque alius eget, quam recordationis. Ideòque delectant admirabilia, quia movent. Cur movent? quoniam nova. Nova ſanè ſunt quæ nunquam fuere, neque dum exiſtunt. Quod mox idem Tullius exemplum ponit de ſimulacris viſis ſudare, & lacrymare, ac ſimilibus oſtentis, quæ ex illo repetit Polydorus in præcitato *lib.* 3. *pag.* 222. Poteſt enim humor ex aliquo accidenti contentus in capite ſtatuæ ligneæ vi ardoris excitari, ac tempore æſtivo adaucti tot luminibus circa illam incenſis, ac frequentis populi concurſu caſu trahi ad illam genæ partem, ut conſpicientibus videatur intumeſcere, quod præ ſupplicantium deſiderio ii interpretantur pro ſupernaturali ſigno gratiæ adverſus aliquod malum.

8 Sextum, quòd ſimilia oſtenta viſa, & animadverſa fuerunt in ſtatuis etiam apud Ethnicos, quod ſupernaturali miraculo tribui nequit. Siquidem Jul. obſequens *de prodig.* refert ſequentia. Primum, anno ab Urbe condita 575. Q. Fulvio, & Cn. Marcello Coſſ. *cap.* 67. quod ſcilicet Romæ in lectiſternio Jovis Deorum capita ſe converterunt. Alterum anno 588. Mar. Marcello, & Pub. Sulpicio Coſſ. *cap.* 71. quod ad lacum Libitiniæ in ſtatua equeſtri ænea ex ore, & pede aqua emanavit. Tertium anno 649. P. Rutilio, & Corn. Maulio Coſſ. *cap.* 102. quod Trebulæ foribus Templi adapertis ſimulacrum Martis ligneum capite ſtans inventum fuit. Quartum anno 657. Cn. Cornelio Lentulo, & Pollo Licinio Coſſ. *cap.* 108. quod Nurſiæ ſimulacrum Jovis in partem ſiniſtram converſum eſt. Quibus duo addenda ſunt. Alterum petitum ex Plutarco in Othone, quod ſtatua Julii Cæſaris in Inſula Tyberina cœlo tranquillo, nulloque terræmotu ab oriente in occidentem ſe vertit. Alterum relatum a Polidoro ubi ſupra, quod ſimulacrum Victoriæ paulò ante cædem Romanorum in Britannia retrò converſum fuerit, quaſi hoſtibus cederet. Quodve etiam de ſudore, & lacrymis viſis emanare è ſtatuis, & ſimulacris legitur apud Tullium *de divinat. lib.* 1. & *lib.* 2. Virgilium *georg. lib.* 1. Titum Livium *decad.* 3. *lib.* 2. aliàs 22. & *decad.* 5. *lib.* 3. aliàs 43. Plutarchum *in vit.* Timoleonis, Alexandri Magni, & Marci Antonii, Dionem Caſſium *hiſtor. lib.* 43. Julium Obſequentem *loc. alleg. cap.* 31. & 33. & 41. & 60. & 69. & 87. & 112. & 122. Polydorum *d. lib.* 3. BeyerlincK *in theat. d. v. divinatio, tit. ſimulacra, prodigia, oſtenta*. Valerium Maximum, Delrium, Toloſanum, & alios paſſim.

9 Prædicta enim clarè oſtendunt, non eſſe adſcribenda miraculo hujuſmodi oſtenta ac prodigia, quæ Deus ad aliquid demonſtrandum per inuſitatum naturæ modum producit in eſſe. Quod Tullius *lib.* 2. *de divinat.* medullitus perpendens dixit, horum omnium una ratio eſt. Quidquid enim oritur qualecumque eſt, cauſam habeat a natura neceſſe eſt: Ut etiam ſi præter conſuetudinem extiterit, præter naturam tamen non poſſit exiſtere. Cauſam igitur intelligito in re nova, atque admirabili, ſi poterit. Si nullam reperies, illud tamen exploratum habeto, nihil fieri potuiſſe ſine cauſa, eumque errorem, quem ſibi rei novitas attulerit, naturæ nomine depellito. Quod latiùs ibidem proſequitur, atque ideò Pomponat. *d. cap.* 10. ſcripſit, multa eſſe poſſibilia, quæ quoniam nobis nota non ſunt, ea negamus, ſubdens tamen, non poſſe ex hoc talia dici impoſſibilia per naturam. Qui etiam *cap.* 12. expreſsè negavit ea, quæ pro magnis prodigiis habentur eſſe miracula hoc prætextu, quod ſint totaliter contra naturam, inquiens ita vulgò dici, quia inſueta, & rariſſima, nec ſecundùm communem ordinem naturæ fiunt, & Joachin. Camerar. *de oſtent. lib.* 1. *pag.* 261. poſtquam aſſeruit, multa divinitus fieri contra uſitatum modum naturæ, quorum cauſæ nunquam exquiri potuerunt, ad hanc rem ſubdit hæc verba: *Nam non fieri illa miracula prodigiorum contra naturam, ut de oſtentis Ariſtoteles ſcripſit, ſed ſecundùm naturam, eam tamen inſuetiorem, & minus ordinariam quid aliud eſt dicere, quàm contra naturam fieri, hoc eſt obſervatam notam, & uſitatam rationem? Vix enim unquam ingens aliquod malum, aut urbem, aut gentem non præmonſtratum oppreſſit, quæ autem demonſtrent inaudita, nova admirbilia eſſe oportet, qualia non ſunt, quæ naturaliter, quomodo communiter loquimur, accidunt.* Unde etiam liquet, præaſſertum oſtentum non poſſe recenſeri inter miracula, quæ omnes naturæ vires, ac potentiam excedunt, etſi valeat juxta vulgarem ſermonem dici contra naturam communem, & uſitatam, cùm ſit de rariſſimè contingentibus, editumque ſecundùm inſuetiorem modum, qui a nobis ignoratur.

Septimum, quod Zoophyta naſcuntur etiam in lignis putridis, teſte Andrea Libavio *ſingular. tit. de Zoophyt. quæſt.* 9. *pag.* 332. Nam ſtatua lignea poteſt aliquam putredinem contrahere in ea parte genæ, quæ vitium tumorem edit. Quin etiam in lignis dolatis non putridis reviviſcentiam admittit Zacch. *quæſt. medico-leg. ult. num.* 4. *lib.* 4. *tit.* 1. patetque ex iis, quæ recenſet Theophraſtus *lib.* 5. *de cauſ. plant. cap.* 4. quæ poſſibilitas neceſſitatem miraculi prorſus excludit, etiamſi arguendo a conſuetis, diceretur impoſſibile. Nam ſecundùm Baldum *in l. ſi mihi, §. ſi quis ſervos num.* 3. *de legat.* 1. poſſibile judicatur, quod habet ſe ad poſſibile, & impoſſibile, qui proinde addidit *in l. teſtium num.* 24. *Cod. de teſtib.* quod poſſibili poſito in eſſe, nullum ſequitur impoſſibile, ſufficitque quod fieri poſſit, licèt non ſit, ut poſſibile dicatur ex notatis ab eodem *in l. filius a patre, §. ſi quis eorum, ff. de lib. & poſth.* 10

Octavum, quod aer ambiens circa genam ſtatuæ caſu poteſt reapte colorari in ſimilitudinem bubonis peſtiferi, ut talis appareat oculis intuentium, ſicut de imagine D. Cœleſtini, quæ apparuit Aquilanis deprecantibus illius interceſſionem, plenè docet Pomponat. *d. cap.* 2. 11

Ex quibus, & aliis ſuper externorum ſenſuum fallacia deductis, ac perpenſis e Gulielm. Pariſ. *p. fin. de univ. cap.* 22. Regim. *lib.* 1. *de dæmoniac. cap.* 11. Delrio *magic. lib.* 2. *dub.* 14. Raphael. de la Tor. *tom.* 2. *de vit. oppoſ. Relig. quæſt.* 95. Torreblanc. *d. lib.* 2. *cap.* 15. *a num.* 5. Jo: Saliſb. *lib.* 2. *de nug. Curial.* & a nobis alibi, corruere videntur omnia ſuper hujuſmodi tumoribus tàm ex ſenſu viſus, quàm tactus; utrique enim poteſt ineſſe fallacia, vel ſi fortè talis veritas admittatur, ea poteſt contingere, non quidem contra ordinem totius naturæ creatæ, ſed ſolùm adverſum conſuetum, & ordinarium, non excedentem tamen modum inuſitatiorem juxta prædicta, ut minimè ſit adſcribenda miraculo. 12

Verùm ſi de veritate hujuſmodi tumorum deponant quamplures teſtes, qui cuncta ſedulo atque religiosè obſervant, concludentiſſimam aſſignando ſui dicti rationem, ac ſcientiæ cauſam per ſenſum viſus, & tactus deponendo, pleniſſimam probationem conſtituent juxta doctrinam Baldi *in l. ſolam* 3. *num.* 1. & 22. *Cod. de teſtib.* & aliorum apud Farinac. *de teſtib. quæſt.* 70. *num.* 127. & *ſeqq.* Nam quotieſcunque agitur de aliquo objecto, quod cadit ſub ſenſu corporeo, qualia ſunt quod ad viſum color, corpus, figura, ſitus, ac ſimilia ſecundùm Ariſtotel. *de anim. lib.* 2. *text.* 63. quem ſequuntur ex Juriſperitis Bald. *in l. non ignorat, num.* 12. *in fin. Cod. de his, qui accuſ. poſ.* & quod ad tactum ſunt callidum, frigidum, aſperum, molle, æquale, inæquale, de quibus idem Ariſtotel *loc. cit. text.* 106. ac Bald. *ibid. num.* 13. & Specul. *tit. de teſtib. §. nunc tractandum num.* 19. teſtis deponens per rationem propriam ipſius ſenſus, nempè vidi, vel tetigi, perfectiſſimè probat. Quia ſenſus circa propria objecta non poteſt decipi, ut docet Ariſtotel. *d. text.* 63. & ibi Piccolomineus, aliique communiter, ac Daniel Sennertus *in epit. phyſic. lib.* 7. *cap.* 1. eſtque textus *in can. teſtes*, ibique Glo. *v. quæ noverunt* 3. *q.* 9. traduntque Innoc. *in c. Cum cauſam* 37. *de teſtib. n.* 2. ubi etiam Felin. *n.* 5. & Bald. *in d. l. ſolam num.* 3. Sicard. *num.* 4. *Cod. de teſtib.* & alii penes Farin. *d. q.* 70. *n.* 128. 13

Viſus quippè, quem regem ſenſuum appellat Philo *lib. de Abraham*, & quaſi ſolem corporis noſtri Chryſoſtomus *hom.* 55. *in Joan.* annuente Iſidoro Peluſ. *lib.* 2. *ep.* 112. propriè, & maximè ſenſus eſt, ac omnium nobiliſſimus appellatur ab Ariſtotele *ubi ſupra text.* 162. cùm præſtantia ſua cæteros antecellat, quia exactius, quàm cæteri ſenſibilia communia percipit, ut ait Piccolom. *de ſenſ. viſ. cap.* 22. inferens, ejus judicium eſſe certiſſimum ideoque eſſe nobis ſenſum cæteris cariorem, quia certior eſt in cognoſcendo, & latius patet juxta Ariſtotel. *lib.* 1. *metaph.* 14

Primum quia ex majori longinquitate, quàm cæteri ſenſus ſuum objectum attingit. Deinde quia ſimul atque res illi objecta eſt, continuò eam percipit. Tertiò, quia ſolus aſpectus percipit res more intellectus, qui nullam realem immutationem accipit ab objecto, ſed ſolam notionalem. Quartò, quia medium, quo aſpectus percipit eſt longè nobilius ac purius, nempè actu perſpicuum, & 15

inter-

interdum incorruptibile. Quintò, quia cum percipit unum contrarium, non impeditur a percipiendo perfectè altero. Quod tamen vix, ægreque accidit cæteris ſenſibus, potiſſimum iis, qui verè immutantur ab objecto. Alioqui ſimul moverentur organa motibus contrariis, quod fieri nequit. Poſtremò, quia nullus eſt ſenſus, qui ita perfectè percipiat figuras, & actiones corporum, ut aſpectus. Hæc autem ſunt certiſſima ſigna ex omnibus, quibus ad cognoſcendas rerum ſpecies uti poſſumus. Quòd denique aſpectus plures rerum differentias nobis declaret ex eo perſpicuum eſt, quia ejus objectum res omnes corporatas non ſolùm quæ gignuntur, & intereunt, complectitur, ſed etiam quæ interire nequeunt, cùm tamen objecta cæterorum ſenſuum in ſolis rebus caducis reperiantur. Itaque cœleſtium rerum ſoli oculi nobis notitiam attulerunt.

16 His atque aliis rationibus provida natura ducta hunc nobis ſenſum quaſi magis perſpicacem, & actiorem intellectum miniſtrum in ea parte corporis locavit, in qua velut ex ſpecula, luſtraret omnia, & ad ſenſum communem, quaſi ad primum veſtibulum intellectus breviſſimo itinere rerum notitiam mitteret. Hinc inter omnes corporeos ſenſus oculos eſſe viciniores animæ dixit Luc. de Penn. *in l. infamia n. 3. C. de decur. lib.* 10. & propriè illud ſcire dicimus, quod ſenſus viſus accipimus, *l. 2. §. item Labeo, ff. de aq. pl. arc.* cui alludit illud Plauti *in Trucul. Pluris eſt oculatus teſtis, quam auriti decem*, ac illud Senecæ trag. *viſu carenti magna pars veri latet*. Ideoque probatio, quæ fit per inſpectionem rei, & evidentiam facti cenſetur omnium regina.

17 Tactus verò adhiberi ſolet ad certò cognoſcendum res illas, quas aſpectus non certò cognoſcit. Ut ſi quis manu tentet cognoſcere in aqua, num remus ſit rectus, quem viſus infractum eſſe judicat. Qua etiam ratione Thomas Apoſtolus, ut certior fieret de veritate reſurrectionis Domini, non ſatis eſſe putabat *Jo*: 20. ſi videret corpus, quod cruci affixum fuerat, niſi etiam loca clavorum tangeret, & *Luc. c.* 24. ad quem locum Cornel. a Lapid. D. Auguſtin. *ſerm.* 18. *de verb. Dom. c.* 2. D. Gregor. *hom.* 26. *lib.* 2. Alphonſ. de Caſtr. *adverſ. hæreſ. lib.* 4. D. Thomas *3. part. q.* 55. *art.* 6. *in corp.* S. Thom. de Villan. *in concion. de octav. Paſch.* & alii. Confirmaturque experimento facto ab Iſaac; ut explicat Toſtat. *ſuper Geneſ. cap.* 27. Quandoquidem ſenſus ſe invicem juvant ad plenam rerum cognitionem quia nullus per ſe, ac certò poteſt objecta aliorum percipere, ad quam rem tamen ſæpius vocari ſolet aſpectus, quam quivis alius, ipſaque veritas divinæ fidei habetur etiam mediis ſenſibus juxta illud Chriſti: *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti*. Et illud etiam Pauli: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti*. Et rurſus: *Quomodò credent in eum, quem non audierunt*? Juvaturque eiſdem experimentis, ut conditionibus, non tamen iis innititur, tamquam rationi credendi, vel aſſerendi veritatibus fidei, ſed teſtimonio infallibili primæ veritatis revelantis.

18 Unde ſi judicium per ſenſum viſus eſt certiſſimum ex Ariſtotele, quem ſequuntur D. Thom. 1. *part. quæſt.* 17. *art.* 2. Bannes *quæſt.* 58. *art.* 3. aliique, multò certius erit dicendum ubi etiam concurrit experimentum per ſenſum tactus, qui pariter eſt certiſſimus per eundem Ariſtotelem 2. *de anim. text.* 94. ubi ſubdit, quod in aliis ſuperatur homo ab animalibus multis, at ſecundùm tactum multò quam cætera excellentius percipit. Unde & prudentiſſimum animalium eſt. Quod repetit poſt alios Cornel. a Lapid. *Luc. cap.* 24. *v.* 39. Quia habitudo conveniens bonitati hujus ſenſus, convenit diſcretioni intellectus. Quo enim melior eſt ſenſitiva, eò melior eſt intellectiva. Nam ſenſitiva eſt diſpoſitio ad intellectivam. Homo enim cum ad beatitudinem creatus ſit, ad eam vias illi munivit Natura. Idcircò mediocriter alios ſenſus, tactum verò dedit perfectiſſimum, quia nudum, atque imparatum maximè, & dignoſcere oportuit, & cavere. Unde tactus homini certiſſimus atque exploratiſſimus.

19 Probaturque generatim. Nam ſenſus reſpiciunt per ſe primò adæquatas rationes propriorum ſenſibilium tanquam propria, & adæquata objecta, a quibus ſpeciem accipiunt. Habent igitur naturalem, & intrinſecam proportionem cum iiſdem ſenſibus, & ſenſus cum ipſis. Quare ex hac parte repugnat, operationem ſenſuum deficere a perfectione ſibi debita. Sed quæcumque deceptio, vel error eſt maxima imperfectio ſenſitivæ operationis. Ideoque repugnat ex parte proprii ſenſibilis, id provenire, & conſequenter quod per ſe circa illud decipiatur, ſed ſolùm per accidens defectu alicujus conditionis.

20 Præſertim attenta teſtium qualitate, ac numero. Qualitas ſiquidem teſtium, ac probitas plurium roborat eorum depoſitiones, ut inquit Bald. *in l. teſtium num.* 36. *C. de teſtib.* & Rota coram Gregorio *dec.* 352. *num.* 4. & coram Buratto *dec.* 775. *n.* 3. Sicuti etiam eorumdem multitudo concludentius probat, immò ſupplet defectus, quatenus in illis adeſſet, Gloſ. *in l.* 3. *v. numerus, ff. de teſtib.* Gabriel *eod. tract. concluſ.* 6. & Rota in Spoletana bonorum 7. Februarii 1648. & in Ferrarien. pecuniaria 11. Novembris 1651. coram Tarraconenſi, & quod omnia quæcumque, licèt difficilia creditu, ſi quinque, vel ſex hominum graviſſimorum oculata fide aſſerantur, ab omnibus credantur indubiè, dixit D. Thomas a Villan. *in dict. concion. de octav. Paſch.* ut de probatis viris ait Specul. *in tit. de legat. §. ſupereſt num.* 16. Abb. *in cap. Cum animum ad fin. de privil.* Roman. *conſ. in* 59. *in* 4. *dub. n.* 6. Maſcard. *de prob. concl.* 140. *num.* 2. Menoch. *de arb. caſ.* 100. *nu.* 77. *lib.* 1. & præſente tota Civitate Menoch. *de præſumpt. lib.* 1. *quæſt.* 13. *num.* 4. 5. & 7. Pacian. *de prob. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 4. & per evidentiam facti, cum utraque ratio de ſolo viſu propter materiam, de qua deponitur, utrique ſenſui viſus, & tactus eſt quam aptiſſimè accommodata, Bald. *in d. l. ſolam num.* 6. *ac* 11. *C. de teſtib.* Burſatt. *conſ.* 340. *num.* 6. *lib.* 4. Farin. *quæſt.* 70. *cap.* 3. *num.* 137. & *ſeq.* Maſcard. *de prob. lib.* 1. *quæſt.* 5. *num.* 126. adverſus quam non admittitur præſumptio, vel poſſibilitas contrarii, Roman. *conſ.* 156. *num.* 4. Pariſ. *conſ.* 29. *num.* 85. *lib.* 2. Soccin. ſen. *conſ.* 270. *col.* 2. & *conſ.* 67. *num.* 2. *lib.* 3. Neque aſſignari, aut dari poteſt melior, ac perfectior cauſa: quia vidi quia tetigi, ut optimè Specul. *d. tit. de teſtib. §. nunc tractandum num.* 9. Et ex duabus probationibus, alioquin imperfectis, ſimul tamen compoſitis arguit Bartol. *in rubr. de prob.* quarum altera ex ſe ſufficeret etiamſi ratio redderetur reſpectu unius tantùm ſenſus, cum quilibet ex ſenſibus, pro quo teſtis aſſignavit rationem ſui dicti, ſecundùm ſubjectam operationem dicatur habere perfectam cognitionem, ut ex iis, quæ viſu percipiuntur tradit Farinac. *de oppoſ. contra dict. teſt. quæſt.* 70. *cap.* 3. *num.* 127. & *ſeq.* Decian *de teſtib. reg.* 193. *in* 3. *fal.* Lanfranc. *eod. argum. num.* 20. & 22. ac Nell. *eod. tit. num.* 134.

Quod autem hujuſmodi tumores ſint prodigioſi, non 21
videretur dubitandum. Quoniam cùm agatur de ſtatua ex ligno arido confecta, cui nulla poteſt eſſe humiditas, niſi illa modica naturalis oleoſa, qua partes conjunguntur, quæ ſi educeretur, illa redigeretur in pulverem, quia deficeret illa humiditas, per quam fit partium conglutinatio, ut inquit Zabarel. *de miſti generat. lib.* 2. *cap.* 10. Neque in illa conſiderari poteſt aliqua humiditas adventitia, tàm inſpecto tempore, quàm loco. Immò neque ſola humiditas hunc tumorem in inſtanti cauſare poteſt, ideoque judicandus eſt prodigioſus non quantum ad id, quod fit, ſed in quo fit. Nam licèt natura producere ſoleat hujuſmodi tumores in corporibus animatis, facultate vegetativa, ſenſitiva, & vitali præditis, non tamen id præſtare poteſt in ligno arido, omni anima carente, omnique actione generatrice, & auctrice, præſertim ex plantis, & lignis aridis, exciſiſque, ac mortuis, cùm eorum vita conſiſtat in humido, & ariditas, teſte Ariſtotele, ſit plantarum interitus, ut poſt Licetum pulcherrimè philoſophatur Sennert. *in hypomn. 5. c. 7. hoc loco*, ubi mira de plantarum è plantis ſiccis generatione.

In ligno enim radicibus ſuis avulſo, arido, & in ſta- 22
tuam elaborato, nulla eſt pars interna tranſmittens, nullus ſanguis purus, aut impurus, tenuis, aut craſſus, nulluſque humor, qui per congeſtionem aut fluxionem, qui ſunt duo modi producentes tumorem, poterit excitari, qui repentè in glandulis oculi appareat, ſenſibus ſe manifeſtum præbeat, cùm carbunculi tumor ortum a ſanguine craſſo, nigro, & fervido, qui partem aliquam invadens, eam mox exurat, & ardoris vi cruſtam inducat, cui cavum deindè ſuccedit ulcus, habeat, nec poſſit ad illum locum robore ac virtute principum partium corporis, quæ ſunt cerebrum, cor, & hepar, tanquam quid ſuperfluum propelli, & ad emunctoria tranſmitti, dum cerebri emunctoria ſunt poſt aures, cordis ſub axillis, hepatis verò ſub inguinibus. Neque eſt alia pars princeps, quæ poſſit ſimilem materiam è centro ad circumferentiam propellere. Unde recurrendum eſt ad cauſam ſupernaturalem, cum effectus ſit rarus, arduus, & admirabilis, ac præter naturæ ordinem, primæque cauſæ virtute productus, Archid. *in can. nec mirum num.* 6. 26. *quæſt.* 5. Cardan. *lib.* 15. *de var. rec. cap.* 81. Sot. *in* 4. *d.* 34. *quæſt.* 1. *ad* 3. Sanch. *de matrim. lib.* 7. *diſp.* 39. *num.* 8. Dicitur miraculum ſecundi gradus juxta diſtinctionem D. Thomæ *part.* 1. *quæſt.* 105. *art.* 8. Bannes, & Cajetani in hunc locum, & contra *Gent. lib.* 3. *cap.* 101. ac alibi, & Malvetii *de canonizat. tract.* 14. *dub.* 3. *num.* 25. Angel. Roch. *eodem tit. cap.* 23. quos ſequitur Contilor. *cap.* 17. ac Rota *in relat. S. Hyacinthi tit. de mirac. in relat.*

S. Franciſcæ par. 3. art. 1. & in relat. S. Raymundi p. 2. art. 6. ac alibi.

23 Neque inſolitum eſt, quod Deus prodigiis, atque oſtentis operetur miracula per ſuos Servos, eorumque interceſſionem, ut teſtatur Sacr. Scriptura locis ſuperius adductis *Act. c. 2. & 5. ac 6.* docentque hiſtoriæ tum Eccleſiaſticæ, tum profanæ, ut de ſudore ſanguineo ex ſtatua S. Nicolai Tolentinatis refert Marquar. *in append.* & Jo: Cochier. *fac. hiſt. par. 2. c. 92.* conſtatque exemplo ſtatuæ ligneæ B. Virginis, quæ colitur in Ducatu Barbantiæ in colle, qui Aſper dicitur, quæ ſævientibus in illis partibus cruentiſſimis bellis, viſa eſt ex ore ſtillare ſanguinem per aliquot dies. Cujus prodigii cùm inquireretur cauſa, cur vi cœleſti ex arido ligno ſanguis erumperet, creditum eſt, Virginem dolorem exprimere ſanguinis, qui male fundebatur, aut bella ſiſtere, teſte Lypſio *in Virgin. Halenſ. c. 4.*

24 Perpenſa quoque temporis, loci, & facti qualitate, oſtenditur, Deum voluiſſe efficere hujuſmodi miracula in ſignum, ac teſtimonium ſanctitatis Servorum ſuorum, quos volebat manifeſtare populis gloria, & imitatione dignos juxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. *quæſt.* 178. *art.* 2. & cenſuit Rota *in relat. S. Cajetani in 2. mirac. poſt mortem.* Maximè ſi convenerint ſigna veri miraculi, nimirum oratio, & invocatio populi, Rota *in d. relat. mirac. 3. poſt mort.* certa fides, ac ſpes ſupplicantium, D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 168. *art.* 1. Suar. *de fid. diſp.* 8. *ſect.* 1. *num.* 3. necnon communis exiſtimatio, publica vox, & fama, quam in conſtituendis miraculis plurimi fecit Rota *in relat. Sancti Franciſci de Paula fol.* 45. S. Hyacinthi *propè finem*, S. Andreæ Corſini *part.* 3. *§.* 3. S. Ignatii *mirac.* 1. de quo latè Contilor. *cap.* 18. *num.* 21. Nam ſi in factis, & materiis antiquis, ratione difficilis probationis, quælibet negativa probatur per publicam vocem, & famam, ſicut tradunt Herculan. *de negat. num.* 209. & 309. ac Pacian. *de probat. lib.* 1. *cap.* 49. *num.* 47. ſanè in hoc caſu fortior, ac concludentior cenſenda eſt probatio per rem notam, teſtatam, & manifeſtam, non indigentem probatione, Bartol. *in l. ſi verò §. qui pro rei qualitate num.* 1. *ff. de in integ. reſt.* & *in l. emptorem num.* 4. *ff. de act. empt.* Bald. *in l. non idcircò num.* 3. *C. quando*; & *adverſus quos*, & nos alibi. Quod confirmatur ex S. Scriptura *Act.* 3. referente miraculum perpetratum ab Apoſtolo Petro in perſonam claudi exiſtentis ante portam Templi. Siquidem ex ſola notorietate, & publicitate facti convicti fuerunt Judæi, qui miraculi veritatem negare conabantur. Et hoc argumento notorietatis uſus eſt contra eos Apoſtolus Petrus *loc. cit. cap.* 4.

25 Hinc facillimè corruunt quæ ſupra objecta ſunt. Nam multa ex prodigiis, & oſtentis relatis fuerunt meræ præſtigiæ, quæ ceſſant quando intervenit experimentum tactus juxta illud D. Auguſtini, ſi fortè diceretur deluſos eſſe oculos, non poſſet dici manus fuiſſe fruſtratas, quia de aſpectu ambigi poteſt, de tactu non poteſt dubitari. Alia, præſertim tempore Ethnicorum, fuerunt opera dæmonum, aut ipſius Dei, quæ ſæpè inter Gentiles miracula eſt operatus in ſuæ providentiæ teſtimonium, utque oſtenderet, eſſe præſtantem aliquam, æternamque naturam, & eam ſuſpiciendam, admirandamque hominum generi, hoc eſt Deum eſſe, qui curat mortalia, ut docet D. Thom. *de potent. quæſt. 6. art.* 5. *ad* 5. & Salmeron. *tom. 6. tr.* 45. Ex eademque ratione aliquando miracula permitti hæreticis, alioquin fere omnes in atheiſmo verſantur, inquit Vaſquez 1. *par. quæſt.* 2. *art.* 3. *diſp.* 20. *cap.* 4. & Em. a Val. *de incant. ſect.* 2. *cap.* 9. *num.* 29.

26 Quæ nullatenus dici poſſunt quando miracula patrata fuerint ad invocationem alicujus Servi Dei, cujus vita ſanctè, pièque ducta præcipuè cum frequentia aliorum miraculorum, excludit omnem præſumptionem operationis demoniacæ juxta doctrinam Suar. *de grat. tom.* 1. *proleg.* 3. *cap.* 4. *num.* 11. & potiſſimum ſi patrata fuerint poſt ejus mortem, poſtquam mali homines non efficiunt miracula, ſed ſolùm Sancti, & amici Dei abſque ulla illuſione, ac deceptione, ut docet D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 178. *art.* 2. Zacch. *in quæſt. medico-leg. lib.* 4. *tit.* 1. *de mirac. quæſt.* 1. *num.* 14. & firmavit Rota *in relat. S. Andreæ Corſini*, Sancti Franciſci Borgiæ *tit. de mirac.* ſervæ Dei ſororis Catherinæ de Ricciis *eod. tit.* & S. Cajetani, Ceſſatque omnis difficultas, quando hujuſmodi miracula patrantur ad confirmandum, & comprobandum ſanctitatem operantis. Tunc enim excluditur quælibet poſſibilitas operationis dæmonis, quia Deus non præbet teſtimonium falſitati, ut egregiè Suarez *diſt. proleg.* 3. *cap.* 4. *num.* 12. & *de fid. diſput.* 4. *ſect.* 4. *num.* 10. Bellarm. *de not. Eccl. cap.* 14. Auguſt. Triumph. *de poteſt. Eccl. quæſt.* 1. *articul.* 4. Præſertim ſi miracula ſunt, quæ ſunt primæ notæ, ſecuri poſſumus cum Richardo a S. Victore *lib.* 1. *de Trinit. cap.* 2. dicere: *Domine, ſi error eſt, a te ipſo decepti ſumus, nam iſta in nobis tantis ſignis, & prodigiis confirmata ſunt, & talibus, quæ nonniſi per te fieri poſſunt.* Si verò fiunt miracula illa ſecundæ notæ, quæ videlicet habentur talia ex adjunctis, ſecuri perinde ſumus, quia in Eccleſia Catholica fiunt, ut lis oborta dirimatur, & ut de veritate conſtet, cui providentia Dei ſemper unicè patrocinatur.

Minuſque urgent quæ dicuntur de vi imaginationis. 27
Nam præter id, quod illorum opinio, qui tribuunt miracula imaginationis, eſt ab omnibus penè exploſa, nominatim a Michal. Medin. *lib.* 2. *de reſt. in Deum fid. §. Nunciam*, & ab Eman. a Val. *loc. cit. ſect.* 2. *cap.* 4. *num.* 4. ea quidem officerent, ſi adduceretur ſolummodò probatio per ſenſum viſus, qui cùm deferet intellectui, poteſt decipi imaginatione. Et huc referri poteſt imago D. Cœleſtini viſa ab Aquilanis, de qua Pomponatius, ſecus autem eſt cum præter viſum, adhibitus etiam fuerit tactus, qui non decipitur circa proprium objectum, cùm ſit terminus, in quo perficitur cognitio ſenſibilium. Nullaque ſubeſt difficultas, quod tumorem hunc, vel hujuſmodi alia non viderint unus, aut duo, ſed plures. Unde eſto, quod imaginatio poterit operari in uno, vel duobus, inveriſimile tamen eſt, immò impoſſibile, quod plures, quod omnes poſſint decipi eadem imaginatione. Quia motus animi unius non poſſunt conſummari per motum animi alterius, & unius intellectus non eſt intellectus alterius. Intellectus quippè non eſt aliud, quàm anima intelligens. Anima autem unius non eſt anima alterius, quia anima non poteſt informare res diviſas ac diſtinctas, cùm informatio ſit unio realis, & intima formæ cum materia, & eadem materia non poſſit multis ſimul uniri propter limitatam virtutem informandi. Eſtque evidens, quoſdam homines eſſe ſapientes, inſipientes alios, quoſdam virtutibus, alios vitiis deditos. Virtutes autem, & vitia ſunt in anima tanquam in proprio ſubjecto. Atque adeò non poſſunt habere eamdem animam. Eſſet enim ſapiens ſimul, & inſipiens, vitiis, & virtutibus appoſitis informata, immò actus virtutis, & vitii oppoſitos ſimul exerceret, & actum ſcientiæ, & erroris circa eamdem propoſitionem. Quæ impoſſibilia, & ſtulta judicantur etiam ex teſtimoniis Ariſtotelis 1. *lib. de anim. cap.* 3. *text.* 53. & *lib.* 2. *cap.* 1 *text.* 8. & *lib.* 12. *metaph. cap.* 3. *text.* 29. & probatur ex Sac. Scriptura *Ezech.* 18. & *Luc.* 16. ac definitur a Concilio Lateran. ſub Leone X. *ſeſſ.* 8. & ex legiſtis tradit Pariſ. *conſ.* 38. *num.* 4. *lib.* 3. Ex quibus conſtat quàm falſum ſit, quod Mirandul. *lib.* 31. *de everſ. ſingul. certam. ſect.* 1. & *lib.* 32. *ſect.* 2. & 6. & Achillinus *in lib. de intelligentiis* aſſeruerunt, videlicet ſecundùm fidem catholicam multiplicandas eſſe animas, ſed ſecundùm principia philoſophiæ unicam eſſe, nam cùm utraque veritas, nempè ſupernaturalis divinæ fidei, & naturalis philoſophiæ deriventur ab eadem ſumma, & infallibili veritate divina, repugnat eſſe oppoſitas, & omninò neceſſarium eſt in omnibus, & per omnia eſſe ſibi conſentaneas.

Illud autem accuratè, & non ignaviter tantùm inſpi- 28
ciendum eſt, ex qua materia hæ ſacræ ſtatuæ conſtent. Cedri namque materies, ut docet *Theophr. lib.* 5. *de plant. cap.* 10. ex verſione Theodori Gazæ, nata eſt humorem emittere, & in plenum omnes, quibus oleoſus eſt humor. Quamobrem Deorum ſtatuæ viſæ ſunt aliquando ſudaſſe, ex his enim condere eas conſuevere. Quod autem Lucinam appellant, & ſacrificiis obſervandum aruſpices jubent, concreto quodam humore extuberat magnitudine pyri, aut paulo majus, minuſve. Germen præcipuè citat materies oleaginea cum rudis, tum ſæpè laborata in opus, ſi quem humorem ſentiat, locumque habeat humectum, ut jam cardo quidam valvæ proditur germinaſſe, & poculum limo injectum. In quem locum Theophraſti animadvertit Scaliger, quod quia videbatur prodigium ſtatuam prægnantem eſſe, Deæ Lucinæ, quæ partui præeſt, attribuerunt.

CONSULTATIO LIX.

An illæſio pueri, ſuper quem pertranſiit rota currus onuſti ſine aliqua illius fractura, apparente ſolo ſigno livoris in corpore, ob invocationem alicujus Servi Dei, ſit miraculo adſcribenda?

NEgativè reſpondendum videtur. Potuit enim rota 1
fortuitò nullum os confringere, ſed ſolùm crus, aut brachium tangere, ac leviter collidere, ubi ibi tumor, hìc nigredo apparuerit, quod in pueris prolapſis ſub curribus, niſi trucidentur ab equis, ſæpè evenire vide-

videmus, certumque eſt in rebus humanis dari caſus admiratione dignos ſine miraculo, ut alibi diximus, ac docet Perer. *de rer. princip. lib. 9.*

2 Notandumque in puero ſubtracto ab oppreſſione currus, quod ſi non reperiatur aliqua fractura, nec ulla pectoris, ac ſtomachi depreſſio, ſed reſpiratio, ac motus cordis ante invocationem Servi Dei, nequit certitudine phyſica adſcribi vero miraculo, quod omni dubio procul eſſe debet ſupra totius naturæ creatæ ordinem, cauſam habens omnibus occultam, teſte Angelo Rocca *de canoniz. Sanctor. cap.* 10. cum potuerit id naturaliter contingere.

3 Immò, etiamſi effractum fuerit os aliquod, & ſine remediis artis ſola infuſione olei lichni præpendentis altari alicujus Beati, ſanatum adeò, ut brachium moveatur eodem die, ipſumque os ſecundo, vel tertio die appareat ferruminatum, unctione tamen continua per aliquot dies, non idcircò adſcribendum erit miraculo. Nam id fieri poteſt, fractura etiam integra manente, juxta exemplum relatum a SchenKio *obſ. med. lib. 1. tit. de fract. & oſſib. obſerv.* 1. ex Jacobo Seldelio, & Laurentio Schalzio de fractura in medio oſſi humeri dexteri deprehenſa in defuncto, a quo ſemihora ante obitum amici adſtantes viderant utrumque brachium citra omnem difficultatem elevari, & extendi.

4 Nec prætermittendum videtur, oſſa confracta naturaliter triduo, aut quattriduo ſanari, pota mane ac veſpere in vino rubro pulvere lapidis morochthi pondere ſeſquidragma, ſicut poſt Matthiol. *comm. lib. 5. cap.* 109. tradit SchenK. *d. tit. de fract. obſ.* 2. qui ibidem etiam meminit quatuor lapidum eandem virtutem habentium, quos oſtrolithos, & Plinius *lib. 27. cap. 8.* meminit herbæ, peculiaris alpinis fluminibus, nuncupata conſerva a conferruminando, quæ incredibili celeritate ſanat oſſa confracta. Neque minoris virtutis eſt oleum, cum idem Plinius *lib. 22. cap. 24.* doceat, naturam hominibus duos liquores optimos dediſſe, oleum foris adhibendum corpori, vinum intus.

5 Nihilque urgeret, quod tranſacta rota, comperiatur puer ſemianimis ſine motu proſtratus humi, abſque ulla tamen fractura cum ſolis ſignis in partibus attactis ab orbe rotæ, cùm potuerit eraſione, ac impulſu rotæ proſterni, ac præ metu concepto deliquium pati. Certum namque eſt, animi deliquium oriri e magno, ac vehementi timore, nulla prorſus inanitionis cauſa præcedente, cum ſpiritus ex toto confluant ſubito ad cor, eorumque ex ſanguinis aggregatione inducatur ſyncope, veluti docet Zachut. *tom. 1. de medic. princip. hiſt. lib. 2. hiſt. 51. de animi deliq. quæſt. 34.* qui propterea ſubdit *lib. 5. hiſt. 4. de ſcorp. ict. quæſt. 4.* in deliquio, & timore univerſum corpus palleſcere, nec vim motricem poſſe illud ſuſtinere. Quia S. Pagina dicit, Saulem ſpectri metu conſternatum exanimen concidiſſe *lib. 1. Reg. cap. 28.* ſtatimque, & Eſtherem Regis Artaxerſis majeſtate territam animo defeciſſe, Eſther. *cap. 15.* refertque Plutarchus in Cajo Cracco, Liciniam illius uxorem non valentem eum in ſeditione agraria retinere, quin ſolo pugione accinctus cum ſuis Aventinum properaret, præ metu humi prolapſam ſine ulla voce diù jacuiſſe, quoad ita animo defecta per ſervos ad fratrem delata fuit, & in Pompejo, Corneliam illius uxorem Mytilenam cum filio ſecuritatis gratia traductam, vigente bello civili, eo ipſo, quod accepit nuncium, ſibi poſt aciem Pharſalicam miſſum a viro Cæſarem fugiente, proſternatam timore ſe humi abjeciſſe, diuque mentis è ſtatu dimotam jacuiſſe. Quin Veteres effinxerunt Timidum, qui audita Herculis fama ſe abdiderat in ſpecum, ſorteque eum prætereuntem viderat immodico metu exanimatum diriguiſſe, verſum in ſaxum. Quod Svidas, & Zenodorus inquiunt adhuc inſpici ſub ſpecie viri proſpicientis è ſpecu. Unde Manutius in adagiis promanaſſe inquit proverbium, Timidiores Proſpiciente. Animi quoque deliquium ſolius digiti colluſione induci, teſtantur Alex. Benedict. *de morb. cur. lib. 11. cap. 1.* & SchenK. *obſerv. med. lib. 2. obſ. 2.* ponderando tantam eſſe noſtram fragilitatem in rebus humanis.

6 At nihilominus quod puer iſte, qui invocato alicujus Servi Dei præſidio, remanet omninò illæſus miraculo adſcribendum cenſeo, dum inſpecto gravi pondere currus onuſti, & ſimul conſiderata mollitie membrorum ratione teneræ ætatis, quæ nullo pacto reſiſtit, non poterit naturaliter non conteri, & certus interitus ſubſequi, dum eſt pondere omni corpore humano potentiore preſſus, ut de Polidamante prodidit Valer. Maxim. *lib. 9. cap. 19.* Cedit quippè natura miraculo, & virtus ſupra conſuetudinem operatur, *cap. Cum Marthæ, §. quæſiviſti, de celebr. miſſ.* Gloſſ. & Doctores *in cap. un. v. Sedis Apoſtolicæ, de reliq. & ven. Sanct.* Bellam. *in cap. Venerabilis num. 3.* ibique Felin. *de teſt.* Magiſter *in 2. 2. 18.* Caſtell. *de canoniz. quæſt. 6. §. quæro*, & alii apud Contilor. *eod. tract. cap. 16. num. 3.* paſſimque Rota in ſuis relationibus. Ita quoque miraculum a B. Virgine Hallenſi patratum extollit Lypſius in ejus *hiſt. cap.* 28. dum pro auriga, qui inopinato a curru ſuppreſſus nec modum, nec halitum edebat, ad Virginem votis interpoſitis, & adſtantibus cordi etiam aliena pietas fuit, & ſtatim ſui compos, mali omnis expers redditur, ſtetitque intuens intuentes, & poſt brevem deinde pauſam Divam ipſam in loco ſalutatum venit, & de beneficio grates, laudeſque dictum.

Id verò, quod additur de fractura, ut in omnem 7
caſum oſſa confracta naturaliter ſanari ex SchenKio, non videtur ſubſiſtere, quando, præter dictum oleum, nullum aliud medicamen fuit adhibitum. Unde non obſtat Matthioli aſſertio, qui ſaltem pulverem illum ad oſſium compaginationem expoſcit. Immò ejus dictum retorquetur, dum ibi, ex communi medicorum ſententia, affirmat alias oſſium fracturas non minori ſpatio, quàm triginta, & quadraginta dierum curari, & ſubdit, quòd concurrente uſu præfati pulveris, oſſa quidem curentur brevi tempore, ſed neceſſarium ſit, quod prius componantur adjunctis tabellis ligneis, ut immobilia conſtituantur, & tandem peculiari quodam allato unguento pars læſa foveatur. Et juxta Matthioli ſententiam interpretari debemus illam SchenKii, qui eum refert ſecundùm theoricam Bart. *in leg. non ſolùm, §. liberationis, ff. de liberat. leg.* quam ſequitur Rota *dec. 155. num. 56. p. 6. recent.*

Neque obſtat illud argumentum petitum ex Ariſto- 8
tele *lib. 1. de anim. cap. 1, text. 13.* & demonſtrat Euclides *lib. 3. propoſ. 16.* ex natura figurarum utriuſque corporis, quod ſcilicet, corpus perfectè ſphæricum non poſſit tangere planum, niſi in puncto. Nam, omiſſis aliis reſponſionibus hæc entia mathematica magis conſiſtunt in intellectu, quàm in actu. In his enim ſublunaribus nullum datur corpus ſphæricum, perfectè rotundum, nullumque planum perfectè complanatum, ut ſupponunt Mathematici, eo quod materiæ imperfectio, ac ruditas id nequaquam patitur. Quare cùm hujuſmodi entia non reperiantur innoxia ab impura hac materia, nullum erit, inquit Ariſtoteles, abſtractum planum, quod poſſit mathematicè, atque adeò in unico puncto mathematico ſphæram tangere, ſed neceſſariò in duobus punctis tangat. Tangendo autem in duobus punctis, quamvis viciniſſimis, linea non erit amplius tangens, ſed ſecans juxta doctrinam Euclidis *elem. lib. 3. propoſ. 2.* & præclarè Blanc. *ſuper loc. math. Ariſt. in explic. d. text. 13. n. 184.*

Immò non ſolùm requiritur corpus ſphæricum per- 9
fectè rotundum, & planum perfectè complanatum, ſed etiam neceſſe eſt, quod utrumque corpus ſit ſolidum, ut ſupponunt tàm philoſophi, quàm ipſi mathematici. Quæ in caſu non concurrunt, cum corpus pueri non eſt ſphæricum, neque ſolidum, ſed planum, & molle, cujus proindè compreſſio terminari non poteſt in uno, ſed in pluribus punctis, atque adeò eſt in pluribus locis tactum, & compreſſum. Quin, etiamſi daretur corpus perfectè ſphæricum, & planum perfectè complanatum, quæ ſe tangerent in uno puncto, non indè evitaretur pondus, ſed ſuper illo puncto totum ſuſtineretur. Mathematici enim hoc unum ajunt, quod dicta corpora ſe tangerent in puncto, non autem negant, quin planum ſubjectum recipiat totum pondus ſphæræ ſuperimpoſitæ, cùm hoc conveniat principiis naturalibus; juxta quæ omne grave tendit deorſum.

Quare non videtur negandum, quin præſervatio iſta 10
ſit miraculo adſcribenda, cùm ſupra vires naturæ eveniat, ut per Malvet. *de canonizat. dub. 3. numer. 52.* Rocch. *eodem tractat. cap. 19.* Martin. Delrius *magic. lib. 2. quæſt. 7.* Chaſſan. *in catal. part. 3. conſid. 49.* & Maſcard. *de probat. concl. 262.* & oppreſſio naturaliter debuiſſet eſſe vel lethalis, vel ſaltem cum læſione, ut in ſimili præſervatione pueri per interceſſionem S. Caroli approbavit Rota in ejus *relatione mirac. 9.* & in eodem gradu præſervationis admirandæ ob merita S. Franciſcæ Romanæ fuit præſervatus carpentarius oppreſſus a magna trabe, ut *in 2. mirac. poſt mortem* ac mulieris, quæ cecidit ſub rota molari, & ab ea preſſa, ſupra naturæ vim ſervata fuit, invocata D. Virgine Hallenſi, ut refert Lypſ. *in dict. hiſt. capite 24.* ac pueri a rota currus contriti, & expirantis, qui cùm a matre arreptus fuiſſet, & ad memoriam D. Stephani adductus, illæſus apparuit, legitur apud Auguſtinum *lib. 22. de civitate.*

11 Ac proindè adſcribenda miraculo tertii gradus, ſi ſequamur communem diſtinctionem D. Thomæ, ſicuti ſimilem caſum miraculo tertii gradus adſcripſit Rota *in relat. S. Eliſabethæ Reginæ Portugalli mirac. 2. poſt mortem*, vel reponenda inter miracula quarti gradus juxta aliam diſtinctionem Laurentii BejerlinK *in theatr. vit. hum. v. miraculum*, ubi præter tres gradus miraculorum ponit hunc quartum, & infimum, quando ſcilicet neque ſecundùm ſubſtantiam, neque ſecundùm eandem materiam, neque ſecundùm modum eſt dæmoni effectus impoſſibilis, ſed aliundè conſtat, non dæmonem, ſed Deum mirabilem hunc effectum operari, quemadmodum conſtat, quando ad memoriam & invocationem Sanctorum hujuſmodi miracula fiunt, ea ratione, quod quando miraculum fit ad confirmandam ſanctitatem operantis, & intercedentis, tunc non fit ab homine peccatore, neque a dæmone, ſed a Deo, qui non præbet teſtimonium falſitati, ut alibi diximus, & tradit Caſtell. *de canoniz. in 3. p. princ. v. quarto adjicitur*, & Rota *in relat. Sororis Catharinæ de Ricciis mirac. 6.* Simileſque præſervationes ab interitu miraculo adſcripſit eadem Rota *in relat. S. Eliſabethæ*, & *B. Jacobi de Marchia mirac. 9. §. fin.* ac Servi Dei Nicolai Factoris *mirac. 11.* Neque mirum, ſi præſervationem hujuſmodi teſtes adſcripſerint gratiæ, nulla facta mentione miraculi. Quia plerumque nomina hæc confunduntur, præſertim ab imperitis, in quorum depoſitionibus potius intentio, verborumque ſenſus, quàm verba conſiderantur, quorum exquiſita proprietas plerumque latet etiam viros quam maximè peritos juxta theoricam Bart. *in l. 2. in fin. C. de peric. nom. lib. 11.* & Merlin. *dec. 164. n. 5.*

12 Præcipuè ſi puer remaneat exanimis cum oculis clauſis, cum ſpuma ex ore prodeunte, cum facie nigricante, & cum aliis ſignis certam mortem denotantibus, itaut non poſſint referri ad ſimplicem timorem, & animi deliquium ut ex Hippocrate, Galeno, Avicenna, & aliis probat Zacch. *quæſt. medicoleg. lib. 4. tit. 1. quæſt. ult. num. 54.*

CONSULTATIO LX.

An reſurrectio mortuorum ſine miraculo fieri poſſit? ubi an & quomodo a dæmone?

1 ASſerunt id plerique, atque experientia comprobant. Empedocles enim, philoſophus, & medicus celeberrimus, maximam ex eo gloriam conſequutus eſt, quod mulierem defunctam, vivam dimiſerit, ut eſt teſtis Heraclides Ponticus in eo libro, cui titulus eſt de perdita ſpiratione, & poſt eum Diogenes Laertius. Aſclepiades quoque inter medicos clarus hominem exanimatum, elatum, comploratumque ab rogo domum vivum reduxiſſe, traditur a Plinio *lib. 7. cap. 37.* & iterum *lib. 26. cap. 3.* & Apulejo *lib. florid. 4.* Et Xantus, antiquus rerum Lydorum ſcriptor *lib. 1. ſuæ hiſt.* tradit occiſum draconis catulum, propterea & Thylonem hominem, quem draco occiderat, vitæ reſtitutum herba, quam Balin nominat. Juba quoque Mauritaniæ Rex in Arabia hominem herba ad vitam revocatum ſcribit, quæ & ipſa etiam poſt eos retulit Plinius *lib. 25. cap. 2.* ut interim omittam permultos ab ipſo Plinio memoratos *lib. 7. cap. 25.* qui jam elati partim in ipſo rogo, partim poſt dies complures, & ex iis nonnulli interjectis ſeptem diebus, revixerunt. Ferunt etiam Æſculapii opera quempiam revixiſſe Quod & aſſerit Xenophon ſub initio *lib. de venat.* & Serenus Samonicus poſt principium ſui libri. Sed quis hic fuerit, qui ad vitam ab eo ita ſit revocatus, incertum eſt, Hippolytum fuiſſe tradunt Eratoſthenes, & Maro *Æneid. lib. 7.* ibique Servius, Pauſanias *lib. 2.* & Scholiaſtes Pindari *pythior. 3.* Nonnulli autem, ut refert Hyginus in Ophiuchio, qui tamen eorum nomina ſubticet, Glaucum Minois filium fuiſſe exiſtimant. Alterum eorum idem Hyginus *fabular. cap. 40.* Utrumque autem Ovidius *lib. 6. faſtor.* At Propertius *lib. 2. eleg.* ſcribit, fuiſſe Androginem, Claudianus verò *de vict.* Stiliconis contra Alaricum ait, Minois filium, quem minimè nominat, ad vitam fuiſſe revocatum ope vatis cujuſpiam, quem nec ipſe nominat. Ab Æſculapio autem Glaucum vitæ reſtitutum fuiſſe uſu herbæ ab angue allatæ, dicit Hyginus ubi ſupra. Interpres Euripidis in Alceſte tradit authoritate Appollidori tres illum ſuſcitaſſe, Hippolytum, Glaucum, & Tyndareum. Quod & ipſum ſcribit Pindari Scholiaſtes *loc. cit.* Alios lege apud Zecch. *quæſt. medico leg. lib. 4. tit. 1. q. 11.* & Cæſar. Vanin. in opere confixo *de admirand. natur. dialog. 58.*

Unde reſurrectionem eſſe naturaliter poſſibilem dixe- 2
runt ii, qui poſuerunt tranſmigrationem animarum, vel eorundem, aut ſimilium effectuum perpetuam revolutionem, ut Auguſtinus refert *12. de civit. c. 13.* quamquam iſti non de eiſdem numero effectibus, ſed de ſimilibus loquuti ſint, propter quod illa etiam animarum tranſmigratio non eſſet vera reſurrectio. Quia non erat reditus ad idem corpus, quod notavit etiam Tertullian. *lib. de reſurrect. carn. cap. 1.* Democritus verò, ut ei tribuit Plinius ſupra, eadem corpora, & poſſe reviviſcere, & iterùm victura, exiſtimavit. Et ex Scholaſticis Scotus *in 4. diſt. 43. quæſt. 3.* cenſet, poſſe idem numero per naturam redire, ſi eadem materia iterùm approximetur eidem agenti numero, vel ſpecie. In eandem ſententiam inclinat Richard. ibi *art. 3. q. 1. ad 6.* & alii. Quorum fundamentum eſt, quia ſi materia eſt eadem, & agens idem, effectus erit idem *8. metaph. cap. 3.* Quia tunc non habent effectus, unde diſtinguantur.

At verò tenendum eſt, reſurrectionem ſine miracu- 3
lo fieri, non poſſe, opinionemque contrariam eſſe damnatam, & rejectam non ſolùm a philoſophis, ſed etiam a poetis ipſis, inter quos Homerus *Iliad. lib. 9.* ubi quod anima hominis, cùm ſemel è corpore migrarit, nunquam rurſus aut remigrare, aut inſtaurari poteſt, cui concinit Phylotas poeta grecus apud Stobæum *cap. 117.* & Ovidius *lib. 2. metamophr.* de Apolline, & *lib. 4.* ejuſdem operis de Sole. Fit enim de facto ſolùm divina virtute, ac ſupra naturam poſſibilis, ut docent omnes Theologi *in 4. d. 43.* & 44. nominatim Paludanus, Durandus, Richardus, & alii. Idem aſſerit D. Thomas *quodlibet 4. art. 5.* & *lib. 4. contra Gent. cap. 81.* Et quamvis oppoſitum videatur docere *in 4. ead. 44. q. 1. art. 2.* & *d. 12. art.* & *p. 3. q. 77. art. 2.* intelligitur de potentia naturali, & ordinaria Dei, de quo vide Ferrar. *in d. lib. 4. contra Gent. cap. 81.* Henric. *quodlib. 7. part. 16.* & Ægid. *theor. 1.*

Probatur *ex pſal. 87. Numquid mortui facient mirabilia?* 4
aut medici ſuſcitabunt, & *confitebuntur tibi? Et Iſai. 26. Mortui vitam non videbunt, neque medici ſuſcitabunt.* Quem locum enarrans D. Hieronymus, *ſenſus*, inquit, *perſpicuus eſt condemnari fabulas poetarum, qui ab Eſculapio Virbium ſuſcitatum ajunt.* Et paulò poſt ſcribit, ſolum eſſe Deum, qui ſuſcitat mortuos, de quo dicitur *Jo. 5. ſicut Pater ſuſcitat mortuos*, & *vivificat*. Conſtatque ex communi modo loquendi Sanctorum, Dionyſ. *cap. 6. de divin. hom. Nos*, inquit, *totos, animas dico*, & *ſocia corpora ad perfectam vitam*, & *immortalem transferre pollicetur. Quod veteribus quidem præter naturam fortaſſe videatur; mihi verò, tibique & veritati divinum*, & *ſupra naturam, ut eſt, videtur, ſupra naturam noſtram dixerim viſibilem, non ſupra omnipotentem*. In eundem modum loquitur Lactantius *lib. 7. divin. inſtit. c. 23.* Gregorius *hom. 20. in Ezechiel.* Damaſcenus *lib. 4. de fid. c. 28.* Chryſoſtomus *hom. de reſurrect.* & *hom. 65. in Jo:* & *hom. 2. in Act.* & *hom. 8. in 1. ad Theſſal.* Ambroſius *lib. de fid. reſurrect.* Auguſtinus *lib. 13. de Trinit.* & *22. de civit. cap. 4.* & *ſeqq.* Denique hoc modo veritas reſurrectionis inter articulos fidei annumeratur, quia, prout a nobis creditur, naturaliter nec fieri, neque cognoſci poteſt. Quam ob cauſam Paulus *1. ad Corinth. 15.* eam appellat myſterium. Eodemque modo loquitur ſæpè Scriptura de reſurrectione, tanquam de divino, ac ſupernaturali opere.

Ratio autem deſumitur ex modo, qui ex parte diſpoſitio- 5
num corporis ſumendus eſt, & poteſt conſtitui vel in celeritate reſurrectionis, vel quod ſine variis tranſmutationibus, quæ neceſſariæ ſunt, ut homo generetur, ſoli Dei imperio perficietur. Quibus modis eſt ſupernaturalis gratia ſanitatis, quamvis ex parte termini id, quod fit, ſit omninò naturale. Quippe in agentibus naturalibus a privatione ad habitum impoſſibilis eſt regreſſus, ſecundùm eandem numero formam. Ut autem id, quod corruptum eſt, ad eandem naturam redeat, ſaltem ſecundùm ſpeciem, ſunt neceſſariæ multæ tranſmutationes, vel etiam reſolutiones in elementa. Quia agens naturale non habet virtutem ad diſponendum aliter materiam ad talem formam. In reſurrectione autem fit reditus a privatione ad habitum in eadem numero forma, ad quod neceſſaria eſt infinita virtus agentis, quæ non indiget tranſmutationibus ad diſponendum materiam. Quin potius quantum eſt ex parte materiæ, facilius poterit reformari corpus, ſi non ſit reſolutum omninò. Quia adhuc retinet diſpoſitiones aliquas accommodatas tali formæ, ut oſſium deſintatem, & duritiem.

Itaque doctiſſimus Ægydius *q. 2. de reſur. mort.* negari, 6
inquit, non poſſe, quin reſurrectio dicatur naturalis, quatenus talis reſurrectionis actus ad formam tendit, immò verò ad eſſe, adde ad vivere, denique ad animam, quæ

omnia

omnia naturalem quandam inclinationem præſeferre hoc uno philoſophi dicto præmonſtratur, quod vivere viventibus ſit eſſe 2. *de anim. text.* 37. Hoc autem multis rationibus probari poſſet, cùm ſit manifeſtum. Tamen non ſatis eſſe, ait, formæ ad materiam conjunctionem eatenus naturale appellari, quatenus ad formam fiat terminus, quin & ulterius modum, & ordinem naturalem requiri debere. Si enim terminatio ad formam ſatis eſſet ad mutationem quampiam naturalem denominandam, inde conſequitur, ut omnis tranſmutatio ad formam naturalis dici debeat. Hoc autem eſſe inconveniens inde probatur, quod Ariſtoteles 5. *phyſ.* inquit, generationes quaſdam, atque accretiones violentas eſſe, quamvis has, & illas ad formas ſuas terminari deprehendamus. Cum enim conſtet, multa per artis diligentiam citius augeri, aut generari, quàm tempus, & ordo exigat, taleſque generationes violentas dici, hinc fit manifeſtum, non illas quidem dici violentas perinde ac ad formam non tendant. Tendunt enim, & illam aſſequuntur. Sed quia modus, & ordo naturalis nequaquam ſervatur. Et cùm omnia in reſurrectione ineſſe videamus, hoc uno excepto, quod ordo, & modus naturales non ſint, propterea naturalem reſurrectionem dici non debere, ſed ſupernaturalem potius veriſſima perſuaſione videtur ductus Ægidius.

7 Rationem etiam tradit D. Thomas *lib.* 4. *contra Gent. c.* 81. *ad* 1. inquiens, quod natura hoc facere non poſſit, ideò eſt, quia natura ſemper per formam aliquam operatur. Quod autem habet formam, jam eſt, undè nihil ſeipſum generare poteſt, ſed generat aliquid aliud ſibi ſecundùm ſpeciem ſimile. Cum verò corruptum eſt, formam amiſit, quæ poterat eſſe actionis principium. Undè operatione naturæ quod corruptum eſt idem numero, reparari non poteſt, ſed divina virtute, quæ res producit in eſſe. Sic per naturam operatur qui abſque ea effectum naturæ producere poteſt. Unde cùm virtus divina maneat eadem etiam in rebus corruptis, poteſt corrupta in integrum reparare.

8 Alii ſic ratiocinantur. Dupliciter poteſt conſiderari reproductio rei. Primò, ſecundùm entitatem, vel ſubſtantiam. Secundò, quantum ad modum, quo fit, videlicet præter exigentiam, & ordinem naturalium cauſarum, atque extra tempus naturaliter requiſitum, & has ob cauſas non poteſt fieri virtute naturali, etiam divina operante cum cauſis naturalibus, ſed ſupernaturali. Priori ergo modo conſiderata naturalis eſt: Quia productio rei, & conſervatio ejus ab eodem agente ſine corruptione eadem numero actio eſt. Ergo ſi naturalis eſt una ſecundùm entitatem, erit etiam naturalis altera: Sed actio, per quam Deus conſervabat hominem jam a ſe productum, erat naturalis, ſicut entitas, atque exiſtentia ejuſdem hominis extra cauſas: Ergo reproductio quoque naturalis erit ſecundùm entitatem. Conſiderata verò reproductio, quoad modum, quo fit, ſupernaturalis vocanda eſt. Supernaturale autem vocamus illud, quod non poteſt per virtutem naturalem fieri. Sed talis eſt reproductio ejuſdem rei, ut *lib.* 2. *de generat.* & *corr. cap.* 11. *quæſt.* 3. probat Ruvius: Ergo erit ratio ſupernaturalis.

Ideoque omnes mortuorum reſurrectiones eſſe miraculum, & quidem magnum, affirmant omnes, connumerantes illud in ſecundo gradu, cùm excedat omnes vires naturæ creatæ quod objectum, in quo fit, juxta doctrinam D. Thom. *p.* 1. *q.* 105. *art.* 8. *in corp.* & *p.* 2. *qu.* 113. *art.* 13. & *lib.* 3. *contra Gent. c.* 102. Cajetani, & Bannes *d. q.* 105. *art.* 8. Suar. *in p.* 3. *q.* 13. *art.* 4. *diſp.* 31. *ſect.* 2. Troyl. Malvet. *de canoniz. in* 3. *dub. n.* 25. Contilor. *eod. tr. c.* 16. *n.* 7. & *in relat.* S. Thom. de Villan. *tit. de mirac. poſt mortem*, & *tit. ſeq.* de quo nos alibi, & juxta Philoſophorum ſententiam, quam refert Zacch. *d. lib.* 4. *tit.* 1. *q.* 2. *n.* 13. eſtque communis ſenſus Eccleſiæ, quæ ſemper hanc reſurrectionem miraculo adſcripſit.

9 Ac ita, ut viventium regreſſus ab interitu impoſſibilis ſit etiam dæmoni, certiſſimum eſt, diſpliceatque Maironus *in* 2. *d.* 7. *qu.* 4. concedentes intelligentiis poteſtatem reuniendi animam corpori. Quamvis enim ſupponeremus verum eſſe, quod dæmon interventu activorum idoneorum poſſit producere quodcumque vivens materiale, tamen ex quo diſruptus ſemel fuit nexus animæ cum corpore ſive anima perierit, ut in omnibus viventibus, præter hominem, ſive perſeveret, ut humana, non eſt in poteſtate dæmonis ita aptare materiam, ut hæc potius, quàm illa forma advenire debeat, cùm omnibus ejuſdem ſpeciei formis, & animabus, par cubile, & ſimiliter ſtratum debeatur, nec ex his numero diſpoſitionibus conſequatur neceſſariò hæc forma, vel hæc unio hujus formæ eſſentialiter reſpectiva, ſed tantùm aliqua unio, & forma, quam Deus intra ſpeciem illam pro arbitrio determinaverit. Qui etiam univerſali decreto ob univerſi pulchritudinem ſanxit, nullum individuum, quod ex mundi veluti ſcena exceſſerit, denuò revocare adeſſe, quamvis id faciendi poteſtatem ſibi ipſe non adimat, eamque de facto in homine ſit opportuno tempore exprompturus.

Quare reſurrectiones quædam apud Ethnicos olim Magorum opera, vel etiam citra eam dæmonis ſolius opere factæ, quas referunt Medin. *n.* 2. *parænn. c.* 2. Vives 2. *de verit. fid. c.* 21. Delrius *lib.* 2. *magic. q.* 29. & alii poſt Plinium *lib.* 7. *c.* 52. non fuerunt veræ reſurrectiones. Interdum enim animal non verè objerat, ſed dumtaxat ſopitum jacuerat, ut pulegio proportione evenit, quod propterea videtur reviviſcere, ut memorat etiam Ariſtoteles *ſect.* 20. *probl. q.* 21. Et idem dicendum de illa cupreſſu, quam in Veſpeſiani vita refert Svetonius ſine ulla vi tempeſtatis radicitus avulſam, atque proſtratam, ſequenti die firmiorem, ac viridiorem ſurrexiſſe. Non enim brevi illo tempore abſceſſerat vita a cupreſſu, ſed diſpendium, quod eradicatione ſubiverat in ſpiritibus, vel eo quod in plantis proportionale eſt ſpiritibus: compenſatum eſt induſtria dæmonis. Atque ita viſa eſt arbor ſurrexiſſe, cùm tamen non tunc plus ſurrexerit, quam vere novo, cum cultum ſuum reaſumit. Et idem, proportione ſervata, evenit animali in caſu, de quo agimus. Vel ſi animal imperfectum fuit, & revera vita advenit materiæ, animal inde enatum non eſt illud ipſum numero, quod prius vixerat, ſed aliud ſimile. Plerumque etiam cum magia intercedit, & homo videtur reſurgere, dæmon ſubingreſſus cadaver vivi, ſpecie exhibet hominem, ut notat Anaſtaſius *quæſt.* 23. in Scripturam, & detecta Simonis Magi impoſtura idem docuiſſe D. Petrum, memorat Andr. Cæſar. *ſer.* 13. *in Apocalypſim.* 10

Creditique ſunt medici quidam mortuos reſuſcitaſſe, quod morti proximos, ac veluti adjudicatos, atque etiam quoſdam, qui mortui putabantur, cùm non eſſent, ſanitati reddidernnt. Sic Cornelius Celſus *lib.* 2. *c.* 6. refert, Aſclepiadem, qui mortuum vitæ reddidit, funeri obvium intellexiſſe eum vivere, qui efferebatur. Et ut ſcribit Apulejus *lib. florid.* 4. animam ejus in corporis latibulis deliteſcentem quibuſdam medicamentis provocavit. Quandoquidem Democritus, ut ipſe Celſus tradit eo loco, affirmat, non ſatis certas notas eſſe animæ finitæ. Quæ autem refert Plinius, etſi apud aliquos fide careant, admirationem tamen, ut utar verbis ipſius Plinii, implent, coguntque confiteri multum eſſe, quod vero ſuperſit. Ut hinc intelligas Plinium id minimè credidiſſe, uti nec ipſe credo, cùm id ſit ſolius divinæ omnipotentiæ. Tantumque abeſt, ut mortuos ad vitam revocare poſſint, ſicuti falſò gloriantur, ut nec Deus id facere poſſit, ſi verum dicit Plinius *lib.* 2. *c.* 7. Philoſophi apud Tertul. *lib. de præſcript. hæret. c.* 7. Epicuræi, & Stoici, ac Sadducæi, atque hæretici quidam. Quod tamen, ut falſum eſſe comprobatur S. Scripturæ teſtimonio, ac docet fides catholica, ita quoque id omninò verum eſt, medicos minimè id poſſe, & oppoſitum ſine manifeſta hæreſi teneri non poteſt. 11

Hinc verò præterea apparet abſceſſus illos, & regreſſus animarum, quos quidam malè ſani admiſerunt apud Ananiam *lib.* 3. *de natur. dæmon. c.* 28. quouſque habere locum in ſortiariis extaſim patientibus nimium aniliter cenſuit Bodin. *lib.* 2. *dæmon. c.* 5. non fuiſſe revera regreſſus animarum. Quia ſic data fuiſſet reſurrectio interventu dæmonum, ſed fuiſſent dæmonum animarum ſpecie apparentium, aliterve hominibus imponentium ludibria. Non enim corpus, ut de vadente, & redeunte Hermotimi anima jocatus eſt Tertullianus *c.* 44. *de anima*, eſt animæ pro vagina, ut eximere inde eam liceat, ac denuò immittere. Quod item eſt dicendum circa illa exempla, quæ habet Plinius *lib.* 7. *c.* 52. & de illis aliis recentioris memoriæ apud Petrum Gregorium *lib.* 1. *de immortal. c.* 18. Refellunt ſuper hac re Bodinum Loyerius *lib.* 4. *de ſpectr. c.* 15. & Delrius *lib.* 2. *magic. q.* 25. Item Vvicleffum Valdenſis *tom.* 1. *doctrinal. lib.* 1. *c.* 38. docens, ita philoſophatum Vvicleffum ex inſano, ut ait, principio, quod diffitebatur unionem animæ ad corpus, aſſerens, unionem eſſe ſolam materiæ, & formæ indiſtantiam abſque vinculo. 12

Authoritati verò Ariſtotelis 8. *metaph. cap.* 4. reſpondetur, illum dicere ſolùm, quod ſi materia eſt diverſa, & agens diverſum, effectus eſt diverſus, non tamen infert, quod ſi materia eſt eadem, & agens idem, effectus ſit idem, quamvis id de identitate, ut ajunt, ſpecifica, affirmandum inſinuet. Nam ſi materia eſt eadem, & agens idem, producent effectum ejuſdem ſpeciei. Sed tamen ad producendum eundem effectum numero, id non ſufficit, ſed præterea exigitur, ut actio quoque, & motus ſit idem. Quod utique fieri niſi in eodem loco, & 13

tempore non poteſt. Reſurrectio igitur mortuorum res divina eſt, cujus exquiſita cognitio nos latet. Quare ulterior diſquiſitio moroſi, atque ſatagentis animi eſt. Humanæ ſapientiæ pars eſt, quædam æquo animo neſcire velle.

CONSULTATIO LXI.

An, & quo pacto mors diſtinguatur a Vita? ubi de modis dignoſcendi vera miracula reſurrectionis mortuorum.

1 HI, qui rerum indifferentiam tuentur, inter contraria quoque illam poſuerunt, ac præ cæteris, mirabile dictu, inter vitam, & mortem ita, ut crederent viventia & mortua ob nimiam ſimilitudinem internoſci, & ad invicem diſtingui non poſſe. Videat ergo Scotus, qui ob vitæ certitudinem, & ejus a morte diſtinctionem contra Academicos diſputabat *in* 1. *d.* 3. *qu.* 4. quam imbecilli, nutantique fundamento nitatur.

2 Hanc indifferentiam Cornelius Celſus ſic probat: *Si certa futuræ mortis indicia ſunt, quomodo interdum deſerti a medicis convaleſcunt, quoſdamque fama prodiderit in ipſis funeribus reviviſſe? Quin etiam vir jure magni nominis Democritus ne finitæ quidem vitæ ſatis certas notas eſſe propoſuit, quibus medici credidiſſent. Adeò illud non reliquit, ut certa aliqua ſigna futuræ mortis eſſent.* Ad quam rem Tertullianus, a ſuis ſcholiaſtis non intellectus, reſpexit *in libro de anima*, dum refellit eorum opinionem, qui credebant animas, etiam poſt mortem adhærere corporibus. Ad hoc & Democritus excrementa unguium, & comarum in ſepulchris aliquanti temporis denotat. Refert enim argumentum Democriti, quos hanc vitæ, & mortis indiſtinctionem probavit, & paulò poſt de medicis loquitur, quibus cùm hæc opinio probaretur, corporis actionem prohibuerunt. Conſiderandum autem, an Celſus, & Tertullianus Democrito adſcripſerint volumen de exanimi muliere, quæ poſt ſeptem dies revixit. Quod ſi eſſet, diſſentirent a Plinio, qui tribuit Heraclidi *lib.* 7. *c.* 52. cum quo, & Galenus conſentit, & in eodem loco Plinius multa alia ſubdit, quibus hanc indifferentiam confirmat. Svidas apnon, non volumen Heraclidis, aut Democriti eſſe dicit, ſed medicamentum Empedoclis. Sunt ejus verba. *Ajunt Empedoclem Pauſaniæ tradidiſſe apnon, hoc eſt ſpiritu carens, medicamentum, quod ſit hujuſmodi, ut triginta dies conſervet ſine potu, ſpiritu, & cibo corpus.* Meminit tamen voluminis alicubi Diogenes Laertius *lib.* 4.

3 Confirmant hanc indifferentiam ſomni illi longiſſimi, quales fuerint Epimenidis, ſeptem Epheſiorum martyrum, quos ſeptem Dormientes vocant hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Eorum, qui in inſula Sardinia apud Heroas diutius dormierunt, quorum meminit Ariſtoteles, Themiſtius, & Simplicius 5. *phyſ.* Quinque Romanorum mentionem habet Paulus Diaconus *in princip. hiſtor. Longobard.* & demum ejus ruſtici, de quo Methodius, & Damaſcenus ſcribunt ſuo tempore in Germania deſeſſum ſub fœni cumulo per totum autumnum, ſequentemque hyemem aſſiduè dormiviſſe, donec fœno depaſto experrectus eſt tanquam ſemimortuus, totuſque extra ſe poſitus inventus eſt. Putat idem Damaſcenus, idque etiam multis rationibus comprobare nititur, quod cum pluribus animantibus datum ſit a natura, ut pluribus menſibus ſine cibo, & potu, & aliis naturæ neceſſariis dormiant, idem etiam contingere poſſe homini, qua de re nos etiam alibi.

4 Hinc Cardinalis Cuſanus *in lib. de docl. ignor. de conject. & de venat. ſap.* negat, nos quidquam ſcire ob indifferentiam oppoſitorum; quæ in idem ſemper coincidere exiſtimavit. Siquidem in una, eademque re maximum, & minimum nobis ſemper ſeſe obtrudunt. Sunt enim maximæ, quia majores, minimæ, quia minores eſſe nequeunt. A quibus neque Deum excluſit, qui Maximus eſt, quod nullo pacto major eſſe valeat, & eſt minimus, quia ſi minor eſſet, non eſſet Deus.

5 At nihilominus tenendum eſt, vitam diſtingui a morte ratione motus, & reſpirationis, ſine qua homo vivere non poteſt, immò ipſa mors nihil aliud eſt, quàm reſpirationis privatio, Averr. *collig. cap.* 39. neque poteſt eſſe vita ſine motu adeòut a reſpiratione ad vitam rectè arguatur, cum reſpiratio non ſit ſine vita, Galen. 6. *de loc. affect. cap.* 5. Valeſch. *lib.* 3. *philon. cap.* 14. Altomar. *pr. c.* 110. Maſſar. *pr. lib.* 2. *cap.* 9. Fortun. Fidel. *lib.* 4. *relat. med. c.* 1. ob convertibilitatem terminorum ſpirationis, & vitæ, quia ſpirantem non vivere, aut viventem non ſpirare, impoſſibile eſt, Hier. Fabr. *lib. de reſpir. cap.* 1. Jul. Cæſar. Claud. *in empir. rational. lib.* 3. *cap.* 3. Sennert. *lib.* 4. *pract. part.* 2. *ſect.* 3. & Zacch. *in quæſt. medico leg. lib.* 4. *tit.* 1. *quæſt.* 11. *de mirac. num.* 4.

Quinimmò obſervatum eſt, ac ratione naturali fieri 6
poteſt, ut cadavera interdum ſe moveant, vel ſecundùm partes, vel ſecundùm totum. Non enim illicò efflata anima vitales ſpiritus extinguuntur, ſed paulatim, ac ſucceſſivè, ac interim remanet aliqualis calor, poteſtque etiam remanere motus juxta ſententiam Ariſtotelis *de part. animal. lib.* 3. *c.* 10. ubi cùm dixiſſet, contingere non poſſe, ut caput, præciſa arteria, & ſine motu pulmonis loquatur, admitti poſſe dari, ut detracto capite, corpus aliquantulum progrediatur. Similes autem motus capitis animalis decollati paſſim videntur, quos philoſophi ajunt, non eſſe vitales, & ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco, ab impulſu ſcilicet impreſſo ipſi capiti a corde antequam moriatur. Cor enim tempore abſciſſionis capitis, ut læſioni ſuccurrat, magno impetu immittit ſpiritus vitales, qui operantur, ut ipſum caput, etiam mortuum adhuc aliquantulum moveatur. Cor quippè, quia eſt natura nobiliſſimum, ac robuſtiſſimum maximè ejus in tutela eſt. Et arx eſt, quæ ultimò a morte expugnatur, cæteraque membra per miniſtros gubernantur, ipſa verò animæ ſubſtantia in corde eſt. Ac medici nil aliud ajunt, quàm corde illæſo, fieri priores hecticæ ſpecies, ultima oppreſſum aggreſſione fatiſcere. Unde & omnes ajunt, cor poſtremum omnium interire, oculus primus. Poſtremum etiam ægreſcere. Ægritudo namque præparatio eſt ad mortem. In aliquibus etiam ungues viſuntur creſcere ac pili. Annotantur inſuper retractiones quædam, ſeu potius convulſivi quidam membrorum motus vivis communes, quod latè comprobat Fortun. Fidel. *loc. cit. cap.* 1. ubi ex Marcel. Donat. *hiſt. miral. lib.* 2. *cap.* 3. narrat, monialem quandam cùm alterius monialis demortuæ manuum exoſcularetur, ter illi manum a demortua fortiter fuiſſe conſtrictam, ut viva adhuc putaretur. Et alias non diſſimiles hiſtorias refert.

Quod etiam cadavera videantur per aliquod tempus 7
ab obitu calida permanere, ut poſt mortem recaleſcere, naturalis res eſt, ut obſervat Saluſt. *de febr. peſt. c.* 19. & Joan. Hocher. *lib.* 4. *de febr. c.* 10. Immò tantus aliquando eſt calor, ut ipſa frigidiſſima marmora calefaciant. Quod etiam memoravit Ovid. *lib.* 7. *metamorph.* & refert Zacch. *d. lib.* 4. *tit.* 1. *de mirac. q.* 10. *n* 3. *& ſeqq.*

Illud autem, quod ſcribunt de indiſtinctione mortis, 8
& vitæ nullius eſt ponderis. Hoc enim mortis, & vitæ diſcrimen in quibuſdam rariſſimis caſibus revocatum eſt in dubium, atque illorum occaſione, qui quaſi extra limites naturales conſtituti, malè affecti vitam degebant. Alioquin in benè conſtitutis, quis eſt qui neſciat, ut etiam dicebat Averroes, quod vivit, & quod eſt in vigilia? Ad illud verò, quod dicit Cardinalis Cuſanus de indiſtinctione Maximi, & minimi, reſpondemus, quod omne illud, quod in individuo poſitum eſt, habet hoc, ut & minimum dici poſſit, itaut ſit utrumque, diverſa tamen ratione. Dicitur enim maximum, quia majus eſſe non poteſt, minimum, quia minus eſſe non valet. Et ſecundùm iſtam diverſam rationem, & punctus, & Deus ſunt maximi, & minimi. Quapropter conſtat, hanc Cuſani indiſtinctionem de maximo, & minimo non impedire rerum comprehenſionem.

Ex quibus elicitur, in examine miraculi reſurrectionis a 9
mortuis diligentiſſimè prius indagandum eſſe, an is, qui dicitur reſurrexiſſe, verè mortuus fuerit. Et in hoc quatuor diſcutienda refert Zacch. *d. lib.* 4. *c.* 1. *q. ult. n.* 27. *& ſeqq.* Primum, quod ſtatuatur ex quibus morbis homines ita afficiantur, ut patenter judicari poſſint pro mortuis, quamvis adhuc in humanis exiſtant, & morbo diſcuſſo, ſuſcitati a morte. Secundum, an homo poſſit abſque ullo ſenſu, & motu per aliquod tempus vivere, adeout minimè queat diſcerni a verè mortuo. Tertium, quantus in eo morborum ſtatu poſſit eſſe terminus vitæ nimirum quot diebus motu, ac ſenſu orbatus præſumatur poſſe vivere. Quartum, quibus potioribus ſignis detenti aliquo ex dictis morbis valeant diſtingui ab iis, qui verè mortui ſunt.

Et quoad primum, tres morbi præcipui ſunt, in qui- 10
bus ſolet homo abſque ullo ſenſu, ac motu permanere aliquandiù, & mortuo ſimillimus apparere, videlicet apoplexia, ſub qua includitur epileſia, ſuffocatio ex aqua, laqueo, fumo carbonum, ebrietate ob vini, ſeu cerviſiæ vaporem, cum ebulliunt, ictu fulminis, percuſſione, & concuſſione cerebri, aere corrupto, expirante a cavernis, puteis, locis ſubterraneis, foſſis, in quibus frumenta aſſervantur, cloacis, ſentinis, & aliis ejuſmodi, fumo mercurii, arſenici, & ſimilium medicamentorum, Syncopes, ad quam revocatur lypothomia, & animi deliquium, tanquam ab ea ſolum diſtincta ſecundùm magis, & minus, ac uteri ſuffocatio.

Quod

11 Quoad secundum, etsi *num.*41. neget simpliciter, ac verè possibile esse, ut homo absque ullo sensu, ac motu etiam pulsus, & respirationis vivat, quia privatio respirationis est ipsa mors, respectivè tamen ad nos, nostrumque sensum, homo potest absque ullo sensu, ac motu etiam pulsus, & respirationis vivere, itaut a verè mortuo vix, ac ne vix quidem dignosci valeat. Qua ratione aliqui non assequentes apoplecticos, suffocatos, syncopizantes, & hujusmodi respirare, dixerunt in illis servare transpirationem, quam volunt sufficere ad vitam utramque servandam.

12 Super tertio distinguit inter syncopem, quæ cor principaliter afficit, & ab Aetio nuncupatur dissolutio nexus naturæ, cùm sit principium mortis, quæ nil aliud esse videtur, quàm terminus syncopis, seu syncopis confirmata, & cæteros morbos superius expressos. In illa enim statuendus est terminus brevior, qui spatium viginti quatuor horarum non pertranseat juxta declarationem, quam ponit *num.*35. & 39. In aliis verò, scilicet apoplecticis, & consimilibus dies, vel quia, ut subdit *num.*51. omnes humores intra id tempus, nempè horis septuaginta duabus, suum motum habent, signumque mortis exploratissimum est, si immoti consistant, cum eorum motu vita manifestetur. Vel quia lapsu tridui patefit impossibilitas ulterius protrahendi vitam cum tàm sævo, ac valido morbo, qui hominem, quoad nos, sensu ac motu privet. Unde infert *num.*38. quod constaret hominem syncopi valida, & gravissima detentum revixisse post duos, aut tres dies majorem miraculi suspicionem faceret, quàm si apoplexia, vel simili morbo, aut uteri suffocatione detentus fuisset.

13 Demum super quarto *num.*53. parvipendet in primis cum Holler. *lib.*1. *pr. c.*59. vulgaria experimenta admotionis gossipii, seu lanæ tenuissimè carptæ, vel candelæ accensæ ori jacentis, aut impositionis cyathi aqua pleni super pectus ægri, ut ex illorum motu, vel immobilitate vita, aut mors deprehendatur. Nec omni ex parte tutum existimat si speculum terssimum ori admoveatur, ut ex illius offuscatione conjiciatur ægrotum adhuc vivere, sin minus jam è vivis excessisse. Secundò *num.*54. majorem ad rei cognitionem facere posse accidentia ipsius morbi. Nam quod ad syncopim refert primò ex Hyppocrate *dogm.*2. *aphor.*41. repentè mori eum, cui absque ulla causa manifesta adveniat; atque illicò omni motu, ac etiam pulsus, & respirationis destitutus appareat cum faciei lividitate tenui, ac frigido sudore, intensaque partium frigiditate, maximè si antea solebat frequenter ac fortiter absque causa manifesta exolvi. Aliud tamen sentire Mercatum *lib.*1. *de intern. morb. cur. cap.*13. dicentem, ut si in apoplexia illicò simul adveniat syncopis, quod ex omnimoda respirationis abolitione deprehenditur, dubitandum sit de morte futura. Si verò paulatim adveniens ita crescat, ut homo amplius non respiret, de morte præsenti. Secundò, in quacunque suffocatione spumam in ore apparentem signum exitialissimum putat, quin mortem evadant; licèt concedat cum Galeno non semper, sed ut plurimum hoc verum esse. Nam tum maxima, seu totali deperditione respirationis, aliisque sævissimis symptomatibus fortissimam suffocationem, & apoplexiam demonstrat, ex qua ægros quamprimum perite contingat. Immò neque ad tertium diem perdurare doceat ipsa experientia, præsertim si facies apparuerit livida, & nigricans, aut viridis, quia caloris suffocati, & jam extincti certum judicium præbet. Tertiò, admittit pro signo mortis, si naribus multa sternuaria fuerint applicata, & carens sensu ac motu, ut supra, nunquam sternutaverit. Nam virtus quamvis ex illis, si adhuc vigeret, expergisceretur ad irritationem sternutatorii. Quartò, non rejicit squallorem, ac siccitatem membrorum, quæ licèt aliquando in viventibus appareat, non tamen adeò conspicua sunt, maximeque facit, si membra frigida, ac nullo modo flexibilia evadant. Quintò, ponderat *num.*55. & *seqq.* nullam vitæ spem superesse, ubi oculorum pupillæ jam omninò offuscatæ, ac veluti panno quodam obductæ, spiritibusque extinctis nullam prorsus intuentium imaginem reddunt. Ac denique *n.* 58. infallibile mortis signum ait esse partius, aut partis alicujus livorem, & æstuationem cadaveris, fœtoremque ex ipsius jam putredine ortum ducentem. Nec proindè quidquam pronunciandum est de resurrectione, priusquam verè de morte constet ex signis prædictis optimè, & concludentissimè probatis. Sed his tantum est.

14 Addo tamen mortem probari per testes. Nam cùm fuerint in re præsentes, concludenter probant tàm mortem, quàm subsequutam resurrectionem ad preces alicujus Servi Dei. Quia cum præsentia visum, & omnem sensum, ac intelligentiam significet juxta Bald. *in cap. Cum causam num.*36. *de test.* ex eorum sanè dictis tàm vita, quàm subsequuta vitæ actio probatur. Ait enim Bartol. *in tr. de test. num.*6. hominem vivum esse probari a dicente vidisse illum vivere, & *num.* 41. mortem hominis sufficienter probari, si testis dicat, quod talem vidit mortuum, absque alia interrogatione. Idem repetit *in l.*1. *§. si dubitetur num.*2. *ff. quemadmodum testam. aper.* & *in l. siquidem* 5. *num.*1. *C. sol. matrimon.* quem sequuntur Angel. *ibi num.*2. & *in l.*3. *§. hæc verba num.*1. *ff. neg. gest.* & *in d. l.*2. *§. si dubitatur n.* 5. *in fin.* ibique Imol. *num.*26. & tradit Felin. *in cap. quoniam frequenter*, *§. porro num.*2. *ut lit. non contest.* Campeg. *de test. reg.*350. *tr. tom.*4. Boer. *decis.*288. *num.* 1. Rationem reddit Corn. *cons.*10. *num.*2. & 9. *vol.*1. Quia cum ex sensu visus facili discursu cognoscatur vita, prout mors, ad probandum vitam, & mortem bona est ratio reddita a teste dicente, vidisse mortuum. Nam, ut ait Bald. *in d. l. de ætate num.*9. *ff. de min.* in eo, quod est cognoscibile per aspectum secundum communem hominis notitiam, sufficiens est redditio rationis in teste per aspectum, licèt illud consistat in individuo intellectus. Quare in hisce terminis resurrectionem probari per testes dicentes, vidisse mortuum ac posteà revixisse ad preces Servi Dei, vel Beati, docet Malvet. *de canoniz. d. dub.*3. *num.*71. hanc testificationem Evangelio testimonio corroborari, dicente, ad Jesum autem cùm veniissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura. Certaque hominis mors comprobatur, si jam ad effodiendum sepulchrum pro eo sepeliendo omnia parata fuerint. Inde enim mortem concludenter probari inquiunt Bald. *in l. conventiculam* 15. *num.*10. *C. de Episcop.* & *Cler.* & *in d. c. cum causam num.*27. *de testib.* ac Dec. *cons.*83. *num.*5. Et simile miraculum resurrectionis cujusdam hominis jam sepulturæ tradendi fuit approbatum in Bulla canonizationis S. Francisci de Paula *inter Constit.* Leonis X. 38. *§.* 16.

CONSULTATIO LXII.

Quanti facienda sit descriptio in Martyrologio Romano ad effectum canonizationis?

VIdetur non esse tanti facienda, ut nequeat infirmari, cujus rei locuples, & idoneus testis est Scacch. *de not.* & *sign. sanct. sect.*11. *cap.*4. *sub lit. A.* & *B.* inquiens, quod licèt aliquod argumentum ad effectum canonizationis sumi possit ex Martyrologio Romano, emendato sub Gregorio XIII. ac jussu Urbani VIII. recognito, non tamen est adeò efficax, quin possit aliqua ex causa infirmari. Unde infert tunc solùm grave censeri, cùm adsint reliqua adminicula de actis illius Servi Dei, eaque sint juridicè probata. Addo ego, & validissimum, atque canonicum argumentum pro fide indubia: Quia in lectione Martyrologii acta Servorum Dei fidelibus proponuntur ab Ecclesia imitanda, tanquam probata, præsertim quando acta illius Servi Dei sunt juridicè probata. 1

Etenim posita decretorum, & quæstionum facti, & juris distinctione, non omnia, quæ in Martyrologio continentur, sunt indubitatæ fidei, cùm res facti, quales sunt res ferè omnes, quæ in illo libro comprehenduntur, non exigant certitudinem fidei, neque etiam patiantur. Hinc licuit Baronio, quòd præteritis sæculis in Ecclesia Romana legebatur Martyrologium, a Summis Pontificibus probatum, infinitis propè locis emendare. Et S. Rituum Congregatio quotidianas illius emendationes edit. 2

Unde fatetur P. Vincentius Baronius *in apolog. pro sua Relig. lib.*1. *sect.*3. *art.*2. *§.* 1. si nullius nomen in illos sacros fastus referretur, nisi prius in vitam, & mores cujusque ea diligentia, & cura fuisset inquisitum, quam solent adhibere Summi Pontifices, cùm aliquem Divorum catalogo adscribunt canonizationis ritu, certè tum reputat temerarium dubitare de sanctitate, aut æterna fœlicitate cujusquam eorum, quos Martyrologium celebraret. Quia multi existimant, licèt alii contra sentiant, hujusmodi solemnibus decretis Divorum sanctitatem fide sanciri, ut certam. Sed quotusquisque ait, est, quos Tabulæ Ecclesiasticæ nominant, qui eo examine, & ritu in hujusmodi fastis relatus sit, maximè ex antiquis Martyribus, qui Martyrologio adscripti sunt, manu, & fide alicujus Notarii, quem non est dubium fallere, & falli potuisse? 3

CON-

CONSULTATIO LXIII.

Quantæ ſint efficaciæ lectiones alicujus Beati, & approbatæ a Summo Pontifice ad effectum canonizationis?

1 NOn videntur eſſe ejus efficaciæ, ut quoad proſecquutionem canonizationis illis ſtari debeat, quemadmodum in ſpecie tradit Scacch. *de not. & ſign. ſanct. ſect.* 11. *cap.* 1. *ſub lit. B.* negandæ eſſe ultimum, ac ſupremum decretum in actu canonizationis, illudque conceditur, ut alicujus etiam Beatificati acta legantur in Eccleſia, aut fidelibus proponantur. Aliud, inquit, eſt concedere, ut legantur, & ad ejuſmodi effectum illa approbare, aliud verò ſimpliciter approbare, quæ leguntur.

2 At ego id falſum eſſe cenſeo, ſaltem de tacita approbatione, quæ æquiparatur expreſſæ in hac materia, ſufficitque in hoc caſu, actis illius Beati examinatis, atque diſcuſſis præſtitam fuiſſe fidem per Sedem Apoſtolicam, approbando hujuſmodi lectiones, itaut mereantur fidem in ordine ad canonizationem.

CONSULTATIO LXIV.

An, & quatenus aliqui deſcribi poſſint in Martyrologio Romano, uti jam excepti ab Eccleſia Romana pro Sanctis canonizatis?

1 NEgativè reſpondendum videtur, niſi conſtiterit de illorum canonizatione, quæ, cùm ſit, quid facti non præſumitur, niſi probetur ſecundùm Bald. *in leg. actor num.* 6. *ff. rem rat. hab.* & *in l. ſive poſſidetis n.* 7. *C. de probat.* Ita quidem, ut neque indulta celebrandi Miſſam, & officium eorum canonizationem probent, ſed penitus excludant, quatenus concepta ſub ea forma, qua Sedes Apoſtolica utitur in beatificatione privilegiata. Nam Pontifex, ut aliàs dixi, in canonizatione procedit, præſcribendo cultum Sancto canonizato per modum legis univerſalis, in beatificatione verò per modum conceſſionis indulti, & privilegii particularis, quia in beatificatione nihil ſtatuit definiendo ut Judex univerſalis totius Eccleſiæ, ſed tanquam Princeps in ea concedit facultatem, indultum, ſeu privilegium alicui Eccleſiæ, Provinciæ, aut Religioni particulari, ut poſſit celebrare Miſſam, & facere officium de tali Beato. An in canonizatione tanquam Judex univerſalis Eccleſiæ per definitivam ſententiam determinat, ac ſtatuit, quòd talis ſit Sanctus, deque illo fiat officium, ac Miſſa celebretur ab univerſa Eccleſia.

2 Hinc ſequitur, quod de Sanctis non canonizatis non poteſt miſſa celebrari, neque Officium fieri ab aliis perſonis, quàm ab expreſſis in indulto, neque alio die, aut loco, quàm in eo deſignatis, cùm talis cultus Beatificati omnibus ſit prohibitus, & ſolùm iis conceſſus, quibus ſpeciatim, ac expreſsè conceditur, ut docent Molfeſ. *in ſum. tom.* 1. *tr.* 11. *cap.* 6. *num.* 51. Torres 2. 2. *tom.* 1. *cap.* 13. *dub.* 8. Diana *par.* 2. *tr.* 15. *reſ.* 55. Lezana *conſult.* 2. *n.* 8. ſubdens, ita determinatum fuiſſe a Theologis Salmaticenſibus, favet Bordon. *reſ.* 30. *num.* 26. Quare nullo modo ejuſmodi indulta æquivalere poſſunt verbis definitivis decreti ſolemnis canonizationis relati a Rocch. *de canoniz. c.* 38. *pag.* 82. *& ſeq.* Lezan. *conſ.* 1. *n.* 72. *&* 73. ac Bordon. *contr.* 13. *n.* 12.

3 Neque ſuffrugatur, quòd dicta indulta non exprimant nomen Beati, ſed Sancti. Non enim vis canonizationis eſt in nuncupatione Sancti, ſed in ipſa definitione, qua declaratur Sanctus per ultimum judicium definitivum ſanctitatis, ac fruitionis æternæ gloriæ cum Deo. Quæ definitio cùm non legatur in indultis expreſſa, debet haberi pro privilegio affecta ad formam æquipollentem his, quæ expediuntur ſuper beatificatione, non autem pro ſupremis ſententiis definitis, ut æquipolleant literis decretalibus, quæ fiunt in teſtimonium ſolemnis canonizationis juxta differentias animadverſas a Contil. *de canoniz. cap.* 2. *num.* 3. Scacch. *de not. & ſign. Sanct. lib.* 1. *cap.* 8. præcipuè *ſub §. nec aliquem*, Lezan. *d. conſ.* 1. *num.* 60. & Bordon. *d. contr.* 13. *num.* 67. *&* 74.

4 Itaque ſecluſa probatione canonizationis, ex indultis nihil ad deſcriptionem in Martyrologio juvare videtur, quòd conceſſio miſſæ, & officii æquivaleat titulo beatitatis, ut rectè obſervat Scacch. *ſect.* 1. *cap.* 8. *lit. B.* cùm Aldanus *in compend. can. reſ. lib.* 1. *tit.* 18. *de ſanct. n.* 3. & Barboſa *in ſum. Apoſtol. dec.* 11. *v. Martyrolog. collect.* 464. *num.* 1. aſſeverent S. Rituum Congregationem limitatè conceſſiſſe, quòd Martyrologium de novo imprimi poſſet cum additione Sanctorum canonizatorum, non verò beatificatorum. Neque ex poſteriori deſcriptione B. Cajetani, fundatoris Clericorum Regularium 7. Auguſti, ac B. Magdalenæ de Pazzis 25. Maji ſpeciatim indulta ab Urbano VIII. deſtruenda eſt regula dicti decreti, neque in exemplum adducenda, quòd conſtituentium authoritate ſingulari jure fuit ob aliquam utilitatem contra eam receptum *per l. quod verò* 14. *cum binis ſeqq. ff. de legib.* Non enim privilegium uni conceſſum poteſt ad alium extendi propter identitatem rationis, *cap. ſanè* 9. *de privileg.* ubi expreſsè cavetur, non poſſe ab aliquo præſumi, quòd Romana Eccleſia voluerit ſingularibus beneficiis indulgere certa ratione, quæ ipſi etiam congruat, cùm privilegia ſingulorum nequeant facere legem communem 26. *q.* 2. *can. non exemplo* 4. Præſertim quando non exhibetur authographum, vel impreſſum inter Conſtitutiones Pontificias, ſed exemplum deſumptum ex Bullariis Regularium, quod nullam fidem facit, cùm probatio de jure fieri debeat autographo, non autem ex exemplo, Bald. *in l.* 2. *num.* 2. *ff. de fid. inſtit.* Quod probant etiam verba *l.* 2. *C. de diverſ. reſcr.* ubi Gloſſ. *v. non exempla* dixit, quod per originalia eſt probandum, ac ideò Gregorius *in c.* 1. *de fid. inſtr.* reſpondit, ſi ſcripturam authenticam non videmus, ad exemplaria nihil facere poſſumus.

Neque dicatur, id locum habere, quando agitur de 5
Beatis ſimpliciter, vel de beatificatis poſt annum 1616. quo S. Congregatio juſſit, ut ſupra dictum eſt, non verò de Sanctis antiquis jampridem pro talibus admiſſis in Eccleſia. Nam minus rectè id aſſeritur, cum probari non poſſit, & omnes literæ Apoſtolicæ, quæ indulta præceſſerunt, loquantur abſque ullo adjectivo Sancti, vel Beati. Etenim quæſtio facti exigit probationem facti juxta Bald. *in l. Aretuſa num.* 4. *ff. de ſtat. hom.* Et omnis probatio debet eſſe certa, & cadere in intellectu determinato modo, ut idem inquit *in l. ſi ex cautione num.* 18. *Cod. de non nu. pec.* adeòut non concludens id, de quo quæritur, non ſit probatio, *l. matrem*, ubi quoque Bald. *num.* 1. hoc in ſpecie notat *Cod. de probat.*

Minuſque prodeſt, quòd non ſolùm in Martyrologio, 6
ſed etiam in Breviario Romano fuerint deſcripti S. Romualdus, S. Nobertus, S. Bruno, & S. Stephanus Rex Ungariæ, quamvis eorum ſolemnis canonizatio non reperiatur. Id enim actum fuit, quoniam Eccleſia Romana eos definitivè habuit pro Sanctis, non autem per modum indulti, peculiaribus perſonis tantùm conceſſi, in quo rei cardo verſatur. Unde liquet, non refragari verba Scacchi *l. c. ſect.* 11. *c.* 4. *ſub lit. A.* quod Sanctorum nomine intelliguntur, qui canonizati ſunt, vel recepti ab Eccleſia Romana, ut canonizati.

Immò neque ad hanc deſcriptionem ſufficeret doce- 7
re, quòd iis fuerit olim exhibitus cultus publicus in Eccleſiis Regularium, ſi ponderetur, Gregorium XIII. in literis, quas eddidit 14. Januarii 1584. ſuper publicatione Martyrologii expreſsè prohibuiſſe, ne in illo deſcribantur Sancti ſoliti celebrari in Eccleſiis inferioribus, dicendo: *Si quos alios habuerint Sanctos in ſuis Eccleſiis, aut locis celebrari ſolitos, habeant.* Innuit enim Summus Pontifex non valere hujuſmodi conſequutionem. Aliqui fuerunt ab antiquo pro Sanctis habiti in veneratione certis in locis, & Eccleſiis: ergo ſunt deſcribendi in Martyrologio Romano. Quod perpendit etiam Scacch. *d. ſect.* 11. *lit. C.* Quin aſſertæ antiquitatis fundamentum retorquetur, dum liquet non profuiſſe ad deſcriptionem in Martyrologio, toties edito, ac emendato. Neque omittendum quòd decretum, ut deſcribantur, extenderet venerationem illis limitatè permiſſam. Nam fieret univerſalis in tota Eccleſia, cùm Martyrologium nuſquam non recitetur.

Tandem ne dicas, quòd non agitur de beatificatis, 8
ſed de antea communiter habitis pro Sanctis canonizatis, ac pro talibus admiſſis a Pontifice. Nam prius acclamativè tantùm dicebantur Sancti, ſicut de Chriſtophoro Franciſcano aſſeruit D. Anton. *part.* 3. *hiſt. tit.* 23. *cap.* 7. *§.* 13. ibi; *quem poſt mortem multis miraculis clarum, ſanctum populus declaravit*, ad rem relatus a Molfeſ. *conſil.* 45. *num.* 27. qui ſubdit, de hiſce intelligendam eſſe communem Doctorum ſententiam, quòd in eorum honorem neque officium, neque Miſſa dici valeant, & poſtquam ſupervenerunt indulta, cœpiſſe tales dici nuncupativè, cùm Pontifex in illis Sanctos nuncupaverit, ut eo loco inquit Molfeſius *num.* 20. Verùm quia addidit facultatem celebrandi feſtum cum officio, & Miſſa limitatè, dictæ nuncupationi acceſſit Pontificia declaratio, æquipollens declarationi beatitatis, de qua Molfeſius *conſil.* . . *num.* 25. non autem decreto definitivo canonizationis, quod S. Congregatio exigit in dicto decreto ad deſcriptionem Sanctorum in Martyrologio, explicitè loquendo de Sanctis canonizatis, non ſimpliciter,

ut il-

ut illis etiam convenire poſſit, quos Sedes Apoſtolica Sanctos nuncupavit citra canonizationem. Nec ideò quidquam refert, quòd habuerint cultum ab immemorabili, quia non exceſſit limites Sanctitatis acclamativè, ſufficientis per ſe ad celebrationem Miſſæ, & officii, quæ propterea impetratur a Sede Apoſtolica, ſed limitatè ad æquipollentiam beatitatis, non autem plenè juxta decretum canonizationis.

9 Verùm tamen dicendum eſt, poſſe referri in Martyrologium illos, qui ab immemorabili, uti Sancti ſolemniter canonizati fuerunt habiti, ac uti talibus per univerſam Eccleſiam ille cultus ſemper fuit exhibitus, qui Sanctis ſolemniter canonizatis ſolet exhiberi, non ſolùm per nuncupationem Sanctorum, ſed etiam per erectionem Eccleſiarum, & altarium cum eorum imaginibus, diademate inſignitis, ac per venerationem luminum, & cujuſvis alterius cultus, quæ inſtituuntur, & enumerantur inter ſeptem honores præcipuos ſolis canonizatis debitos a Bellarmin. *de Sanct. beat. lib.* 1. *c.*7. & annotaverunt antea Panvin. *in relat.* S. Bonav. paulò *poſt. init.* ac ſequitur Caſtellan. *de canoniz. cap.*9. & Contilor. *eod. argum. cap.*22. *num.*14. Præcipuè ſi ob temporum injuriam literæ decretales eorum canonizationum admiſſæ fuerint, quod multis accidit, qui uti Sancti ab Eccleſia catholica recepti ſunt, & a ſcriptoribus canonizati affirmantur. At præcipuè ſi extent literæ Apoſtolicæ ſuper conceſſione eorum officii, ac Miſſæ, quæ non ſint beatificationes, aut ſimplicia indulta, qualia pro Beatis ſolent concedi, ſed qualia a Sede Apoſtolica fieri ſolent pro Sanctis communiter receptis, immò etiam ſolemniter canonizatis. Illæ enim aut ſolemnem canonizationem ſupponunt, aut ſaltem tacitam inducunt ita, quòd ex vi illarum declaratum maneat ipſos pro Sanctis canonizatis haberi, aut pro talibus ab Eccleſia Romana, Chriſtique Vicario ex eo tempore manere receptos.

10 Primò enim in indultis Beatorum conceditur facultas officii recitandi, & Miſſæ celebrandæ ad tempus, nempè donec aliud a Sede Apoſtolica ſtatuatur, vel ad eorum canonizationem deveniatur, ex quo oſtenditur, cauſam eſſe pendentem, & nondum abſolutam. Unde ſemper, aut plerumque inſcribuntur, *Ad futuram rei memoriam*, & in corpore illorum non aſſeritur, quòd conceſſio ſit pro perpetuis futuris temporibus, ſed ſolum pro futuris. An in iſtis literis conceſſio eſt in perpetuum, ut apparet non ſolùm ex inſcriptione ad perpetuam rei memoriam, ſed etiam ex earum diſpoſitione. Ex quibus intelligitur cauſam non remanere adhuc pendentem, ſed eſſe abſolutam.

11 Secundò, quia in literis Beatorum, ipſi non nuncupantur Sancti, at in hiſce literis nuncupantur Sancti abſolutè, quo evincitur, non eſſe ſimplicia indulta, quæ beatificatis concedi ſolent, ſed longè quid majus, quod vel canonizationem ſupponit, vel tacitè inducit. Quamvis enim canonizatus promiſcuè appellari poſſit Beatus, aut Sanctus, non tamen è contra Beatus poteſt appellari Sanctus, ut advertit Malvet. *dub.* 1. *num.* 21. & Chaſſan. *in catal. conſid.*96. *par.*3.

12 Cùm ergo in Martyrologio Romano illi Sancti deſcribantur, qui vel canonizati ſunt, vel ab Eccleſia Romana recepti tanquam canonizati, quemadmodum ait Scacch. *d. ſect.*11. *cap.*5. *§. fin.* Immò in illo etiam deſcripti ſint nonnulli, qui ſolùm ſunt beatificati, & quorum canonizationes adhuc erant ſub Judice, ſicuti B. Cajetanus, B. Philippus Benitius, & B. Magdalena de Pazzis, jure, ac merito videtur poſſe etiam deſcribi illos, qui non ſolùm beatificati ſunt, ſed aut ſolemniter canonizati, aut ſaltem ab Eccleſia Romana tanquam canonizati recepti.

13 Quinimmò plerique iſtorum non modò in Martyrologium Romanum, ſed etiam in Romanum Breviarium relati ſunt, ut S. Romualdus, S. Norbertus, S. Bruno, & S. Stephanus Rex Hungariæ, qui, licèt nunquam fuerint ab Eccleſia ſolemni ritu inter Sanctorum ordinem adſcripti, eorum tamen officia in Breviario Romano ex indulto Sedis Apoſtolicæ fuerunt poſita, ut teſtatur idem Scacch. *ea ſect.* 11. *cap.* 1. *§. Remanet igitur.* Quia ratione immemorabilis cultus uti Sancti canonizati recepti ſunt.

14 Multumque ad rem facit, ſi iſti Sancti reperiantur deſcripti in aliis Martyrologiis. Quamquam enim juxta Cardinalem Baronium *de Martyrolog. cap.*9. *& ſeq.* ac Scacch. *dict. ſect.*11. *cap.*4. ſolum Martyrologium Romanum ſufficientem videatur habere fidem, & authoritatem non autem alia, cùm ſint placita privatorum, quæ in nullo ſunt numero, id tamen intelligi debet ad effectum canonizationis, vel beatificationis, ut placuit Scacch. *cit. ſect.*11. *cap.*4. ad alios verò effectus, & maximè ad effectum illos deſcribendi in ipſo Martyrologio Romano, alia Martyrologia aliquam faciunt probationem. Quo argumento utitur Lezana *conſult.* 2. *num.* 23. qui ex Martyrologiis tum antiquis, tum novis infert ad recitationem officii. Quod ſanè plus eſt, quàm deſcriptio in Martyrologio Romano.

Undè non obſtat, quòd non conſtet de canonizatione ſolemni. Quoniam ad diem feſtum agendum de aliquo, officium recitandum, & in Martyrologio illum deſcribendum non eſt neceſſaria ſolemnis canonizatio, ſed ſufficit cultus immemorabilis, ac eſſe ab Eccleſia receptum tanquam canonizatum, atque habere Pontificium indultum pro recitatione officii, ac Miſſæ in ejus honorem cum abſoluta nuncupatione Sancti. Quæ omnia canonizationi æquivalent. 15

Et ſanè, ſi ſola poſſibilitas accedendi ad corpus alicujus Servi Dei non canonizati in tumulo ſub pavimento exiſtens; ſi ſola enunciatio Beati ab aliquo ſcriptore facta, ſi ſola enunciatio alicujus devoti, orationis, & antiphonæ ad laudes, & ad veſperas tanti æſtimantur, ut pro cultu ſolis canonizatis exhibendo in contumaciam decretorum Urbani VIII. habeantur, quanti facienda eſt publica expoſitio Reliquiarum, & imaginis cum diademate ſuper altari, illarum delatio in publicis ſupplicationibus, publica ſolemnitas diei anniverſariæ, altarium, & Eccleſiarum erectio, nuncupatio Sancti, non popularis tantùm, ſed ipſius Summi Pontificis in literis Apoſtolicis, re maturè conſiderata, & præcedente proceſſu ſuper immemorabili? Certè quòd exiſtimari debet argumenta largè ſufficientia ad demonſtrandum cultum hiſce Sanctis exhibitum non eſſe talem, ut convincat eos pro canonizatis fuiſſe habitos ex hoc tantùm, quòd Miſſa, & officium ante præfatas literas in eorum vim celebrari, ac recitari non præſumatur, quaſi quòd ſi antea implicitè ex tolerantia, & permiſſione Sedis Apoſtolicæ, & in vim immemorabilis celebrari, ac recitari contigiſſet, non licuiſſet ad eamdem ſanctam Sedem recurſum habere pro explicita conceſſione, atque indulto. Neque aliud ex conſuetudine Eccleſiæ Romanæ requiritur, aut allegari poteſt pro innumeris Sanctis veteris, ac novi Teſtamenti, qui in Martyrologio Romano ſunt deſcripti, quandoquidem vix reperiuntur ducenti ſolemniter canonizati inter tot Sanctorum millia, qui in eo leguntur. 16

Minuſque obſtat, quod indulta celebrandi Officium & Miſſam hujuſmodi Sanctorum ſint præcisè ſimplicia indulta Beatorum, aut illis æquivaleant. Notavimus enim maximam differentiam, quæ ex variis capitibus verſatur inter indulta ſimpliciter Beatorum, & indulta Sanctorum hujuſmodi. Nam ex eorum diſpoſitione, & abſoluta nuncupatione Sanctorum a Romano Pontifice rem directè tractante, atque de eorum cultu expreſsè ac formaliter agente, planè convincitur, quòd licèt non ſint ſententiæ per modum expreſsè definitionis, ac legis, ſunt tamen quædam canonizationes, ſeu determinationes tacitè ſuper eorum ſanctitate, & cultu. Maximè autem ſi cultus, & titulus Sancti non habuerit initium ab indultis Apoſtolicis, ſed ipſa indulta fuerint conceſſa ex præcedenti immemorabili cultu, & nuncupatione Sanctorum per univerſum Orbem Chriſtianum, non ſolùm cum tolerantia, & approbatione omnium Epiſcoporum, ſed etiam ipſius Romanæ Sedis. Neque negari poteſt, quin titulus Sancti differat a titulo Beati. Ergo dum Pontifex dixit Sanctos, non poteſt intelligi, quòd ſint tantummodò Beati. Sicuti etiam affirmo, hæc verba differre a decreto canonizationis allegato a Roccha, & ab aliis, inhærendo cœremoniali Romano ſub Leone X. quia ſi non differrent, non eſſet canonizatio tacita, ſed expreſſa. Nego tamen convenire cum indultis Beatorum, quia nuſpiam reperitur, quod Beatus titulo Sancti a Pontifice, ſervatis ſervandis, nuncupetur. 17

Neque etiam ex eo, quod conceſſio diei feſti, Miſſæ, & officii ſit ſolùm pro aliquo ordine regulari, & non pro univerſa Eccleſia, convincitur, indulta hæc eſſe præcisè beatificationes, aut illis ſolùm æquivalere. Quoniam licèt in diplomatibus canonizationum ut plurimum præſcribatur, quòd Sancti canonizati in die eorum obitus Miſſa, & officium a fidelibus celebrentur, conceſſio tamen iſta impleri non poteſt, niſi ex novo decreto S. Rituum Congregationis, ut poſt Gavantum, & Barboſam obſervavit Lezana *d. conſult.*2. *n.*5. ex decreto ejuſdem Sac. Congregationis ſub die 9. Decembris 1628. Quod decretum officii, ac Miſſæ pro talibus ſolemniter canonizatis perſæpè ſolùm extenditur ad peculiarem locum, Religionem, vel Provinciam, aut ad determinatas perſonas. Unde non valet argumentum: Miſſa, & officium hujus Sancti nequit celebrari, niſi in 18

tali

tali loco, ergo non est canonizatus. Multò minus officium hujus Sancti nequit celebrari ab omnibus, ergo non potest referri in Martyrologium: quia plures sunt canonizati solemniter, quorum officium celebrari tantùm potest in determinato loco, ut de Sanctis Isidoro Agricola, Andrea Corsino, & aliis constat, & in Calendario, sive Breviario Romano vix sunt positi ducenti, at in Martyrologio Romano multa millia sunt descripta. Atque hæc indulta concessa fuerunt S. Romualdo, S. Norberto, S. Brunoni, S. Stephano Regi Ungariæ ante eorum descriptionem in Breviario Romano, ratione quorum, ac similium concedimus, eos esse ab Ecclesia definitivè receptos uti Sanctos, tacitè tamen, cùm nulla illorum præcesserit solemnis, & expressa canonizatio. Enim verò multæ, ac diversæ decretales reperiuntur, quæ ab Joanne XV. in canonizatione S. Ulderici usque ad Bonifacium VIII. in canonizatione S. Ludovici Francorum Regis, factæ sunt. Et omnes peculiaribus Episcopis, & pro peculiaribus locis directæ fuerunt, ipseque Bonifacius ex omnibus Pontificibus primus fuit, qui hujusmodi literas universis Christi fidelibus direxit.

19 Itidem non obstat decretum S. Rituum Congregationis de non describendis in Martyrologio Romano iis, qui post ultimam illius impressionem fuerunt declarati Beati. Primò, quia non agimus de Sanctis, qui post ultimam impressionem Martyrologii sunt declarati Beati, sed de Sanctis, quibus ante illius impressionem exhibebatur cultus immemorabilis, & Sancti nuncupabantur, & qui, hoc cultu, ac nuncupatione approbata, post dictam impressionem, non sunt solemniter declarati Beati, sed uti canonizati ab Ecclesia recepti tacita quadam canonizatione. Secundò, quia hoc decreto non obstante, fuit descriptus in Martyrologio B. Cajetanus, & alii, qui post illius ultimam impressionem sub anno 1629. ab Urbano VIII. fuit declaratus Beatus, maximè
20 si intercedat aliqua utilitas, quæ sit aliis exemplo.

Pari modo ad id, quod dicitur ex Greg. XIII. quod scilicet prohibuerit inseri in Martyrologio Romano Sanctos illos, de quibus speciatim in aliquo loco fit officium, respondetur, quòd in ejus literis prohibetur tantùm horum Sanctorum in Martyrologio Romano descriptio privata authoritate, non autem authoritate Ecclesiæ, ut patet in pluribus, quorum officium celebratur duntaxat in peculiaribus Ecclesiis, & tamen post eumdem Gregorium eorum nomina, in Martyrologium Romanum ab Apostolica Sede relata sunt.

21 Neque absurdum videtur, quòd ex hac descriptione illorum cultus extenderetur, cùm ex indulto limitatus sit pro eorum Religione. Quia præter id, quod passim in Ecclesia extensiones istæ ex gratia Sedis Apostolicæ fieri solent, quæ gradatim in his rebus procedit, ut annotat Contilor. *cap.2. n.7. & 9.* hæc extensio fit sensim, moderatèque in iis, qui jam habent indultum Missæ, & officii. Quia licèt solùm possint celebrari ab iis, quibus facta est concessio, possunt tamen ab omnibus audiri, & hoc modo omnibus coli tanquam Sancti. Et sicut est solius Sedis Apostolicæ Sanctorum honorem, cultumque decernere, ita etiam inter illos unum pro alio extollere, ac pedetentim, & gradatim eorum cultum extendere, ut post Glossam, & Doctores *in c.un. de reliq. & ven. Sanct. in 6.* tradit Castellan. *q.3. §. decimo facit.*

22 Denique non refragatur, quod licèt sint Sancti antiqui, non ideò fuerint in Martyrologio, toties aucto, & emendato, descripti. Nam id potius tribuendum est divinæ providentiæ, quæ illos retinuit describendos tempore opportuno, quemadmodum respondit Ambrosius, & Augustinus, cùm interrogarentur, quare corpora Sanctorum Gervasii, & Protasii fuerint inventa ante inventionem corporis S. Stephani, qui fuit antiquior, ut ex Thoma Udaldensi *c.123. & seq.* tradit Sign. *de cult. reliq. c.2. §. quæritur.*

CONSULTATIO LXIV.

An & quatenus apparitiones Christi, B. Virginis, Angelorum, & hujusmodi viris Sanctis factæ, describi possint in Martyrologio Romano?

1 NEgandum videtur, quia describi non solent. In Martyrologio enim Romano unica tantùm legitur apparitio in Monte Gargano S. Michaelis Archangeli, tanquam a Deo constituti Ecclesiæ universalis Patroni, ac Protectoris, ut Baronius inquit in notis die 8. Maji. Neque Romanos Pontifices in illo descripsisse legitur apparitionem B. Virginis, cum insigni miraculo Nivis mense Augusti, sed contentos fuisse dicere. Romæ in Esquiliis dedicatio Basilicæ S. Mariæ ad Nives. Quare id non videtur permittendum. Tum quia ea, quæ fieri non solent, reputantur impossibilia, *l. cum servus 36. §. ultim.* ibi: *cum distrahi non soleant, de legat. 1.* ubi Everard. *loc.* 104. ab usitato, seu a solitis *n.13.* ubi ait probari illud esse impossibile, quod ex sola voluntate Principis dependet, quando non consuevit illud concedere. Tum quia insolitum est, & gravi exemplo, sicut ait Imperator *in l.2. C. de quæst.* ibi: *Insolitum est, & gravi exemplo audiri.* Qui propterea *in l. solita 3. C. de cohortal. lib.12.* consultò dixit, solita privilegia concessa fuisse, ut moneret insueta minimè petenda, nec concedenda esse. Immò additur, quod quantumcunque generale foret mandatum a Sede Apostolica S. Rituum Congregationi datum, ut faceret omnia, quæ ipsa Sedes facere potest, non tamen illud trahi posset ad ea, quæ plerumque non solent fieri secundùm Bart. *in l. scio 10. §. medico n.3. ff. de ann. leg.* Alex. in addit. ad Bartol. *in l. solitum 11.* quam expositi sub *leg. si rem alienam 9. §. sed si procurato lit. A. sub initio, ff. de pign. act.* Felin. *in cap. sedes 15. num. 25. de rescript.* Nam quævis ampla facultas intelligenda est de communiter, ac ut plurimum consuetis, non autem de his, quæ rarò, aut omninò extra consuetudinem fiunt. Everard. *d. loc. n.13.* Undè diligenter custodiri debet jam traditum, & observatum, nec superinduci, ac introduci aliquid, quod non invenitur, neque legitur actum, ut dicitur *in com. quis nesciat 11. d. 11.* Ex quo infert Glossa *in cap. consuetudinis 9. v. vel novas in fin. de consuet.* quod reprehendit eos, qui novitates inducunt.

Neque ex descriptione hujusmodi apparitionum in 2
Martyrologio tantæ Ecclesiæ universalis utilitas deducitur, ut perneceſſe impellat ad rem novam, hactenus insuetam admittendum, monente Ulpiano *in l.2. ff. de constitut. Princip.* quod in rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum visum est. Ex quo idem in proposito repetit Glossa *d. v. vel novas*, ac Butr. *consil.42. n.2.* respondit, quòd jura præsumunt adversus novitates statuti contra antiquam consuetudinem Ecclesiæ, non apparente nova causa evidenti. Quod persæpè discordias etiam parit juxta naturam novitatum, ut scripsit Honorius III. sub initio *d. cap. Cum consuetudinis*, & Benedictus XI. *in extrav. Inter cunctas de priv.* Verissimumque exist it illud Aristotelis *polit. lib.5.* Haud facilè, neque sine magno motu mutari posse quòd longo tempore radices egit. Mutationem consuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbare.

Minusque replicetur, hoc postulari in honorem Chri- 3
sti, B. Virginis, & Sanctorum. Nam respondetur cum D. Bernardo *ep.174.* quod non debet ex hoc Ecclesia judicii plena novitatibus acquiescere.

His tamen minimè attentis, censeo posse in Marty- 4
rologio Romano describi apparitiones, ac revelationes ejusmodi, cum hisce tamen conditionibus. Primò, si sint certæ, de quibus vide cautiones apud Cardinalem Bona *de discrept. spirit. cap.15. 19. & seq.* & apud nos *tom.1.* Secundò, si sint ordinatæ ad bonum publicum Ecclesiæ. Tertiò, si conducant ad manifestanda merita, & honorem apparentium. Quartò, si excitent populos ad devotionem.

Quoad certitudinem, illa constare debet ex fua no- 5
torietate, ac publica fama, quæ quidem originem habere debet ex testimonio illorum, quibus factæ sunt apparitiones cum matura approbatione Sedis Apostolicæ. Considerando etiam dignitatem personæ, cui factæ sunt, modum, quo factæ sunt, an subobscurè, & quasi sub velamine, an verò facie ad faciem, & cum omnimoda claritate, numerum, & qualitatem personarum, quibus factæ fuerunt.

Quoad finem. Illæ non debet esse peculiaris, seu ad 6
alicujus singularis personæ, aut Communitatis bonum spectans, sed esse, ac appellari debet universalis, ac spectans ad universalem Ecclesiæ statum, utilitatem, & bonum commune exemplo descriptionis S. Michaelis Archangeli, quæ totius Ecclesiæ causa præcessit.

Quoad merita, & honores apparentium. Non enim 7
videtur justum, eos privare cultu, ac honore illis debito.

Et quoad populorum devotionem excitandam. Quia 8
hæc est una ex præcipuis rationibus, quas habet Ecclesia in festivitatibus Sanctorum instituendis, ut patet in singulis Canonizationum decretalibus, in quibus per Apostolica scripta mandatur, quatenus canonizati dies obitus a fidelibus colatur, & celebretur, ut eum imitantes, ipsius intercessionibus ad cœlestia Regna fœliciter perducantur. Et hæc ratio adducitur promiscuè a Doctoribus pro decore, & necessitate canonizationis Sanctorum, nominatim ab August. *de Ancon. quæst.15. art.2.*

Bellar-

Bellarmin. *lib.1. cap.7.* Panvin. *in relat.* S. Bonavent. *p.2. art.* 10. & docet D. Auguſtin. *ſerm.47. de Sanctis : Ab eis Sanctorum Martyrum in veritate feſtiva gaudia celebrantur, quæ ipſorum Martyrum exempla ſequuntur. Solemnitates enim Martyrum exhortationes martyriorum ſunt, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat.*

9 His itaque præmiſſis, nullum poteſt eſſe inconveniens, quod in Martyrologio Romano apparitiones hujuſmodi deſcribantur, neque poteſt adduci ratio ſufficiens ad præfigendum illarum numerum. Et quamvis verum ſit, quòd in eo non fiat expreſſa mentio Apparitionis S. Mariæ ad Nives, ſit tamen expreſſa, & ſolemnis in Breviario Romano, id quod majoris eſt momenti.

CONSULTATIO LXV.

De probatione miraculorum, deſumpta ex publica voce, & fama.

1 PRimùm agi debet de rebus antiquiſſimis, memoriam hominum excedentibus, in quibus concluſio illa, quòd fama plenè probet, nullam habet difficultatem, præcipuè quando cum ea concurrunt adminicula ex publicis tabulis, ex codicibus, ex vitis manuſcriptis, ex teſtimoniis Sanctorum, ex literis Pontificum, ex plurimorum hiſtoricorum aſſiduo conſenſu. Eòque magis, quando parti, quæ utitur probationibus per famam, imputari non poteſt, quod negligens fuerit in proſpiciendo ſibi de aliis probationibus per acta, & documenta publica juxta ea, quæ annotant Doctores *in c. Veniens* 1. ſpeciatis Abb. *n.8.* & melius Felin. *ſub n.16. de teſtib.*

2 Secundùm, quòd licèt hujuſmodi probatio per famam cum adminiculis admitti non conſuevit, niſi in cauſis gravioribus, qnando agitur de facto recenti, tamen quando agitur de facto antiquo ultra centum annos, illa pro ſufficienti habetur non ſolùm in cauſis modici præjudicii, vel quæ privata hominum commercia concernunt, ſed etiam in cauſis graviſſimis, & maximi momenti, ut per Butrium, & alios communiter *in d.c. Veniens*, Maſcard. *de probat. concl.*753. *n.8.* & Farinac. *de teſtib. q.69. c.3. n.*135.

3 Et ideò ubi factum eſt adeò antiquum, ut hominum memoriam excedat, illa admittitur in cauſis dominii, ac imperii ſuper aliqua civitate, vel Ducatu inter Univerſitates, Principes, ac Reges, Bald. *in leg. proprietatis n.4. C. de probat.* Felin. *in d. c. Veniens num.3. de teſtib.* idem Bald. *in l. conventicula n.8. C. de Epiſcop. & Cler.* ubi ex dicto Cardin. Fabrenſis docet, ad probandum dominium Eccleſiæ Romanæ ſuper Civitates, quas poſſidet ab antiquo tempore, ſufficere famam. Quòd ſequitur Roman. *in l.2. §. idem labeo col.2. ff. de aq. pl. arc.* & Marſil. *in rubr. C. de prob. n.60.* In cauſis criminalibus, etſi in illis probationes evidentiſſimæ requirantur, Clar. *in pr. §. ult. q.6.* & ibi latè Adjunctor. In cauſis ſtatus, ut plenè fuit deductum a Rota in Parmen. ſtatus 18. Junii 1626. coram Coccino. In cauſis decimarum, etiamſi agatur de jure decimandi ad favorem laicorum, quibus expreſsè jus reſiſtit. Nam ſufficit, data poſſeſſione temporis competentis, probari privilegium per famam, ut ſusè Rota *dec.*702. *n.1. p.1. rec.* ac ſæpè in aliis. In cauſis matrimonialibus, etiamſi agatur de probandis impedimentis dirimentibus juxta notata *in can. ſi duo* 35. *q.6. in c. ſuper eo, de conſangu. & affin. c. licèt ex quadam de teſtib.* & juxta tradita a Veral. *dec.*358. *p.3.* Sanch. *de matr. lib.2. diſp.* 45. *q.4. n.*34. Maſcard. *de prob. concl.*1034. *n.*23.

4 Ac denique in cauſis canonizationum, ad probandum miracula antiqua ultra centum annos, & tradit Caſtellan. *de canonizat. q.7. §. ſi autem ageretur*, ſicuti revera ſæpius admiſſa fuit hujuſmodi probatio per famam cum adminiculis in canonizationum cauſis, ut in relatione S. Franciſci de Paula *fol.*45. *§. Suadentur cum ſeqq.* S. Didaci *fol.*31. *§. non invenimus, fol.*37. *§. prædicta ex publica voca, & fama* S. Raymundi *par.2. mirac.1. in vita & mirac.* 1. 2. *& 3. poſt mortem*, S. Iſidori *mirac.1. in vita, & mirac.4. poſt mortem*, S. Eliſabethæ Reginæ *mirac.1. 2. 3. 4. 5. & 6. in vita, & mirac.6. poſt mortem*, S. Andreæ Corſini *par.4. §.1. & p.5. §.1. 2. & 3.* S. Petri de Alcantara *mirac.1. & 2. in vita*, S. Cajetani *mirac.1. in vita*, & aliis congeſtis in relatione S. Rotæ *ſub tit. de ſanctitate in genere §. ſecundum eſt famæ circa finem.*

5 Tertiò, quod publica vox, & fama uniuſcujuſque miraculi, de qua deponunt teſtes, non habeat originem a tabulis publicis, ſed ex traditione majorum, a quibus teſtes examinati ſingula miracula recenſeri audiverunt, prout ipſi expreſsè deponere debent in cauſa ſcientiæ, quam non debent deducere ex tabulis, ſed ex ſola ipſa majorum traditione, licèt in narrativa depoſitionis ad ſingillatim dicendum miraculum, ſuper quo deponunt, cogantur illud exprimere cum relatione ad ipſas tabulas.

Quod ſi dubitetur, undenam originem habuerit hæc 6
majorum traditio, ex qua deducitur fama miraculorum, facilè reſponderi poteſt, eam potuiſſe habere originem ab iis, qui miraculis interfuerunt, vel etiam ab iis, qui legerint vetuſtiſſimos codices miraculorum, vel etiam ex aliis documentis. Cùm enim de hujuſmodi traditione majorum continua, per tempus excedens memoriam hominum, deponant teſtes omnes conſtituti in ætate ſupra quinquaginta quatuor annis cum omnibus requiſitis ad probandum immemorabilem, de quibus Gloſſa *in c.1. de præſcr. in 6.* & nos alibi, non tenemur docere plenè ac perfectè de certa origine, ſed poſſumus allegare quodlibet initium, ac titulum magis favorabilem, ut ex Seraph. *dec.*707. *n.3.* Rota *dec.11. n.4. p.2. rec.* cum vulg. aliis. Tantò magis cùm de aſſidua fama miraculorum ab antiquiſſimo tempore, quo contigerunt ad hæc uſque tempora, conſtet etiam ex aliis hiſtoriis, & documentis.

CONSULTATIO LXVI.

De adminiculis antiquarum tabularum, an ſcilicet illa, & quatenus fidem indubiam miraculorum faciant?

UT veritas facti, quæ deſumitur ex ſcripturis anti- 1
quiſſimis, firmetur, licèt nullius publicæ perſonæ ſubſcriptione muniantur, tot ac tantis fulciri debeat adbeat adminiculis, ut probationem certam facere videantur *can. fin. in princ.24. q.2.* ubi Gloſſa *v. diptychis*, Specul. *de prob. §. videndum reſtat, num.*12. Præcipua ſunt iſta.

Primùm, maxima antiquitas ſcripturæ, quæ proba- 2
tur non ſolùm ex tempore in ea annotato, verùm etiam ex illius inſpectione, utpotè quæ injuria temporis apparet corroſa, & characteribus ob vetuſtatem obliteratis, vel penè deletis. Antiquis autem ſcripturis lux veritatis aſſiſtit, itaut quamvis ſint informes, faciunt tamen ſaltem ſemiplenam probationem, Fel. *in c.2. n.*10. *de fid. inſtr.* & obſervant omnes *in c. Cum cauſam de probat.* Aym. *conſ.*158. *n.*5. Soccin. *conſ.*186. *in fin. l.*5. ac latè Maſc. *concl.*111. *n.*8.

Secundò, ejuſdem ſcripturæ fidem auget locus, è quo 3
extrahitur. Debet enim per Judices compulſoriales, ſervatis ſervandis, compelli ex publico archivio, ubi & alia publica documenta aſſervantur. Scripturis namque ab archivio legitimè extractis fides dari conſuevit *l. conſenſus* cum ibi annotatis, *ff. de prob. auth. ad hæc*, ibique Bartolus, & alii *C. de fid. inſtr.* Cravet. *de antiq. temp. p.1. §. quarto limitatur n.1. & ſeqq.* ac fuit ponderatum *in relatione* S. Hyacinthi *§. ſecundò ſumi poteſt.*

Tertiò, dum concurrit publica exiſtimatio, & appro- 4
batio communis non ſolùm totius populi Civitatis, vel diœceſis, ubi ſemper pro veris ac indubitatis habita fuerunt miracula deſcripta in hujuſmodi ſcriptura, & deponere debent teſtes omnes de publica voce, & fama, verùm etiam exterorum, inter quos præcipuè ſcriptores graviſſimi. Hæc enim communis populi exiſtimatio indubitatam reddit fidem ſcripturæ, & quodammodo eam publicam facit ad notata per Bald. *in leg. exemp. num.3. C. de prob.* Cardin. *conſil.*72. *num.*8. Felin. *in cap. ad audientiam num.16. de præſcript.* & fuit dictum in citata *relatione* S. Hyacinthi, *§. nam quamvis*, & S. Raymundi *p.1. art.5.*

Quartò, ſi in hac ſcriptura ita accurratè, diligenter- 5
que omnia deſcribantur cum appoſitione diei, anni, indictionis, Pontificatus, & inſcriptionis teſtium, qui unicuique miraculo interfuerunt, vel tunc temporis ſuper illis depoſuerunt, ut videatur omninò publicum documentum per ea, quæ tradit Dec. *in c.2. n.25. & ſeqq. de fid. inſtr.* Cravet. *d. p.1. §. viſo n.9.* & Maſchard. *de prob. concl.*132. *n.3.*

Quintò, maximum præbet hujuſmodi ſcripturæ ve- 6
ritatis argumentum, quòd illa ab antiquiſſimo tempore antequam in Archivium illata fuerit, ſemper permanſit publicè, & palam expoſita ad ſepulchrum Servi Dei, videntibus, & patientibus Ordinariis pro tempore, ut probari debet ex depoſitione teſtium. Si qua enim dubitatio, vel levis ſuſpicio ſuborta fuiſſet circa veritatem miraculorum, quæ in ea continentur, nunquam ſanè toleraſſent Ordinarii, eam tanto tempore in publico expoſitam fuiſſe, ſed in viſitationibus Eccleſiæ illam amoveri omninò curaſſent, ut de jure præſumendum eſt ad notata per Doctores *in cap. illud, de præſumpt.* Gloſſa *in cap. dilecto v. admiſiſti, de prob.* Cravet. *d. p.1. §. octava datur n.12. & ſeqq.* Quantum autem in his tribuendum ſit tolerantiæ Ordinariorum, conſtat ex decreto Urbani VIII.

ni VIII. de cultu, ac veneratione Sanctorum edito anno 1625. in quo inter cætera approbatur illorum veneratio, quæ cum ſcientia, & tolerantia Ordinariorum ab antiquiſſimo tempore coluntur.

7 Sextum adminiculum deducitur ex obſervatione ſubſequuta, quatenus propter miracula in hujuſmodi ſcriptura deſcripta Dei Servum communiter omnes in civitate, & diœceſi, atque alibi coluerunt, ac etiam hodie colunt, tanquam Sanctum. Et quod fortiſſimum eſt, ſi decreto Ordinarii cautum fuerit, ut dies, quo ille obiit, in ejus honorem feſtus celebraretur. Ut propterea dubitari non poſſit, quin veritati miraculorum, quæ in ea deſcripta ſunt, congruat antiqua, & publica obſervatio, quæ quidem ſufficere ſolet ad hoc, ut ſcripturæ, etiam privatæ, ac informi fides præſtetur, juxta doctrinam Cyni, & Bartoli inter conſilia Baldi 400. *n.* 5. & 6. & ipſius Baldi *conſ.* 402. *in fin. lib.* 5. Cravet. *d. p.* 1. *§. limitatur n.* 18. traditque Rota coram Coccino *dec.* 128. *n.* 7. & *dec.* 258. *num. item* 7. atque aliàs, & in ſæpè citata relatione S Hyacinthi *§. tertium adminiculum.*

8 Septimum, ſi concurrat comprobatio eorum, quæ tàm in exordio ſcripturæ referuntur de alicujus Servi Dei familia, dignitate, patria, meritis, officiis, obitu, ſepultura, quàm quæ mox de tempore, indictione, ac de aliis circumſtantiis temporis, perſonarum, & locorum, quæ in ſingulis miraculis enunciantur, ut proindè ex illius comprobatione in tot partibus, in cæteris quoque pro vera, & indubitata haberi debeat, Caſt. *conſ.* 301. *ſub num.* 4. *p.* 1. Pariſ. *conſil.* 90. *nu.* 4. & 5. *lib.* 1. Gabr. *de præſumpt. concluſ.* 5. & plenius Rota *deciſ.* 813. *n.* 15. & *ſeqq. p.* 1. *div.* & coram Gregorio *dec.* 62. *n.* 8. & *dec.* 535. *n.* 1. ac aliàs ſæpè.

9 Octavum, removet omnem dubitationem circa veritatem miraculorum, quæ in hac ſcriptura recenſentur, ſi aliundè conſtet, Dei Servum, non modò in vita, ſed etiam poſt obitum plurimis claruiſſe miraculis, uti ex Codicibus publicis, & teſtibus, & ex hiſtoricis fide dignis. Ut idcircò ex hoc eo magis exemplis, & ſcripturis, etiam informibus, fidem oporteat adhibere, Gloſſa *in c. quoniam contra v. præſumatur*, ibique Doctore *de prob.* Afflict. *dec.* 13. *num.* 6. Moed. *dec.* 1. *de fid. inſtr.* Caputaq. *dec.* 234. *p.* 1. Rot. *dec.* 408. *p.* 2. *rec.* Et fuit dictum in allegata *relatione*. S. Hyacint. *§. multa verò ſunt*, ubi aliæ *relationes* adducuntur.

10 Firmata igitur ejuſmodi ſcripturæ explorata fide, prout juxta prædicta, eam certam, & exploratam reddunt antiquitas, archivium, communis populi approbatio, fama, ſcripturæ in ſimilitudinem publici documenti, tolerantia Ordinariorum, obſervatio ſubſequuta, ejuſdem comprobatio in cæteris ſuis partibus, ac certitudo etiam miraculorum in genere, videtur ex ea provenire concludens probatio omnium miraculorum, quæ in ipſa referuntur, perinde ac ſi de illis conſtaret per publica documenta.

11 In contrarium alii eunt, ſentientes, quòd ex hujuſmodi ſcriptura non videtur miracula probari, ſed ſolummodò, ſicut ſi illa eſſet publicum inſtrumentum, probat tantùm ea, quæ in illa leguntur. Quod non videtur ſufficiens. Nam, ut miraculum legitimè probetur ſunt omnia ſervanda, quæ de jure, ac ſtylo ſervari debent in teſtibus examinandis, maximè verò in re tàm gravi. Quæ cùm ex ipſa ſcriptura minimè conſtet fuiſſe reſervata, non poſſunt hæc ſuppleri ex quantitate. Illa enim non eſt omnipotens ſicut Deus, ut omnes defectus ſupplere poſſit, ut lepidè ait Corn. *conſ.* 142. *n.* 2. & *conſ.* 324. *n.* 3. *lib.* 3. & *conſ.* 24. *n.* 16, *lib.* 4. quem ſequitur Aym. *conſ.* 6. *n.* 56.

12 Et propterea poteſt ſimul eſſe, quòd hæc ſcriptura probet actus in ſe expreſſos, prout geſti fuere, & quod non fuerint ritè, rectèque geſti. Poteſt enim inſtrumentum eſſe verum, ſed non ſolemne. Veritas autem non ſufficit ſine ſolemnitate. Ideòque ſi quis producat, vel fateatur teſtamentum, vel inſtrumentum alienationis rerum minoris, aut Eccleſiæ, non ſibi nocet, ſi deficiat ſolemnitas teſtamenti, vel alienationis. Bald. *in l. alia n.* 3. & 4. *C. de his, quib. ut indign.* Afflict. *deciſ.* 25. *in fin.* Quia non ſufficit, quòd veritas appareat, ſi veritas eſt ſine ſolemnitate. Tunc enim non habetur pro veritate, ut *in l. ſi veritas, Cod. de fideicom.* Afflict. *loco cit.* ubi alii. Quare producens ſcripturam, non videtur fateri illam eſſe veram, niſi quatenus ſcriptura ipſa probet ex ſe, Bartol. *in l. poſt legatum, ff. de his, qui ut indign. ſub initio*, & ideò ſi ſcriptura producta non eſt authentica, ſive non ſolemnis ad probandum, non videtur producens tacitè fateri contenta in illa eſſe vera, ut notat Imol. *in c. Cum venerabilis in fin. de except.* ibique Felinus, & conſuluit Alex. *conſil.* 100. *col.* 3. *vol.* 5.

13 Neque dicatur, quòd ex antiquitate præſumi debeant omnia ſolemniter fuiſſe geſta. Nam id poſſet habere locum, niſi ex ipſa ſcriptura conſtaret veritas, & modus, quo omnia geſta fuere, Abb. *conſ.* 61. *n.* 6. *lib.* 1. Caſtr. *conſ.* 81. *n.* 3. *lib.* 2. Jaſ. *in l.* 1, *n.* 15. *C. quod admitti*, Dec. *conſ.* 13. *num.* 2. cum aliis relatis a Menoch. *de præſumpt. lib.* 3. *præſ.* 132. *n.* 78.

Cùm igitur iſtæ fuerint potius informationus, & at- 14
teſtationes extrajudiciales, quàm depoſitiones teſtium legitimè, ac ſervatis ſervandis receptæ, non fuerunt juratæ, Natt. *conſ.* 394, *num.* 24. Surd. *conſ.* 530. *num.* 25. Hoſt. *in ſum. de teſt. ante num.* 8. Farinac. *ead. tr. q.* 80. *oppoſ.* 35. *num.* 32. poſt Dec. *conſ.* 51. *num.* 1. & *ſeq. lib.* 2. Atque adeò non probant.

Poſſet etiam opponi, quòd teſtes formiter examinati 15
vigore literarum remiſſorialium non videtur quoque miracula probare. Nam non poſſunt plures probare, quàm ipſa ſcriptura, in qua ſe fundant, & ad quam ſe referunt etiam in cauſa ſcientiæ, Afflictus *deciſ.* 72. *num.* 7. Seraph. *deciſ.* 836. *num.* 4. Rot. *dec.* 139. *num.* 3. *p.* 1. *div.* & *dec.* 186. *num.* 4. *par.* 1. *rec.* Et licèt plures deponant etiam de communi exiſtimatione, de publica voce, & fama per verba, *fuit*, & *eſt*, prout de jure requiritur, ut famam probent, Rota *deciſ.* 35. *num.* 3. *par.* 2. *rec.* paſſimque alibi, ſi tamen aliquis in cauſa ſcientiæ poſtea reſtringit ſuum dictum ad tempus præſens, alter in ratione ſe reſtringit ad auditum a majoribus, & ad lectionem dictæ ſcripturæ, iſta depoſitio in ratione prævalet, quia eſt illa, quæ tribuit eſſentiam dicto, Bald. *in l. conventicula, num.* 6. *C. de Epiſcop.* & *Cler.* Abb. *conſ.* 105. *num.* 2. *p.* 1. Alex. *conſ.* 120. *num.* 6. *lib.* 1. Aym. *conſ.* 56. *num.* 14. *in fine*, ita-ut ſi teſtis dictum habeat ſe in pluſquam ratione teſtis, tunc ratio minuat dictum, ut per Baldum, & Alexandrum in locis allegatis.

Neque prodeſſe videtur, quòd aliquis teſtis deponat, 16
quod etiam audiverit id teneri a ſuo patre, & ab aliis pro publica voce, & fama. Quia in hoc eſt teſtis de auditu, qui, ut probet, debent concurrere illa duodecim requiſita, de quibus per Doctores *in cap. licet de teſt.* Aym. *dict. part.* 1. *§. viſo de fama num.* 6. Gabr. *de teſtam. concl.* 3. *num.* 4. & *ſeq.* & Farinac. *eod. tr. q.* 69. *c.* 7. *num.* 104. & *c.* 2. *num.* 105. & *ſeq.* & *c.* 1. *n.* 75.

Verùm ego, his non obſtantibus, perſiſto in princi- 17
pio dictis, & cenſeo, quòd, ſumpta pro indubitata ſcripturæ hujuſmodi fide, proveniat ex illa indubitata probatione eorum, quæ de unoquoque miraculo in ea recenſentur, non ſolùm quoad factum miraculorum, ſed etiam quoad ſubſtantiam comprobationis ejuſdem facti, quæ tunc temporis per juratas teſtium depoſitiones facta fuit. Et quamvis in illa non exprimatur, qua authoritate informationes in ea narratæ ſuſceptæ fuerint, neque enunciatæ ſolemnitates, quas oportebat adhiberi in examine teſtium, attamen cùm prædicta fieri non potuerint inſciente Ordinario, in cujus civitate, vel diœceſi omnia gerebantur, concurrente præſertim temporis antiquitate, præſumendum eſt, quòd ii, qui illa ſuſceperint, proceſſerint cum ſufficienti facultate, ſibi ab eodem Ordinario tacitè, vel expreſsè conceſſa, *arg. leg.* 1. *§. magiſtrum*, ubi Caſtr. *ff. de exercit. act.* Baldus poſt Butrium, & alios *in l.* 2. *Cod. de ſentent.* Alex. *conſil.* 157. *num.* 11. *lib.* 2. Afflictus *dec.* 308. *num.* 7. Et quòd omnia ſolemni more, ut requirebatur, geſta fuerint, Doctores communiter *in cap. quoniam de prob.* & *in cap. pervenit, de cenſib.* copioſè Felin. *in c. Alberic. de teſtib.* Alex. *conſil.* 3. & 105. *lib.* 5. Aym. *p.* 2. ferè per totum cum pluribus aliis coacervatis a Maſcard. *de prob. concl.* 323. & Seraph. *dec.* 580. *num.* 3.

Neque contrarium inferre licet ex ipſa lectione ſcri- 18
pturæ. Siquidem in ea non referuntur integri proceſſus, & totæ informationes in ea forma, in qua deſumptæ fuerunt, itaut ex earum integra inſpectione obſervare liceat quid actum, quidve omiſſa fuerit, quo caſu ceſſaret omnis præſumptio, & locum haberet objectio, ſed ſolùm ſummatim omnia recenſentur. Et cùm ex hujuſmodi ſummaria relatione contrarium non appareat, nec propter nimiam facti antiquitatem probatio magis explicita, & exacta haberi poſſit per inſpectionem ipſorum proceſſuum, judicandum eſt, proceſſus, quorum thema in illa ſimpliciter enarratur, fuiſſe conſtructos, ſervatis de jure ſervandis, Alex. *conſ.* 39. *col.* 1. *lib.* 1. Anch. *conſ.* 136. declaratque Tiraq. *de præſcr. in princ. nu.* 39. *§.* & *ego ſanè*, Rot. *dec.* 636. *n.* 2. & 3. *p.* 1. *div.* & *in rec. dec.* 674. *n.* 4. *p.* 2. Seraph. *dec.* 2307. *n.* 2. & 3.

Et prædicta eò magis admitti debent, quia probatio 19
non deſumitur ex ſcriptura, tanquam ex ſolemni proceſſu, vel ex actis judicialibus, ſed tanquam ex hiſtoria, & chronologia antiquiſſima, ex qua ſi concurrunt adminicula, ſufficienter probatur veritas facti, quemadmodum in ea recenſetur, Gloſſa, & Doctores *in c.*

inter

inter dilectos, §. *sed contra de fid. instr. in cap. Cum causam, de probat.* cum aliis abundè cumulatis in relatione B. Gregorii X. *sub tit. de Sanctit. in gener. §. secundum est*, idque sæpiùs ita approbatum in canonizationibus Sanctorum.

20 Ex quo diluuntur etiam aliæ objectiones ex eodem prætenso defectu solemnitatum, præsertim cùm antea potuerint in ipsa confectione processus adhiberi juxta ea, quæ post alios scribit Mascard. *conclus.* 1323. Unde quoties in scriptura antiqua enunciatur aliquem testificatum fuisse, præsumitur, quòd testificatus fuerit cum juramento, licèt non exprimatur quòd juraverit, ceu tradunt Doctores *in l. admonendi*, ubi Ripa *num.*220. *ff. de jurejur.* Crot. *de test. p.*7 *princip. num.*240. Mascard. *de prob. lib.*1. *quæst.*5. *num.*83. & Farinac. etiam *de test. qu.*75. *num.*76. ubi de communi.

21 Neque juvat, quòd sæpiùs in hac materia molestè objicitur ad elidendam hujusmodi probationem, quòd scilicet testes in causa scientiæ super fama reddant rationem per auditum ab aliis. Illud enim satis compertum est, famam per testes aliter probari non posse, quàm per auditum. Cùm enim publica vox multorum, ex qua provenit fama, non cadat sub alio sensu, quàm sub auditu, id potissimum exigunt Doctores in probatione famæ, ut testis reddat rationem per auditum a pluribus ad ea, quæ latè post alios tradit Mascard. *conclus.*749. *n.*11. Cassad. *dec.*3. *de prob.* Gregor. *dec.* 272. ubi plenè Ad. & in specie post alios advertit Marquard. *de fam. publ. cap.*6. *num.*14. ubi quod tantùm abest, quòd in probatione famæ non sit reddenda ratio per testem ex auditu, ut potius, nisi ad hunc sensum probatio reducatur, fama rectè non probetur, ut rectè advertit Bartolus, quem passim alii sequuntur, & Gloss. *in leg.*3. §. *ejusdem ff. de testib.* Dum igitur fama immediatè percipi non potest, nisi per sensum auditus, satis concludens est illa probatio, quæ fundatur in auditu, ut fusè post multos Farinac. *de testib. q.*67. *n.*156. Neque in hisce testibus considerantur illa requisita, de quibus per Doctores *in d.c. licèt ex quadam de test.* & per Farin. *q.*69. *c.*2. *a nu.* 106. tàm quoad qualitates ipsorum, quàm personarum, a quibus audiverunt, ut etiam ratione temporis, & multitudinis, ac eorum juramenti, aliorumque facile per ea inducendo comprobari possent.

CONSULTATIO LXVII.

Quæ, quotve sint ponderanda pro exacta discussione uniuscujusque miraculi ad effectum canonizationis? Ubi quænam propriè dicantur miracula, & quot eorum gradus, aliaque minima speranda, sed strictim, &c.

1 TRia. Primum, veritas facti, an scilicet factum, quod narratur ad miraculum eo modo probetur contigisse, quo narratur. Secundum, qualitas miraculi hoc est, an in facto comprobato contineatur effectus, qui omnes naturæ vires excedat, ut proinde ad miraculum referri debeat. Tertium, intercessio canonizandi, an scilicet talis effectus evenerit per intercessionem illius, de cujus canonizatione agitur, vel potius alicujus alterius Sancti juxta ea, quæ tradunt Glossa, & Doctores *in c.*1. *de reliq. & vener. Sanct.*

2 Illa verò miracula propriè dicuntur, quæ mirari mens nostra sapienter solet, effecta intuens rara, & supra vim, ac potestatem naturæ, vel artis, cùm gnara tamen non sit effectricium causarum. Secus ex justitia rudens animæ, quia philosophia semper caruerunt, suspiciunt multa, quæ præter solitum quidem obveniunt, sed sine miraculo reipsa fiunt, aut naturæ arcano fœtu, aut artis solertia, aut dœmonis præstigiis. Nomen autem miraculi admiratione sumitur, & grande aliquid semper, quoad provocet ad stuporem, sonat. Admiratio autem fit, quando effectus aliquis manifestus est, & causa ejus est occulta. Idcircò miraculum dicitur quasi admiratione plenum, cùm debeat ex causa prodire non uni, nec paucis, sed omnibus ignota, ut per D. Thomam *p.*1. *q.*105. *art.*8. Hæc verò causa solus Deus est, atque ideò, quæ a Deo proficiscuntur, præter causas nobis compertas, ea sunt enim verò miracula, & nostra omnium admirationem promerentur.

3 Quò circa miraculum dicetur id, eo quia illud conferas cum vi, & facultate naturæ, quæ quia tribus modis excedi potest, tres erunt etiam gradus miraculorum. Juxta eos verò gradus unum miraculum dici, existimarique majus alio jure potest.

4 Primus gradus, & supremus miraculi est, quando facultas naturæ, quoad rem ipsam exceditur. Uti cùm Sol aut stetit in Cœlo, aut retrocessit. Cùm Christus Dominus prodiit ex clauso aut Matris utero, aut sepulchro, intravit verò ad discipulos, cœnaculo item clauso, vel etiam cum luce amictus est, tanquam indumento, in Monte Thabor veluti æternitatis candidatus. Hæc videlicet præstare natura non potest, cujus utique suppelex tàm dives non est, neque vis est tàm valida.

Et quidem obediente Deo voci hominis, ut Scriptura sacra loquitur Jos. *cap.*10. Sol, & Luna desierunt in Cœlo progredi, ut debellaret Josue quinque inimicos Reges, alioquin prælium nox diremisset ante partam eam victoriam. Igitur duplicato die, signa demum hostium perturbantur, funditur exercitus adversariorum, quos in fugam effusos per declivia Josue insequitur, & punctim cæsim enecat tanto cum ardore, ut Solem, & Lunam credes stetisse, etiam sponte ad conspectum facinoris tàm præclari. At re ipsa steterunt ex Josue imperio, morantis conversiones illas orbium supernorum, quas immutabili ordine Angeli volvunt ad nutum Dei pro consentanea, tutaque mundi gubernatione. 5

An simul cum orbibus Solis, ac Lunæ steterint orbes etiam syderum aliorum errantium, vel cursum ii tenuerint suum, facile non fuerit definire. Saltem hoc certum videtur, biduum in orizonte Solem ibi splendidisse, & diem fuisse geminatum, longiore adhuc tractu, quàm in hyeme, vere, vel autumno, quia commissum hoc prælium fuit in Solstitio æstivo. Sed & vires auctas Israelitis divinitus sunt qui existiment, ut tamdiu pugnarent, alioquin sicut hostes gladius, ita ipsos fatigatio conficere ex æquo fermè potuisset. Ex hoc autem admirabili Solis obsequio Josue promeritus est, ut tumulus ei, icone Solis, quasi Sol commori debuerit, nobilitaretur. 6

Sed revera in funere Christi Domini atrata sydera voluerunt commori propemodum cum Conditore suo, quando tenebræ factæ sunt super universam terram ab hora sexta usque ad horam nonam. Id aliqui ita interpretantur, quasi Sol radios reprehenderit, ut puniret Orbem terrarum, dum Christus adeo acerba pateretur, S. Hieronymus *in Matth. videtur*, inquit, *luminare majus retraxisse radios suos, ne aut pendentem Dominum, aut impii blasphemantes sua luce fruerentur.* Alii volunt non ideò hæc dici, quasi sol pro potestate radios aut neget, aut dispenset, quos utique non electione, sed natura promit de sui luminis ærario, ut S. Dionys. *c.*4. *de div. nomin.* Attamen neque ita retractos fuisse radios ipsius putandum est, vel interpositas nubes, quæ tenebris offunderent universam Hierosolymam, uti Origenes censuit, sed subscribo sententiæ S. Th. *p.*3. *c.*44. *art.*2. *ad* 2. qui existimat in hac re prærogativam suffragii esse debere S. Dionysii Areopagitæ, quippè oculati testis. 7

Etenim is in Ægypti cœlo, a nubibus, nebulisque immuni agens, potuit ea, quæ præter solitum evenere in Sole, & Luna, melius observasse. Scripsit verò ad S. Polycarpum in hæc verba: *Inopinabiliter Soli Lunam incidentem videbamus.* Hoc est Soli suppositam Lunam videbamus, quòd tunc opinari nemo potuisset, vel si mediocriter in disciplinis astronomicis esset versatus, quia in plenilunio Paschæ erat. Eo autem tempore utriusque syderis maxima est oppositio, & Luna est in ortu, quando Sol est in Occasu. 8

Hoc itaque primum, & præcipuum miraculum fuit, coivisse sydera hæc duo, quando plurimùm aberant, ut Luna interjecta tenebræ fierent super universam terram. *Non enim*, inquit S. Dionysius, *erat conjunctionis tempus*, quippe Lunæ die decima quinta. 9

Secundum miraculum est, Lunam, quæ circa horam sextam in medio cœlo sub Sole fuerat, vespere apparuisse in Oriente, oppositam Soli: *Rursus*, inquit, *ipsam vidimus a nona hora, in qua scilicet recesserat a Sole, cessantibus tenebris usque ad vesperam supernaturaliter restitutam, ad diametrum Solis.* 10

Tertium miraculum fuit, cùm debeat hujusmodi defectio Solis inchoari a parte Occidentis, & desinere in parte Orientis (proprius enim Lunæ cursus, cursu Solis velocior est, & Luna veniens ab Occidente, illac Solem attingit, & migrat versus Orientem) tunc secus accidisse, & retrogrado cieri agmine visam esse, ut Solem attingeret ex parte Orientis, ubi existebat, quippè in decimaquinta suæ conversionis die, progrederetur que versus Occidentem. Ideo S. Dionysius, *Eclypsim etiam ipsam*, inquit, *ex Orientem vidimus inchoatam, & usque ad Solarem terminum venientem, postea regredientem.* 11

Quartum miraculum fuit, Sole, qui in naturali defectione, ibi prius incipit rursus apparere, ac micrare, ubi prius inceperat cælari, obscurarique, Luna subeunte, donec sensim pertranseat orbem illius, provehaturque Orientem versus, (Luna enim eam Solis partem, quam invadit primam, primam etiam deserit) Solem 12

inquam,

inquam, ordine alio tunc defeciſſe, ac reluxiſſe. Nimirum Luna proveniens ab Oriente, ut illuc remearet, utique ad ſtationem ſuam, debuit quam primam occupavit Solis partem, eandem etiam ultimam deſerere, & primò eam deſerere, quam occupavit ultimò, verſus Occidentem, unde retroceſſit.

13 Quintum miraculum demum fuit tribus horis hanc defectionem Solis perduraſſe, quam videlicet moram non patitur Sol, quando Lunæ objectu obſcuratur, ſed citius pompam explicat luminis ſui, ſuarumque opum citius aurum mundo nundinatur, ut ait Chryſoſtomus *in Matth.* Origenes *adverſus hoc*, inquit, *filii ſæculi hujus dicunt: Quomodo hoc factum tàm mirabile nemo Græcorum, aut Barbarorum ſcripſit?* Sed, ut idem refert, quidam author nomine Phlegon in chronicis ſuis, hoc accidiſſe in principatu Tiberii, affirmavit, D. Thomas deinde opinatur, raros, & paucos illius ævi ſcriptores meminiſſe de hac Solis defectione, quia qui erant Aſtrologiæ dediti, non inquiſiverunt de eclipſi tempore tàm alieno, quo utique ſciebant prima ea ſydera maximè invicem disjungi, & potuerunt tenebras illas, velut aeris paſſionem, potiùs interpretari. *Sed in Ægypto*, inquit, *ubi rarò nubes apparent propter aeris ſerenitatem promotus eſt Dionyſius & ſocii ejus, ut prædicta circa illam obſcuritatem obſervarent.* Itaque ſic ſteterunt Sol, & Luna eo trium horarum ſpatio, veluti commiſeratione defixi, moriente Deo, ſic ſteterant, olim Joſue dimicante. Quòd ſi Luna, & Sol unà commearunt cum eo trium horarum conſenſu, quaſi tenebris pugnarent contra inſenſatos, judicaverim hoc prodigium Chriſti morientis tàm præſtare alteri Joſue dimicanti, quàm otio negotium præſtare ſolet.

14 At cur hic ego jam ſolverim. Solem voci hominis obtemperaſſe rurſus, imperante videlicet Mutio Eremita in Thebaidis deſerto? Ibat peregrè, ut ægrum unum ex monachis inviſeret, Sole in occaſum properante. Quare Mutius, ægro ſciens imminere obitum, ne charitati deeſſet in ea poſtrema vitæ linea, quæ eſt decretoria æternitatis. Soli & ipſe continuò injunxit, ut tandiu moraretur, donec illuc perveniret, paruitque Sol, Sancti viri, obſequens charitati, ex viris Patrum Simon Majolus *colloq.* 1.

15 Sed & mira, & prorſus illuſtria ſunt, quæ in hoc genere de S. Patritio referuntur apud Jocel. in ejus vita *cap.* 47. & 48. Tenebras nimirum a veneficis, ſeu magis inductas, fugavit Sole avocato ex Oriente. Aliàs hominem quæritans, qui ſe in ſaltu abdiderat, noctis tenebris deſenſus, ipſe circumfuſus luce, quaſi Solem comitem haberet, in ſylva reperit. Hiberniam verò peragens idem S. Patritius cauſa Evangelii proſeminandi, duodecim dies abſque noctis tenebris, toto eo ſpatio continuavit. Quod miraculum Author vitæ ipſius exiſtimat non conferri modò, ſed anteferri etiam poſſe miraculo Joſue, ut *cap.* 139. & 193. Ad hæc triduo concionatum eum fuiſſe affirmat, nec Solem occidere viſum eſſe toto eo temporis intervallo, aut auditores ullatenus fatigatos, quaſi ad horam dicenti aures, atque animos dediſſent, quos inter ait, etiam S. Brigidam Virginem fuiſſe *cap.* 94. Sed de hoc primo miraculorum gradu non plura.

16 Secundus gradus miraculi eſt, quando exceditur naturæ facultas, non re quidem illa, quæ fit, ſed re potius illa, in qua fit. Nempè reſtituta eſt homini mortuo vita, aut cœco viſus, utrumque miraculum eſt. Poteſt ſiquidem natura tribuere vitam, ſed non tamen in homine mortuo, poteſt infundere lucem, ſed non in oculo cœco. Atque hæc in miraculis eſt ſecunda dignitas omnibus obvia tàm in veteri, quàm in novo teſtamento, ac in vitis Sanctorum.

17 Tertius miraculi gradus eſt, quando naturæ facultas exceditur, ſi expectes dumtaxat ordinem, & modum rei, quæ fit. Ita Eliæ, vel Samuelis precibus ſubitò aer denſatur, & manant imbres, id præſtare naturales cauſæ, ſed ſpatio temporis, potuiſſent. Socrus Petri, Chriſto Domino imperante, momento a febri convaleſcit. Solùm cum intervallo temporis naturæ beneficio aſſeritur, incolumitas in corpore affecto, humorum temperies, & redit priſtina incolumitas, atque hæc in miraculis eſt ultima dignitas. Sed de hoc tertio gradu aliàs dabitur copioſiùs differendi locus.

18 Nunc illud advertere ſit cum D. Thoma *d. p. 1. q.* 105. *art.* 8. *qu.* 110. *art.* 4. *ad* 2. *quæſt.* 114. *art.* 4. miraculum propriè eſſe illud, quòd fit ſupra, vel præter ordinem totius naturæ creatæ, & quod neque a bonis, maliſve Angelis, neque ab homine ullo, neque a quavis cauſa effectrice creata poteſt prodire. Univerſam enim illam vim, & poteſtatem excedit, quæ non eſt utique ipſiuſmet, ſed ſolius Supremi Numinis poteſtas. Neque ſatis eſt, ut præter ordinem fiat alicujus peculiaris naturæ, nam alioquin lapidem vi projicientis ſurſum cieri ad nubes, aut in fulmine ignem ex nubibus diſſilire deorſum, miraculo adſcriberetur, quia eſt præter naturam lapidis aſcendere, deſcendere verò eſt præter naturam ignis. Illud igitur ſtabile ſit ac firmum, debere miracula fieri præter ordinem totius naturæ creatæ, ſupraque virtutem quamcunque aut hominis, aut Angeli boni, pravique. Etenim quicquid ii demum conabuntur, propria & nativa vi, & facultate, id ſemper obvenire juxta ordinem naturæ creatæ. Solus itaque Deus author, & faber eſſe poteſt rerum admirabilium.

Immò Deus nec ipſe, quoties agit magna ſolus, & 19
omnipotens, patrare miracula dicitur, uti quando mundum procreavit, aut deinceps quoties in mentium humanarum productione, vel juſtificatione illarum occupatur. Hæc nimirum, quia non exigunt fieri a cauſa effectrice alia nobis nota, præter ordinem naturæ non fiunt, & miracula ideò non ſunt ex D. Th. *q.* 105. *art.* 8.

Decipimur ſæpè numero, & ludificamur, atque adeo 20
miraculi vocabulo abutimur, ait D. Th. *dict. quæſt.* 110. *art.* 4. *ad* 2. *& qu.* 114. *art.* 4. Inuſitatæ rei quiſpiam eſt author, trahit in admirationem ſui eos, quibus ejuſdem rei cauſa occulta eſt, & patrare miraculum videtur. Pleræquè boni ac mali Angeli, ſi quid efficient ſua vi, & facultate naturali nobis ignota, miracula edere, ſed perperam etiam ipſi judicabuntur. Ad claſſem hanc revocat S. Thomas ibidem quidquid venefici, anus, buſtuariæ, ac dæmones efficiunt. Hæc vera miracula non ſunt, ſed ſunt tamen ſæpè numero res veræ. Ita nimirum veri ſerpentes repere, ac ſibilare, veræque ranæ inſultare, & coaxare viſæ ſunt in Ægypto ex imperio Magorum Regis Pharaonis, vero igne ſunt tactæ de cœlo oves Jobi, vero eſt everſa turbine domus filiorum ejus, facta ex triclinio ſepulchrum. Vera miracula tamen hæc non fuerunt, cùm non exceſſerint vim, & poteſtatem illorum, a quibus prodierunt, ut ex D. Auguſtino *lib.* 20. *de civit.*

Quonam autem pacto hæc præſtent dæmones, aut 21
eorum adminiſtri nunc eſt inquirendum. *Sicut enim matres gravidæ ſunt fœtus*, ait Auguſtin. *lib.* 3. *de Trinit. ſic ipſe mundus eſt gravibus cauſis naſcentium.* Has nimirum cauſas, quas vocamus virtutes activas, & potentias paſſivas, boni, aut mali Angeli, quoniam eas perſpectas habent, jungunt, admoventque invicem, & momento enaſcuntur aut ranæ, aut colubri, ſtemus in theatro Ægypti coram Rege Pharaone. Ut hæc monſtra exiſtant, inquit S. Th. *d. par.* 1. *q.* 115. *art.* 2. *ad* 4. ſatis eſt temperatione conſentanea diſponenda ad generationem virtutes, quas vocant ſeminales earumdem cauſarum. At vera miracula ſunt tantùm illa, quæ præter has virtutes activas, & paſſivas naturales, fiunt, imperante Deo, & cauſa creata obtemperante per illam virtutem paſſivam, quam vocamus obedientialem.

Hæc autem ad nutum non obſequitur bonis, maliſ- 22
ve Angelis, itaut poſſint a forma una in formam aliam res momento tranſvehere, ut docet Sanct. Auguſtinus *lib.* 3. *de Trinit.* & D. Thomas *d. quæſt.* 114. *art.* 4. *ad* 2. & 2. 2. *quæſt.* 178. *art.* 2. Cùm illi poſſint tantummodò aſtruere ſemina indita primis quatuor mundi corporibus, atque ex eis corpora id genus fabricare. Quemadmodum res nonnullæ, & ſemine generantur, & ex putri materia oriuntur, ad quædam etiam ſunt rerum permutationes, quæ in rebus corporeis nequeunt prodire opera Angelorum, quia vim, & poteſtatem eorum excedunt.

Ex ludibrio itaque fit oculorum, ſi opera eorum vi- 23
deantur, aut homines mortui exſuſcitari, aut homines in feras abire, ac duæ ſunt ipſorum in hoc genere artes. Vel enim homines, qui ſpectant, ita in phantaſia, vel in ſenſibus perturbant, ut res objectas videantur aliter ac ſunt, credantque eum, quem hominem aſpiciunt, equum aut pardum eſſe. Vel res eaſdem objectas, in extima ſpecie ipſi amiciunt ſchemate alieno, atque diſſimili. Etenim aerea corpora cujuſvis figuræ, aut formæ tum ipſi aſſumunt frequenter, ut appareant aſpectabiles, ac perſonati, tum aliis aptare poſſunt, atque hic alter modus eſt mentita miracula per ludibria, & præſtigia, ſicut prior modus eſt per veras res corporatas. Neutra ex his tamen ſunt vera miracula.

Quando vaticinatus eſt S. Paulus 2. *Theſſal. c.* 2. An- 24
tichriſti adventum fore *ſecundùm operationem ſatanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus*, vocabula tria uſurpavit, quæ veris miraculis accommodantur. Etenim hæc, ut ſunt res excedentes omnem facultatem naturæ, dicuntur virtutes, ut per D. Th. 2. 2. *q.* 178. *art.* 1. *ad* 3. uti verò ſemper patrantur in eum finem, ut patefaciant nobis aliquid ſupernaturale, dicuntur ſigna,

atque

atque adeò portenta, oſtenta, & prodigia etiam appellantur propter excellentiam, quaſi procul aliquo oſtendere videantur. At virtutes, ſigna, & prodigia Antichriſti erunt ſpuria, & mendacia. Vel quia is, ut interpretatur S. Auguſtinus *lib. 20. de civit.* decipiet ſenſus per illuſiones, & phantaſmata, & efficere videbitur, quod re ipſa non efficiet. Vel quia miracula perperam illa exiſtimabuntur, erunt enim res veræ tantùm, ſed non ideò erunt vera miracula.

26 Ex albo itaque rerum verè mirabilium reiicimus tum naturæ miracula, effecta nimirùm ejus conditione rara, & ex cauſa, modique ignoratione admiranda, tum miracula artis, hoc eſt quicquid ingenii humani ſolertia, ſupra communem hominum captum, admirabile, atque inuſitatum excogitari ſolet, tum denique miracula dæmonis, ſeu præſtigias pravorum Angelorum, ſive ipſi eas per ſe repræſentent, ſive homines mali per privatos cum eis contractus. Hæc enim omnia intra naturæ, artiſve arcanum ſinum latent, & indè induſtria eorum eruuntur. Permitti autem a Deo iſtiuſmodi præſtigias reus etiam adeò, ut qui cæteroquin in impietatem atheiſmi, religionis, ac Dei contemptores, prolaberentur, ii ſaltem indè conſiſtant poteſtatem humanam vi ſublimiori alicubi vigere, eſſe aliquid animas, neque unà cum corporibus occumbere omnia, ſed quædam immortalitati conſecrata, ſine carie, & ſenio, vel in gaudiis, vel in ſuppliciis perennare.

27 Retinemus verò duntaxat Cœli miracula, quæ duas illas conditiones habeant, ut toto effectu, ſive modo ſint uſu rara, & viribus omnibus creatis majora, atque adeò, ut fiant præter ordinem totius naturæ creatæ. Hæc porrò univerſa partimur in ea, quæ ſunt ab omni parte majora, & ſublimiora virtute quavis creata, vel quæ prodire quidem ab ipſa natura poſſunt, ſed amiſſa cùm fuerint, non poſſunt ab illa reſtitui, vel quæ demum aliter fiunt, ac fieri a naturæ vi, ac poteſtate conſueverunt. Aliis miracula libuit quadrifariam partiri, ut nimirum quartam claſſem eorum conſtituant effecta quædam, in quibus neque res ipſa, neque modus vim, & poteſtatem naturæ, aut dæmonis ſuperant, ſed ex adjunctis, aut ex circumſtantiis, quas vocant, liquet, ea Numini duntaxat adſcribi debere. Deſcendunt videlicet flammæ de Cœlo ad imperium Eliæ, potuiſſent eas immittere dæmones, ſed minimè tamen in ea occaſione, qua probari debuit, & reddi comperta Dei Majeſtas, & vera ejus divinitas, quia incumbit divinæ providentiæ, dum res tàm gravis, & tàm pertinens agitur, prohibere, ne populo utique illudatur.

28 Cæterùm miracula Deus aliquando ipſe ſolus patrat, aliquando in eis patrandis admittit, ſeu cœlitum, ſeu hominum adjutrices manus. Ita S. Pauli Converſio, qui ſtatim in ea juſtitiæ quadam perfectionem eſt aſſequutus, miraculum verum fuit, quod Deus edidit per ſe ſolus, & ideò ab Eccleſia, tanquam verum miraculum colitur anniverſaria celebritate præ aliis converſionibus, quæ primùm imperfectè, ſenſim perficiuntur. At ejus cœcitas depulſa ope Ananiæ diſcipuli, miraculum fuit, quod ſimul cum adjutore Deus maluit patrare, S. Thom. *part. 2. quæſt. 123. art. 10.* Semper tamen princeps cauſa miraculi Deus cenſeri debet, quia ipſi Soli ideſt omnipotens virtus, effectrix rerum admirabilium. Cauſæ aliæ, quotquot aſciſcuntur in ſocietatem iſtius molitionis tàm admirandæ, pro Dei voluntate duntaxat, non autem pro neceſſitate, opem illi ſuam conferunt. Verbo dixerim, inſtrumenta Dei ſunt, qui eſt unicè Thaumaturgus, & ejuſmodi princeps cauſa miraculorum omnium fuit etiam Chriſtus Dominus, ſi conſideretur, ut Deus eſt.

29 Si verò conſideretur, uti homo eſt, primas ei debemus inter cauſas Dei adjutrices, ſicut inter artis inſtrumenta præſtat ex gemma, vel ex auro, quàm ex calybe malleum eſſe. Ejus prærogativæ ex D. Thoma *p. 3. quæſt. 13. art. 3.* fuerunt, quod excelluerit tum gratia unionis ad Hypoſtaſim divinam, tum gratia adoptionis. Sed prior gratia potiſſimùm eum conſtituit inſtrumentum divinitatis ad miracula omnia, quæ conducere poſſent ad finem Incarnationis, is porrò erat inſtaurare cuncta, quæ in cœlo ſunt, & quæ ſunt in terris. Par etenim omninò erat, Chriſtum Dominum miracula edere, quo ita conſtaret, ipſum eſſe hominem pariter ac Deum, & divinitatem ſingulariter ineſſe illi non per adoptionis gratiam duntaxat, ſed inſuper per gratiam unionis, atque adeò, ut conſtaret etiam doctrinam ei fuiſſe divinitus datam. Hæc videlicet ſuperavit captum humanum, ſed accedere argumenta divinæ virtutis debuerunt, quæ illam confirmarent ex D. Thoma *part. 3. quæſt. 43. art. 1.* Quamquam ipſe interdum pro poteſtate, interdum ſupplex opera admiranda fecit. Turbæ eſurierant, aſpiciens in Cœlum quinque panes, & duos piſces jubet apponi, atque diſtribui, atque hi evaſere in uberem annonam, ex qua etiam reliquiæ ſuperfuerint. *Matth. 14.* Occurrit funeri adoleſcentis, qui erat filius unicus matri ſuæ, agit pro imperio, & dum ait: *Adoleſcens, tibi dico ſurge*, ſtatim eum vitæ pariter ac matri reſtituit *Luc. 7.* Viciſſim Lazarum excitaturus, qui in lecto ſepulchri jam computruerat, preces interponit, potius cauſa exempli, quàm ſuffragii neceſſitate, ideòque ſubdidit, *propter populum, qui circumſtat, dixi, ut credant quia tu me miſiſti, Jo: 11.*

Nec preces modò, ſed aliqua interdum etiam Chriſtus Dominus adhibuit, quæ pertinerent ad ſuam ipſius ſacram humanitatem, ut concurrere ſimul ad miracula videretur myſterium Incarnationis. Nempè ſingulis manus imponens, curabat omnes, *Luc. 4.* & S. Cyrillus in hunc locum *quamvis*, inquit, *ut Deus potuiſſet omnes verbo pellere morbos, tangit tamen omnes, oſtendens propriam carnem efficacem ad præſtanda remedia.* Perindè in cæci nati curatione *de ſaliva ſua lutum fecit*, inquit D. Auguſtinus *in Joan. 9. quia Verbum caro factum eſt.* Vel etiam ut conſtaret, ipſum eum eſſe, *qui ex limo terræ hominem formaverat*, quemadmodum interpretatur S. Jo: Chryſoſtomus *in Marc. 8.* 30

Sed fuit inſignis prærogativa Chriſti in edendis miraculis, quòd ea præſtare potuerit, quæ omnem poteſtatem naturæ creatæ longè ſuperaverint, ut jure dixerit ille, *a ſæculo non eſt auditum, quia aperuit quis oculos cæci nati, Joan. 9.* Et quòd inſuper ea potuerit præſtare ex propria, non autem aſcititia poteſtate: *Virtus de illo exibat*, inquit *S. Lucas 6. & ſanabat omnes*, ubi S. Cyrillus, & Chryſoſtomus *in Matth. 8.* & S. Thomas *part. 3. quæſtion. 44. artic. 5.* Peculiariter ut fieret certa perſuaſio, ipſum eum eſſe, cujus ope homines eſſent a dæmonum tyrannide liberandi, & cœlitibus præterea conſociandi, hinc dæmones afflixit, & faceſſere ex corporibus obſeſſis coegit. Cœleſtes verò Angeli præſtò ei in obſequia fuerunt, dum naſceretur, dum ſe in deſerto reficeret, dum reſurgeret, & dum in cœlum aſcenderet. 31

Ut autem appareret Dominus univerſorum, miracula edidit circa cœleſtia corpora, Solem, & Lunam, quaſi mœrore afficiens, in obitu ac funere ſuo, eiſque adimens lucis hilaritatem, novumque ſydus jubens ad cunas ſuas radiare. Immutavit etiam res, quæ ratione, ac ſenſu carent, uti cùm rarefecit ficulneam, imperavit ventis, & mari, ſcidit petras, & velum Templi, terramque commoveri, ac gemere in paſſione voluit. 32

Potiſſima omnium tamen fuit ea Chriſti prærogativa, quòd ubivis locorum, & quoties libitum eſſet, miracula ediderit. Arbitrantur quidam Theologi cum D. Thoma *2. 2. quæſt. 12. art. 1.* fieri non poſſe, ut gratia operandi miracula virtus permanens ſit, conſtans, atque perpetua. Putant enim contingere duntaxat, ut ſicut mens Prophetæ promoveri ſolet ex inſpiratione divina ad res occultas cognoſcendas, atque enunciandas, ita mens illius etiam, qui miracula eſt patraturus ad ea molienda debeat permoveri. At in Chriſto Domino fuerit ſingulariter ea gratia permanens atque ad nutum ea uti potuerint ſemper, non autem ſolùm per intervalla, ſicut permanens in eo fuit virtus divina, immò ipſa divinitas corporata, quæ eſt opifex miraculorum. 33

Hanc ipſam gratiam miraculorum potuit Chriſtus mira ſuæ virtutis diffuſione in alios etiam transferre, ſicuti revera transfuſit in Diſcipulos *Matth. 10.* Exiſtimo tamen diſcrimen fuiſſe, ut Chriſtus, cui inerat divinitas, etiam per gratiam unionis, habuerit circa miracula vim effectricem, ſeu inſtrumentum divinitatis fuerit in genere cauſæ phyſicæ. Apoſtoli verò, quibus ea inerat tantùm per gratiam adoptionis, vi ejuſmodi effectrice caruerint, & fuerint inſtrumentum divinitatis ſolùm in genere cauſæ moralis. S. Auguſtinus quidem *lib. 22. de civit. cap. 9.* videtur noluiſſe definire in utro eo genere cauſæ ſeu boni Angeli, ſeu homines juſti miracula edant, *ſive iis orantibus tantùm*, inquit, *& imperantibus, non etiam operantibus fiant, ſive fiant iſtis, alia illis modis, qui nullo modo comprehendi a mortalibus poſſunt.* At D. Thomas *part. 3. quæſt. 84. art. 3.* id ipſe utique definit, dum *Apoſtolis*, inquit, *non eſt data poteſtas, ut ipſi ſanarent infirmos, ſed, ut ad eorum orationem infirmi ſanarentur*, tametſi agnoſcat, id ab eis interdum imperio, & interdum fieri conſueviſſe per ſuffragium. 34

Jam illud diſquirere ſit quinam alii præter Chriſtum miracula ediderint. Primò, Angeli ſunt recenſendi ex S. Thoma *part. 1. quæſt. 110. art. 4* ſive quia ex voto, & deſiderio eorum Deus mira præſtet, ſive quia miniſterium ei exhibeant, ut ea mira præſtet, cujuſmodi erit, relegere, & coacervare pulveres pro communi reſurrectio- 35

ne mortuorum, ex eodem D. Thoma *part. 1. quæstion.* 108. *articul.* 8. Rarius ii tamen inter nos miracula perpetrant, utpotè qui medio sunt ordine inter nos & Deum, & corpora mundi regunt; suam verò Ecclesiam visibilem, Deus per homines palam voluit administrari, quod causæ est etiam, cur ii frequentiùs miraculis illustrentur.

36 Quare secundo loco in hunc sensum veniunt homines probi, & sanctimonia illustres. ¿Porrò iis non promisit modò Christus hanc virtutem, sed adjecit etiam fore, ut majora quàm ipse præstarent. Cujusmodi fuit ægros umbra etiam S. Petri convaluisse: *majus est enim*, inquit S. Augustinus, *quòd sanet umbra, quàm fimbria.*

37 At hæc miracula edere possunt etiam homines mali dummodò sint vera fide instructi. Ex hoc enim numero aliqui Christo dicturi sunt, *Matth. cap. 7. Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus. & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* En ferè miracula singula, nempè donum prophetiæ, operatio virtutum, & similia, sicuti sunt gratia sanitatum, discretio spirituum, & donum linguarum: quæ species miraculorum distinguuntur, & declarantur etiam a D. Thoma *part. 2. quæst. 111. art. 4.* Cæterùm posse hominem fide instructum, destitutum verò charitate Thaumaturgum esse, ac montes ipsos aliò transvehere, adhibita fidei plerumque inevitabili machina, S. Paulus apertè pronunciavit. *1. Corinth. 13.* dum *si habuero*, inquit, *omnem fidem, itaut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.*

38 At scimus, inquit ille, quia peccatores Deus non audit, *Joan. 9.* Si homines itaque precariò tantùm edunt miracula, nunquam illa edent homines pravi. Respondeo cæcum fuisse eum, qui ita sensit, vel, ut verbis utar Augustini, *fuisse inunctum quidem, sed nondum perfectè illuminatum.* Nimirum impetrandi facultas non ex merito supplicantis, sed ex divinæ misericordiæ oritur beneficio, Dei verò benignitas exorari se etiam finit ab hominibus malis, ut ex D. Thoma *part. 2. quæst. 178. art. 2.* Sed quid? ad miracula fides sufficit, *at fides sine operibus est mortua.* Quo igitur pacto cùm non sit viva hæc fides, in hominibus pravis operabitur? Respondeo cum D. Thoma *ibi*, eum, qui operatur miraculum, Deum esse. Nihil autem prohibet, quominus res viva, nempè Deus operatur miracula per instrumentum mortuum, nempè per fidem mortuam hominis pravi. Facilius hoc illi est, quàm ut homo per baculum operetur.

39 Potius fuerit itaque indagare quonam discrimine Sancti viri, & viri contra minimè probi miracula edant. S. Augustinus id ita explicat *lib. 83. quæst. 79. Aliter Magi faciunt miracula, aliter boni christiani per publicam justitiam, mali christiani per signa publicæ justitiæ.* Tria hæc expendi seorsim debent, ut probè intelligantur.

40 Publica potestas in Mundo est Dei, cui omnia sunt subjecta in Cœlo, & in terra: Angelis verò, qui Deo subditi sunt, eique obtemperant, tribuitur potestas privata in ea mundi corpora, quæ ipsi administrant, & regunt: Dæmones, quibus sola competit potestas tenebrarum, & qui dicuntur aereæ potestates, sive quia etiam nunc affectent Dii existimari, sive quia nocere generi humano semper cupiant, suos hic administros habent. Magos videlicet, & veneficos. Hi cum eis itaque privatos contractus, & pacta ineunt, & privato eorum jure quædam signa edunt, quæ vera tamen miracula non sunt, quia vi naturæ effici ea possunt. Immò hæc ipsa nequeunt præstare, nisi permittat suprema Dei potestas, & sæpè numero etiam ibi desinunt, ubi agunt intra metas suæ facultatis. Quo pacto magi Pharaonis, qui serpentes, & ranas produxerant; producere cinifes etiam non potuerunt, & defecerunt in tertio eo signo, dicentes Regi: *Digitus Dei est hìc*, *Exod.* 8. nempè hic Deus digito præfigit nobis metas, ultra quas progredi non valeamus. Alioquin eas actitantes etiam, ex occultis naturæ seminibus poterant, non minus, quàm ranas, & colubros repræsentare. Atque hoc est, Magos signa edere per privatos contractus. Quæ tamen etsi res veræ sunt, non sunt ideò vera miracula. Siquidem potestatem non excedunt omnis naturæ creatæ.

41 Miracula verò, quæ fiunt a bonis christianis per publicam justitiam sunt illa secundum D. Thomam *part. 1. quæst. 110. art. 4.* quæ fiunt ab eis per justitiam divinam, nam hæc in mundo universo est, sicut lex publica in Civitate. In quo sensu S. Augustinus *ubi supra*, *publica*, *& quodammodò imperiali lege*, hoc est summi Dei potestate, ait viros Sanctos opifices miraculorum esse, ac per ipsos Deum exercere suum omnipotens imperium, ut admiranda præstet. Nimirum per gratiam adoptionis eis Deus inest, & pleni Deo ipsi talia operantur.

Mali denique miracula edunt per signa tantùm publi- 42
cæ justitiæ, seu justitiæ divinæ, nempè enunciando veram fidem, Dei, aut Christi virtutem implorando, adhortando ad ejus cultum, & venerationem, aut alicujus viri sanctimonia asserendo, quem Deus aliis vult ad pietatem, & ad religionem esse instar exempli: *Quemadmodum plerique mali milites*, inquit S. Augustinus *d. quæst. 78. quos imperialis disciplina condemnat, signis Imperatoris sui nonnullos possessores territant, & ab eis aliquid, quod publicè non jubetur, extorquent, ita nonnunquam mali christiani, vel schismatici, vel hæretici per nomen Christi, aut verba, aut sacramenta christiana exigunt aliquid a potestatibus*, id est a malis Angelis. Quod adeò verum est, ut idem S. Augustinus advertat, etiam eos, qui de militia Christi non fuerant, & qui omninò erant extranei, in nomine ipsius tamen ejecisse dæmonia, de quo discipuli olim querebantur. Atque hoc est miracula eos edere per signa tantùm publicæ justitiæ.

Cùm hæc vera sint, nihilominus generatim, univer- 43
sèque affirmari potest, hæreticos, & schismaticos nullo modo patrare posse vera miracula, quatenus nimirum tales sunt, ac se tales esse profitentur. Nam miracula semper tesseræ indubitaræ fuerunt, & vera testimonia illius, cujus gratia eduntur, quocirca ab iis, qui falsam doctrinam enunciant, pro ejusdem confirmatione nullatenus prodire possunt. Solus Deus est veri miraculi author, quod nimirum esse opus debet supra ordinem omnis naturæ creatæ. Atqui Deus veritas est, & ab eo nequeunt proindè veris signis, atque virtutibus mendacia hæresum confirmari, aut falsa quævis dogmata stabiliri. Esto adhibeant dæmones corporata semina, producant aliquid inusitatum, & rarum, non excedet limites virtutis creatæ, fiet ab eis res vera, non autem fiet verum miraculum. Tametsi vir clarissimus Maldonatus *com. in Matth. 7.* probabile censeat esse, non autem certum fidei argumentum, quod ex miraculis sumitur. Quia per fidem sæpè, sine fide rarò admodum fieri solent. Et cùm fiunt, non ad probandum eorum, qui faciunt, sed eorum, qui veram fidem habent, fieri solent. Nec enim Balaam futura prædicendo suam ipsius, sed populi potius Dei, adversus quem conductus fuerat, fidem confirmavit, & ferè omnia miracula, quæ per hæreticos facta fuisse legimus, quæ pauciissima sunt, hujusmodi esse constat, qualia ea, quæ in Ecclesiasticis historiis, & apud Anastasium in quæstionibus scripturæ recensentur. Est etiam argumentum a miraculis ductum, si non omni, una saltem, aut duabus etiam ex partibus necessarium. Nam etsi non necessariò sequitur, eum, qui miracula faciat, veram habere fidem, tamen necessariò sequitur, eam, in qua frequentia, & quasi ordinaria miracula fiant, esse Ecclesiam Dei, quia etsi aliquando Deus per privatos extra Ecclesiam suam homines miracula fieri permittat, sicut & per asinam fecit Balaam, quæ in Ecclesia certè non erat, tamen nulli generaliter hominum societati, nisi Ecclesiæ suæ ordinariam miracula faciendi concessit potestatem. Magis etiam necessarium est, quod ex altera parte per negationem ducitur, in qua miracula nulla fiunt, eam veram Ecclesiam esse non posse, quia scimus Christum Ecclesiæ suæ potestatem ad facienda miracula dedisse. Itaque rectè hinc probare possumus, omnes eorum, qui hodie superstunt, hæreticorum Congregationes non veras Ecclesias, sed synagogas esse Sathanæ, quia in nulla earum ullum unquam miraculum visum est.

Ad hanc sapientiæ trutinam voco illa, quæ recenset 44
S. Augustinus *lib. 10. de civit. cap. 16.* sponte migrasse aliò Deos penates, quos Troja Æneas advexerat. Tarquinium novacula cotem secuisse, Naviganti Romam Æsculapio adhæsisse comitem Epidaurium serpentem. Navim, qua simulacrum Matris Phrygiæ vehebatur, & si ad multorum hominum, & boum conatus immobilem, Zona unius mulierculæ trahi potuisse ad pudicitiæ illius testimonium Mulierem Vestalem cribro aquam de Tiberi extulisse, ut se a stupri suspicione liberaret. Hæc utique conferenda non sunt cum veteris, & novi Testamenti miraculis, singula ejusmodi sunt quæ potuere a malis Angelis nullo negotio aut patrari, aut fingi etiam imaginaria ludificatione. Proinde hæreticorum miracula S. Augustinus *lib. de unit. Eccles.* existimat appellari debere, *aut figmenta mendacium hominum, aut portenta fallacium spirituum.* At de his hactenus.

CON-

CONSULTATIO LXVIII.

An, & quatenus Ordinarius in causis canonizationis Sanctorum, postquam Sedes Apostolica manum apposuerit, possit amplius se ingerere? Et quando dicatur Sedes Apostolica manum apposuisse?

1 NOn videtur. Constat ex decretis sub die 12. Martii 1642. in quibus hæc verba: *Postquam verò Apostolica Sedes apposuerit manum in aliqua ex supradictis causis, non poterit Ordinarius amplius in ea quoquomodo se intromittere, nec etiam ad effectum conficiendi particularem processum super cultu non adhibito, qui formandus erit per eum, cui per Summum Pontificem, vel per Sacr. Congregationem hujusmodi facultas fuerit delegata.* Ex quibus liquet, postquam Sedes Apostolica manum apposuit, processus quicunque peculiaris sola authoritate ordinaria confectus, etiam super non cultu, erit irritus, cùm tantùm confici debeat a delegato per ipsam Sacr. Congregationem.

2 Porrò manus appositio nil aliud est, quàm se intromittere in dispositionem rei extraditis ab Ænea de Falconibus *de reservat. præl. 3. num. 4. tr. tom. 15. part. 1. fol. 249.* quæ intromissio videtur certa, dum factum authenticum relatum fuit Summo Pontifici per exhibitionem processuum confectorum ab Ordinario, per dubiorum desuper emergentium propositionem, ac discussionem in Congregatione Sacra Rituum, in qua Sedes Apostolica hujusmodi negotia expedire, & conficere solet, ac per relationem de illis eidem Summo Pontifici factam cum illius responso, & per signaturam commissionis.

3 Et ita, ut nihil referat, quòd dicta commissio, licèt fuerit exhibita in actis Notarii Congregationis, nunquam tamen effecta fuerit de actis per citationem ad dicendum contra, sicque potuerit impetrans pœnitere, eaque non uti, petendo a Congregatione delegatum pro confectione novi processus peculiaris super non cultu, sed redire ad Ordinarium, ut illum sua authoritate denuò conficeret juxta opinionem, quam Butrius dixit observari *in cap. super literis num. 22. de rescript.* quamque Felin. *in rub. ejusdem tit. num. 3.* receptionem asserit, & approbavit Rota coram Bellarm. *decis. 456.* Buratt. *decis. 138. num. 4. & decis. 524. num. 11.* passimque in aliis.

4 Nam respondetur, satius fuisse, quòd Sedes Apostolica super hujusmodi negotio manum apposuerit, recipiendo processus, & instantias pro beatificatione, discutiendoque emergentia in suo foro, nempè in dicta Sac. Congregatione, aliaque peragendo, ut supra. Ex quo enim Pontifex, uti superior se ingessit, sicque manum apposuit, non licet amplius inferiori se intrudere, Innoc. *in cap. ut nostram 55. in fin. de appell.* cum similibus relatis a Lancell. *de attent. cap. 10. num. 5. cum seqq. part. 2.* Quare Gab. *conf. 166. num. 6. vol 1.* dixit super negotio, cui Summus Pontifex manum apponit, hoc ipso etiam sine inhibitione ligari manus inferiorum, cùm tola appositio manus Papæ contineat in se inhibitionem ipsaque habeat vim decreti irritantis, Rota *decis. 14. n. 1. ut lit. pend. in nov.* Gasp. de Perul. *de reservat. in princ. quæst. 10. v. 1. d. tr. tom. 15. part. 1.* Rebuff. *in pr. benef. tit. de reser. num. 40.* Menoch. *conf. 83. num. 13.* Lancell. *d. cap. 10. num. 7.*

5 Neque replicetur, Ordinarium ignorare posse tenorem supradicti decreti, aliorumque novissimè editorum. Nam de jure manus appositio Pontificis ligat illicò manus Ordinarii etiam ignorantis, perindè ac si esset decretum irritans, sicut ex Innocentio, & aliis in specie tradit Æneas de Falcon. *loc. citat. quæst. 4. princip. effect. 1. num. 4.* Certum autem est, decretum irritans obtinere, ut mox acta per Judicem inferiorem, etiam ignorantem, sint omninò irrita secundùm Glossam communiter receptam *in cap. 1. v. referri, de concess. præb. in 6.* & alios ubertim cumulatos a Covarr. *pract. cap. 9. num. 7.*

6 At verò dicendum est, quòd nec præsentatio processuum authoritate ordinaria, neque illorum discussio, ac præcognitio in Sacra Rituum Congregatione ante commissionem signatam a Summo Pontifice, tanquam præparatio diligens per Hostiensem, & alios *in capit. 1. de reliqu. & vener. Sanct.* requisita, antequam Pontifex moveatur ad ponendum causam inter fratres, valeant inducere appositionem manus Sedis Apostolicæ, ita ut Ordinarius ad irritum, ac nequicquam postea procedat in confectione processus super non cultu juxta dispositionem novissimorum decretorum *dicto §. Postquam.*

7 Ponderandum quippè est juxta praxim traditam ab Hostiensi *loc. citat. numer. 3.* quam sequuntur ibi communiter Doctores, & præ cæteris Jo: Andr. *numer. 3.* Butr. *numer. 4.* & Cardinal. *numer. 9.* ac prosequuntur Malvet. *de canonizat. Sanct. dub. ult. a nnmer. 1.* Castellan. *eod. tr. quæst. 8.* Angel. Roc. *eod. pariter tr. capit. 34.* Chassan. *in cathal. part. 3. consid. 50.* Azor. *instit. moral. part. 2. lib. 5. cap. 6. ad fin.* duodecim requisita prænotari, quorum ordine servato, pervenitur ad canonizationem, & binis prioribus hanc difficultatem declarari, ac solvi.

8 Hostiensis itaque primum requisitum concepit his verbis: *Primò expectatur, quod aliquæ personæ authenticæ, & honestæ denuncient factum Romano Pontifici, & supplicent pro canonizatione facienda, & hoc non tantùm semel, sed pluries, & instanter. Non enim consuevit moveri statim ad committendam hanc inquisitionem Romanus Pontifex, sed potius expectare, quod diù pulsetur, & famam attendere, & utrum miracula excrebrescant, & continuentur, antequam inquisitionem committat.*

9 Secundum verò per hæc verba. *Secundò si continuetur supplicationis instantia, & miraculorum continuatio perdurare dicatur, consuevit hoc Romanus Pontifex ponere inter fratres.*

10 Unde sequitur, præmissam illam denunciationem facti, & supplicantium instantias primo loco requisitas, non inducere formalem appositionem manus Sedis Apostolicæ, sed solùm deservire ad disponendum, præparandum, ac movendum animum Summi Pontificis ad ponendam causam inter fratres, & committendum illius inquisitionem, ad quam non statim moveri solet, sed expectare, quòd non semel, sed iterùm, atque iterùm instanter ac diù pulsetur. Ipsam verò appositionem manus non fieri statim a Summo Pontifice, sed juxta notata in secundo requisito, exigi assiduas supplicantium instantias, & miraculorum continuationem, & percrebrescentiam ad hoc, ut Romanus Pontifex ponat negotium inter fratres.

11 Neque itidem appositio manus deduci potest ex simplici præsentatione commissionis signatæ a Pontifice in actis Sac. Rituum Congregationis duplici potissimum ratione. Vel enim hujusmodi commissio fuit inutilis, & inefficax ad inducendum appositionem manus ob defectum citationis Subpromontoris ad dicendum contra illam juxta stylum ejusdem Sacr. Congregationis & tradita per Marches. *de commiss. avoc. caus. §. 1. num. 108. & seq.* Ubert. *de citat. tom. 3. capit. 13. numer. 246.* dicentem post præsentationem commissionis citandam esse partem, sine qua Judex non acquirit exercitium jurisdictionis, cùm ad illam firmandum sit necessaria citatio, alioquin omnia gesta esse nulla, inquiunt Cassad. *decis. 7. in fide de rest. spol.* Coccin. *decis. 169. numer. 4.* & commissio non inducit litis pendentiam absque citatione, Clem. 2. *ut lit. pend.* Rota *decis. 4. in fin. eod. tit. in antiqu.* Seraphin. *decis. 316. num. 4.* Gregor. *decis. 94. num. 4.* quæ dicitur fundamentum ordinis judicialis a Specul. *tit. de citat. in princip.* atque ideò cùm commissio non fuerit facta de actis, non dicitur causa introducta in Consistorio Principis, seu in Sacr. Rituum Congregatione ad textum *in authent. litigiosa, C. de litig.* quia licèt præsentata, non efficitur tamen communis, antequam pars citetur ad dicendum contram illam secundum Butr. *in capit. super literis num. 22. de rescript.* Rota *decis. 705. num. 8. part. 3. decis. 30. num. 26. part. 5. & decis. 343. num. 4. part. 6. rec.* Buratt. *dec. 138. n. 4. & 405. num. 2. & seq.* ibique Add. *n. 23.* Cavaler. *dec. 509. num. 1.* Add. ad Gregor. *dec. 552. num. 8.* Ac propterea impetrans potest pœnitere, illaque non uti, Felin. *in rubr. de rescript. n. 3.* Burattus cum aliis relatis *d. decis. 138. n. 4. & dec. 524. n. 11.* Nimirum si locus est secundo membro distinctionis traditæ a Romano *conf. 335. sub n. 11.* quod Papa inutiliter apponendo manum, non ligat manus inferiorum, qui propterea possunt in causam se ingerere, quem sequuntur ibi relati a Mandos. *lit. G.* & a Lancellot. *de attent. p. 2. cap. 10. n. 9.*

12 Vel sanè nulla dictæ commissionis signatæ ad preces Magnatum, & Procuratoris causam agentis in urbe, notitia habita fuit in partibus. Nam, quicquid sit de commissione, seu supplicatione signata motu proprio Papæ, quod liget ignorantes, adeòut inferior nequeat amplius se in causam ingerere, communis tamen, ac receptior contraria sententia est, quando avocatio causæ fit ad instantiam partis, licèt munita fuerit decreto irritanti. Quia gratia concessa, parte petente, habet in se conditionem, si gratia uti voluerit impetrans. Quod communiter docent scribentes *in cap. cum M. Ferrariensis, de constitut. & in cap. Cæterum de rescr.* & tradunt Covarr. *pr. cap. 9. num. 7.* Benintend. *decis. 41. numer. 2.*

Marchef. *part. 2. de commiſ. avoc. cauſ. §. 1. num. 4.* ſubdens *num. ſeq.* quòd Signatura, quando per commiſſiones cauſas è partibus avocat, conſiderat opportunum tempus, in quo de tali avocatione certiores fieri in partibus poſſint, & interim ſtante ignorantia, ſi procedatur, non reprobat.

13 Advertendumque eſt, non eſſe de jure, ut quando Pontifex incipit cognoſcere de aliqua re, propter id ſit irritum, quod a partibus fuit factum, ut docet Innoc. *in d. capit. ut noſtrum poſt med. de appell.* reſpondens ad eundem textum, quod ibi fuit ſpeciale propter ſuſpicionem, quam habebat Pontifex contra collationem factam ab Archiepiſcopo. Et Doctores dicentes manus appoſitionem inducere nullitatem poſtea geſtorum etiam ab ignorante, loquuntur de ignorantia facti, ſcilicet de ipſa appoſitione manus, & avocatione cauſæ, ut præ aliis inquit Covarruvias, & quamplures ab eo relati, non autem de ignorantia juris, ſeu legis, quæ non obligat, niſi poſt ſuam formalem promulgationem.

14 Ignorantia verò geſtorum in cauſa validiſſimis conjecturis oſtendi poterit. Vel ex obitu Procuratoris in Urbe paulò poſt ſignatam commiſſionem. Vel ob diſtantiam Regionis, Gloſſa *in capit. præſumitur de reg. jur. in 6.* Mandell. *conſil. 9. numer. 42.* Unde ex hac veriſimili ignorantia excuſatur Epiſcopus ab illorum obſervatione, ut annotat Bald. *in l. leges numer. 2. C. de leg.* & in ſimili tradunt communiter Doctores, quòd ſtatuta, & decreta Principis, licèt ſciri præſumatur ab hominibus illius loci, ab exteris tamen ignorari præſumuntur, Bald. *in d. l. leges numer. 2.* Bartol. *in l. omnes populi numer. 67. ff. de juſtit. & jur.* Rom. *conſ. 220. numer. 8.* Curt. ſen. *conſil. 27. num. 18.* Gail. *obſerv. 48. num. 29. lib. 2.* Maſcard. *de prob. concluſ. 879. numer. 24.* ad textum *in l. ſi longius ff. de judic.* cum aliis per Decian. *conſil. 109. num. 34. vol. 2.* Vel ex ſolicita diligentia, & enixo deſiderio pariendi, ac conformandi ſe adamuſſim omnibus, & ſingulis decretis, quæ ad illam Regionem pervenerant.

15 Cæterùm, data etiam appoſitione manus, ac illius notitia, adhuc tamen excuſaret ignorantia decretorum Urbani VII. ex quorum noviſſima diſpoſitione prohibitum eſt Ordinariis ſe in cauſis hujuſmodi ingerere, poſtquam Sedes Apoſtolica manum appoſuit. Nam cùm appoſitio manus ipſo jure non liget manus inferiorum, & multò minus in materiis canonizationum, quæ olim extrajudicialiter duntaxat pertractantur ante nova decreta, teſte Contilor. *de canoniz. cap. 24. num. 17.* & ſolùm quoad aliqua elevatæ videntur ad formam judicialem poſt eorum publicationem, proculdubio nulla conſiderari poteſt judicialis pendentia cauſæ apud Sedem Apoſtolicam, aut Sacram Rituum Congregationem, neque ante dicta decreta, neque poſt illorum editionem. Vel quia de his nulla habita eſt notitia. Vel quia illorum publicatio nullibi facta legitur, ne in locis quidem ſolitis, & conſuetis Urbis, prout de jure opus fuiſſe certum eſt. Nam quælibet Conſtitutio non ſolùm requirit publicationem, ut liget ſubditos, ſed etiam quòd ſint lapſi duo menſes poſt publicationem, *auth. ut fact. nov. conſtitut. in princ.* ibi: *Quia licèt factæ ſint leges, tamen non ſunt cognitæ provincialibus, aut etiam hìc nondum fortè propoſitæ, nullique manifeſtatæ, cap Noverit*, ibique Gloſs. *v. & intra duos menſes, de ſent. excom. & in cap. 1. v. ſolemniter, de poſtul. Prælat. & in cap. 2. v. ante publicationem, de conſtit.* ubi Hoſt. *num. 6.* Boich. *num. 5.* & tradunt Roland. *conſ. 8. num. 28. lib. 5.* Menoch. *de arb. lib. 2. cap 185. num. 7.* & plenè probat Farinac. *in fragm. v. Conſtitutio num. 659.* ubi quod ita communiter a Legiſtis & Canoniſtis receptum ſit. Id, quòd in publicatione Conſtitutionum Apoſtolicarum obſervatur, & potiſſimùm in antecedentibus decretis S. Officii Inquiſitionis publicatis anno 1625. obſervatum legitur *libel. pag. 6.* & in aliis ab Urbano VIII. per literas in forma Brevis emanatis anno 1634. quorum ſolemnis publicatio in locis conſuetis Urbis ab eodem Urbano fuit demandata *pag. 16.* Immò ut edita anno 1631. melius innoteſcerent tranſmiſſæ fuerunt literæ circulares omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis Orbis regeſtæ in dictum libellum *pag. 58. & ſeqq.* Ex quo videtur non fuiſſe habitam de illis tantam ſolicitudinem, quod illicò deberent ligare, & quòd non prodeſſet allegatio ignorantiæ, *arg. cap. Cum ad audientiam de decim. & l. un. §. fin autem, C. de caduc. tollen.*

16 Hinc licèt obtendatur, quod manus appoſitio liget etiam ignorantes perindè ac ſi eſſet decretum irritans, id tamen procedit in appoſitione manus facta per Summum Pontificem motu proprio, & ex certa ſcientia, in quibus terminis loquitur citatus textus *in cap. ut noſtrum de appell.* ut declarat Innoc. *ibi*, & tradit Rip. *in d. cap. Cum M. Ferrarienſis num. 196. de conſt.* ac Butr. *n. 61.* & Abb. *num. 33.* In id autem omnes conveniunt, quòd ante intimationem avocationis Judex poſſit cognoſcere, ut per Rebuff. *de avoc. in præf. quæſt. 4. num. 2. & ſeq.* advertentem de hac re eſſe textum ſingularem *in l. ſi forte ff. de offic. Præſid.*

CONSULTATIO LXIX.

An, & quatenus in cauſis canonizationis remiſſoria in ſpecie concedenda ſit?

PRimum, conſtare debet tàm de validitate, quàm de revelantia proceſſus ſuper inquiſitione in genere, quemadmodum eam, peracta tali inquiſitione in genere, concedendam eſſe, docet Hoſt. *in cap. 1. num. 2. de reliq. & ven. Sanct.* & decernunt decreta noviſſima *pag. 50.* 1

Validitas autem pendet ex obſervatione omnium, quæ a ſacris Canonibus, & a dictis decretis præſcribuntur. Relevantia verò probatur ſi juxta theoricam Hoſtienſis loco allegato proceſſus iſte contineat ſolùm inquiſitionem de fama ſanctitatis, de devotione populi, & de miraculis in genere tantùm, non autem in ſpecie. Idipſum, quòd ſcilicèt præcipuum fundamentum hujus proceſſus conſiſtat in probatione famæ ſanctitatis in genere, ſtatuitur in decretis *pag. 49. in fine.* 2

Secundò. De hac fama Sanctitatis in genere tàm in vita, quàm poſt mortem concludenter deponere debent omnes teſtes, recenſendo etiam virtutes heroicas, in quibus Dei Servus eluxit. Ex quibus nedum fama ſanctitatis, ſed etiam ipſa ſanctitas dicitur probata, cùm Sanctus dicatur ille, qui in ſingulis virtutibus excellit, ut optimè tradunt Doctores *in d. cap. 1. ſub initio de reliqu. & ven. Sanct.* & alii relati a Contilor. *de canonizat. cap. 14. num. 4.* 3

Argumenta itaque Sanctitatis tàm in vita, quàm poſt mortem eliciuntur ex ipſis teſtium depoſitionibus. In vita, ut ſi Dei Servus fuerit inſignitus quàmplurimis donis ſupernaturalibus, præſertim prophetiæ linguarum, ſplendoris in oratione, & converſationis cum Angelis. Hæc enim eſſe ſigna præcipua Sanctitatis, cùm ſint ſupra vires naturæ creatæ, probat Contilor. *d. cap. 14. n. 39.* Et in ſpecie de dono prophetiæ, licèt enim futurorum prædictio dari poſſit in dæmonibus, & in phreneticis, ut ajunt D. Thom. *2. 2. quæſt. 191. art. 5.* & D. Auguſtinus *lib. 6. de divin. dæmon. cap. 3. & 8.* eam tamen, quando eſt juncta cum charitate, præbere validum Sanctitatis argumentum poſt Triumph. *de poteſt. Eccl. qu. 15. art. 5.* firmavit Rota *in relat.* B. Paſchalis Baylonis *tit. de don. prophet.* & proſequitur Contilor. *d. cap. 14 num. 20.* & Card. Bona *de diſcret. ſpir. cap. 10.* ac nos *tom. 1.* 4

Donum etiam linguarum fuiſſe proprium Apoſtolorum, habetur in eorum *Act. cap. 2.* & eſſe indicium Sanctitatis, & gratiæ divinæ adſcribendum, ait Paulus *1. Cor. cap. 14. num. 17.* & D. Thom. *2. 2. quæſt. 176. art. 1. ad 2.* cum aliis per Contilor. *eod. cap. 14. num. 38.* 5

Item ſplendor, ſive fulgor in facie relucens eſt ſignum peculiaris amoris, & charitatis erga Deum, ut fuit dictum *in relat.* S. Ludovici Bertrandi *mirac. 4.* & S. Ignatii *tit. de temperantia.* Iſta enim claritas vultus communicatur hominibus ex conſortio ſermonis Dei, ut inquit Abulenſis *Exod. cap. 34.* fuitque D. Bernardo peculiariter conceſſa, ut legitur in ejus vita apud Sur. *lib. 3. cap. 1.* Quo fulgore aliàs Moyſes non modò ornatus, ſed armatus apparuit aculeata facie pulcher ut Luna, quando cornibus terribilis intuentium aciem reverberabat. 6

Nec minus validum argumentum ſanctitatis præbet converſatio cum Angelis, ut habetur *in Conſtitutione* 77. Clementis VIII. ſuper canonizatione S. Raymundi *§. 37.* ubi inter alia hoc recenſetur uti maximum puritatis, & ſanctimoniæ indicium. Quod etiam tradidit Rota in relatione S. Franciſcæ Romanæ *part. 2. articul. 14.* 7

Ac inſuper penetratio cordium, quam ex Gentilibus etiam ſoli Deo tribuit Xenophon. *de dict. & fact. Socratis*, cujus meminit Majol. *dier. canicular. tit. Vaticinia.* Inter enim diviſiones gratiarum enumerat Apoſtolus *1. ad Cor. 12.* penetrationem cordium ad illa verba: *Alii gratia ſanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum.* Attamen ſpirituum diſcretio, quæ convenit cum penetratione cordium non ſolùm in vim gratiæ gratis datæ accipi debet, ſed in præcipua miraculorum claſſe collocari, ut docet Divus Thom. *2. 2. quæſt. 151. art. 2. ad 3.* explicans præfata Apoſtoli verba ſic: *Omne donum gratiæ hominem elevat ad* 8

ali-

aliquid, quod eſt ſupra naturam humanam. Quod quidem poteſt eſſe dupliciter. Uno modo quantum ad ſubſtantiam actus, ſicut miracula facere, & cognoſcere occulta divinæ ſapientiæ. Et *articul.* 1. ejuſdem *quæſt.* explicans itein ſupradictum Apoſtoli contextum ita inquit: *Ea autem, quæ ſupra humanam cognitionem divinitus revelantur, non poſſunt confirmari ratione humana, quam excedunt, ſed ſecundùm operationem virtutis divinæ ſecundùm illud Marci ultimo: Prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermone confirmante ſequentibus ſignis.* Penetratio autem cordium non fit, niſi per revelationem ſupra humanam cognitionem divinitus factam, exceditque humanam rationem, immò eſt veluti demonſtratio divinæ virtutis & poteſtatis, juxta illud D. Ambroſii *ad cap.* 5. *Luc.* ubi ſic ait: *Ex ipſis operibus ſuis Dei filius accipit teſtimonium, & volens ſalvos facere peccatores ex occultorum cognitione Deum ſe eſſe demonſtrat.* Eſtque illud, quod inter Sanctorum miracula approbat, & commendat Eccleſia, ut videre eſt in lectionibus, & vitis multorum, qui in ædificationem fidelium, & eorum emendationem cordium ſecreta, & occulta manifeſtabant, ut teſtatur Eccleſia de S. Franciſca Romana, quæ *cordium ſecreta penetravit*, & de S. Philippo Nerio, qui in animorum *ſenſibus penetrandis mirificè enituit*, & de S. Ludovico Bertrando, *qui pleriſque corda ſecreta detexit.*

9 Neque ſolùm in opere lucebit mira occultorum penetratio, ſed etiam ratione finis magno erit miraculo, ſi ordinetur ad animæ ſalutem. Unde continebitur in illa duplex miraculi ratio, & divinæ revelationis, quæ occultum agnoſcitur, & ſpiritualis medicinæ, qua anima curatur. Quod excellentius eſt. Nam juxta communem Patrum doctrinam ſpiritualia miracula potiora ſunt. Et hoc eſt etiam, quod in commendationem miraculorum S. Nicolai Epiſcopi aſſerit S. Andreas Cretenſis *ſerm.* de ejus feſto per hæc verba: *Neque enim in fideles ſolùm miracula operatur, ſed ex abundantia gratiæ ad eos etiam, qui extranei a myſterio ſunt, munera explicat.* Hanc autem penetrationem verſari circa cognoſcenda omnia occulta cordium juxta illud Hierem. 17. *pravum eſt cor hominis, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans corda, & renes*, docet D. Thomas 1. *ad Cor.* 12. *lect.* 2. & 1. 2. *quæſt.* 111. *art.* 4. *in corp.* & D. Cyrillus *in cat. Græcor. Patr.* ad illa verba Chriſti *Luc.* 5. Phariſæos increpantis, quando de ipſo murmurabant, dicentes, *quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* Quibus Chriſtus reſpondit, *quid cogitatis in cordibus veſtris?* ait Cyrillus nomine Chriſti: *O Phariſæi, quid diciti is, qui poteſt peccata dimittere, niſi ſolus Deus? Reſpondeo vobis, quis poteſt ſecreta cordis ſcrutari, niſi ſolus Deus?* Quapropter cùm penetratio cordium ſit ex ſublimioribus divinæ poteſtatis argumentis, meritò inter illuſtria miracula numerari debet.

10 Poſt mortem verò, ſi teſtes deponant de ſpontaneo totius populi concurſu cum maxima veneratione, & acclamatione communis Sanctitatis, & quòd illicò cœperit devotio ſemper aucta, & quæ in dies augetur. Spontaneum enim concurſum poſt obitum magnum præbere Sanctitatis indicium, cum occulto quodam impulſu Deus movere ſoleat hominum corda, ut ad colendum, precandum, venerandumque accedant, illiique oſtendat Servi ſui Sanctitatem, dixit Rota in relatione S. Caroli *arg.* 24. & de populi devotione habetur in aliis cumulatius a Contilorio *d. cap.* 14. *a num.* 40.

11 Et denique ſi deponant de pluribus miraculis tàm in vita, quàm in morte, & poſt mortem in genere tantùm abſque definitione caſuum particularium, ut ex hujuſmodi depoſitionibus ſatis probari miracula in genere dixit Molpheſ. *conſ.* 46. *num.* 65. & 70. & poſt alios Contilor. *cap.* 18. *num.* 28. & *ſeq.* Miracula autem poſt mortem eſſe certiſſimum Sanctitatis indicium, habetur in citata Conſtitutione Clementis VIII. §. 43. & pluribus comprobat Contilor. *eo cap.* 14. *num.* 16. Et licèt iſta generalis probatio non ſufficiat ad canonizationem, ſufficit tamen ad effectum concedendi remiſſoriam ſpecialem pro illis in ſpecie probandis ex deductis a Contilor. *d. cap.* 18. *num.* 28.

CONSULTATIO LXX.

An Ordinarii poſſint delegare viris in dignitate conſtitutis proceſſum ſuper non cultu?

1 NOn videtur. Quia noviſſima decreta *pag.* 20. loquuntur de proceſſu conficiendo ab Ordinario, ibi: *particularis proceſſus cum ſubſequenti pronunciatione Ordinarii.* Quo nomine venit is ſolùm, cui competit

juriſdictio jure proprio, Soc. ſen. *in l. more majorum numer.* 17. *ff. de juriſd. omn. Jud.* Menoch. *de arb. lib.* 1. *quæſt.* 12. *num.* 9. Ricc. *in pr. part.* 2. *reſolut.* 304. *num.* 1. Et licèt congruat etiam inferioribus Epiſcopo ex notatis per Gloſſam, & ſcribentes *in cap. ut animarum, de Conſtitut. in* 6. Intelligitur tamen de inferioribus, qui ex electione habent dignitatem, & juriſdictionem, ut ibi poſt Archidiaconum in ſpecie adnotant Cardin. Zabarell. *in repet. num.* 8. & Mareſcot. *num.* 72. Atque ideò Gomez. *num.* 62. inquit textum *in cap. Ordinarii de offic. ordin. in* 6. reſtringi debere ad illos inferiores tantùm, qui habent territorium, & juriſdictionem propriam. Nec proindè verba ſuperiùs adducta convenire poſſunt inferioribus Epiſcopo, qui carent territorio ac juriſdictione propria.

Verùm contra ſentiendum eſt. Quia tàm nova decre- 2
ta Urbani VIII. ſub anno 1634. *pag.* 11. §. *Nec quiſquam Ordinariorum*, & iterùm ibi: *Et niſi poſtea Ordinarius*, quàm noviſſima ſub anno 1642. in quibus præſcribitur forma proceſſus particularis, non loquuntur de Ordinario, ut Epiſcopo loci, aut alio ſpeciali excluſivè, quod ad alios, ſed generatim, & indiſtinctè de Ordinario, vel Epiſcopo, ut ſignatè habetur *pag.* 20. §. *particularis proceſſus*, ubi in ea parte commiſſionis generalis, in qua datur facultas conficiendi proceſſum particularem extra Curiam dicitur *alicui Epiſcopo*, ac ideò hujuſmodi facultas non eſt reſtringenda ad Epiſcopum, ſeu Ordinarium localem alicujus loci particularis. Eòque magis, quia eadem decreta videntur declarata *in §. Poſtquam verò pag.* 37. ubi cavetur inquiſitionem ſuper fama, devotione populi, & miraculis committendam eſſe aliquibus Epiſcopis patriæ, viciniæ, ſeu Provinciæ illius, qui poſtulatur canonizari. Nimirùm quòd in fortioribus terminis ad conficiendum proceſſum particularem ſuper exequutione decretorum Urbani non videtur neceſſaria illa juriſdictio Ordinarii, & loci alicujus præcisè, ſed ſufficit ordinaria alicujus Epiſcopi patriæ, viciniæ, ſeu Provinciæ canonizandi.

Ideòque cùm decreta non requirant abſolutè, quòd 3
Epiſcopi, & Archiepiſcopi procedant per ſeipſos, ſed complures, ac præcipuè ubi agitur de confectione proceſſus ſuper non cultu, loquuntur ſimpliciter de Ordinariis ſub nomine Dignitatis, *ut d. pagin.* 20. §. *particularis*, utique non important induſtriam perſonæ electæ, *capit. licet* ubi Doctores, *de offic. ordin. capit. quoniam*, ibique Abb. *de offic. de leg.* neque excludunt, quin ipſi delegare alios poſſint, ut de jure ipſis eſt permiſſum, tanquam delegatis Principis, *l. a judice, C. de judic. capit. Paſtoralis de offic. deleg. capit. cum cauſam in fin. de appel.* & in ſpecie de Epiſcopo delegato Papæ probatur textus *in capit. fin. §. idem quoque*, ubi Gloſs. *v. cum mandatur, de offic. deleg.* & *in cap. fin. de off. ord.* Gloſs. *in cap. ſtatutum, §. in nullo v. deſignatis de reſcript. in 6.* & *in cap. ut litigantes, v. jure metropolitico*, & *v. committat eod. lib.* ac plenè Sanchez *de matr. lib.* 2. *diſp.* 40. *num.* 13. *cum ſeq.*

Quinimmò eadem decreta permittunt expreſsè delega- 4
tionem in caſu infirmitatis, ſive alterius impedimenti, ut in literis circularibus *pagin.* 59. *v. Sed ſi ob invaletudinem, ſive ob legitimum aliud*, & *grave impedimentum id conficere non valebis, ſuper quo conſcientiam tuam onerat eadem Congregatio, poterit Amplitudo tua delegare Vicarium ſuum generalem, vel alium in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutum.* Qua in re abſque alia impedimenti probatione credendum eſt aſſertioni Ordinariorum. Quando enim oneratur conſcientia alicujus, creditur ejus aſſertioni, nec requiritur alia probatio, Gloſs. *in cap. ſtatutum, §. aſſeſſorem, v. relinquatur de reſcript. in* 6. Bald. *in l. rem non novam num.* 4. *C. de jud.* Alex. *conſ.* 2. *num.* 2. *lib. item* 2. Quod antea ſancitum fuit jure canonico *in cap. quod ſedem de offic. ordin.*

Nihilque refert, quòd appellatione Ordinarii veniat 5
is ſolus, cui competit juriſdictio jure proprio, nec proindè conveniat inferiori carenti juriſdictione, ac territorio. Primò, quia facultas conficiendi proceſſum particularem Ordinariis conceſſam in novis decretis *pag.* 10. & *ſeq.* eſt delegabilis tàm de jure communi per textum *in l. in princip. ff. de offic. ejus, cui mand. eſt juriſd. dict. l. more majorum, ff. de juriſd. omn. Jud. capit. fin. de offic. ord.* cùm aliis, quàm ex præſcripto novorum decretorum. Quoniam cùm in illis juriſdictio, Ordinariis competens ex privilegio Principis, non perſonæ, ſed dignitati, vel officio conceſſa ſit per expreſſionem ſolius dignitatis, utique hujuſmodi poteſtas non cenſetur delegata, ſed ordinaria, & poteſtatis ordinariæ vires, ac jura habet ſecundùm Bartol. *in l. ambitioſa* 34. *ff. de decret. ab Ord. fact.* Andr. *in Addit. ad Specul. tit. de leg. §. ultim.* Bald. *in cap. fin. num. un.* ibi-

que etiam Imol. *circà fin. de offic. Ordin.* Sylveſtr. *v. delegatus quæſt.* 4. Covar. *var. lib. 3. cap.* 20. *num.* 6. 9. & 10. Atque adeò delegabilis juxta Gloſſ. *in d. cap. fin. v. caſibus, de offic. Ord.* ubi Jo: Andr. *num. 3.* Butr. *num.* 4. Bald. *d. num. unic.* & Abb. *num. 3* ac tradit Felin. *in cap. fin. num.* 8. *de offic. deleg.* Jaſon. *in d. l. a Juaice num.* 2. *Cod. de judic.* Tantòque magis, quia non poteſt dici electa induſtria perſonæ Ordinarii, cui generaliter, ac perpetuò datur facultas conficiendi hujuſmodi proceſſus. Quoties enim aliquid committitur Prælatis præſentibus, & futuris in perpetuum, non poteſt dici electa induſtria perſonæ, quia perſonæ incognitæ non delegatur, Jaſ. *in d. l. more majorum num.* 65. Sanchez alios referens *d. lib.* 2. *diſp.* 41. *num.* 27.

9 Secundò, quia licèt perſona delegata careat territorio, & juriſdictione propria in civitate territoriali, & juriſdictionali Epiſcopi, non tamen caret juriſdictione legitimè ſibi delegata ab Epiſcopo habente propriam juriſdictionem ipſi uti Ordinario ex præſcripto eorumdem decretorum inhærentem ratione dignitatis, etſi limitatam in territorio ſuæ diœceſis juxta theoricam Bald. *in l. fin. num.* 2. *Cod. ubi, & apud quem*, dicentis per illum textum, loquentem de reſtitutione in integram, juriſdictionem ordinariam, & contentioſam inhærere territorio, tanquam in ſe, & per conſequens limites juriſdictionis eſſe ſecundò limites territorii, eſſe tamen in Judice tanquam in perſona, & propterea reſpectu Judicis juriſdictionem, & officium Judicis univerſaliter conſideratum dici quaſi unum, ac idem, atque adeò illam eſſe delegabilem. Quia tunc delegatus non utitur juriſdictione propria, ſed delegantis, ut ex eodem Baldo inquit Caſtr. *ibi num.* 3. Ex quibus Alber. Brun. *de ſtat. v. Epiſcopus* infert, Conſtitutionem loquentem de Epiſcopo, locum habere etiam in delegato.

CONSULTATIO LXXI.

De quo genere intelligendus ſit Hoſtienſis loquens in materia canonizationis de inquiſitione in genere antequam deveniatur ad inquiſitionem in ſpecie, & remiſſoria concedatur?

1 HEnricus de Seguſio Cardinalis Hoſtienſis, ſui ſæculi graviſſimus Canoniſta, purpura, & ſapientia clarus *in cap.* 1. *de reliqu. & ven. Sanct.* verbis illis *ſub n.* 5. *ſibi reſcribant, quæ invenerint, & an eis videatur, quod ſuper veritate eorumdem, & in ſpecie ſit inquiſitio committenda*, cujus dictum reperitur in noviſſimis decretis, non videtur intellexiſſe de genere, prout eſt quoddam abſtractum prædicabile per intellectum, de quo Baldus *in rubr. Cod. qui admit num.* 7. ſed de probando per ſingula generis, nam repræſentatur in qualibet ſpecie juxta declarationem ejuſdem Bald. *in l. de quibus n.* 1. *ff. de legib.* cùm uſus ſit verbo *invenerint* non congruente cum his, quæ percipiuntur ſolo intellectu. Quia invenire ſecundùm Bartol. *in l. nunquam* 31. *num.* 131. *ff. de acquir. rer. dom.* propriè eſt per apprehenſionem, ac propterea Luc. de Pen. *in l. quiſquis* 6. *num.* 1. *C. de omn. agr. deſer. lib.* 1. dixit, invenire eſſe in id venire, quod quæritur, ſive in rem venire, ejuſque quaſi poſſeſſionem adipiſci. Quare debent præſcribi ſingula in quolibet genere reapſe inventa per famam publicam, ut veritas eorumdem ſingillatim poſtea inquiri poſſit, ut ex ſequentibus verbis ejuſdem Hoſtienſis, ibi: *Tertiò, ſi reſcribant talia, per quæ videatur, quòd inquiſitio veritatis committi debeat*. Dictio enim illa *Talia* certam ac determinatam qualitatem repetit, Decian. *conſ.* 500. *num.* 14. Seraphin. *deciſ.* 822. *num.* 2. Qualitas autem ſecundùm Juriſtas ſignificat ſubjectum principale, ut Baldus adnotat *in l. etiam* 20. *num.* 1. *C. de fideicom.*

2 At verò ponderandum eſt, quòd totus hic proceſſus conſiſtit in probanda Sanctitatis, virtutum, ac miraculorum fama in genere, non autem in genere ſuper veritate, nullatenus præmiſſa, niſi prius abſoluta inquiſitione generali, ac propterea requiſitis per Hoſtienſem, & noviſſimis decretis fit ſatis, poſtquam facta ſpeciali commemoratione omnium, & ſingulorum actorum, teſtiumque examinatorum, ac jurium in dicto proceſſu exhibitorum, reſponſum fuerit, ex his omnibus, & ſingulis ritè ac rectè peractis ſufficienter conſtare de publica, conſtanti, ac notoria fama ſanctitatis, virtutum, & miraculorum in genere Servi Dei, præcipuè in civitate, Regno, aliiſque partibus, &c. Ideòque poſſe ſuper eiſdem Apoſtolica authoritate ad inquiſitionem ſpecialem deveniri. Nam publicitas, notorietas, ac perſeverantia dictæ famæ attendi debet in ſua generalitate. Quia inſpicimus genera ſingulorum non ſingula generum juxta Bald. *in l. non eſt novum num.* 6. *ad med. C. de legib.* Covar. *in cap. Cum eſſes num.* 8. *de teſtam.* Rauden. *in annal. lib.* 1. *cap.* 28. *num.* 48.

Eòque maximè, quia Hoſtienſis non deſiderat individuam expreſſionem ſingulorum de quolibet genere ſubalterno dictæ famæ, unde contrarium innuere videtur, dicendo enim, quòd ſi talia non reſcripſerint, per quæ eis videatur, quòd inquiſitio veritatis committi debeat, perneceſſe fatetur, non eſſe faciendam inquiſitionem de ſingulis generum ſuper veritate dictæ famæ, niſi præceſſerit inquiſitio ſuper generibus ſingulorum ejuſdem, id eſt fama ſanctitatis, virtutum, ac miraculorum abſque alia individuorum expreſſione. Ac proindè dictio *Talia* intelligenda eſt de talibus in genere virtutum, & miraculorum, non autem de ſingulis eorumdem, ſolùm deducendis in inquiſitione ſpeciali. 3

Unde ſatis eſt ad effectum inquiſitionis generalis, quòd teſtes deponant Servum Dei ſupra naturam plurima, & maxima effeciſſe in vita, in morte, & poſt mortem, de qua re extat præcipua doctrina Marian. Socin. *in capit. qualiter, & quando numer.* 183. *de accuſ.* dicentis, quòd aliud eſt velle probare quod quis effecerit tale miraculum, aliud quòd ſit patrator miraculorum, comprobatque pleniori diſtinctione Malvet. *de canoniz. dub.* 3. *numer.* 70. *& ſeqq.* quòd quoties agitur de probandis miraculis in genere, ſeu aliquem patraſſe miracula, teſtis ritè intelligitur depoſuiſſe, ſi ſuper principiis de quidditate rei directè interrogetur, & a priori reſpondeat ſuper quidditate, & eſſentia miraculi in genere, recenſendo talem patraſſe miracula, ſeu fuiſſe patratorem miraculorum, neque opus eſt, ut deponat de actibus particularibus ſingulorum miraculorum, quæ concernunt inquiſitionem ſpecialem. Hoc idem aliis relatis firmat Contilor. *de canoniz. cap.* 18. *num.* 28. 4

CONSULTATIO LXXII.

An, & quatenus pro canonizatione Martyris requirantur miracula? Ubi an ad martyrium requiratur, quòd ſit actus honeſtus, ſitque neceſſarius actus fortitudinis, & ut mors ipſa ſequatur? Aliave Martyris requiſita ubi conſiſtat vera fortitudo, & cur hæretici non ſint capaces martyrii?

AD primum. Non requiri, probant communiter DD. apud Contilor. *de canoniz. Sanctor. capit.* 21. *a numer.* 5. Lezan. *conſult.* 1. *numer.* 15. & Bordon. *contr.* 13. *numer.* 34. Requiri verò tutius cenſet idem Contilor. *loc. cit. numer.* 11. & Caſtellan. *de canoniz. quæſt.* 5. *numer.* 25. cum rationibus ibi deductis. Unum atque alterum tamen, quod pro negantibus affertur, non intermittendum videtur. 1

Siquidem ad martyrium, quod juxta illud *Act. cap.* 1. *Eritis mihi teſtes in Jeruſalem*, definitur a Sylveſt. *in ſumm. v. martyrium*, teſtimonium, ſeu teſtificatio chriſtianæ veritatis, & a Viguer. *inſtit. theol. rubr. de fortitud. c.* 1. voluntaria mortis perpeſſio, ſive tolerantia propter fidem Chriſti, vel alium virtutis actum in Deum, tria potiſſimùm requiri docet Silveſt. *ubi ſuprà*. Primùm, ut quis mortem obeat. Secundùm, ut eam voluntariè ſuſtineat. Tertium, ut eam ſuſtineat propter veritatem, & confeſſionem fidei, vel alium virtutis actum relatum in Deum, in quo uſque ad finem perſeveret. Quod apertè probat Divus Auguſtinus *de civitat. lib.* 1. *cap.* 26. ac Divus Thomas 2. 2. *quæſt.* 124. *art.* 4. & 5. ex verbis *Matth.* 5. *Beati, qui perſequutionem patiuntur propter juſtitiam*, cujus appellatione venire omnes virtutes ait in eum locum D. Hieronymus in Gloſs. *tom.* 9. concluditque martyrii cauſam eſſe non ſolùm veritatem fidei, ſed opera omnium virtutum, quæ, ſecundùm quod referuntur in Deum, ſunt quædam proteſtationes fidei, per quam nobis innotuit, quòd Deus hujuſmodi opera in nobis requirit, & nos pro eis remunerat. 2

Igitur in Martyre concurrere videntur, quæ pro canonizatione a Doctoribus requiruntur, ſanctitas nimirum, & excellentia vitæ. Sive ſanctitas cum D. Dionyſio *de div. nom.* ſumatur pro perfecta, & omninò immaculata munditia. Nam ſummus Dictator Theologiæ 2. 2. *qu.* 124. *artic.* 3. *in corp.* inquit, cùm charitas ſit vinculum perfectionis, martyrium inter omnes actus virtutis maximè demonſtrat perfectionem charitatis. Tantò enim magis oſtenditur aliquis aliquam rem amare, quantò rem magis amatam contemnit, & magis odioſam pati eligit. Certum autem eſt, quod inter omnia alia bona præſentis vitæ maximè homo amat ipſam vitam, & contra magis odit mortem, & præcipuè cum doloribus tormentorum corporalium, quorum metu etiam bruta animalia abſtrahuntur a maximis voluptatibus. Indeque infert, martyrium inter cæteros actus humanos eſſe perfectius 3

ſecun-

secundùm suum genus, quasi maximæ charitatis signum juxta illud *Jo:* 5. *majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Et in responsione *ad* 2. ait: Martyrium secundùm se perfectius esse, quàm obedientiam, sicut de Christo inquit Apostolus *ad Philip. factus est obediens usque ad mortem.*

4 Hinc Divus Augustinus *epist.* 69. inquit, martyres uno actu perfectionem assequutos fuisse. Et *tom. 6. lib. de sanct. virginit. cap.* 46. propè finem martyrium esse præferendum virginitati. Et in sermone de Sanct. Cypriano, facilè esse martyrem celebrando venerari, magnum verò quidem ejus patientiam imitari. Quapropter *tom. 8. in enarrat. ad Psalm.* 67. ait, martyres in Ecclesia locum summum tenere, atque apicem summæ dignitatis excellere. In martyrio quippè primum confessio est, & pro illa quidquid acciderit tolerandi sequens assumitur fortitudo, deindè post omnia tolerata finitis angustiis latitudo consequitur in præmio. Potest & sic intelligi, ut quoniam tria hæc commendat Apostolus fidem, spem, charitatem, confessio sit in fide, fortitudo in spe, latitudo in charitate fidei, quippè res est, ut corde credatur ad justitiam, ore autem confessio fiat ad salutem. In passionibus autem tribulationum res tristis est, sed spes fortis est. Si enim quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus, latitudinem verò præstat charitatis in corde diffusio. Nam consummata charitas foras mittit timorem, qui timor tormentum habet per animæ angustias. Et *ad psal.* 118. *concl.* 300. purpuratam esse universam terram sanguine martyrum, insignita esse tempora natalibus martyrum, crebrescere sanitates meritis martyrum. Inferens propterea *tom.* 10. *serm.* 5. *de plurib. martyr.* Martyrium est indulgentia criminum, virtutum caput, occasio justitiæ, dominicæ passionis imitatio, confessionis enim mors est, sed hæreditas vitæ.

5 Hinc etiam Viguerus loco allegato notat, quòd cum actus martyrii difficultatem habeat ex parte objecti, & impossibile sit inveniri majorem, totus labor, quem sustinet aliquis confessor longo tempore quoad gennis meriti, nequit adæquari morti, quam martyr sustinet in temporis momento. Per mortem enim, quam Aristoteles 3. *Eth.* ait, finem esse omnium terribilium, fit privatio ejus, quod est maximè diligere, scilicet vivere, & esse, ideòque circa eam potissimùm fortitudinis virtus præcellet, ut experientia compertum est, ex eo, quòd homines diuturnis afflictionibus detenti, horrent a morte, quasi eligentes magis pati alias afflictiones, quàm mortem. Unde idem Arist. 9. *Eth.* excellentiam virtutis meritò constituit in eo, qui se exponit morti, & magis eligit unam actionem bonam & magnam, quàm multas pœnas quasi ille actus fortitudinis in sustinendo mortem præponderet multis aliis virtutis operationibus.

6 Sive cum Divo Augustino *lib. de doct. christ.* ac eodem Divo Thoma 2. 2. *quæst.* 87. *art.* 8. sanctitas vitæ sumatur pro virtute generali, continente omnes virtutes in gradu excellenti, sive pro omnium virtutum excellentia. Nam Piccolomineus *de morib. grad. 6. cap.* 2. Heros definivit, esse homines, qui per eximiam aliquam virtutem adepti sunt conditionem supra humanam, resulgentem, per quam, vel præclaram ducunt vitam, vel vita functi per ora hominum celeberrimè circumferuntur. D. Augustinus autem considerans actus fortitudinis, quos Catholicæ Ecclesiæ Sancti Martyres tàm internè, quàm externè inter carnificum ac tortorum manus perferunt, in hanc rem dicebat *lib.* 10. *de civitat. capit.* 21. *Martyres nostri Heroes nuncupantur, si usus Ecclesiasticis sermones admitteret.* Immò Paulus Apostolus *ad Rom.* 6. de seipso dicebat: *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus, & certus sum, quod neque vita, neque creatura alia poterit me separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu.* Unde Clemens Alex. *libr.* 4. *strom. de martyr.* ajebat: *Vocamus jam martyrium perfectionem, quoniam homo non accipit in eo finem sicuti reliqui, sed quoddam perfectum opus charitatis ostendit*, subdens idcircò, Dominum docuisse summam totius virtutis fore, & nos oportere ex cognitione, id est ex fide propter charitatem in Deum mortem contemnere.

7 Ex quibus Canonistæ communiter ac Theologi inferunt, martyrium implere vicem baptismi. Quia illius Sacramenti virtute omnia complentur ex eo, & peccatorum omnium rubigo, ac labes abstergitur, gratiaque sanctificans verè confertur. D. quippè Augustinus *tom. 5. lib. 13. Civitat. cap.* 7. ait: *Quicumque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantùm eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis.* Qui enim dixit *Jo:* 13. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Cœlorum*, alia sententia istos excepit *Matth.* 10. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est*, & alio loco: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Hinc scriptum est, *pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus*. Quid enim pretiosius, quàm mors, per quàm fit, ut etiam delicta omnia dimittantur, & merita cumulatius augeantur? Neque enim tanti sunt meriti, qui, cùm mortem differre non possent, baptizati sunt, deletisque omnibus peccatis ex hac vita emigrarunt, quanti sunt hi, qui mortem differre non possent, ideò non distulerunt, quia maluerunt Christum confitendo finire hanc vitam, quàm eum negando ad ejus baptismum pervenire, ut ait idem Augustinus *de civit. lib.* 8. *cap.* 7. Tertull. *de baptism. cap.* 16. de quibus fit mentio *in cap. baptismi vicem & in can. cathecumenum de consecr. d.* 3. & Cyprian. *epist.* 79. D. Thomas *part.* 3. *quæst.* 87. *art.* 1. Less. *de just. lib.* 3. *de fortitud. cap.* 1. *dub.* 5. *num.* 54. & 57. ubi, quòd gratia per martyrium confertur in instanti terminativo, dicente eodem Augustino *ad psalm.* 52. & *serm. 6. de verb. Rom. martyrium esse novaculam criminum, & culparum*. Ac propterea idem Divus Thomas ubi supra adnotat, quòd sicut in Baptismo aquæ liberatur homo ab omni culpa, & pœna, ita in baptismo sanguinis, & deletio totalis pœnæ in martyrio provenit ex merito passionis Christi, cui martyres perfectè confirmantur. Unde de martyribus dicit *Apocal.* 7. *Laverunt stolas suas, & candidas eas fecerunt in sanguine Agni*. Et promiscuè concludunt Doctores in causis martyrum processus canonizationis faciliùs, & breviùs expediri absque alia discussione sanctitatis. Quippè quod martyrium universam in se sanctitatem continet. Host. *in capit.* 1. *numer.* 5. *in fin.* & Joan. Andr. *numer.* 3. *de reliqu.* & *vener. Sanctor.* Chassan. *in cathal. part.* 1. *consid.* 50. Alberic. *in dict. vers. canonizatio*, Rhauden. *in allegat. pro canoniz.* Sancti Bernardini, *vers. hic autem ordo*, August. Triumph. *de potest. Eccles. quæst.* 16. *artic.* 3. *ad* 1. Panvin. *in relat.* S. Bonaventuræ *part.* 2. *artic.* 2. Angel. Rocch. *de canoniz. Sanctor. capit.* 35. Turrian. *de fide disput.* 17. *dub.* 2. Molphes. *cons.* 46. *numer.* 61. Contilor. *d. capit.* 21. *num.* 10. & Bellarm. *lib.* 1. *capit.* 6. *de baptismo*, inferens, quòd Sanctum martyrem nunquam examinat Ecclesia, an antea fuerit in gratia, sed indifferenter omnes honorat, quos constat pro Christo occisos in confessione veræ fidei, & unitate Ecclesiæ.

Prima igitur causa canonizationis est martyrium pro causa fidei, vel virtutis, qui solus titulus sufficit ad sanctificandos Martyres, itaut ad canonizandum martyrem non requiratur aliud, nisi quod certò constet, illum fuisse passum pro Christo, quamvis antea nihil in eo virtutis esset, nec postea fecerit miracula. Unde etiam si quis immediatè ante martyrium fuisset infidelis, vel hæreticus, sed in eo momento conversus martyrium pateretur, eum posse, ac debere canonizari multæ, quæ in martyrologiis habentur historiæ, testantur, quibus narratur ipsosmet persequutores subitò ad Christum conversos, & cum ipsismet, quos persequebantur martyribus passos pro Sanctis martyribus habitos, ac publicè honoratos fuisse. Immò, ut patet in Sanctis Innocentibus pro Christo interfectis, sufficere videtur infantes, ut pro Martyribus habeantur, baptizari pro Christo in sanguine suo. 8

At nihilominus rectius longè dicendum censeo, requiri miraculum ad martyris probationem speciatim firmandam juxta decretum S. Rituum Congregationis sub die 13. Septembris 1642. in quo, relata prius opinione dicentium, miracula non requiri in martyrio, mox animadversione ponderantium, quòd ad consummandum martyrium requiratur voluntas probata patiendi pro fide, vel justitia, & perseverantia in charitate usque ad finem, quæ veritas cùm resideat in corde, cujus tantùm Deus scrutator est, & pendeat ab actu interno finali, non potest probari, nisi per signum a Deo, quod est miraculum, ita concluditur, sed videbantur concordari istæ opiniones ex suppositione, quòd nimirum, dato vero martyrio, miracula non sint necessaria. Ad hoc verò, ut in individuo hoc, & hoc martyrium probetur verum miracula requirenda esse. 9

Ad secundùm. Porrò apud Patres, & Scholasticos ad rationem martyrii adultorum necessarius est actus honestus, nempè ut quis patiatur mortem ob finem honestum, alias si non est actus honestus, non erit Deo gratus, neque merebitur laudem apud Deum. 10

Non obstat, quòd Sancti Innocentes propter Christum mortui sunt, & dicuntur martyres, & tamen nullum habuerunt actum voluntatis. Nam S. Thomas 2. 2. *qu.* 11

124. *art.* 1. *ad* 1. refert, aliquos ſenſiſſe in illis parvulis fuiſſe uſum rationis ex voluntate peculiari Dei. Sed hoc tamquam ſine fundamento dictum rejiciendum eſt. Deindè reſpondet S. Thomas, illis parvulis ob Chriſti meritum collatam eſſe gratiam, & gloriam, quia paſſi ſunt mortem pro Chriſto, quod communiter ſequuntur multi. Itaque voluit Deus, ut propter meritum Chriſti pueri illi, qui propter Chriſti cauſam occiduntur, gratiam Chriſti conſequerentur. De martyrio horum parvulorum legantur Divus Auguſtinus *lib. 3. de liber. arbitr. cap.* 23. Origen. *homil.* 3. in varia loca Evangelii, Pſeudocyprian. *ſerm. de mag.* & alii Patres *in homil. feſtivit. Sanctor. Innocentium.*

12 Quod ad tertium, duo poſſunt diſputari. Unum eſt, an martyrium ſit actus fortitudinis? Aliud, an ad martyrium ſit neceſſarius actus fortitudinis virtutis ſpecialis ex formali objecto illius? Ad primam partem, quod attinet, fuit opinio Martini de Magiſtris, dicentis martyrium eſſe actum ejus virtutis, ob cujus formale objectum movetur quis ad ferendam mortem, verbi gratia, actus charitatis, ſi movetur ex charitate, vel fide, vel alterius virtutis. Probatur primò, quia martyrium erit, ſi quis patiatur mortem injuſtè illatam ex fine charitatis propter Deum in defenſionem fidei. Secundò, quia martyrium poteſt eſſe ſine formali actu fortitudinis, ſi fiat ex fine honeſto. Atque adeò non eſt actus fortitudinis. Leſſius *lib. 3. de juſt. cap.* 1. *dub.* 2. docet, actum amplectendi mortem, & ferendi illam poſſe ad varias virtutes pertinere, ut conſtat, dicit tamen actum fortitudinis, quia procedit ex ſumma voluntate firmiter in bono conſtituta.

13 Sed, ut diximus, aliud eſt quærere, an martyrium ſit actus fortitudinis ſpecialis eſſentialiter, aliud an requirat materiam fortitudinis. Sicut aliud eſt comedere temperatè eſſe actum formalem temperantiæ, aliud eſſe materiam ſpecialem temperantiæ.

14 Hoc autem præmiſſo, dicendum eſt, martyrium eſſe ſemper actum fortitudinis ex objecto materiali. Quia, ut ſupra diximus, pericula mortis ſunt materia virtutis fortitudinis, ſicut comedere temperatè eſt actus temperantiæ ex objecto materiali, licèt fiat ex fine charitatis. Deindè qui putant ad actum virtutis ſpecialis non eſſe neceſſariam expreſſam tendentiam in objectum formale propter ipſum, dicent martyrium ſemper eſſe actum fortitudinis ſpecialis propter ſpecialem materiam. Sed illud principium examinatur a viris doctis in materia de bonitate, & malitia actuum humanorum, & illis non probatur.

15 Secundò, dicendum eſt, eſſentiam martyrii poſſe conſiſtere ſine ratione formali fortitudinis ſpecialis. Patet. Siquis enim pro veritate fidei defendenda ſuſtineret mortem ex fine obedientiæ, vel charitatis, quod ex Patribus conſtat, nefas eſt negare talem actum eſſe martyrium. Et hoc probant rationes primæ opinionis. Semper tamen martyrium eſt actus fortitudinis generaliter, ut dicit firmitatem in bono. Quod apertè conſtat cùm quis patiatur mortem, ne recedat a bono fidei. Notandumque eſt, rationem D. Thomæ *in art.* 2. probare martyrium eſſe actum fortitudinis ex objecto materiali.

16 Ad quartum referuntur aliqui, exiſtimantes mortem non eſſe de ratione martyrii, & variè explicant naturam martyrii. At D. Thomas *in art.* 4. rectè explicat rem, & in corpore dixit ad perfectam rationem martyrii requiri, quod aliquis mortem patiatur pro Chriſto. Et cum Divus Thomas dicit ad perfectam rationem martyrii, non negat imperfectum martyrium poſſe dari ſine morte. Et ad primum argumentum docet, Sanctos Patres aliquando appellare martyrem, & martyrium per ſimilitudinem, & hoc ſenſu S. Hieronymus, vel potius Sophronius *ſerm. de aſſumpt. Virg.* dicit, Beatam Virginem fuiſſe martyrem, & ſic dicunt explicanda eſſe ſimilia dicta Patrum. Deindè ad tertium docet, tolerantiam carceris ſolam non dici propriè martyrium, niſi fortè, ut cauſam mortis, & ſic intelligit Eccleſiam celebrare martyrium S. Marcelli Papæ, & aliorum, de quibus Baronius paſſim.

17 Alii verò Doctores aſſignant varios gradus martyrii. Unus aſſignatur, quando paſſionem revera ſequuta eſt mors. Secundus eſt, quando inflicta ſunt vulnera lethalia, ex quibus ſequeretur mors, ſi non impediatur ſupernaturaliter. Tertius dicitur, quando cauſa extrinſeca ſufficiens mortis applicata eſt, licèt ita fuerit impedita, ut nullum damnum intulerit homini. Sicut S. Joannes miſſus eſt in ferventis olei dolium. Quartus eſt, quando ſolùm eſt inchoata paſſio. Et ſic ſæpè Cyprianus martyres vocabat homines pro Chriſto incluſos in carceribus. Legatur idem Cyprianus *ep.* 29. 30. & 37. Valentia, Leſſius, Turrianus, ac Baronius.

18 Deinde ad martyrium requiritur, ut mors non ſit contra voluntatem patientis. Ita communiter Doctores. Aliàs ſi quis nollet pati pro Chriſto non diceretur velle illum confiteri coram hominibus. Infantibus verò patet non eſſe contrariam voluntatem, immò neque voluntatem patiendi.

19 Ulterius requiritur, ut mors obeatur propter fidei veritatem defendendam, vel propter opus honeſtum alicujus virtutis, ut teſtetur quis illud placere Deo, quod pertinet ad fidem, de quo rectè philoſophatur D. Thomas *art.* 5. Et quod mors propter fidem ſit martyrium, manifeſtum eſt. Quod verò ſufficiat pati propter aliquam virtutem, docent D. Thomas, & Patres, qui dicunt, S. Joannem Baptiſtam fuiſſe martyrem, qui paſſus eſt mortem propter caſtitatem, quia reprehendebat Herodem ob adulterium. Quod ſi aliquis patiatur mortem non propter fidem, aut communem doctrinam, ſed propter propriam aliquam peculiarem cauſam non erit martyrium, quia, ut dixit S. Auguſtinus *concl.* 2. *in pſal.* 4. martyrium non facit pœna, ſed cauſa. De quo benè Valentina *punt.* 1.

20 Et ut ſatis intelligatur, in quo vera fortitudo conſiſtat, ne cauſam a morte, non mortem a cauſa pendere cenſeatur, ſciendum, quod excellens certè, & humana contemnens animus cernitur, ſi id ſolùm, quod honeſtum ſit, bonum judicetur. Nec eum, qui gravia, atque acerba infracto animo, ſed qui ea tolerat, quæ decet, cujus cauſa quemadmodum, & quo tempore decet fortem, & magnanimum dixerimus. Pro dignitate enim, & ut ratio jubet, fortis, qui ſolius virtutis cauſa dura, & aſpera contemnit. Si enim aliò reſpiciat, ſi ignorantia cœcatus, ſi ira, odio, dolore, cupiditate, ſi aut pœnæ ſubeundæ metu, aut præmii adipiſcendi ſpe, aut alio affectu abreptus, ſe periculis exponat, a tantæ laudis ornamento removebitur.

21 Hujuſmodi exempla in veterum libris ubique obvia ſunt de quibus inter alios ad hunc modum Tertullianus *ad Martyr. Longum eſt*, inquit, *ſi enumerem ſingulos, qui ſe gladio confecerint, animo ſuo ducti. De fœminis ad manum eſt Lucretia, quæ vim ſtupri paſſa, cultrum ſibi adegit in conſpectu propinquorum, ut gloriam caſtitati ſuæ pareret. Mutius manum ſuam dexteram in ara cremavit, ut hoc factum ejus fama haberet. Non minus fecerunt philoſophi. Heraclius, qui ſe bubulo ſtercore oblitum exuſſit. Item Empedocles, qui in ignes Ætnæi montis diſſiluit, & Peregrinus, qui non ſolùm ſe rogo immiſit, cùm fœminæ quoque contempſerint ignes. Dido cùm poſt virum dilectiſſimum nubere cogeretur. Item Aſdrubalis uxor, quæ cùm jam ardente Carthagine, maritum ſuum ſupplicem Scipionis videret, cum filiis ſuis in incendium patriæ devolavit. Regulus dux Romanorum, captus a Carthaginenſibus, cùm ſe unum pro multis captis Carthaginenſibus compenſari noluiſſet, maluit hoſtibus reddi, & in arcæ genus ſtipatus, undique extrinſecus clavis confixus, tot cruces ſenſit. Beſtias fœmina libens appetiit, & utique horridiores aſpides, ſerpentes tauro vel urſo, quas Cleopatra immiſit ſibi, ne in manus inimici perveniret.* Idem quoque de Chriſtianis ait Hieronymus, immò Apoſtolus potius ad *Galat. cap.* 5. *Longa*, inquit Hieronymus, *oratio, pallor ex jejunio ſequens, non mea ſunt verba, ſed Salvatoris ex Evangelio pertonantis, ipſa quoque caſtitas in matrimonio, viduitate, virginibus ſæpè plauſum quærit humanum, & quod timeo dicere, ſed dicendum eſt, martyrium ipſum, ſi ideò fiat, ut admirationi, & laudi habeamur, fruſtra ſanguis effuſus eſt.*

22 Hos igitur, & alios hujus generis nemo rectè fortes, ac magnanimos dixerit. Neque enim aut pericula ſine cauſa adeunda, neque cum tempus poſtulat, refugienda. Alterum mollis, ac enervati, alterum temerarii, ac præcipitis animi eſt. Nolo hìc, neque neceſſe puto exempla, quibus omnis antiquitas abundat, eorum referre, qui etiam in peſſimis cauſis animo pertinaci, & obfirmato exquiſitiſſima, nullo doloris, ac gemitus ſigno edito, tormenta, quaſi ea in alio corpore exciperent, ſuſtinuerunt. Admiranda quidem, ſed non laudanda illa, ac generoſa magni, & elati animi fortitudo fuit, præſertim cùm in mediis illis tormentis quidam eorum, etiam de ſceleribus ſuis exultarent, & ſe gloriosè ventitarent. Cujus rei memorabile exemplum præbuit Hieronymus Olgiatus, ſive, ut quibuſdam placet, Oleatus, civis Mediolanenſis, unus eorum, qui Galeatium Sfortiam Mediolanenſem Ducem interfecerunt. Nam cùm captus fuiſſet, atque in cuſtodia miſerè diſcruciatus, ut ejus cædis conſcios proderet, licèt vix duos, & viginti annos natus, molli, & effœminato faciei, & corporis totius habitu virgini, quam viro ſimilior, nec armis unquam aſſuetus eſſet, funi, quo torquebatur, appenſus, perinde, ac ſi tribunali inſideret, omnis doloris expers,

ſonora

ſonora voce, & ſuum, & ſociorum facinus ſummis laudibus evehens, nullum omninò pœnitentiæ, nullum formidinis ſignum edidit: Porrò ad locum horrendi ſupplicii deductus, comites, qui metu exangues videbantur, oratione ſua ad fortitudinem animi cohortatus, carnifices orare non deſtitit, ut ipſum ante alios mactarent, quo reliqui ejus exemplo mortem æquiore animo perferre diſcerent. Nudus, ut Baptiſtæ Fulgoſii verbis utar *lib. 3. dict. & fact. memor. cap. 3.* igitur in diſco protenſus, cruribus, brachiſque ad diſci pedes deligatis, cum eos, qui adſtabant, præparatæ mortis ſpecies, atque horror averteret, ipſe ſpecioſis verbis, atque intrepida voce perpetratum facinus extollens, nequaquam ſe, quod tunc inſtabat, ſævum mortis genus curare oſtendit. A ſummo igitur humero uſque ad medium pectus carnificis falce diviſus, nec verbis, nec voce mutata, vitam ſimul cum oratione finivit. Atque ab hoc genere patientiæ ne imbecillis quidem, ac fragilis fœminarum ſexus eſt excluſus, ut de Leæna illa meretrice Epichari, & aliis fœminis proditum eſt. Leæna certè conſcia conjurationis, cum propterea torqueretur a tyranno, & non prodidit conjuratos, & noviſſimè linguam ſuam comeſtam in faciem tyranni expuit, ut nihil agere ſe ſcirent tormenta, etſi ultra perſeverarent, ut eſt apud Tertullianum *loco citato.*

23 Virum igitur magnanimum, ac fortem eum ſolùm definimus, qui ſolius honeſtatis cauſa nulla extimeſcit pericula, nulla deprecatur. Quo eorum mors potiſſimum referenda eſt, qui pro patria, ac vera Religione omnibus ſe periculis, omnique diſcrimini, intrepido animo objiciunt, & exponunt. Hujuſmodi certè, etiam a morte per veram gloriam vivere ſemper intelliguntur. Hic ille Rhetorum campus de Temiſtocle, Meltiade, & aliis claris viris. Hinc illa tàm ampla laus apud Judæos, Gedeonis, Danieſis, Judæ Machabæi, & ſeptem fratrum Machabæorum, & apud noſtros Conſtantini, Theodoſii, Caroli Magni, & Principum Boldoniorium, Gotofredi, & Balduini, & ante omnes Chriſtianorum Martyrum, qui pro Republica, aut fide conſervanda nullis laboribus, nulli vitæ diſcrimini perceperunt. Cauſam itaque reſpicere, non mortem oportet. *Prædonibus*, inquit Chryſoſtomus *orat. 1. adverſus Judæos tom. 5. redduntur, & latera, & monumentorum profeſſoribus, maleficiſque.* Verùm idem patiuntur & Martyres. Facta ſunt eadem, cæterùm animus, & cauſa cur hæc fiant, non eſt eadem, eoque plurimum eſt diſcriminis inter hos, & illos. Quemadmodum igitur in illis non tormentum tantùm expendimus, ſed potius animum, & cauſam, ob quam cruciatus inferuntur, conſideramus, & ob id Martyres amamus, non quod cruciantur, ſed quod ob Chriſtum cruciatus ferunt. Contra latrones deteſtamur, non quia puniuntur, ſed quod ob malefacta puniuntur.

24 Ad quintum. Ratio cur arbitrentur, hæreticos nec martyrii, nec meriti paſſionis Chriſti capaces, qui eandem, eademque de cauſa, & pro eodem Chriſto mortem objerunt, ea eſt, quòd nemo aut martyrii gloriam aſſequi, aut Chriſti beneficio frui poteſt, qui charitate vacuus eſt: Quia deſtituti nec juſti, nec caſti, nec prudentes, nec boni denique homines, tantum abeſt, ut Martyres, ſint dicendi. Ut enim non ſine prudentia, qua eas moderetur, & dirigat, morales, ita nec veras morales, nec divinitus infuſas virtutes cuiquam, abſente charitate, adeſſe facilè crediderim. Finis rerum agendarum ita comparatus videtur, ut prima diſciplinarum axiomata. Atque ideò non magis eum juſtum, prudentem, temperantem, aut fortem appellarim, cujus actiones juſtum finem non reſpiciunt, quam ſcientem, qui rudis, & ignarus eſt ipſorum artis ſuæ principiorum. Scopum autem omnium noſtrarum actionum, ad quem collimare debemus, eumdem, quem Chriſtus toti legi, ideſt charitatem, & dilectionem conſtituo. Eſt enim charitas, quod dici ſolet, omnium virtutum forma. Videndus omninò D. Thomas 2. 2. *quæſt. 66. art. 2. & 4. & 2. 2. quæſt. 23. art. 7. & 8.* Et quamvis bonam eſſe aliquam actionem, etiam ſepoſita charitate, contendas, quales videntur eorum, qui non eo, quo debent, reſpicientes, egenis, vel cibos famelicis, vel veſtes nudis ſuppeditando, proſpiciunt, non tamen actio illa abſolutionem ſuam, aut perfectum virtutis nomen, quemadmodum nec fides, nec ſpes, quæ charitate deficiunt, niſi eo, quo dixi, referatur, habere poterit. Bonum itaque virum ex ordinata, ut Auguſtinus ait *lib. 1. de doctr. chriſt. cap. 27. tom. 3.* dilectione metimur. Quæ in eo ponitur, ne aut diligat quis quod non eſt diligendum, aut non diligat quod eſt diligendum, aut amplius diligat quod eſt minus diligendum, aut æquè diligat, quod vel minus, vel amplius eſt diligendum, aut minus, vel amplius quod eſt æquè diligendum.

Ab iſta verò ita, ut dixi, ordinata dilectione nemo 25
omnium mortalium longius disjungitur hæretici, qui, quod omnium maximè eſt deteſtandum, id eſt hæreſim, ſupra proximum, ſupra totam Eccleſiam, & ſupra Deum ipſum diligunt. Quod certè cum ſumma Dei, verorum Martyrum, & veritatis contumelia fit, cùm martyrium, non a qualibet, quæ tamen in ipſis nulla eſt, ſed a perfecta quadam, cui nihil adjici poteſt, dilectione proficiſcatur. Eſt enim charitatis inchoata, ait Auguſtinus *c. ult. de nat. & grat. tom. 7.* quæ & inchoata juſtitia: eſt charitas provecta, quæ & provecta juſtitia: eſt charitas magna, quæ & magna juſtitia: eſt charitas perfecta, quæ & perfecta juſtitia, *charitas ſcilicet de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta, quæ tum maxima eſt in hac vita, quando pro illa ipſa contemnitur vita.* Charitas itaque ſola cum recta fide conjuncta mater eſt martyrii, quæ ut tum maxima eſt in hac mortali vita cum propter eam vita ipſa deponitur, ita certè in cœleſti regno, multò quàm hic fuit, cumulatior futura eſt. Quæ ſola fide, & ſpe excidentibus, non tamen excidet. Neque enim vel vir bonus, nedum martyr erit, qui non habuerit ſimplicem illum, de quo Chriſtus loquitur, & qui totum corpus illuminat, oculum. Quem, ut habeas, duo potiſſimum, teſte Bernardo *de præcept. & diſpenſ.* exiguntur *Charitas* ſcilicet *in intentione, & veritas in electione.* Ab utraque verò ſunt disjunctiſſimi hæretici.

Quare ex hoc hominum genere martyres oriri non 26
poſſe, duorum Patrum graviſſima aliquot teſtimonia Cypriani Martyris, atque Auguſtini, ut reliquos interim omittam, extare ſcio. *Eſſe martyr non poteſt*, inquit Cyprianus *de unit. Eccleſ. qui in Eccleſia non eſt*: ac paulò poſt: *Cum Deo manere non poſſunt, qui eſſe in Eccleſia Dei unanimes noluerunt. Ardeant licèt flammis, & ignibus traditi, vel objecti beſtiis animas ſuas ponant, non erit illa fidei corona, ſed pœna perfidiæ, nec religioſæ virtutis exitus glorioſus, ſed diſperationis interitus. Occidi talis poteſt, coronari non poteſt.* Et Auguſtinus *lib. 2. contra Gaudent. cap. 13. Rectè*, inquit, *iſta dicerentur a vobis, quærentibus martyrum gloriam, ſi haberetis martyrum cauſam. Non enim fœlices ait Dominus, qui mala iſta patiuntur; ſed qui propter filium hominis patiuntur, qui eſt Chriſtus Jeſus. Vos autem non propter ipſum patimini, ſed contra ipſum. Patimini quippè ideò, quia non ei creditis, & toleratis ideò, ne credatis.* Idem alia ibi *ſer. de mont. lib. 1. cap. 9.* Atque in hunc ſenſum etiam Hieronymus: *ſine charitate*, inquit, *martyrio ſanguis effuſus, corpuſque flammis traditum, coronam non habet præmiorum.* Nec tàm Hieronymus, quàm Paulus 1. *Corinth.* 13. ex noſtra latina interpretatione. *Et ſi tradidero*, inquit, *corpus meum, itaut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Porrò Martyrem neminem eſſe extra Eccleſiam denuò repetit Cyprianus *in ep.* ad Antonianum fratrem, & epiſtolis duabus 54. & 57. ad Jubajanum, & *de orat. Domin.* Quod toties inculcaſſe videtur ſpiritu quodam prophetico. Nam, ſi Socrati, & poſt eum, Nicephoro habenda eſt fides, Novatianus, (ſic legendum haud dubiè pro eo, quod eſt, Novatus) ſub Valeriano martyrium paſſus eſt. Similia D. Auguſtinus contra Donatiſtas, qui ſe de martyrio jactabant Epiſtolis 61. apud Dulcinum, & 167. ad Feſtum, *lib. 1. contra ep. Panorm. cap. 7.* contra Creſm. Gram. *lib. 3. c. 47. & in pſ. 34. & 68.* Sermone quoque 15. *de verb. Apoſt.* D. Hieron. *in c. 1. ad Gal. & in ep. ad Philem.* D. etiam Chryſoſt. *orat. 1. contr. Jud.* & Optat. Milevit. contra Parm. *lib. 3.* Loci notandi contra Anabaptiſtas, & alios hæreticos, qui dum de eis ſupplicium ſumitur, martyres ſe jactant.

CONSULTATIO LXXIII.

An, & quatenus baptiſmi probatio in beatificando ſit facienda?

AFfirmativè, idque pro fundamento in cauſis beatifi- 1
cationis, & canonizationis, cùm nemo ſine baptiſmo poſſit ſalvus eſſe, *can. firmiſſimè de conſecr. d. 4. & cap. majores 3. de baptiſm.* S. Conc. Trid. *ſeſſ. 6. cap. 14. de juſtif.* Unde licèt fuerit articulatus, ſi tamen teſtes ſint de ſimplici auditu, vel de ſola credulitate, nullum probationis gradum conſtituunt. Non priores de auditu alieno; Tum quia eorum teſtimonio non percipitur veritas ſenſus, ſed quædam relatio, carens in ſe fide juridica: Tum quia cauſa ſcientiæ non eſt in eo manifeſtior dicto, ut eſſe debet. Ideoque regulam negativam ſtatuunt congeſti a Farinac. *de teſtib. q. 69. n. 2. cum ſeqq. per text. in c. licet ex quadam* cum ibi notatis a Gloſſa, & Doctoribus

de te-

de teſtib. Neque poſteriores de ſola credulitate, qui nec propriè valent dici teſtes, cùm per nullum ſenſum corporeum deponant ſuper veritatem facti juxta Gloſſ. *in l. 1. §. penult. v. meminerint, ff. de aqu. & aqu. pl. arc. l. teſtes v. præſto, Cod. de teſtib. c. quoties, v. credere extr. eod.* cum aliis adductis a Farin. *q.* 68. *§.* 2. *n.* 62. *& ſeqq.*

2 At verò cenſeò, baptiſmum ad effectum inſpectionis ſuper inquiſitione generali plenè probari per teſtes, non ſolùm deponentes audiviſſe ab ipſis Dei Servis fuiſſe baptizatos in ſuis Eccleſiis parochialibus, ſed etiam ex publica voce, & fama. Quæ ſanè probatio ſufficit pro inquiſitione generali exigente ſolummodò famam, cujus veritas poſtea probabitur ſpeciatim in ſubſequenti inquiſitione ſpeciali. Porrò ſatis eſt ad illum probandum depoſitio unius teſtis juxta Gloſſ. *in can. placuit* 109. *de conſecr. d.* 4. & aſſerit Maſcard. *de prob. concl.* 163. *num.* 1.

3 Immò, quidquid ſit de baptiſmo viventis, ut inquit Contilor. *cap.* 13. *num.* 2. *de canoniz.* cum agatur de baptiſmo defuncti, non eſt neceſſaria illius probatio. Quia in defuncto præſumitur baptiſmus, ut ex Panvin. *in relat. S. Bonaventuræ p.* 1. *art.* 8. ſubdit eo loco Contilor. *num.* 4. Quod ſuaderi poteſt.

4 Primò, quia Dei Servus ortus fuit ex parentibus chriſtianis, & inter chriſtianos verſatus egit vitam chriſtianam. Ex his enim urgentiſſimam oriri baptiſmi præſumptionem ait Caſtellan. *de canoniz. Sanct. q.* 4. Simonet. *in relat. S. Franciſci de Paula v. præterea*, & Rota *in relat. S. Iſidori ac S. Thomæ de Villanova p.* 1. *rubr. de fid.* & Contilor. *c.* 13. *num.* 6.

5 Secundò, quia in loco, ex quo ortum duxit Dei Servus viguerit, ac viget fides catholica, & parvuli in ea ſoleant baptizari, Rot. *in relat. S. Thomæ de Villanova*, & Contilor. *d. loco n.* 5. ex ſententia Aretini *conſ.* 128. *ſub initio.*

6 Tertiò, quod agatur de Servo Dei, qui natus, & educatus inter Chriſtianos, ac Religionem forſitan aliquam a Sede Apoſtolica approbatam profeſſus, vitam religioſiſſimam, puram, ac integram, omnique ex parte perfectam degit, ac in ſanctæ matris Eccleſiæ fide, & Chriſti nominis confeſſione uſque ad obitum perſeveraverit. Nam hoc ipſo baptiſmo flaminis intelligeretur baptizatus, & a vinculo peccati originalis ſolutus, etiamſi antea baptizatus non probaretur baptiſmo fluminis, ut in ſpecie conſideravit Caſtellan. *d. quæſt.* 4. juxta terminum *in cap.* 2. *de presbyt. non baptiz.* & proſequuntur Simonet. *in cit. relat.* Contilor. *d. cap.* 13. *num.* 6. & Rot. *in alleg. relat.* S. Thomæ de Villanova *d. rubr. de fid.*

7 Ex quibus circumſtantiis ſatis præſumi baptiſmum, ait Innoc. *in cap. Veniens in fin. de presb. non bapt.* ibique Abb. *num.* 1. & tradit Hoſt. *in cap. de quibus num.* 1. & Jo: Andr. *in cap.* 2. *num.* 2. *de bapt.* Gloſ. *in can. ſi eos, v. contendimus de conſecr. ead. d.* 4. *& in can. presbyteri v. & conſecrentur d.* 68. probatque Afflict. *in com. ad Conſtit. Neapol. lib.* 1. *quæſt.* 27. *de homicid. cland. n.* 68. ac Maſcard. *concl.* 287. *num.* 2.

CONSULTATIO LXXIV.

An Moniales, quæ profitentur unam ex Regulis a Sede Apoſtolica approbatis, ac emittunt præter vota ſubſtantialia caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ quartum votum charitatis exercendæ in pauperes mulieres, morbo laborantes, habentque congruam dotem, ac ſervant clauſuram, ſint veræ profeſſæ, ac regulares, earumque inſtitutum ſit approbandum?

1 REſpondeo affirmativè. Sola enim profeſſio Regulæ approbatæ cum emiſſione trium votorum ſubſtantialium ſatis eſt ad probationem ſtatus regularis, ut decidit textus *in cap. Cum ad monaſterium in fin. de ſtat. monach.* & tradit D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 86. *art.* 7. Cardin. Bellarm. *de monarch. lib.* 2. *toto cap.* 2. *& cap.* 9. Caſtropal. *part.* 3. *tract.* 16. *de ſtat. relig. diſput.* 1. *punct.* 1. Sperell. *dec.* 2. *num.* 42. & firmavit Rota *deciſ.* 116. *num.* 3. *part.* 2. *div. & deciſ.* 358. *num.* 7. coram Urgellenſi, & in Leodien. profeſſionis 23. Junii 1622. coram Priolo.

2 Ac præſertim quia profitentur Regulam Religionis approbatæ, ut decernit textus *in can. perniciosam* 18. *quæſt.* 2. habent propriam dotem, & ſervant clauſuram, ſicut aliæ moniales, quæ ſunt ſigna regularitatis ad textum *in cap. fin. & cap. ſunt nobis, & cap. ex parte, de Regular.* Felin. *in cap. ſuper* 3. *de teſtib.* Rot. *d. dec.* 116. *num.* 6. *cum pluribus ſeq.* & in d. Leodien. profeſſionis, *§ Et fruſtra.*

3 Quod verò ad hoſpitalitatem, ceſſat difficultas, quia hujuſmodi inſtitutum exercendæ hoſpitalitatis erga mulieres infirmas fuit pluries a Sede Apoſtolica approbatum, non ſolùm in Gallia, & Belgio, ut colligitur ex Conſtitutione Pauli II. pridie idus Septembris 1465. apud Vvadingum *annal. Minor. tom.* 6. *Bulla* 2. & apud Bordonum *in Bullar. tertii Ordinis Bulla* 154. nec non Innocentii VIII. nonis Septembris 1483. apud eumdem Bordonum *loco citato Bulla* 174. & apud Vvadingum *tom.* 7. *Bulla* 18. Sed etiam Sacra Congregatio ſuper Epiſcopis, & Regularibus die 18. Junii 1663. reſpondit, Moniales hoſpitalarias Monaſteriis loci, ſeu oppidi Dieppen. ſub Regula S. Auguſtini eſſe verè Regulares, & profeſſas. Quod S. Congreg. votum approbavit Alexander. VII. qui & anno 1665. confirmavit, approbavitque Congregationem, & inſtitutum Monialium exercentium ejuſmodi hoſpitalitatem in ſex monaſteriis diœceſis Andegavenſis, Cœnomanenſis, atque in aliis, ut ex diplomatis expeditis 19. Julii 1664. & 8. Januarii 1666. quorum particulas in calce appendo.

Et hæc quidem admittenda ſunt, quando agitur de 4
monaſteriis jam erectis authoritate ordinaria, quæ ſola requiritur ad validitatem fundationis locorum Monialium ex diſpoſitione S. Concil. Trid. *cap.* 3. *ſeſſ.* 25. *de Regular.* ibi: *Nec de cætero ſimilia loca erigantur ſine Epiſcopi, in cujus diœceſi erigenda ſunt, licentia*, ut in terminis erectionis novi monaſterii Monialium declaravit S. Congregatio ejuſdem Concilii ex congeſtis a Fagnano *in cap. Non amplius num.* 70. *& 87. de inſtit.*

Alexander Papa VII. Ad futuram rei memoriam, &c. 5
Exponi ſiquidem nobis nuper fecerunt dilectæ in Chriſto filiæ Moniales reformatæ monaſterii, ſeu hoſpitii Dei, nuncupatæ miſericordiæ Jeſu Ordinis S. Auguſtini Oppidi nuncupati Dieppe Rothomagenſis diœceſis, quod ipſæ, &c. ac tria Religionis vota ſolemnia paupertatis ſcilicet, caſtitatis, & obedientiæ, nec non hoſpitalitatis erga pauperes infirmas exercendæ quartum votum emittere ſolitæ fuerunt, &c. clauſuram ſervarunt, Superioriſſam ad triennium, &c. alia loca, & domos regulares ſub eiſdem Regula, & Inſtituto de licentia Ordinarii fundarunt, &c. Cùm autem ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, his non obſtantibus, nonnullæ Religioſæ dictarum exponentium quieti, earumque progreſſui, & incremento forſan invidentes, aſſerant eaſdem exponentes non eſſe verè profeſſas, & Regulares, unde earum ſtatus convelli, multæque perturbationes, & inconvenientia exoriri poſſent, nobis propterea eædem exponentes humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi de opportunæ declarationis gratia in præmiſſis providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſas exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis, &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati de venerabilium fratrum noſtrorum ejuſdem S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum conſilio, attentis narratis, Moniales in præfato Monaſterio juxta ipſius regulam, & vota, profeſſionem emittentes eſſe veræ Religioſas authoritate Apoſtolica tenore præſentium declaramus, ac decernimus, &c. die 19. Julii 1664. Pontificatus noſtri anno nono.

Ad perpetuam rei memoriam. Sacroſancti Apoſtolatus 6
officii humilitate noſtræ divinitus commiſſi ratio poſtulat, ut ſacrarum virginum, & devotarum mulierum Congregationes, quæ uberes pietatis, & chriſtianæ charitatis operum fructus, adſpirante ſuperni favoris auxilio proferre jugiter ſatagunt paterna benignitate proſequentes, fœlici illarum ſtatui, & progreſſui, quantum cum Domino poſſumus, providere ſtudeamus. Exponi ſiquidem nobis nuper fecerunt dilectæ in Chriſto filiæ Moniales hoſpitalariæ monaſterii hoſpitii, ſeu domus Dei nuncupatæ Oppidi de la Flexche Congregationis S. Joſephi, Andegavenſis diœceſis, quod aliàs poſtquam dictum monaſterium de expreſſa licentia, & approbatione tunc exiſtentis Ordinarii Andegavenſis juxta diſpoſitionem decretorum Concil. Tridentini erectum, & fundatum fuerat, ipſe exponentes ſubindè de ſimili licentia alia monaſteria ejuſdem inſtituti in Civitate Nemauſen. ac locis de Bauge Andegaven. de Tanal Cœnomanen. de Molins Eduenſis reſpectivè diœceſum, & de Maurtal in nova Francia fundarunt, in quibus habitum novitiis exhibuerunt, eaſque profeſſionem regularem trium votorum ſubſtantialium paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, cum quarto voto de hoſpitalitate erga pauperes infirmas exercendæ admiſerunt, ac a multis annis alias functiones verarum Religioſarum obiverunt, & de præſenti obeunt, clauſuram, & communitatem regulares ſub Regula S. Auguſtini, ac propriis Conſtitutionibus ab Ordinario approbatis ſervando cum maxima Epiſcoporum locorum approbatione, nec minori populorum ædificatione, ipſarumque exponentium ſpirituali utilitate. Cùm autem ſicut eadem expoſitio ſubjungebat præfatæ exponentes, ut ſpiritualibus earum incrementis conſulatur, & quies, qua in præ-

ſenti

senti statu fruuntur, firmiùs stabiliatur, plurimum cupiant opportunè sibi super præmissis a nobis provideri, & ut infra indulgeri. Nos ipsas exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & earum singulares personas a quibusvis, &c. supplicationibus earum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardin. negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, attentis narratis, respectivè per eosdem Cardinales maturè examinatis, earundem exponentium Congregationem, & institutum, authoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus; ipsasque exponentes veras esse Religiosas declaramus, decernentes easdem præsentes literas semper validas, & efficaces, &c. Datum, &c. die 8. Januarii 1666. Pontificatus nostri anno II.

CONSULTATIO LXXV.

1 *An & quo pacto Judæis a Summo Pontifice, aliisve Principibus fœnerandi potestas ex causa publica fieri possit?*

2 *An Pontifex Summus Judæis Christianorum Religionem suscipientibus, possit usuras condonare, ac universim statuere, quod restituant partem tantummodò ex usuris?*

1 AD primum. Ardua, & perplexa hæc quæstio est. Varii variè illam tractarunt. Nos eam versabimus theologicè, juridicè, & politicè.

2 Et prima specie cur Constitutiones permitti non possint, nemo est, qui dubitare videtur. Nam & vetus jurisprudentia, ut ex latissimis digestorum libris apparet, usuras approbavit, & Imperatores postea insequuti editis Constitutionibus usuras permiserunt, saltem permissione, quæ pœnam non comminatur, aut infligit, ut in *l. eos C. de usur.* Bartol. *in l. 1. n. 6.* & ibi Jas. *n. 48. C. de sum. Trinit. & fid. cath.* Jo: Andr. *in mercur. ad regul. peccatum col. 8. & seq. de reg. jur. in 6.* Abb. *in c. Cum sit n. 18. de form. comp.* Bald. *in rubr. C. de usur. in pr.* Et propterea inferunt id, quod fit lege permittente, pœnam non mereri, *vulg. l. Gracchus, C. ad leg. Jul. de adult. l. fin. ff. quod quisque juris.* Idem quoque a Regibus factitatum accepimus, in quibus quidam Aragonum Rex Judæis, & Saracenis usurarum exercendarum potestatem scribitur fecisse, testibus Cardinali, & Innocentio *in Clem. un. de usur.* & Alex. *cons. 1. n. 1. lib. 2.* Idem sibi Venetorum Rempublicam, & Mantuanorum Principem in Judæos usurpasse, referunt Paulus de Castro *cons. 397. lib. 2.* Barbatia *cons. 16. lib. 4.* & Alex. *d. cons. 1. n. 2.* Boslaus denique majoris Poloniæ Dux, cujus hac de re inter Polonorum leges extat Constitutio, Casimiri Regis Principatu postea confirmata, non usuras modò, sed anatocismus, hoc est usurarum etiam usuras permisit Judæis.

3 Præsumptum est autem Principes sacro suo pectore omnem jurisprudentiam concluisam habere, *l. omnium, C. de testam. c. 1. de constit. lib. 6.* Nihil sine justa causa facere, Glos. *l. relega, de pœn.* Innoc. *in c. quæ in Ecclesiarum de constit.* Barbat. *cons. 16. n. 1. vol. 4* Alex. *d. cons. 1. n. 5.* & Add. ad eundem, & *cons. 2. n. 20. vol. 1.* Quæ cum subest, jus divinum, quod perpetuam non habet prohibitionem, sed quibusdam casibus, quod generaliter prohiberetur, permittit ex causa humanis Constitutionibus posse arctari, & moderationem accipere, exploratum est apud Bart. *in l. omnes populi 3 q. princ.* ibique omnes, *ff. de just. & jur.* & Bald. *in l. fin. n. 4. C. si contra jus, vel util. publ.* Nam quamvis occidere lege divina vetemur, *can. de occidendis, & can. miles 23. q. 5. si quis propter, de furt.* Quia tamen eadem divina lege quandoque permissum reperitur, *c. 6. de homic.* Bald. *d. l. fin.* humana lege idem permitti ex causa posse, receptum est, Bart. *in d. l. omnes populi 3. q. 1. ff. de just. & jur.* Bald. *in d. l fin. num. 4. & in auth.* & opinio *col. 4. C. ne uxor. pro mar.* ubi ait, valere Statutum Principis, quod Judæi venientes ad fœnerandum pro duobus denariis pro libra, tractentur ut cives. Quod dictum Baldi sequitur, & commendat Alex. *cons. 57. col. 2.* Jason. *loc. alleg.* ubi id reputat singulare, ac mirabile. Et quamvis addat, cogitandum id esse propter dispositionem *Clem. un. de usur.* quæ loquitur generaliter, ait tamen, illam *Clem.* abaliquibus limitari, ut non procedat, nisi respectu Christianorum, non autem Judæorum.

4 Quod in proposita quæstione evenit. Non enim, ut est a nobis supra dictum, per omnia jure divino vetitas esse usuras, sed quæ inter cives exercerentur, Alex. *d. cons. 1. n. 3. arg. 8. vol. 2.* & Barbat. *d. cons. 16.* Nam ab hoste, atque alieno usuras auferre, & illo jure licuisse constat Deuter. *cap. 23. & can. ab illo 14. q. 4.* In aliis quoque plerisque speciebus hoc sibi Pontificem vindicare videmus, ut quæ jure divino descendunt, ea arbitratu quandoque suo, quandoque ex causa moderetur. Nam & decimas, divino jure debitas, *c. tua nobis, de decim. can. decimæ 16. q. 1.* sua voluntate nonnunquam remittit, *c. a nobis de decim.* Et diebus Dei majestati dicatis, quibus divina lex tàm vetus, quàm nova abstinere nos ab opere jubet, *c. licet in princ. de fer.* piscatui dare operam, cum necessitas hoc deposcit, & judicio experiri, causasque agitare per Pontificum Constitutiones licet, *d. c. licet, §. Indulgemus, & c. fin. de fer.*

Adde usuras secundùm rationem naturalem esse, quæ 5
suadet, ut a quo beneficium accepimus, ei gratiam referamus. Nihil itaque eum delinquere videri, qui id, ad quod alium sibi naturaliter obligasset, in pactionem deducit, quibus congruenter usura, si rei tamen modus adhibeatur, secundùm naturam esse dicetur, & quidem inoffensis charitatis officiis, *c. Cum in officiis. de testam.* Charitati enim non repugnat, si beneficium accipiat, qui dedit quoddam quasi permutationis genere, *l. sed etsi lege, §. consuluit, ff. de hæred. pet.* Quam quæstionem ponit Glos. *in can. 1. 14. q. 3. v. Plusquam*, Bald. *in rubr. de usur.* & Anania *ibid.*

Nullam denique injuriam fieri videri usuras solvere, 6
volenti, *l. in diem, ff. de aqu. pluv. & l. 1. §. usque adeò, ff. de injur.* traditque Dec. *cons. 170.* Quia usura non committitur in scientem. Quando enim dolus committitur in scientem, non potest quis de dolo puniri crimine stellionatus secundùm Bald. *cons. 240. vol. 2.* quem refert. ac sequitur Cravet. *cons. 6. n. 104.* Quod tunc saltem admittendum videtur, cùm non Christianis, sed Judæis, publica causa id disuadente, fœnerandi sit potestas. Nam & populi commodis, ac necessitati ita prospici & nihil in Judæos delinqui, quorum salus, utpotè sua perfidia jam damnatorum, a nobis negligi sine scelere potest. Qui enim foris sunt, ut *Paul. 1. Cor. 5.* ait, nihil ad nos, *c. Gaudemus, de divort.* Hinc quidam, ut Paul. de Castr. *cons. 397.* Alex. *d. cons. 1.* Barbat. *eod. cons. 16.* putant Judæos se nobis quasi alieni fœnerari lege divina non prohiberi.

Et has ob causas a Reipublicæ Venetæ Moderatori- 7
bus factam Judæis pacto convento fœnerandi apud cives suos potestatem, refert Castr. *ibid.* Quorum ipse factum edito responso hactenus comprobat, ut magna asseveratione audeat dicere, ejus conventionis usum non modò carere scandalo, sed honestum etiam esse, nec gravem populo, ut videri poterat, sed suavem. Habuitque hæc sententia suos assertores, nempè Alex. *d. cons. 1.* & Barbat. *d. cons. 16* magni nominis Scriptores, qui idem Mantuanorum Principi consulti responderunt, paulò hac parte, quam Castrenses religiosiores, quòd Summi Pontificis authoritatem desiderant, Petrum Ancharan. sequuti *cons. 243.* qui hujus, & similium quæstionum cognitionem Ecclesiastici esse Judicis scripsit, non Imperatorum, aut Regum.

Summa disputationis, qua Alexander utitur hæc est. 8
Quæ in jus divinum sine venia peccantur, in iis Pontificis quidem, inquit, indulgentia nihil potest, qui hanc sibi authoritatem illis tantùm casibus meritò vindicat, cum in jus humanum alioquin sine venia delinquitur, quasi sua lege solvere quicquam admittentes, non Dei possit. Et hoc Cardinali Hostiensi placuisse, & quibusdam aliis, Spec. *sub tit. de leg. §. nunc de Episcopor.* Idemque tenet Archid. *in can. fin. 14. q. 6.* & Alex. *d. cons. 1. n. 2.* ait, peccentne sine venia Judæi fœnerando, frustra quærimus. Supervacuæ enim rei operam eos dare, Petro Ancharano authore *d. cons. 243.* scribit, qui Judæos peccando revocare nituntur; itaque tanquam sua perfidia damnatos esse, suo jure vivere permittendos. Nam, ut est ante dictum, qui foris sunt, nihil, inquit, ad nos. Hoc quoque extremo argumento Barbatiam *d. cons. 16. col. 9.* usum lego, & omnes ferè, qui Judæis permitti usuras a Pontifice posse scripserunt, nempè Socc. jun. *cons. 108. lib. 3.* Bapt. Ferret. *cons. 37.* ubi latè *lib. 1.* Marquad. de Susan. *tr. de Jud. lib. 1. n. 14.* & alii, quos refert Thesaur. *dec. 57. n. 4. & seq.* ac noviissimè in opere de usuris Emin. D. Joannes Baptista de Luca, olim Advocatorum consultissimus, & cujus responsionis, ac sententiis doctissimum quemque stare plerumque non pœnitet, nunc auditor Summi Pontificis, immò & Pontificatus, asylum legum, ac innocentiæ, aut vim passæ, aut judicio circumventæ propugnaculum.

Sed nec Alexandri disputatio satis cohæret, neque hoc 9
argumentum, quo tanquam indubitato plerique omnes utuntur, ullam habet firmitatem, ut pleraque superiora, quibus illud efficitur, non ut Judæis, aliisve improbatæ Religionis hominibus fœnerandi potestatem Pontifex facere possit, sed ut Christianis, cujus rei Pontificem nullam habere authoritatem iidem ipsi, qui ita disputant, asseverant, Alex. & Barbatia locis proximè allegatis. Idemque

in

in Imperatoris perſona, Regum, Principum, Rerumque publicarum quibuſdam argumentis concluditur, hoc eſt, ut ex cauſa ſine Religionis diſcrimine fœnerandi poteſtas quibuſvis ab eis fieri poſſit, quod & qui illis utuntur argumentis verum eſſe nec dicunt, neque dicere poſſunt. Nam uſurarum cauſam ad Pontificis ſpectare cognitionem, non ad Imperatoris, Regum, Principum, Rerumve publicarum poſt Anchar. *conſ.* 243. deſiit dubitari, idque inter omnes conſtare Barbatia *d. conſ. 16. n. 6.* affirmat, de quo a nobis inter refellendum, quæ contra adferebantur, fuſius erit dicendum.

10 Partem igitur negativam veram puto. Etenim omnes in hoc conſentiunt, nullis neque Imperatoris, neque Regum, neque Principum, neque Rerum publicarum, neque Summi denique Pontificis Conſtitutionibus, ut qui melius ſentiunt Jo: Bapt. Severin. *in l. 1. n. 45. C. de ſum. Trinit.* quem ſequitur Pariſ. *conſ. 68. num. 84. & ſeqq.* Butr. *in cap. ſuper eo not. 1. de uſur.* Jo: Andr. *in cap. peccatum de reg. jur. in 6.* Anton. de Prat. vet. *conſ. 45. lib. 4.* Jaſ. *in l. 1. lect. 1. col. 14. C. de ſumm. Trin.* prodiderunt, uſuras poſſe permitti etiam Judæis, non magis certè, ut Bald. *in auth. ad hæc n. 2. C. de uſur.* eleganter, ac piè ſcribit, quam legem Domini contrario ſervi ſui placito tolli, & abrogari. Imperatorem autem, Reges, Principes, eoſque qui Rebuſpublicis præſunt, omnes Dei ſervos eſſe, habetur *in cap. tua nos, de decim. & in l. 1. §. 1. C. de offic. Præf. Præt. Aph.* Ipſum verò Summum Pontificem, ne quis ejus poteſtati detractum dicat, ſe ex profeſſo Servum Servorum Dei appellare conſtat in proœmio decretalium. Quicquid denique contra jus divinum fit, peccatum eſſe idem Bald. *d. auth. ad hæc v. 2.* ait. Secundùm quæ leges omnes, quibus uſuræ ſunt permiſſæ, non eſſe jure divino correctas, ut dicebat Accurſ. *in d. auth. ad hæc*, ſed nunquam voluiſſe, ſcribit idem Baldus eo loco, & rectè. Divina enim lex, ut ejus author Deus, ſemper firma, atque immutabilis permanet, *§. Sed naturalia, inſtit. de jur. natur.* & ut Bald. *in rubr. ſub prin. C. de uſur. & in d. auth. ad hæc num. 2.* ait, in omni foro vincit. Igitur, lege divina ſalva, humanæ conſtitutiones contrariæ conſiſtere non potuerunt, ullamve unquam juris authoritatem habere. Ac proinde permiſſio illa, veluti a non habente poteſtatem adverſus jus divinum, naturale, & pontificium, invalida, & nullius reputatur effectus, ut notant Bartol. Jaſon, & alii *in d. l. C. de ſum. Trinit.* Quod ſi olim de jure digeſtorum, & etiam Codicis dabatur actio ex ſtipulatu pro uſuris, ut *in l. eos, C. de uſur.* hodie dari non poteſt, etiam Imperatoris intentione, quia turpem cauſam ſtipulatio continet, ut *in cap. debitores, de jurejur. & in l. generaliter de verb. oblig.* Fortun. Garz. *de ult. fin. jur. can. & civil. illat. 5. col. 24. in fine.*

11 Quibus convenienter Paul. de Caſtr. *d. conſ. 397. lib. 2.* qui uſurarum cauſam cum primis defendit, negat, lege civili, aut ulla publica, aut privata conventione fieri licitas uſuras poſſe, ut quæ tàm divina, quàm humana lege prohibeantur in notata *l. 1. C. de ſum. Trinit. & in d. auth. ad hæc, C. de uſur.* Et idcircò uſurarum nomine neminem naturaliter, aut civiliter obligari, *l. ſi non ſortem, ff. de condit. indeb.* ſcribit, ſed nec dari earum perſequendarum gratia actionem, idem inquit. Quod ita accipiendum ait; ut non modò cum chriſtianis fœnerandi poteſtas facta proponatur, ſed & cum Judæis. Nam neque illis uſurarum nomine quemquam obligari poſſe, nec in quenquam actionem dari itaut, ſi uſuras quoquomodo percipiant, id in ſuarum animarum diſpendium percipere dicat. Addit tamen idem Caſtrenſis, ſi qua intervenit publica conventio cum Judæis, uſuras etiam indebitas Magiſtratus authoritate ſolvi eis debere; etiamſi obligatio nulla contracta ſit, aut actio prodita. Et hoc, ut pactorum fides ſervetur, *l. 1. & ibi notata, ff. de pact.* Et ne Judæi decepti a mutuo dando abſtineant, & ita publica, inquit, neceſſitas, & communis utilitas fraudentur, *l. 2. ff. de juriſd.* de quo poſtremo mox videbimns. Nam ejus ſententiam abeſſe longè a vero infra demonſtrabitur.

12 Extat etiam Clementis V. Pontificis Max. Conſtitutio *in Clem. de uſur.* præſenti quæſtioni valdè ſerviens, qua leges de uſuris exigendis, aut non repetendis latæ damnantur, iis, qui illas tuliſſent, dictaſſent, ſcripſiſſentve cenſura Eccleſiaſtica ſeveriſſimè coercitis. Juſſit hoc amplius, quicquid ea de re in tabulas eſſet relatum, id quoad ejus facere quiſque poſſet, inde intra trimeſtre delere, qui non deleſſet, cum potuiſſet, huic illam comminatur pœnam Conſtitutio *d. Clem. un.* quam, qui tales leges tuliſſent, dictaſſent, ſcripſiſſentve, ſuſtinent, in eadem eſſe cauſa eos eadem voluit Conſtitutio, qui legibus illis uterentur.

13 Et licèt textus loquatur contra Communitatum Officiales, tamen multi dicunt, continere etiam Principes ſupremos, & Dominos temporales, ut Azor. *tom. 1. lib. 5. cap. 17. §. deinde*, Molin. *diſp. 331. §. Domini*, Sylveſt. *v. uſura 9. q. 22.* Salas *de uſur. dub. 87. num. 12.* Filliuc. *tr. 17. num. 34.* Quamvis contrarium teneat Gloſſa, & Jo: Andreas *in dict. Clem.* Hoc certum, quod hic textus procedit etiam, quando prædictæ fierent leges, vel ſtatuta de uſuris Judæis perſolvendis, vel ab eis non repetendis. Quia textus generaliter loquitur, & quia eodem modo injuſtum eſt ſtatutum, vel decretum Poteſtatis ſæcularis permittens Judæis uſuras exigere, vel retinere, ut per Doctores, quos allegat Theſaur. *deciſ. 57. num. 1.* & tenent Sylveſt. *loc. cit. num. 22.* Laur. *in dict. Clem.* Vitalin. *ibi nu. 38. & 33.* Cardinal. *num. 16.* & Azor. *p. 1. lib. 2. cap. 10. col. ult.* qui plures allegat. Ita ſanè, ut neque Summus Pontifex poſſit concedere directè uſuras Judæis, ſcilicet concedendo exactionem, vel denegando repetitionem. Quia eſt actio intrinſecè mala, Bero. *in dict. cap. ſuper eo num. 7. de uſur.* Anan. *in cap. poſt miſerabilem num. 4. eod. tit.* & commune ait Marquard. *de jud. part. 1. cap. 11. num. 14.* & Clar. *§. uſura, v. Hæc autem.*

Et ne ita alios de uſuris legem ferre vetare Pontifex videretur, ut id ſibi tanquam ſanctiori Majeſtati vindicaret, Alexander III. Summus Pontifex *lib. 4. ep. decretal. cap. ſuper eo de uſur.* non modò legem divinam tàm veteri, quàm nova ſanctione uſuras prohibentem antiquare, & tollere ſe poſſe negavit, ſed & ea quenquam ſolvere, etiamſi in rei piæ cauſam, quod fœneratione quæreretur, eſſet vertendum. Nam hominis ab hoſtibus redimendi gratia fœnerari vetat, quia vix ulla major reperiri neceſſitas poteſt, & favore dignior. Vertitur enim libertatis cauſa hominum barbaricæ feritati ſubjectorum, & in ſumma miſeria viventium, quos inde liberari, & ſuæ civitati reddi publicè intereſt, *l. fin. C. de poſtlim. reverſ.* Periculum præterea animæ, qua nihil pretioſius eſt. Verendum enim eſſe, ne qui in hoſtium poteſtate ſunt, ſervitutis, & compedum pertæſi, laxioris vitæ amore, ut fieri ſolet, Chriſtum abnegent, & impiis ſe alligent Religionibus. 14

Quantum autem piaculum in fœneratitio quæſtu ſit, ex criminum comparatione intelligi poteſt. Nam cur captivorum redimendorum gratia fœnerari vetet Pontifex, illam adfert rationem: Quia, ſi, inquiens, ſervandi hominis cauſa mentiendum non eſt, multò magis captivi ab hoſtibus redimendi gratia fœnerandum non erit. Quibus verbis majus fœnerantis, quàm mentientis eſſe delictum ſignificatur, & conſequenter minus licere fœnerari, quàm mentiri. At mentiri nulla Pontificis authoritate licet, minus igitur fœnerari eadem authoritate poteſt licere. Sanè mentiri non magis Pontificis authoritate licet, quàm animam occidere, Os enim, quod mentitur occidit animam, *c. ſi quis ad te 22. q. 2.* atque adeò fœnerari, quàm mentiri quod levius eſt peccatum, *c. ſuper eodem de uſur.* minus poterit Pontificis authoritate permitti. Nam ſi non hoc poteſt, illud minus, *auth. multò magis, C. de Sacr. Eccleſ.* 15

Neque hic ſubſiſto, ut Pontificis authoritatem a permittendis uſuris abeſſe quam longiſſimè oſtendam fœnerationem majus eſſe delictum mendacio modò conſiſtit. Mendacium rurſus, ut magnis authoribus, Cardinali *in clem. ad noſtram in 2. q. de hæret.* Dec. *in c. etſi Clerici 7. not. de judic.* placuit, & jamdudum dubitari deſiit, fornicatione majus delictum eſt. Igitur fornicatio fœneratione levius erit peccatum. Sed fornicatio Pontificis authoritate permitti non poteſt, Bald. *in l. fin. C. ſi contra jus vel util. publ. & cap. lator, de re jud.* Dec. *in c. Quæ in Eccleſiarum n. 15. & ſeq. de conſ.* Ergo minus mendacium. Multò rurſus minus fœneratio, quæ mendacio, quod fornicationem vincit, gravior eſt, permitti Pontificis authoritate poterit. 16

Cur autem hominis ſervandi, quàm ab hoſtibus redimendi cauſa mentiri, quàm fœnerari minus ſit delictum, ut hoc obiter dicamus, illa, ut mihi quidem videtur, eſſe poteſt ratio, quod qui captivi redimendi gratia fœneratur, priuſquam profit, ideſt captivum redimat, nocet, uſuras videlicet extorquens, cùm qui mentiendo hominem ſervat, profit ei, quem ſervat, ei verò, cui mentitur, nihil quicquam obſit, immò vero quandoque profit. Quid enim ſi percuſſori hominem, cujus occidendi cauſa venit, ibi negem eſſe, ubi latere eum ſcio, proſum percuſſori certè meo mendacio, nam efficio, ne homine occiſo, lege, Cornelia teneatur. 17

Cùm igitur nulla humana lege, etiam Pontificia uſuras permitti poſſe docuerimus, reliquum eſt, ut quæ contra afferebantur, ordine refellamus. Et initio quod de veteri juriſprudentia dicebatur, qua licitas fuiſſe uſuras conſtat, id factum eſſe ignorante veri Dei, reſpondeo, 18

Impera-

Imperatores verò, quibus vera Dei religio nota fuit, Bartolus, Baldus, Salycetus, Paulus de Castro, & Jason post Jacobum Butrigarium permisisse magis majoris mali fugam, quàm approbasse usuras rectè putarunt, *in l. cunctos populos, C. de sum. Trinit.* Bero *in rubr. de usur. num.* 81. Errasse tamen eos iisdem authoribus constat, finesque authoritatis suæ temerè transgressos. Legem quippe superioris Majestatis imperio latam inferiores, ut & Accursius adnotavit *glos.* 1. *in princ. auth. de Eccles. tit. l. nam magistra, ff. de recept. & cap. inferior, de major. & obed.* tollere non potuerunt. Adde, ut inter omnes convenit, Bartol. *in l. Titia*, ibique Alex. & alios, *ff. solut. matr.* Bald. *in l. quoties, C. de judic.* Ancharan. *cons.* 243. Federic. de Sen. *cons.* 245. Calder. *cons.* 3. Alexan. *cons.* 1. *num.* 9. *lib.* 2. *& cons.* 59. *num.* 5. *lib.* 1. & Marquard. de Susan. *tract. de Sud. p.* 1. *n.* 10. Cognitionem rei usurariæ, omniumque, quæ animæ periculum continet, ad solum Summum Pontificem pertinere. In eadem causa ille Aragonum Rex fuit, qui Judæis, & Saracenis sua authoritate contra jus divinum fœnerandi potestatem temerè fecit, ideoque in omnium Scriptorum, qui hoc argumentum attigerunt, meritò incidit reprehensionem Cardinal. *in d. Clem. un. de usuf. q.* 15. per illum textum cum Glossa, & ibi Imol. refert Jas. *in d. l. Cunctos populos n.* 68. *& seqq.* Eandem subierunt notam Reges alii, Principes, Rerumque publicarum Moderatores, qui contempta lege divina, idem sibi sumpserunt.

19 Tandem id est contra jus civile noviſſimum, quo omne fœnus dicitur illicitum, & per consequens prohibitum Bald. *in l. improbum*, ibique Salyc. *n.* 2. *Cod. ex quib. caus. infam. irrog.* ubi etiam Paul. de Castr. *in princ.* Idem Salyc. *in l. eos num.* 8. *eod. tit.* Glos. *in can. quid dicam* 14. *quæst.* 4. Glos. 1. *in cap. Quia omnibus*, ubi Abb. *n.* 7. *de usufr.* Glos. *in auth. ad hæc* post Jo: & Azon. Bald. *in sua marg. v. usura num.* 9. Cardin *cap. in civitate numer.* 6. *de usur.* Abb. *in l. si pecuniam n.* 7. *ff. si certum pet.* ubi expressè ait, usuras hodie esse prohibitas omni jure divino, canonico, civili. Idem tenet Guido Papæus *in tr. de usur. in princ. ubi num.* 3. inquit, quod qui diceret pertinaciter, quod recipere usuram non est peccatum, esset hæreticus, ut *in Clem. un. in fin. de usur.* Alex. *cons.* 49. *n.* 1. *lib.* 4. dicens, neminem dubitare jure authenticorum usuras esse prohibitas. Quod etiam affirmat Angel. & ibi Bartol. *in auth. de Eccles. tit.* Moventur autem ex textu *in d. auth. de Eccles. tit. in princ.* ubi Imperator mandat dispositа in quatuor Conciliis vicem legis obtinere, & sicut leges obiervari: Sed in Concilio Nicæno prohibentur usuræ, *can. quoniam d.* 47. Ergo & a Justiniano prohibitæ censentur. Et hoc argumento utitur etiam Salyc. *in d. auth. ad hæc n.* 3. *&* 5. *C. de usur.* Ubi hanc opinionem tenet, quam etiam, licèt per aliam rationem, sequitur Abb. *in d. cap. cum sit num.* 18. *de for. comp.* affirmans, opinionem Glossæ esse communem, quem etiam refert, ac sequitur Covar. *lib.* 3. *var. cap.* 1. *n.* 5. *&* 6. ubi plenè multis rationibus, & authoritatibus probat, usuras omni jure divino naturali, Pontificio, & civili esse probibitas. Quod etiam firmat Ruin. *cons.* 145. *num.* 9. *lib.* 4. Latè Marquard. de Susan. *eod. tr. de Iud. cap.* 11. *num.* 1. *&* 2. Roland. a Val. sibi contrarius *cons.* 35. *num.* 26. post Alex. Soccin. & Paris. per eum relatos, Angel. *v. usura, §.* 2. *n.* 5. Ambr. de Vignat. *de usur. in c. salubriter n.* 28. 30. 33. *&* 34. ubi firmat, usuras esse prohibitas etiam de jure authenticorum per *l.* 1. *C. de sum. Trinit. & fid. cath. & per auth. de Eccles. tit. §.* 1. Fortun. Garz. *in tr. de ult. fin. jur. can. & civil. illat.* 5. *col.* 24. Crot. *cons.* 86. *n.* 1. His addo etiam Soccin. *cons.* 2. *col.* 2. *lib.* 1. quem sectatur Cott. *in memor. incip. usuræ trientes col. fin. & col.* 4. Villalob. *in com. opin. v. usuræ*, & Jul. Clar. *lib.* 5. *sent. §. usura*, ubi ait, hanc opinionem servari, & ab ea tanquam veriore, & magis communi non esse aliquo modo in praxi recedendum.

20 Nemo itaque eorum, qui rerum potiuntur, sibi blandiatur, & se ea lege alios solvere posse putet, qua solutus ipse non est. Nam, ut ego quidem judico, non magis permittere Princeps alicui potest, ut, inoffensa Dei lege, fœneraretur, quàm si ipse, fœneraretur extra eamdem Dei legem se ponere, quæ ita humano generi data est, ut violari a quoquam hominum sine gravi flagitio non possit. Quis enim se lege Dei teneri neget? Et eam transgressus non peccare putet? Rectè itaque fecerint permissarum usurarum Authores, quive eis successerunt, si leges de usuris latas, dataque privilegia suo aboleant edicto. In principis enim Christiani ditione humanas leges divinis antiquatis dominari nefas est, eas præsertim, quibus salvis, civium fortunæ salvæ esse diu non possunt, avertendamque a Principibus Dei iram esse, nec cujus imperium contempserunt, ejus vindictam sera postea pœnitentia deprecentur.

Ferunt Episcopum quendam Concordiensem, Pontificia Bononiæ legatione fungentem, magno supercilio, spreta Dei lege, Judæi fœnerandi potestatem facere ausum, graves brevi postea suæ temeritatis pœnas pependisse. Bononia enim quo magno omnium applausu exceptus erat cum infami nota, gravique ignominia pulsus scribitur ab Anton. de Prat. vet. *inter cons.* Alex. *cons.* 49. *lib.* 4. & Jas. *in d. l.* 1. *num.* 70. *C. de sum. Trin.* 21

Nec audiendi sunt, qui ingenii fiducia in contrariam partem disserunt. Inanis certè est eorum disputatio, atque etiam nefaria, divinisque præceptis repugnans, quæ non argumentando arctari, sed obsequendo impleri a nobis debent. Illorum itaque factum improbandum, quos vindictæ divinæ oblitos eò avaritia compulit, vel adegit ambitio, ut pro justis injusta Principibus suis, iniqua pro æquis respondeant, & quæ eis grata esse, atque utilia intelligunt, ea legibus, quo res postulat, detortis, justissima esse, atque æquissima dicere non erubescant. 22

Non me igitur pœnitet, eorum sententiam sequi, qui ejus rei authoritatem Maximo etiam Pontifici non tribuunt, quos rectissimè sensisse, mox videbimus. Interim proximum argumentum confutemus, quo præsumi pro Principe dicitur in iis, quæ prohibitionem perpetuam non habent, legem eum divinam moderari posse. Primum enim fateor pro Principe præsumi, justamque eum causam habere credi, sed hoc in iis, quæ juris sunt humani. In jure enim divino aliud receptum est. Ita distinguunt Alciat. *de præsumpt. reg.* 3. *præsumpt.* 8. Bald. *in cap. Quæ in Ecclesiarum de constit.* Fulgos. *in l. fin. C. si contra jus, vel util. public. & cons.* 61. *col.* 2. Roman. *cons.* 352. *in fin.* Felin. & recentiores *in d. cap. quæ in Ecclesiarum*, & Jas. *in l. si testamentum* per illum textum, *C. de testib. & repet. l. quominus col.* 2. *ff. de fluminibus*. 23

Deinde ad argumentum conficere videtur, ut Princeps extra Pontificem Maximum ferre de usuris legem possint. Quod contra omnium sententiam est, cum non modò Regibus, Rebusque publicis liberis ferendæ de usuris legis authoritatem detrahant, sed & ipsi Cæsari, cui & qui mundi dominium tribuere non dubitant, hoc audacter denegant, in quibus Bald. *l. de nov. Cod. fac. num.* 6. *& auth. habit. n.* 13. *C. nefil. propatr.* idem Bald. *auth. ad hæc n.* 2. *C. de usur.* Idque inter omnes constare asserunt Joan. Andr. *cons.* 16. *n.* 6. *lib.* 4. & Barbatia. 24

Postremò peccat, & in eo idem argumentum, quo usuras jure divino perpetuam non habere prohibitionem dicitur. Falsum enim hoc est, si usuras propriè accipiamus, hoc est quibus sortis quid adjicitur. Eas enim nullo jure divino permissas ex *c. super eo de usur.* abundè docetur. Et, si qua in veteri lege Divina *Deuter.* 23. quod ad usurarum causam spectat, obscuritas suberat, eam nova Christi lex *Luc.* 6. sustulit, quæ nemine excipit, a quo fœnus auferre fas sit, ea parte fœneratoribus, quam vetus, gravior: quod non manum modo a fœnore, sed mentem etiam, atque cogitationem abstinere jussit. Nulla autem dubitatio est, quin Judæos ea Christi lex teneat. Omnibus enim dicta est. Quippe quam cum sanciret Christus non distinxit his magis ovilis sacri ovibus, an illis, quod vetabat, dictum vellet, omnibus proculdubio, & his, & illis ad Christum pertinentibus; quod illis verbis apertissimè significavit, cum dixit *Io:* 10. Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiat unum ovile, & unus pastor. 25

Quod itidem contra dicebatur, decimas, quæ jure divino descendunt a Pontifice, quibusdam in casibus remitti, diebusque divinæ Majestati dicatis, quibus tàm vetus, quàm nova Dei abstinere nos ab opere jubet, ex causa dispensari, ergo & Pontificem Christianis ex causa fœnerandi potestatem facere posse, non rectè concludit. Nam illis decimæ solvendæ, & dierum Deo sacrorum necessitas ex causa Pontificia authoritate remittitur, sed nunquam relatum est, ut ulla Pontificis authoritate Christiani fœnus exercere possint, Alex. *cons.* 1. *num.* 1. *lib.* 2. Deindè facta quibusdam a Pontifice decimarum remissione jus divinum ea re nihil læditur. Non enim remittendo Pontifex, non deberi eas facit, immò verò deberi hoc ipso significat. Quomodo enim quod non deberetur, remittatur, *argum. l. decem, §. de verb. oblig.* Urgeret argumentum si non deberi decimas a quibusdam Pontifex constituisset, sed earum dum quibusdam gratiam facit Pontifex, ea re jus divinum non offendit, ut nec debitor, si restituere usuras parato fœneratori eas remittat, quicquam delinquit, immò fœneratorem delicto liberat, ut pulchrè Decian. *in c. peccatum de reg. jur. in* 6. Evenit etiam, ut decimæ debeantur, Ecclesia tamen eas non accipiat, ut in persona meretricis, & histrionis, 26

nis, a quibus deberi decimas conſtat, Gloſ., Abb. & alii *in cap. ex tranſmiſſa, de decim.* Eas tamen Eccleſia ne in hiſtrione futilis, in meretrice flagitioſæ vitæ inſtitutum approbare videatur, non recipit, Hoſt. *in ſumm. de decim. §. de quibus reb.* Gloſ. Abb. aliique *d. cap. ex tranſmiſſa.*

27 Ad dierum Deo ſacrorum cultum quod attinet, videntur qui illo argumento ſunt uſi, parum perſpexiſſe quantum inter licita, & illicita interſit. Piſcari enim, & foro operam dare natura utrumque licitum eſt, & ſemper habitum honeſtum. Fœneratio verò naturæ repugnat, & ſemper habita turpis eſt. Igitur cum quis die divinæ Majeſtatis dicato cauſa neceſſitatis piſcatur, forove dat operam, licèt non ſuo tempore, rem tamen juſtam, atque honeſtam facit. Pontifex itaque quia in tempus tantum delinquitur, ignoſci facto. Contra autem, quia qui fœneratur, rem naturæ repugnantem, & per ſe turpem, omnique tempore prohibitam facit, huic Pontifex neque ignoſcit, neque ignoſcere poteſt. Quia in rem, & tempus ſimul peccatur, cùm in ſuperiori ſpecie in tempus peccetur tantùm, quod niſi ſibi Deus dicaſſet, omnium erat, ut aer. Dici & illud aptiſſimè poteſt, cultum dierum Deo ſacrorum ita præceptum eſſe, ut aliquando impunè deſereretur. Fraudi enim Apoſtolis non fuiſſe comprimendæ famis cauſas ſpicas die ſabbato vellere, ac diſcutere, nec patrifamilias ovem, quæ in foveam decidiſſet, aſinumve, aut bovem inde die ſabbato extrahere. Horum enim factum Chriſtus defendit *Matth. 12. Luc. 14.* ubi & ipſe, ſalva ſabbati religione, frementibus Phariſæis, multos die ſabbato ſuæ valetudini reſtituit.

28 Non eſt autem dubium, quin ea, quæ perpetuam non habent in jure divino prohibitionem, a Pontifice arctari ex cauſa poſſint, ut eſt ſupra dictum, & Bartol. *lib. 1. ff. l. omnes populi de juſt. & jur. q. 3. princ.* cæterique Doctores probant. Quod a Conſtantino Imperatore Auguſto religioſiſſimo factum lego, qui *lib. 3. Princip. Conſtitut. l. omnes 1. C. de fer.* agrorum culturæ dare operam, cum neceſſitas poſtulet diebus Deo dicatis jus eſſe vult. Id quod eſt meritò conſtitutum. Neceſſitas enim legibus eſt ſoluta, *cap. 2. in fin. de obſerv. jejun.* Quodque ex neceſſitate fit, delicto caret, *cap. quod non eſt licitum, de reg. jur.* Cum enim, ut Nicol. Abb. *in d. cap. quod non eſt licitum*, ait, peccatum voluntate fiat, quidquid neceſſitate, quæ voluntati contraria eſt, fortè fit, id peccato vacare, palam eſt.

29 Item ad id, quod dicebatur, uſuram eſſe ſecundùm naturalem rationem, quæ ſuadet, ut pro beneficio beneficium reddamus, nihilque propterea delinquere qui id, ad quod alium ſibi obligaſſet, in pactionem deducat, quod denique eſſet permutationis genus, reddique pro beneficio beneficium, reſpondere ex Baldo *in rubr. C. de uſur. in prima ſententia*, breviter poſſumus, nullum jure naturali remunerationis modum præſcribi, præcipuè humano intellectu poſſe. Juſtitiæ denique non congruere, aut charitati, ut beneficium ita, vel ita æſtimetur, & quod ſitum in voluntate eſt, ad neceſſitatem trahatur, Bald. *d. rubr. C. de uſur.* & eum ſequitur Joan. Rub. *de uſur. col. 4.* Berou. *ibi num. 31.* Ego verò dico extra donationes id non procedere. Antidona enim eſſe, id eſt contraria dona, ubi nullum donum anteceſſit, intelligi non poteſt. Donationem intelligo non tantùm cùm rem donamus, ſed & cum ejus commodamus uſum, ea enim re beneficii debitorem nobis acquirimus, *l. ſi pignore, ff. de furt.* Nam & locare rei uſum licuit. Quod in pecunia, cæteriſque rebus, quæ uſu conſumuntur, non evenit. Cùm enim in abuſu conſiſtant, *l. hoc Senatuſconſultum, §. 1. ff. de uſufr. ear. rer. quæ uſu conſum.* hoc eſt earum uſus conſumptione percipiatur, inde, ſalva lege divina *Luc. 6.* lucrum ſperare non licet, niſi pecunia fortè oſtentaturo locetur, quo caſu placuit a vano oſtentatore mercedem rectè accipi, Gloſ. Abb. & Doctores *in c. Conqueſtus, de uſufr.*

30 Unde eſſe contra legem naturalem agnovit etiam Ariſtoteles *1. polit. cap. 6. & 7. ac 4. Eth. cap. 1. & 5.* quem ſequitur Bald. *in d. rubr. C. de uſur.* Jo: Andr. *in Mercur. ad regul. peccatum col. 4. & ſeqq.* idque propter quatuor. Primò, quia facit rem naturalem ſupervalere ſuæ naturæ, & rem artificialem ſuæ arti, & maximè contra naturam. Secundò, quia facit, quod res, quæ non parit fructum, generet lucrum, quod eſt contra naturam. Tertiò, quia facit quod ea, quod habent omninò eundem valorem, unum eorum excreſcat in valore per alterum, quod etiam eſt contra naturam. Quartò, quia facit, quod res mutuata per abuſum trahatur ad aliquid, ad quod non eſt ordinata principaliter, nec conſequenter: Quod eſt etiam contra natura. Addo quintò, quia quod meum ex mutuo eſt, nulla legitima cauſa data, non teneor tradere alteri. Ac ſextò, quia eſt contra jus naturæ, ut idem bis, ſeu duplici pretio vendatur. Item ut vendatur id, quod non eſt vendentis. Atqui is, qui uſuras accipit, vendit idem bis, & vendit id, quod non eſt ſuum. Quod eſt contra jus naturæ.

Dicta Jo: Andreæ declarat Laurent. de Rodulph. *in c. conſuluit in princ. n. 14. & 15.* Abb. *in d. cap. cum ſit n. 18. de form. comp. & in rubr. de uſur.* Salyc. *in d. auth. ad hæc n. 6. C. eod.* tenetque Roman *conſ. 500. col. 2.* poſt Bald. & Innoc. Franc. *in cap. 1. Jub init. de uſur. in 6.* Alex. *conſ. 49. num. 5. vol. 4.* Natt. *conſ. 369. num. 5.* Bald. *conſ. 443. vol. 3.* Afflict. *in conſtit. Regn. de uſur. §. uſurariorum num. 2.* quibus ſuffragatur regula *l. Nam hoc natura, ff. de cond. indeb. & l. jus naturæ, ff. de reg. jur.* Egregiè ad rem Cato apud Tullium *lib. 1. Tuſcul. quæſt.* interrogatus, *quid fœnerari* reſpondit: *Quid hominem occidere?* Quo alluſiſſe Lactantius Firmianus *de ver. cult. lib. 6. cap. 18.* videtur: *Pecuniæ*, inquit, *ſi quam crediderit, non accipiat uſuram, ut & beneficium ſit incolume, quod ſuccurrat neceſſitati, & abſtineat ſe prorſus alieno. In hoc enim genere officii debet ſuo eſſe contentus. Plus autem accipere, quam dederit, injuſtum eſt, quod qui facit, inſidiatur quodammodò, ut ex alterius neceſſitate prædetur.* Apertius Auguſtinus ſcribens ad Macedonium, qui trucidari pauperem fœnore dixit *14. quæſt. 4. cap. quid dicam.* Et rectè utrumque quidem. Nam uſura, ut ait Conſtitutio *d. cap. 1. de uſur. lib. 5.* exhaurit patrimonia, hominesque adeò omni pecunia exutos ad egeſtatem deducit, ut quodammodò vitam eripiat. Pecunia enim quædam eſt hominis vita, *l. Advocati*, juncta Gloſ. *in v. vitam*, ibique Corn. *num. 3. C. de advoc. div. Jud.* Alimoniam denique auferre, necare eſt, Corn. *d. l. Advocati.* Hinc fœneratores harpyis ſimiles eſſe ait Plutarch. *de vitand. uſur.* quas a Diis iratis miſſas Phineo Regi, oculis capto epulas appoſitas devorare, docta finxit antiquitas. 31

Adde, nihil magis adverſari fœneratoris conſilio, quam donare, id enim agere non ex ſuo inſtituto, ut de alieno quærat, non ut de ſuo largiatur. Ideoque fœneratorem alios obligare ſibi, ac devincere beneficio quorum imminet fortunis, dici non poteſt. Mutuum enim ſpe quæſtus propoſita, beneficium eſſe deſinit, quod Chriſti verbis *Luc. 6.* comprobatur, dicentis: *Si mutuum dederitis his, a quibus ſperatis recipere, quæ gratia eſt vobis?* 32

Poſtremò, dicam, obligationem, quæ naturaliter ex mutuo datur, naſcitur, in pactionem deducere non licere. Nam ſi dato mutuo ſperare ſola animi deſtinatione quid vetamur, multò magis accipere. Accipit autem juris interpretatione qui alium ſibi obligat. In bonis enim noſtris eſſe incipit, quod nobis debetur, *l. bonor. appellatio, §. æquè, ff. de verb. ſinif.* Quæ ſententia adeò vera eſt, ut obligare eum, cui mutuum damus ad tantundem nobis poſtea mutuò dandum, non liceat, Gloſ. *in cap. ſi fœneraveris, v. expectes 14. qu. 3.* Abb. *in cap. conſuluit in fin. de uſur.* & Imol. *conſ. 6.* Roman. *conſ. 500. col. 2.* Jaſ. *in l. ex hoc jure col. 17. ff. de juſt. & jur.* 33

Quod dixi, accipere ob mutuum datum minus licere, quam ſperare, hoc ita exaudiendum eſt, ſi ſpes præcedat. Nam cum nulla ſpe propoſita, mutuum datur, quod ultrò offertur a volente debitore, id accipere ſine ſcelere licere inter omnes conſtat, Abb. *in d. cap. conqueſtus n. 8. de uſur. per cap. dilectus de Simon. & can. ſicut 1. q. 2.* & Anan. *in rubr. de uſur. col. 5. can. uſura 14. q. 3. & can. de Eulogiis d. 18.* Cur autem quærat aliquis accipere quid ob mutuum datum, quàm ſperare minus liceat, illa eſt ratio, quia ſpe debitori nihil nocemus, aliter atque acceptione. Fit enim hac re pauperior, etiamſi utrumque adverſus Dei legem ſit, ideoque uſuræ vitio non vacat, *Luc. 6.* Illud quoque virium habet argumentum, quod ſuperiora. Concludit enim quod omnes negant, hoc eſt fœnerari indiſtinctè licere. Quod conſequens eſt dicere, ſi obligatio naturalis in pactionem deduci jure poſſit, & quidem ſine Principis authoritate, quod eſt per quam abſurdum. 34

Quod item dicebatur, nullam injuriam fieri uſuras ſolvere volenti, quaſi quod quis ſua voluntate feciſſet, id ad animum revocare non poſſit, falſum eſt. Nihilo enim minus extorquere uſuras fœneratorem dici, & ab invito ſolvi, idque propter pecuniæ interventum, quod poſt Caccialup. *in l. 1. C. de ſumm. Trinit.* adnotavit Decius *conſ. 170.* Pecunia enim vim, inquit, quandam adfert. Et inde Angel. *in auth. de Lenon. §. fin.* Marſil. *in l. un. num. 15. C. de rapt. virg. & ſingul. 353.* Cyn. *d. l. un. verſ. tertiò oppono* ſcribunt in eum, qui data pecunia ad adulterium mulieri perſuaſiſſet, ea lege vindicandum eſſe, quæ eum tenet, qui vi adhibita mulierem adulteraſſet. Sed hoc ob avaririam muliebrem admitti poteſt. Mulierum enim genus avariſſimum eſſe conſtat 35

Gloſ.

Gloſ. *in l. Neſennius v. ex contrario, ff. de neg. geſt. & in l. quæ dotis*, & ibi Bartol. *in 1. oppoſ. ſol. matrim.* Tiraquel. *in l. connub. 9. num. 43.* Ideoque ad alterum ſexum produci non oportere. Non ut avaris omnia perſuadet pecunia, ita quoque iis, quæ vitio non tenentur. Adde multum intereſſe inter pecuniæ dationem, & mutuationem. Quod quæ mutuamus, eorum repetitio eſt, non eorum quoque quæ damus. Igitur non æquè vim adferre pecuniæ mutuationem accipienti, atque dationem.

36 Quare ſatius eſt dicere, cum fœneratio ſit legibus prohibita, eam contrahentium voluntatem juſtam fieri non poſſe, notabilis *l. 1. C. ne fidejuſ. dot. dent.* Gloſſ. *in l. a D. Pio, ff. de rit. nup.* Et hoc Decius magis probat *d. conſ. 170.* & ego verius puto, in iis præſertim, quæ jure divino continentur. Et idcircò fieri, ut licet diebus feriatis, qui humana lege deſcendunt, volentibus litigatoribus, rectè jus dicatur *l. 1. in princ. ff. de fer. & cap. fin. in fin. extr. eod.* Non tamen quibus diebus judicio experiri lex divina vetat, affectantibus litigatoribus, rectè jus dicetur, *d. cap. fin. in princ.* Poſſumus & illud reſpondere, adverſus id, quod eſt cujuſquam prohibitum favore, ne illo quidem volente, fieri poſſe. Unde videmus ſervum torquere in domini caput ultro eum ad quæſtiones offerentis non licere. Hoc enim cum dominorum ſit gratia conſtitutum, eorum voluntate remitti non poteſt, ut ſalva ſit ſemper ſervorum in dominos veneratio. Ita eleganter Hippolit. *lib. 48. ff. l. unius facinoris, §. ſervus in fine* per illum textum *de q.* apud Jul. Paulum adnotavit.

37 Congruit his, quod Imperator Conſtantinus Auguſtus *in l. 1. C. de Salgam. hoſpit. non præſt.* reſcripſit, qui vetat eos, qui militant ab hoſpitibus ſuis culcitras, lignum, oleum extorquere. Quare? Quia hoſpitibus conſultum eſt, eorum quicquam vel a volentibus accipere, idem Conſtantinus vetuit. Sic & Imperator Anaſtaſius *in l. fin. ut autem, C. de re milit.* cùm conſtituiſſet a milite ſportularum nomine non amplius uno ſolido præſtari debere, a volente, & ultrò offerente plus accipere vetat. Idcircò quæ pignora exequutores rerum judicatarum accipere prohibentur, ea ne a volentibus quidem accipere poſſunt, Marſil. *in d. §. ſervus*. Nec medico, cui ex publico ſalarium præſtatur, ab ægris etiam ultrò offerentibus accipere quicquam jus eſt, Felin. *in cap. tua nos col. fin. de homic.* poſt Bartol. *in l. Archiarii, C. de profeſſ. & med.* Marſil. *d. §. ſervus, & in l. un. num. 239. Cod. de rapt. virg.* Idemque in tabellionibus reſponſum eſt, qui ex publico habent quoque ſalarium. Nam neque hos operarum ſuarum nomine a privatis quicquam accipere poſſe, placuit Felino *in dict. cap. tua nos* poſt Bartol. *in l. 1. munerum, §. fin. ff. de diver. reg. jur. antiq.* Marſil. *d. §. ſervus n. 3. & ad l. un. n. 238.* quæ omnia una eademque ratione recepta ſunt, ne quæ quorundam ſunt introducta favore, eorundem voluntate mutentur. Quod non ſine ratione reſponſum eſt. Nam cum a pluribus conſuetudine quadam inducta ultrò datum accipitur, alii dare verecundia coguntur, Marſil. *d. §. ſervus* poſt Felin. *d. c. tua nos*. Et generaliter quoties propter publicum bonum quid dari prohibetur, id ab ultrò offerentibus accipiendum non eſt, Felin. *ibid.* Bald. *in auth. ſed hodie, C. de Epiſc. & Cler.* Marſil. *dict. §. ſervus n. 4. & d. l. un. nu. 241.* Quibus convenienter dicemus, fœnus etiam a volentibus accipere jus non eſſe. Fœnerationis enim prohibitio civium favore introducta eſt, quorum fortunas, ut ait Conſtitutio *c. 2. de uſur. lib. 6.* exhaurit.

38 Unde exigendo uſuras contra præceptum legis, dolus ineſt, etiamſi a volente exigantur, quia uſura furtum, ſeu rapina dicitur. Ita reſpondet Alciat. *in cap. ſcienti de reg. jur. in 6. n. 54.* Natt. *conſ. 369. n. 6. & 7.* & propterea Doctores limitant regulam, *l. nemo videatur, ff. de reg. jur.* non habere locum, quin in fraudem commiſſam conſentiret, vel in doloſa perſuaſione. Ita limitat Dec. *ibid. n. 5. in fin.* Cagn. *num. etiam 5.* Jaſ. *in l. donationis in 1. not. C. de tranſact.* Infringi etiam argumentum poteſt ex reſponſione, quam Caccialupus affert *in dict. l. 1. num. 49. & ſeq. C. de ſum. Trinit.* poſt Jacob. Butrig. & Angel. videlicet, quod illicitum eſt conventione præſtitum contra voluntatem obligati præſtari dicitur. Alia etiam reſponſio accommodari poteſt, de qua per Corn. *conſ. 19. lit. G. conſ. 159. lit. B. vol. 3.* Præterea reſpondetur ex Bald. *dict. conſ. 15. vol. 1.* id procedere quando dolus eſſet commiſſus in aliquo actu, qui non haberet proprium nomen delicti. Tunc enim cum poſſit purgari per actionem ex contractu, ceſſat actio de dolo, & crimen ſtellionatus. Secus verò ſi dolus fuiſſet commiſſus in actu habente proprium nomen delicti, ut furtum, & ſimilia. At uſura eſt proprium nomen delicti, *c. quia in omnibus, & c. ſuper eo de uſur. in 6.* Ergo in ea non militat ratio deducta. Poſtremò reſponderi poteſt, quamvis volenti, & conſentienti plena libertate nulla fiat injuria, volenti tamen, & conſentienti non plena libertate; ſed mixta involuntario fieri injuriam, ſi aliquid ab eo accipiatur, quando nullus alius eſt titulus, unde id debeatur. Eo quod ejuſmodi voluntas, & conſenſus inefficax ſine alio titulo ſit ad transferendum dominium, aut jus in rem, quæ ita datur. In hac autem ſpecie mutuatarius nollet dare ultra ſortem, ſi mutuans abſque eo incremento mutuare, vellet, ac proindè involuntariè mixtè id dat. Ita D. Th. *q. 13. de mal. art. 4.* ac Theologi communiter.

Conſtat igitur ferè inter omnes, nullum Principem 39
extra Summum Pontificem poſſe Judæis publicè fœnerandi poteſtatem ex cauſa facere, idque omnes exiſtimare, idem Barbat. eo *conſ. 16. n. 6.* refert, ac eſſe crebriorem opinionem aſſerit Marquard. de Suſan. *de Jud. c. 11. num. 4.* At in hanc ſententiam qui inclinaverunt Pontificiam poteſtatem intempeſtivè reveriti videntur, niſi intempeſtiva reverentia non eſt, illud Pontifici Romano tribuere, quod edita Conſtitutione *c. ſuper eo de uſur.* ipſe ſibi licere negat. Nam initio quod dicitur, Judæorum ſalutem tanquam ſua perfidia damnatorum curæ eſſe Pontifici non debere, falſum eſt. Illud enim exiſtimantibus conſequens fore, hæreticorum ſalutem, qui novis figmentis ab Eccleſia diſceſſerunt, Pontifici Romano curæ eſſe non debere, nam & eos ſua eſſe perfidia damnatos, palam eſt. Idem quoque dicendum foret de Gentilibus. Quod tantò magis dicendum eſt, quando deteſtabilior eſt hæreticorum, quàm Judæorum error. Hi enim, ut Baldum ſcribere Anagninus *in cap. conſuluit col. 2. de judic.* ait, initium habent veritatis, illi non habent. Rurſus Judæos legem a Domino accepiſſe conſtat, non etiam hæreticos quod ipſe Anagnini dicto loco quoſdam, inter quos & Gloſ. *in l. 2. v. obſtinationis C. de ſumm. Trinit.* ſcribere refert. Ideoque ignoſci Judæis Cynum exiſtimare, ſcribit idem Anagnin. *ibidem* ut agnita veritate, quod eſt a Deo promiſſum, Chriſtum profiteantur. Eſſe autem hæreticorum, ac Gentilium ſalutem a Pontifice negligendam, nequaquam dicendum eſt. Ergo nec Judæorum.

Quod deinde dicitur, Judæos, ut qui foris ſunt, id 40
eſt, extra Eccleſiam, nihil ad nos pertinere, & per hoc eorum ſalutem a Pontifice negligi poſſe, non ita diffuſo ſermone intelligere debemus, ut nihil per omnia ad nos pertineat, ſed quia pœnæ ſpirituales imponuntur, quibus ſoli Chriſtiani coerceri poſſunt. Nam Judæi, cum in Eccleſia non ſint, quædam ibi pœnæ loco ſuſtinere, aut inde ejici per rerum naturam non poſſunt. Supervacuam itaque fore in Judæos cenſuram Eccleſiaſticam, qua quicquid in Eccleſiam, ejuſve diſciplinam admiſerunt, plectuntur. Rurſus, eos, qui foris ſunt, nihil ad nos pertinere, acceptum eſt, quia eos invitos, & repugnantes ad Chriſti cultum trahere non poſſumus ſed nec volentes admittere, niſi probatos, *can. Jud., & can. ne quod abſit, de conſecr. d. 4. & can. ſæpe 28. qu. 1.* Pariſ. *conſ. 2. num. 20. lib. 4.* cum Chriſtum profeſſos, ſi indè fortè decepti exciderint, retinere Religionem ſemel agnitam compellamus. Extra hæc eos, qui foris ſunt, & in aliis Judæos, ad nos pertinere, & ad Summi Pontificis ſollicitudinem ſpectare, nequaquam ambigere licet, *can. ſæpè in fin.* & ibi Gloſ. *28. quæſt. 1.* Oldrad. *conſ. 36. num. 2.* Anagnin. *in cap. poſtulaſti de Jud. col. 4.* Alex. *conſil. 13. num. 21. lib. 7.* Quod non obſcurè Chriſtus *Joan. 10.* ſignificavit, cùm alias oves ſe dixit habere, quæ non ſunt de hoc ovili, hoc eſt Eccleſia, ſed ſunt quandoque futuræ. *Nam & illas*, inquit, *oportet me adducere, & vocem meam audient, & erit unum ovile, & unus Paſtor, & cap. fin. de bapt. & cap. ſolita de major. & obed.* Secundum quæ, utraſque oves ad Chriſti Vicarium, hoc eſt ad Summum Pontificem pertinere authores ſunt Innoc. *in cap. quod ſuper his de vot.* Oldrad. *conſ. 264.* Bald. *conſ. 428. lib. 5.* Pariſ. *conſ. 2. lib. 4. num. 11.* Jo: Bapt. de S. Severin. *in l. 1. n. 38. C. de ſum. Trin.* ac Bero. *in rubr. de conſtitut. nu. 15.* Non enim Summus Pontifex eas ſuas oves eſſe, & ad ſuam pertinere ſolicitudinem inficiari debet, quas Chriſtus, cujus ipſe Vicarius eſt, ſuas eſſe dixit, & a ſe adduci oportere, ut fiat unum ovile, & unus paſtor. Nam cùm Chriſtus Petro, ut ſuas paſceret oves, juſſit, non diſtinxit, & hoc iidem Innoc. Oldrad. Bald. & Bero *in locis allegatis* rectè notant. Nos itaque diſtinguere non oportere conſequens eſt, *l. 3. ff. de offic. Præſid.*

Denique, ſi ut Jacrolen. *in l. beneficium, de conſtit. lib.* 41
1. digeſt. ſcribit, beneficium Imperatoris, quod ab ejus indulgentia proficiſcitur, quam pleniſſimè interpretari debemus. Quid dicemus in verbis, quibus Eccleſiæ ſponſæ ſuæ adminiſtratio a Chriſto mandata eſt? Paſcen-

das

das itaque & has, & illas oves esse Petro, a Christo Commissas, respondeamus oportet, & per hoc Pontifici, Petri successori, incumbereque illi onus, eas adducendi, quod est in se Christus professus, ut fiat olim unum ovile, & unus pastor. Paicendas tamen varia pactione utrasque quidem oves verbo Dei, & Christi doctrina & exemplo, ut Oldrad. *ibid.* & Baldus ajunt *cons.* 64. *num.* 5. Has, hoc est Christianos pro imperio. Illas, quæ ex hoc ovili non sunt, hoc est Judæos, pro indulgentia. Nam Pontifex Christianos, si quid in Christi Religionem commiserint, coercere pœnis debet, & ad retinendam, quam semel professi sunt, fidem compellere, aliter atque alterius illius ovilis oves, hoc est Judæos, quos non minis, terroribus, aut ulla via ad Christi cultum adigere Pontifex debet, sed hortationibus, atque humanitate, ac delinimentis, blandèque appellando eos, pecunia etiam, & qualibet beneficientia invitare, *can. qui sincera* 43. *d. & can. debet homo* cum concordantibus in Glos. *ibi alleg.* 23. *q.* 5.

42 Enim verò si quid in jus divinum, quod veteri instrumento, legeque Mosaica continetur, admisisse Judæi proponantur, in eos vindicare Pontifex potest. Et hoc inter omnes constat, Abb. post Innoc. *in cap. quod super his de vot.* Anan. *in cap. post miserabilem col.* 2. *in princ. de usur.* Dec post Abb. *ibi in cap. novit*, 2. *de judic.* & ibidem Alciat. *num.* 3. *cap. sæpè in fin.* & ibi Glos. 24. *quæst.* 1. Adeò autem negligi Judæorum salus a probatis non debet, ut eos non minus, quàm ipsi nos diligere debeamus, *can. charitas*, *v. nonnulli*, *de pœn. d.* 2. & Oldrad. *d. cons.* 264. *sub princ.* Quod naturæ congruit, quæ, ut Florentinus *ait in l. ut vim de just. & jur.* inter nos cognationem quandam constituit. Quapropter Judæos egentes eleemosyna sublevare jubemur, *can. quiescamus d.* 42. *& can. si cupis* 16. *quæst.* 1. *& can. non satis* 86. *d.* Oldrad. *loc. cit.* Et eorum infantibus, Judæa nutrice fortè non reperta, Christiana non denegatur, *cap. ad hæc*, & ibi Doctores *de Jud.* modò ne intra Judæorum parietes ea cura mandetur. Assiduam enim cum Judæis moram mulierculæ Christianæ ob sexus fragilitatem, & rerum insciticm periculosam esse *d. cap. ad hæc*, ubi etiam Doctores. Et generaliter sacris Constitutionibus *cap. Et si Judæos*, *de Jud.* continetur, ne Christiani in Judæorum sint famulatu, non illa modò ratione, quòd æquum non sit, Christianos Judæis, qui Christi morte servituti subjecti sunt, *d. cap. Et si Judæos*, servire, sed quòd verendum sit, ne a Christi Religione eos alienent, & ad Judaicam superstitionem pertrahant, *d. c. ad hæc*. Adeò autem a Judæorum consuetudine abstinendum est, ut cibum cum eis capere, lavari, habitare, eisque uti medicis vetemur, *can. nullus*, *& seq.* 28. *quæst.* 1. Dec. *in d. cap. novit*, *num.* 2, *de judic.* Quod est prudenter & sanctè constitutum.

43 Igitur cùm inter commissas Christi oves Judæis sint, Marquard. *de Jud. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 3. & propterea pascere oves verbo debeat Pontifex, & adducere ad sacrum ovile, ut vocem ejus audiant, quod de se Christus dixit, ut sit unum ovile, & unus pastor, eisdem, ut fœnerentur, permittere non potest non magis quàm Christianis. Nam utrosque pascere verbo debet. Facere autem fœnerandi potestatem, perdere verbo est, non verbo pascere. Turcæ pietati, & officio suo convenire existimant, ut homini Christiano, de quo benè sentiant, sacrorum, & religionis suæ communionem semel deferant, ut fervent, si possint, certo exitio destinatum. Quare nullum majorem honorem haberi, neque majus beneficium a se dari posse arbitrantur. Et nos adhuc dubitamus, an conveniat Summo Pontifici, ut Judæos saltem ab usurarum crimine liberare studeat?

44 Accedit, inconstans esse inde Judæos impunitatem publica authoritate habere, unde pœnas meritò expectare debuerant. Quoties enim in legem divinam Judæi committunt, animadvertendum a Pontifice in eos est, Abb. post Innoc. *in d. c. quod super his*, cum concordantibus. Qua de re extat gravissima Constitutio Gregorii XIII. Nemo verò ambigit, quin qui fœnerantur, in legem divinam committant, *cap. super eo de usur. Exod. cap.* 23. *Levit. cap.* 25. *Deuter. cap.* 23. *Esdr. lib.* 2. *c.* 5. *Psal.* 14. 15. *&* 55. *Ezechiel. c.* 18. *& Luc.* 6.

45 Nec ad rem pertinet, quòd Judæi se nobis tanquam alienis, inoffensa lege divina fœnerari posse putant *Deuter.* 23. 19. Nam id falsò putant, Archid. *in cap. ad mensam* 11. *quæst.* 3. Abb. *in d. cap. novit*, *num.* 3. *de judic.* & Anchar. *in cap. nulla num.* 10. *de concess. præb.* Quomodò enim alieni illi sumus, qui ejusdem pastoris sumus oves, id est Christi, licèt non ejusdem ovilis? Inde inter proximos nobis Judæi numerarentur, Archid. Abb. & Anchar. in locis allegatis. Inspici autem veritas cùm debeat, non quid ille, vel ille per insciticm opinetur, *l. vulgaris*, *§. si quis æs*, *ff. de fur. & l. fin. ff. expil. hæred.* Igitur non id, quod Judæi decepti putent, spectandum est, sed quod eos putare oportuit, ne si aliquo cavillo res Christianorum diripere, a quo non multum abest usura, *can. si quis usuram* 14. *quæst.* 4. Abb. & alii *rubr. de usur.* sibi lege divina licere probent, reperta illis sit latebra, qua se a rapinis, & furtis defendant.

Triplex igitur hac de re opinio est. Prima Judæorum, 46
qui putant sibi concessum esse a Deo, ut a quolibet extraneo possint usuram exigere sine peccato. Ac proinde etiam hoc tempore se non peccare exigendo usuram a Christianis, & Gentilibus. Altera quorundam Theologorum, qui asserunt Judæis non quidem concessum, sed tamen permissum esse, ut exigant usuram ab extraneis propter duritiem cordis ipsorum. Ac proinde ipsos quidem peccare usuram exigendo, non tamen per legem Mosaicam puniri. Ratio istorum est, quia usura absolutè, & sine ulla distinctione fratris, vel extranei, mala & prohibita est. Ergo non potuit licitè concedi Judæis. Potuit tamen permitti tanquam minus malum ad vitandum majus malum, ne scilicet suos fratres per usuram exhaurirent. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 1. *ad* 2. & multi alii. Tertia est, quæ docet, hactenus Judæos alienis fœnerari divinæ legis permissu potuisse, qua suum consequerentur, ut in Chananæorum persona, quorum terra, fortunæque omnes erant Dei edicto Judæis addicta, non autem quia quod alienum esset, sibi fœneratione addicerent. Ab aliis autem quorum bona neque Judæis addicta, neque debita essent, usura auferre nunquam olim fas fuit, Anan. *in cap.* 1. *col. fin. de usur. & in cap. Conquestus in fin. eod.* Quia Deus concesserat illis, ut occiderent vicinos hostes, & eorum bona diriperent. Itaque sicut non peccabant occidendo Amorrhæos, & Chananæos in bello, ita non peccabant accipiendo illorum pecuniam per usuram. Ita Conrad. *quæst.* 24. *de contr.* Medin. *quæst.* 1. *de usur.* & apertè D. Ambros. *lib. de Tobia cap.* 15. ubi inter cætera ait: *Cui jure inferuntur arma*, *huic legitimè indicuntur usuræ*. Item: *Ab hoc usuram exige*, *quem non sit crimen occidere*. Rursus: *Ubi jus belli*, *ibi etiam jus usuræ*. Secunda opinio est probabilis, tertia vera, prima manifestè falsa.

Solùm itaque fœnerandi genus, quo suum consequerentur, illis lege divina permissum fuisse, non quo quid de alieno quærerent, secundùm quæ Judæi in offensa lege divina fœnerare Christianis non possunt. Nam nec illis alieni sumus, Archid. Abb. & Anchar. locis adductis, nec bona nostra addicta illis divina lege sunt, aut debita. 47

Et hoc quidem si ad veterem legis divinæ sanctionem 48
spectemus. Cæterùm si ad novam, nulli fœnerari eos fas est, non fœnerari modò, sed nec fœnus sperare. Nam ita mutuum dare Christus jussit *Luc.* 6. ut nihil indè speremus, nec ulla personarum distinctio adjecta est, ut est in veteri lege divina factum. Quin autem lege Christi Judæi teneantur, ambigi non debet. Esse enim ejus oves ut supra monstratum est, indeque fieri, ut sua sint perfidia damnati, quia Christum non agnoscunt, nec ejus audiunt vocem. Inter Christianos autem, & Judæos hoc intereст, quòd hi ad Christi cultum, quem non agnoverunt, compelli non possunt *d. cap. sicut*, *& ibi Doctor. de Jud. & cap. Majores*, ubi etiam Canonistæ *de baptism. & can. quasi sincera* 45. *d.* Paris. *cons.* 2. *num.* 17. 19. *&* 34. *lib.* 4. Illi, hoc est Christiani, possunt, & ita fieri, ut si Christum professus, quid in Christi Religione erraverit, nec respiscat, in eum legibus vindicetur, *extra de hæret. per tot.* non quoque in Judæum. Qui etsi quia Judæus est, delinquat, Glos. *in l. sed si res*, *ff. de leg.* 1. *& l. non erit*, *§. Divus ff. de jurejur. & l.* 1. *C. de sum. Trin.* & Paris. *d. cons.* 2. tolerari debet, *d. can. quia sincera*, Glos. Roman. & Alex. *in l. multum interest*, *ff. de verb. oblig.* Felin. *in cap. multorum interest*, *ff. de verb. oblig.* Felin. *in cap. multorum n.* 5. *de Judic.* recentiores post Bartol. *in l. apud Jul. §. constat de leg.* 1. Paris. *d. cons.* 2. Hoc ita si in Christi legem committat, hoc est in novam legem divinam. Nam si in veterem divinam legem peccet, venia dignus non est, Innoc. Abb. & alii *in d. cap. Quod super his de vot.* non aliter atque Christianus, si in Christi legem suo innixus judicio committat. Nam si Judæus de quoquam divinæ legis capite malè sentiat, in eum tanquam hæreticum, & impietatis assertorem vindicandum est, Innoc. *in d. c. quod super his*, & ibi alii ut in christianum, si in Christi Religione idem admiserit.

Scribunt *in d. cap. quod super his* Host. & Jo: Andr. Gre- 49
gorii IX. & Innocentii IV. jussu librum quemdam, qui a Judæis dictus est Thalmuth, fuisse publicè combustum, quòd nonnullas contra divinam legem veterem contineret hæreses, illis, qui ita docerent, aut crederent, fe-

verè

verè punitis. Refert Marquardus Utinenſis Juriſconſultus, ſcriptor diligens *lib. 2. cap. 6.* quem de Judæis ſcripſit, apud Venetos multos Judæos libros, qui certos divinæ legis veteris continerent errores, eſſe publica authoritate combuſtos, gravi de Judæis, qui illos depravaſſent, ſumpto ſupplicio. Qua de re nos alibi ſuſius. Igitur dubitandum non eſſe, quin in Judæos, ſi quid in divinam legem malè ſentiendo, deliquerint, ſit vindicandum, Innoc. & alii *in dict. cap. Quod ſuper his*. Quare nihil eos juvat, quòd magis fœnerando excuſentur, quòd cum Chriſtianis fœnerantur, inoffenſa lege divina ſe id facere putant, in eos itaque vindicandum eſt, tanquam in hæreticos, Innoc. & alii *in dict. cap. Quod ſuper his*. Et quia fœnerantur eſt, tanquam in delinquentes, hoc eſt contra legem ſuam facientes, animadvertendum, Innoc. & alii *ibidem*. Electio enim in fide hæreticum facit, *can. hæreſis 24. quæſt. 3.* factum autem, quo quid in legem committitur, pœnæ ſubdit, extra, *& ff. & Cod. de pœn. per tot.* diſtincta enim hæc eſſe. Nam ut aliud eſt credere fœnerari licere, aliud fœnerari, ita diverſa contrahuntur crimina. Priore enim admiſſo, hæreſis contrahitur; poſteriore ab eo quod fit fœneratio, ut ſiquis mœchari non eſſe delictum credat, & prava opinione hæreſim committit, ſuum verò corpus extra matrimonium aliis commiſcens mœchiam contrahit. Et generaliter quicunque, quod ſacris literis continetur, aliter intelligit, quàm Sancti ſpiritus ſenſus flagitat, quo ſcriptum eſt, hæreticus eſt, *dict. can. hæreſis 24. quæſt. 3.* Cùm adverſus quædam faciens, quæ ſacris vetantur, ex facti genere nomen contrahat delicti, & mœchando mœchiæ, & fœnerando fœnerationis reus fiat, cùm hoc, & illud licere credens uno nomine hæreticus ſit, ut ſi furari, & occidere licere putet, hæreticus erit, *dict. cap. hæreſis*, cum utrumque faciens fur ſit, *ff. de furt. per tot. & homicida, ff. & Codice de furt.* Vario nomine ex variis malefactis contracto, cùm ex variis malè creditis unum hæreſis nomen quæratur, etiamſi in mille ſacrarum literarum erret articulis.

50 Illa verò Alexandri argumentatio *conſ. 1. num. 3. lib. 2.* inter ea, quæ jure divino, atque humano ſine venia delinquuntur, diſtinguentis, negata in illis Pontifici, conceſſa in his indulgendi authoritate, & vera eſt, & manifeſtam habet rationem, mecumque facit, qui nego uſuras, utrobique jure divino prohibitas, poſſe Pontificis authoritate etiam in Judæorum perſona permitti. Sed cùm ſubjicit, fruſtra quæri, an in legem divinam peccent, ſine venia fœnerando Judæi, nec ne, falſum eſt. Cùm enim hoc eſt a nobis ſupra demonſtratum per veterem legem divinam eis non licere, vindicare in ipſos, & poteſt, & debet Pontifex, Innoc. & alii *in d. cap. Quod ſuper his*, & ad uſurarum reſtitutionem compellere, *cap. poſt miſerabilem de uſur.* Quod deinde ex Ancharano adjicit *dict. conſ. 1. num. 2.* ſupervacuæ rei operam eos dare, qui Judæos a peccando revocare nituntur, id illis dictum intelligi debet, qui Judæos a ſuperſtitione ſua revocare volunt, *dict. canon. qui ſincera 45. dict.* Nam quin ſupervacuum non ſit illos ab iis, quæ veteris legis divinæ continent tranſgreſſionem revocare, nemo dixerit, Innoc. & alii in ſæpiùs *cit. cap. quod ſuper his*, & Dec. *in dict. cap. novit, num. 2. de jud.* Contra exiſtimantibus conſequens eſſet nec a furtis Judæos, nec a latrociniis, cæteriſque flagitiis, quæ vetus ſanctio divina coercet, eſſe revocandos, impunèque quidquid amiſerint, laturos, quod deridiculum eſt, ac impium putare. Atque ita Petr. Royſ. *deciſ. 5.* a quo, & nos plura mutuò accepimus non ſine magno fœnore laudis, & gratitudinis. Videnduſque Div. Marcellus Severolus, Utriuſque Sign. Referendarius, & Sac. Conſiſt. Advocatus, in quo pudor, religio, fides, integritas, eruditio, prudentia, peritia, diligentia ſpectantur in reſponſo ſuo hac de re dato, ac typis edito apud Paſſerinum *in cap. fin. de uſur. in 6.*

51 Hinc conſtat eos Principes, & Civitates, qui Judæos ita tuentur, ac ſinunt opprimi ſubditos, ut Judæi ad ipſos habeant faciles aditus, ſintque rei nummariæ procuratores, gravi crimine ſe obſtringere. Immò ad damna eorum neglectu contracta teneri. Hæc igitur officii obligatio ex natura Principatus oritur. Unde in Germania omnibus Magiſtratibus mandatum eſt, ut fœneratores eſſe non ſinant. Anno 1500. in Comitiis Auguſtanis ita conſenſu omnium Statuum edixit Maximilianus *§. de uſurariis contractibus. Poſtquam etiam per contractus fœnebres, alioſque periculoſos, & indecentes, quos hactenus, ut intelleximus, Chriſtiani, & Judæi exercent, provinciis, populiſque magna damna illata ſunt, ſtatuimus, ordinamus, & volumus omnibus Imperii Sta-*

tibus ſeriò mandantes, ut ejuſmodi fœnebres, & periculoſos contractus in eorum Ducatibus, provinciis, dominiis, territoriis, & ubique ſub convenienti pœna prohibeant, etiam violatores ſeriò puniant. Per hæc etiam, & ſæcularibus Judicibus arbitris, Judicium conſeſſibus ut ſi ejuſmodi fœnebres, & inconvenientes, & periculoſi contractus ad eos deferantur, eos indignos, irritos minimèque obligatorios eſſe decernant, & declarent, neque ullam exequutionem permittant, aut adjuvent. Anno 1530. eiſdem verbis omnia repetuntur, & criminis enormitas demonſtratur, ac anno 1532. & 1548. renovata. Eadem quoque anno 1576. his verbis, ac querela: *Non eſſe leges obſervatas, plebem longo tempore iniquis uſurarum contractibus, & negotiationibus contra divinas, cæteraſque leges, & ſpecialiter ad contemptum ordinis politici, multis modis ad extremam egeſtatem redactam, anguſtiatam, coactam*. Quæ anno 1557. iterùm inculcantur.

Quare non mihi quiſquam quaſi aliquid ſolidius dictu- 52
rus occinat, quemadmodum perſpicuo crimini palliando fieri video, Princeps, Rex, Imperator iſte, vel ille ſimiliter fecit. Abſit modò calumnia, nec ſe fatiget. Qui ſimiliter fecit, ſimiliter judicabitur. Peſſimum peccati patrocinium eſt multitudo peccantium. Ubi veritas non accipit perſonam, nec ego accipio. Hoc damno, quòd illa damnaverit. Neque ego hic arrogantiæ invidiam formidaverim. Securum me fecit Auguſtinus, quando dixit *lib. 4. contra Creſcent. cap. 66. Non eſt arrogantiæ, vel quærere, vel aſſerere veritatem*. Nam eam ſollicitè quærere, quando latet, charitatis inchoatio eſt; piè, conſtanterque aſſerere, quando patet charitatis conſummatio; in ejus luce geſtire, inchoatæ, conſummatæque felicitatis.

Cauſa porrò cur tanto detrimento Reipublicæ fœnus 53
in perſona Judæorum toleretur triplex eſſe poteſt. Prima, Principum, & ærarii utilitas, qua vectigalibus onerantur. Secunda, commodum ſubditorum, quia mutua pecunia egent. Tertia, ipſorum Judæorum, ut ad veram Religionem convertantur. At omni in cauſa falluntur Principes. Primò enim ſi abeſſent Judæi fœneratores plus præſidii conferre poſſent cives. Nunc enim & hoc, quod Judæi conferunt, de injuria civium eſt, quos dolo, fraudeque exhauriunt, & præterea ipſos Judæos alere, & locupletare coguntur. Quæ enim civitas eſt, ubi non libenter id, quod Judæi Fiſco pendunt, in duplum repræſentatum ſit, ſi Principes Judæis fœnus non permittant? Non pertinet igitur ad utilitatem publicam callidos illos fures alere, qui omnia ſcrutantur, & quaſi canes lucrum ex qualibet re odorantur, ut cùm decem aureos contulerint, mille, & mille quidem modis furentur. Hic igitur error politiæ eſt ingens, ad publicorum fœneratorum rapinas, hoc eſt, hebdomadarios, menſtruos, annuos cenſus connivere, atque hac ratione ſubditis extorquere fortunas, ut eæ in jus fœneratorum abeant, ærarium aliqua portione aſpergatur. Non igitur ærario conſulunt ne illi quidem, qui minore ſub cenſu pecunias accipiunt, deinde majore apud Judæos ponunt. Dicuntur enim eſſe Chriſtiani, quorum Judæi ſint inſtitores, & propolæ uſurarum. Legitimo cenſu, & cautione accipiunt a Chriſtianis pecunias in ſingulos annos quinque pro centum, Judæis deinde eandem elocant, & accipiunt octo, vel decem. Illi verò etiam lucellum ſuum ſibi vindicant, ut ſæpè quindecim, decem & octo, aut viginti in centum detur. Nec tamen ſic infamiam fugiunt. Nam Judæi palam, clarèque fatentur, Chriſtianorum eſſe pecunias, & ſe uſurarum tantùm eſſe adminiſtros. Non conſulunt illi ærario ſuo, qua civitates opprimunt, odia colligunt, cùm tamen honeſta negotiatione plus lucri facere poſſent. Unde placet, & illud adducere, quod in fine ſuæ diſputationis *303. de juſt. & jur.* addidit Molina, nempè cùm uſuræ jure naturali ſint prohibitæ, cedatque in Reipublicæ, & partium ejus detrimentum, publicæ poteſtates tenentur pro ſuo munere illas prohibere non ſolùm Chriſtianis, ſed etiam infidelibus ſibi ſubditis, lethaliterque peccare permittendo illas Judæis, aut aliis infidelibus ſuæ Reipublicæ pro tributis, quæ eis ſolvunt, aut pro quovis alio commodo.

Altera ratio, ut pauperum neceſſitatibus conſulant, 54
non modò falſa eſt, ſed planè contraria. Pauperes enim bonis omnibus, quæ reſidua ſunt, evertuntur. Nec affirmare dubito ſingulis annis in Italia aliquot millia civium fœnore exhauriri, majuſque id malum eſſe, quàm ſi ſingulis annis inſignis aliqua civitas everteretur. Nunc enim ſenſim tanquam per febrim erogantur, & medulla Chriſtianorum exugitur. Hinc illæ querelæ multorum. Ideò Judæos fœnerari, quia nullus offert munera Principibus, ut hoc ſcelus vetent, Jul. Clar. *recept. ſent. lib. 5.*

§. uſur. numer. 7. Covarruv. *lib. 3. var. cap. 1. num. 8.*

55 Tertia cauſa fuit, ut converti ad fidem poſſint. Vetùm hac ratione obſtinatiſſimi redduntur. Hujus rei ego teſtis locupletiſſimus ſum, qui, uti Theologus Deputatus, quindecim ab hinc annis præſum concioni Judæorum, & neminem ex iis vidi, neque audivi ex hac cauſa Religionem Chriſtianorum ſuſcepiſſe. Cujus cauſæ tres ſunt. Prima, quod humanum genus disjungit, bella, liteſque excitat, eſt odium. Hoc inter Chriſtianos, & Judæos durat perpetuò, quia cauſa non tollitur. Cauſa odii Judæis eſt, quia Chriſtum ſupra omnia oderunt, illique in dies ſingulos maledicunt, deinde quia ſe vident Chriſtianis eſſe odio. Naturale autem eſt inimicos odiſſe, novis autem quotidie facibus ignis ille accenditur cum ſcommatis, ſannis, convitiis a Chriſtianis excipiuntur, divexanturque. Nec Chriſtianorum odia ceſſant. Cùm enim quotidie eos ante oculos vident inſultantes, pauperum ſpoliis lautos, ſuis inhiantes, non magis amare poſſunt, quàm agnus lupum, aut columba accipitrem. Itaque nec de converſione illorum Chriſtiani loquuntur, nec Judæi audire ſuſtinent. Si aliis laboribus agitentur, & ipſi ad mentem redibunt, & miſericordia Chriſtiani eos proſequentur.

56 Ut proinde ſumma quidem prudentia ad tollendam Judæis quoad fieri poteſt, occaſionem fœnerandi, utque in debitis obſequiis contineantur Pius Papa IV. conſtituit, ut ipſi ſola arte ſcrutorum, vulgò *Stracci*, *e ferrivecchi*, contenti, aliquam mercaturam frumenti, vel ordei, aut aliarum rerum uſui quotidiano neceſſariam facere nequeant, ut in ejus *Conſtit. 3.* quæ incipit, *Cum nimis*, quam Beatus Pius Quintus, approbavit. Extatque in Curia Eminentiſſimi Cardinalis Vicarii declaratio facta ſub die 20. Maji 1566. per Alphonſum Binarium, ejus Viceſgerentem, per quam aſſeritur, quòd viſa declaratione Virgilii Roſarii, poſtea Cardinalis Spoletani, facta die 20. Auguſti 1555. & facto verbo cum Sanctiſſimo, & Cardinali Sabellio Vicario, declaravit, Judæis licere infraſcriptas artes exercere, videlicet, merciariæ, aurificum, & gemmariorum, ricamatorum, ſeu interreſtorum, ſartorum, cribanariæ, baſtariæ, fabrilignariæ, bilaſerii, ferrarii, coriarorum, & piſcatorum. Qua declaratione ducta Sacra Rota in cauſa Romana artis ſutoriæ ſub die 20. Martii 1620. coram Sacrato cenſuit, Hebræos in Urbe commorantes poſſe conficere indumenta etiam ex nova materia. Ita penè ex Ricciullo *de jur. perſon. lib. 2. cap. 46.*

57 Altera cauſa eſt, quòd nunc permiſſu, aut conniventia Principum fœnerandi, decipiendique, & rapiendi crimina habent impunia. Immò quo majore ſunt odio, & opinione nequitiæ apud Chriſtianos, hoc magis apud ſuos gloriantur. Chriſtianum ſaltem fama, ignominia, ſeparatio, excommunicatio a ſcelere publico revocant. Judæos hæc omnia ad audendum incitant, & crimina fœnerandi, quia ſibi apud improbos gloriæ eſſe vident, etiam in conſpectu eſſe gaudent.

58 Tertia cauſa eſt omnium graviſſima, qua ſublata, magna eorum multitudo Chriſtiana ſacra ſuſciperet. Nempè reſtitutio malè partorum. Neque baptiſmus, aut Religio alienarum rerum detentionem admittit. Dura igitur conditio Judæis videtur theſauros, quos vel magna parte, vel univerſos per injuriam congeſſerunt, dimittere. Si licitis operis omnia lucrarentur, ſuſcepta Religione res ſibi ſuas retinerent, & ſolùm eſſet exuenda perfidia. Nunc opes abjiciendæ ſunt, propter quas multi a fide, & pietate deficiunt. Hæc ergo remota eſt, quæ magnam partem detinet. Hæc igitur, qui permittunt, pluribus eos vinculis perfidiæ, & contumaciæ illigant. Nam ne reſtituant ablata per fœnus concedere Eccleſia non poteſt, quia Dei præceptum eſt, ut verè Alexander III. Epiſcopo Panormitano *in append. Concil. Later. 3. par. 16. §. de uſur. cap. 1.* habeturque *in d. cap. ſuper eo de uſur.* eodem modo Concilium Baſilienſe *ſeſſ. 19.* Quòd tamen bona incerti domini, cum ignorat bona fide Judæus cui ſint reſtituenda, in converſionis favorem illi permittit.

59 Atque ex his patet, perpetuum eſſe uſurarum remedium Montes, quos vocant, Pietatis. Itaque, & hoc in primis curæ fuit Leoni V. qui ortam de illis diſputationem Conſtitutione ſua finivit. Hi enim ad ſubveniendum pauperum inopiæ in mutuis eis publica authoritate faciendis, in ſingulis civitatibus, ne uſurarum voragine deglutiantur a Civitatum Magiſtratibus, & aliis Chriſti fidelibus inſtitui debent. Hoc remedio nuper uſus eſt Pontifex Clemens IX. edicto ſuo, quod magnam populo attulit utilitatem. Vel ſi placet, Princeps, aut Civitas quæque ſuis civibus ex ærario mutuum det, condicta die, quo reddendum eſt, acceptaque hypotheca. Hoc ſine invidia, & odio exigitur, nec finit debitorem ſpe judiciorum eſſe negligentem, & obligat eos, qui indigent. Multi Principes ea ex re magnam laudem conſequuti ſunt, & firmiſſimo præſidio majeſtatis, hoc eſt amore ſe munierunt.

Dixi, non poſſe ne Summum quidem Pontificem Ju- 60
dæis facultatem fœnerandi facere. Si verò alio remedio neceſſitatibus pauperum proſpici non poſſit, propter ſubditorum utilitatem quo majus malum, ſeu damnum Reipublicæ evitetur, cum contraria opinione ſentio, quam præter allegatos tuentur juſto tractatu Franc. Vener. *de fœnor. Judæor. lib. 2. cap. 21.* Flor. de S. Petr. *in leg. fin. Codice de Jud.* Ricciull. *de jur. perſon. lib. 2. cap. 19. & numer. 6.* Leſſ. *de juſt. & jur. lib. 2. cap. 20. dub. 4. num. 32.* Molin. *cod. tract. diſput. 304. num. 18.* Quia id non eſt conſentire in peccatum uſuræ, ſed illud tolerare ad vitanda majora mala, aut pro majori aliquo publico bono. Qua de cauſa Leonem Decimum, & Clementem VII. difficillimis temporibus fœnus in perſona Judæorum ad rationem 48. Pium IV. ad 24. & Gregorium XIII. ad 18. pro quolibet centenario toleraſſe lego.

Et quidem hæc res non eſt amplius juris, ſed pra- 61
xis. Quare fruſtra laborant qui probare nituntur, uſuras eſſe illicitas. Eſt enim certum de fide. Siquidem fœnus, & verbo Dei, cujus æterna authoritas eſt, & omnium ſapientum calculo graviter damnatur, & cùm paſſim humanis legibus ſeverè vindicetur, nuſquam vehementioribus decretis notatur, quàm ubi crebrius, & impunitius committitur, quòd mirum videri poſſit. Ac illa quidem crebritas hinc exiſtit, quòd in animis mortalium penitus inſidet quædam detrectatio, dedignatioque parendi, quam, & irritat magis, atque exaſperat propoſita contumaciæ falſa ſpecies utilitatis, quæ blandam vim adfert, etiam ingenii haud malis, nedum ut in morum, ac temporum colluvione ſibi temperet homines, quibus nulla honeſti cura, & omnia cum lucro recta videntur. Impunitas autem non a vitio legum, aut Magiſtratuum eſt, qui cum in receſſus pectoris, & involucra diſſimulationum nihil juris habeant, nulla item providentia cavere poſſunt, quin peccetur, ſolùm in facta vim ſuam exerunt, & veſtigia culpæ fugientis proſequuntur, quam niſi penè manibus atque oculis deprehendant, ceſſat, & legis poteſtas, & officium judicantis. Porrò in materia uſurarum etiam inter Chriſtianos tot latebræ, tot effugia reperta ſunt ad eludendam, elidendamque omnem animadverſionem, ut vix unquam liquidò pronunciare poſſit cognitor: *ſatis quæſitum eſt.*

Verùm enim vero probè ſubductis rationibus non aliud 62
aptius remedium uſque adhuc excogitari potuit, quàm quod paſſim ex uſu communi neceſſitas in conſuetudinem recepit, ut in Urbe ex tolerantia Summi Pontificis ex profeſſo Judæi nummos ſub pignoribus in uſuras exerceant. Hoc publicæ neceſſitatis ſubſidio vitantur incommoda, latèque alioqui diſſeminata vis mali, quę penitus non poteſt tolli, tolerando ſaltem reſtringitur.

Quare media ſententia mihi verior eſt, ſcilicet non 63
eſſe illicitum Poteſtati, ſeu Principi temporali, ſaltem ex conſuetudine immemorabili a Summo Pontifice tolerata, vel ejus conceſſione expreſſa permittere Judæis mutuare Chriſtianis ſub uſuris pignore accepto, & non concedendo actionem illis ad uſuras exercendas, ſed retentionem, denegando repetitionem coram ſuo Tribunali. Unde Chriſtianus repetens pignus, ſolvet uſuras, vel ſi non ſolvat, Judæus retinebit pignus quaſi ſibi in ſolutum traditum, ut diſtrahi poſſit ſolemnitate ſervata. Et in tali caſu poteſt Princeps, ſeu Judex concedere aſſiſtentiam ſubhaſtationi, ut quod reliquum fuerit ſupra ſortem, & uſuras, reſtituatur pignoranti. Quia in tali caſu Princeps, & Judex ſe habet tantùm permiſſivè, permittendo fœnus impunitum ob majus bonum, & illi aſſiſtentia eſt ad favorem Chriſtiani. Unde ſi Judæus mutuat, vel nullo pignore accepto, vel pignore minoris valoris, non poterit in judicio petere uſuras, nec ei concedetur actio. Ita Azor. *inſtit. moral. part. 1. lib. 5. cap. 17. §. In hac quæſtione, & §. tertia dubitatio*, Caſtr. *conſ. 295. num. 4. & 5. lib. 2. in novis, & conſ. ſeq. in fine*, Jal. *in l. cunctos populos num. 58. C. de ſum. Trin.* S. Anton. *par. 3. tit. 1. cap. 9. qu. ult. verſ. Sed cùm ſciat*, Tabien. *v. uſura 1. quæſt. 5. §. notandum.* Et quòd requiratur Summi Pontificis licentia tacita, vel expreſſa, ait Farinac. *in fragm. lit. I. num. 671.* ubi ait, eſſe magis communem. Quòd ſi Princeps, ſeu Communitas concederet Judæis actionem ad uſuram, ſeu exactionem, tunc incurret in pœnam *d. Clem. un. de uſur.* quia

facti-

faciliùs fuit concedere exceptionem, quàm actionem, Caſtr. *dict. conſ.* 295. *num.* 4. & alii ſupracitati. Et idem inquit Azor. *eo loco capit.* 17. *dict. §. Tertia dubitatio*, Item ſi faceret ſtatutum, ſeu legem denegantem Chriſtiano uſurarum repetitionem a Judæo in judicio ſæculari. Nam hoc ait eſſe contra hunc textum. Secus ſi tantùm denegaret audientiam repetenti abſque lege, ſed ſola conſuetudine, & de facto.

64 Sed ut evaganti licentiæ frænum injiciatur aurea mediocritas ſervanda erit, & in tempore, quo pignus cuſtodiri oporteat, & in modo uſurarum. Utriuſque rei moderamen penes Principis arbitrium erit. Ad ipſum enim pertinet inducere taxas rerum juxta exigentiam publicæ utilitatis, *l.* 1. *§. cura carnis*, *ff. de offic. Præf. Urb.* ubi Gloſ. & DD. Alber. *tr. ſtat. civil. quæſt.* 69. Covar. *lib.* 3. *var. cap.* 14. *num.* 5. Bonos namque Principes ſemper modos quoſdam præſcripſiſſe, quibus eorum, qui mutuò dant avaritiam compeſcerent, pœnis etiam variis in eos, qui limites tranſgrederentur, conſtitutis, notant Menoch. *de arb. caſu* 398. *num.* 13. *& ſeqq.* Marant. *in ſpec. p.* 6. *tit. de inquiſit. num.* 112. Conſideramus itaque in uſuris Judæorum res, perſonas, & taxationem hoc eſt quantum lucri veriſimiliter ea pecunia facere potuiſſet, quod in jus dicentis arbitrium eſt. Et ita evenit, ut non modò damni, quod Judæus fecit, ſed & lucri, quod facere potuit, ineatur ratio. Quod ſummam habet æquitatem, & meritò omnibus comprobatur, ac deciditur a Cajo *in l.* 2. *ff. do eo, quod cert. loc.* Quandoquidem in maximis uſuris non fuiſſe permiſſum exigere niſi duodecim in centum, idque tantùm in fœnore nautico, ubi periculum ſortis erat mutuantis, ut patet ex omnibus legibus pandectarum de fœnore nautico. In ſecundis octo pro centum. In tertiis ſex pro centum. In minimis quatuor pro centum.

65 Placet autem is modus, non ut ſatis legitimus, non ut congruens bonis moribus, ſed velut accomodatior temporibus, & quia vix alio pacto clandeſtino iſto genere Daniſtarum purgabitur Provincia, niſi fœnus improbiuſculum Judæis permiſſum cæteris aut peccandi voluntatem, aut certè peccati illecebras auferat. Sublatis enim nequitiæ authoramentis haud temerè quiſquam gratuitò malus erit.

66 Quidquid adverſus iſtud conſilium adferri poteſt, id omne ad unicam ſummam redit, fœnus eſſe rem perniciosam, nullo jure, nullo more comprobandum. Quæ quidem honeſta ratio eſt, ſi ad veterem diſciplinam, & ad ſimplicis recti normam exigatur, ſin ad hanc ultimam mundi ſenectam, in qua charitas proximi plenè mortua videtur, & ut Petr. de Ferrar. *ait in pr. Pap. tit.* 34. *gloſ.* 3. mundus nonniſi uſuris ſubſtinetur, & regitur, reperietur dictu magis ſpecioſa, quàm uſu conducibilis, ut proindè ſatiùs longè eſſet moderatum aliquod lucrum Judæis pro mutuis nummis relinqui, quàm egentes, qui gratis pecuniam nunquam inveniunt, fame conſumere, *Novel. Leon.* 83. *verſ. qui enim*, Coler. *de proceſſ. exequut. par.* 1. *capit.* 10. *num.* 7. *&* 68. Koppen. *part.* 1. *deciſ.* 15. *quæſt.* 9. *numer.* 3. *cum tribus ſeqq.* Longè enim eſt, & re mitius, & civili prudentiæ convenientius, ut leges amica vi leviter inflectantur, & quando non poſſunt quod volunt, velint id, quod poſſunt. Tot olim, hodieque a Summis Pontificibus promulgatæ ſanctiones, tot graviſſima Senatuſconſulta, quibus omni ope, conſilioque certatum eſt, ut fœneratorum improbitas judiciorum laqueis irretiretur, quid aliud effecere, quàm ut omnibus perſpicuum fieret quibus flagitiis impares ſimus? Periculoſum enim eſt oſtendere civitati quantò plures mali ſint, ait Seneca *lib.* 1. *de Clem.* Etiam medicus violentibus ægrorum deſideriis obſecundat in loco, & gubernatores, cum in magno mari rectum curſum tenere nequeunt, mutant velificationem, & obliquant ſinus in ventum. Quid niſi ſimiliter liceat moderatori Regnorum, cui ſalus populi ſuprema lex eſt, temporibus aſſentiri, & vitia cum honeſtis aliqua tolerare.

67 Ut itaque nunc mores, nunc tempora ſunt, neceſſitas, quæ frangit, infirmatque omnem legem, huc etiam rectiſſimas mentes detorquet, ut interdum leviter deflectendum habeant ad confinia vitiorum, quo vitiis ingraveſcentibus, ſi non mederi, ſaltem moderari poſſint. Hæc declinatio a regia via, ſi lis in foro conſcientiæ juxta formulam divinæ legis dijudicetur, ægrè ſine elogio miſſionem impetrabit. Verùm ſi ſententia feratur in foro exteriori, ut aſſolet in ejuſmodi negotiis, haud dubiè cauſam obtinebit. Porrò vehementer hallucinantur qui medicinam depravati ſtatus a ſeveris legibus petendam opinantur, cùm res doceat crudioribus remediis delicta verius accendi, quàm reſtingui, longèque efficacior ſit ad impetrandum quod cupit indulgentia patientis, quàm ad imperandum terror, ac minæ, parum firma vincula diuturnitatis. Quare nunc, ut rerum ſtatus eſt, cogimur hominum ingenia remediis experiri, & more medicorum venena venenis procurare. Libellum repudii levibus ex cauſis, & ob fribuſcula Judæis indulſit Deus, non tanquam probaret, ſed ob duritiem cordis, interpretatus eſt Salvator noſter *Matth.* 19. Loth filias ſuas velut hoſtias offert ſodomitarum libidini, ne ſcelus innominandum perpetrarent adverſus Angelos, qui in ejus hoſpitium diverterant. Nec quiſquam eſt tàm inhumanarum rerum arbiter, quin hujuſmodi factis aut aſſentiat, aut ignoſcat. Tanti refert quo tempore, quibus cauſis, quo fine, quæque actio ſuſcipiatur.

Hiſce tamen non cauſam defendendam ſumimus, cui 68
fas gentium faveat, & naturalis æquitas non refragetur, ſed morbo ſævienti levamen quærimus, cui non aliter humano conſilio ſubveniri poteſt, quàm ſi perpeſſione, ac tolerantia levioris incommodi gravius periculum propulſetur. *Tolle lupanaria de rebus humanis*, ſcribit vir Sanctus Auguſtinus loco mox citando, *& ardebunt omnes libidinibus.*

Ea igitur moderatio ſemper probabitur probis tolerando potiùs, quàm tollendo vetera vitia, compeſcere leni fomento magis, quàm utendo, ſecandove vulnera curare. Nec ſcrupulum injiciet homini in rebus humanis exercito, ſi quid inibi videtur admiſtum impuritatis. Non enim aliter hæc ſacra conſtant quoties, ut clavus clavo, ſic malum malo pellitur. Ita ſe res habent in hac miſera mortalitate, ſemper ſalvis legibus ea geri putandum eſt, quæ pro publica ſalute fiunt. 69

Ad ſummam, ſapiens legum conditor ita ſe comparabit, ut mediatè norit ingenia gentis, articulos temporum, ſæculi mores, imaginem Reipublicæ. Ut enim in ſingulorum hominum ætatibus, ſic in omni populo, in omni ſtatu ſunt ſui natales, ſunt certi incrementorum gradus, eſt conſiſtens vigor, eſt virium aliquid, & caducum, quod ſenſim tendit ad fatalem metam. Hæc eſt rerum viciſſitudo, hæc univerſitatis lex, cui quiſquis obſiſtit, nec illum proficit, & more Gigantum bellat cum Diis. Concludam igitur cum Eprio Marcello, qui ſub exemplo ſuo quemque docet apud Tacitum *lib.* 4. *hiſtor.* meminiſſe temporum, quibus natus ſit, quam civitatis formam patres, avique inſtituerint, ulteriora mirari, præſentia ſequi, bonos Imperatores, addo, & mores, voto expetere, qualeſcunque tolerare. 70

Et generatim convenit inter Doctores quemadmodum ritus etiam eorum Infidelium gentilium, qui ſunt ſubjecti Chriſtianis Principibus, ita etiam uſuram Judæorum poſſe ab eis licitè tolerari cauſa vitandi majoris mali, ut ſcandali, & perturbationis Reipublicæ, vel ne impediatur majus bonum, ut ſi ſperetur illorum converſio per ipſam eorum tolerantiam. Nam, ut rectè argumentatur Div. Thomas 2. 2. *quæſt.* 8. *art.* 11. Deus etiam permittit hæc, & alia mala propter ejuſmodi cauſas, cujus providentiam debet imitari regimen humanum. Ex qua doctrina colligit Cajetanus regulam ad diſcernendum, rectene, an ſecùs permittantur per poteſtatem humanam, Eccleſiaſticam, vel ſæcularem aliqua mala, ut uſuræ, & cætera ejuſmodi? Nam cùm permiſſio hæc non ſit per ſe mala moraliter, habenda eſt, inquit Cajetanus, conſideratio cauſæ, propter quam mala permittantur. Poteſt autem ea permiſſio eſſe rationi conſentanea, vel ex parte boni præponderantis, ne ſcilicet impediatur, ut ait Cajetanus juxta illud Matth. 13. *Sinite utraque creſcere, ne forte eradicetis cum eis & triticum*, vel ex parte mali etiam præponderantis, ne videlicet fiat juxta illud D. Auguſtini *lib.* 2. *de ord. cap.* 4. *tom.* 1. *ſuperius adductum.*

Non gravabor tamen aſſerere perceptionem lucri ex 71
ejuſmodi mutuo multis titulis ac rationibus comprobari poſſe. Et primò, ex obligatione mutuandi, quæ pretio æſtimabilis eſt, Cajet. *opuſc. de monte Piet.* Scot. *in* 4. *dict.* 15. *quæſt.* 2. Sot. *lib.* 6. *de juſt. & jur. quæſt.* 1. *artic.* 2. Navar. *in man. cap.* 17. *num.* 188. *& in com. de uſur. num.* 5. Molin. *de contract. diſp.* 308. *num.* 4. Perez de Lar. *lib.* 1. *de anniverſ. & capel. cap.* 23. *n.* 12. Ut proinde Doctores communiter doceant, committere uſuram mutuantem, qui obligat mutuatarium ad remutuandum, ut D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 2. ad 2. & 4. Cajet. & alii ibi, ac Salas qui multos refert *in tr. de uſur. dub.* 9. *num.* 2. *& dub.* 10. *num.* 3. Unde Judæi quoque, qui ſe obligant Reipublicæ ad mutuandum, poſſunt ab ipſa authoritate Summi Pontificis percipere juſtam compenſationem.

Secundò, ex pecunia præſenti, quæ pluris æſtimatur, 72
quàm abſens, idque ratione annexorum. Nam tradens alteri

teri pecuniam reſtituendam poſt aliquod tempus, exponit ſe periculo ſubeundi moleſtias pro recuperatione. Quod eſt pretio æſtimabile, & ratione ipſius poſſe aliquid percipi præter ſortem, tradunt Div. Thom. *opuſc. 73. de uſur. cap. 10.* Medin. *de reſtit. quæſt. 38. cauſ. 3. & 4.* Petr. Navar. *lib. 3. de reſtit. cap. 2. par. 2. dub. 11. numer. 105. & ſeq.* Molin. *de contr. diſp. 104. in reſp. ad 2.* Valent. *tom. 2. diſp. 2. quæſt. 20. punct. 2. concluſ. 4.* Malder. *tract. 10. dub. 14.* aliique. Immò etiam in jure pecunia præſens pluris valet. In eo enim ſancitur minus ſolvere qui tempore debito non ſolvit, ſed ſolutionem differt, *l. ſolidum, ff. de ſolut. & in leg. ſi prædio, §. de in diem addict. & leg. ſi cujus 12. §. minus ff. de verb. ſignif.* ibi: *minus ſolvit, qui tardius ſolvit, nam & tempore minus ſolvit.* Atque adeò compenſari poteſt per aliquod pretio æſtimabile, quod conſiderari poteſt etiam in mutuò Judæorum. At iſtud modò eſt damnatum ab Innocentio XI. *propoſit. 41.*

73 Tertiò, ex privatione pecuniæ, ac potentiæ ad lucrandum, quamvis lucrum non ſit propinquum in actu, quia nimirum pecunia non eſt expoſita negotiationi, neque præſtò eſt certa, & determinata occaſio lucrandi, ſed tantùm inquiri poteſt, & probabiliter inveniri, & ſit in animo illam exponendi lucro. Quod planè eſt pretio æſtimabile, cujus ratione poteſt percipi honeſta compenſatio, Corſett. *in ſingul. v. lucrum*, Soccin. *conſ. 93. lib. 1.* Signorol. *conſ. 91.* Villagut. *de uſur. cap. 18. concl. 5.* Gemin. *de uſur. com. 1. §. 16.* Filliuc. *tract. 34. cap. 9. num. 79.* Salas *de uſur. dub. 20. num. 12.* Et admittit Rota pro viduis, quando ipſis non reſtituitur dos ab hæredibus, ut poſſint ex fructibus educari *dec. 383. num. 6. par. 5. rec.* Et quando quis tenetur occupare, ſive ut ajunt, inveſtire pecunias alienas in rem fructiferam, & illas non occupant *dec. 175. num. 1. & 2. & dec. 421. n. 9. & 7. par. 3. rec.*

74 Quartò, ex ſpe lucri fundata in retentione propriæ pecuniæ, atque adeò in potentia ad lucrandum, prout tradunt Navar. *de uſur. num. 53. & ſeqq.* Philiarch. *lib. 5. de offic. Sacerd. cap. 7.* Ugolin. *de uſur. cap. 7. num. 1.* Lopez *lib. 1. cap. 25.* Leſſ. *lib. 2. de juſt. cap. 20. dub. 11. n. 97.* Malder. *2. 2. tract. 5. cap. 3. dub. 12. & ſeq.*

75 Quintò, ratione alti Dominii, quod habet Princeps in bonis ſubditorum, quo decernere poteſt, ut certa penſio de Republica benemeritis in remunerationem beneficiorum, quæ mutuando ei conferunt, quotannis ſolvatur. Utilitas enim publica præferenda eſt privatæ, *leg. un. §. fin C. de ead. tollen. & l. ſancimus, C. de Sacroſ. Eccleſ. & auth. res, quæ com. de leg.* Et ita exigit præferri, ut ſit juſta cauſa anferendi privatis jus ſuum, Doctores *in l. venditor, §. ſi conſtat, ff. com. præd. & in l. Lucius, ff. de evict.* Felin. & alii in *cap. quæ in Eccleſiarum num. 27. de conſtit.* Poſſunt itaque etiam Judæi non ratione mutui, ſed remunerationis ex decreto Principis aliquid percipere.

76 Sextò, ratione lucri ceſſantis. Quod habet locum, quando pecunia mutuata eſt in potentia proxima ad lucrandum, ut communiter cum Paulo de Caſtro *in leg. 3. §. fin. ff. de eo, quod cert. loc.* docent Doctores, quorum doctrinam ſemper proſequitur Rota, ut videre eſt *in dec. 246. num. 18. par. 5. rec.* Certum namque eſt, quòd Judæorum pecunia habetur tanquam in potentia proxima ad lucrandum.

77 Septimò, ratione periculi amiſſionis pignorum, laborum, & expenſarum operæ, ac induſtriæ, curæ, ac diligentiæ. Nam hæc omnia ſeorſim ſunt digna æſtimatione. Siquidem commoditatem contrahendi aliis affert. Quare is, qui ea commoditate uti volet, meritò reputare debet officium, & operam alterius fuiſſe ſibi uſui, ac proinde ille alter ſuſcepti officii compenſationem juſtè recipiet propter ſummam, quam alioqui res mutuata ſecundùm ſe valeret. Conducendo etiam domum pro eorum conſervatione, ut per Leſſ. *de juſt. d. lib. 2. capit. 20. dub. 13.* Durand. *in 3. dict. 37. quæſt. 2.* Medin. *de ead. qu. 1.* Navar. *cap. 17. num. 283.* & Valent. *tom. 3. diſ. 5. qu. 25. par. 3. in comp. cauſ. 7.*

78 Et octavò, ratione publicæ utilitatis. Nam idcircò uſura habet ſuam malitiam, quia quod in mutuo ſolvitur ultra ſortem, eſt injuſtum. Et idcircò continet injuſtitiam, quia eſt contra jus mutuatarii. Nam cum per mutuum transferatur dominium, ſolveret aliquid pro uſu rei propriæ, atque adeo non ſolùm compenſaret ad æqualitatem mutuantem reſtituendo eandem quantitatem pecuniæ, ſed aliquid amplius redderet, ac proinde inter ipſos conſurgeret inæqualitas, ut docent Doctores cum Div. Thom. 22. *quæſt. 78. art. 1. in corp.* Ob publicæ autem utilitatis cauſam ceſſat ratio injuſtitiæ, ergo etiam ratio uſuræ. Quia, quando actus non eſt contra jus alicujus, non continet injuſtitiam, cùm injuſtitia ſit læſio juris alieni. Et tunc actus non eſt contra jus alicujus, quando ceſſat tale jus, ſi quis aliàs illud haberet. Sic licèt quiſque habeat jus ad tuendam propriam vitam, nulla fit ipſi injuſtitia, ſi exponatur periculo mortis, quando id expoſtulat publica utilitas, vel ob defendendam civitatem, vel ob præliandum, quia tunc ceſſat jus. In præſenti autem ceſſat jus mutuatarii ad non reddendum aliquid ſupra ſortem, quia in concurſu juris privati cum publica utilitate cedit jus privatum, *leg. Item ſi verberatum §. item ſi forte, ff. de rei vendic.* Afflict. *dec. 321. num. 17.* Concurritque jus privatum mutuatarii de non ſolvendo aliquid ſupra ſortem cum utilitate publica: Nam publica utilitas exigit Judæos fœnerari, nec poſſunt fœnerari cum facultate mutuandi, niſi alliciantur lucro. Ideòque ceſſabit jus privatum mutuatarii non ſolvendi aliquid ſupra ſortem, ac proinde ſoluto non erit contra jus ipſius, atque adeò neque injuſta, cùm publica utilitas facit, quòd lucrum debeatur mutuanti, non tanquam mutuanti, ſed tanquam cooperanti ad publicum bonum, idque ratione finis, nempè utilitatis publicæ. Eſt enim generatim atque universè verum, quòd ratione diverſitatis finis varientur etiam media, utpotè quę a fine recipiunt appetitionem, ac proinde media cęteraque bona, fiunt mala, ſi ordinentur ad malum finem. Quę tamen non habent locum quoad privatas perſonas, quia ceſſat in eis publica utilitas, cujus ratione contingit variatio materię, neque intervenit anthoritas Summi Pontificis.

Hunc modum publicavit Edicto ſuo Cardinalis Anto- 79
nius Barberinus S. Romanę Eccleſię Camerarius his verbis: *La Santità di noſtro Signore Papa Clemente X. intenta con la ſua paterna carità, e provvidenza al beneficio, e al ſollievo del pubblico, e de' privati dello Stato Eccleſiaſtico, penſa particolarmente a ſollevarli dalle gravi uſure, che patiſcono per li danari, che preſtano gli Ebrei, deſiderando la Santità Sua trovar modo di toglier totalmente le dette uſure, benchè tolerate fin' ora per urgentiſſime cauſe, e di praticare queſta probibizione con tali provvedimenti, che non naſcano ſconcerti, e che i Criſtiani poveri nelle loro neceſſità trovino per altra via pronto, e facile quell' ajuto, che ora cercano col prender danari dagli Ebrei. Ma perchè non ſi è potuto fin' ora eſaminar perfettamente, e determinare i mezzi di provvedere a ciò ſtabilmente, ſua Beatitudine col ſuo ſommo zelo non ha voluto differire più oltre il cominciare a dar qualche rimedio a queſto male. Però dopo l' aver fatto fare diligente ſcandaglio di ciò, che poſſa importare il lucro ceſſante, che per lo più ſentono gli Ebrei ne' capitali, che per preſtargli laſciano d' impiegare in altri traffichi, ha ordinato, che ſi pubblichi il preſente Editto, che dovrà oſſervarſi infino a novo ordine in contrario.*

Per tanto noi per comandamento eſpreſſo datoci a bocca 80
da noſtro Signore, e anche con chirografo a noi diretto a' 23. del corrente meſe, e in vigore del noſtro officio comandiamo, che niuno Ebreo nella Città di Roma, e in tutto lo Stato Eccleſiaſtico ardiſca di far contratti, o di eſiggere per li danari, che in qualſivoglia modo preſterà a ragione d' intereſſe maggiore de dodici per cento, e all' iſteſſa ragione intendiamo, che dal giorno della pubblicazione del preſente Editto rimangano ridotti gl' intereſſi de' contratti già fatti di prima, ancorchè in eſſi ſi foſſe eſpreſſamente promeſſo intereſſe maggiore anche con giuramento, e con obbligo in forma della Camera Apoſtolica.

E perchè non s' intende di approvare poſitivamente tali 81
intereſſi, anche ridotti, come ſi è ordinato di ſopra, ma di laſciarli per ora con ſemplice toleranza; ſi dichiara, che per conſeguirli non ſi darà azzione in giudizio in vigore de' contratti, che ſi faranno per l' avvenire, ma ſolo gli Ebrei potranno agitare per la ſorte principale.

Non potranno gli Ebrei, etiamdio per qualſivoglia pic- 82
cola ſomma nel calcolare gl' intereſſi prender quindeci giorni per un meſe intiero, nè minor numero di quindeci giorni per mezzo meſe, e ciò s' intenda etiamdio nel primo, ed ultimo meſe del contratto, ma ſi dovrà haver riguardo ſolo al tempo preciſo, che ſarà corſo dal giorno, che ſi ſarà fatto il mutuo fino a quello della reſtituzione.

Si dichiara in oltre, che quando nelle ſcritture pubbli- 83
che, ò private ſi dirà, che 'l danaro ſi dà in forma depoſiti gratis, *ò per amore, ò per mutuo* gratis, *ò con altra parola equivalente, non potranno gl' Ebrei pretender, che corra alcuno intereſſe.*

Quanto a' pegni di coſe rubate, ancorchè foſſero preſi 84
ignorantemente dagli Ebrei, vogliamo, che per la reſtituzione di eſſi al vero padrone ſi oſſervi la diſpoſizione della legge comune, a' termini della quale riduciamo qualſivoglia capitolo a favor dell' Ebreo ſopra queſto punto.

Gl' Ebrei, che contraverranno a qualſivoglia delle coſe 85
ordi-

ordinate nel presente editto , incorrevano nella pena del decuplo di quella portione d' interessi , che avranno patuito, ò ricevuto contra gli ordini sopraddetti, oltre la restituzione da farsi alla parte interessata, la qual pena si applicherà per un terzo all' accusatore, e pel restante alla Camera Apostolica.

86 *Vogliamo , che 'l presente Editto si osservi inviolabilmente, e non ostante qualsivoglia capitolo , editto , Constitutione, ò moto proprio, ò altro in contrario, a' quali Sua Santità nel suo Chirografo hà espressamente derogato, ancorchè richiedessero special menzione , ed il presente Editto affisso in Roma ne' soliti luoghi obbligherà ciascuno Ebreo in Roma dopo otto giorni , e dopo quindeci per tutto lo Stato Ecclesiastico, etiamdio in quanto alle pene, come se fosse personalmente a ciascheduno intimato. Dato in Camera Apostolica a' 24. di Decembre del 1670.*

87 Quod ad secundùm : Non loquimur de usuris incertis , quæ, cùm non constet usurario a quibus acceperit, restituendæ sunt aut pauperibus per eleemosynam , aut applicandæ operibus piis . Et quod ad istas Paulus III. Constitutione sua 32. §. 1. disponit, quòd bona acquisita ex usuris incertis a Judæis , Christianis sacris initiatis , remaneant apud ipsos, in quo intervenit virtualis restitutio, quia censentur dicti Judæi eas offerre Summo Pontifici , tanquam sibi applicatas , quæ applicatio est in opus pium , cùm sit ad tollendum impedimenta , quæ impediunt Judæos , ne Christi sacra suscipiant , sed sermo est de usuris certis , quas certis personis restituendas esse decernit idem Pontifex.

88 Et de istis negativè respondendum videtur: Quia Pontifex non potest super hac Constitutione dispensare, cùm disponat id, quod jus ipsum naturale. Jus autem naturale exigit , quòd bona restituantur iis , quibus debentur. Atque adeò acquisita ex usuris. Pontifex enim non dispensat in jure naturali, ut cum communi prodit Suarez. *lib.* 1. *de legib. cap.* 14. *num.* 5.

89 Deinde usurarius non acquirit dominium usurarum juxta communem sententiam, quam tradunt Covarruv. *var. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 6. Molin. *de just. & jur. disp.* 316. Vasquez 1. 2. *disp.* 37. *in fine*, & cum pluribus Salas *de usur. dub.* 38. *num.* 3. & habetur *ex l. traditio*, *ff. de acquir. rer. dom.* Ubi ut traditio transferat rerum dominium , debet esse ex causa idonea , nec sufficit voluntas. Solutio autem usuræ non est ex causa idonea , cùm non sit liberalis donatio. Quin esto , quòd usurarius dominium acquireret , mutuatarius tamen retinet jus ad rem, quo non potest eum Summus Pontifex privare, præcipuè quia sine peccato ratione necessitatis accipit pecuniam ad usuram, quam libentius acciperet sine onere usurarum . Undè cùm peccatum non habeat locum, neque etiam potest Summus Pontifex in pœnam peccati eum usuris restituendis privare.

90 At nihilominus affirmativam tenendam puto . Sequiturque ex dictis in prima quæstione . Nam potest Pontifex crimen usurarum , quod esset tantùm toleratum , condonare Judæis , suscipientibus Christianorum Religionem, ac planè in integrum restituere, ac facere per fictionem , quòd contractus ab initio usurarius reducatur ad terminos legitimos , itaut inducat obligationem in mutuatario solvendi quod justum est ratione lucri cessantis, aut damni emergentis, atque adeò , quòd Judæi Christi sacra capescentes , possint retinere totum id , quod ex hoc titulo eis obvenire potuisset . Estque justum tum favore fidei , qui maximus esse debet *capit. fin. de convers. infid. & cap. significasti de homic.* Tum quia cùm Judæorum pecunia sit exposita negotiationi , habeantque ipsi semper in promptu occasiones pecuniam exercendi , & lucrandi , interveniunt requisita , ut locus sit lucro cessanti juxta doctrinam Castrensis superiùs relatam.

91 Quòd autem Pontifex possit concedere gratiam restitutionis in integrum, fingendo ex æquitate non factum, quod est factum, constat *ex Clem. un. de immun. Eccles.* ac docent Bald. *in leg. non dubium Cod. de legib.* Bartol. *ibi*, & communiter Doctores. Unde Anchar. *cons.* 225. *num.* 2. dixit , quòd fictiones auferunt quæsita uni , & dant alteri, ut liquet *ex ff. & Cod. de capt. & post lim. revers.* Fitque palam ex eo , quod potest Princeps in præjudicium hæredum reddere validam , & legitimam donationem excedentem quingentos aureos non insinuatam , & jubere , ut perinde se habeat ac si fuisset insinuata , ut observant Abb. *cons.* 48. *par.* 1. Castr. *cons.* 178. Ergo etiam potest Pontifex reddere validum contractum usurarum , reducendo illum ad debitos terminos , & facere , ut perinde se habeat , ac si ab initio fuisset legitimus. Item ex eo, quòd legitimatio retrahitur ad tempus nativitatis , *leg.* 2. *ff. de nat. rest. & §. illud*, *& §. nulla*, *auth. quib. mod. natur. effic.* & adnotat Bartol. *in l.* 2. *num.* 10. *ff. de vulg. & pupil. subst.* ac omnes, nihil obstante , quod filii legitimi minus percepturi sint de paterna hæreditate. Eodem quoque modo poterit Pontifex reddere legitimos contractus Judæorum Religionem Christianam suscipientium, adeòut legitimatio retrahatur ad tempus, in quo initi sunt, non obstante, quòd aliquid minus mutuatario sit restituendum.

Neque ex hoc fit injuria iis, quibus usuræ essent re- 92
stituendæ . Nam ex justa , & legitima causa non sunt restituendæ in totum , quia gratia Pontificis intervenit super radice , unde essent restituendæ , quam cum immutet, operatur, ut non amplius inferat necessitatem restituendi omnes usuras, sed partem illarum tantùm. Id, quod etiam contingit in gratia plenæ restitutionis in integrum, quæ operatur, ut jura, quæ alicui quæsita sunt ex alieno delicto , resolvantur , ut tradunt Bald. *in fin. num.* 5. *C. de sent. pass. & restit. & in l. Gallus*, *§. & quid si tantùm num.* 15. *ff. de lib. & posth.* ibique Alex. *num.* 19. Paris. *cons.* 1. *num.* 47. & 52. *lib.* 4. Anchar. *cons.* 408. *numer.* 8. Natt. *cons.* 471. *num.* 2. *lib.* 2. Rolan. *cons.* 45. *num.* 23. *lib.* 4. Bellam. *dec.* 741. & 743. Odd. *de restit. in integr. quæst.* 99. *num.* 74. Brunor. a Sol. *quæst.* 19. *num.* 49. & Rot. cor. Merlino *dec.* 125. *num.* 46. Quia bona, quæ ex delicto alterius alicui acquiruntur , censentur acquiri sub hac tacita conditione: Si Princeps restituerit in integrum. Unde etiam in hoc casu usuræ censentur esse sub obligatione restitutionis, nisi Pontifex reducat contractus Judæorum, Christiana sacra suscipientium ad terminos legitimos . Quia tunc non erunt omnes ex toto restituendæ.

CONSULTATIO LXXVI.

An dignitatibus , aut Canonicis , creatis prothonotariis titularibus, relicto antiquo habitu , liceat in choro , Capitulo , aliisque canonicalibus functionibus uti carbasina præsulari , vulgò rocchetto , & amiculo brevi , sive ut ajunt , mantelletto violaceo?

NON licet . Ita enim sæpiùs decrevit Sac. Rituum 1
Congregatio, ac præcipuè semel in Asculana Apuliæ per hæc verba : *Archidiaconus prothonotarius non potest lucrari distributiones quotidianas , & fructus suæ præbendæ Archidiaconalis , nisi in habitu proprio , & Archidiacono convenienti in choro , ut Ecclesiæ assistat functionibus , & cum eodem habitu in processionibus loco sibi debito, tanquam Archidiacono, incedat, & dum celebrat, non ex altari, sed ex sacristia, ut cæteri Canonici debet sumere paramenta . Quòd si voluerit in habitu prothonotarii in functionibus , quibus interesse debet ut Archidiaconus intervenire , de fructibus, & distributionibus participare poterit , eique assignandus erit locus non supra , neque inter Canonicos , sed post Abbates, ut in cœrem. Episcop. lib.* 1. *cap.* 3. *ad fin. & tanquam extraneus reputabitur . Et ita declaravit, ac in Ecclesia Asculana servari mandavit* 16. *Martii* 1610.

Et iterùm in eadem sub 19. Novembris 1611. *Cùm* 2
Archidiaconus , qui est prima dignitas in Ecclesia Asculana Apuliæ ex gratia Sedis Apostolicæ prothonotarius creatus fuerit , & in habitu Prælati in dicta Ecclesia incedere voluisset , contradicentibus Episcopo , & Canonicis , recursum habuit ad Sac. Rituum Congregationem, supplicans declarari , sibi licere uti dicto habitu in choro inter Canonicos in loco sibi debito , offerens se velle dimittere distributiones quotidianas , & negotium fuit commissum Illustrissimo Dom. Cardinali Peretto ; eadem S. Congregatio a decreto alias in simili facto ad instantiam Thesaurarii, & Magistri cœremoniarum ejusdem Ecclesiæ Asculanæ sub die 16. *Martii* 1610. *non esse recedendum censuit , nempè debere Archidiaconum in choro , & in Assistentia Episcopi , & in processionibus publicis , in omnibus aliis actibus , & functionibus sibi tanquam Archidiacono competentibus non uti habitu prothonotarii . Extra verò chorum , processiones , & functiones , & alios actus publicos posse uti habitu prothonotarii juxta formam sui privilegii. Et ita declaravit, &c.*

Idem quoque declaravit in Melitensi 7. Augusti 1621. 3
& in Tricaricensi 14. Martii 1614. & in aliis relatis a Barbos. *de canon. & dignitatibus*, *cap.* 5. *num.* 53. *& seq. & cap.* 18. *num.* 34. in quibus declaratum fuit , licere uti dicto habitu in actibus extraneis non competentibus sibi tanquam Canonico, at in aliis eo titulo competentibus , & ubi Capitulum intervenit , prohibetur delatio habitus ut per eundem Barbos. *de jur. Eccles. lib.* 1. *cap.* 23. *num.* 19. *& seqq.* ac censuit eadem S. Congreg. 17. Junii 1623. & 18. Julii 1526.

Ratio autem est, quia uti Prothonotarius nullum jus 4
habet ad distributiones, & actus Capitulares, sed reputatur

tatur tanquam extraneus, & ideò debet intervenire uti Canonicus vel dignitas. Quando autem intervenit uti Canonicus, vel dignitas debet uti habitu, qui uti tali ei competit.

5 Neque satis est pœna amissionis distributionum. Primò, quia in plerisque non habentibus distributiones locum habere non potest. Secundò, quia S. Congregatio utentem habitu prothonotarii non solùm privat distributionibus, sed reputat extraneum, & tanquam talem denegat ei locum inter Canonicos, & dignitates, ut in allegata Asculana, & in Spoletana Terræ Casciæ 23. Martii 1619. & testatur Barbos. *de can. & dignit. d. cap. num.* 53. *& in collect. dec. apost.* 97. *num.* 6. *ac in select. canon. cap.* 36. *num.* 5.

6 Quæ præcipuè locum obtinent in Ecclesiis, in quibus viget Statutum a Pontifice in forma specifica confirmatum cum decreto irritante, & clausula sublata, injungens Canonicis, & dignitatibus usum habitus canonicalis, ab eisdem juratum. Statuta enim uniuscujusque Ecclesiæ habent vim legis, & obligant singulos de capitulo ad suam observationem non secùs ac jus commune, *capit. fin. de constit. in* 6. *capit. omnes de major. & obed.* Et quando sunt jurata, cogi possunt ad observationem in vim pacti, ut plenè per Rot. in Mediolanen. sustentationis libri 26. Junii 1647. coram Ghislerio, & veniens contra juramentum, uti perjurus non auditur, Rot. *dec.* 6. *num.* 1. *par.* 2. *rec.* itaque Paulus Jurisconsultus jusjurandi authoritatem esse majorem rei judicatæ, *leg.* 2. *ff. de jurejur.* & ex sententia Apostoli *ad Hebr. capit.* 6. omnis controversiæ finem esse juramentum.

7 Ac ita quidem, ut non suffragetur derogatio generalis adjecta in literis prothonotariatus. Nam præterquamquod est restricta ad statuta Colegii prothonotariorum & confirmatio statutorum continet clausulas derogatorias ad futura cum declaratione, quòd non censeatur derogatum, nisi specifica de ea mentio facta fuerit, quæ operatur, ut non sufficiant generales derogationes, quantumvis amplæ, Paris. *cons.* 42. *num.* 15. *lib.* 4. Seraph. *dec.* 291. *num.* 1. & 2. In literis autem prothonotariatus non indulgetur facultas deferendi habitum in choro, & capitulo, ideòque generalis abrogatio Statutorum non extenditur ad hujusmodi Statutum, quod est compatibile cum gratia prothonotariatus, sed intelligitur de Statutis gratiæ contrariis, quatenus extent, Clem. *dudum, §. verum ad fin. de sepult. leg. un. §. his tantummodò, C. de lat. libert. toll.* Rota in dicta Mediolanensi *propè medium.*

8 Hinc poterit Episcopus prohibere usum hujusmodi habitus sub pœna excommunicationis: Tum quia id non adversatur diplomati Apostolico, & facultas ejusmodi tribui solet Ordinario a Pontifice, qui eum deputat pro tempore, ut authoritate Apostolica sustineat Statuta istiusmodi, eorumque observationem etiam per censuras Ecclesiasticas coercendo inobedientes: Tum quia potest Episcopus authoritate sua ordinaria non solùm defendere, ac conservare Statuta suæ Ecclesiæ, præsertim ad evitanda scandala, quibus in instanti per S. Rituum Congregationem providere non potest, ut firmavit Rota in Tarracinen. attentatorum 18. Martii 1637. *§. recursus* cor. Ghislerio, sed etiam nova condere, honesta tamen & laudabilia, *can.* 1. juncta Glos. *v. generaliter de consecr. d.* 3. *& cap.* 2. *de major. & obed.*

CONSULTATIO LXXVII.

An propter reverentiam Ecclesiæ possint expelli artifices propè illam obstrepentes, ac personæ infames, & sordidæ, ejus divina officia perturbantes?

1 Affirmativè respondendum censeo, cum Ecclesia, ejusque presbyteri, vel monachi sint æquè ac Doctores in hoc privilegiati, ut scribit Alciat. *in l.* 1. *numer.* 52. *ff. solut. matrim.* ibique Roman. *num.* 34. Jas. *num.* 45. & Menoch. *de abitr. lib.* 3. *cas.* 237. *num.* 29. Sicuti igitur Doctores, vel scholares studiorum causa id possunt, ita quoque Ecclesia ratione divinorum officiorum. Desumitur *ex can. pridem* 8. *quæst.* 2. ubi Pontifex Gregorius præcipit, ut de monasterio Sanctæ Andreæ baptisterium propter monachorum molestias auferatur, ut monachis opus Dei securiùs liceat celebrare. Baptisterium autem illud lavacrum erat, quod ex spoliario ingrediebatur controversim, & è regione frigidarii baptisterium erat, Plin. Cæcil. & Vitruv. Unde ridiculè Alagonius hunc locum exposuit pro fonte baptismatis *in compend. decret.* Hinc Ecclesiæ nuncupantur Insulæ, quia ab omnibus ædibus, atque etiam ædiculis distinctæ, & separatæ esse debent, ut apud Steph. Durand. *de ritib. Eccles. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 2. *in fin.* juxta illud *Ezech.* 22. *v.* 26. non posuerunt inter sacrum, & profanum distantiam.

Idemque censuit Sac. Congregatio super Episcopis, & 2
Regularibus in Interamnensi 21. Martii 1589. nimirum quòd in nulla domo Ecclesiæ contigua habitare debeant caupones, hospitio recipientes, gladiatores, comœdi, similesve personæ, & Beatus Pius Quintus severissima Constitutione sua sancivit, ut vana, fœda, & profana, &c. abEcclesia arceantur. Sacra item Congregatio Visitationis Apostolicæ sub die 15. Julii, me suo Promotore fiscali instante, jussit amoveri tabernam vulgò *tabacchi in fumo*, & focos ferreos, in quibus castaneæ, & asilli torreri, vel elixari solent juxta Ecclesiam parochialem Sanctæ Mariæ a Planctu positos, ne redoleat fœtorem, racoremque, cum Ecclesia summota procul esse debeat a balneis, furno, sterquilinio, immunditiisque tetrum odorem spirantibus. Et de meretrice habitante apud, vel propè Ecclesiam, vel monasterium monialium, quòd possit expelli indistinctè, & absolutè probat textus *in auth. de lænon.* 7. *§. quasdam verò*, ibi, *Et quod deterius est juxta sacratissima loca, & venerabiles domos sunt tales habitationes, & in l.* 4. *Cod. de spectac. publ. d. lib.* 11. ibique Joan. de Plat. & resolvit sæpiùs S. Congregatio super Episcopis, etiamsi habitet in viis, quæ ducunt ad Ecclesiam, ut in Maceratensis 22. Aprilis 1596. & 14. Novembris 1601. & 13. Maji 1603. & in Tudertina 16. Septembris 1598. in S. Severini 19. Augusti 1604. præcipuè propè Conventus Regularium, ut in Marsicensi 14. Junii 1588. in Viterbiensi 6. Septembris 1593. vel juxta monasteria monialium, ut in Interamnensi 6. Martii 1618. Quod procedit sive monasterium sit ab antiquo, sive de recenti fundatum. Quia dispositio *d. §. quosdam verò* loquitur absolutè de venerabilibus domibus. Et hoc quidem jus Romæ indistinctè observatur, ut scilicet mulieres inhonestè viventes a monasteriis monialium longè arceantur non solum ad partis instantiam, sed etiam ex officio, & sive sit monasterium monialium, sive oblatarum, ad quod mulieribus pateat accessus. Nisi sint conjugatæ, quæ non debent expelli è propriis domibus, nisi cum circumspectione, & accurata consideratione, ne infamentur, neve in suspicionem inducantur apud suos viros, ut in Maceratensi 3. Decembris 1603. nisi essent admodum scandalosæ, ut in Interamnensi 3. Decembris 1602. & in Cæsenatensi 17. Decembris ejusdem anni.

Et generatim, quòd meretrices saltem eæ, quæ sic 3
inhonestè vivunt, ut omnibus scandalo esse videantur, possint ab honestis locis expelli, probat textus *in l. non aliter ff. de usu, & habit. & in leg. si pendentes* 27. *ff. de usufr. & quemadm. quis ut.* Luc. de Pen. *in dict. leg.* 4. *C. ne spect.* ubi etiam Jacob. Rebuff. traduntque Bartol. Bald. Castr. & reliqui *in leg.* 2. *de sum. Trin. & fid. cath.* & tenent Gemin. *in cap.* 1. *de usur.* Alciat. & Rebuff. *in leg. Massurius, ff. de verb. signif.* Dec. *in leg. semper in contractibus num.* 3. *ff. de regul. jur.* Rip. *in tract. de pest. titul. de remed. reser. num.* 164. Menoch. *de arb. cas.* 328. *num.* 14. *& cas.* 355. Bologn. *in d. leg. non aliter*, Isern. & Afflict. *in const. Regn. rubr.* 20. Ann. *alleg.* 338. Vincent. de Franch. *dec.* 316. Rebuff. *in tract. de sent. præjud. in præf. num.* 133. Gasp. Thesaur. *quæst. for. lib.* 1. *quæst.* 33. *nu.* 2. Peguer. *dec. crim.* 12. Rovit. *in pragm.* 4. *num.* 1. Idque non solùm a domo conducta, sed etiam a domo propria. Nam, & in domo propria tenemur honestè versari, *dict. leg. non aliter, ff. de usu & habit.* cujus authoritate hoc scribunt Jacob. Rebuff. *in d. leg.* 4. *Cod. de spect.* Peguer. *dict. dec. crim.* Rovit. *loc. cit. num.* 2. & ante eos Barbat. *cons.* 48. *col.* 1. & 2. *lib.* 2. Unde Paul. & Castr. *in leg. casus, C. de testam.* ait, quòd si aliqua inhonesta mulier veniat ad habitandum in vicinia, ubi similes mulieres non consueverunt habitare, a vicinis, vel aliis civibus expelli possit. Id, quod etiam censuit S. Congr. super Episcopis in Civitatis Castelli 1. Jan. 1590. & in Ravennatensi 8. Novemb. 1593. Quod si præterea sint scandalosæ, ac procaces debent in exilium ejici ad quinquaginta milliaria sub pœna carceris, verberationis, & aliis arbitrio Judicis, ut in Spoletana 16. Jan. 1601. & S. Severini 15. Julii 1602. Non obstante, quòd in civitate non sit certus locus pro meretricibus deputatus, ut colligitur ex *dict. leg. si pendentes*, ubi Glos. *ff. de usufr. & ex dict. leg. non aliter, ff. de usu, & habit.*

Neque refert, quòd domus sit propria: Quia sicuti 4
domus propria cuique debet esse tutissimum refugium quoties quis per injuriam impetitur, ita quisque sic decet in illa versari, ut cæteris nocumento non sit *d. leg. si pendentes*, ubi Glos. *verf. contumeliosè, ff. de usufr.* Et cùm dispositio juris prohibentis habitare meretrices in locis

hostis

hoſtis nitantur in ſola honeſtate tuenda, quæ cùm ita miſitet in domo propria, ut in aliena, eadem debet eſſe diſpoſitio, *leg. adigere, §. quamvis, ff. de jurep.* Hinc ex pluribus ſociis, pari jure habitantibus domum, unus poteſt expellere alium, ſi in ea inhoneſtè verſatur, Gloſ. *in dict. leg. non aliter*, ibique Bald. *ff. de uſu, & habit.*

5 Ratio autem eſt: Quia dum eriguntur Eccleſiæ in ordine ad cultum Dei, oſtenditur erga ipſum maxima reverentia. Et ideò prout magis, vel minus ſunt ornatæ, mundæ, ac liberæ ab omni fœtore, ac ſtrepitu cedunt in majorem, vel minorem Dei cultum. Hinc majores noſtri ante fores ac templorum veſtibula cantaros, & ſalientes aquas habere voluerunt, quibus oraturi, & templum ingreſſuri manus lavarent. Hincque thymiamaterium, cujus meminit D. Ambroſ. *lib. 4. de Sacerd. cap. 1.* id quo thymiama in ſacris acenditur, Iſid. Peluſ. *epiſt. 257.* illiuſque fit mentio *in cap. 3. Apoſtol.* thuribulum noſtris, Durant. *de ritib. Eccleſ. lib. 1. cap. 9. num. 1. & 2. ubi num. 8.* ex variis cauſis, quibus thurificatio fieri ſolet; primum, fieri ait ad reverentiam loci, & divini officii: ut ſi fuerit in loco odoris fœditas thure incenſo depellatur, & qui adſunt odoribus lætis mulceantur. Quam ob rem odor divina res eſt. Quod priſcis cœremoniis veteres prodidere. Suffitibus enim profitebantur aeris, locorumque naturam aptam reddi ad Numina ſuſcipienda. Et Liberius Summus Pontifex cùm in frequenti, lectiſſimaque procerum corona, B. Marcellam D. Ambroſii ſororem caſto velo incumbraret, inter alia religioſæ vitæ, morumque documenta, & illud inſcripſit, ne ſpuendum, ne tuſſiendum, ne ridendum in iis locis, in quibus ſacratioribus cœremoniis Deus coleretur, Div. Ambroſ. *lib. 3. de virg.* Fuitque illud Pythagoreorum, Ægyptiorum, & ſapientum omnium dogma, Deum ſilentio colendum eſſe. Ut enim eleganter Eunapius ſilentium myſteriis congruum, & ſacrorum Præſide digna taciturnitas, & Propheta David, qui unà, & ad Dei laudes, & ad ſilentium evocat. Te decet, inquit, hymnus Deus in Sion, vel, ut vertit Div. Hieronymus, Tibi ſilentium laus Deus in Sion, ut ex eo intelligas eximium quoddam eſſe laudis genus animi, oriſque ſilentium, ad quod, ut invitarent antiqui, in templis expreſſam ſilentii imaginem erexere: *An quidquam indignius eſt*, ait Div. Ambroſius eo *lib. 3. de virg. quàm oracula divina circumſtrepi, ne audiantur, circumſonari ſacramenta confuſis vocibus, ut impediatur oratio pro ſalute deprompta omnium, cùm Gentiles idolis ſuis reverentiam tacendo deferant? Unde illud exemplum proditur, Alexandro ſacrificante, Macedonum Rege puerulum barbarum, qui ei lumen accenderet, excepiſſe ignem brachio, atque aduſto corpore manſiſſe immobilem, nec dolorem prodidiſſe gemitu. Tanta in puero barbaro fuit diſciplina reverentiæ, ut naturam vinceret.* Et poſtea: *frequens ſermo eſt, cùm plurima ranarum murmura glorioſæ auribus plebis obſtreperent, Sacerdotem Dei præcepiſſe, ut conticerent, ac reverentiam ſacræ deferrent orationi. Tunc ſubitò circumfuſos ſtrepitus quieviſſe. Silent igitur paludes, homines non ſilebunt?*

6 Et quidem quamvis regula ſit, quòd quilibet in ſuo facere poteſt, quod placet quoties fit principaliter ad propriam utilitatem, licèt exinde incommodum vicino acceſſoriè proveniat ad textum *in leg. altius, Cod. de ſerv. & aqu.* id tamen limitatur in Eccleſia, quæ domus Dei, ac domus orationis eſt, & unius favore receditur a regulis juris, Ric. *par. 5. reſol. 423. num. 1. & ſequentibus*, & prohibetur vicino, ne quidquam in ſuo faciat. Nulla enim ædificia circa ipſam extolli debent, præter illa, quæ miniſtris Eccleſiæ inſervire debent, *can. nulla ædificia 12. qu. 1.* & ſpeciatim ſtabulum propè Eccleſiam prohibet textu in *leg. Baſilicam 21. C. de oper. publ.* ubi Salicetus, idque reverentiæ cauſa, ne aliquid fieri contingat contra pietatem, decorem, venerationem, ac honeſtatem ipſius Eccleſiæ, quia non omne, quod licet, honeſtum eſt, *leg. ſemper in conjunctionibus, & leg. non omne, ff. de reg. jur.* Ratione quippè fœtoris, ſtrepitus equorum, & irreverentiæ divinus cultus detrimentum pateretur, *l. ædiles in fin. ff. de via publ. l. 2. §. idem ait ſi odore*, cum Gloſ. *ff. ne quid in loc. publ.* & firmat Cæpolla, quem ſequitur Sperel. *dec. 55. num. 59.* Rot. *dec. 819. & 820. utrobique num. 1. & 2. par. 18. tom. 2. rec.*

7 Quapropter competit Eccleſiæ privilegium removendi ſtabulum, aliave loca ſordida tàm ratione fœtoris, quàm indecentiæ propter ſordes, ac immunditias, quas arceri oportet a limitibus ſacrarum ædium, *leg. ſi quando §. fin. ff. ſi ſervit. vindic. leg. feſtulam in princ. ff. de ſerv. urban.* Siquidem alienum eſſet a Chriſtiana pietate, ut illud decus, honor, & reverentia, qua etiam ethnici ſua Templa proſequuti ſunt, inter Chriſti fideles negligeretur. Ariſtoteles enim in politicis tradendo regulas de Templis conſtruendis, dixit, ædificanda eſſe in loco decenti, & magis honorifico, ſeparato a profanis negotiis taliter, quòd ex ſitus diſpoſitione præeminentia loci cognoſcatur, & aſſiſtentia Dei in illo. Quem ſequutus eſt Div. Thomas annuendo, quòd propè Templa non debeant venalia proponi, nec commercia exerceri, ſed ab omnibus munda ſervari, ut ſtrepitus propè locum Deo dicatum non fiat, Rodriq. *quæſtion. regul. titul. 4. cap. 34. num. 9.* ubi quòd Eccleſiæ ſumma reverentia debetur, ac omnis decor, & reverentia per vicinos præſtari, ac exhiberi congruum eſt, ut nullum ab eis patiatur detrimentum divinus cultus, ut latè Frances *de Eccleſ. Cathedr. capit. 12. numer. 19. & cap. 14. num. 28.* Vitruvius item de Templorum, & Sacrarum ædium ſitu, ſi plura cupis, multa egregia ſcribit *lib. 1. 3. & 4.*

8 Eòque magis ſi præter indecentiam, ac malum odorem non ſolùm lædatur Eccleſiæ decus, ſed etiam orantium fervor, & attentio diſtrahatur, fideles retrahantur ab Eccleſiæ devotione, ejuſque miniſtri ab officiis divinis, in quo caſu ſtabulum eſt omninò removendum ex traditis a Gratian. *diſcept. 186. numer. 14. & 17.* Quemadmodum enim artes, quæ redolent malum odorem reclamantibus vicinis, ne in propria quidem domo fieri poſſunt, Franc. Marc. *deciſ. 23. par. 1.* Sperel. *dict. deciſ. 35. numer. 59.* Rot. *dict. deciſ. 820. num. 5. & 7.* ut pelliparii, & ſulphurarii tradit Ripa *in tract. de peſt. in 1. par. 3. p. princ. numer. 74. & ſequenti*, ubi de conficientibus candelas ſebaceas, Cæpol. *de ſervit. ruſt. præd. cap. 43. de aere numer. 2.* Et artifices artis ſtupentis propè Academias, & domos ſtudii operam dantium Reipublicæ cauſa poſſunt expelli, ut attentiùs ſtudiis vacent, Antonel. *de temp. legal. lib. 1. capit. 39. numer. 56.* ita quoque ac potiori quidem jure expellendus eſt omnis fœtor, ac rumor ab Eccleſia, vel a monaſterio, ut poſſint ejus miniſtri, ac fideles precibus animum intendere, ac Deo famulari, Alex. *in l. 1. num. 52. ff. ſolut. matrim.* ibi, *quòd poſſit expelli faber, qui propè monaſterium malleando officia divina impedit celebrari*, Joan. de Amic. *conſ. 104. numer. 9.* Reipublicæ enim Chriſtianæ incremento, ac fœlicitati non magis confert ſtudium, quàm pietas, ut in hac re tradit Fragoſ. *de Repubi. diſp. 21. num. 9. libr. 7. par. 1.* Frances *de Eccleſ. cathedr. cap. 10. num. 191. cum ſeqq.* Paçichel. *de diſtant. capit. 6. membr. 6. numer. 9.* & Sanctus Joannes Chryſoſt. *hom. 38. ad popul. Antiochen. nihil*, inquit, *Eccleſiæ tàm congruum, quàm ſilentium, & tranquillitas.* Ut proinde favor Eccleſiæ, & Eccleſiaſticorum cuicunque favori, & utilitati privatorum præponendus ſit, Mar. Anton. *reſolut. 65. num. 11. lib. 1.* Gargiar. *conſ. 4. num. 31. & 35. lib. 1.* adeò quòd neque cauponæ, neque alia hoſpitia vilium perſonarum conſtrui, aut aperiri permittantur propè Eccleſias propter ſtrepitum, & perturbationem divini cultus, Nicol. *inſtit. can. lib. 3. titul. 2. num. 6. de cohabit. Cler. & mul.* Gilian. *ad ſtatut. Teruſ. v. Immunditia, & v. magiſtri viarum*, Sanfelic. *deciſ. 127. per tot. lib. 1.*

Et præcipuè ſi ſupra ſtabulum ſit etiam ædificatum fœnile, quod cùm ſit contiguum, vel annexum Eccleſiæ, vel monaſterio, eſt removendum ob irreparabile præjudicium ac periculum futuri incendii, adeòut ne in iſto quidem caſu admitti poſſit cautio de damno infecto. Quotieſcunque enim damnum imminens non eſt ſimpliciter pecuniarium, quod evenire poſſet ex ruina ædificii, ſed irreparabile ex periculo ſcilicet propriæ vitæ, cautio prædicta non habet locum neque fidejuſſio in ſimilibus recipitur, Rot. *deciſ. 819. num. 17. & ſeqq. par. 18. tom. 2.*

Hinc nonnulli Patres non ipſa modò Templa, ſed præter Templa viciniam quoque ideſt loca continentia, è quibus proximus eſſet in Eccleſiam proſpectus perinde ac ſacra haberi voluerunt, itaut in eis abſtineantur indifferentibus alioqui actionibus, quæ cùm loci ſancti reverentia non cohererent, multò magis fœditatibus quibuſvis, & inhoneſtatibus. Nota eſt hiſtoria exacerbatæ adverſus S. Joan. Chryſoſtomum Eudoxiæ Auguſtæ, ut in actis ejuſdem Sancti ſcribit Georgius Alexandrinus, cùm ejus ſtatuam argenteam ſuper columnam erigi contigerit. Ea ſtatua, inquit Georgius, comeſtiebatur amiculo præmolli, ac tenuiſſima purpura intertexto: Stabat autem in ſublimi gradu columnæ, non quidem è vicino Eccleſiæ, ſed nec ſejunctiùs ab ea, cui nomenclatura edita fuit Sophia, id eſt ſapientia. Via proinde lata admodum, & intermedia utrumque dirimebat ab altero: Apud eam columnam invaluerat

consuetudo, ut circumagerentur publici ac pueriles ludi. Arbitratus autem S. Joannes fieri hæc in contumeliam Ecclesiæ, consueta concionandi libertate usus, suam ipsius linguam obarmavit adversus eos, qui talia eatenus egissent. Et quamvis alia esset mens præcipientium, & exequentium, S. Chrysostomus ipsum tale opus exercitum in Ecclesia propè vestibulo, ac viciniori atrio interpretatus est ad Ecclesiæ contumeliam spectare, præsertim, cùm, ut scribit Metaphrastes, ad sacros, qui in Templo concinebantur hymnos, confusæ, & inordinatæ voces contra resonarent è ludis illis. Et hanc ipsam ob causam S. Basilius *reg.* 46. sufarum perillustri loco agens de infesta festorum exactione, non modò nudinas è Templis submoveri mandat, sed etiam é locis congruis, quod videatur ad Templi contumeliam pertinere; si in vicinia, & è regione domus Dei obeantur commercia publica, quibus tumultuatio, & multiplex inordinatio vocum confusarum semper comitatur.

9 Quare studiosè ac diligenter occurrendum est, ne juxta quidem Ecclesias, ac monasteria strepitus fiant, neve fætores, & scandala sint, ut jubemur etiam a Concilio Trid. *sess.* 22. *decr. de obser. & evit. in celebr. missar.* ut domus Dei, ait Concilium, verè domus orationis esse videatur. Quod, & antea constitutum fuerat in Concilio Lugdunensi: Eademque ratione theatrales ludi, & moduli, nec non larvarum ludibria, ac spectacula in Ecclesiis prohibentur, *cap. cum decorem de vit. & honest. Cler.* ubi Glos. *can. cantantes d. 92. can. nullus de consecr. dist.* 5. Concil. African. tempore Bonifacii Papæ *can.* 27. & D. Chrysostom. *homil.* 24. *in act. Apost.*

CONSULTATIO LXXVIII.

An forma decreti super electione Sanctorum in Patronos a S. Rituum Congreg. jussu fan. mem. Urbani VIII. emanati sub die 23. Martii 1630. procedat solùm quoad electiones postea factas, vel etiam irritet antea celebratas, sed nondum impletas?

1 ITA respondendum videtur. Sed verba prius decreti, de quibus judicium a me faciendum est, ipsa ponam. *S. Rituum Congreg. annuente S. D. N. in electione Patronorum mandavit infrascripta in posterum servari debere, declarans, quod aliter facta electio, nulla sit ipso jure.*

2 *Primò, quòd eligi possint in Patronos ii solùm, qui ab Ecclesia universali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatificati duntaxat.*

3 *Secundò, quod de Patrono civitatis electio fieri debeat per secreta suffragia a populo, mediante consilio generali illius civitatis, vel loci, non autem ab Officialibus solùm, & quod accedere debeat consensus Episcopi, & Cleri illius loci.*

4 *Idemque servari debeat in Patrono Regni, qui pariter eligi debeat per secreta suffragia a populo singularum Civitatum Provinciæ.*

5 *Et quod repræsentantibus Regnum, civitatem, provinciam nulla competat facultas eligendi Patronos, nisi ad hoc habeant speciale mandatum, & ulterius interveniat consensus Episcopi, & Cleri dictarum civitatum.*

6 *Et tertiò, quod causæ electionis novorum Patronorum debeant in S. Congregatione deduci, ab ea examinari, ac demum causa cognita ab eadem Congregatione approbari, & confirmari.*

7 *Et ne præmissorum ignorantia ullo unquam tempore possit allegari eadem S. Congr. Rituum supradictum decretum imprimi, & publicari mandavit.*

8 Ratio autem est, quia cùm adhuc electio non fuerit perfecta, non refert, quòd decretum sit posterius, cùm lex trahatur etiam ad præterita effectum non sortita, quia non tempus originis, sed exequutionis inspicitur ex annotatis per Glossam, Butrium, Imolam, & Abbatem *in Clem.* 2. *v. imposterum de æt. & qualit.* & ex traditis a Tiraquel. *de primog. quæst.* 43. *num.* 15. Mascard. *ad stat. inter. pr. conclus.* 13. *num.* 11. ubi advertit, aliud esse, quòd actus sit perfectus, sed exequutioni demandatus, & aliud quòd adhuc non sit demandatus exequutioni. In primo casu lex posterior non comprehendit præterita, secus in secundo. Quod etiam observant relati a Farinac. *in fragm. v. lex num.* 86. & Castropal. *part.* 1. *tract.* 3. *disp.* 5. *punct.* 3. *§.* 5. *num.* 7. Exequutio autem electionis non solùm consistit in simplici celebratione diei festi de præcepto, sed etiam in ordinatione officiorum, & commemorationis in octava juxta Constitutionem Sixti V. super erectione S. Rituum Congregationis, & rubricam Breviarii Romani *tit. de octavis*, Licèt igitur ejusmodi electio facta sit ante decretum, cùm tamen eo tempore non fuerit impleta, & agatur de illius exequutione, & approbatione, utique comprehenditur sub decreti dispositione, Magon. *dec. Lucen.* 88. *num.* 12. & 13. In hoc enim casu lex nova superveniens trahitur ad actus habentes originem de præterito nondum exequutioni demandatos, & confirmatos, Gemin. *decis.* 113. *numer. fin.* Capr. *concl.* 6. *numer.* 52. Soccin. sen. *cons.* 21. *num.* 5. *lib.* 1. & Rot. *dec.* 36. *n.* 15. *par.* 5. *recent.*

At ego aliter tenendum esse existimo. Tum quia Urbanus VIII. futuris tantùm temporibus novam formam præscripsit, jussitque observari decretum appositum. Tum etiam quia de natura legis, & Constitutionis est, ut futuris solùm, non autem præteritis prospiciat, nec irritet actus jam perfectos, & consummatos per textum *in leg. Ariani C. de hæret. & in l. leges, C. de legib. & in cap.* 2. *& in fin. extra de constit.* traditque Bartol. *in l. cum lex* 21. *num.* 2. *ff. eod.* Gemin. *in cap. deliberatione §. volentes num.* 2. *de offic. deleg. in* 6. Felin. *in d. cap. fin. num.* 3. *de Constit.* Angel. *cons.* 382. *num.* 1. Bald. *cons.* 217. *num.* 1. *lib.* 5. Anchar. *cons.* 44. *nu.* 2. Mascard. *de stat. interpr. conclus.* 13. *per tot.* & Rot. *dec.* 319. *nu.* 3. *par.* 1. *div. dec.* 347. *num.* 2. *par.* 5. *rec.* & cor. Merlino *dec.* 832. *num.* 2. Et tum quia dispositio præcitati decreti literaliter restringitur, & præscribit formam in futuris duntaxat electionibus servandam, ibi: mandavit infrascripta imposterum servari debere, & propterea non comprehendit electiones antea factas ad textum *in l. jubemus, §. Imposterum, C. de testam. Quid enim*, ait lex, *peccavit antiquitas, quæ præsentis legis inscia pristinam sequuta est conservationem?* Nam secundùm Alberic. *in d. v. imposterum*, ac Brunor. a Sole *in loc. com. eod. v. n.* 21. dictio imposterum apposita in lege, vel Constitutione, idem importat ac si dictum fuisset post hanc legem, vel decretum, quemadmodum etiam ponderavit Rota in Cæsaraugustana præeminentiarum 10. Novembris 1623. coram Coccino *§. ex quibus.* 9

Et in hac specie, quòd præfatum decretum non irritet electiones antea factas respondit S. Rituum Congregatio in Trojanensi Patronatus 15. Junii 1633. & in Pampilonensi Patronatus S. Francisci Xaverii, in qua fuit approbata electio facta in Comitiis Regni Navarræ. Quæ resolutio tanquam juridica fuit per Rotam, proponente Reverendissimo Decano, approbata, considerato solùm, quod ad evitandum præjudicium electionis antiquissimæ S. Firmini, debeat uterque uti Patronus coli. Quod certè præsupponit validitatem electionis. Et novissimè in Neapolitana Patronatus ejusdem S. Francisci sub die 15. Septembris 1656. & in terminis electionis Patroni, qui ab Ecclesia universali titulo Sancti non colitur, post dictum decretum fuit observatum in admissione B. Jacobi de Marchia cujus electio anno 1628. atque adeò ante decretum edictum, celebrata fuit, & deinde anno 1647. admissa, & solemni repositione Statuæ in thesaurum Neapolitanum comprobata. 10

CONSULTATIO LXXIX.

An electio Sancti in Patronum ritè ac rectè fieri possint in comitiis generalibus, exquisito tamen consensu per secreta suffragia populorum singularum Civitatum?

AFfirmativè videtur respondendum, utpotè peracta ab universo populo cum consensu Episcoporum, & Cleri, qui uti pars integra interfunt, ac locum, atque votum in Comitiis habent. In Comitiis namque generalibus, quæ a nostris Regnicolis, Siculis, atque Italis vocantur Parlamenta, Mastrill. *de magistrat. par.* 2. *lib.* 5. *cap.* 15. *num.* 1. Ab Hispanis Curiæ, Fontanel. *de pact. nupt. tom.* 1. *claus.* 3. *glos.* 3. *numer.* 68. Cabed. *decis.* 3. *numer.* 1. *par.* 3. & Gallis, & Germanis Dietæ, & quandoque Parlamenta, Felix Faber. hist. Suevor. Æneas Sylv. *ep.* 72. *& ep.* 92. Campan. *lib.* 6. *ep.* Raym. Card. Huercen. *in orat. ad ordin.* German. Reusn. *vol.* 1. *orat. Turc.* Crantz. *lib.* 8. *capit.* 18. *in Dan.* & Thuan. *lib.* 2. *histor.* an longè ab initio, Rebuf. *in const. tom.* 2. *tit. de cession. act. artic. glos.* 3. Bellug. *in specul. Princip. rubr.* 6. *num.* 3. *& seqq.* A plerisque Scriptoribus Congregationes, Concilia, Conventus, Placita, Synodus, ut ab Aymon. *lib.* 5. *cap.* 12. *&* 35. *& lib.* 14. *cap.* 30. Dubrau. *lib.* 23. *hist. Bohem.* Card. Cusan. *lib.* 3. *cap.* 33. *de concord. Cath.* Gerard. de Roo *libr.* 2. *hist. Austr.* Hincmar. Remens. Archiep. *epist.* 3. *cap.* 29. Greg. Turon. *lib.* 3. *c.* 13. Radevic. *lib.* 2. *c.* 1. Regin. Abb. Prumien. *lib.* 2. *in chron. ann.* 770. Trithem. Abb. *in chron.* Vox tamen Curiæ apertiùs, & significantiùs rem exprimere videtur, nam, ut Festus Pompejus inquit, Curia 1

locus

locus est, in quo curantur res divinæ, & humanæ, habetque derivationem a cura, scilicet quæ ad publicam utilitatem pertinet. Quod etiam affirmat Varro, & Nonnius. Utcumque autem compellentur, semper convocantur tres Status, seu Brachia, Ecclesiasticum, cujus caput est Episcopus, Equestris, seu militaris, ac domanialis, seu popularis, ut per textum *in c.* 1. *in princ.* ibi: *Habito ergo consilio Episcoporum, Ducum, Marchionum, & Comitum simul etiam, & Palatinorum, & aliorum, &c. de prohib. feud. alien.* per Frider. sancitum est, & in Gallia observari testatur Chassan. *in consuet. Burgund. in proœm. v.* Les gens des trois est atz, *numer.* 1. & *v. d.* de noz. parlements *numer.* 2. & *in cathal. glor. mund. part.* 7. *consid.* 5. In Cathalonia quoque, totaque Hispania, teste Fontanel. *d. glos.* 3. *num.* 69. tria brachia convocantur scilicet Ecclesiasticum constans ex Prælatis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, & Capitulis Cathedralium, militare, seu nobile, constans ex magnatibus, militibus, seu Equitibus, & regale ex Synodis universitatum. Idemque asserit Stephan. Gaubray *hist. Hisp. tom.* 3. *lib.* 21. *cap.* 5. *num.* 3. In Regno etiam Siciliæ Cal. *in extrav. Cur. cap.* 4. *num.* 1. & *cap.* 6. *num.* 4. Cumia *in prælud. feud. num.* 43. & 56. Petr. de Greg. *de concess. feud. part.* 1. *num.* 15. & 16. ibi: *Et in hoc Regno Siciliæ proficiscuntur tria brachia Regni in publicis concionibus, & Parlamentis, videlicet brachium Ecclesiasticum, brachium militare, & brachium domaniale, seu Universitatum hujus Regni*, & Mastrill. *d. c.* 15. *num.* 6. & 7. ibi: *Hodie tria brachia Regnum totum repræsentantia convocantur, Ecclesiasticum scilicet, in quo Prælati omnes Ecclesiastici conveniunt; militare, quod ex titulatis, & Baronibus conficitur, & brachium regale, seu domaniale universitatum hujus Regni, & in ipsamet Civitate, ac Regno Neapolitano.* Neque dissentiunt Tasson. *in Reg. pragm. de antef. v. tertio observ.* 2. *n.* 10. & *seqq.* Marc. Anton. Serg. *in Neap. illustr. lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 24. & *cap.* 24. *num.* 16. & *seqq.* Ubi declarat modum, ordinem, locum, & cœremonias, quibus comitia hujusmodi celebrantur. Quibus concinunt Molphes. *in sum. tom.* 2. *tract.* 12. *cap.* 22. *num.* 10. & *seqq.* Capiblanc. *de auth. Baron. pragm.* 10. *num.* 46. & *seqq.* Coler. *de proces. exequut. part.* 2. *cap.* 3. *numer.* 361. Giurb. *dec.* 118. *numer.* 1. ac ita constitutum legitur in Capitulis Regis Caroli Secundi, typis traditis post Constitut. *Neapolit.* nempè *in cap. Item statuimus, & in cap. Reginæ, vers. illa ergo.*

2 Quare dubitari non potest, quin resolutiones, decreta, cæteraque omnia in iis statuta, censeantur facta a toto populo, repræsentato in dictis Parlamentis, omnesque obligent perinde ac si emanassent a tota Universitate, & a singulis per textum *in l. aliud, §. referre*, & ibi Gloss. *ff. de reg. jug. & in l. nulli ff. quod cujusque Univ. nom. & in l. municipiis, ff. de condit. & demonstr.* traditque Bart. *in l. civitas num.* 2. & 3. *ff. si cert. pet.* Alexan. *consil.* 17. *num.* 1. *vol.* 6. Corn. *cons.* 243. *num.* 1. *vol.* 1. Sylvan. *cons.* 7. *num.* 9. ac plenè Losæus *de jur. univers. par.* 1. *cap.* 3. *num.* 47. & *seqq.* Tinc. de Franc. *decis.* 609. *num.* 7. Bellug. *in specul. Princip. rubr.* 1. 2. & 6. & Capiblanc. *d. pragm.* 10. *num.* 46. Sed etiam ratione interventus brachii Ecclesiastici obligent Prælatos, cæteraque personas Ecclesiasticas, Tiraquel. *de leg. connub. l.* 16. *glos.* 8. *num.* 173. Chassan. *in consuet. Burgund. rubr.* 9. *§.* 9. *num.* 31. & in terminis Parlamenti Neapolitani, Mastrill. *de magistrat. d. cap.* 15. *sub num.* 18.

3 Neque ii, qui proprio nomine electioni interfunt, egent mandato, Procuratores verò Universitatum illud habent eo ipso, quòd fuerint deputati ad interessendum comitiis, in quibus leges conduntur, omniaque alia fieri solent, quæ ad totum Regnum pertinent. Mandatum enim datum ad aliquem actum comprehendit omnia fieri solita in eo, Decian. *consil.* 60. *num.* 5. *lib.* 2. subdens *num.* 6. id procedere etiam absque alia expressione, immò etiam stante dictione taxativa, quia nihilominus omnia alia fieri solita in similibus comprehenduntur, Seraph. *de privileg. juram.* 22. *num.* 110. ubi ampliat etiam ad juramentum, & ad ea, quæ requirunt speciale mandatum, Rota Januen. *decis.* 143. *numer.* 4. ubi pariter quamvis solita non esset expressa, Rota Romana *decis.* 670. *num.* 1. *part.* 1. *div.* & in Romana cambiorum 18. Junii 1627. coram Pirovano. Et mandatum habens ad aliquid faciendum, dicitur habere etiam ad illud, quod est annexum, & dependens ab illo, Doctores *in l. ad rem mobilem num.* 15. & *l. seq. ff. de procur.* ibique Alber. *num.* 1. dicens etiam quoad dependentiam a posteriori, Riminald. jun. *cons.* 11. *num.* 8. & *seqq.* Mant. *de tacit. lib.* 7. *tit.* 15. *num.* 30. Merlin. *decis.* 462. *num.* 17. & *seqq. ubi num.* 19. quod satis est verisimilis mens constituentis.

Eòque magis si non desideretur consensus Episcopi, & Cleri. Siquidem juxta formam decreti Sac. Rituum Congregationis, mandantis solùm, quòd debeat accedere ejusmodi consensus, non est necesse, ut in ipso actus electionis factæ in Comitiis generalibus interveniat, sed satis est, quòd accedat postea, etiam ex intervallo, ut fit in beneplacito Apostolico, quod licèt sit necessarium ad validitatem alienationis rerum Ecclesiæ, non tamen exigitur ejus interventus in eodem actu, nec etiam opus est, illud reservare, vel enunciare, dummodò non deveniatur ad traditionem antequam fuerit obtentum. Estque distinctio communiter recepta, quòd aut consensus exigitur ad solemnitatem, & tunc opus est, quòd interveniat in ipso actu, aut ad convalidationem, & sufficit, quòd interveniat quandocunque, ut per textum *in cap. Cùm nos, de his, quæ fiunt a Præl.* & probant Corbul. *de jur. emphyt. titul. de cauf. privat. ob alienat. ampliat.* 10. *num.* 6. Soccin. jun. *cons.* 97. *num.* 18. *vol.* 2. & Redoan. *de reb. Eccles. non alien. quæst.* 73. *num.* 22. Verbum enim accedere significat postea advenire, & adjungere, teste Rebuffo *in l. pecuniæ* 178. *§. hæreditas, ff. de verb. signif.* adeòut consensus superveniens convalidet antea gesta ex notatis per Jo: Franc. a Ponte *de potest. Proreg. tit. de assens. §.* 1. *num.* 12. 4

Hic autem consensus satis elici potest ex scientia, & patientia tùm Episcopi, si nimirum Statua Sancti in Patronum electi unà cum ejus reliquiis reposita sit in secretiori Sacrario, ubi non custodiuntur, nisi Statuæ Patronorum. Scientia enim cùm patientia, quando præsertim non agitur de re præjudiciali, vim habet consensus, Felin. *in cap. cùm omnes sub num.* 12. ibique Add. *de Constitut. & in cap. Nonne sub num.* 10. *de præsumpt.* Bartol. *in l. quæ dotis numer.* 23. *ff. de solut. matrim.* ubi Rom. *num.* 43. & Jas. *num.* 76. cum aliis per Menoch. *lib.* 6. *præsumpt.* 99. *num.* 15. Quòd si concurrant aliqua adminicula pro indubitato affirmant Jas. *loc. cit. num.* 90. Tiraquel. *de retr. lignag. §.* 1. *glos.* 9. *n.* 154. & *seqq.* & Menoch. *de præsumpt.* 99. *num.* 42. 5

Tùm etiam Cleri, si actus repositionis Statuæ, nec non stipulationis instrumenti Patronatus fuerit gestus coram quamplurimis Canonicis, & presbyteris Cathedralis. Satis enim id esset, cùm ii constituant meliorem partem Cleri, ut in similibus terminis de quodam decreto Concilii Moguntini relati *in cap. corpora Sanctorum de consecr. dist.* 1. quo cavetur, ne corpora Sanctorum de loco ad locum transferantur sine consilio Principis, vel Episcoporum, sanctæque Synodi licentia. Ubi Doctores nomen Synodi docent intelligendum esse non de toto Clero, sed de Clericis ipsius majoris Ecclesiæ, qui alibi dicuntur in jure Concilium, ut præ aliis optimè observat Bellamer. *sub num.* 1. & Archid. *ante med.* ac Genuens. *in prax. cap.* 56. *num.* 1. inquiens: *sine consilio Principis, idest Papæ, vel Episcopi, & Sanctæ Synodi, idest Canonicorum.* 6

Et quatenus etiam in hac electione desideretur consensus Episcopi, Cleri, cùm tamen id concernat publicum bonum civitatis, nullumque inde proveniat præjudicium, ne aliis quidem Sanctis Patronis, si præsertim electio facta fuerit de Patrono minùs principali, utique consensus iste dum fuit expressè requisitus, vel debet haberi pro præstito, tanquam injustè denegatus, vel suppleri debet a Sede Apostolica, sicut probant Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancel. glos.* 48. *num.* 37. & *seq.* Ricc. *in prax. par.* 1. *resol.* 67. *num.* 1. & latè Marant. *respons. ult. num.* 31. & 32. & judicavit Rota coram Mantica *decis.* 238. *num.* 9. & coram Gregorio XV. *dec.* 117. *num.* 8. 7

Præterea de consensu populi, & Cleri dubitari non potest, quia satis dicitur interceffisse hoc ipso, quod non contradicunt, Suar. *de Relig. tom.* 2. *cap.* 11. *num.* 9. Castropal. *tom.* 2. *tract.* 9. *disp.* 2. *punct.* 2. *num.* 5. licèt ex consuetudine non requiri, dicunt Suarez *loc. cit.* & Castropal. *d. punct.* 2. *num.* 6. ac Bonac. *disp.* 3. *in* 3. *decal. præcept. qu. un. punct.* 1. *v.* 2. 8

At nihilominus partem negativam veram esse autumo. Quia cùm electio Patroni consistat in voti nuncupatione, quo populus se obligat sub peccato diem festum illius servare, plura copulativè requiruntur. Primum, quòd vel singuli de populo per se voveant, vel singulæ Universitates singularum civitatum, & locorum, legitimè congregatæ idem votum concipiant, aut concipiendi potestatem suo nomine alteri faciant. Utroque enim casu omnes de populo obligantur, sed diverso modo. Quia singulis voventibus Universitatibus, a majore parte populi repræsentatis, non obligantur ex vi voti, nisi qui personaliter consentiunt, cæteri verò, ac successores ex vi legis, ut egregiè declarat Suarez *de Relig. to.* 2. *l.* 4. *c.* 9. *n.* 10. & *l.* 2. *c.* 31. *n.* 9. Sanch. *in decal. l.* 4. *c.* 15. *n.* 19. & Castropal. *to.* 3. *disp.* 1. *punct.* 15. *n.* 3. 9

Secun-

10 Secundò requiritur, quòd idem votum eodem modo, hoc eſt, ut vel ſinguli per ſe, vel capitulariter ſuſcipiat Clerus. Quia cùm Clerus, & populus ſint duæ communitates diſtinctæ, ex quibus civitas, vel Regnum conſtituitur, unius votum, vel lex non obligat alterum Paludan. *in* 4. *d.* 15. *qu.* 4. *art.* 3. Salas *de legib. diſp.* 19. *ſect.* 15. *n.* 105. Præſertim in feſti obſervatione, in quam populus, & Clerus peculiari ac diſtincto conſenſu concurrere debent juxta *c. conqueſtus de fer.* Suar. *de Relig. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 9. Azor. *p.* 2. *lib.* 1. *c.* 26. *qu.* 2. & 4. & Ricciul. *lucubr. Eccleſ. lib.* 6. *c.* 11. *n.* 8.

11 Tertiò, quòd conſentiat Epiſcopus. Primò, ad firmandum votum de re ſpirituali, quòd populus abſque Epiſcopi conſenſu in præjudicium non voventium, & ſucceſſorum facere non poteſt, ut communiter Suarez, Sanchez, & Bonacina locis allegatis. Deinde quia agitur de voto circa feſtum ſervandum. Quod minimè decerni poteſt abſque Epiſcopi authoritate ex *d. c. conqueſtus de fer.* & *can.* 1. *de conſecr. d.* 3.

12 Quartò, ubi agitur de voto non a ſingulis, ſed a communitate nuncupato, ulterius requiritur, quod Epiſcopo approbante & feſti obſervationem præcipiente, populus acceptet præceptum, illudque obſervet. Quia, ut ſuperiùs dictum eſt, pars illa, quæ actu non vovet, non tenetur, niſi ex vi legis. Lex autem non poteſt alligare, niſi acceptetur juxta illud Gratiani communiter receptum *§. leges cap.* 3. *dict.* 4. Leges conſtituuntur cùm promulgantur, firmantur, & cum moribus utentium approbantur, Gloſ. *in c.* 1. *de treg. & pac. v. frangere*, Covar. *lib.* 1. *cap.* 16. *n.* 6.

13 Cùm igitur votum non fuerit ſuſceptum a populo, ſed a Deputatis nomine Regni, non poterit alligare ſingulos de Regno, non modò quia Comitiis generalibus non interſunt Deputati omnium civitatum, & locorum, ſed aliquarum dumtaxat, verùm etiam quia mandata eorum, qui interſunt, licèt ſint generalia, ſunt tamen pro rebus politicis, non autem pro rebus ſpiritualibus, ut eſt electio S. Patroni cùm voto ſervandi ejus feſtum, ac proinde utcumque hujuſmodi comitia repræſentent Regnum, non tamen poſſunt illud repræſentare in iis, ad quæ mandata non extenduntur, ut benè Sylvan. *conſ.* 71. *num.* 9. Corn. *conſ.* 224. *num.* 10. *lib.* 4. Cravet. *conſ.* 195. *num.* 8. *lib.* 1. Cagnol. *in repet. l.* 2. *in princip. num.* 103. *ff. de orig. jur.* & expreſſit Roman. *conſ.* 501. *num.* 9. quem referendo ſequitur Dec. *in rubr. num.* 13. *extr. de appel. & conſil.* 5. *in princ. & conſ.* 72. *col.* 1. Eſtque de mente Bald. *in autb. caſſa C. de ſacroſ. Eccleſ.* quem allegat Dec. *lect.* 1. *num.* 7. *& lect.* 2. *num.* 29. *C. qui admitti*, Cravet. *conſ.* 196. *numer.* 4. *lib.* 4. & amplectitur Bartol. *in l. ambitioſa* 4. *num.* 26. *ff. de decret. ab ord. fac. arg. l. diligenter* 5. *ff. mandati*, facitque textus *in l. prohibere* 3. *§. plane ff. quod vi, aut clam. l. fin. C. de vendit. reb. civit.* cum ſimilibus.

14 Immò neque illud repræſentant quoad Eccleſiaſticos. Quia licèt in illis dicantur intereſſe tres Status, & unus componi ex quibuſdam Eccleſiaſticis, quia tamen iſti interſunt non uti Eccleſiaſtici pro jure Eccleſiæ, ſed ex mandato Regis, vel Principis, tanquam Regni Proceres pro bono regimine Reipublicæ in politicis, ideò non dicuntur intereſſe ad repræſentandum corpus Eccleſiaſticum, ut in ſpecie Azor. *par.* 1. *inſtit. mor. lib.* 5. *qu.* 14. *in fin.* & fusè Jo: Montaign. *de Parlam. rubr. de collat. Parlam. numer.* 9. ubi damnat dicentes, ob præſentiam Clericorum poſſe Comitia decernere de rebus, & perſonis Eccleſiaſticis. Nam, etſi omnes ſint Eccleſiaſtici, adhuc tamen nullo pacto de jure id poſſunt, conſiderata ipſorum origine, ſiquidem ſunt inſtituti ab eo, qui nullam in hujuſmodi rebus authoritatem habet cum laicis de rebus Eccleſiæ, vel negotiis ſpiritualibus, aut quaſi nulla competat decernendi poteſtas, vel authoritas imperandi, ſed tantùm neceſſitas obſequendi, *can. benè quidem 96. d. c. Eccleſia de conſtit. & cap. ult. in fin. de reb. Eccleſ. non alien.* Et negotia Eccleſiaſtica, præcipuè ſpiritualia non a laicis, ſed ab Eccleſiaſticis agenda ſunt, *c. decernimus de judic. cap.* 1. *in fin. de conſangu. & affin.* cùm vulgò aliis.

15 Procuratores itaque Univerſitatum, ac perſonæ Eccleſiaſticæ, & militares, quæ omnes ex privilegio Principis jus habent intereſſendi Comitiis Regni ad tractandum res politicas, nequeunt ſibi arrogare jus decernendi de rebus ſpiritualibus exiſtentibus ex ſola voluntate Cleri, & populi omnium Civitatum, & locorum Regni, & propterea requiritur mandatum ſpeciale, Seraph. *deciſ.* 1100. *n.* 7. Et quidem omnium, ita ut uno contradicente, actus ſit irritus, Felin. *in cap. cùm omnes n.* 17. *de conſtit.* Adeòque non concurrente præcepto Pontificis, non poſſunt Univerſitates, & Clerum adſtringi abſque eorum conſenſu ad recipiendum aliquem Sanctum in Patronum. Immò ne volentes quidem intereſſe pro jure Eccleſiæ, uti repræſentantes corpus Eccleſiaſticum, id ſtatuere poſſunt. Quia indictio feſtorum non poteſt fieri in Comitiis Laicorum, ſed in ſynodis Epiſcoporum cum conſenſu Cleri, Azor. *part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 16. *quæſt.* 2. *&* 3. Fagund. *lib.* 1. *in præcept. Eccleſ. cap.* 3. *num.* 8. *&* 11. Caſtropal. *d. punct.* 2. *num.* 6. Et quamvis ſit etiam neceſſarius conſenſus populi juxta opinionem, quam ſequitur Sacra Rituum Congregatio, is tamen non requiritur præcipuè, neque Eccleſiaſtici adire debent Comitia inſerviendo quodammodo libidini dominandi Laicorum, neque Laici exquiri debent, ut decernant, cùm ad Eccleſiam maximè ſpectet indicere dies feſtos, conſenſus verò populi adhibeatur tantummodò, ut collaudet pro ſuo commodo; ſicuti explicant Pax Jordan. *tom.* 2. *lib.* 11. *tit.* 1. *num.* 50. & Doctores apud ipſum. Et ſanè ſi admittamus, quòd Comitia poſſint ferre leges Eccleſiaſticas, actum eſt de immunitate Eccleſiaſticorum, qui cùm pauci interſint, non poſſunt obſiſtere Laicis. Et ideò dicendum eos non intereſſe Comitiis ad repræſentandum corpus Eccleſiaſticum, ſed tanquam Proceres, & viros prudentes ad proſpiciendum regimini politico. Atque hinc Sacra Rituum Congregatio, quæ ſecundùm regulas juris decernit, in decreto anno 1630. quòd alibi adduximus, expreſsè declaravit, non licere repræſentantibus Regnum eligere Patronum.

Neque ſatis eſt, quòd major pars Ordinariorum con- 16
ſentiat. Nam ii non poſſunt decernere, quòd Sanctus aliquis colatur tanquam Patronus a toto Regno, quoniam authoritas Epiſcoporum in hac re non egreditur limites propriarum Diœceſum, *cap. conqueſtus de fer.* Fagund. *cit. cap.* 3. *n.* 2. Suar. *de Relig. d. to.* 1. *lib.* 2. *c.* 3. *num.* 2. Trullench. *in præcept. decal. lib.* 3. *cap.* 1. *dub.* 2. *num.* 2. Hic enim non eſt actus ordinis, ſed juriſdictionis, & propterea non ſufficit eorum conſenſus ad alligandum totum Regnum, vel Provinciam ad feſti obſervationem, ſed requiritur vel omnium authoritas, & conſenſus, vel juſſum Papæ, qui univerſali Eccleſiæ præeſt, vel ſaltem quòd ſit indictum in Concilio nationali, ſeu Provinciali, ut innuit Ricciul. *d. cap.* 11. *num.* 5. & tradunt Turrecrem. *in can.* 1. *n.* 23. *d.* 3. *de conſecr.* & Contilor. *de canoniz. Sanct. cap.* 4. *n.* 18.

Multòque minùs exequutio electionis perfecta dici 17
poteſt, ſi plures Civitates notitiam non habuerint validitatis electionis, ſicuti debebant omninò habere. Quia confirmatio, niſi præcedat legitimus conſenſus eorum, qui actum confirmatum agere debuerant, nullius eſt momenti, Cavaler. *deciſ.* 215. *num.* 2. *&* *deciſ.* 618. *n.* 8. *&* *ſeq.* Electio autem hujuſmodi eſt invalida, quia non interceſſit conſenſus Cleri, & populi totius Regni, prout requiritur, cùm agatur de materia voluntaria, Felin. *in d. cap. Cùm omnes numer.* 17. *de conſtit.* Rot. *deciſ.* 755. *num.* 4. *part.* 4. *rec.* & in hac ſpecie eſt textus *in cap. fin. de fer.* ibi: *quas ſinguli Epiſcopi in his Diœceſibus cum Clero, & populo duxerint ſolemniter venerandas, & in can.* 1. *de conſecr. d.* 3. *quas ſinguli Epiſcopi in ſuis Epiſcopatibus cum populo collaudaverint*. Extantque reſolutiones antiquæ Sacræ Rituum Congregationis relatæ a Barboſ. *in dec. Apoſtol. collect.* 355. *num.* 6. *cum ſeqq.* quibus innititur decretum ſub Urbano VIII. anno 1630. emiſſum, expreſsè prohibens Deputatis Regnorum hanc electionem, & quòd repræſentantibus Regnum nulla competat facultas eligendi Patronos. Adeòque verum eſt, quòd in electione Patroni, cujus dies feſtus eſt ſervandus de præcepto, requiratur mandatum ſpeciale Univerſitatum tàm Eccleſiaſticarum, quàm laicalium, ut ne ſufficiat quidem conſenſus majoris partis, ſed ſinguli de Univerſitate per ſe conſentire debeant. Quia conſenſus in electione Patroni tranſit in votum, quod a ſingulis concipi debet, ut ſingulos alliget, ad tradita per Covar. *var. lib.* 4. *cap.* 19. *num.* 9. Suar. *de relig. lib.* 4. *de obligat. vot. cap.* 9. *num.* 10. *& lib.* 2. *de juram. cap.* 31. *num.* 9. *tom.* 2. Fagund. *d. cap.* 3. *num.* 8. Azor. *tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 26. *quæſt.* 2. Caſtrop. *par.* 2. *tract.* 5. *diſp.* 2. *punct.* 2. *num.* 4. & Pax Jordan. *elucubr. to.* 2. *lib.* 9. *tit.* 1. *num.* 50.

Idemque dicendum eſt de ratihabitione, quia actus 18
nullus ratus haberi non poteſt, Pariſ. *conſ.* 49. *nnm.* 12. *&* 61. *&* *conſ.* 100. *num.* 66. *lib.* 1. Oſaſch. *dec.* 34. *num.* 12. & Rot. *deciſ.* 535. *num.* 1. *par.* 1. *rec.* Vel ſaltem eadem ſolemnitas, quæ requiritur ad gerendum actum ab initio, nempè conſenſus Cleri, & populi omnium locorum Regni, requiritur quoque in ratihabitione ejuſdem actus, *Pic. ad ſtat. Urb. gloſ.* 8. *num.* 86. Seraph. *dec.* 1242. *num.* 1. Gregor. *deciſ.* 395. *num.* 11. *&* *deciſ.* 473. *num.* 3. ac alibi. Quinimmò ad validitatem ratihabitionis requiritur etiam notitia nullitatum facti, & juris, Rot. *deciſ.*

172.

172. *num.* 4. *p.* 5. *recent.* & in Romana fructuum dotis 12. Decembr. 1650. coram Meltio. Nam in ratihabitione semper intelligitur illa conditio, si actus legitimus, firmus, & validus sit. Præterea impossibilis videtur probatio ratihabitionis in hoc casu, dum necessarius est consensus Cleri, & populi omnium locorum Regni, qui unum se in locum ad Curiam congregare debent, & actus, atque notitia singulorum non præjudicat Universitati, Bald. *cons.* 383. *num.* 2. *lib.* 1. Add. ad Buratt. *decis.* 285. *lit. A.* ubi amplia etiamsi singulis de Universitate seorsum id fecerint, Cavaler. loquens de Capitulo *dec.* 193. *num.* 4. Et satis est, posse dubitari de validitate electionis, ut dici nequeat de illa constare pro excludendo decreto Sacra Rituum Congregationis anno 1630. emanato.

19 Et quamvis nonnulli dicant, Episcopos ex consuetudine posse indicere dies festos, id tamen, præterquod intelligitur, quando indicunt pro una, seu altera tantùm vice, non autem quando indicunt dies festos perpetuos, ut declaravit Fagund. *dict. cap.* 3. *num.* 8. Castropal. *d. punct.* 2. reprobatum sæpiùs est a S. Rituum Congregatione præcipuè in Pacensi 20. Aprilis 1602. & in Brundusina 2. Martii ejusdem anni, asserentibus Pax Jord. *d. tit.* 1. *sub eod. num.* 50. Selel. *in select. cap.* 3. *n.* 73. & Lezan. *in sum. par.* 3. *v. Festi dies num.* 7. Cujus quidem S. Congregationis authoritas prævalet quibusvis Doctoribus, cùm sit servanda uti lex Pontificia, quemadmodum respondit Rota coram Cavaler. *dec.* 528. *numer.* 8. & coram Mantica *dec.* 56. *num.* 3. & coram Buratt. *decis.* 470. *in fin. & in rec. dec.* 222. *num.* 3. *par.* 2. & aliàs passim.

20 Atque ex his liquet, pro validitate electionis Patroni servandam omninò esse formam decreti S. Rituum Congregationis sub die 23. Martii 1630.

CONSULTATIO CLXXX.

An causæ omnes, quæ excitantur super electione Sanctorum in Patronos, spectent privatim quoad alios Judices ad solam Congregationem Sacr. Rituum?

1 NEgativè respondendum videtur. Siquidem Constitutio 74. Sixti V. quatenus tribuit facultatem Sacr. Rituum Congregationi concedendi officia de Sanctis Patronis, consultò priùs Summo Pontifice, nil obest, quando non agitur de officio. Immò dum in ea solùm demandatur eidem Sacr. Congregationi summaria cognitio controversiarum de præcedentia, & difficultatum, quæ usu venire solent in sacris ritibus ac cœremoniis, utique causæ aliæ, ut de electione Sancti in Patronum, & de materia prorsus contentiosa, sunt alienæ ab instituto S. Congregationis. Quin etiamsi ageretur de rebus ad illam propriè pertinentibus, adhuc ejus jurisdictio non esset privatim, cùm expressè in declarationibus post dictam Constitutionem editis, habeatur, quod si, re integra, pars coram Congregatione conventa, renuerit in illam consentire, remittatur ad Judicem competentem. Et rursus quòd, si coram aliquo Judice fuerit inchoatum judicium, Congregatio causam non cognoscat, nisi partes concorditer illam adiverint. Quæ sanè declarationes, tanquam emanatæ a Summo Pontifice in Sacro Consistorio, ut in ipsis legitur, omnem dubitationem adimunt, si qua ex tenore Constitutionis superesset: cùm ejus sit declarare, cujus est condere, *l. fin. §. Cùm igitur, C. de leg. cap. inter alia de sent. excom.*

2 Nec facit ad hanc mentem decretum Urbani VIII. de Patronorum electione. Nam licèt inter alia requirat, quòd causæ electionis novorum Patronorum debeat in S. Congregatione deduci, & ab illa examinari, id planè intelligendum de causis motivis, quæ suadent hujusmodi electiones fieri, non verò de causis contentiosis circa validitatem electionum, de quibus decretum non loquitur.

3 At ipse contra sentio. Primò, quia agitur de cultu erga Patronum præstando uni potiùs, quàm alteri Sancto. Quòd est materia circa quàm Sixtus V. in sua Constitutione superiùs adducta, tribuit cognitionem S. Rituum Congregationi ibi: *omnique Dei, & Sanctorum veneratione*: Et infra, *Officia de Sanctis Patronis examinent, & nobis priùs consultis, concedant*. Ac ita aliàs respondit eadem S. Congregatio in Pacensi 20. Aprilis 1602. ut refert Pax Jordan. *tom.* 2. *lucubr. lib.* 9. *tit.* 1. *num.* 50. Ex quibus patet, ea, quæ concernunt cultum, & venerationem Sanctorum, ab illa cognosci voluisse, & quidem privatim quoad omnes alios, cum addiderit decretum irritans, & clausula sublata, Bald. *in l. repetita num.* 1. *C. de Episcop. & Cler.* Capyc. *decis.* 9. *num.* 15. *& seq.* & ibi Petra *v. clausula annullativa*, Carleval. *de for. compet. disp.* 2. *numer.* 1100. *&* 1186. *&* 1203. *tom.* 1.

Secundò, ex dispositione decreti ejusdem S. Congre- 4
gationis sub 23. Martii 1630. editi, approbante Urbano VIII. quo præcipitur causam Patronorum deduci, & examinari debere, ac demum approbari, & confirmari ab eadem Sacra Congregatione, causa cognita, quæ verba important cognitionem judicialem *ad l. in causa, §. causa cognita, ff. de minor.* Roman. *cons.* 72. *num.* 2. Ubert. *de citat. cap.* 15. *numer.* 79. *tom.* 3. Ideòque quòd hodie nullus alius cognoscere possit has causas, sed illas spectare ad solam S. Rituum Congregationem asserunt Gavant. *in rubr. Breviar. sect.* 3. *cap.* 11. *numer.* 2. Lezan. *in sum. part.* 4. *v. Sanctorum cultus num.* 3. & Peyrin. *tom.* 3. *privil. Minim. c.* 12. *Constit.* 21. *alias* 31. Urbani VIII. Idque etiam si pars altera causam introduxerit in S. Rotam, vel in aliud Tribunal Ecclesiasticum per appellationem. Non poterat enim altera pars consentire: Quia facultates S. Rituum Congregationis, ad quam ex sua institutione spectat hujusmodi cognitio, habent ex dicta Constitutione Sixti V. clausulam irritantem, quæ operatur, ut alterius Tribunalis jurisdictio etiam de partium consensu, non possit prorogari, Petr. Barbos. *in l.* 1. *art.* 1. *num.* 104. *& art.* 4. *numer.* 46. *ff. de judic.*

Tertiò, quia agitur de electione, ac cultu Patroni to- 5
tius Regni, in quo licèt adsint plures Episcopi in hujusmodi electionem, & cultum consentientes, nullus tamen ipsorum potest esse Judex istius controversiæ, cùm nemo ipsorum jurisdictionem in toto Regno habeat, neque unus possit in alterum illam exercere, cùm par in parem non habeat imperium, ideòque hoc officium præcipuè est Summi Pontificis, qui est omnium Ordinarius, habetque totum Orbem pro Diœcesi, *can. cuncta per mundum* 9. *q.* 3. Gonzal. *ad reg.* 8. *§.* 1. *proœm. n.* 5. *&* 8. *& §.* 2. *n.* 41. *&* 46. Rot. *dec.* 266. *num.* 1. *p.* 2 *rec.*

Et expressè in hac specie, quòd scilicèt hujusmodi co- 6
gnitio pertineat ad solum Pontificem, probat Turrecrem. *in can.* 1. *num.* 23. *in fin. de consecr.* ubi concludit, quòd mandare, ut aliquis Sanctus universè colatur, pertineat ad solum Papam, cùm id non sit ordinis, sed jurisdictionis. Et generatim quod instituere festum, & cultum alicujus Sancti ab omnibus servandum pertineat ad solum Pontificem, non autem ad Episcopos, qui extra propriam Diœcesim nihil possunt, firmat Suar. *de Relig. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 2. Fagund. *in præcept. Eccles. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 2. & Lezan. *in sum. v. Festi dies num.* 7. Præcipuè verò si ejusmodi negotium fuerit ab ipsis Episcopis remissum Sedi Apostolicæ. Ex hoc enim neque Episcopus aliquis, neque Clerus, neque alius quisquam potest amplius in illud se ingerere. Quia remissio voluntaria facta Sedi Apostolicæ suspendit jurisdictionem Judicis remittentis, donec Pontifex decernat, & quidquid interim gestum fuit, vel geritur a Judice remittente est attentatum, atque irritum, *cap. licèt*, ubi omnes Canonistæ *de offic. leg.* Lancellot. *de attent. part.* 2. *cap.* 8. *num.* 1. *& seq. & num.* 6. *& cap.* 20. *ampliat.* 21. *num.* 14. Milan. *dec. Sicil.* 2. *num.* 12. *&* 32. Unde non potest, invita parte, revocari causa, Principi remissa, Franch. *in cap. intimasti num.* 9. *&* 10. *de appell.* Lancellott. *ubi supra num.* 6. *&* 17. Imol. *in l.* 1. *§. quæsitum num.* 8. ibique Angel. *num.* 3. *ff. de appel.* & Petr. Barbos. *in l. eum qui* 79. *§. fin. num.* 44. *ff. de judic.* ibi testatur de communi.

Hinc satis eliditur ratio petita ex declaratione ejus- 7
dem Sixti V. quòd in materiis contentiosis S. Congregatio cognoscere nequeat, quando altera ex partibus contradicit. Nam hoc inrelligitur de materiis, quæ cadunt sub contentione partium, non autem de illis, quæ soli judicio Papæ, ac Sedi Apostolicæ sunt reservatæ, *cap. quòd translationem*, ibique Glos. *v. reservata de offic. leg.* Redoan. *de reb. Eccles. non alien. cap.* 55. *n.* 38. Cocchier. *de jurisd. Ordin. part.* 1. *quæst.* 7. *num.* 13. *& part.* 2. *quæst.* 5. *num.* 12. *& part.* 4. *qu.* 3. *num.* 1. Hoc item intelligitur quoad causas præcedentiæ, vel similes concernentes solum commodum privatorum, non verò quoad alias concernentes bonum publicum, sicuti est declaratio Sancti in Patronum propter cultum specialem ei debitum, cùm in iis, quæ pertinent ad regimen, & œconomiam Ecclesiæ, jurisdictio censeatur concessa privativè, ut solidè confirmat Carleval. *de for. compet. d. disp.* 2. *num.* 1204. *tom.* 1. Neque præcitata Constitutio restricta solummodò est ad concessionem officii, sed disponit etiam super cultu Sanctorum, ac super festorum dierum celebratione, ut legitur in ejus proœmio. *Omnique Dei, & Sanctorum veneratione, & sub §.* 1. *Festorumque dierum celebritate*, & sic specialiter disponit de casibus in diem controversis.

Hoc

8 Hoc ipſo modo enervatur alia ratio, quæ ſubjicitur ex decreto ejuſdem Sacr. Congregationis, quatenus decernit cauſas electionis Patroni eſſe examinandas in Sacra Congregatione, ſcilicet quòd intelligi debeat de cauſis motivis, non autem de contentioſis. Quia non ſolùm ex vi dicti decreti debent examinari cauſæ motivæ electionis, ſed etiam ipſa electio, an ſcilicet habeat requiſita ex forma ejuſdem decreti. Quæ cognitio cùm fieri debeat cum partibus contendentibus in forma judicii, fruſtra impugnatur juriſdictio Sacr. Congregationis contentioſa, cùm ſequatur neceſſariò ex juriſdictione illi conceſſa circa examen, & diſcuſſionem validitatis electionis Patronorum.

9 Verùm, ut celeriùs cauſæ ejuſmodi expediantur, poſſunt committi a Summo Pontifice eidem Sacr. Rituum Congregationi, de voto Sacr. Rotæ. Hoc enim modo perpetuis litigiis, ac nimiis ſumptibus proſpicitur. Quia ſi per tres conformes cauſæ iſtæ in Rota diſcuti deberent, partes cogerentur illas deſerere propter ingentes ſumptus, qui fieri deberent in tribus inſtantiis continuis. Congregationem porrò Sacrorum Rituum decidere conſueviſſe cauſas, etiam de voto Rotæ plura extant exempla, ſufficit tamen allegaſſe illud cauſæ Valentinæ inter Canonicos, & Præpoſitos, quod ita ſe habet: Delatis ad Sacram Rituum Congregationem pluribus controverſiis excitatis inter Capitulum, & Canonicos Eccleſiæ Valentinæ, placuit S. Congregationi exquirere votum Rotæ, illoque habito, eadem Sacr. Rituum Congregatio, referente Eminentiſſimo D. Cardinali Pamphilio, viſis &c. declaravit, licere Præpoſitis ſedere immediatè poſt Canonicos die 3. Auguſti 1641. Aliud extat exemplum in cauſa Pamphilonenſi Patronatus commiſſa ab Innocentio X. eidem Sacr. Rituum Congregationi de voto Rotæ, quæ diſputari juſſit, an, & quis fuerit validè electus in principalem Patronum Regni Navarræ.

9 Vel committi poſſunt alicui Congregationi particulari. Sic Urbanus VIII. anno 1627. cauſam electionis S. Thereſiæ in Patronam Regnorum Hiſpaniarum delectis diſceptatoribus permiſit, deputato eiſdem Præfecto Cardinali Cajetano, qui quæ præſentis diſceptationis erant, in re præſenti ſtatuerunt, ut in ſententia, quam his ſubjicimus: *Cùm fuerit ſupplicatum pro parte Canonicorum Eccleſiæ Compoſtellanæ, & univerſi Cleri Coronæ Caſtellæ, & Legionis Sanctiſſimo pro declaratione, an Breve Sanctitatis ſuæ datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 22. Julii 1627. ſuper confirmatione electionis S. Thereſiæ in Patronam præcipuam prædictorum Regnorum Coronæ Caſtellæ, & Legionis ſuffragetur, Sanctitas ſua remiſit negotium diſcutiendum certæ Congregationi Prælatorum habendæ coram Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo D. Car. Cajetano. Quæ Congregatio pluries auditis partibus, & re maturè perpenſa die 2. Decembris 1629. coadunata in palatio prædicti D. Card. fuit in voto, prædictum Breve minimè ſuffragari, poſſe tamen, ſi Sanctiſſimo placuerit, ad ſupplicationem Regis Hiſpaniarum concedi per Suam Sanctitatem novam Patrocinii gratiam petentibus pro ſingulis civitatibus, & Diœceſibus duntaxat, quarum Epiſcopus, & Clerus ac populus conjunctim electioni, & Conſtitutioni S. Thereſiæ in Patronam conſenſerint, cujus voti facta per D. Card. præfatum relatione Sanctitati ſuæ, Sanctiſſimus annuit, & ad inſtantiam petentium mandavit expediri literas Apoſtolicas in forma Brevis.*

10 Ac inſuper cùm æquum ſit, ne partes penitus in forenſes controverſias inſinuent, & implicentur, gliſcentibus in dies diſpendiis rei familiaris, è litibus lites ſerentes, ut è bellis bella, ſitque etiam decens, quòd materia hæc cultus publici veri Patroni celeriter extricetur, ut populi ſciant quemnam ex Sanctis in Patronum venerari debeant, ideò ratione boni publici, & ad evitanda ſcandala, reſcribendum videtur cum clauſula appellatione, & reſtitutione in integrum remotis, ne occaſione piæ devotionis erga Sanctos, ſi lis diutiùs duret, odia, & diſſentiones oriantur inter populos, vel potiùs ortæ in pejora erumpant, quæ ſolent inducere animum ad tollendum appellationem, ut per Covarr. *pract. cap. 23. num. 9.* Sanchez *conſ. moral. lib. 3. cap. 1. dub. 10. numer. 3.* Præſertim ubi cauſa eſt tractanda in Tribunali, in quo lites ex inſtituto dirimuntur abſque ſtrepitu, & figura judicii, ut eſt Sacr. Congregatio, ſive procedat ſola, ſive cum voto Rotæ, ut per eundem Sanch. *n. 2.* Ac item cum clauſula cumulato petitorio cum poſſeſſorio, ne forſan pars altera nonniſi moras quærens, prætextat partem alteram defatigare in poſſeſſorio manutentionis, alias ex aliis prolatandæ litis cauſas comminiſcens. Marcheſ. *de commiſ. part. 1. fol. 296. num. 6.* & ſignatè *in verſ. vel ſcandala*, quamvis ut propulſetur oppugnatio in cumulationem poſſeſſorii cùm petitorio ſatis ſit, poſſeſſionem ex parte oppugnantis eſſe turbidam ex congeſtis *in deciſ. 540. num. 1. & 8. dec. 170. num. 4.* apud Poſth. *de manut.* Idque non obſtante re judicata. Tum quia cùm non agatur de materia profana, vel ſpirituali, quæ attingit commodum temporale, ut ſunt decimæ, & id genus alia, ſed de materia purè ſpirituali, quæ ſolùm attinet ad utilitatem animæ, ut eſt obligatio ad peccatum ex vi voti, non poteſt dari res judicata, ut obſervat Cardinal. *in Clem. 1. q. 14. n. 12. de ſent. & re jud.* & Scacc. *eod. tit. gloſ. 14. quæſt. 2. n. 44.* Tùm quia ſuprema Tribunalia non ſunt ſolicita, neque attendunt animum ad deſertas cauſas, & res judicatas, Cæſar. de Graſſ. *dec. 10. num. 13.* Rota coram Cavaler. *deciſ. 276. n. 6.* Maximè quando datur aliquod ſpecimen injuſtitiæ, de Graſſ. *d. deciſ. 10. num. 12.* Seraph. *deciſ. 132. num. 10. par. 7. & deciſ. 740. num. 1. part. 8.* & in aliis ſæpè.

Quòd ſi vulgus in electionem unius Patroni diſſentiat, & lites adhuc pertinaciter ſerpant, timeanturque publica ſcandala, quæ prætextu Religionis ac pietatis Rempublicam diù vexarunt, ineunda concordia eſt cùm aliquo legis Pontificiæ flexu. Igitur permittendum, ut utrique Sancto in Patronum electo, tanquam æquè principali, par cultus præſtetur. Ita decretum in prælegata Pamphilonenſi Patronatus pro Sanctis Firmino, & Franciſco Xaverio, ac in Neapolitana pro Sanctis Januario, & Dominico cum approbatione Pontificis Maximi. Non refragante jure Canonico, ſi duos feſtos dies de præcepto ſibi populus indici velit, quia populus cum conſenſu Epiſcopi, & Cleri poteſt ſe ad dies feſtos alligare ex *c. conqueſtus de fer.* Neque declaratione Urbani VIII. feſtum principalioris tantùm Patroni admittente. Nam emanavit in levamen populorum, qui ex multitudine feſtorum nimium gravabantur. Ideòque ceſſat in caſu, in quo populi utrumque feſtum ſervare implorant, & expoſcunt, ſi patronatum contenderint. Quia feſtum juxta dictam declarationem debet alteri detrahi, & nullatenus contenderent, ſi eis ratio utrumque feſtum ſervandi proponeretur. 11

CONSULTATIO LXXXI.

In controverſiam vocatur, an pro Canonizatione Confeſſorum neceſſaria ſint miracula in eorum vita?

PRO affirmativa adducitur Gloſ. *in cap. un. v. Sedis Apoſtolica, de reliq. & vener. Sanct. in 6.* Alberic. *v. Canonizatio, verſ. Et de miraculis*, D. Anton. *in ſumm. par. 3. tit. 12. cap. 8. §. 1.* Malvet. *de Canonizat. Sanct. dub. 3. num. 72.* Azor. *inſtit. moral. par. 2. lib. 5. cap. 6. q. 7.* Molfeſ. *conſ. 46. num. 29.* & alii benè multi, relati a Contilorio in libro, quem de *Canoniz. Sanct.* inſcripſit *cap. 21. num. 1.* 1

Pro negativa verò adducuntur D. Thomas 2. 2. *qu. 178. ar. 2.* & plures alii ab eodem Contilorio *loc. alleg. congeſti num. 2.* His autem præcipuis qui negant, utuntur rationibus. Primò, ne ſimplices decipiantur, exiſtimantes eſſe majus bonum opus miraculorum, quàm opus vitæ, & ſanctitatis ex D. Auguſtino *lib. 83. quæſt. 79.* Secundò, propter conſervationem humilitatis exemplo S. Alexii, qui vixit uſque ad mortem incognitus, quòd non eveniſſet, ſi miracula in vita perpetraſſet. Tertiò, videtur comprobari ab Eccleſia, quæ Confeſſoribus canit eorum virtutes in vita: *Qui pius, prudens, humilis, pudicus*, miracula verò poſt mortem, *ad ſacrum cujus tumulum frequenter, &c.* Quartò, quia miracula in vita non ſufficiunt ad Canonizationem ex multis rationibus deductis a Contilorio ubi ſupra *numer. 4. & ſeqq.* 2

Hæc opinio ſecurior eſt adeò, ut pro Canonizatione Confeſſorum videantur ſufficere miracula in morte, & poſt mortem, huicque videntur perpendere decreta Urbani VIII. *fol. 53. §. In proceſſibus faciendis.* Tùm ex rationibus relatis: Tùm quia Innocentius III. in diplomate Canonizationis S. Homoboni, quod eſt 2. *in 1. p. Bullar. §. 1.* expreſsè ait, duo requiri, ut quis habeatur Sanctus in Eccleſia militante, opera pietatis in vita, & miraculorum ſigna poſt mortem. Tùm quia, & alii Pontifices in Canonizatione aliorum Sanctorum rationem tantùm habuerunt miraculorum poſt mortem, ut in Bulla 4. Gregorii IX. *num. 1.* & in Bulla 7. & 11. Joannis XXII. *in 1. p. Bullar.* Tùm quia ſic, & a Sacr. Rituum Congregatione pro re certa admiſſum fuiſſe dicitur in pluribus Sanctorum Canonizationibus, ut apud eundem Contilorium *d. num. 2.* 3

Verùm controverſia iſta facilè dirimi poſſet, ſi ſtatueremus, quòd licèt miracula in vita non videantur abſo- 4

absolutè necessaria, est tamen necessaria vita, & virtus adeò heroica, ut cùm miraculis comparari possit. Ipsa enim vita, quæ aliis exemplo sit ad imitandum, miraculum dicitur a Castellan. *de canoniz. quæst. 5. §. quintò*. Sic quoque doctrina dicitur miraculum, ut de D. Thoma Aquinate apud Gersonem *tom. 2. contra impugnat. Ordin. Carthus.* Atque hæc est causa, cur pueri, ac etiam adulti post baptismum Defuncti, non Canonizantur ex Castel. *loc. cit. q. 4. §. ex his primò*, & Contilor. *cap. 11. num. 17.* Neque videntur dissentire decreta Urbani VIII. in Epistola ad Episcopos *fol. 59.* dum ajunt: *de alicujus virtutis eminenti gradu.*

5 Inquiri itaque debet de vita Confessoris, nimirum, an fuerit claræ, & insignis sanctitatis, an duros labores, multos, ac justos patienter sustinuerit, an fuerit moribus castus, & strenuus, *can. miramur 66. d.* an vixerit simplex, & humilis, an charitatis affectu, fortique animo persecutiones toleraverit, *can. omnis 7. qu. 1.* an magno pietatis studio eum fuerit populus prosequutus, an apud populum habeatur pro Beato, qui cœlesti beatitudine perfruitur: Quàm frequenter ejus sepulchrum populus invisere soleat, ejus opem, & patrocinium apud Deum imploret, ei dono multa offerat, tabellas votivas suspendat, an in morte, & post mortem miraculis claruerit, & alia hujusmodi.

6 Atque ita reconciliari poterit opinio Theologorum, & Canonistarum, quæ in Canonizationis præsertim Confessorum, requirit copulativè probationem virtutum, & miraculorum. Virtutum, ad essentiam ipsius Canonizationis, miraculorum, ad evidentem probationem, quòd Servus Dei objerit in gratia divina, & post mortem in cœlis cum Deo regnet, *cap. 1. de relig. & vener. Sanct.* ubi Jo: Andr. *num. 4.* Host. *num. 5.* Abb. *numer. 5.* Fagnan. *num. 13.* Glos. *in cap. un. eod. tit. v. Sedis Apostolicæ*, ubi Archid. *num. 5.* Hist. *in sum. eod. tit. num. 3.* Felin. *in cap. venerabilis de test. v. 1.* Azor. *inst. mor. lib. 5. cap. 6. §. septimò quæritur*, & Rota in omnibus fermè relationibus.

CONSULTATIO LXXXII.

An Canonici Metropolitani, & Cathedralis ex legitima consuetudine licitè uti possint in choro pulvinaribus ex panno, vel ex corio, reclamantibus beneficiatis?

1 HOc dubium videtur solutum a Sacr. Rituum Congregatione in Tudertina 24. Martii 1612. in qua expressè habetur, *quod pulvinar cum tapete non debet poni ante dignitates, sed debent illæ sedere in suo stallo, sicut reliqui Canonici, & ratione dignitatis potest eis indulgeri pulvinar de corio tantùm.* Ita legitur apud Barbos. *de Canon. & dignit. cap. 33. num. 31. in fin. & in Sum. Apostol. decis. Collect. 252. num. 9. & collect. 623.* Unde quoad usum pulvinaris asserit Gavant. soli celebranti competere in choro, & sic alios excludit. Et in libro cœremoniali nullibi legitur, quod Canonici in choro utantur pulvinari, & si appareat aliquis usus pro tempore, resolvitur in abusum, qui non est retinendus, quia non habet assistentiam juris.

2 In qua declaratione duas circumstantias perpendo. Alteram, quod præcipitur, Dignitatem sedere sicut reliqui Canonici. Alteram, quod illis indulgetur pulvinar coriaceum tantùm ratione dignitatis, ob quàm prærogativam hujusmodi conceditur quod negatur Canonicis, qui dignitatibus sunt inferiores, & proindè in omnibus istis cedant, & minùs honorentur juxta tritam praxim, & declarationes relatas ab eodem Barbosa *in d. Sum. Apostol. dec. collect. 91. num. 10. collect. 93. num. 8. & collect. 212. num. 9. ac seqq.* ubi in specie circa stallum, quod Canonici earum stallum non occupent. Addita natura dictionis *tantùm*, quæ est limitativa ad rem, ac personas expressas, aliarumque exclusiva, ut per Rot. *decis. 600. num. 6. & decis. 740. num. 4. part. 2.*

3 Non obstare consuetudo, etiam quadragenaria, si probaretur attestationibus extrajudicialibus, quamvis essent personæ qualificatæ, ut in specie Caval. *decis. 125. num. 6. & seq. l. solùm*, ibique Glos. *v. solùm C. de test.* Seraph. *decis. 106. num. 3. & decis. 1180. num. 1.* & de attestatione Datarii, dimisso officio, loquitur Buratt. *dec. 835. num. 14.* & de attestatione Vicarii Lateranensis *decis. 377. num. 26. part. 9. rec.* Maximè autem, si attestatio non haberet contestes, prout requiritur, præsertim in hac materia inducendi consuetudinem, Seraph. *decis. 1159. num. 5.* neque exprimeret alia requisita de visu actuum, & eorum frequentia ultra temporis diuturnitatem, juxta additionem ad Buratt. *decis. 497. num. 14.* Ac præcipuè, si darentur exceptiones personales, quarum ratione repellerentur a testificando pro Canonicis, sive Capitulo, Rot *decis. 155. num. 8. par. 6. rec.* si testes essent salariarii Capituli, non enim probant, quia sunt ad illius nutum amovibiles, Rot. *dec. 156. n. 13. par. 6. rec.* ubi de Sacrista, sicque concurreret contraria probatio negativa ex inventariis Ecclesiæ, in quibus describuntur accuratè singulæ res sacrarii, & aliæ, quæ dantur Sacristis ad custodiam, nec leguntur pulvinaria juxta numerum Canonicorum, sed longè minori numero. Ex quibus probari negativam contra Capitulum non ambigitur, Rot. *decis. 139. num. 5.* coram Ludovisio.

Quod autem beneficiati sint servi Ecclesiæ, & Capi- 4
tuli, non inferunt ad rem intentam, cùm & ipsi sint audiendi, eò magis ad tollendum abusum, & novas consuetudines in Ecclesia per textum *in can. Esto subjectus 7. d. 95.* ibi: *pessimæ consuetudinis est in quibusdam Ecclesiis tacere presbyteros, & præsentibus Episcopis non loqui, quasi aut invideant, aut non dignentur audire*, & si alii, inquit Apostolus Paulus, fuerit revelatum sedenti prior taceat. Et paulò post: *Gloria patris est filius . . . . gaudeat Episcopus judicio suo, cùm tales Christos eligeret Sacerdotes.* Nam solùm possunt compelli ad servandas ordinarias consuetudines, nec alia nova gravari per text. *in cap. statuimus*, ubi Abb. *num. 1. de major. & obed.*

Decisio verò Cæsaris de Grassis, & Royas loquun- 5
tur ad alium effectum, excludendi scilicet beneficiatos a Capitulo, debentque intelligi solùm de obedientia quadam debita ipsi Capitulo, non tanquam domino, sed tanquam membro ex eo, quod Episcopus cum illius consilio solet statuere, non autem ipsis Canonicis, sicut declarat Abb. *in cap. Cùm non liceat 12. num. 2. de præscript.* ita, quod etiam statutum Ecclesiæ de obediendo Capitulo intelligitur citra modum imperativum, sed in charitate, & mansuetudine respondetur a Rota in Leodiensi residentiæ 18. Junii 1662. coram Taja, cujus particula hæc est.

Difficultas una superfuit in primo decreto, eique pa- 6
ritione non solùm successiva, sed etiam ad discretionem potiùs, quàm ad legem pertinere, ut in prædicto decreto, *Sacellani* teneantur obedire Capitulo juxta juramentum per ipsos præstitum, & praxim universalem omnium Collegiatarum Leodiensium, neque dicti Domini imperativè, sed in charitate, & mansuetudine agant cùm *Sacellanis*, tanquam Capituli filiis. Unde videtur Capellanis injuncta necessitas parendi, sed tamen Decano, & Canonicis citra imperativum modum adjuncta charitas, & mansuetudo in admonendo, prout hoc decretum videtur declaratum, & fortè descriptum a D. Hieronymo: *Esto subjectus Pontifici tuo*, qui major est Sacerdote, quàm sit Capitulum Sacellano, *& quasi* animæ parentem suscipe. Sed Episcopi Sacerdotes se esse noverint, non dominos, honorent Clericos, quasi Clericos, ut & ipsis a Clericis, quasi Episcopis honor deferatur. Vatum est illud Oratoris Domitii: *Cur ergo te*, inquit, *habeam ut Principem, cùm tu me non habeas ut Senatorem? can. 7. d. 95.* Et quod habent Academici Intronati inter hujusmodi alia inscriptum suæ Academiæ: Majori parendum, pari assentiendum, minori persuadendum. Neque enim in Sacellanos esse potest Capituli, & Canonicorum aliqua jurisdictio contentiosa, sicuti nec est Archipresbytero in sibi obedientes in ejus officio ad coercendum, & pœnam injungendam, licèt sit facultas admonendi, ut munera injungenda, & facienda suo loco, & tempore fiant, prout decet, & in casu inobedientiæ faciendi, quæ jure, & consuetudine Ecclesiarum Leodiensium Capitulum, & Canonici possunt juxta praxim omnium Collegiatarum Leodiensium, ut in hoc decreto, sint referendi illi, qui jurisdictionem habent contentiosam in Capellanos, Rota post 2. *vol. consil.* Farin. *decis. 129. num. 3. & seqq.* & cùm ea *dec.* Riccii *prax. aur. resol. 93.* & his relatis a Barbos. *ad rubr. de offic. Archipr. in fine*, obedientia redacta præcipuè ad eam, quam inferiores Ordines superioribus debent, ut inquit Gratian. *dist. 93. in princ.* & explicat Glos. *ult. in cap. statuimus de major. & obed.* & amplius ibidem Abb. *num. 1. vers. Vol. intelligitur isti textus secundùm Innocentium juxta consuetudinem Urbis.*

Et ego affirmandum puto, idque ideò quia in mate- 7
ria præeminentiarum, ac juris honorifici attenditur consuetudo juxta doctrinam Baldi, Felini, & aliorum; quos passim omnes adducunt, & nos pluries adduximus, ac firmat manifestè Rota apud Pegn. *decis. 817. num. 3. & decis. 941. num. 4.* & alibi sæpissimè. Quamvis juris dispositioni repugnaret, ut apud Merlin. *decis. 593. num. 3.*

Accedentibus præsertim quadragenaria, quæ robur 8
tribuit consuetudini, etiam contra juris dispositionem, Glos. *in cap. ult. v. legitimè sit præscripta de consuet.* Mantic.

tic. *decis.* 51. *num.* 3. Cavaler. *decis.* 605. *num.* 4. Pegn. *dec.* 335. *num.* 1. & 18. *recent. aecis.* 323. *num.* 23. *part.* 4. *tom.* 2. ac teſtibus deponentibus per quadraginta annos, & amplius. Hæc enim operantur, ut conſuetudo dici poſſit præſcripta, etiam a tanto tempore, cujus initii memoria non extet, donec probetur contrarium. Felin. *in cap. de quarta numer.* 50. & *ſeqq. de præſcript.* Alex. *conſ.* 142. *vol.* 6. & alii, quos refert, ac ſequitur Card. Alban. *in com. ad* Bartol. *in l. de quibus num.* 8. *ff. de legib.*

9 Et tamen ubi conſuetudo non eſt contra, ſed præter jus, ut in hac ſpecie, cùm talis uſus non prohibeatur a propriis Conſtitutionibus, neque a jure communi, ſatis eſſet ad hunc effectum curſus decennalis juxta diſtinctionem Abb. *in cap. fin. num.* 11. *de conjuet.* Balb. *de præſcript. part.* 1. *principal. numer.* 8. & *ſeqq.* cæteris adductis in Corduben. decimarum 15. Decembris 1664. coram Borlemontio.

10 Eoque faciliùs, quia ſcilicet Canonicis Metropolitanis, & Cathedralibus differre a beneficiatis ſtallo ſublimiori, licebit etiam iis, differre pulvinaribus. Præſertim quia Capitulum per ſolos Canonicos repræſentatur, ut cenſuit Rota apud Cæſar. de Graſſ. *decis.* 4. *de his, quæ fiunt a major. par. Capit.* & apud Seraph. *dec.* 426. *num.* 4. & apud Royas *deciſ.* 62. *num.* 6. Beneficiati autem reputantur tanquam ſervi Eccleſiæ, Gloſ. *in capit. pen. v. aſſiſto de Cler. non reſid.* Rota apud eundem Royas *d. deciſ.* 62. *numer.* 8. & 9. & *deciſ.* 257. *numer.* 3. *part.* 9. *rec.* Quinimmò habentur tanquam ſervi ipſius Capituli ex doctrina Abb. *in cap. cùm non liceat in* 3. *notab. num.* 2. *de præſcript.* Cæſar. de Graſſ. *d. decis.* 4. *num.* 8. quos ſequitur Rota apud Royas ea *deciſ.* 62. *num.* 7. At veriùs dicuntur aſſiſii quaſi aſſidui ſervientes Eccleſiæ.

11 Ideò non poſſunt, neque debent ſedere cum Canonicis, quia minor non debet ſedere cùm majore, *can. non oportet* 14. & *can. ult. d.* 93. Goffred. *in ſum. de major.* & *obed. num.* 2. Sylveſtr. *v. minor in princip.* Sicuti etiam non poſſunt, neque debent caput tegere, cùm non liceat minori caput operire coram majore, quia id procedit a pari cum ſeſſione, ut docuit Surgen. *in Neapol. illuſtr. cap.* 23. *num.* 29. etiamſi fuerint in aliquo officio per textum *in d. can. ult. d.* 93.

12 Non obſtante, quòd admittantur ad oſculum pacis. Quia hoc fit ad charitatis augmentum, non ad æqualitatem inducendam, cùm ſeparatum ſit a præeminentiis, ut dixit in ſpecie Rot. *dec.* 865. *num.* 3. & 7. & *dec.* 867. *num.* 3. *part.* 4. *diverſ.*

13 Neque hoc eſt damnandum, ſed contra D. Hieronymus damnat Diaconos minores, qui volunt ſedere coram majoribus *in can. legimus* 23. *poſt med. ead. diſt.* 93. hancque præſumptionem tyrannicam appellat ſexta Synodus *in can. ult. ead.* Cæterum lege diſſertationem ſive commonitorium Raynaudi de bono regimine humano ad divinum ſuave ſimul ac forte per mixturam levitatis, & accurationis exigendo.

CONSULTATIO LXXXIII.

An ſubrogati ab Ordinario, Dignitatibus abſentibus, poſſint mutare locum ſibi debitum ratione prioritatis, aſcendendo ſupra antiquiores, & occupando locum Dignitatum, quas repræſentant, necnon peragere functiones ad dignitates ipſas pertinentes?

1 NEgativè reſpondeo. Quia iſti non ſunt Coadjutores cùm futura ſucceſſione, itaut eis dandus ſit locus, & aſſignandæ ſint functiones pertinentes ad eam dignitatem, quam repræſentant, ex eo quòd Coadjutores ſunt in illis dignitatibus inſcripti, illiſque ſucceſſuri, ac jure ſuo ſupplent, atque inſerviunt pro Coadjutis, ſed ſolummodò ſubſtituti ſunt ad tempus abſque aliquo jure proprio, ſuffecti tantùm ad ſupplendum pro abſentibus, ex quo nulla iis competit prærogativa loci, neque muneris, ut de Vicario Parochiali conſtituto poſt mortem Rectoris declaravit S. Rituum Congregatio in Senogallienſi, quòd ei non detur præcedentia ſuper alios presbyteros antiquiores. Declaratio eſt hujuſmodi.

2 *Presbyteri Oppidi Mondulphi Senogallienſis Diœceſis, ſupplicaverunt declarari, an in proceſſionibus, & aliis functionibus publicis debeant præcedere Vicario amovibili S. Michaelis Eccleſiæ Parochialis ejuſdem Oppidi juſſu Pontificis ibi poſt obitum Rectoris conſtituto, dum tanquam Sacerdos incedit cum Plebano ſtolam deferente, donec erigatur Collegiata, qui Vicarius amovibilis poſt eos presbyter ordinatus eſt?*

Sacra Rituum Congregatio cenſuit, deberi præcedentiam presbyteris priùs ordinatis ſupra Vicarium Eccleſiæ S. Michaelis Oppidi Mondulphi poſtea in Sacerdotali ordine Conſtitutum, & ita in proceſſionibus, & aliis publicis functionibus ſervari debere die 20. *Aprilis* 1641. 3

Eſtque caſus ſimilis de Vicario foraneo, qui licèt ſit officialis Epiſcopi, quia tamen reipſa non eſt niſi ſubſtitutus Vicario Generali, nulla ei competit prærogativa ſupra, vel ante alios presbyteros antiquiores, niſi contrarium habeatur ex conſuetudine, ut pluries declaravit Sacr. Congregatio ſuper Epiſcopis, præcipuè in Uritana 9. Januarii 1587. in Nolana 15. Septembris 1600. & in Tranenſi 2. Aprilis 1601. 4

Et quidem ſi improbatur a S. Rituum Congregatione, ut abſentibus dignitatibus, illarum ſedes occupentur a Canonicis, & abſentibus Canonicis, eorum ſedes occupentur ab aliis presbyteris, ut in Capuana 12. Martii 1618. Et quoad functiones choris & Eccleſiæ extat diſpoſitio cœremonialis *de ſupplend. vicib. cap.* 26. *lib.* 1. ut ſcilicet abſente uno, ſuppleat qui proximè ſuccedit, ita in hoc caſu ubi adeſt collegium presbyterorum, & ſervitium Eccleſiæ regitur ad formam Collegiatæ, ſed dignitatum, vel antiquorum non debet occupari ab inferioribus, & in ſupplendis vicibus abſentium nulla melior adhiberi poteſt regula, quàm quæ tradita eſt a Cœremoniali pro Collegiatis. 5

CONSULTATIO LXXXIV.

An liceat ſolùm Parochis exponere in die feſto Corporis Chriſti Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in ſuis Eccleſiis, & an etiam id liceat Confraternitatibus in ſuis Oratoriis?

REſpondeo, id licere Parochis tantùm, & pariter in eorum Eccleſiis debet inchoari ſupplicatio, cùm hoc munus non ad Confratres, alioſve, ſed ad ſolos Parochos, & Eccleſias Parochiales pertineat, quia ipſi ſoli ſunt paſtores, qui verbo, exemplo, & Sacramentis paſcere debent ſuum gregem ex Clem. *Dudum de ſepult.* & ex Concil. Trident. paſſim, reſolvitque ſæpiùs S. Rituum Congregatio, referente Novar. *in lucern. Regul. v. proceſſiones num.* 24. & 25. Barboſ. *in collect. Concil. ſeſſ.* 25. *cap.* 13. *de reg. numer.* 45. Et quòd in ſola Eccleſia Regularium exponatur Sanctiſſimum Sacramentum publicè adorandum in illius feſtivitate, declaravit eadem S. Congregatio in Aretina 11. Decembris 1613. ac in aliis relatis a Novar. *loc. alleg. num.* 20. 1

Idque non obſtante quacunque arbitrorum definitione, in qua declaratur Sanctiſſimum Sacramentum in die feſtivitatis exponi debere in Oratoriis Confratrum, eiſque aſſociantibus deferri a Parochis ad ſuas Eccleſias Parochiales pro ducenda ſupplicatione. Primò, quia conſtare debet de compromiſſo, authoritate Superioris facto, cùm aliàs arbitrorum definitio non valeat, Roman. *conſ.* 175. *num.* 3. Soccin. *conſ.* 18. *num.* 34. & *ſeqq. lib.* 1. maximè in præjudicium Eccleſiæ, & ſucceſſorum, etiamſi fuerit acceptum, cùm ipſa acceptatio noceat ſolummodò acceptanti, non autem Eccleſiæ, & ſucceſſoribus, ac multò minùs Clero ſæculari, Soccin. *d. conſ.* 18. *num.* 39. Caputaq. *dec.* 165. *per tot. part.* 2. Gratian. *diſcept.* 674. *num.* 15. 2

Secundò, quia hujuſmodi definitio facta ab arbitris eſt contraria reſolutionibus Sac. Congregationis Concilii, in quibus prohibetur laicis in privatis Oratoriis exponere Sanctiſſimum Sacramentum, eſtque indecens, quòd Parochus adeat Oratorium laicorum ad accipiendum, & deferendum Sanctiſſimum ad propriam Eccleſiam Parochialem. 3

Ac non obſtante obſervatione triginta, vel quadraginta annorum, ex qua ſolet præſumi confirmatio. Nam hodie ob Conſtitutionem 157. Urbani VIII. non ſuffragatur præſumpta obſervatio, & poſſeſſio longiſsima, ut ex facto prædeceſſoris inferatur præjudicium Eccleſiæ. Quæ Conſtitutio habet locum in quocunque jure, & præjudicio, tollitque pacta, & tranſactiones, ut *in* §. 1. & 2. Et ſola centenaria ſuffragatur, ut judicavit Rota in Barchinonen. exemptionis 13. Junii 1646. coram Cardinali Corrado, & in Leodien. dominiorum 25. Junii 1649. coram eodem. 4

Neque ſubſiſtit, quod non agatur de præjudicio Eccleſiæ, & quod ſacri Canones id non prohibeant. Nam quicquid ſit de ſupplicationibus, & de modo illas ducendi, certum eſt, quòd prohibita ſit laici expoſitio, & aſſervatio Sanctiſsimi Sacramenti, præcipuè in privato Oratorio, & intra clauſtra Monaſteriorum ex diſpoſitione S. Concilii *ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 10. Ideòque omnis contraria conſuetudo, & declaratio tanquam corruptela, 5

ptela, & contraria S. Concilio, ac reſolutionibus Sacræ Congregationis, non debet attendi, cùm hujuſmodi reſolutiones habeant vim legis generalis, & tollant omnes abuſus, & corruptelas ex Conſtitutione Sixti V. 74. §. 1. ac tradit Ferr. *de præced. quæſt.* 18. *num.* 8.

CONSULTATIO LXXXV.

An liceat Regularibus, vel Confratribus ducere ſupplicationem die Dominico, vel alio die infra octavam Sanctiſſimi Corporis Chriſti?

1 DIco iis licere duntaxat illam ducere intra clauſtra, & ambitus Eccleſiæ, exeundo ab illius janua, & per eandem redeundo, non autem licere ipſis Regularibus, neque Confratribus ſupplicationem ducere intra limites Parochiæ, ut pluries reſolvit Sac. Rituum Congregatio, præſertim in Cæſaraugustana 17. Martii 1627. apud Novar. *in Lucern. Regular. v. proceſſio num.* 25. & in Hiſpalenſi 26. Februarii 1628. relata a Barboſ. *in collect. Concil. ſeſſ.* 25. *de Regular. cap.* 13. *num.* 45. & *de offic. Paroch. part.* 1. *cap.* 12. *n.* 13. ubi more ſuo utramque repetit, & nos 1. *tom.* ex decreto generali Sacr. Congregationis Concilii. Ratio autem eſt, quia non habent territorium, ac proinde neque juriſdictionem.

2 Et licèt de conſenſu Parochi poſſint Regulares, & Confratres ducere ſupplicationes intra limites Parochiæ, ut in eiſdem reſolutionibus non tamen poteſt, neque debet permitti, quod Regulares dicto die Dominico celebrent in Eccleſia Parochiali Miſſam ſolemnem, & incipiendo ſupplicationem ab eadem Eccleſia, deferant Sanctiſſimum Sacramentum, cùm id ſolùm pertineat ad illius Parochum, & in hoc non ſuffragatur conſuetudo aliqua, tanquam irrationalis.

CONSULTATIO LXXXVI.

De præcedentia inter Sodalitates ſæculares?

1 TEnendum eſt. Præcedentia debetur Sodalitati, quæ eſt antiquior in loco, Ricc. *dec.* 131. *per tot. lib.* 1. Caren. *reſol.* 77. *num.* 3. Cavaler. *dec.* 588. *n.* 5. & latiſſimè comprobatur in Albiganen. præcedentiæ 20. Junii 1653. coram Bichio juxta doctrinam Innocentii *in cap.* 1. *n.* 1. *de major.* & *obed.* & declarationem S. Rituum Congregationis in Hortana præcedentiæ 20. Februarii 1660. & 27. Novembris 1666. ac ſæpè alibi.

2 Vel ei, quæ eſt aggregata alicui ex Archiconfraternitatibus Urbis, quia hæc eſt natura aggregationis, ut communicet omnia privilegia, ac ſi eſſet de corpore aggregantis, Gloſ. *ult. in cap.* 3. *de ſtat. Monach.* fusè Cyriac. *tot. contr.* 203.

3 Non obſtante prætenſione Sodalitatis Sanctiſſimi Sacramenti poſteriùs erectæ. Quia concedimus, illam præcedere debere in feſtivitatibus, quæ ad cultum ejuſdem Sanctiſſimi attinent, de quo *tom.* 5. Sed exinde non ſequitur, quod in aliis feſtivitatibus, & actibus præcedere debeat, ut in dicto caſu dixit Natt. *conſil.* 62. ac reſolvit Sacra Rituum Congregat. teſte Barboſ. *in Apoſt. dec. collect.* 207. *numer.* 34. & 42. In aliis verò actibus nulla ei debetur præcedentia, quæ de jure debetur antiquiori, & actus forſitan ab ea geſti non videntur momenti plurimum facere quia ſufficit aliquos actus fuiſſe geſtos in contrarium, & de illis deponant teſtes, quibus credendum eſt, etiamſi probaretur aliquot ex ipſis eſſe Confratres ejuſdem ſodalitatis, ut plenè in terminis firmavit Rota in d. Albinganen. præcedentiæ, & comprobat etiam Buratt. *dec.* 343. *num.* 72.

4 Neque præſcriptio prætendi poteſt, quia tollitur ex actu in contrarium geſto, Surd. *conſil.* 476. *n.* 13. Gregor. *deciſ.* 162. *numer.* 9. ubi Add. & firmavit Rota in Toletana decimarum 22. Aprilis 1641. coram Bichio. Præcipuè quando non probantur actus in ſpecie. Nam cùm potuerint fieri in feſtivitatibus Sanctiſsimi Sacramenti, non debent attendi teſtes, ſi non deponant hanc qualitatem, cùm requiratur probatio in ſpecie caſus controverſi, Surd. *conſ.* 454. *num.* 26. Ad firmandum enim ſtatum contrarium requiritur præſcriptio quadragenaria per actus conformes, continuos, & non interruptos, Rota *dec.* 355. *num.* 2. *p.* 1. *rec.* & ad inducendum præjudicium non ſufficit, quòd quis prælatione non utatur, aut patiatur alios præcedere. Quia cùm non poſsit expreſsè hujuſmodi juri Prælationis renunciare, neque poterit tacitè in præjudicium Eccleſiæ, ac ſucceſſorum. Decian. *conſ.* 21. *num.* 74. *lib.* 1. Præterea quæ ſunt facultatis non poſſunt inducere conſuetudinem reſtrictivam liberæ poteſtatis, Caſtr. *conſ.* 340. *lib.* 2. Ad hoc enim, ut acquiratur quaſi poſſeſsio, requiritur interpellatio, & prohibitio, & deinceps incipit currere quadragenaria juxta doctrinam Abb. *in cap. ſignificante* 69. *not.* 1. *de appel.* & aliorum apud Gratian. *diſcept.* 298. *num.* 10. & *ult.*

Et in his terminis non diſcutitur poſſeſſorium ſeorſum a petitorio. Quia cùm Sacra Rituum Congregatio procedat ſola facti veritate inſpecta, cenſentur cumulata hujuſmodi judicia, ut tradunt Menoch. *conſ.* 295. *n.* 15. Rimin. junior. *conſ.* 689. *numer.* 3. & *ſeqq.* Honded. *conſ.* 94. *num.* 63. *lib.* 1. Laderch. *conſ.* 122. *n.* 4. Oſaſch. *dec.* 1. *num.* 28. & Rot. in Bononien. *deciſ.* 14. *numer.* 77. & *ſeqq. par.* 3. *div.*

CONSULTATIO LXXXVII.

De quibus Sanctis officium proprium recitari poſſit?

QUoniam Dei, & Sanctorum honor judicium diligit, antiquiſsimus Eccleſiæ mos fuit ſedulò præcavere, ne ulli eorum, qui cum laurea martyrii, vel cùm ſanctitatis opinione obierunt publicus cultus tribueretur, niſi fuerint vindicati, vel ut hodie loquimur, ſolemniter Canonizati. Ideòque videtur reſpondendum non eſſe approbanda a Sacr. Rituum Congregatione officia propria illorum, qui non ſunt adſcripti in Martyrologio Romano. Unde Scacc. *de not.* & *ſign. Sanctit. ſect.* 11. *cap.* 4. *lit. B.* nefas eſſe ait ad alicujus Defuncti cultum, & venerationem aliquod argumentum ſumere ex aliis libris, ac hiſtoricis, ac proinde neque poſſe eorum feſta celebrari cum Officio proprio. Nam pro Sanctis non Canonizatis, etiam ubi viget conſuetudo immemorabilis celebrandi officium in eorum die feſto, ſolùm poſſe recitari de communi, decrevit eadem Sac. Congregatio in Viſen. 21. Junii 1605. referentibus Sellio *cap.* 33. *num.* 18. & Barboſ. *in Sum. Apoſtol. deciſ. v. officium divinum collect.* 532. *n.* 11. 1

Neque ideò poteſt non conſtito de ſolemni Canonizatione, aut ſaltem de formali beatificatione, facta per Sedem Apoſtolicam, agi de conceſsione officii duplicis, quod Bonifacius VIII. tanquam potioris honorificentiæ ſignum in univerſo corpore Eccleſiæ militantis, ſtatuit pro ſolis Apoſtolis, Evangeliſtis, & quatuor ipſius Eccleſiæ Doctoribus *in cap.* 1. *de reliq.* & *ven. Sanct. in* 6. cùm neque Officium ſimplex recitandum eſſet pro non Canonizato, notent omnes Canoniſtæ *in cap.* 1. ibique Gloſ. *v. Sedis Apoſtolicæ*, & alii *eod. tit.* Quare etiam D. Carolus in Concilio Mediolan. 4. *par. tit.* 2. quæ pertinent ad Sanctæ Miſſæ Sacrificia, & divina Officia juſſit de iis, qui beati dicuntur, neque Sedis Apoſtolicæ authoritate in Sanctorum numero adſcripti ſunt, horarum divinarum precum officium ne fiat, niſi conſulta eadem Sede, facultateque literis Pontificiis conceſſa. Eſt ergo præmittenda Canonizatio, vel ſaltem formalis beatificatio, nec priùs adeunda Sedes Apoſtolica pro conceſsione Officii. Quamobrem obſtat etiam decretum S. Rituum Congregationis ſub die 28. Novembris 1628. quod ſcilicet Miſſa, vel Officium concedi non poteſt de Sancto non Canonizato, vel non beatificato, niſi immemorabilis probetur in ſpecie quoad cultum cum Miſſa, & Officio, quod decretum referunt Contilor. *de Canoniz. Sanct. cap.* 22. *numer.* 19. & Barboſ. *de offic. Epiſc. par.* 3. *allegat.* 97. *propè fin.* & *in collect. Apoſtol. dec.* 661. *v. Sanctus num.* 1.

Verùm cùm duplex ſit alicujus Sancti vindicatio, ſeu Canonizatio: Una recentior, quæ fit cum plena, & accurata cauſæ cognitione: Altera, quæ nititur communi fidelium conſenſui, & acclamationi, ut per Hoſtienſem, quem alii communiter ſequuntur *in d. cap.* 1. *de reliq.* & *ven. Sanct. num.* 8. & Fagnan. *ibi num.* 16. *ac* 23. nulli dubium eſſe poteſt, quin hæc ſecunda ſufficiat ad concedendum officia propria Sanctorum, dum ad illorum martyrium, & præclara vitæ merita aſtruendum conſpirent Scriptorum fide dignorum monumenta, Eccleſiæ in eorum honorem ædificatæ, alicujus Regni, vel Provinciæ conſenſus, vox, devotio, cultus, & immemorabilis veneratio. Unde licèt non conſtet de beatificatione, vel Canonizatione formali, ſatis tamen eſt, quòd concurrant ea, quæ memorantur in decreto S. Officii Inquiſitionis ſub die 2. Octobris 1652. emiſſo, nempe communis Eccleſiæ conſenſus, immemorabilis temporis cultus, Patrum, virorumque Sanctorum ſcripta, necnon longiſsimi temporis ſcientia, & tolerantia Sedis Apoſtolicæ, & ordinariorum quibus concurrentibus Officium proprium decerni poteſt, ſicuti congruum eſſe, tametſi de expreſſa beatificatione non conſtet, tradit Contilor. *de Canonizat. Sanctor. capit.* 22. *numer.* 16. & cum aliis Scacc. *de cult.* & *venerat. Sanctor. fol.* 73. 2 3

Et

4 Et quidem de Sanctis, licèt non Canonizatis, posse fieri officium, & celebrari Missam in Ecclesiis, quæ iis dicatæ sunt, est generare decretum S. Rituum Congregationis sæpè, ac sæpiùs confirmatum quoad festum S. Rocchi a Summo Pontifice approbatum tenoris sequentis: *Cùm actum fuisset pluries in Sac. Rituum Congregatione de concedenda Missa, & officio in festo S. Rocchi, qui penes omnes Christifideles in maxima veneratione semper est habitus, tandem sub die 30. Junii 1629. eadem S. Congregatio, negotio maturè discusso, censuit esse concedendam Missam, & officium in die S. Rocchi de communi Confessoris non Pontificis in iis tantùm locis, ubi adsunt Ecclesiæ in ejus honorem ædificatæ, & servatis rubricis Breviarii.* In qua resolutione summa omnium Eminentissimorum Patrum consensio extitit, instante præsertim Villa Matriti, eamque Summus Pontifex Urbanus approbavit, & laudavit die 4. Julii 1629.

5 Et generatim de quovis Sancto in Pacensi S. Rituum Congregatio censuit, & declaravit, officium non posse fieri extra propriam Ecclesiam de Sancto non Canonizato sine novo decreto die 9. Novembris 1628.

6 Quòd sanè multò magis servandum est in casu, quo aliquis Sanctus habet cultum Officii, & Missæ a Sede Apostolica, propter quod non comprehenditur in decretis prohibitionis editis ab Urbano VIII. eo anno 1625. & per hoc satis videtur declaratus Sanctus, licèt non sit Canonizatus, nec in Martyrologio Romano descriptus. Vel in casu, quo ex indulto Pontificis Sanctus aliquis daretur pro titulo alicujus Ecclesiæ, vel adderetur alteri. Hujus enim tituli ratione non solùm licet Officium facere, sed illud esse debet sub ritu duplicis majoris, & cum octava secundùm rubricas Breviarii *cap.* 1. & 7. quemadmodum de duobus Sanctis titularibus ejusdem Ecclesiæ dupliciter fit officium de titulari in pluribus Ecclesiis Urbis, scilicèt Sanctorum Laurentii, & Damasi, Sanctorum Xisti, & Dominici, Sanctorum Sylvestri, & Martini in Montibus, & S. Mariæ in Vallicella, & S. Gregorii, & nuper Sanctorum Jacobi, & Ildephonsi ex speciali decreto S. Congregationis pro Ecclesia clarissimæ, & Catholicæ Nationis Hispanæ hunc in modum.

7 Nomine Nationis Hispanorum fuit petitum in Sacr. Rituum Congregat. concedi, ut sicut ex concessione Sixti V. omnes nationales possunt in Urbe, sive sæculares, sive regulares, celebrare Officium cum octava festivitatis S. Jacobi, ita facere possint in festivitate S. Ildephonsi cum dicta Ecclesia sit non solùm titulo S. Jacobi, sed etiam sub titulo S. Ildephonsi. Et S. Rituum Congregatio, attentis narratis, petita concessit, & quòd recitantes officium S. Ildephonsi per totam suam octavam de communi Confessoris non Pontificis satisfaciant obligationi Officii currentis per totam dictam octavam juxta rubricas Breviarii Romani die 28. Maji 1637.

8 Neque postulatorum pietati officit decretum S. Rituum Congregationis in Visen. supra relatum. Quia est affirmativum, non autem negativum, quòd scilicet Officium pro Sanctis etiam non Canonizatis possit recitari de communi, ubi viget consuetudo immemorabilis recitandi. Unde ex eo non sequitur, quòd ubi Sanctus non est adscriptus in Martyrologio Romano ei concedendum non sit Officium proprium; Tùm quia decretum nullam facit mentionem affirmativæ, vel negativæ descriptionis in Martyrologio: Tùm etiam quia argumentum a contrario sensu non datur a dictis Doctorum, vel decisionibus, quæ juxta ea, quæ proponuntur, solùm emanare solent, ut de decisionibus S. Rotæ dixit Seraphin. *dec.* 1342. & de dictis Doctorum, Barbos. *in loc. com. v. a contrario sensu loc.* 27. *num.* 21. & *seqq.* Tùm quia in hac arguendi specie admodum strictè proceditur, neque hujusmodi argumentum admittitur, nisi ubi est affirmatum, perneceſſe concludens negativam contrariam ex deductis per eundem Barbos. *ubi supra num.* 25. & Buratt. *decis.* 477. *numer.* 4. & *seqq.* ubi diffusè de hoc argumento: Tùm denique quia decretum loquitur de officio, quod propria authoritate recitari potest, non autem de concedendo authoritate S. Congregationis.

9 Minùs obest Martyrologium. Nam etiamsi admittamus illud, utpotè magis expurgatum, merere majorem fidem, ac probare affirmativam in iis, quæ dicit inter tot, tantaque Martyrologia diversis temporibus edita, de quibus eruditissimè Rota in Calaritana primatus coram Ghislerio *dec.* 60. *part.* 8. *recent.* non tamen inde sequitur probari ex illo perneceſſe negativam, cùm ex ipsius Martyrologii præscripto dicatur in quotidiana illius lectione, & *alibi aliorum plurimorum Sanctorum martyrum, & Confessorum, atque Sanctarum Virginum.* Igitur idem Martyrologium supponit extare alios Sanctos, in ipso non descriptos, & proindè inferri non potest ad negativam, tunc probandam quando perneceſſe in aliquo libro, vel scriptura essent omnes adscripti ex congestis a Surd. *consil.* 300. *num.* 11. Buratt. *dec.* 10. *num.* 5. & *seqq.* aliisque communiter.

Illud moneo, quòd concesso Officio pro certa die in honorem Beati, non licet alia quacunque die illud recitare ex adductis a Diana *par.* 4. *tr.* 4. *res.* 231. 10

An autem Episcopus, quando reperitur in aliquo oppido suæ Diœcesis ob visitationem, seu aliam ob causam possit licitè recitare Officium Sanctorum, de quibus ex forma rubricarum, seu ex concessione S. Congregationis, eo quòd sint Patroni, seu Titulares in eisdem Oppidis recitatur, & sic præcepto de recitando Officio satisfaciat, respondeo cùm S. Rituum Congregatione sub die 14. Martii 1643. posse, & satisfacere. 11

CONSULTATIO LXXXVIII.

An Prothonotarii Apostolici titulares, sive non participantes, præcedere debeant Canonicos Ecclesiæ Cathedralis, quando iidem Canonici uti singuli, non autem uti in collegium, & corpus coaliti incedunt? Ubi quid de consuetudine pro Canonicis, & an ad illam probandum concedenda remissoria?

AFfirmo. Ita declaravit sæpius Sac. Rituum Congregatio, nominatim in Concordiensi 6. Maji 1601. Idque non obstante contraria consuetudine, ad quam probandam deneganda videtur remissoria, vel concedenda absque retardatione. Certum enim est, quòd exequutio literarum Apostolicarum non retardatur per exceptiones requirentes altiorem indaginem, prout requirit prætensa consuetudo, super qua statim dari debet probatio aliqua relevans ad illarum exequutionem retardandum. 1

Et sanè licèt in materia præcedentiæ soleat attendi ex regula consuetudo juxta doctrinam Baldi *in cap. cùm olim num.* 1. *de consuetud.* ab omnibus recepta, decantatam, & a nobis sæpissimè repetitam, atque ex hac ratione articuli ad eam probandam videantur relevantes pro concessione remissoriæ, ut fuit pluries observatum ab eadem Sacr. Rituum Congregatione, etiamsi probatio tendat, ut minor præcedat majorem ex decisione Seraph. 964. Nihilominùs ex hoc casu videtur deneganda ex capite irrelevantiæ. Nam extra dubium est, quòd isti Prothonotarii dignitatem habeant, itaut non solùm præferantur quibusvis Clericis, Chassan. *in cathal. glor. mund. p.* 4. *cons.* 29. *v. extraordinarii*, sed etiam aliis Canonicis Ecclesiæ Cathedralis temporibus, & locis, in quibus non sedent, neque incedunt collegialiter, sed uti singulis, quemadmodum consuluit Navarr. *consil.* 3. *de majorit.* & *obedien.* In his autem, quæ ad dignitatem pertinent, vel non potest renunciari, vel renunciatio non præjudicat successoribus, quia sunt juris publici, ut in hac specie defendit Decian. *cons.* 19. *sub num.* 40. 44. & *seq. lib.* 3. Menoch. *cons.* 902. *numer.* 91. & Gratian. *discept.* 299. *num.* 99. 2

Unde etiamsi demus, quòd articulata consuetudo in contrarium probari posset, probatio nullius esset momenti adversus hujusmodi Prothonotarios, qui volunt privilegio suo Prothonotariatus uti, & gaudere, nec pati, quòd simplices Canonici, uti singuli, sibi præcedant, & præjudicium inferant, quòd grave existimatur a Puteo *decis.* 439. *num.* 3. *lib.* 2. & *decis.* 6. *num.* 5. *lib.* 3. & a Seraph. *dec.* 22. Esset que consuetudo irrationabilis, jurique communi non consentanea, quia minus dignus præferretur digniori, cùm negari nequeat, quin Prothonotariatus, etiam non participans, & extraordinarius, sit major dignitas Canonicatu, ut censuit eadem Sacra Rituum Congregatio, referente Francisco Leon. *in thesaur. fol. Eccles. p.* 1. *de gradibus dignit. Eccles.* & satis scitè in his terminis scribit Grilenz. *cons.* 121. *num.* 18. & *seqq. de præced. inter Canonic.* Et propterea quævis contraria consuetudo præferendi minus dignum digniori, tanquam mali exempli, non est attendenda, potiusque dicitur corruptela, quàm consuetudo *can. consuetudo d.* 12. Gregor. *dec.* 124. ibique Add. *num.* 4. ubi illa non servatur, etiamsi sit immemorabilis. Quod repetit *dec.* 310. *num.* 6. Maximè quando nulla concurrit causa, sive qualitas, ob quam Canonici extra actus collegii prætendere debeant præcessisse Canonicum, & Prothonotarium, atque adeò majorem dignitatem habentem, prout requiritur ad inducendum hanc consuetudinem, ut rectè declarat Add. ad dictam Gregor. *decis.* 124. *d. num.* 4. 3

Insuper ad effectum inducendi consuetudinem, non sufficit probare, ita fuisse antea servatum cùm aliis Prothono- 4

thonotariis, qui aliàs, vel ignorantia, vel gratia, vel adulatione ducti tolerarunt, vel permiſerunt Canonicos ſibi præcedere, ex quibus actibus non inducitur conſuetudo, cùm non cenſeantur facti ea intentione, ut illa inducantur, ſaltem reſtrictiva liberæ voluntatis, facultatiſve, ut in ſpecie Burſ. *conſil.* 360. *num.* 8. & *ſeqq. lib.* 4. qui pluribus exemplis id illuſtrat, Macera- ten. *var. reſol.* 81. *num.* 9. *lib.* 1. & Gratian. *diſcept.* 298. *n.* 8. *ac ſeqq.* Sed exigitur præceſſiſſe contractionem, & ſubſequutam patientiam, a quo tempore oritur poſtea præſcriptio, ſeu conſuetudo, ut ad rem poſt alios Gratian. *d. diſcept.* 398. *n.* 10. Eòque magis, quando dicti actus non fuerint articulati, ut requiritur ad effectum ex illis inducendi conſuetudinem immemorabilem, quod ſcilicet per quadraginta annos continuos ita viderint teſtes obſervari, & dum venit caſus, quòd præceſſerit prohibitio, ſeu contradictio cum acquieſcentia ſubſequuta ex allegatis per Adden. ad Gregor. *deciſ.* 162. *lit. C.* Quinimmò requiritur, quòd hæc conſuetudo probetur cum qualitate coactiva, quod nimirum fuerit in contradictorio judicio deducta, & ſuper ea fuerit obtentum, & poſtea ſemper ita obſervatum. Alex. *conſ.* 132. *numer.* 4. *lib.* 1. & *conſ.* 136. *numer.* 20. *lib.* 2. Rot. *deciſ.* 177. *numer.* 54. *part.* 5. & *deciſ.* 141. *num.* 12. & *ſeqq. part.* 6. *rec.* Mantic. *deciſ.* 10. *num.* 10. & 11. Coccin. *dec.* 182. *num.* 5. & Buratt. *dec.* 494. *num.* 10.

5 Neque obſtat ſi tum etiam articuletur immemorabilis, quæ cùm habeat vim tituli, ac privilegii, operari poteſt, ut major non præferatur ex allegatis a Grat. *dec. March.* 16. *num.* 5. Nam etiam conſuetudo immemorabilis non ſuffragatur, ut dixi, quando minor nititur majorem præcedere, ex quo ſuam trahit originem ex quadam ſtulta ambitione, ut in ſpecie reſpondet Tob. Nonn. *conſ.* 72. *n.* 24.

6 Eòque minus quia in literis Apoſtoliçis prothonotarius derogatur conſuetudinibus in contrarium. Et quamvis juxta communem opinionem ſublata conſuetudine, non cenſeatur ſublata immemorabilis propter ſuam excellentiam & prærogativam, etiam juncta dictione univerſali, *quæcunque*, ut poſt alios Gonzal. *gloſs.* 33. *nu.* 2. & *ſeqq.* Quia tamen in hac parte lex derogat conſuetudini, *ut in cap. ſtatuimus*, ubi notat Abb. *de major.* & *obed.* ideò non valet conſuetudo contra legem derogantem conſuetudini. Quia tunc intelligitur ſublata etiam conſuetudo futura, tanquam irrationabilis, & illegitima, Gonzal. *loc. cit.* qui opiniones ita conciliat *nu.* 9. & in hac re Gratian. *d. dec.* 16. *n.* 8. & *ſeqq.* allegans Alexandrum qui de veriori, ac magis communi teſtatur, traditque Covar. *var. lib.* 3. *c.* 13. *n.* 20. ſub initio, & Rota in Cracov. juris legendi 21. Maji 1627. coram Coccino cum aliis plenè cumulatis per Add. ad Burratt. *dec. num.* 13. & *ſeqq.*

7 Minuſque obſtat, quòd iſti Prothonotarii, ut plurimum, non utantur habitu, & rochetto. Nam ex Brevi Apoſtolico receptionis, & admiſſionis clarè liquet, Summum Pontificem velle nihilominus eos ſuis privilegiis, ac præeminentiis liberè gaudere, ac frui poſſe. Sicque, cum non habeatur conſideratio habitus, vel uſus conſequenter præeminentia dicitur iis debita propter inſignia ipſius dignitatis, ut conſiderat idem Navar. *alleg. conſ.* 3. *ante fin. de major.* & *obed.*

CONSULTATIO LXXXIX.

An prima dignitas manutenenda ſit in habitu prælatitio tàm in choro, quàm in aliis functionibus Eccleſiaſticis?

1 ITa cenſeo: Nam ſi in caſu dubio, atque odioſo fit ſemper benigna, & favorabilis interpretatio, cùm hìc agatur de habitu, tanquam de re Eccleſiaſtica non odioſa neque dubia, ſed clara, & favorabili, quia eſt honori Eccleſiæ, Epiſcopo, Capitulo, ac civitati, dicendum utique videtur, quòd ſit manutenenda. Quod etiam cenſuit Sacr. Rituum Congregatio in Aſſiſien. 4. Maji 1647. præcipuè ſi concurrant hæ rationes.

2 Prima: Si prima dignitas hoc habitu prælatitio uſa fuerit ab immemorabili. Quare obſervant Gemin. & Archid. *in cap.* 1. *de conſuetud. in* 6. ac notat Zabarel. *num.* 21. ubi ait, quòd etiam unicus actus habens effectum ſucceſſivum, quemadmodum eſt iſte de delatione habitus, exercitus pro aliquo tempore, inducat conſuetudinem, a qua recedendum non eſt abſque gravi cauſa. Præcipuè quia hæc conſuetudo approbatur etiam a cœremoniali, quia eſt laudabilis, & quia Cœremoniali non improbat niſi abuſus. Hæc autem conſuetudo nequit appellari abuſus. Nam etiam Prothonotarius Apoſtolicus non participans, ſi eſt prima dignitas, eo utitur, aliàs in choro ſedere debet in ſuo ſtallo cum habitu canonicali, ut ſanxit Sacrum Rituum Congregatio in Climacenſi, & Neocaſtrenſi 21. Auguſti 1601.

Secunda: Quòd ſit verè prima dignitas, quocunque 3
nomine nuncupetur, ratione enim conſuetudinis ſuæ Eccleſiæ eſt dignitas, ut advertunt Doctores *in cap. de multa de præb.* & *in cap.* 1. *de conſuet. in* 6. Paril. *conſil.* 31. *num.* 39. *lib.* 4. Mantic. *dec.* 175. *num.* 2. & Add. ad Gregor. *dec.* 411. *num.* 5. ubi inquiunt magis attendendam eſſe in hac re conſuetudinem, quàm jus commune. Probaturque eſſe primam dignitatem, ſi eſt caput collegii hoc eſt Capituli, Gemin. *in d. cap.* 1. *n.* 9. & *conſ.* 132. *in princ.* ac Bald. *conſ.* 1. *in fin. lib.* 1. inquiens, quod ubi eſt Collegium, ibi eſt dignitas, quibus ſcribit Feder. de Sen. *conſ.* 8. *num.* 2. Si ſtatim ac creatur, præcedit omnes in omnibus actibus. Si dum Epiſcopus eſt abſens a Choro, eſt prima ad intonandum antiphonam. Si ante omnes poſt celebrantem thurificatur triplici ductu, celebrat Miſſas ac veſperas ſolemnes, abſente, vel impedito Epiſco, Rot. *deciſ.* 4. *de elect. in nov.* & *deciſ.* 518. *numer.* 2. & 3. *part.* 1. *div.* Add. ad Gregor. *deciſ.* 411. *num.* 5. Si convocare facit Capitulum, Rot. *deciſ.* 585. *num.* 1. *part.* 4. *div.* Si ante omnes ſe ſubſcribit in actibus capitularibus Rot. *dec.* 518. *n.* 3. & 8. Si tenet clavem ſigilli Capituli, ac libri, in quo ſcribuntur decreta, & reſolutiones capitulares, Rota *d. dec.* 4. *poſt princip. de elect. in nov.* Si Canonici id teſtantur, Rot. *d. dec.* 518. *n.* 3. Vel Epiſcopus, Rot. *ibid.* Mantic. *dec.* 175. *n.* 3. Si in ejus collatione dicitur, quòd eſt prima dignitas, cujus enunciativæ cum ſint antiquæ, & habuerint ſuum effectum, probant communem æſtimationem, quæ ex ſeipſa ſatis eſſet ad id probandum, Rot. *d. dec.* 518. *n.* 3. & 18. Mantic. *d. dec.* 175. *n.* 2. & Burat. *dec.* 473. *n.* 9.

CONSULTATIO XC.

An Cantores muſici, qui non ſunt de gremio Capituli, in proceſſionibus, aliiſve actibus præferri debeant Clericis beneficiatis?

REſpondeo negativè, ac ita quidem, ut Cantores 1
non cum beneficiatis, ſed immediatè poſt Crucem incedere debeant, non obſtante conſuetudine. Ita declaravit S. Rituum Congregatio in Urbevetana ſemel, ac iterum, & in Vigillienſi in hunc modum.

Pro parte beneficiatorum Eccleſiæ Cathedralis Urbeveta- 2
næ expoſitum fuit, Magiſtrum Capellæ noviter electum in dicta Eccleſia in proceſſionibus velle præcedere ipſos beneficiatos, & inter ipſos in ultimo, & digniori loco incedere inter duos ultimos beneficiatos. Et cum iidem beneficiati ad Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum D. Cardinalem Synneſium, eorum Ordinarium recurſum habuerint, & Dominatio ſua Illuſtrima ordinaverit juxta regulas Cœremonialis non convenire, ut dictus magiſter Capellæ incedat cum beneficiatis, ſed debere incedere cum ſuis Cantoribus ante Crucem Eccleſiæ Cathedralis, vel in alio loco convenienti, & opportuno ſeu Dominationi Illuſtriſſimæ beneviſo, cui ordinationi cum præfatus magiſter Capellæ noluerit parere immò recurſum habuerit ad Auditorem Cameræ pro manutentione ſui præfati prætenſi loci, iidem beneficiati recurſum habuerunt ad Sacr. Rituum Congregationem, in qua hujuſmodi negotio propoſito, & audito, eadem Sac. Rituum Congregatio cenſuit, ſervandam eſſe ordinationem, & decretum Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi D. Cardinalis Synneſii Epiſcopi, & nullo modo convenire, ut præfatus Magiſter Capellæ incedat cum beneficiatis, ſed debere ire, & incedere cum Cantoribus, prout a præfato Illuſtriſſimo D. Cardinali Epiſcopo ordinatum fuit, & ita declaravit; & quibuſcunque non obſtantibus in Civitate, & Eccleſia Urbevetana ſervari mandavit die 20. *Novembris* 1610.

Cum alias ſub die 20. *menſis Novembris anni præteri-* 3
ti 1610. *a S. Rituum Congregatione declaratum fuerit, non licere Magiſtro Capellæ incedere inter duos Eccleſiæ Urbevetanæ beneficiatos, ſeu Capellanos de maſſa, ſed debere ire cum ſuis Cantoribus poſt Crucem ante ipſos beneficiatos, vel in loco, ubi ordinatum fuerit ab Illuſtriſſimo D. Cardinali Synneſio Epiſcopo, & nihilominus ſub prætextu conſuetudinis dictus Magiſter Capellæ, & Cantores prætendant in proceſſionibus ire, ſeu incedere inter ipſos beneficiatos Eccleſiæ Cathedralis, eadem S. Rituum Congregatio declaravit, non eſſe a primo decreto recedendum, ſed quacunque allegata conſuetudine, vel uſu non obſtante,*

debere Magiſtrum Capellæ cum ſuis cantoribus incedere immediatè poſt Crucem ante ipſos beneficiatos, vel in loco, ubi ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. Epiſcopo Cardinali ordinatum fuerit. Et ita cenſuit, & declaravit, ac in Civitate Urbevetana ſervari mandavit, quibuſcunque non obſtantibus die 15. *Januarii* 1611.

4 *Vigilienſis Epiſcopus, dignitates, & Canonici Cathedralis Vigilienſis ſupplicarunt Congregationi Sacrorum Rituum declarari ubi, & quomodo incedere debeant Cantores in proceſſionibus Sanctiſſimi Corporis Chriſti, aliiſque ſolemnibus? Et Eminentiſſimi Patres reſponderunt, ſervandum eſſe cæremoniale Epiſcoporum in cap.* 2. *lib.* 1. *& alibi, eoſque ſuperpelliceo indutos tunc incedere debere die* 8. *Octobris* 1650.

5 Ubi cum verba illa, *nullo modo*, & illa *non obſtante quacunque conſuetudine, vel uſu* ſint appoſita poſt Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 1. *c.* 2. operantur derogationem fuiſſe factam per modum legis, non autem per modum reſcripti ac proinde Sac. Congregatio non in caſu ſingulari, ſed generali loquatur ad tradita per Felin. *in cap. conſtitutus, de reſcript.* & per illas clauſulas derogatur omnibus iis, quæ huic diſpoſitioni obſtare potuiſſent, ut per Rotam *dec.* 506. *n.* 5. *p.* 1. *rec.* Etenim quemadmodum deciſiones rotales fundantur ſuper legibus, quæ ſunt generales ita hujuſmodi decreta ſunt fundata in libro cæremoniali Epiſcoporum, qui etiam generatim loquitur, & ad deciſionem cauſarum allegari ſolet, ut tradit Grat. *diſcept.* 111. *n.* 7. atque adeò non ſunt in dubio revocandæ, Rot. in Averſana beneficiorum 3. Junii 1606. coram Sacrato, & in aliis adductis per Adden. ad Buratt. *dec.* 479. *n.* 20. & in Majoricen. parochialis 13. Junii 1646. coram Card. Celſo, ſe omnes obligant, & ab omnibus ſunt pro lege ſervandæ, Roder. *q. regul.* 11. *ar.* 2. *tom.* 1. Garz. *de benef. p.* 1. *c.* 5. *n.* 138. Marant. *reſp.* 14. *num.* 8. *cum binis ſeqq. tom.* 1.

6 Et quidem ſi Vicarius generalis Epiſcopi non poteſt ſe collocare inter Epiſcopum, & Clerum, ne membra ſeparentur a capite, multò minus muſici, qui non ſunt de gremio Capituli, quique ſunt ad nutum amovibiles, atque ab ipſis beneficiatis dependent, poterint ſe collocare inter Canonicos, & Beneficiatos. Nam cùm iſti ſint membra Capituli, & conſtituant cum Canonicis corpus Cleri Eccleſiæ cathedralis, ut firmavit Rota in Fanen. præcedentiæ 1. Julii 1648. *§. ratio reſolutionis* coram Arguelles, eadem ratione dici poſſet membrum a membro ſeparare ſeipſum a ſeipſo, quod planè eſt abſurdum, *can.* 1. *d.* 12. Gratian. *dict. diſcept.* 111. *nu.* 3. Et ex hac eadem ratione aliàs Sacr. Rituum Congregatio declaravit, quòd inter beneficiatos, & Canonicos ne poſſunt quidem interponi Rectores aliarum Eccleſiarum, licèt ſub ſpecie doctoratus id prætendant, ut in Turritana 1. Junii, & 27. Julii 1601. ac in Terulenſi 20. Decembris ejuſdem anni.

7 Quod præcipuè locum habet, quando major pars muſicorum ſunt laici. Dedecet enim ipſos cum beneficiatis, vel inter Canonicos, & beneficiatos incedere, cùm beneficiati ſint ſacris veſtibus inſigniti, ex quibus arguitur excellentia dignitatis, & datur præeminentia, Gratian. *diſcept.* 485. *num.* 50. *& ſeqq.* Cùmque in proceſſionibus proprium ſacerdotale munus exerceant, ideò ſunt illis præferendi, Gratian. *diſcept.* 298. *n.* 40. 41. & 53. Quippè de jure laicum in functionibus Eccleſiaſticis eſſe in loco digniori, & Clericis præcedere, non licet, Gregor. XV. *dec.* 310. *n.* 1.

8 Unde non obſtat conſuetudo: Quia eſt irrationabilis, ac proinde non poteſt de illa dari præſcriptio, atque adeò non eſt ſervanda, *l. quod non ratione introductum eſt, ff. de legib.* etiamſi eſſet immemorabilis, Gabr. *de præſcr. concl.* 1. *num.* 36. & *ſeqq.* Cùm id neque ratione dignitatis, neque ratione officii contingat, Gregor. *d. dec.* 310. *num.* 5. potius eſt abuſus, qui ex ambitionis radice erumpit, Ruin. *conſ.* 155. *num.* 11. *lib.* 4. cum aliis allegatis per Add. ad Gregor. *dec.* 124. *num.* 4. Cantores autem muſici nullam habent de jure dignitatem. Cantoria enim eſt ſimplex officium ex Barboſ. *de canon. & dignit. cap.* 4. *num.* 33. Sed proceſſionibus interſunt, ut ſerviant, & idcircò a beneficiatis ſtipendium accipiunt. Turpe enim eſt dominam ancillari, & ancillam dominari, ut ait Bald. *in cap. a memoria num.* 3. *ut lit. pend.*

9 Accedente præſertim pro beneficiatis poſſeſſione præcedendi, quæ habet juris aſſiſtentiam, nedum quia ſorſitan ſunt Sacerdotes, verùm etiam quia ordo beneficiatorum ſequitur immediatè ordinem Canonicorum, Rota in Hiſpalen. præeminentiarum 17. Junii 1613. coram Innocentio X. quæ eſt *dec.* 506. *n.* 3. *p.* 1. *rec.* & in d. Fanen. præcedentia ſuperiùs adducta.

10 Minuſque obſtat, ſi aliquot ex muſicis ſint beneficiati. Quia ſi velint proceſſionibus intereſſe, tanquam beneficiati, non eſt iis denegandus locus ſibi debitus, at ſecum adducere omnes alios muſicos, eoque in loco canere, & tanquam muſici ſtipendium accipere non debent. Si autem velint tanquam muſici intereſſe, nullum habent inter beneficiatos locum, neque poſſunt, niſi in loco muſicorum incedere, ſicut dicitur de Vicario generali, qui ſi intereſt choro uti Canonicus, non debet habere præeminentias Vicarii. Et de Epiſcopo, quando intereſt Capitulo uti Canonicus non præcedit Canonicos antea inſtitutos in Eccleſia, prout etiam Epiſcopus in ſtudio non præcedit Rectorem ſtudii, quia ibi intereſt uti ſcholaris, Gloſsa *in cap. a collatione de appell. in* 6. Abb. *in cap. auditis num.* 4. *de elect.* Felin. *in cap. ex literis in primo notab. de prob.* & Rot. *dec.* 288. *num.* 2. *p.* 1. *rec.*

Illud ſubjungo in gratiam muſicorum. Muſicus Eccleſiæ Cathedralis gaudet privilegio fori, Sacr. Congregatio Immunitatis in Urbevetana 28. Novembris 1653. 11

CONSULTATIO XCI.

Utrum in Eccleſia Cathedrali, vel Collegiata, in quibus paucus eſt numerus Canonicorum, & presbyterum, tolerari poſſit conſuetudo cantandi Miſſam conventualem feſtis diebus duntaxat?

PUto eſſe tolerandam. Ad inducendum enim obligationem Miſſæ Conventualis non ſufficit, quòd Eccleſia ſit Cathedralis, vel Collegiata, ſed inſuper requiritur, quòd habeat ſufficientem numerum miniſtrorum. Quis autem ſit ſufficiens numerus, Authores non docent. At ego illum eſſe cenſeo, qui ſufficit pro choro, & pro celebratione Miſſæ. Unde cùm pro Miſſa requirantur ſaltem ſeptem perſonæ, nimirum celebrans, diaconus, & ſubdiaconus, duo ceroferarii, thuriferarius, & acolythus, & pro choro, ſaltem quatuor, quia debet eſſe cum cantu, ſequitur, quòd ſaltem undecim inſervientes ſint neceſſarii, quamquam idem Clericus ſupplere poſſit pro acolytho, & thuriferario. 1

Nam Collegium tres faciunt, *l.* 85. *ff. de verb. ſignif.* Collegium, ut ſcribit Neratius Priſcus *titul. de verbor. ſignif. l. Neratius*, a tribus fieri poteſt, cùm pluries videantur in Collegio contineri. Sed cùm duo tantùm ſint Conſules, atque alter alterum collegam appellat, nonne dicemus Collegium Conſulum? Quandoquidem Collegium, & collega conjugata ſunt. Videtur dicendum nequaquam eos collegas vocari poſſe, qui pari, duorum videlicet numero habentur, cùm collegium non pauciores tribus conſtituant. Sed duo Conſules, qui tali poteſtate ſunt prædicti, & ſimul lecti, collegæ vocari poſſunt, quoniam modò ad corpus, modò ad munus, & officium refertur. Quando ad corpus, pauciores tribus Collegium non conſtituunt, quando ad munus, & officium, tunc ii rectè collegæ, qui pari in imperando poteſtate funguntur, etiamſi pauciores tribus ſint, Gædd. *in com. tit. de verb. & rer. ſign. l.* 173. *num.* 1. & 2. & obſervat Gloſ. *in cap.* 1. *verſ. dico de elect.* Bald. *in cap. fin. num.* 14. *de ſent. & re jud.* Et proinde poteſt Eccleſia eſſe Collegiata cum tribus. Immò poteſt Collegium Eccleſiæ reduci ad duos, vel etiam ad unum, ut advertunt Archid. *in can.* 1. *num.* 3. 10. *qu.* 1. ibique Gemin. Bellam. *num.* 5. Præpoſ. *item num.* 5. Turrecrem. *num.* 2. tradunt Card. *in cap.* 1. *num.* 4. *de elect.* Imol. *num.* 2. Dec. *num.* 17. Maſcar. *de prob. concl.* 585. *n.* 9. Collegium quippè per duos, immò per unum etiam conſervari, ac retineri poteſt, conſtitui non poteſt. Quia alia eſt ratio conſtitutionis, alia conſervationis. Et ideò in tali caſu non definet Eccleſia eſſe collegiata in actu, ſiquidem adhuc habebit collegium, & tamen non habebit miniſtros ſufficientes pro Miſſa conventuali. Cùm igitur obligatio non ſit ad impoſſibile, non tenebitur ad Miſſam conventualem. 2

Et ita quidem de jure reſpondendum videtur in hoc caſu: Quia licèt de recitatione Officii divini in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis extet poſt Sacros Canones diſpoſitio Concilii Tridentini *cap.* 12. *ſeſſ.* 24. *de ref.* adverti tamen debet, quòd inter Horas canonicas, quæ ſunt ſeptem, *cap.* 1. *de celebr. Miſſ.* Gloſ. *in Clem.* 1. *eod. tit.* Sylveſt. *in ſum. v. Horæ Canonicæ*, Navar. *de Hor. can. cap.* 3. *num.* 26. non connumeratur Miſſa conventualis, de qua Concilium nuſquam fecit mentionem. 3

Nec refert, quod iis, qui interſunt Miſſæ conventuali dentur diſtributiones quotidianæ juxta declarationem Congregationis Concilii, quia id intelligitur in Eccleſiis, ubi eſt conſuetudo cantandi hanc Miſſam, & pro 4

& pro illa habendi diſtributiones, atque ita cum ſuppoſitione, quod in Eccleſia extet obligatio miſſæ conventualis.

5 Sicuti etiam non obſtat, quòd S. Rituum Congregatio declaraverit, non debere omitti miſſam conventualem, ut cantetur miſſa aliqua votiva, ſublatis etiam contrariis conſuetudinibus. Quia id locum habet, ſuppoſita obligatione cantandi miſſam conventualem. In hoc autem caſu non exiſtit hæc obligatio quotidiana. Nam, ut ſuppono, ex ſtatutis Eccleſiæ non legitur, & ex Concilio nulla lex habetur, & contra hanc obligationem ſolùm inductam *ex c. cum creatura de celebr. miſſ.* præſcribitur ſpatio quadraginta annorum, quod ſufficit in quacunque materia contra jus, *cap. fin.* ibique Gloſ. ult. *de conſuet.* Hoſt. *num.* 13. Card. *n.* 27. Abb. *n.* 2. Buratt. *dec.* 19. *n.* 7. Rot. *dec.* 353. *n.* 2. *p.* 1. *rec.* Quinimmò in *d. c. cum creatura* Pontifex non imponit hanc obligationem ſed ſupponit illam exiſtere, & idcircò expreſsè mandat, quòd abſque ulla negligentia, & torpore celebretur conventualiter miſſa de tempore, ſive de feſto, ſive de feria, etiamſi celebretur aliquod anniverſarium defunctorum, & proinde non vult, quod loco miſſæ de tempore ſubrogetur Miſſa anniverſarii. Et ideò ſubintrat regula, quòd diſpoſitio proveniens ex aliquo præſuppoſito non habet locum, niſi præſuppoſitum comprobetur, *c. ſi Papa de privil. in 6.* Clem. *ſi ſummus de ſent. excom.* & obſervant Gloſ. *in l. mancipia, ff. de ſerv. fugit.* ubi Doctores, traduntque Alex. *conſ.* 126. *lib.* 5. Bero. *conſil.* 129. *n.* 9. *lib.* 3. Ludoviſ. *dec.* 28. *n.* 2. & Merlin. *dec.* 432. *n.* 2. Quia diſpoſitio præſuppoſitione alicujus rei, non diſponit abſolutè, ſed conditionatè, nempè ſub conditione de præſuppoſito, ut advertunt Menoch. *conſ.* 135. *n.* 12. alios allegans, Dec. *conſ.* 644. *n.* 15. Dec. *reſp.* 1. *n.* 16. *vol.* 1. Et ideò, ceſſante conditione præſuppoſiti, ceſſat etiam diſpoſitio.

6 Neque difficultatem ingerit diſpoſitio rubricarum Miſſalis Romani, quæ in *cap.* 15. ordinant quibus horis cantanda ſit miſſa conventualis. Quia rubricæ non præcipiunt cantari miſſam conventualem, ſed, ſuppoſita obligatione, diſponunt duntaxat circa horam. Unde, ceſſante obligatione cantandi, ceſſant etiam rubricæ.

CONSULTATIO XCII.

An debeat dici Miſſa conventualis pro defunctis feria ſecunda poſt Dominicam Paſſionis, quando Officium defunctorum recitatum eſt?

1 AFfirmativè cenſeo reſpondendum. Nam in aliis feriis ſecundis Quadrageſimæ ideò non dicitur ſecundùm rubricas, quia Oratio *Omnipotens ſempiterne* eſt communis pro vivis, & defunctis, quæ Oratio non dicitur poſt Dominicam Paſſionis. Unde videtur, ut concordet miſſa cum officio, quod debeat dici miſſa pro defunctis, vel Oratio *Fidelium*. Siquidem miſſa conventualis eſt pars officii divini, & collegiales ad ipſam obligantur, ut ad partem officii divini, ac proinde obligantur ad hanc qualitatem miſſæ ſub mortali, *cap. cum creatura, de celebr. miſſ.* Quia, dato quod rubrica non obligaret ad qualitatem Miſſæ præſcriptam, etiam quoad conventualem ſub mortali, collegiales tamen obligantur ad ipſam ex alio titulo, nempè beneficii, & fundationis. Ex hoc enim titulo, nempè beneficii obligantur ad celebrandum divina officia ſecundùm præceptum Breviarii, & Miſſalis, quibus utitur Eccleſia, atque adeò ratione oneris injuncti beneficio. Hic autem titulus infert obligationem gravem, quia materia eſt gravis. Quia finis legis eſt obſervatio perfecta ritus Eccleſiaſtici in celebratione divinorum officiorum, qui ſi talis non conſervetur in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, nuſquam conſerveretur, cum hæ ſint inſtitutæ ad hunc perfectum cultum.

CONSULTATIO CXIII.

An diaconus inſerviens in miſſa ſolemni poſt concionem, quæ haberi ſolet poſt Evangelium, conferre ſe debeat ante Epiſcopum, ibique confeſſionem dicere, & poſt publicam indulgentiam Epiſcopus dare debeat benedictionem?

1 LIcèt id caveatur in cœremoniali Epiſcoporum *lib.* 1. *c.* 9. & ad hoc etiam conferant diſpoſita *fol.* 139. & 230. nihilominus hæc diſpoſitio non videtur accommodari omnibus Eccleſiis, qui loquitur in caſu, quo Epiſcopus ſedeat in faldiſtorio apud altare, ut habetur *in d. c.* 9. *ſi fiat ſermo per Epiſcopum ſedentem in faldiſtorio apud altare, ſtatim finito ſermone, ipſe, ideſt diaconus, ſtans ad ejus ſiniſtram modicè inclinatus recitabit confeſſionem.* In pluribus autem Eccleſiis, quæ vaſta longitudine, & amplitudine ſunt, altare majus procul abeſt a faldiſtorio, ſive ſede Epiſcopi, ſita in choro, qui habetur in medio Eccleſiarum, ut propterea cùm in eundo, ſtando, & redeundo magnum temporis ſpatium ſit neceſſarium, hæc adeò longa divinorum interruptio eſt indecens, præcipuè ſi diaconus nunquam acceſſerit ad hanc confeſſionem recitandam, & ita ab immemorabili obſervatum fuerit, ſolamque benedictionem in fine miſſæ Epiſcopus dare conſueverit.

Hæc quidem ſedes Epiſcopi diſtans ab altari majori 2
operatur, quòd licèt ſecundùm cœremoniale *lib.* 2. *c.* 12. & *c.* 18. & *c.* 38. Epiſcopus teneatur deſcendere a faldiſtorio, & adire ſacerdotem poſitum ante altare majus in ultimo gradu presbyterii, & unà cum ipſo dicere confeſſionem, attamen, ut evitetur indecorum, cœremoniale in hac parte non obſervatur. Quæ conſuetudo tanquam rationabilis, ac immemorabilis certè ſublata non fuit per ipſum cœremoniale, quod ſolùm abuſus tollere intendit juxta plures reſolutiones relatas ab Aldan. *in comp. can. reſol. lib.* 1. *tit.* 23. *n.* 72. & a Barboſ. *in collect. apoſt. dec.* 78. *n.* 3. & 5. & *de Canon.* & *dignit. c.* 33. *n.* 24. & ita quoque reſolutum fuit præter declarationes ab iis adductas in Conſentina die 20. Novembris 1650. & in Viterbienſi 7. Julii 1612. & in Tropienſi 7. Junii 1617. & in aliis ſæpè, ſignatè in una Hiſpaniarum in hæc verba: *Quia in Eccleſiis Regnorum Hiſpaniarum ex antiqua.* & *immemorabili conſuetudine multa diverſo modo fiunt ab eo, qui in cœremoniali Epiſcoporum declaratur,* & *ordinatur, partim ex Apoſtolica conceſſione, partim ex diverſa Eccleſiarum, altarium,* & *chori ſituatione. Ideò ad inſtantiam,* & *pro parte omnium Eccleſiarum in Hiſpaniarum Regnis Sac. Rituum Congregationi ſupplicatum fuit declarari, librum cœremonialem Epiſcoporum nuper editum non tollere immemorabiles Eccleſiarum Conſuetudines. Et S. Rituum Congreg. ut alias ſæpè ad inſtantiam particularium Eccleſiarum, ita nunc ad inſtantiam omnium Eccleſiarum in Hiſpaniarum Regnis dictum librum cœremonialem immemorabiles,* & *laudabiles conſuetudines non tollere declaravit die* 11. *Junii* 1605.

Et ad hoc, ut rationabilis conſuetudo laudetur, non 3
eſt neceſſarium omni ex parte rationabilem eſſe, ſed ſufficit, quòd aliquo reſpectu talis ſit, ut ex ſententia Navarri docet Manriq. *de præced. quæſt.* 18. *num.* 12. *in fin.* Probatio tamen aliqualis hujuſmodi veritatis fieri debet per teſtes, etiamſi ſint ad perpetuam memoriam examinati, ut in terminis ad effectum obtinendi remiſſoriam, tradit Baſſad. *dec.* 3. *de delat.* & *dec.* 661. *numer.* 1. Gregor. *dec.* 163. *num.* 1. Merlin. *dec.* 15. *numer.* 3. Rota in Salisburgenſi, ſeu nullius juriſdictionis 26. Junii 1652. coram Royas *§. nec quidquam.* Concurrente præſertim ſimili conſuetudine aliarum Eccleſiarum Provinciæ, ſive Regni, Innoc. *in cap. fin. verſ.* 8. & *ſeqq. de offic. Archid.* Abb. *in cap. cum olim numer.* 4. & 7. *de conſuetud.* Mohed. *dec.* 3. *numer.* 2. *de decim.* & Rota *p.* 5. *rec. deciſ.* 389. *numer.* 10. Cùm etiam eandem ob cauſam Epiſcopus non ſoleat deſcendere a ſua ſede, & ante altare majus confeſſionem dicere cum celebrante, prout aliàs fieri debere idem cœremoniale diſponit. Quando enim datur quædam cauſa univerſalis, illa potius attenditur, quàm actus particularis, itaut obſervatio in illo particulari actu influat etiam in cæteros, ex eadem cauſa comprehenſos juxta theoricam Baldi *in l.* 1. *n.* 24. *C. de emancip. lib.* Rot. *dec.* 109. *n.* 3. *par.* 6. *rec.*

Unde diſpoſitio cœremonialis procederet, ſi Epiſco- 4
pus ſederet in faldiſtorio apud altare, in quibus terminis loquitur cœremoniale, inquiens: *Si fiat ſermo per Epiſcopum ſedentem in faldiſtorio.* Quia volens uti diſpoſitione qualificata, tenetur oſtendere concurſum illius qualitatis, *l. Præter* 2. *§. hæc autem actio*, cum ibi notatis, Rot. *dec.* 578. *num.* 2. *part.* 1. & *dec.* 229. *num.* 3. *p.* 2. *rec.* Buratt. *dec.* 417. *n.* 1. & poſt alias in Hiſpal. decimarum coram Eminentiſſimo Cerro, *§. quia*, ubi quod hujuſmodi diſpoſitiones qualificatæ, non oſtenſa qualitate, impedire non poſſunt manutentionem poſſidentis.

His tamen non obſtantibus reſpondendum eſt pro 5
obſervatione cœremonialis. Nam Epiſcopus habet intentionem fundatam in cœremoniali, & in Conſtitutione Clementis VIII. 69. quæ illud obſervari mandat.

Nec ſuffragatur reſponſio, quòd id non fuerit in uſu. 6
Nam reſpectu eorum, quæ conſiſtunt in mera omiſſione,

nullumque habent saltem implicitum, actum contrarium, qualis est iste, certum est non posse dari de non usu, sine observatione. Semper enim poni debent in usu ad instantiam petentis, ut optimè Alex. *conf.* 45. *n.* 5. *lib.* 2. Et præcipuè cùm eadem Clementis Constitutio disposita in cœremoniali in usu poni, ac deinceps observari jussit cum derogatione in specie cujusvis contrariæ consuetudinis, ut in §. 2. 3. & 6. habentque clausulam, *sublata*, & decretum irritans, ideòque non potest dari de illius non usu, immò neque de contrario usu, Rot. *dec.* 197. *num.* 3. & 220. *num.* 5. & 246. *num.* 1. *rec.* & Buratt. *dec.* 795. *num.* 3. ibique Add. *n.* 9.

7 Immò neque etiam in iis, quæ habent implicitum actum contrarium dari potest de non usu, vel de contraria observatione, quia contra Constitutionem Apostolicam non usus, aut contrarius usus induci nequit, nisi probata scientia Papæ, Rot. *d. dec.* 197. *n.* 3. & *dec.* 221. *n. pariter* 3. & *dec.* 220. *n.* 5. *p.* 1. *rec.* & *d. dec.* 795. *n.* 3. ubi etiam Add.

8 Neque obstat, quòd per cœremoniale non fuerint sublatæ consuetudines laudabiles, & immemorabiles. Tum quia in iis, quæ consistunt in pura omissione, sive in non usu, neque habent implicitum actum contrarium, nulla dari potest consuetudo ex quovis temporis cursu, ut per Alex. *dict. conf.* 45. *num.* 5. *lib.* 2. Quia cùm consuetudo sit communis actuum repetitio, & moribus utentium introducatur, *can. consuetudo d.* 3. & *can. ita nos* 25. *quæst.* 2. non potest introduci per actus negativos non faciendi, quod fieri potest, vel debet, ut cum Burgen. *ad l.* 1. *Tauri* notat Vasquez 1. 2. *disp.* 177. *c.* 6. *num.* 64. & juxta doctrinam, quam tradunt Bart. *in l. quominus n.* 17. *ff. de flum.* Cald. *conf.* 3. *de consuet.* Roland. *conf.* 53. *n.* 38. *lib.* 2. Coccin. *dec.* 401. *n.* 10. Rot. *dec.* 778. *num.* 5. *p.* 1. *div.* & *dec.* 536. *n.* 4. *p.* 2. *rec.* Multòque magis cùm omissiones consistunt in negativa, ad quem effectum est omninò necessarium, quòd petita fuisset observatio, & fuisset denegata cum acquiescentia Episcopo, Rota coram Seraphin. *dec.* 1102. *num.* & *dec.* 530. *num.* 2. & 3. *p.* 2. *rec.*

9 Tùm quia solùm consuetudines laudabiles simulque immemorabiles non sunt sublatæ, ut in declarationibus S. Rituum Congregationis. Hujusmodi autem omissio non est laudabilis, neque irrationabilis. Tum quia in omnem eventum necessaria esset probatio temporis immemorabilis, interim autem donec ea fiat, non potest executio cœremonialis retardari, ut eadem S. Congregatio pluries resolvit apud Barbos. *in collect. Bullar. v. consuetudo*, & *in collect. dec. apostol. collect.* 222. *n.* 2.

10 Neque sufficit, aliqualem dare probationem ad retardandum juxta citatas resolutiones. Nam per eas quoque decernitur, exequutionem cœremonialis non retardari, donec immemorabilis probatio facta fuerit. Addo, quod in iis, quæ pertinent ad divinum cultum, Episcopi antecessores non potuerint quidquam in præjudicium Ecclesiæ permittere, neque etiam in iis, quæ pertinent ad præeminentias potuerint præjudicare successoribus, Grat. *discept.* 298. *n.* 9. Unde ex hoc etiam quòd objectum est circa non usum nullius est momenti, cùm ea, in quibus cœremoniale observationem diligenter exquirit aut ad divinum cultum pertinent, aut ad præeminentias.

11 Quare qui ad consuetudinem nos vocant, si ad rectam, sequamur, si ad eam invitent, quæ est depravata, nihilo magis sequemur, nisi cùm erit necesse, sequi in cæteris rebus mala exempla. Nam ea quoque cùm aliqua vis urgeat, inviti sequimur. Neque enim Lysippus artificum priorum potius est vitiosa sequutus, quàm artem.

12 Minusque obstat, quòd Sedes Episcopi sit distans. Etenim cœremoniale duos ponit casus. Primus est, cùm sermo habetur per ipsum Episcopum, sedentem in faldistorio apud altare, & ibi confessionem recitari mandat. Secundus est, cùm sermo habetur per alium. Et quia tunc Episcopus sedet in suo solio, jubet quòd diaconus apud infimum solii gradum eodem tono confessionem faciat, ut in cœremoniali. Igitur sive sedeat in faldistorio, sive in solio, confessio semper est recitanda. Unde, quamvis propter vastitudinem Ecclesiæ solium, seu Sedes Episcopi longè distet ab altare majori, non propterea cœremoniæ statutæ omitti debent. Quia ubi est Sedes Episcopi, ibi etiam existunt sedes dignitatum, & Canonicorum. Et sicut diaconus ab altare accedit ad solium, sive ad Sedem Episcopi tot aliis vicibus, quot præcipit cœremoniale, nempè ad accipiendum benedictionem tempore cantus Evangelii, ad præbendum ei deosculandum missale post Evangelium, ad habendum benedictionem thuris, ad eum thurificandum, & hujusmodi multa sicut etiam accedit ad thurificandum Canonicos, & reliquum Clerum ibi sedentes, & nulla consideratur interruptio divinorum, ita quoque debet accedere ad dicendum confessionem post concionem, ex quo nil oritur indecori, sed honor Clerici, & incrementum devotionis in populo.

CONSULTATIO XCIV.

1 *An omnes Canonici accedere debeant ad excipiendum Episcopum ex aula, sive cubiculo, cum pontificaliter celebraturus ad Ecclesiam progreditur?*

2 *An cum Episcopus accedit ad Ecclesiam non celebraturus, sed ut divinis assistat, debeat a Canonicis excipi, atque reduci usque ad cubiculum sui palatii?*

3 *An Episcopo ingredienti Ecclesiam debeat porrigi aspersorium a Canonico?*

4 *An Episcopus in processionibus semper incedere debeat medius inter presbyterum, & diaconum, non autem inter duos choros Canonicorum?*

5 *An omnes Canonici, & alii de choro debeant facere circulum Episcopo, dum in sacrario sacris vestibus induitur pro missa pontificali, seu processionibus?*

AD primum: Ita sanè, quia ita disponitur in cœremoniali *lib.* 1. *cap.* 15. sub initio. Quod intelligi debet dummodò Canonici non convenerint in chorum ad recitandum Horas, & Episcoporum Ecclesia non ingrediatur tempore, quo illæ recitantur. Tunc enim non tenentur Canonici chorum deserere, sed sufficit aliquot ex illis obviam ire Episcopo, eumque in valvis Ecclesiæ excipere. Quòd si nihilominus dignitates, & Canonici, usque ad Episcopi cubiculum accedant, ibique eum excipient, satius adimplent suam obligationem, Sell. *in select. c.* 3. *n.* 126. 1

Ad secundum: Si consuetudo immemorabilis est, ut Episcopus excipiatur, & reducatur usque ad atrium, & ultimum gradum scalæ sui palatii longè distantis ab Ecclesia, illa pariter in futurum observanda esse videtur. Tum quia Sac. Rituum Congregatio anno 1603. in Tiphernatensi declaravit cœremoniale esse intelligendum de loco deputato per Episcopum. Verba declarationis sunt ista. 2

Cùm domus Episcopi Tiphernatensis licèt non contigua cathedrali Ecclesiæ, eidem tamen sit satis vicina, ut notissimum, & Sacr. Congregationi Rituum, constat, eadem Sac. Congregatio, ut aliàs sæpè in similibus, ita nunc ad instantiam Episcopi præfati declaravit, teneri Capitulum, & Canonicos in habitu canonicali accedere ad domum prædictam, ipsum Episcopum cappa indutum a camera, seu loco deputato in eadem domo ad Ecclesiam cathedralem assotiare quotiescunque Episcopus ad eandem Ecclesiam solemniter celebraturus, vel ut divinis officiis assistat, accesserit, & finita missa, seu officio ipsum in eodem habitu ad eundem locum reducere. Quotiescunque verò Episcopus in Ecclesia cathedrali pro sua devotione missam planam celebrare voluerit, debere duos canonicos ejusdem Ecclesiæ juxta antiquam, & laudabilem consuetudinem hactenus servatam, eidem assistere, & ministrare. 3

Atque adeo ex longæva consuetudine videtur, quòd Episcopi illum locum deputaverint. Et ita etiam indicant verba cœremonialis, ibi: *Ex ea aula, seu camera, quam ad hoc destinaverit.* Aulæ namque appellatione intelligitur propriè atrium palatii ex Valla. Idque præsertim si camera palatii longè absit ab Ecclesiæ janua, in quo casu propter longam absentiam canonicos non teneri assotiare, declaravit eadem S. Congregatio apud Barbos. *de canon.* & *dignit. c.* 33. *num.* 4. Ubi quòd tunc assotiatio fieri debet ex aliquo loco ad id deputato propè Ecclesiam, vel in Ecclesiæ ipsius atrio, aut scalis. Quare cùm inoleverit immemorabilis consuetudo excipiendi Episcopum in atrio, vel atrium illud dicendum est aula, vel saltem locus ille, qui ad hunc effectum destinari debet, ac destinatus præsumitur, ut præclarè per Rot. *dec.* 225. *n.* 4. ubi quòd actus in dubio præsumitur factus juxta formam, & modum prioris determinationis, & *num.* 6. & posterius factum, declarat in dubio prius actum, Bald. *conf.* 245. *vol.* 3. Cyriac. *contr.* 146. *n.* 54. & Greg. *dec.* 511. *n.* 8. 4

At nihilominus affirmandum est ex clarissima dispositione cœremonialis *d. cap.* 15. *lib.* 1. Ad consuetudinem verò immemorabilem responsum est alibi. Illudque certum est, atrium non esse aulam, sive cubiculum. Nam atrium est prima pars domus, quæ continet mediam aream, in quam collecta ex omni tecto pluvia descendit, Gell. *lib.* 15. *cap.* 5. Alex. ab Alex. *lib.* 3. *c.* 6. & *lib.* 5. *c.* 24. 5

Gra-

Grapald. *de partib. ædium cap.* 1. disertè D. Hieronymus, *atria*, inquit, *non sunt quidem domus, sed aliqua habent fundamenta*. Et de atriis, intramus domum, ait Vitruvius. Unde atrienses, & atriarii, quorum meminit Alph. *in l. lege censoria de verb. signif.* & Ulpian. *in l.* 1. *de exerc. ff. naut. caup. stab.* & *in l. sed si quid in princ. ff. de usufr.* Aula verò est principium domus, vulgo regia, Seneca, Valla *lib.* 4. *c.* 85. Grapald. *l.* 1. *c.* 6. Cel. *lib.* 7. *c.* 5. Cœremoniale autem non loquitur de atrio, sed de aula, sive cubiculo, quod neoterici cameram appellant, quo significatu accipitur *in c. qua fronte extr. de appel.* Ulp. *in l. cum fuerit, de cond.* & *dem.* quam ad hoc Episcopus destinaverit.

6 Ad tertium: Negativè respondendum videtur in illis Ecclesiis, in quibus consuetudo immemorabilis est, ut aspersorium porrigatur a suo Capellano cum vase argenteo, & propterea consuetudo hujusmodi tanquam prævalens cœremoniali est observanda.

7 Verùm servanda est dispositio cœremonialis *d. c.* 15. *lib.* 1. Et quoad consuetudinem, cùm illa sit omissio ipsius cœremonialis sine admistione actus contrarii, non sufficit, licet, longæva. Non asserimus tamen, quòd antiquior, seu dignior Canonicus porrigat aspersorium, sed quod dignior inter associantes id faciat, & sic prima dignitas, si adsit, alioquin secunda, & sic deinceps. Nulla verò existente dignitate, antiquior Canonicus ex præsentibus. Quare de re aliàs prolixè.

8 Ad quartum: Affirmativè respondendum videtur ob dispositionem cœremonialis *c.* 32. *lib.* 2. Sed advertendum est, quod cœremoniale loquitur in casu, quo Episcopus in processionibus incedat paratus vestibus pontificiis, sicuti patet ex illis verbis: *Et ultimo loco procedet Episcopus paratus pluviali, mithra, medius inter duos assistentes paratos, &c.* & *manu sinistra baculum pastorale gestabit*. In plerisque autem Ecclesiis, quando Episcopus ita incedit, semper fuit exceptus medius eo modo, quo cœremoniale disponit, sed difficultas est, quando non incedit hoc modo paratus, sed cum sola cappa chori. Et in hoc casu immemorabilis quarundam Ecclesiarum fuit, illum excipere medium in choro Canonicorum inter duos præeminentiores consimilem cappam chori deferentes. Quæ consuetudo videtur servanda tanquam immemorabilis. Tum pariter quia casus hic fuit a cœremoniali omissus, & propterea decidi debet juxta consuetudinem, etiam quòd non esset immemorabilis, præcipuè quòd summam rationem habet, nempè similitudinem, & æquabilitatem habitus juxta distinctionem casuum. Valdè enim indecens foret, videre Episcopum indutum solo habitu chori inter duos paratos habitu sacerdotali.

9 At hæc animadversio non sustinetur. Quia, cùm ponat Episcopum inter duos choros Canonicorum, non autem inter duos præeminentiores, sicque post Episcopum subsequantur plures Canonici, & dignitates, manifestum est, etiamsi ille paratus esset cappa, non autem pluviali, non esse ponendum inter presbyterum, & diaconum, vel ire in loco decentiori. Et hoc casu si non deberet incedere inter presbyterum, & diaconum, non deberet eis præire, sed primus incedere post eos. Cessatque difficultas ex eodem cœremoniali *lib.* 2. *c.* 32. præbente in processionibus eundem locum Episcopo, etiam cum sola cappa incedenti.

10 Ad quintum: Respondendum videtur, quòd debeat observari cœremonialis *c.* 21. *lib.* 1. & *c.* 8. *lib.* 2. atque adeò affirmandum est, dummodò tamen consuetudo immemorabilis Ecclesiæ non sit, ut Episcopo assistant, & circulum faciant illi canonici, & dignitates, qui ei in pontificalibus assistere debent, necnon aliquot beneficiati presbyteri, qui ei pariter assistunt induti vestibus presbyteralibus ex consuetudine, quæ eò magis est observanda, quia consentit quoque consuetudo aliarum, & quia dignitates, & canonici sunt numerosi ita ut sit penè impossibile, quòd totus clerus possit circulum facere in sacrario, sicuti mandatur *d. cap.* 8. Consuetudinem autem immemorabilem præservatam esse, nec ullatenus a cœremoniali abrogatam, sæpiùs dixit S. Rituum Congreg. & non aliàs.

11 Neque obstat, quòd donec probetur immemorabilis, debeat impleri dispositio cœremonialis. Quoniam id procedit, cùm de materia articulata non datur aliqualis probatio, secus autem si per testes informiter examinatos æqualis probatio detur. Tunc enim exequutio retardatur, ut distinguendo in omnibus materiis exequutivis, & privilegiatis, retardationem non admittentibus, sæpiùs judicavit Rota, ut in terminis exequutionis literarum Apostolicarum est *dec.* 362. *n.* 2. & 3. *p.* 3. *rec.* Seraph. *dec.* 298. *n.* 1. & 3. & in judicio spolii, Put. *dec.* 405. *in fine lib.* 2. & in judicio exequutionis obligationis cameralis Zacch. *de oblig. cam. qu.* 17. *n.* 79. Ridolf. *in pr. p.* 2. *cap.* 11. *num.* 128. Et in judicio attentatorum, Cassad. & Put. relati per Adden. ad Burat. *dec.* 4. *n.* 11. & affatim in Assisien. dotis 14. Decembris 1640. coram Royas, ubi quòd stante fumo, remissoria conceditur ad retardandum in judicio, quantumvis exequutivo, & privilegiato. Præterea si velimus inducere observationem cœremonialis ante discussas probationes immemorabilis, quamplures Ecclesiæ planè perturbarentur.

Neque obstare videtur, quòd immemorabilis consue- 12
tudo induci non possit ex sola omissione, dum non docetur Episcopum instituisse, ac fuisse sibi denegatam præstationem eorum, quæ a cœremoniali jubentur. Quia dum agitur de immemorabili, sufficit probare omissionem, seu non præstationem servitii prætensi, cùm eadem immemorabilis habeat vim privilegii Apostolici, & cujusvis melioris tituli ut in specie respondendo ad hoc objectum dixerunt Tob. Nonn. *cons.* 47. *n.* 1. & 3. Joseph Ludovic. *dec. Peruf.* 116. *n.* 4. & 5. Efficacia enim immemorabilis removet necessitatem ostendendi petitionem, & negationem in juribus negativis, Rot. in Hispalen. decimarum 26. Junii 1647. coram Corrado. Et propterea corruit quoque objectum ex eo, quòd una cum omissione concurrant actus positivi contrarii per Episcopum in ejus actuali obsequio admissi. Sicque non versemur in omissione simplici, & pura. Pro fumo autem non est necessaria plena probatio, sed sufficit aliquod judicium, vel signum, sive species, vel præsumptio probationis faciendæ, ex quo animus Judicis concipere possit, remissoriales non temerè, & calumniosè peti, ut per Mandos. *commis.* 25. *de remissor.*

Verùm concedamus id ita se habere, dicimus tamen, 13
quod omissio non est consuetudo, solùmque consuetudines laudabiles non sunt sublatæ; hujusmodi autem omissiones non videntur laudabiles, neque rationabiles. Quare observandum in omnibus cœremoniale, cum habeat vim legis, Menoch. *cons.* 52. *num.* 145. Gratian. *discept.* 298. *num.* 83. Lott. *lib. q.* 16. *n.* 123. Rot. *dec.* 647. *n.* 1. & *seq. p.* 8. *rec.* Et quamcunque consuetudinem tollat præter immemorabilem, rationi innixum, ut patet ex diplomate illius confirmationis, ac firmatur *in d. dec.* 647. *n.* 11. & *seq.* debetque etiam observari, donec cognoscatur de consuetudine, ut resolvit S. Rituum Congregatio in Portugallensi relata a Barbos. *de Canon.* & *dignit. cap.* 32. *num.* 21. *in* 3. *dub.* 3. & *num.* 23. de quo ille, & nos alibi sæpiùs.

CONSULTATIO XCV.

An odor, quo corpora, vel reliquiæ Servorum Dei redolent, miraculo sit adscribendus?
Et quid de illorum incorruptibilitate?

QUod ad primum. Negandum videtur. Tum quia 1
potest oriri ex aliquo unguento odorato, quo cadaver illinitur, sicut de Hectoris cadavere dixit Homerus *Iliad.* 23. cujus etiam meminit Scacc. *myroth.* 1. *c.* 25. *lit. D.* Tum quia nequit dici supra vires naturæ creatæ, cùm Bonest. *de excel. homin.* & Beyerlinch. *in theatr. vit. hum. lit. S. tit. odores exalati sub lit. F.* asserant, cadaver Alexandri Magni, jam tumulatum, talem fragrantiam emisisse, ut theca aromatica videretur, quem pariter Q. Curtius, & Plutarchus in ejus vita tàm præstantis temperamenti fuisse scripserunt ex commentariis Aristaxani, ut ejus membra, atque os suavissimum odorem exhalarent, adeòut tunicæ interiores mirabili fragrantia complerentur. Hinc & sudor ejus fragrans, & medicus fuit. Quod ex recentioribus testantur Kornmannus *de mirac. vivor. exempl.* 3. Levinus Lemnius *de occult. natur. mirac.* & Beyerlinch. *loc. cit. lit. C.*

Nihilominus id totum miraculo adscribendum esse, do- 2
cet D. Gregorius Nyssenus *ser. de S. Theodoro*, ubi loquens de pulchritudine ac suavitate corporis ipsius post mortem, sic ait: *Corpus verò venerabile, ac intemeratum illius animæ organum, quod illius inhabitantis incorruptionem non læsit, honestè sacro in loco, velut pretiosissimum monile regenerationis temporis adservatum jacet, ut nulla ejus comparatio sit cum corporibus reliquis, quæ communi, ac vulgari morte dissoluta sunt. Nam reliqua quidem cadavera, etiam vulgò abominabilia sunt, nemoque lubens tumulo propius viator accedit. Ex his omnibus, pia plebs discite, quod pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Nam unum quidem ac idem corpus omnium hominum est, ex una massa conflatum, verum quod vulgari more extinctum est, ut vulgare, projicitur: Quod autem gratia inclaruit, ita est amabile sic concertantibus animis expetendum, ac ambiendum, ut superior oratio ostendit.*

3 Quare conſtita ſufficienter facti veritate, dubitari non poteſt, quin iſte odor è corporibus, vel reliquiis Servorum Dei emanatus reſpectu illius, in quo fit, excedat vires totius creatæ naturæ, ideòque ſit inſigne miraculum. Cùm enim ex cadaveribus defunctorum putrefactioni ſubjectis non odorem, ſed fœtorem potius oriri conſtet, hinc eſt, quod ſemper hujuſmodi ſuaves odores è cadaveribus Sanctorum prodeuntes ad ſanctitates illorum referuntur. Ex hac enim fragrantia corporis mortui, illiuſque odoris ſuavitate oſtenditur in illo corpore authorem ſuavitatis exiſtere, ut refert D. Gregorius *homil.* 38. & Div. Bernardus *ſerm.* 43. de paſſione Domini quærens quare poſt paſſionem, & mortem corpus Chriſti Domini odorem effuderit, ſic ait: *Eſt autem adhuc cauſa, quare tanto Crucifixus odore fragraverit, moditus, vel nullus eſt odor corporis cujuslibet animalis viventis, ſed cum igni caro appoſita fuerit, quàm ſuavis, quàm delectabilis, unde odoris fragrantia procedat, nullus ignorat. Attendamus ergo, quis & quantus ignis corpori noſtræ vitæ appoſitus fuerit. Fragrabat interius incendio charitatis, exterius paſſionis ardore.* Et paulò ſupra in eodem ſermone. *Mirabilis, & ſupra quam poteſt credi, aut cogitari inæſtimabilis eſt iſte odor vitæ noſtræ. Floruerunt & alii Sancti palmites, in quibus ipſe profectò floruit.* En quomodo odorem corporis Chriſti a charitate, & paſſione derivat Div. Bernardus, & ſimiliter odorem palmitum, qui ſequuti ſunt vitem Chriſti.

4 Hoc ipſum tradit D. Thomas *p.* 3. *qu.* 38. *art.* 5. *ad* 2. ubi notat, quod bonus odor pertinet ad repræſentandum effectum gratiæ. Quia ſicut bono odore Chriſtus repletus fuit ſecundùm illud *Geneſ.* 27. *Ecce odor filii mei ſicut odor agri pleni*, ita etiam a Chriſto derivatur ad ſuos fideles, & amicos juxta illud Pauli ad *Corinth.* 2. *Odorem notitiæ ſuæ ſparſit per nos in omni loco, quia Chriſti bonus odor ſummus Deo.* Quem locum Apoſtoli commentatur Gilbertus Abbas *ſerm.* 33. *in Cantic.* ſic dicens: *Benè ungitur qui gloriatur in Domino. Benè olet, per quem Dominus glorificatur coram hominibus. Ideò fœlix anima, ad quam ab ipſa veritate tàm excellens commendatio profertur. Odor unguentorum tuorum ſuper omnia aromata, odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris.* Per veſtimenta autem intelligit idem Abbas *ſerm. ſeq.* corpus, quod in vita fuit bonis operibus refertum. Unde Eccleſia exultans præ gaudio de gloria filiorum ſuorum canit: *Sancti tui, Domine, florebunt ſicut lilium, & ſicut odor balſami erunt ante te.* Admiſitque Rota *in relat.* S. Ludovici Bertrandi *mirac.* 2. & S. Thereſiæ 3. *mirac.* S. Iſidori *mirac.* 1. B. Paſchalis Baylon. *mirac.* 3. poſt eorum mortem.

5 Sed tamen, quod omninò firmat magnitudinem hujus miraculi, ſunt verba Joannis XXII. in Bulla canonizationis S. Thomæ Aquinatis, ubi hoc miraculum in ſpecie approbat, & laudat primo loco inter miracula ejuſdem Sancti poſt obitum. Ea ſunt hujuſmodi: *Sicque vita ejus atteſtaretur miraculis, & illius miracula vitæ teſtimonium præberent, de quibus pauca de multis in Dei laudem, & Sancti hujus commendationem, & ædificationem fidelium idoneis approbata teſtibus ſubnectemus. Poſt ſeptimum namque menſem vel circiter a die obitus ipſius Sanct. Thomæ de Aquino cum corpus ejus, quod in Capella S. Stephani dicti monaſterii per idem tempus ſepultum extiterat, ad ſepulchrum ejuſdem primum deferre exinde decreviſſent, in apertura ipſius ſepulchri ejuſdem Capellæ S. Stephani tanta fragrantis odoris ſuavitas emanavit, quod totam ipſam Capellam, clauſtrumque ipſius monaſterii, quod diffuſum eſt mira eadem ſuavitate replevit, quæ de ipſius corpore, prout ex ſollicita, curioſaque monachorum indagine eſt repertum mirificè fundebatur. Hanc ſimilem fragrantiam poſt ſeptem annorum ſpatium quidam ex teſtibus, quidam verò poſt quatuordecim annorum ſpatium ſenſiſſe ſe referunt, dum corpus ipſum diverſis ex cauſis per temporum vices ſedulò inſpexiſſent. Quippè odor carnis ejus munditiem Deo acceptam exprimebat, orationum ejus odoramenta repræſentabat, famam quoque ejus claram diffuſione virtutum, & illarum aromatum non celabat.*

6 Similis quoque odor pro miraculo approbatus fuit in Bulla Canonizationis S. Raymundi Barcinonenſis inter Conſtitutiones Clementis VIII. 77. §. 51. *cum ſeq.* his planè verbis: *Neque verò hæc odoris fragrantia eo ſolùm tempore ex ejus corpore manavit, ſed ex aperto quoque ejus ſepulchri meatu idem ſuavis odor quandoque efflatur, qui ab iis ſentitur, quos divina bonitas eo munere dignatur.* Et Paulus V. in Bulla canonizationis Sanctæ Franciſcæ Romanæ *Conſtitut.* 45. alias 28. §. 21. ſic ait: *Simili miraculo, quo Sanctorum ſuorum corpora non ſemel honoravit, Franciſcæ etiam corpus honorare dignatus eſt Dominus. Tantis enim odoribus fragravit, ut omnia odoratis floribus referta viſa fuiſſe, acta teſtantur.* Et Gregorius XV. odorem hunc uti mirificum declaravit in canonizatione S. Thereſiæ *Conſtit.* 20. §. 10. ubi: *Sed è ſepulchro ejus odor adeò ingens, & mirificus emanabat, ut decretum fuerit ſacrum corpus exhumare.*

Hic porrò ſuavis odor infallibile ſignum Sanctitatis eſt. 7
Quia ſicut Deus Setvos ſuos virtutum omnium odoribus fragrare fecerat in vita, ita quoque poſt glorioſam eorum obdormitionem in ſanctitatis teſtimonium ſuaviſſimi odoris exhalatione mortalium ſenſus permulcet, quemadmodum de tumulo Deiparæ Virginis memorat S. Joannes Damaſcenus, dum præſentibus Apoſtolis, aliiſque viris religioſis apertus fuiſſet, ſacro corpore in Cœlum ſublato, ex illis tamen linteaminibus ſepulchralibus, ac floribus repertis non ſine omnium admiratione ineffabilem odorem prodiiſſe compertum eſt. S. Hieronymus poſt decem ferè ab obitu S. Hilarionis menſes a S. Heſichio illum Majomam translatum aſſerit, inventumque tantis fragrantem odoribus, ut delibutus unguentis putaretur. De S. Mercurio Martyre ita ſcribit Metaphraſtes: *Poſt ejus conſummationem factum eſt corpus martyris album ſicut nix, emittens ſuavem odorem unguentorum, & ſuffituum, & propter hoc ſignum multi ſunt Chriſtiani.* Cùm S. Svvidberti corpus elevaretur, maxima dulcedine odoris in eodem loco effuſa eſt fragrantia, cujus ſuavitas omnium ora, & corda adſtantium reficiebat itaut, nullus ambigeret ibi adeſſe choros Angelorum. S. Uberti Leodienſis Epiſcopi corpus poſt multos annos repertum eſt pro tabe, atque putredine, quam ut moris eſt, mortalium corpora defuncta contrahere ſolent, ſuavi aromatum odore fragrare. Ex ore S. Hedvigis, Duciſſæ Poloniæ, quam Clemens IV. Sanctorum albo adſcripſit, tertiò ab ejus obitu die priuſquam ſepulturæ mandaretur, ſuaviſſimus odor præſentitus eſt, & die 16. anno 1628. quo ſacrum ejus corpus translatum fuit, aperto ſepulchro odor mirificus omnium nares complevit, animoſoque ſtupore, & gaudio replevit.

Quod etiam de corpore S. Dominici refert D. Anto- 8
nin. inquiens: *Patefacto ſepulchro, ſuaviſſimus odor omnium ſubitò nares, & animos tanta voluptate complevit, ut non defuncti corporis buſtum, ſed præſtantiſſimorum unguentorum apotheca patuiſſe videretur.* De beato illo mendico Servulo Gregorius Magnus *lib.* 4. *dialog. cap.* 14. & 16. hoc omninò teſtimonium fert: *Sancta illa anima exeunte, tanta illic fragrantia odoris aſperſa eſt, ut omnes qui aderant inæſtimabili ſuavitate replerentur.* Amita Gregorii Turſilla jejuniis, ac precibus ad ſublime ſanctitatis faſtigium pervenit. Hæc funeri vicina compluribus fatalem lectulum ſtipantibus, ſubitò: *Recedite*, ajebat, *recedite, Jeſus venit.* Nec ab hoc adventore oculos deindè vel minimum deflexit, & in hunc obtutum fixiſſima migravit è vita. Beatam hanc mortem, Gregorio teſte, locus ſubitò fragrans, tàm nobili ac exotico thure redoluit, ut hæc odoris ſuavitas eo veniſſe oſtenderit. Beatus ipſe Hieronymus cum jam fato conceſſiſſet, corpus exanime ſplendorem inſolitum præ ſe ferens, odorem ſuaviſſimum alabat. B. Edilttudis regii ſanguinis virgo, ut eſt apud Bedam *lib.* 4. *hiſtor. Anglic. cap.* 19. cùm ab obitu ſexdecim annis ſepulchrum mortua habitaſſet, eo demum aperto, ſpiranti ſimilis reperta eſt. Inuſitatum vitæ colorem in vultu odorem ſuaviſſimum mirificè commendavit. Simeon Stylites, quod perdius, & pernox ſtaret, vermibus ſcatere vivus cœperat, mortuus officinam aromaticam repræſentabat, ut in ejus vita. Turonenſis Præſul Martinus apud S. Sulpitium in ejus vita oculis, a morte jam clauſis, ita radiabat vultu, fragrabat corpore, ut ad immortalitatem tranſiſſe citius facilè fidem faceret. Ita quoque Barii olet ſuaviſſimè brachium S. Gregorii Nazianzeni, & Neapoli in Deiparæ Virginis Annunciatæ majore Baſilica afflat Paradiſi ſuavitates caput S. Barbaræ Virginis, & Martyris. Mammilla verò S. Agathæ Virginis, & Martyris, quæ intra Sacrarium eſt Baſilicæ S. Petri in Galatino, miſcellaneam fragrantiam roſarum, liliorum, violarumque, & nunc horum, nunc diſſimilium florum agere ſolet, quaſi odorem agri pleni. Diceres adhuc S. Petrum hujus Beatiſſimæ Virginis curare mammillas, ac ei cœli ſuaveolentiam conferre. Eandem ſuaviſſimi odoris fragrantiam de corpore Sanctorum Franciſci de Paula, Bennonis Miſnenſis Pontificis, Philippi Nerii, & aliorum prodiiſſe paſſim res geſtæ illorum aſſerunt. Immò, & viri etiamnum è ſqualidiſſimo carcere producti Martyres eum nonnunquam odorem ſparſerant, ut idolatræ unguentis delibutos crederent apud Baronium *anno* 179.

Ratio autem eſt, quoniam cadavera corrumpuntur, 9
quia

quia corpus humanum componitur ex contrariis. Corruptionem autem naturaliter sequitur fœtor, cùm illa ex caloris nativi extinctione oriatur. Cùm enim calor humidum non moderetur, & concoquat, non potest effici odor, qui est qualitas ex siccitate superante humidum. Hinc fructus acerbi nihil, maturi benè, putridi malè olent. Non quia non sunt cocti hi, sed quia extincta, aut superata mediocri coctione ulteriori opera calor intensus addidit id, quod supra odorem illum erat. Quare miraculum hoc cum excedat vires totius naturæ creatæ quantum ad substantiam facti puto cum Auditoribus Sacr. Rotæ *in relat.* 1. *art.* 4. *de miracul.* B. Theresiæ *mirac.* 2. post mortem, referendum esse ad primum gradum ex notatis a D. Thoma *p.* 1. *q.* 105. *ar.* 8.

10 Nec data possibili unctione corporis odorata poterit exinde inferri, odorem illum perseverasse in ossibus ac reliquiis illius per quamplures annos, quin potius consumptis vestibus, carnibus exiccatis, & in pulverem redactis talis odor omninò evanescere debere. Neque poterit ex illa tàm suavis fragrantia prodire. Tum quia vincitur odor ille ab insuavitate loci, & a putore cadaverum. Tum quia oleum, & oleosa, quæ analoga vocant philosophi, rancida fiunt. Tum etiam quia esset tantummodò odor naturalis nullam præbens spiritui gratam consolationem, & suavitatem. Odor autem emanans è corporibus Servorum Dei omnium animos spirituali consolatione permulcet. Quod est signum, quo in his rebus semper dignoscitur suavitatem cœlestem esse ac mirificam.

11 Minùs ad rem faciunt exempla in contrarium adducta. Non relata a Schacco. Solùm enim unguentum illitum fuit cadaver Hectoris, ne protractum vepribus atque saxis laceraretur, aut derelictum a canibus discerperetur, ut refert idem Scacchus *pag.* 233. *lit. D.* Neque alia. Primò, quia argumentum ab exemplis penitus tollitur ubi non adest omnimoda similitudo in eo, ad quod fit comparatio. Tunc enim ob defectum similitudinis dicitur argumentum valdè fragile, ac mancum, quamvis dimissilitudo sit perpauca, ut per Everard. *in loc. a simili num.* 7. cujus rationem tradit Baldus *in l.* 1. *sub init. ff. de just. & jur.* Quia similitudo est recta adaptatio, quando fit processus ab uno particulari ad aliud particulare per aliquod, quod est commune utrique per eandem rationem, adeòut extrema sint habilia, scilicet extremum a quo, quod debet esse certum, & extremum ad quod, quod est dubium, ut aliàs diximus. Idque ex eo reputant Everard. *loc. cit. num.* 11. & Negusant. *responsi.* 215. *num.* 19. Secundò, quia historiæ antiquorum Gentilium solent erroribus scatere, ut etiam alibi annotavimus, & ex aliis D. Augustinus *de Civit.* ac fusè prosequuti sunt Picus Mirand. *tract.* 2. *lib.* 7. *in exam. cap.* 37. Vives *lib.* 6. *de cauf. corrupt. art.* Balduin. *lib.* 1. *de institut. hist. fol.* 65. Philipp. Camer. *centur.* 1. *hor. suciss. cap.* 49. Titelman. *discurs. de histor. delect. cap.* 8 & 9. Quapropter Reynerus *in præfat. ad chron.* Alberti Abbati Stradensis: *Pandunt*, inquit, *historiæ fontes, non quidem illos semper limpidos, sed velut a tempestate, vel nimbo alicubi turbidos, & cœno coinquinatos.* Videndumque est quo animo historici accesserunt ad scribendum, *fidele enim*, ait Div. Hieronymus *epist. ad Salvinum, testimonium est, quod causas mentiendi non habet.* Quod si multi sunt, quemadmodum thesaurum nummi adulterini non augent, sic testium quantumvis copiosus numerus, iniquam accusationem æquam non reddit. Non numero historicorum, inquit Baron. anno 1125. veritatem historiæ consuevimus æstimare, sed quanta fide posset esse author cujuslibet assertionis. Nam reliquos primum sequi authorem, & ejus vestigiis inhærere frequentiùs in more positum reperimus. Si verò sunt vetusti, veritati non præjudicat antiquitas, ut tradit Heliodor. *Æthiop. lib.* 10. Si denique magni fastigia dignitatis non respicit æquitas, sed is regnat in judicio, qui probabilioribus utitur rationibus.

12 Hinc Authores in causa mortis Alexandri Magni dissentiunt. Alii enim veneno, alii nimia meri ingurgitatione, alii febre illum extinctum fuisse affirmant, ac proinde multò magis de iis, quæ post ejus mortem cadaveri acciderunt, dissentire possunt. Conveniunt tamen omnes ex ejus ore, atque cute, dum adhuc vivebat, gratissimum emanasse odorem, non autem post mortem, ut Plutarchus in ejus *vita* Diodorus *lib.* 17. Ælianus *variar. histor. lib.* 13. Curtius *lib.* 10. Rhodiginus *l.* 22. *antiq. lect. c.* 20. & *l.* 29. *c.* 17. Cujus odoris ratio non una. Prima referebatur ad fervidam atque igneam ejus corporis constitutionem. Calidas quippe regiones aromatum, & odoratæ mercis feraces esse novimus. Tantò enim ejus corpus caloris insiti vigore præcellebat, ut humidum quodcunque perfectè in coquendo suavem generaret odorem. Nam odor ex Aristotele 2. *de anim. text.* 10. est qualitas secunda resultans ex mistione intensioris siccitatis, & minus intensæ humiditatis. Secunda: Ita odoribus delectabatur, ut non solùm mirrha, aliisque odoriferis suffitionibus sibi fumicari volebat, sed etiam pavimentum pretioso unguento vinoque benè odorato conspergebatur, teste Atheneo *lib.* 12. *cap.* 18. ipseque primus odorum luxuriæ, Græcis eousque incognitam invexit, quando inter cætera Darii spolia scrinium pretiosorum unguentorum accepit. Plin. *lib.* 13. *c.* 1. Quare non esset mirum, si post mortem ab ejus cadavere, toties olentium aromatum suffitibus imbuto, ante putrefactionem aliquis odor perciperetur. Tertia. Alexandri cadaver fuit Ægyptiis, & Caldæis, ut illud suo modo curarent, traditum. Ii veluti primi in condiendis mortuorum corporibus inventores, tantò cæteris in hoc munere præstabant, ut mortuorum corpora exiccando tanquam Ænea illa reddebant, Baron. *Martyrolog.* sub die 5. Augusti. Illa condiebant myrrha, aloe, sale, cera, bitumine, & aliis. Eorum conditura fiebant intrinsecus, corpore exenterato, & cerebro per nares extracto. Hebræi verò unguento, & corpori aromata extrinsecus applicando, deinde fasciis involvendo, quod & Ægyptiis tribuit Herodotus, mortuos suos curabant. Ejus igitur corpus suo more purgaverunt, repleveruntque odoribus, Curt. eodem *lib.* 10.

Quod verò ad secundum: Hanc quæstionem fusè, 13
atque exactè agitat Gaspar. de Rejes in suo *Campo Elis. qu.* 34. ubi docet incorruptionem cadaverum naturaliter provenire posse vel ex dæmonis artibus, vel ex unguentis, vel ex loci natura, vel ex corporis habitu, sive temperamento, vel etiam ex mortis genere. Potest enim, ait dæmon corpora non solùm intrare, ipsaque jam defuncta velut animare, in ipsis loqui, ambulare, & omnia illa, quæ vivens homo faciebat, promptius exequi, sed etiam corpora a putredine reservare. Quod multis modis præstare posse non dubitat. Sicut ut suorum cultorum affectatam sanctitatem vulgò suaderet, illorum corpora, ne putrescant, & in ignem projecta, ne in cinerem redigantur, prohibuit, ut de quodam Guidone de Lachia narrat Bernardus Luxeburgiens. Ne aliter accidisse credit ea, quæ de corde Germanici Cæsaris narrat Plinius *lib.* 11. *cap.* 37. quod, reliquo corpore igne consumpto, cremari non potuerit. Ut de altero gladiatoris corde Zuinglis Helveti nomine scribit Thuanus *lib.* 1. *hist.* aut quod de pollice Pyrrhi idem Plinius tradidit *lib.* 7. *c.* 2.

Ex quibus infert, quòd sicut in particulis hæc præsti- 14
tit, ita corpora integra aliquando interesse, & a putredine diutius libera servasse. Manente ejus adhuc corporis mortui organismo, potest dæmon, velut vestem homo, corpus organizatum subintrare, & ad voces, & verba fauces reformare, non tamen ad longum tempus, quia naturam corporis fluxilem sine anima vegetabili in robore debito sustinere non potest, quin adlentato humore citò corrumpatur, admirandæ, si veræ sunt, testantur historiæ. Apud Delrium *lib.* 2. *magic. qu.* 29. notissima est illa, quam de Cornelii Agrippæ commensali refert, quem antea ab ipso dæmone suffocatum, ac mortuum ejusdem Agrippæ jussu in illius corpus ingressus a Musæo ad forum usque Lovanii nocte sustulit, aliisque notis obviam factus aufugit, qui regebat veterator, concidente statim cadavere. Et licèt dæmon multas illusiones in cadaveribus facere consueverit, quemadmodum de multis, quos apud Gentiles revixisse creditum est *sect.* 1. ejusdem *quæst.* idem Delrius affert, tamen corpora defunctorum aliquando intrando ea diù gestasse, ac nulla putredine corrupta conservasse ex admiranda quadam historia colligitur, quam ut certissima ex Nicolao Remigio citato loco ipse Delrius adducit. Constat enim ex ea, dæmonem per integrum annum pueri cadaver incorruptum gestasse, quem pater, ipso dæmone ejusdem etiam succubo instigante, antea falsis promissionibus deceptus interfecerat. Pereus etiam *lib. de divinat. gener.* huic non admodum dissimilem historiam refert de cythariстria Bononiensi virgine, & ex eo Kornman *cap.* 10. *p.* 2. *de mirac. mort.*

Patet igitur ex prædictis, dæmon corpora illa gestas- 15
se, & ne corrumperentur diutiùs præcavisse. Quòd non aliter quàm naturalibus mediis utens efficere potest, vel motu locali noxia pellendo, vel medicamentorum vi juvantia applicando. Quod sanè credere difficile non erit, cum omnium naturalium rerum vires, quarum efficacia incorrupta corpora servari possunt probè noscat, & quando velit promptissimè adhibere possit, ut etiam tenet Torreblanca *in epit. delict. lib.* 1. *cap.* 14. *a num.* 1.

16 Subditque deinde, quod quando remediis naturalibus hoc a dæmone præſtatur ſine illius opera eodem modo multipliciter hæc corporum integritas, & incorruptibilitas accidere, aut procurari poterit, & de facto multa cadavera a longo jam tempore humata, cùm iterùm effoſa eſſent, integra fuiſſe narrantur. Paulus Zacchia ſcribit *lib.* 4. *tit.* 1. *quæſt.* 9. *num.* 13. Superioribus annis in Templo D. Cæciliæ Tranſtyberim inventam Cardinalis cujuidam Angeli corpus undequaque integrum, nullaque labe contaminatum, qui jam a trecentis annis deceſſerat. Alterum ait Bononiæ in Eccleſia D. Dominici inventum integrum, nihilque labefactatum, quod Alexandri Tartagini Juriſconſulti clariſſimi fuiſſe dicebatur, qui a centum quinquaginta annis mortuus fuerat. Idem narrat de Bonifacii Octavi corpore, cùm vetuſtiſſimum S. Petri Templum demoliretur, exhumato. Platerus *lib.* 1. *obſerv.* matronam quandam poſt multos annos integram inventam fuiſſe refert. Sed quia multoties, & multis in locis hoc viſum eſt, plures hiſtorias congerere non oportet. Satis multa collegit Kornmannus in opere ſupra citato. Hanc ſolam addit idem Gaſpar ut antiquiſſimam, & rariſſimam, quàm in Eliacis narrat Pauſanias *lib.* 5. propè finem de milite quodam, cujus cadaver inventum eſt vulneribus adhuc recentibus apparentibus, cùm tamen ante Olympiades 62. vel annos 310. circiter obiiſſet. Sed de hac re admiranda in Martyribus noſtris paſſim, ut mox ſuo loco.

17 Deſcendentes poſtea ad cauſas, inquit, quòd ad cauſas attinet naturales hujus effectus varios ab Authoribus aſſignari, & in primis loci ac ſitus temperiem naturalem, aut ſtellarum vim communicatam, ut præ nimia ſiccitate, & frigore putredini reſiſtere valeat, vel propter exalationes aliquas inde emanatas, quæ medicamentorum vim, ſimilem effectum producentium, æquent. Nec aliter Pauſanias *lib.* 5. *ſcript. græcor. in Olymp.* ſcribit hominem in Junonis Eliæ Templo inter tabulatum, & ſcandalare tectum inventum fuiſſe, nulla putredine aut fœtore correptum, ut de alio integro cadavere armato meminit Ariſtarcus.

18 Sunt quippe, inquit, loca aliqua admirandæ virtutis, quæ naturaliter effectus præſtant rariſſimos, quorum cauſam non facilè aſſequi poſſumus. In occidentali Conaſtię ſolo inſula quædam poſita eſt, ait Giraldus Cambrenſis *cap.* 6. cui nomen Arnan, in qua hominum corpora nec humantur, nec putreſcunt, ſed ſub dio expoſita permanent incorrupta. Hic omnes avos, & atavos, & tritavos longamque ſtirpis retrò ſeriem mirantes conſpiciunt, & cognoſcunt. Ajunt ex D. Bernardi conſervatione talem illi obtigiſſe dotem. Similiter inter quoſdam Indiæ occidentalis montes carnes ſervari incorruptas ſcribit Cardanus *lib.* 7. *de rer. variet. c.* 39. Quod etiam juxta Cruſcum Urbem accidere ait ita ut equi a menſibus quatuor jam mortui tàm recentes, & ſine fœtore inveniantur, ac ſi ſtatim mortui eſſent. Audiviſſe etiam inquit idem Gaſpar a viro fide digno, qui occidentalem illam Indiarum plagam diutius frequentavit, vidiſſe in arenoſa planitie, quæ inter Limam, & Truſilium poſita eſt, multa Indorum corpora ſub die expoſita, quæ è ſepulchris erupta fuerant, exicata, & nulla putredine corrupta. Quod etiam Philippus Camerarius adnotavit *centur.* 2. *cap.* 70. & ex Paludani medici eximii opinione ad venti meridionalis vim refert. Quod in Chilienſi provincia præcipuè accidit, ubi hic ventus peculiaris eſt. Quin, & in ſeptemtrionalibus locis Kſoviam fuiſſe Urbem ex Laurentio Mullero narrat idem Camerarius, in qua Templum egregiis conſtructum fornicibus, in quibus repoſita cadavera minimè putreſcent, & idem Gyraldus, aliique Scriptores de Inſula quadam Momoniæ ſcribunt in ea nec hominem, nec aliud animal unquam aut mortuum fuiſſe, aut mori poſſe, quod Abraham Ortelius Coſmographus diligentiſſimus verum eſſe confirmat. Aliam etiam Inſulam in eadem Provincia prædicti Authores memorant, in quam quidquid fœminei ſexus ingreditur ſive mulier, ſive aliud animal, ſtatim moritur.

19 Ex his autem concludit. Si igitur in variis terræ locis mirandæ hæ inveniuntur proprietates, quæ in fontium aquis non minoris admirationis etiam viſuntur, de quibus paſſim apud plures mentio fit, quid mirum, ſi cadavera incorrupta conſervandi vis aliquibus in locis inveniatur? Cùm præſertim terra qualitatibus polleat putredini reſiſtentibus, quibus corruptionem aliquatenus arcere valeat. Hac ratione forſan motus doctiſſimus medicus Felix Platerus *in centur. poſthum. quæſt.* 9. auſus eſt dicere, corpora terræ mandata, ſi altè defoſſa fuerint, minimè putreſcere, & poſt plures menſes, quin annorum etiam ſpatii exactis rurſum integra ſpectari arida, ſiccaque, ut fumigiatæ carnes videantur. Quare ait, longè melius terra ipſa, qua nil ſiccius exiſtit hujuſmodi corpora, quàm pice, aut ſale a putredine præſervari, Magnateſque increpat, quod neglecto hoc vindicandi a putredine facili modo, artificialibus aliis utantur. Nec alia ratione putandum plumbeos ſarcophagos inventos, niſi quòd ſiccitate, & fulgore, quibus plumbum pollet, corpora a putredine maximè præſervare poſſint.

Et quoad corporis temperamentum ait, cadaveris ipſius temperiem, & ſtatum talis alicujus diſpoſitionis ratione eſſe poſſe, ut per quam diù putredini reſiſtere valeat, dictamque diſpoſitionem multis modis poſſe acquiri. Siquidem vi morbi, ut in conſumptis, tabidis, & emaciatis, & hectica, maraſmoque affectis, tota penè corporis humiditas caloris, & ſiccitatis morboſæ vi depaſta, & aſſumpta in cauſa eſſe poteſt, ut quod reſiduum carnis relinquitur ſiccum, & humoris expers remaneat, ac tanquam fumo induratum diù putredine non infeſtetur. Vel etiam ſi ex parſimonia, & auſteritate talis reſultet diſpoſitio, dum tenuiſſimo victu, & nutrimento ſuſtentato corpore, ob debitæ quantitatis alimoniæ defectum naturalis calor, qui pabulo neceſſario indiget, omnem corporis humorem lambat, ac devoret, & velut arefactum quod reliquum eſt dimittet, quo tempore humido omni prorſus deficiente, homo tandem extinctus pereat, quemadmodum in Anachoretarum, & Diſcalceatorum fratrum defunctis corporibus, apertis ſepulchris, ubi diù antea poſita fuerant, non raro obſervatum eſt. Nimia quippe ſobrietas, & cibi abſtinentia morbis præcipuè, qui ex putredine oriuntur, obſiſtit, & ad omnem corruptionem viam intercludit, nec ſolùm dum vita manet, ſed in cadaveribus etiam eundem præſtat effectum. Hac ratione Perſæ, qui ut Xenophon ait, pane, naſturtio, & aqua tantùm victitare ſolebant, ſicca corpora, nullaque crudorum humorum ſarcina repleta, ſibi parabant, & nec tuſſi, aut narium phlegmate vexabantur. Quare apud ipſos, eodem narrante, nares emungere magnum erat opprobrium. Hinc factum eſt, ut cum circa Amidam Civitatem, quam Sapor Perſarum Rex oppugnaverat, Romanorum, & Perſarum corpora ad ſepulturam requirerentur per Deſcenium Tribunum, animadverſum ſit, Romanos, cæteroſque Erupæos quatriduo putrefactos, atque corruptos eſſe, ut non facilè qui fuerant, dignoſcerentur. Hunc enim terminum eſſe ad cadaverum corruptionem ex ſacra pagina *Joan. cap.* 11. colligi poteſt in hiſtoria Lazari, de quo ſorores ad Salvatorem, qui illum ſuſcitare decrevérat, ſic dixerunt: *Quatriduanus eſt jam fœtet.* Cùm è contra Perſarum corpora velut ſiccata ligna dureſcere invenirentur, ut ex Ammiano Marcellino tradunt Rhodiginus *lib.* 29. *antiquar. lect. cap.* 24. Partior enim vita, relinqueſcerent membra, aut ſanie perfuſa madeſcerent, effecerat. Quod de patre ſuo refert Cardanus *lib.* 8. *de rer. var. c.* 40. cujus corpus poſt viginti annos cùm lapis inſcripto epitaphio reponeretur, vidiſſe ſe ait, ablumptis tantùm labiorum, naſi, & oculorum ſummitatibus.

Quòd verò ad mortis genus ait, fulmine tacta cadavera, ut Plutarchus, & Seneca tradunt *in natur. qu. lib.* 11. *c.* 37. putredinem non ſentire. Quod forſan magis credendum, quàm quod Plinius aſſerit, minimè cremari eorum corda, qui vel cardiaco morbo, vel veneno perierint, quod fabuloſum eſſe ſupra ipſe de Rejes retulit. At non ita ait de fulmine tactis, cùm in hoc ratio naturalis non deficiat. Poteſt enim caloris vis corporis humiditates abſumere, ut putredini reddantur inepta. Poteſt occulta vis fulminis corporis ſubſtantiam ita fixam ac indiſſolubilem reddere, ut non ſolùm putredini, ſed defluxioni quoque reſiſtat. Neque hoc mirum, ſi vera ſunt admiranda multa, quæ de fulgurum incredibilibus effectibus narrantur, de quibus vide Cardanum *lib. de fulmine*. Quare quod corpora a fulmine tacta putredini reſiſtant, credere non dubitandum, cùm ex rebus aliis, quæ majori exſicandi, & adſtringendi vi præditæ ſunt, eundem effectum cauſari tanquam certiſſimam doctiſſimi affirmant Scriptores, ut de veneno externo interfectis corporibus, quæ non putrefieri tradit Cardanus *lib.* 12. *de ſubtil.* unde eamdem verminationem non experiri docet Seneca *in natur. qu.* nec a feris, aut avibus tangi ſcripſit Plinius *lib.* 2. *c.* 62. Quare nec putrefieri, ut certum tradit Fort. Fidelis *c.* 31. *de relat. medic.* cui conſentit Alexander Taſſonus *lib.* 9. *q.* 2. ubi mulieris veneno ſublatæ hiſtoriam narrat, quæ a morte ita riguit, ut in petram verſa videretur. Quin, & Alexandri Magni corpus, quod poſt ſeptimum diem ita inputre fuerit inventum, ut Q. Curtius narrat *lib.* 10. magnam inde ſuſpicionem aſſumpti veneni dediſſe creditur. Et ob

ſimiles

similes adversus putredinem qualitates clavum ex ære chalcitide conflatum carnibus quibuscumque fixum, eas diù imputres conservare scripsit Plutarchus *lib. 3. symposi. cap. ult.* Quod experientiæ respondere affirmat Langius *epist. 36. lib. 2.* & ex Cardano refert Kornmannus *part. 2. capit. 37.* Hac forsan ratione ducti prisci illi Ægyptii in defunctorum corporibus imagunculas quasdam æreas condere solebant, non tàm suorum idolorum devotione, quàm ut ipsa a putredine vindicarent, ut latius docent Philippus Camerarius *oper. subcis. cent. 2. capitul. 70. & 71.* & Kornmannus *part. 3. mirac. de mort. cap. 7.*

22 Præter jam dictas causas, aliam non solùm Astrologi, sed aliqui quoque medici adducunt, astrorum nempè influxu, & virtuti hoc fieri posse credentes, ut Ruis de Fontecha, qui mortis tempore talem aliquando planetarum influxum dari posse ait, qui corpori influens putrefactioni ineptum reddat, unde post multorum annorum decursum absque ullo miraculo integrum reperiatur. Ad quod, inquit, adjuvare potest sepulchri situs, & positio, quæ ad aliquam cœli, & stellarum partem determinatam respectum sortiatur. Nec propterea dicendum perpetuò in eodem sarcophago, quod alienis etiam corporibus accidere debere, cùm nec influxus continuò inveniatur, nec dispositio in omnibus eadem, sine qua nulla causa suum effectum producere valet.

23 Quo quidem stante, asserit, lithopædium illud, seu è lapide factum infantem, qui in mulieris Senonensis utero talem duritiem contraxit, cujus historiam Thuamus, & Jo: Albosius describunt, & ex medicis afferunt Augerius *lib. 2. de hom. part.* in fine, Schenkius *lib. 4.* Sennertus *lib. 4. part. 2. sect. 4. cap. 8.* Licetus *lib. de monstr. caus. cap. 45.* Horstius, & plures alii, ob prædictam astrorum vim sic lapideum factum, & in matris utero per viginti octo annos gestatum, non immeritò idem Fontecha suspicatur, quamvis Augerius, & Sennertus plures alias hujus eventus causas adducere conentur, & quod magis est, hodie adhuc corpusculum illud Agendici prætereuntibus miraculi instar ostendit ait Licetus, putredinis expers.

24 Et ad astrorum vim rediens ait, difficilè credi non debet, quòd illorum influxus quadam in parte aliquid magnum operetur, a quo nil alia quantumvis vicina participent, quia quantum ad influentiam multum distant. Nam quemadmodum in circulo lineæ, quæ a centro prodeunt, licèt propè centrum proximè sint, tamen cùm a circuli circumferentia discedant, a seipsis multum distant, sic ob varia Zenit, quæ contigua existunt quoad cœlestem influxum per plura milliaria differunt, ut hinc etiam causam discamus, quare domo aliqua pestilenti lue multum laborante, in vicinis nil mali sentiatur. Zenith lineæ perpendiculares, quæ perniciem huic infundunt, licèt ab una origine prodeant, multum tamen in circumferentia distant, ut quod huic communicare valent distantissimis admodum locis per aliam lineam, & non in vicinia impertiantur.

25 Quare, subjungit, non est, cur planetarum ingentem vim in hæc inferiora negemus, cùm a matheosis professoribus illorum potentiæ particularia multa adscribantur, quorum causam, nisi ad astra recurratur, haud facile est invenire, & quoad humana speciem nativitatis, & obitus hora, eorum operationes magis imprimi certum est ob dispositionem, quam imbecilia morientium, & infantium tenella corpora sortiuntur, ut nunc faciliùs ob resistentiæ defectum qualitates eorum suscipiant. In cujus rei confirmationem meminit historiæ, quæ legitur apud Stephanum Rodericum *lib. 1. cap. 17. metheoris microcosmi* cui similes aliæ apud alios leguntur, ut Polystrati, & Hippoclidis apud Valerium Maximum, Medardi, & Gerardi apud Fulgosium, cujusmodi aliàs affert Gordenius *part. 5. de prognost. cap. 7.* Ex quibus probat, multum conducere influentias, & syderum constellationes ad proprietates, & affectiones individuales. Præter quæ etiam notatu dignum asserit, ac maximè admirandum, quod *lib. de nativit. infant.* scribit venerabilis Beda in anno scilicet tres esse dies ac noctes, in quibus qui nati fuerunt, corpora illorum absque dubio integra, & incorrupta manebunt usque in diem judicii. Sunt verò dies vigesimus septimus Januarii, & trigesimus ejusdem, & decimus tertius Februarii, de quibus inquit, suum mysterium mirabile est valdè. Sed de hoc alii judicent. Vide interim præ cæteris Zacchiam *in qu. medico leg. lib. 4. tit. 1. qu. 10. a num. 3.* & Torreblancam *jur. spirit. lib. 1. cap. 7. a num. 2.*

26 Ex his omnibus patet conclusio, qua idem a Rejes asserit, si corpora humana integra, & incorrupta inveniantur, post multos licèt annos effossa, miraculo statim hoc minimè tribuendum, cùm ex aliis causis naturalibus jam dictis provenire possit. Quare corporis tunc incorruptibilitatem, tanquam proprium sanctimoniæ, virtutis, & inculpatæ vitæ signum perpetuò habendum minimè existimandum est, nisi ex aliis actis, & notis, prævisisque aliis rebus, probitas, & morum integritas constet, quibus stantibus, si corpus taliter incorruptum inveniatur, magnum jam ad virtutem agnoscendam, & ad miraculosam causam indicium sese prodere colligendum est. Hoc tamen idem author animadvertit, virtute præditorum hominum non esse hoc perpetuum signum, cùm in pauciissimis inveniatur. Nec etiam in omnibus Sanctorum corporibus hæc corporum integritas desideranda est, nam putrefacto licet corpore, potest quis Deo maximè gratus esse. Sancti enim non abhorrent fœtorem naturæ, sed culpæ. Unde sicuti corruptio virtutis opinioni non officere debet, ita incorruptio, nisi ex aliis multis virtus constet, ad ejusdem probationem nil efficiet. Non enim omnes mortui putrescunt, etiamsi causæ ratio nos lateat. Infinita quippè penè sunt quorum rationem assequi nequimus. Adducit in exemplum cadaver nostri invictissimi Imperatoris Caroli V. post annos 96. incorruptum repertum, labe nulla, nulla temporis edacitate, aut putredinis carie infectum, nullis etiam balsamis, aut medicamentis collinitum. Quod pluribus prosequitur *num. 26.* Atque hæc ferè ex Gasparo de Rejes.

Audiamus præterea, quæ de Burcolaca apud Græcos narrat Allatius *de quorund. Græcor. opinat. num. 12.* Burcolaca est pessimi hominis, & facinorosi, sæpeque etiam ab Antistite suo excommunicati cadaver, quod non ut reliqua demortuorum corpora de fossa dissolvuntur, atque in pulverem abeunt, sed quasi ex firmissima pelle constaret per omnes sui partes intumescit atque distenditur, ut vix flecti aliqua sui parte possit, sed vitis tanquam tympanum, extensa, eundem ac tympanum, si pulsatur sonum edit, &c. Sicque Græci ex indissolutis hisce cadaveribus excommunicatum arguunt.

At summè mirificum est, quod asserit Emanuel Malaxus Peloponesius *in histor. de Patriarchis Constantinopolitanis cap. 9.* de Maximo. Tempore Patriarchæ Gennadii Scholarii vidua quædam a Sacerdote relicta, pulchritudine conspicua quæstum corpore haud obscurè vulgato fecit. Patriarcha re cognita increpavit ipsam, diligentissimè monendo, finem faceret peccandi, quò pœnitentia acta veniam consequeretur. Sed id frustra fuit, muliere laxioribus habenis se ad libidines incitante. Patriarcha interim non cessat a redarguendo, & objurgando, ne id seorsim solùm, sed etiam apertè coram proceribus sacris & Clericis. At illa misera diaboli instinctu Patriarcham accusat, eum quando ipsam ad secretam colloquutionem accersierit conatum esse ad nefarium facinus vi pertrahere. Ipse atrocioris criminis accusatione audita, totus obstupuit. Patriarcha quid faceret? Aliud nihil remedii erat, nisi hoc: Quodam dominico festo accersitis Pontificibus, & Clero liturgiam facit, eaque finita, clarissima voce dicit: Si illa verba, quæ sacerdotis vidua in ipsum dixit, vera sunt, se ei ignosci a Deo, & felicitatem dari, ejusque mortuæ dissolvi corpus precari. Sin autem confecto crimine indignissimè ipsum calumniata sit, se tenere ipsum è sacro piorum grege eliminatam, veniæ exortem, & indissolubilem voluntate, & judicio Dei omnipotentis. Hæc ille. Nec diu gladius divinæ ultionis emansit, sed (ò rem miram!) die deindè quadragesimo dissenteria ipsam abscidit, ac pessimè mortuam, & humanatam, terra corpus ejus non dissolvit, verum tàm inconsumpta, integraque remansit, quàm erat quando sepeliebatur. Sed ne crines quidem capitis ejus ullatenus defluxerant, verùm perindè ipsa se habebat, ac mulier aliqua viva, nisi quod non loquebatur, & tamen multi anni a condemnatione excommunicationis ejus abierant.

Et antea dixerat idem Emanuel *cit. cap. 9.* Inter cætera etiam hoc dixerunt, quoscunque christiani Pontifices, & Sacerdotes legitimè ob peccatum aliquod admissum sacro cœtu ejiciant, nec omittant eos, dum in vivis sint, emendare, ut expientur ab illo lapsu, propter quem ejecti fuerunt, eorum cadavera ita in exilio spiritali mortuorum non dissolvi a terra, sed remanere, tympanorum instar inflata, nec si mille etiam transierint anni, omninò a terra consumi, sed restare integra, sicut humata fuerint, &c.

Porrò, sive dicamus cum Fernelio *lib. 2. de abdit. rerum caus. cap. 10.* quod res unaquæque putrescit, cùm ejus temperie sensim dissoluta, proprius, nativusque calor, qui omnia regit, & continet, evincitur, ac deficit sive ab ambiente calore dissipatus, sive a frigido, aut ab alienis qualitatibus extinctus Refrigerato, & extincto calore, naturalis, & aqueus humor dominatur, undique 27

dique redundat, & diffluit, quippe nec jam aliunde coercitus, nec ficco temperatus, caloriſque vi, ac dominio deſtitutus computreſcit, cui comes eſt fœtor, & graveolentia, omniaque tandem, quæ putreſcunt infirmum, ac cinerem extabeſcunt. Sive dicamus cum D. Thoma *in 3. part. quæſt.* 51. *ad* 1. ubi Suar. putrefactionem cujuſcunque corporis provenire ex infirmitate naturæ illius corporis, quæ non poteſt amplius corpus continere in unum, & diſponitur ad putredinem, quia, exhalante calido naturali, ſupervenit calor extraneus, qui putrefactionem cauſat. Sive cum Scaccho *de not. & ſign. Sanctit. ſect.* 11. *cap.* 3. §. *ſed ratione* eſſe præcipuus cauſas corruptionis in cadavere calorem extraneum & pinguedinem corporis, quæ cum humiditate ſuperflua polleat, & humidum facilè corrumpatur, quò major erit pinguendo alicujus cadaveris, eo magis corruptibilitati ſubjacebit. Excrementa quoque quæ in ventre, & viſceribus cadaveris exiſtunt, ejuſdem facilitant corruptionem.

28 Sive denique cum aliis, quòd ambientis calor calefaciendo corpus miſtum aperit, & relaxat, relaxatione facta internus egreditur, & foras trahitur, atque ita diminuitur. Calore autem egrediente ſecum quoque trahit humidum naturale. Cùm autem per exitum calor naturalis diminuatur, interna frigiditas incipit augeri, & ſupra calorem dominari, qua dominante in calorem naturalem agit, ipſumque uſque adeò remittit, quòd non poteſt amplius retinere humidum cum ſicco. Unde humidum quaſi ſui juris factum diffluit, & a ſicco disjungitur. Ad hanc autem humidi ſecretionem, paſſivorumque diſſolutionem ſequitur corruptio mixti, & ſolutio remanet pulvis, & terra. Ex quibus voluit Ariſtoteles *in lib. de mort. & vit. cap.* 14. quod putredo ſit naturalis, quia competit miſto, ut miſtum eſt, & ſecundùm ejus naturalem diſpoſitionem, quia cùm miſtum genitum ſit per unionem, & miſtionem humidi cum ſicco, dominante calore aptum natum eſt corrumpi per diſſolutionem humidi a ſicco, deficiente calore. Unumquodque enim naturaliter diſſolvitur in ſua componentia.

29 Quod clarius expreſſit clariſſimus Sennertus *in epit. nat. ſcient. lib.* 3. *cap.* 3. his verbis: Cùm autem putredo miſtorum generationi opponatur, facilè è generationis cognitione in putredinis notitiam perveniemus. Totam miſtionis, ſeu generationis miſti naturam in debita humidi cum ſicco conjunctione, quæ a calore, in certo gradu conſtituto, fit, conſiſtere dictum eſt, & cùm eadem generationis, & converſationis miſti cauſa ſit, tandiù miſtum etiam in ſuo ſtatu naturali durabit, quandiù debita, & juſta humidi, & ſicci permiſtio ſub juſto caloris dominio conſiſtit. Interitus verò miſti ex humidi, & ſicci diſſolutione proficiſcetur, hæc autem orietur ex caloris naturalis abolitione, aut imminutione. Calor naturalis imminutus, aut abolitus, partes ſiccas cum humidis junctas amplius retinere non poteſt. Cauſa autem, quæ naturalem calorem debilitat, eſt calor ambientis corporis, qui ſi fortior eſt, naturalem educit. Calor enim naturalis ambiente calore auctus, proportionem, quam ad paſſivas habere debet, amittit, & propterea evaporat, & miſtum deſerit, quo tanquam rectore deſtitutæ partes humidæ, & ſiccæ ſeparantur humidumque cum calore, tanquam ejus vehiculo, ad exteriora fertur, & evaporat, atque ita fit putrefactio, quæ ſola corporis miſti, quatenus miſtum, naturalis eſt interitus, id eſt, qui fit ſecundùm leges naturæ univerſalis, quæ miſta omnia voluit interitui eſſe obnoxia, & in elementa, ex quibus conſtant, tandem reſolvi. Sicut violentus interitus eſt, quando mutatur totum in unum elementum, quod fit combuſtione, vel etiam nimia frigiditate, ut nonnullis placet. Et paulò inferiùs: Diverſitatem tamen aliquam in rerum putrefactione eſſe ex varia miſtorum putreſcentium natura, & conſtitutione, quorum alia magis, alia minus, alia ſecundùm totum, alia ſecundùm partem putreſcere dicuntur, concedimus. Perfectè enim, & ſecundùm totum ea putreſcunt, quæ planè in elementa, ex quibus coaluerunt, reſolvuntur, itaut reliquis omnibus elementis evaporantibus, tandem nihil, niſi terra remaneat, atque hoc modo, ea omnia, quæ plurimum terræ obtinent, putreſcunt.

30 Imperfectè autem, & ſecundùm partem ea putreſcunt, quæ plus humidi obtinent. Cùm enim humidum, quod in his magis abundat, totum cum calore educi non poſſit, ſaltem partes ipſius aliquæ, præcipuè tenujores, & ſubtiliores, educuntur, reliquæ ſervantur, atque hæc putredo ſecundùm partem appellatur, cujus tamen eadem, quæ putredinis ſupra definitæ natura eſt. Fit enim etiam in ea caloris interni ab externo corruptio. Hoc modo putreſcunt vinum humores in noſtro corpore, elementa tria, aer, aqua, terra, quatenus non ſunt pura, & modo quodam cum aliis miſta. Ignis ſolus non putreſcit ob hanc præcipuè cauſam, quod nihil ſit ipſo calidius, quod ejus calorem corrumpere, & evocare poſſit, &c. Nulli dubium eſſe poteſt, quin cadaveris incorruptio miraculo fit adſcribenda (iis, qui cum fama ſanctitatis obierunt) ex D. Thoma *d. quæſt. art.* 3. *ad* 2. ubi ait, quod etiam corpus Chriſti quantum ad conditionem naturæ paſſibilis, putrefactibile fuit, licèt non quantum ad meritum putrefactionis, quod eſt peccatum.

Accedit alia ratio corruptionis corporis humani, adducta ab eodem D. Thoma *in opuſc.* 2. *cap.* 252. in principio, nempè quòd corpus humanum ex contrariis eſt compoſitum. Omne enim hujuſmodi naturaliter eſt corruptibile. Tum etiam quia corruptio, & putrefactio, provenit homini etiam in pœnam peccati primi parentis. Sicut enim mors fuit pœna illius peccati, ita etiam diſſolutio compoſiti. Dictum enim fuit primo homini: pulvis es, & in pulverem reverteris, Geneſ. 3. Unde ſicut homo non poteſt evadere mortem, ita nec putrefactionem, niſi ſit aliquid prohibens, ut notat D. Thom. 3. *ſentent. d.* 21. *quæſt.* 1. *art.* 2. *ad* 4. Quare cùm ex probationibus apparuerit corpus alicujus ſervi Dei non putrefactum, ſed potius incorruptum reperiri, dicendum eſt aliquid prohibens adfuiſſe nempè voluntatem Divinam, quæ illud corpus, quod ſibi vivens gratum famulatum præſtitit incorruptum manere velit, ut D. Thom. *d. art.* 3. *ad* 2. ait, in corpore Chriſti adfuiſſe illius virtutem divinam, quæ illud a putrefactione præſervavit. Quod opus cùm ſit ſupra vires omnes naturæ creatæ illaſque excedens, neceſſariò tribuendum eſt miraculo ex eodem D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 176. *art.* 1. *ad* 3. *& in* 1. *part. quæſt.* 110. *art.* 4. *in corp. & in opuſc.* 2. *cap.* 136. Gloſſ. *in cap.* 1. *v. ſedis Apoſtolicæ de reliq. & vener. ſanct.* ibique Doctores, Archid. *in can. Nec mirum num.* 6. *& ſeq.* 26. *quæſt.* 5. ibique Bellarmin. Rotæ Auditores *in relat.* 1. *ar.* 4. *de mirac. B. Thereſiæ mirac.* 1. *poſt mort.* ubi judicarunt hoc miraculum tanquam excedens vires totius naturæ creatæ, non quantum ad id, quod fit, ſed quantum ad id, in quo fit, poteſt enim Natura dare conſervationem, & incorruptionem, ſed non homini mortuo, referendum eſſe ad ſecundum gradum miraculorum juxta D. Thom. *d.* 1. *quæſt.* 105. *art.* 8. *in corp.*

Prolixior eſt vir doctrina, atque optimarum artium 31
ſtudiis eruditus, P. Petraſancta in ineundo cenſum eorum, quorum adhuc integra ſunt corpora, quaſi enim ſoporati jacent veriùs, quàm funerati. In opere enim, quod inſcripſit Thaumaſia *tom.* 3. *cap.* 12. non excipit luſtra, immò nec ſæcula, aut ſeriem longam etiam ſæculorum. Nos nobiliora ex illo ſubjicimus.

Gerundæ S. Narciſi corpus integrum eſt ab annis 32
mille trecentis. Meruiſſet gemmæ, quàm floris nomen, qui cum ſole oritur, cum ſole moritur, & ferè momento eodem viget, & marceſcit.

Barcinone corpus S. Aldegaris jam ab annis amplius 33
quingentis immune perſeverat ab omni tabe.

Aſſiſii S. Franciſcus Seraphicus ita perhibetur ſtare, 34
quaſi viveret ac ſpiraret, aut quoniam reipſa mortuus eſt, quaſi uſurpare ſolus poſſet vera cum laude illud: Non decet Servum Dei, niſi ſtantem mori. Imperatorem non dixi, nec dixi Regem, ſed dixi amplius tamen, quia ſervire Deo pluſquam regnare eſt.

Neapoli corpus B. Jacobi a Marchia Franciſcani fer- 35
mè a ſequiſæculo jacet illibatum, etſi loco humeſcenti ſitum primum fuit. Spectatur verò intra urnam criſtallinam grandiorem tum in Paſchate, tum in ejus die anniverſaria, tractarique, ac amiciri ſolet, ut a dormiente, & quieſcente, nihil differre videatur.

Beata Catharina Bononienſis vitali poſt mortem fu- 36
nere, & integro corpore tot jam annos perſeverat. Caro ejus virginei corporis illam ter centum ab hinc annis ſervat mollitiem adhuc blandiſſimam tactui, qua cereum divinis ignibus ſpiritum, & flexilem ſupernis nutibus animum ſolita fuerat æmulari. Capilli, & ungues ſubinde ſectiles ſuccreverunt, tot ab obitu annis, quot ſolent humanæ vitæ ſpatiis longioribus deputari, quaſi fuerit duplicem ætatem ſortita, alteram ſpiritus, qua ſibi, & Deo proficeret, alteram corporis, qua fidelium votis in ſuis reliquias effloreſceret. Veſtes identidem mutat quas pretioſiſſimas habet ſolemni, ac pio ſacrarum Virginum miniſterium, ut non ſolum ſpiritu ante faciem Dei, ſed etiam hominum oculis corpore appareat circumamicta varietate. Nullo unguento, niſi ſanctitatis ſuæ, nullo aromate, niſi orationis, nullo balſamo, niſi virginitatis, nulla myrrha, niſi lachrymarum ſuarum incorruptum permanet corpus. Spiritus San-

ctus

ctus templum nullam rimam trahit, infectum, & integrum est. Hortus planè concluſus ſuis liliis, non alienis odoribus redolens immortalitatem, non defluit merito caſtimoniæ, tabem non ſentit, nec mortem, quod concupiſcentiæ lethiferos morſus, vel neſcivit, vel hebetavit. Ut verò miraculum ſit cadaver ſine ſpiritu vivum, quod mors agnoſcat ſuum, ſed vita ſuum libentiſſimè fateatur.

37 Sancta Sperandia Virgo Augubii anno partæ ſalutis 1216. nata nobilibus parentibus, conjunctaque affinitatis gradu S. Ubaldo, hodie perſeverat corpuſculo integro, & corruptionis, ac tabis expertè ab anno 1276. tunc enim ad ſedes piorum migravit ſexagenaria. Eſt verò ea oris dignitas, vividuſque color, & tàm recens caro, ac ſi adhuc ſpiraret vitæ compos. Quis igitur de Sanctis Eccleſiæ neget manaſſe divinitus oraculum illud Regis vatis: *Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum*, & iſtud: *Non dabit Sanctos ſuos videre corruptionem*. Hæc Petraſancta.

38 Quibus adde hoc planè admirandum. Corpus S. Amandi Epiſcopi inventum fuit anno 812. ab ejus obitu annis 152. cum integrum eſſet repertum, eique abſcinderentur capilli, & ungues, atque etiam forcipibus dentes excuterentur, ſanguinem magno miraculo emiſit. Sigibert. apud Gualter. *ſecul.* 9.

39 Rodulphus Abbas S. Iſidori ſcriptum reliquit ſe anno 1222. adfuiſſe unà cum multis aliis cum corpus S. Gereonis, poſt annos 800. integrum, & incorruptum eſt repertum. Refert Surius in Septembri corpus S. Antonini Epiſcopi, & martyris poſt annos ab ejus morte 200. non ſolùm incorruptum, ſed planè vividum cunctis apparuiſſe, ſicque illud vidiſſe qui illius vitam ſcripſit.

40 Et ſanè fatendum eſt, divino, ut plurimum miraculo evenire, ut mandatum terræ corpus poſt multorum annorum volumina reperiatur illæſum. Nam, tametſi factum non ſemel ſeu defuncti corporis ſoliditate, ſeu temperamento ſoli, ſeu frigore conſtringente, ſeu ex aliis cauſis ſupra narratis, ut cadavera tardiùs diſſolvantur, diſſolvuntur tamen paulatim, & vitium faciunt. Et vix mihi quempiam dederis præfatis tantummodò fultum præſidiis, qui multos poſt annos ſeu ſæcula aut mox contrectatus in cineres non abierit, aut multum non deciderit ab ea ſpecie, quam ſecum ad ſepulcrum devexit. Nec omnia, quæ de Regis retulit pro corporum conſervatione naturali certa ſunt. Nam venenum, quo Alexandri etiam corpus dicitur diu ſervatum incorruptum, non ſervare corpora, docet Scaliger in Cardanum *exercit.* 151. *numer.* 2. Quia quæ vitam corrumpunt, deſtruunt calorem naturalem: Sequitur ergo celerrimè putrefactionem. Alia verò corpora, aut pinguentis, aut arte ſervata ſunt. Si igitur poſt annos, & ſæcula cadaver ſolidum exiſtat integrum, non immutatum, ideòque eo in loco, ubi cætera colorem mutant, & odorem, & agentibus in ſe invicem propter diſceſſum animæ qualitatibus, deperdita priori harmonia, reſolvuntur, momento non caret ſuo, argumentum eſſe non permiſiſſe Deum, ut Sanctus ſuus corruptionem videret. Etſi ii, qui noſtrorum miraculorum fidem deſtruere conantur, ad vim aſtrorum id temerè referant, ut eſt ſuperius dictum, at ſapientiores illos omnes ſyderum effectus irrident, & ab illis minimè provenire id poſſe non ignaviter contendunt, ut præ cæteris probat Turreblanca *lib.* 1. *mag. divin. cap.* 8. ubi plures alios invenies.

41 Quid enim cauſæ fuit, cur Sanctorum Gervaſii, & Protaſii actis Eccleſia inſeruit *Martyrolog. Roman.* 19. *Julii*, eorum corpora cruenta ſanguine ſic incorrupta manſiſſe, ac ſi eo die fuiſſent interempti? Nazarii, & Celſi beata pignora, a B. Ambroſio inventa conſperſa cruore, tanquam ſi paulò ante martyrium fuiſſent paſſi? *Breviar. Rom.* 28. *Julii*. Et venerabilis Beda *lib.* 4. *de hiſt. gent. Anglic. cap.* 19. de S. Etheldrida Virgine, Regina, & Abbatiſſa, quam vocant, *ſignum*, inquit, *divini miraculi, quo ejuſdem fœminæ ſepulta caro corrumpi non potuit judicio eſt, quod a virili contactu incorrupta perduraverit, ſed & linteamina omnia, quibus involutum erat corpus, integra apparuerunt, & ita nova, ut ipſo die viderentur caſtis ejus membris eſſe circumdata.*

Et plurima ut miſſa faciam, quæ habentur in Eccleſiaſtica hiſtoria, Orator Conciſtorialis adductis ad permovendum Urbanum VIII. *in orat. pro illius canonizat.* ut Andream Corſinum adſcriberet Sanctorum albo ſubjunxit: *Corpus ejus adhuc incorruptum eſſe, & admirabilem odorem fundere.* Et in momentis pro Virgine Thereſia inter Sanctos referenda *in orat. pro illius canonizat.* Gregorio XV. Cardinalis a Monte ſuggeſſit: *corpus illius novem menſibus poſt ejus ſepulturam incorruptum, flexibile, agile, pertractabile, & odorifero liquore circumfuſum inventum fuiſſe perinde ac ſi recentiſſimè tumulatum fuiſſet.* Eſt poſtea: *Elapſo triennio exhumatum iterum eadem ſemper integritate, agilitate, odore, liquore, & tractabilitate præditum, repertum fuit.* Scilicet optimè noverant eam integritatem argumentum eſſe ut plurimum, eximiæ Sanctitatis, & luculentum divinis amoris indicium.

Obſtupuit Roma, & ingenti miraculo dedit S. Cæci- 42
liæ corpus ſub hujus initio ſæculi inventum fuiſſe illæſum, ut non immeritò Baronius *tom.* 9. *ad ann.* 18. exclamavit: *Vehementer admiratus ſum quomodò poſt octingentos ſeptuaginta octo annos potuerit arca lignea, humectante illa marmoreo ſui natura ſepulcro, ſubtus terram abſque ulla aeris participatione locata, ita integra, & illæſa ſervari, & non penitus tanta humiditate laxata, jam diſſoluta marcuerit, ſed fortis, ſolidaque perſtiterit, ut abſque læſione tangere, & contrectare quis poſſet.* Et poſtea. *Cùm nos de iſta arca lignea non ſine magna admiratione vidiſſemus ad id, quod intus detinebatur ſacrum martyris corpus intuendum devenimus, quod illæſum pariter ſupra dextrum cubans latus, contactis nonnihil ad modeſtiam genibus, ut dormientis imaginem referret potiùs, quàm defunctæ, repertum eſt.*

Nec minori aut Orbis ſtupore, aut argumento ſan- 43
ctitatis Henrico VIII. depaſcente Eccleſiam Anglicanam, evertente Sacraria Religionis, & impiè in Sacra Sanctorum lypſana debacchante, corpus B. Cutberti ex monacho Benedictino Lindisfarnenſis Epiſcopi, integrum, illæſum, odoriferum elapſo ſæculo repertum fuit. Hiſtoriam illius ævi ſchedis deſcriptam ne lateat poſteritatem, accipe. Trigeſimo nono ſupra milleſimum quingenteſimum anno, & 851. poſt mortem Cutberti miſſi Dunelmum Inquiſitores regii ad monaſterium Fiſco addicendum, Monachis religioſo ſchemate exutis, ejectiſque direpta Eccleſia, ipſam ſancti aram ſex iconibus ex auro ſolido, argenteis pluribus, gemmiſque decoram prædati ſunt. Aperto a plurimis ſæculis venerando tumulo, beatum illius corpus ſacrum, incorruptum, odoratum dormientis ad inſtar invenerunt. Sola vaſi extremitas velut ſolis ardoribus aduſta ſubobſcurum induerat colorem. Corpus procerum, & macilentum pretioſa cappa involvebatur ſuperinduta ſyndone. Juxta erant eburneus pecten, & forfices elegantes, ac eo lucida nitore, ac ſi ultimam iis manum artifex jam tum appoſuiſſet. Calici peregrini materia, & opere elaborato Leo aureus pro pede erat, cui ſuperior pars, quam cuppam vocant, verſatilis, ex lapide orichino nitebatur. Coclear tàm artificioſis deductum commiſſuris, ut contrahi poſſet, aut produci utentis arbitrio. Virgula dein aurea eadem prorſus longitudine, qua corpus Beati. Cappa cum aliis indumentis nedum non paſſa vitium fuerat, ſed ſuaviſſimum ſpirabant odorem. Caro tractabilis dimittebat ſe ad tangentis impetum, & reducta manu ad formam priſtinam ſurgebat. Dum autem omnibus admirationi eſſet, & hi pietati indulgentes, illi curioſitatis corpus venerarentur, inviſuntque delegatis regiis Nonnemo Lathomus nomine, gemmarius arte, comitantibus, & inſpectantibus complurimis exteris (civibus) monachis, acceſſit ad ſacrum corpus, & ne quid fraudis ſubeſſet ſæpè illud ſæpiùs contrectans compreſſit, & altera manu præhendens Sancti corporis tybiam, altera deduxit digitum pedis, qui violenter protractus, ſono, veluti ſi is vivus fuiſſet edito, increpuit. Quo facto attonitus receſſit, corpuſque venerandum ſyndone involutum, & linea incluſum arca priori ſepulcro reconditum fuit ſuperimpoſito marmoreo lapide.

Ad Burtolacam Alatii quod attinet, idem Græci excommunicatorum cadavera facilè ab aliis piorum hominum diſcernunt. Nam excommunicatorum tument, turgentque, & tympani inſtar extenſa, innata quadam fœditate tenduntur, & verberata reboant, quæ ſine horrore nunquam aſpexeris. Piorum eadem, qua, & dum viverent, conditione quieſcunt, aſpectu decoreque ſuo maximè veneranda, quæ cùm exoſculatus fueris eorum cultu pellectus, rurſus ad eadem exoſculanda nec invitus conduceris, habitu ipſo pietate, quam coluerunt, præ ſe ferunt. Sæpè etiam odore quodam non inſuavi ſpectatumve ad ſe pollicentia. Ideò maximum eſſe inter excommunicatorum, & ſanctorum hominum cadavera diſcrimen.

Alioquin malè ex incorruptis cadaveribus excommunicatum arguerent. Quod illius Manuel Caleca *lib.* 4. *contra Græcos objecerat.* Nam cùm illi dicerent, Lugdunenſe Concilium tyrannicum fuiſſe, ipſius quoque quo illud complevit Michaelis ſcilicet Palæologi Regis, cadaver, integrum perdurans, illius animæ iniquitatem

tem annunciare, qui hujuſmodi Concilium coegit, autumarent, reſpondet Caleca: Senſibus quippe de fide judicant quod in cæteris ſanctitatis ſignum arbitrantur, hoc, in quibus ipſi volunt judicium damnationis accipiunt, quaſi Deo pro illorum voluntate decernente; quanquam ſi defunctorum cadavera minimè diſſolvi, indicium ſanctitatis arbitrantur. Quid de Petri, Paulique corporibus dicturi ſunt, Sanctorumque plurimorum quæ diſſoluta in fruſtra, & in pulverem ſunt? Si autem diſſoluta plurima corpora Sanctorum vident, unde ea, quæ id paſſa non ſunt ſancta probare poterunt? Quid autem de infidelibus dicturi ſunt, & quos ipſi publicis maledictis ſubdunt, quorum incorrupta cadavera perdurant? Porrò ſi hæc damnationis arbitrantur ſigna, quomodò Sanctorum corpora honorant? At quomodò diſcernuntur excommunicatorum cadavera jam dixi.

44 Quæ cùm ita ſint, & conſenſus gentium, hiſtoriæ, apotheoſis acta, & ſanctioribus dyptichis, & horariis precibus Eccleſia plurimum momenti collocent in corporis integritate ad Sanctitatem altiùs aſtruendam, profectò cùm ea fuerit illius vitæ, qui cum fama ſanctitatis obiit, innocentia, probitas, virtutes, ea mortis cauſa, quæ hanc integritatem non dedeceant, ſed probent maximè, & nedum ipſummet corpus, quod plurimis Sanctorum, ſed indumenta, & quæ adjacebant, inviolata fuerint, dicamus, voluiſſe Deum illum ſic illæſum, & illibatum ſervari, ut demonſtraret pretioſam in conſpectu ſuo illius mortem fuiſſe, & ſatis eſt, quod ſcriptis mandavit Gregorius presbyter Cæſarienſis, commune fuiſſe Epiſcopis Catholicis, qui in ſynodo Nicena interfuerunt, ut eorum corpora per multa annorum curricula perſtiterint illæſa. Præmium quidem dignum ſervorum Dei, ut corpora, quæ dum viverent immortali ac æterno Deo ſervierunt, poſt mortem immortalitati, ac æternitati integra, & illæſa conſerventur.

CONSULTATIO XCVI.

An Canonici Cathedralis ad benedictionem Epiſcopi ſolemnem, qua populo bene deprecatur in fine miſſæ, loco Sacerdotis celebrantis in Eccleſiis extra Cathedralem, teneantur ex conſuetudine genua flectere?

An iidem teneantur aſſociare Epiſcopum uſque ad valvas Eccleſiæ, etiam non cathedralis?

1 AD primum. Affirmo juxta antiquiſſimum ritum, ne presbyteri celebrantes, præſente Epiſcopo, benedicant, ſed ab ipſo benedictio fiat, Microlog. *Eccleſ. obſerv. capit.* 21. Et ab ipſo Epiſcopo dari poteſt licentia Sacerdoti, ut benedicat, ſed, ſi ipſe velit, poteſt benedicere, *can. 63. cum ad celebrandas de conſecr. d.* 1. ibique Gloſs. Archid. & cæteri, Raymund. *in ſum. lib. 3. tit. de differ. offic. §. 7. ad med.* Sylveſt. *verſ. benedictio numer.*..... Barthol. Brixienſ. *in repert. eod. verbo*, ubi ait, ita ſe habere uſum Eccleſiæ, Vital. *in clem. 2. numer. 9. de privileg.* & ita fieri debere notat Pariſ. de Graſ. *in cœrem. Card. lib. 1. capit. 42.* & Cœremon. Epiſcop. *lib. 2. cap. 9.* ante, finem, ſemperque Chriſti fideles genua curvarunt ad benedictiones Epiſcopi, ut firmat Navarr. *de hor. can. cap. 4. num. 10.* & Microlog. *eo loco cap. 22.* loquens de Sacerdote celebrante, qui etiam cum populo inclinatur in ultima benedictione danda ab Epiſcopo in miſſa.

2 Debent igitur Canonici genua flectere, dum Epiſcopus benedicit, quia & ipſi ſunt de populo, *§. plebs autem inſtitut. de jur. nat. gent. & civil.* ac etiam quia, ut inquit D. Auguſtinus unitas ſervanda eſt ab omnibus ſive in orando, ſive in genuflectendo, ſive in pſallendo, ſive in lectionibus ſollicitè audiendis. Quòd referunt Thom. Vvaldenſ. *tom. 3. tit. 4. capit. 31.* & Scott. *de ſacrific. miſs. lib. 3. cap. 18. num. 2.*

3 Accedente præſertim conſuetudine, quæ cùm ſit pia, valdèque rationabilis, atque conſentanea cœremoniali, juxta quod populus ad benedictionem miſſæ, etiam ſimplicis Sacerdotis, debet genuflectere, dùm ibi Canonici aſſiſtunt non cum habitu chori, ſed uti alii de populo, ab iis quoque obſervanda eſt, *cap. ad Apoſtolicam de ſimon.* Surd. *conſ. 62. num. 16. & ſeqq.* Gratian. *diſceptat. 210. num. 13. 14. & 27.* prout in materia rituum ſæpius reſpondit Sacr. Congregatio apud Barboſ. *in collect. Bullar. verſ. Conſuetudo, & in collect. deciſ. 440. numer. 13.* Et ubi agitur conſuetudine pia, & rationabili ſufficiunt decem anni ad illam inducendam, Abb. *in dict. capit. ad Apoſtolicam numer. 9.* & ibi Felin. *numer. 3.* Rot. *dec. 365. numer. 4. & 375. num. 8. part. 2. rec.* Add. ad Burat. *dec. 3. num. 15.*

Et multò magis eſt obſervanda, cùm etiam Magiſtratus ac Principes devotè genua flectant, ut proindè permitti non debeant novitates, ex quibus peccandi occaſiones timeri poſſint, *cap. cum conſuetudines, de conſuet. l. in rebus ff. de conſtit. Princip.* adeòut nec Princeps tuta conſcientia poſſit præcipere, ne ſolita fiant ſine urgenti cauſa, ut admonet Navarr. *conſ. 1. num. 13. ad med. & ſeq. tit. de reſtit. ſpoliat.* 4

Neque refragatur, quòd Canonici in Cathedrali non teneantur genuflectere, & ubique ſint Canonici. Nam aliud eſt in Cathedrali, ubi exiſtunt cum habitu chori, & ſunt participes functionis, quæ fit ab Epiſcopo, aliud in alienis Eccleſiis, ubi exiſtunt uti alii de populo. Et licèt ubique ſint Canonici, non tamen ubique eandem retinent prærogativam. Ideòque non obſtat cœremoniale, quia loquitur in propria Eccleſia, quando Canonici aſſiſtunt in habitu canonicali, & proindè non debet operari extra Eccleſiam quando aſſiſtunt ſine habitu, cùm hoc diſcrimen fiat etiam quoad præcedentiam cum Prælatis juxta declarationem relatam a Barboſa *de Canon. & dignit. capit. 18. numer. 75.* & tradunt etiam Felin. *in capit. paſtoralis numer. 6. de offic. deleg.* ac Decian. *conſil. 65. numer. 13. lib. 1.* Neque verum eſt, quod Epiſcopus in aliis Eccleſiis ſit tanquam advena, & hoſpes, quinimmò eſt tanquam caput, & dominus, cùm habeat jus in omnibus Eccleſiis ſuæ diœceſis, *can. omnes baſilicæ 16. quæſt. 7.* & ad quamcunque partem diœceſis poteſt etiam dignitatem ſuam, & juriſdictionem explicare, Veral. *dec. 203. part. 2.* At Canonici extra ſuam Eccleſiam, & ſine ſuo habitu verè ſunt advenæ, ac hoſpites, cum ibi neque beneficium, neque titulum habeant. 5

Minuſque refragatur, quòd contra Cœremoniale non attendatur præſcriptio, niſi immemorabilis. Quia id procedit in expreſsè diſpoſitis in illo, ſocus autem in iis, quæ non ſunt expreſsè diſpoſita, ut in terminis reſpondit Rota in Mediolanen. ſuſtentationis libri 26. Junii 1647. & 30. Maji 1650. coram Eminentiſſimo Cerro. Conſuetudo enim non dicitur contra jus, ſi caſus non eſt in jure expreſsè deciſſus, ſed deducitur ex argumentis, vel conſequenter a deciſionibus, etiamſi eſſet commune, Put. *deciſ. 240. lib. 3.* Seraphin. *d. 639. num. 1.* & Cavaler. *d. 479. num. 4.* 6

Argumentum verò ab uſu Cardinalium ad Canonicos eſt a majori ad minus, quod non valet affirmativè. Notum enim eſt Cardinales comparari Regibus, & habere dignitatem etiam propriam uti ſinguli, quam non habent Canonici, ſed uti univerſi tantùm, Abb. *in cap. cùm non liceat num. 2. de præſcript.* Sicuti leviſſimum eſt argumentum a titulo Fratrum. Quia & Epiſcopi a Pontifice Summo vocantur Fratres, *cap. quam gravi, de crimin. falſ.* & tamen genuflectunt. 7

Similiter non obſtat, quòd ſumus in facultativis, in quibus non datur præſcriptio, cùm non conſtet, an Canonici id fecerint ſpontè, anve coactè. Nam non agitur de præſcriptione, ſed de conſuetudine, & conſuetudo ſatis probatur, dum ita fuit in omnibus ſpatio decem annorum indiſtinctè obſervatum, quod ſatis ad inducendum conſuetudinem obligantem poſterum ex tacito conſenſu, Mareſcot. *var. lib. 2. cap. 100. num. 1.* Pro qua inducenda ſufficit ita fuiſſe ſervatum, quando non eſt contra jus, ſpatio decem annorum conſenſu totius univerſitatis, ſeu majoris partis, vel ſaltem ea ſciente, nec requirit principium coactivum, aut obligans, ſed ſatis etiam eſt, ultrò ſua voluntate ita feciſſe, Surd. *conſ. 62. num. 16. & ſeqq.* Gratian. *diſcept. 210. numer. 24. & ſeqq.* Deinde negatur id eſſe facultativum, cùm adſint actus benè multi. Quo caſu in materia præeminentiarum non dicitur facultativum quicquid ſit in aliis materiis, Rota *dec. 224. num. 9. & ſeqq. part. 6. rec.* 8

Neque ſuffragatur, quòd ſaltem hæc conſuetudo debeat eſſe immemorabilis, quia eſt contra cœremoniale. Nam cœremoniale non diſponit, aut præcipit, quòd Canonici non debeant genuflectere, ſed ſolùm illos eximit ab hoc ritu. Et non loquitur extra Cathedralem, ubi exiſtunt ſine habitu Canonicali, ſed in Cathedrali, & quando adſunt functionibus cum habitu Canonicali. Unde quòd id facere conſueverint in aliis Eccleſiis non eſt contra, ſed præter cœremoniale.

Ad ſecundum: Servanda etiam eſt conſuetudo aſſociandi Epiſcopum uſque ad valvas Eccleſiæ, etiam non Cathedralis, ubi adfuerunt in miſſa ſolemni Epiſcopus, & Canonici. Attenditur enim in hac materia conſuetudo, ut pluries Sacra Rituum Congregatio, referente Barboſa *de Canon. & dignit. capit. 32. numer. 11. & 12. deciſ. Apoſt. collect. 49. numer. 7. & 8.* Et mos erat apud Lacedæmonios, a quibus Romani leges acceperunt, ut minores aſſociarent ſeniores, Gell. *lib. 2. cap. 14.* Chaſ- 9

ſan.

san. *in catal. glor. mund. part.* 1. *consid.* 10. *vers. quartus comitari incedentem.*

10 Cùmque sit consuetudo non contra jus, sed præter jus, sufficiunt decem anni, ut inducatur, Glossa *in cap. ultim. v. consuetudo de consuet. in* 6. Put. *dec.* 150. *num.* 5. *lib.* 1. Mantic. *decis.* 51. *numer.* 4. Seraphin. *decis.* 639. *num.* 1. Cavaler. *dec.* 63. *num.* 3. Rota *decis.* 375. *numer.* 8. *part.* 2. *rec.* cum aliis aliàs allegatis. Et in terminis licèt Canonici non teneantur associare Episcopum venientem ad Ecclesiam cum cappa, nisi in diebus solemnibus, attamen si extet consuetudo, vel usus illum associandi omnibus diebus dominicis, & festis etiam non solemnibus, quòd sit servanda, respondit Sacra Rituum Congreg. apud Barbosam *in collect. Bullar. v. consuetudo*, & *in collect. dec. Apost. d. collect.* 49. *num.* 7. Atque ita etiam censuit eadem S. Congregatio in utroque casu proposito in Majoricensi, nempè, accedente immemorabili consuetudine Canonicos Cathedralis tenere genuflectere benedictioni solemni Episcopi tàm intra, quàm extra Cathedralem, ut ad illum associandum ad alias Ecclesias extra Cathedralem, occasione festivitatum, quæ intra annum celebrantur.

CONSULTATIO XCVII.

An in funeribus, quæ fiunt in Ecclesiis Collegiatis, etiam pro illarum Canonicis defunctis Capitulum, & Canonici Cathedralis præcedere debeant Capitulum, & Canonicos earundem Collegiatarum?

1 AFfirmativè resolvendum censeo, idque ex juris assistentia ratione dignitatis, & consortii cum Episcopo, ut largiter probat ex decisionibus impressis post tractatum Cathedræ Episcopalis Cæsaraugustanæ Joannes de Aruego §. 37. in Cæsaraugustana Synodi 13. Februarii, & 28. Junii 1626. coram Coccino, quarum prima est *part.* 5. *recent. dec.* 3.

2 Quam quidem assistentiam juris procedere etiam, quando functiones fiunt in aliis Ecclesiis, etiam ad effectum præcedendi Canonicos Collegiatæ, Prælatum, & Clerum earundem Ecclesiarum, non obstante consuetudine in contrarium, resolutum fuit a S. Rituum Congregatione in Tuscanen. 29 Augusti 1619. in Fundana 2. Octobris 1597. Et in hac specie funerum in ipsa Collegiata in Leodiensi præcedentiæ 10. Martii, & 21. Aprilis 1668.

3 Nam quæcunque consuetudo contraria dicitur abusus, & corruptela minimè servanda, cum regula quod in præcedentia attendatur consuetudo, intelligitur, quatenus sit rationabilis, ut respondit Rota coram Eminentissimo Cardinali Otthobono *decis.* 4. *numer.* 36. & coram Otalora 4. Martii 1668. §. *ult. ex cap.* 1. *de major.* & *obed.* ubi Butr. *numer.* 11. & conciliando pugnantia firmavit Rota apud Greg. *dec.* 310. *num.* 6. Non est autem rationabile, quod minor præcedat majorem. Est enim contra honestatem, atque adeò contra regulas rectæ rationis.

4 Non obstant resolutiones, quod in funeribus deferenda sit unica Crux illius Ecclesiæ, ad quam cadaver defertur cum præcedentia Cleri ejusdem, de quibus Barbos. *in sum. Apost. decis. collect.* 393. *numer.* 4. cum aliis *in collect.* 234. *numer.* 3. Nam intelliguntur in concursu aliarum, non autem Cathedralis, quæ deferre debet Crucem suam, & sub ea omnes incedere debent, atque adeò cum præcedentia illius juxta alias resolutiones relatas ab eodem *de Paroch. part.* 3. *cap.* 26. *num.* 78. & *de jure Eccles. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 78.

5 Quare non juvat, sed retorquetur ratio præcedendi ex eo deducta, quod Canonici Collegiatæ sint fratres defuncti. Quia etiam Canonici Cathedralis sunt fratres Episcopi ac membra. Ergo sicut absque dubio ille præcederet, ita debent isti ob rationes allegatas a Barbos. *de Canon. & dignit. d. cap.* 18. *num.* 44. præcipuè *numer.* 49. ubi speciatim in funeribus, ac optimè distinguendo præcedentiam in funeribus deberi Cathedralibus, immò & Collegiatæ supra Parochos, licèt istorum sit in propria Ecclesia officium funebre peragere, ut per eundem *de Paroch. part.* 1. *cap.* 9. *num.* 6. & 9. Quæ quidem potiori jure procedunt in hoc casu, cum Parochi habeant in his tantum authoritatis, quantum Episcopus in sua diœcesi, ut notat *num.* 3.

CONSULTATIO XCVIII.

An Constitutio Gregorii XIII. de præcedentia intra Mendicantes habeat quoque locum inter Ordines Monachorum?

NEgativè respondendum videtur, quia emanavit pro 1
Mendicantibus, & Confraternitatibus laicorum, ut in ipsa legitur, tàm in proœmio, quàm in dispositiva, in quibus sæpè id exprimitur, cujus verba toties repetita ostendunt enixam intentionem Pontificis, ad solos Mendicantes restrictam, attenta maximè dictione *quidem*, in illius limitatione apposita de antiquioribus in loco, ibi: *Inter fratres quidem Mendicantes*: Quæ dictio habet vim taxativam, & dispositionem restringit ad ipsos tantùm Mendicantes, & expressè non excludit, *l. qui in aliena §. libertos ff. de negot. gest.* & *l. qui Sella §. qui actum de serv. rust. præd.* Atque eo magis quia est Constitutio correctiva juris communis in ea parte, in qua donec non constiterit quis possideat, præferuntur antiquiores in loco controversiæ, ideoque strictè est accipienda, itaut corrigat jus commune quoad minus fieri potest, & si corrigat in uno, non corrigat in alio, Buratt. *decis.* 167. *numer.* 6. & *decis.* 211. *num.* 18. In iis enim, in quibus in specie jus commune est in contrarium, non datur extensio ad casus, & personas diversas, Rot. *dec.* 107. *num.* 42. *part.* 4. *tom.* 2. *recent.* Et ubi habemus in dispositiva explicitam Summi Pontificis mentem, restrictam ad Mendicantes, ibi: *decernimus, quod quicunque ex dictis Mendicantibus*, &c. frustra recurritur pro illius interpretatione ad verba proœmii, quia in claris nullum locum habet interpretatio, *l. adjicere*, §. *quamvis*, *de jurepatr.*

Quod si aliquando S. Rituum Congregatio decreverit, præcedere illos, qui prius habuerunt locum, id jure, meritoque factum fuit ex causa professionis, in qua reperiebantur locum habentes, quia possidentis melior est conditio, & præsertim in materia præcedentiæ. Ideòque Constitutio prioribus in loco dat præcedentiam, quatenus non constat de possessione. Cavaler. *decis.* 588. *num.* 4. 2

Hanc autem possessionem docere possunt non solùm 3
Magistri cœremoniarum, quibus plena fides danda est, tanquam deponentibus de re ad suum officium pertinente, Rot. *decis.* 527. *num.* 5. *part.* 2. & *decis.* 149. *num.* 3. *part.* 5. *recent.* Sed etiam Ordinarii, ac testes deponentes quod ita servatum fuit per plures annos. Sufficere tamen solùm decennii cursum firmat Decian. *cons.* 21. *nu.* 7. *lib.* 1. Peregrin. *cons.* 3. *num.* 2. *lib.* 2. & cum aliis Cyriac. *controv.* 201. *n.* 169. potissimum in actibus publicis, & quorum ignorantia nequeat allegari, Rot. *decis.* 863. *part.* 4. *div.* Item attestatio jurata, qua ad effectum manutentionis sufficit, ut in terminis de fide unius tantùm est decisio Rotæ 323. *num.* 2. *post* 1. *vol. cons. Farmacii.*

Immò si ii, qui priores erant in loco, orta contro- 4
versia, ommiserint accedere ad processiones, provenit ex hac expressa acquiescentia, juncta cum contradictione, quibus concurrentibus, legitima acquiritur possessio, Giovagnon. *cons.* 9. *num.* 87. *lib.* 1. & 88. ubi quod sciens alium possidere, & id permitti, suam possessionem, si habet, ammittit, Rot. *dec.* 297. *num.* 4. & 5. *part.* 2. *div.* Seraph. *dec.* 1086. *n.* 1. & *dec.* 530. *n.* 2. & 3. *part.* 2. *recent.*

Et hæc eo magis procedere debent si qui possident, 5
habeant intentionem fundatam in antiquiori instituto, vel in illius confirmatione, ac proindè assistentiam juris, vel quo cavetur, antiquiores esse digniores, ac præferendos, ut ex Collegiis Bononiæ, Paduæ, ac Ferrariæ responsum testatur, ac sequitur Rota coram Cavaler. *d. decis* 588. *num.* 4. Ex quo fit, quod omissio in accedendo ad processiones jure sequuta fuerit, ad exclusionem voluntarii, Menoch. *præsumpt.* 67. *lib.* 6. subsequente præsertim actuum frequentia per longum temporis intervallum, Cæs. de Grais. *decis.* 1. *num.* 3. *de cauf. possess.* Seraph. *decis.* 212. *n.* 2. & *decis.* 323. *n.* 4. Cavaler. *decis.* 286. *n.* 6. & *dec.* 41. *n.* 8. apud Posth. *de manut.* Toties enim multiplicata gratia non præsumitur, Rot. *dec.* 397. *n.* 3. *p.* 2. *recent.* & in terminis de favore piæ causæ, ac divini cultus *dec.* 470. *n.* 7. *part.* 1. *rec.* & 640. *n.* 3. *part.* 2. Add. ad Greg. *dec.* 162. *n.* 16. *ad finem.*

Cessatque omnis difficultas dum concurrit possessio, 6
titulus ex juris assistentia, consuetudo, quæ sunt cardines naturales præcedentiæ, potissimum autem consuetudo ex sententia S. Congregationis Concilii, teste Fagnano *in cap. Cum certum n.* 20. *de major.* & *obed.*

At verò his non obstantibus vera sententia est, Consti- 7
tutionem Gregorii de præcedentia comprehendere etiam

Mona-

Monachorum Ordines. Ita pluries declaravit tum S. Rituum Congregatio, tum S. Congregatio ſuper Epiſcopis, ac Regularibus, tum etiam S. Rota, quarum declarationes largiter congeſſit *tom.* 1. Quare fruſtra laborant qui contra ſentiunt.

8 Hinc quando agitur de præcedentia in aliqua particulari civitate non attenditur quis Ordo ſit prius inſtitutus, vel confirmatus a Sede Apoſtolica, ſed ſolùm Conſtitutio, quam ſanxit Gregorius XIII. cujus verba tempeſtivè hic apponimus : *Quando verò non probatur aut non conſtat de quaſi poſſeſſione præcedentiæ inter fratres, ii, qui antiquiores ſunt in loco controverſiæ præcedant, itaut ſi contingeret nova monaſteria, aut domos in aliquo loco recipi, ille Ordo, qui primus monaſterium, ſeu domum in loco habuerit, præcedat.*

CONSULTATIO XCIX.

An liceat uni Parocho, ſive Sodalitati religioſæ in uno vico, ſive Caſtello erectæ, ducere proceſſionem intra octavam Sanctiſſimi Corporis Chriſti eodem die, quo illam ſolet ducere alter Parochus, ſive altera Sodalitas erecta in alio vico, ſive Caſtello valde vicino, ac finitimo? Ubi quid de conſuetudine?

1 ET ſanè affirmativè reſpondendum videtur. Etenim perſpicui juris eſt, Parocho in ſua parochia prohiberi non poſſe ab aliis, ne exerceat munia parochialia. Proceſſio autem eſt munus Parochiale, *can.* 1. & *can. Epiſcopus* 9. *quæſt.* 2. & planè Rota in Cæſarauguſtana dedicationis 18. Decembris 1618. coram Mazanedo. Multoque minus Parocho diverſi Caſtelli, nullam habenti dependentiam, aut ſubordinationem ab alio. Et propterea habet locum *Conſtitutio* 10. Gregorii XIII. *in Bullar. tom.* 2. in qua declaratur omnibus licere tàm in die Dominica intra octavam, quam in aliis dictæ octavæ diebus proceſſionem ducere, quibuſcunque non obſtantibus, de qua Barb. *in collect. Apoſtol. dec. v. Corporis Chriſti feſtivitas Collect.* 131. *num.* 2. Et Conſtitutio Urbani IV. aliorumque Summorum Pontificum, qui enixè omnibus mandat ejus ſolemnitatis celebrationem, adeout permittatur fieri etiam in locis interdicto ſuppoſitis, ut in *Conſtitutione* 12. Martini V. ejuſdem Bullarii *tom.* 1.

2 Neque officit, quod Parochus, ſive Sodalitas ejuſmodi fortè omiſerit dicta die hanc proceſſionem ducere. Tum quia per exercitium aliorum jurium Parochialium etiam hoc jus ducendi proceſſionem retinetur, Innoc. *in cap. dilectus numer.* 3. *de capel. Monach.* quem ibi ſequuntur Cardin. *qu.* 11. Jo: Andr. *num.* 7. 8. & 19. Butr. *num.* 15. Abb. *num.* 19. Anchar. *n.* 21. Tum quia juri illi proceſſiones ducendi cùm meræ ſit facultatis nullo tempore præſcribitur, ut poſt Brun. *conſ.* 68. *n.* 10. obſervavit Hopingh. *diſſer. de jur. poteſt. concl.* 44. quod notandum ait Jac. de S. Gregor. *de feud. v. de adhærentibus n.* 15. Hoc enim juris meræ facultatis proprium eſt, ut niſi prohibitio, ſeu contradictio intervenerit, prohibitus in ea acquieverit, & juri ſuo tacitè renunciaverit, Bart. *in l. filiis C. de decur. lib.* 10. Burſatt. *conſ.* 87. *n.* 12. 13. & 15. atque ſi poſitivè in juris facultatis præjudicium tacitè quid actum ſit, nullo tempore præſcribi poteſt, *arg. l.* 2. & ibi Gloſſ. ac Bart. *de via publ.* Vaſq. *lib.* 1. *illuſtr. contr.* 4. *nu.* 9. Gabr. *com. opin. lib.* 5. *rubr. de præſcript. concl.* 10. *n.* 1. Ubi quamplurimas in hanc ſententiam recenſet authoritates Doctorum, & *numer.* 4. hoc ita ampliat, ut etiam mille annis non utendo, ea quæ facultatis ſunt, non amittantur, idque in facultate non deducente jus in judicium, deducibile ut in caſu *d. l.* 2. procedat, aliàs ſecus ſit, idem *ibidem n.* 8. Cravet. *conſ.* 775. *n.* 8. & eleganter Vveſembec. *conſ.* 2. *n.* 94. Theſaur. *deciſ.* 10. *nu.* 3. Quemadmodum etiam regula illa non obtinet quando facultas ratione juris quæſiti competit. Tunc enim potius jus, quàm facultas dicitur, Gabr. *d. loc. n.* 10. qui & *n.* 11. hanc ſubjicit limitationem, quod facultati ex contractu competenti præſcribatur.

3 Contra tamen tenendum puto. Nam licèt permiſſum ſit, hanc proceſſionem ducere, id tamen non eſt permiſſum abſolutè, ſed quatenus honorificè duci poſſit, & ſtatis tantùm diebus, ut Concilio Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 15. ibi: *declarat, &c. utique in proceſſionibus reverenter, & honorificè illud per vias, & loca publica circumferatur. Æquiſſimum eſt enim ſacros aliquos ſtatutos eſſe dies cum chriſtiani omnes, &c.* cui concinit Clem. 1. *§. nos itaque de reliqu. & vener. Sanct.* & conferunt tradita per Buratt. *deciſ.* 43. *num.* 8. Unde cùm agatur de locis parvulis, & convicinis, ac difficilè ſit eam poſſe duci eodem tempore in utroque loco cum juſta, & debita veneratione ob penuriam, præcipuè Sacerdotum, non modò poſſunt, ſed etiam debent ſtatui dies diverſi, prout ſtatutos fuiſſe conſtat ex conſuetudine, quæ habet vim legis, *§. ſive ſcripto, inſtit. de jur. nat. gent.* cum vulgò relatis per Add. *ad deciſ.* 539. *num.* 37. *p.* 4. *tomi* 3. *rebent.* Deficiente potiſſimum jure certo circa tempus, quo nempè die proceſſio duci debeat, quo caſu omninò ſervanda eſt conſuetudo, Rot. *deciſ.* 94. *num.* 6. *part.* 4. *tom.* 2. *recent. l. quod ſi nolit. §. quia aſſiduæ ff. de edil. edict.* ibi : *Ea enim, quæ ſunt moris, & conſuetudinis in bonæ fidei judiciis debent venire.*

Neque obſtat vulgare illud, quod in facultativis non 4
inducatur conſuetudo. Nam negatur fuiſſe merè facultativum Parocho, ſive Sodalitati eligere ſibi idem pro ejuſmodi ſolemni proceſſione ducenda, minuſque poſt ſemel electam diem variare, atque aliam eligere, cùm pertineat ad Epiſcopum licentiam impertiri proceſſiones ducendi, ut dixit Rot. in Elnen. juriſdictionis 19. Junii 1647. §. 1. coram Dunozetto. Unde quamvis a principio fuerit meræ voluntatis, & in facultatem dictam ſolemnitatem proceſſionis celebrare hac, vel illa die intra octavam, cùm tamen ab initio declaraverint ſuam voluntatem, ducendo proceſſionem tali die, ex diuturna conſuetudine ſubſequuta dicitur effecta voluntas neceſſaria, per quam ceſſat omnis facultas, ut obſervat Abb. *in cap. ſuam num.* 7. & 8. *de ſimon.* per text. *in cap. ex parte de cenſib.* Oſaſch. *deciſ.* 99. *num.* 19. & *ſeqq.* ac Rot. *deciſ.* 365. *n.* 6. *part.* 2. *recent.*

Ex hoc enim quod pro obſervatione, ut ducantur di- 5
verſis diebus, concurrit favor divini cultus, materia non præſumitur facultativa, ut authoritate Rotæ firmat Add. ad Gregor. *deciſ.* 162. *n.* 15. facultatiſque præſumptio ſatis excluditur ex multitudine actuum, Add. ad Gregor. *loc. cit.* & dixit Rota apud Cæſ. de Graſſ. *dec.* 29. aliàs 1. *de cauſ. poſſeſ. & propr. n.* 3. & coram Seraph. *deciſ.* 212. *n.* 2. ac alibi. Et quidem abſque dubio, quia non ſunt actus geſti a privatis, & in privato, ſed ab univerſitatibus, & in publico, in quibus non adaptari tradita de merè facultativis, reſolvit Rota in hac ſpecie proceſſionum *deciſ.* 86. *p.* 4. *div.*

CONSULTATIO C.

Quidam Præpoſiti ex Conſtitutione Pontificia in proceſſionibus, cæteriſque actibus publicis, & privatis omnibus, & quibuſcunque, non tamen Capitularibus Eccleſiæ, habent locum immediatè poſt illius Canonicos juxta ordinem ad eis præſcribendum. Ex quo quæritur

Primò, an dicti Præpoſiti habere debeant eandem ſedem, quam habent Canonici in Eccleſia, ſeu Capella in receptione Ordinum?

Secundò, An Crux Archiepiſcopalis, quæ in proceſſionibus defertur inter duos recentiores Canonicos, ſit deferenda inter duos recentiores Præpoſitos?

Tertiò, an Præpoſiti admitti debeant ad oſculum manus Prælati cum Canonicis prima vice, qua Epiſcopus novus venit ad Eccleſiam in proceſſione?

Et quartò, an gaudeant prærogativa, qua gaudent Canonici in aſſignatione carceris?

AFfirmativè in omnibus reſpondendum videtur. Et- 1
enim Præpoſiti ſunt perſonæ conſpicuæ, & dignitatem habere dicuntur, *c.* 1. ibique Gloſ. *v. præpoſiti de æt. & qual.* cum aliis apud Manriq. *de præced. q.* 14. *n.* 1. concludens indiſtinctè, pro dignitatibus illos accipi, dixitque Rot. *in rec. dec.* 483. *n.* 7. *p.* 3. Et conſtat ex eorum erectione, qua æquiparantur Canonicis in omnibus præterquam in actibus capitularibus. Quæ exceptio firmat proculdubio regulam in non exceptis, ut in his terminis inquit Rot. *dec.* 252. *n.* 3. *p.* 6. & *dec.* 224. *p.* 7. *rec.* & æqualis habitus delatio, inceſſus in proceſſionibus, ac præeminentia in ſeſſionibus denotat in omibus cùm Canonicis æqualitatem dignitatis, Rot. *d. dec.* 252. *n.* 13. & æqualitatem in cæteris præeminentiis, Rot. in Valentina præeminentiarum 22. Junii 1640. coram Coccino, & *d. dec.* 224. ubi quod iſta æqualitas importat ſpecificam conceſſionem privilegii perſonæ, cui facta fuit æquiparatio.

Corroboratur id a decreto S. Rituum Congregatio- 2
nis, quæ ſæpiùs declaravit hujuſmodi Præpoſitos facere unum corpus cum Canonicis, & gaudere omnibus præeminentiis Canonicorum abſque ulla differentia, exceptis actibus capitularibus. Eſſet itaque monſtruoſum, ſi variè tractaretur unum membrum ab alio, *can. cognovimus* 12. *q.* 2. *cap. quia* 22. *de privil.* ac etiam ex declaratione Sac. Congregationis Concilii, quæ ſub die 1. Aprilis 1651. ſuppoſitis literis Apoſtolicis erectionis hujuſmodi Præpoſiturarum, deciſionibus rotalibus,

libus, ac decreto Sacræ Congregationis Rituum, censuit supradictos Præpositos posse in Judices synodales, & in Judices Sedis Apostolicæ delegatos deputari.

3 Cùm igitur actus, de quibus agitur, non sint capitulares, quia in iis non tractatur de juribus capituli, gubernio, vel administratione Ecclesiæ, neque datur suffragium pro consolatione prædictorum juxta Glos. in Clem. *ut ii, de æt. & qual.* sequitur in illis gaudere Præpositos eiisdem prærogativis, quibus gaudent Canonici.

4 Accedit quod hi Præpositi debent obtinere gradum doctoratus, ac proindè non debet ipsis dignitas denegari, ut habetur expresè *in cap. quanto de magistr. §. quia vero*, ac fusè probat Muscatel. *de Doctor. dignit. capit. 2. num. 3.* Et tanquam nobiles existimandi sunt adeòut si ex statuto Ecclesiæ præbendæ debeantur nobilibus, Doctores admitti debeant, Mohedan. *decis.* 34. Guidopap. *decis.* 88. *numer.* 1. Rebuf. *de numer. quæstion.* 15. *numero* 30.

5 Quapropter speciatim ad primum respondendum videtur, Præpositis deberi eandem sedem cum Canonicis in choro, & in Ecclesia, quoad actus sedendi unum corpus constituunt cum illis, eorumque præeminentiam, & prærogativam obtinent.

6 Ad secundum: Crux inter Præpositos deferri debet, alioquin non facerent unum corpus cum Canonicis, vel corpus in partes scinderetur, quia Crux vel ducit, vel includit corpus, ac proindè non gauderent æquali honore ac præeminentia, si extra Crucem Canonicorum incederent contra cœremoniale *lib. 2. cap. 33.* admittens illam deferri etiam ante beneficiatos.

7 Ad tertium: Ita etiam: Nam admittuntur ad associationem Episcopi, ad Ecclesiam procedentis, ad circulum, ad salutationem, ac benedictionem illius, gaudentque dignitate Canonicorum, atque adeò gaudere debent eodem honore, *l. & cum, §. præsens ff. de mun. & honor.* Chassan. *in catal. part. 1. consid. 9.* Præcipuè cum ex dicto cœremoniali *lib. 1. cap. 2.* admittantur ad hoc osculum dignitates, Canonici, & alii.

8 Ad quartum, non videtur negandum. Quia uti unum corpus uno atque eodem carcere includi debent. Et cum habeant eandem dignitatem Canonicorum ratione muneris Ecclesiastici, & officii actu legendi, frui debent eadem prærogativa. Carcer enim ex qualitate personæ injustus reddi potest, Glos. *in l. sed & si is ff. de in jus voc.* Farinac. *de carc. quæst. 27. numer. 40.* & in specie Jac. Bin. *de privil. jurisconf. privil. 49. numer. 2.* Et personæ plures, si habeant easdem prærogativas, diverso jure judicari non debent, Rot. *decis.* 224. *numer. 8. part. 7. recent.*

9 At ego causa differendi magis, quàm decernendi ajo, quod dicta verba Constitutionis potius importat inferioritatem Præpositorum, cùm post Canonicos sedere debeant, sicuti ponderavit Rota in Valentina præeminentiarum 22. Junii 1640. coram Coccino. Quin demus, quod locus immediatus, quem assignat Constitutio Apostolica transferre secum posset participationem præeminentiarum Canonicalium, & unitatem corporis, id tamen procederet in illis functionibus ac locis, in quibus Præpositi intervenire solent, & jus interveniendi habent, prout erat in casu sessionis in choro, decisio in decisionibus Coccini, Merlini, Ghislerii, & qualis erat casus receptionis candelarum, cinerum, palmarum, aliorumque fieri solitorum in Ecclesia cum interventu omnium Ecclesiasticorum, de quibus loquitur alia decisio Valentina coram Pirovano, & decretum S Rituum Congregationis. Sed quod in functionibus, & locis, in quibus Præpositi jus non habent interveniendi, possint intervenire eo ipso quod interveniunt Canonici, nusquam cavetur. Quinimmò decisiones, & decretum necessariò intelliguntur juxta terminos Constitutionis, in qua se fundant, & ad ejus limites restringi, etiamsi oporteret verba decisionum, & decreti explicare minus propriè, ac eis vim facere, Coccin. *decis.* 167. *num.* 2. & *decis.* 311. *num.* 11. *ac seq.* Surd. *dec.* 59. *num.* 6. & 7.

10 Quod autem Præpositi sint dignitates, non est certum, cum Præposituræ sint tantùm officia. Præterea id non est ad rem, sicuti neque est ad rem allegare, quod Præpositi utantur eodem habiti, quo Canonici. Nam parilitas habitus parem non facit in cæteris, ut in pluribus Ecclesiis, præsertim Hispaniarum, habentur Clerici inferioris ordinis utentes eodem habitu, quo Canonici, ut inter alios conspicitur in portionibus Ecclesiæ Hispalensis, & Cordubensis. Minusque facit, quod sint Doctores. Quia doctoratus non exæquat eos Canonicis, sed est prærogativa ab Ecclesiastica dignitate prorsus distincta.

11 Quare dubia præfata negativè resolvenda censeo. Primum, quia Præpositi in hac functione nullum jus habent interveniendi. Quod si fortè dum aliquis ex Præpositis recipit ordines, prætendat, quod Episcopus eum honoret sessione in sede, non autem in scamno, prætensio exorbitat, cùm materia hæc sit arbitraria Episcopo, qui Canonicos, & Præpositos inæqualiter honorat, & distinctè, gradatimque tractat prout sibi magis videtur, neque hic actus comprehenditur in Constitutione, præcipuè si hoc etiam comprobavit observatio.

Secundùm exorbitat etiam. Quia exindè non æqualitas Præpositorum cum Canonicis, sed privatio Canonicorum proveniret, dum transfertur eorum jus in Præpositos, & nihil commune habet in hoc Constitutio, quæ de loco immediato, non autem de Cruce disponit, estque hæc prætensio contraria dispositioni Cœremonialis *lib. 1. cap. 2.* ibi: *Et si fuerit Archiepiscopus, antecedat Crux Archiepiscopalis, inter quam, & Archiepiscopum nemo erit, nisi dignitates, & Canonici.* Quod est omninò servandum, quia fuit confirmatum a Clemente VIII. & ab Innocentio X. addita derogatione Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, statutis, & consuetudinibus Ecclesiarum, cæterisque contrariis quibuscunque. 12

Tertium. Quia est arbitrarium Episcopo admittere ad hoc osculum personas sibi benè visas. Etsi fortasse admittit Canonicos, nil mirum, quia illi sunt fratres ejus, Barbos. *de Canon. & dignit. cap. 28. num. 46. & 54.* Hanc autem fraternitatem non habent Præpositi, neque huic casui adaptantur verba Constitutionis. 13

Quartum. Etiam est arbitrarium. Ea enim, quæ arbitraria sunt Episcopo erga Canonicos, qui sunt ejus fratres, extendi non debent per modum coactionis ad Præpositos, neque ad alios. 14

CONSULTATIO CI.

1 *An virgo, ab incubo infestata, amittat virginitatem?*

2 *Et an per vim stuprata possit Deo consecrari?*

AD primum respondeo. Plurimi trahunt ortum gigantum ad dæmonum concubitus, quod testatur, & D. Bonaventura *in 4. sent. d. 44.* Is cum negasset monstra resurrectura esse, ob quod in iis non naturæ veritas, sed error potiùs sit, hæc addidit: *Si sunt magnitudine gigantes in via, in Patria non erunt.* Si verò quæras unde habuerint ortum, dicendum, quod sicut narrat Josephus, dæmones incubi assumptis corporibus generant, & dæmon ostendit mulieri, cum qua concubuit, figuram talis hominis maximi, & ideò tum propter virtutem animalem generatus fuit homo miræ magnitudinis, & ille postmodum alios generavit. 1

Verùm plerique negant medias illas potestates esse, quas Plato in symposio statuit. Hinc, & Theodorus Byzantius, & nonnulli alii philosophi senserunt, simulacra, & nocturnas apparitiones sapientibus nunquam apparuisse, sed pueris, mulierculis, vecordibus, atque ægrotis, qui per imbecillitatem animi, aut corporis assidua formidine quatiuntur, & inanes, vanas, atque ab omni veritate alienas opiniones amentia quadam ducti sibi persuadent. Unde & Remigius *in dæmonolatr.* negat spirituum cum mulieribus commistionem. Quid enim corporis expers cum corpore agere potest? Aut concesso, quod ad tempus assumant corpora, ea aut è nubibus, & terræ vaporibus erunt composita, aut mortuorum hominum cadavera induta. Sed quid illa corpora, cum simile procreet simile, assumpta, omnique calore penitus destituta ad procreandum idonea erunt? Etiamsi semen aliunde auferatur, ut contendunt quidam magiæ Scriptores, illud tamen quamprimum vase egreditur debito, frigidum redditur, & ad omnem generationem inhabile, ideòque pollutio illa, & titillatio nocturna, quam sentiunt virgines ex pravis cogitationibus diurnis summo appetitu, maximoque pruritu, seminisque copia abundante oritur, & contingit. Spiritus enim, cui neque caro, neque sanguis, neque membra famulantia generationi concessa sunt, quomodo coire desideraret? Qui cibo non reficitur, unde cibi superfluitatem, semen, unde pruritum libidinis haberet? Immortalis an successorem caperet? Incorporeus num in complexum corporis venire possit? Etsi generaret, nonne sibi similem potius spiritum, quam corpoream substantiam produceret? Quo dato jamdudum omnia dæmonum plenissima forent. 2

Et quamvis multæ sagæ congressum satanicum expertæ ac peperisse dicantur, respondet melancholicas, ac pituitosas mulieres sæpius recubantes incubo vexari, præstigiisque venereis deludi posse, sine tamen semine 3

mascu-

masculo concipere, fœtumque corporeum excludere non admittendum, censet Tandlerus *in orat. de fascin. & incant. quæst. an lamiæ venerem exerceant*. Si quando igitur lamiæ peperisse visæ sunt, partum vel imaginarium fuisse, vel suppositium credibile est.

4 Laurentius tamen Anania *in l. de natur. dæmon.* contrarium huic planè statuit, plerosque namque heroes, deperditosque homines ex tali concubitu ortos esse, scribit: Neronem ex angue conceptum, Merlinum illum vatem Anglum ex incubo procreatum. Adstipulatur huic Strozius Cicogn. *in theatr. univ. natur. seu magia omnif. lib. 3. cap. 3.* allegans Scot. *in 2. sent. d. 7. quæst. 1.* Augustin. *de civit. cap. 23. & lib. 1. quæst. super Genes. 43.* cujus verba sunt: *Fama*, inquit, *vulgatum est, & a multis approbatum, atque etiam acceptum ab iis, de quorum fide dubitari non debet, faunos, & animalia quædam sylvestria a vulgo incubi dicta, mulieribus molestos fuisse, ut concubere cum ipsis, luxuriemque explere cupiverint*. Recenset ex Henrico Institore, & Jacobo Spangero exemplum de moniali diù ab incubo tentata. Ex incubis, vel succubis geniti videntur quos Mahometani Nossesoglios vocant, & è spiritu Sancto natos impiè credunt. Saxo Grammaticus, & alii Scriptores affirmant Gothorum Reges è matre nobili, & spiritu incubo ursi formam gerente ortum habuisse. Joannes de Barros author est Pecusianos, & Sejanitas, Indiæ populos a mulieribus dæmonum concubitu impletis originem traxisse. Incubos generare Beda in historiis Britonum, & multæ aliæ scripturæ testantur.

5 Qua autem ratione hoc fieri possit, non videtur, nisi hac sola, quod virile semen effusum, mox in vas muliebre cum debita temperantiæ qualitate transfundant. Sed sic propriè generare incubum non dicendum, infinitas tamen rationes latere humanis ingeniis rerum secreto naturæ planum est. Latent pleraque istiusmodi magnis obscurata, & circumfusa tenebris. Et incubos dæmones oppressisse fœminas quasdam, alias venereis confabulationibus ad concubitum illexisse, in veneficiis utriusque sexus in parte orientali Flandriæ, atque Barbantiæ per Judices deprehensum est, & scelus illud extremo supplicio punitum, confessique sunt occasione hujusmodi perversissimæ voluptatis se ad veneficii crimen protractos, & quamvis essent conjugati, quod tamen relicto thoro legitimo, alter succubo, altera incubo multo tempore sceleratissimè permisti fuerint. Similia scribunt in Germania contigisse ante annos centum Jacobus Sprenger. & Henricus Instit. *in mall. malef. part. 1. quæst. 1. cap. 4.* & Innocentius VIII. *in epist. decret. adversus maleficos*. De incuborum generatione latè agit Petrus Boysteau in libro gallicè edito de historiis prodigiosis, ubi multis in utranque partem citatis authoribus, & exemplis, docet eos nullo modo generare posse, quia generari nequit, nisi ex humano semine. Verùm hæc ratio nulla est, nam si generare posse dicamus incubum, non id fiet ex proprio semine, quo caret, sed humano aliunde petito, ideòque nec filius dæmonis erit, qui ex hujusmodi nascetur concubitu, sed illius hominis, cujus est semen.

6 Eos itaque generare posse plerique omnes confitentur, ut D. Thom. *in 2. d. 8. art. 4. & in sum. part. 1. quæst. 51. art. 3.* Durand. *ibique* 2. Jacob. Sprenger. *loc. cit.* Goscaltus Hollen. *ser. ult. in 6. præcept. decal.* Sylvest. *v. matrimonium 8. num. 15. §. 2.* Franc. Valles. *in libr. de sacr. Philosoph. cap. 8.* Ubi putat cum Josepho eorum opera gigantes illos, de quibus *in Gen. cap. 6.* genitos esse, & plures alii, quos citat Pererius *lib. 8. com. in Genes. disp. 3.* Sed ipse nihil determinat, docetque præcæteris Delr. *lib. 2. disq. magic. tota quæst. 15.* Ubi quæ adversari objiciunt exempla illusarum aliquando mulierculârum, non refellit, nec reiicit, sed contendit, ineptè illos hinc inferre, aliquando deluduntur, nunquam ergo id verè contingit, ex particulari affirmativa inferunt universalem etiam affirmativam in materia non necessaria, quod ineptum est. Remedia adversus ejusmodi incubos, etiam per maleficium vexantes, habes apud Castaldum *de potest. angelic. dist. 8. quæstion. 1. art. 20. numer. 16.*

7 Et quidem, quod adhibito viventis alicujus semine, & transfuso in naturalem locum, seu, ut pulchrè loquitur S. Ambrosius *in Psal. 118. in feminum aulam*, id est uterum, possit dæmon prolem semini illi consentaneam producere, concors est sententia gravissimorum Theologorum, & Philosophorum, quos sequuntur, ac referunt Castr. *lib 1. de just. hæret. punit. cap. 16.* Authores mallei *part. 2. quæst. 1. cap. 4.* Thyreus *lib. 1. de appar. spirit. cap. 10.* Vales. *cap. 8. hierophys.* Anan. *lib. 4. de natur. dæm. cap. 3.* Delrius *lib. 2. magic. quæst. 15.* Palac. *in 2. d. 7. disp. 4.* Serar. *in cap. 6. Tobiæ quæst. 4.* Binsfeld. *d. confess. malef. 1. part. quæst. concluf. 5.* Petr. Gregor. *lib. 34. syntagm. jur. cap. 20.* Indubitatum enim est dæmonem in his plerumque turpitudinibus se debere, ut hoc negare impudentiæ esse videatur judice D. Augustino *lib. 15. civit. cap. 23.* ob frequentissima experimenta Sylvanorum, & Faunorum, quos vulgò ait vocari incubos, & eorum, quos a Gallis memorat dictos Dusios, Drusios legendum monet Bodin. 2. *dæmon. cap. 7.* quasi foris degentes, sic autem dicti sunt ad differentiam Druydum, qui item sylvas incolebant. Alias multas sui temporis experientias adducit Gulielm. Paris. *lib. 2. de univ. cap. 25.* Sed neque fines hoc sæculorum, in quos devenimus, hoc generis nostri probro caruisse, docent multa exempla, quæ idem Bodinus collegit, & quæ habent etiam Molina 1. *part. quæst. 50. art. 1.* & Valesius ac Palatius *supra*, & Lipsius *1. physiol. Stoicæ dissert. 20.*

Neque hoc ferè diffitentur Adversarii, si unum ex- 8
cipias Vvierum, qui *lib. 3. de præstig. a cap. 19. ad 34.* omni ope, ac studio connititur hæc omnia in sagarum, quibus patrocinatur, vitiatam imaginationem referre. Quidquid autem in probatis authoribus, vel historiis de hac re memoratur, sive novum, sive antiquum, fabulæ illi & nugæ sunt. Nititurque præsertim falsa assertione hymenis, quam membranam ait in passis dæmonem incubum virginibus, integram adhuc repertum iri. Nos tamen peritioribus medicis Fernelio *1. physiol. cap. 7. in fine*, Laurentio *7. anat. cap. 12. & quæst. 13.* Valesio *cap. 25. sacraphylos.* aliisque hujusmodi rerum peritissimis, eam membranam dari negantibus, fidem habentes, miramur Vvierum argumento, ut minimum incertissimo, stabilire impium suum sagarum patrocinium. Nec ei præsidii quicquam esse *in cap. 22. Deuter.* quod prætexit hymenem astruere, rectè ostendunt Vales. *supra*, & Vasquez *3. part. d. 121. num. 52.* Immò quamvis hoc admitteretur, facilè dici poterit, illæsa carne interveniisse verum, & non duntaxat imaginarium cum dæmone in assumpto corpore congressum. Quod exponi poterit ea ipsa ratione, qua D. Thom. *quodlib. 6. art. 18.* declarat, prolem interveniente viri opera, illæsa virginitate, concipi posse.

Alii, licèt verum dæmonis in assumpto corpore con- 9
gressum admittant, negant tamen prolem inde concipi posse, tametsi dæmon verum, ut supponitur, semen aliunde exportatum adhibeat. Ita Ulricus Molitor *lib. de python. mulier. cap. 6. & 10.* & Boguettus *lib. de fortileg. capit. 14.* dubitatque Perer. *in cap. 6. Genes. disput. 3. numer. 75.* & Conimbr. *lib. 1. de generat. cap. 4. quæstion. 10. art. 3. sub fin.* Sed nihil afferunt quod urgeat. Nam diffabilitas spirituum, ex qua argumentantur, non est tanta, quin possit per dæmonis industriam impediri, cum id tantùm spectet ad inhibitionem motus localis illorum corporum. Frigiditas verò seminis adhibiti a dæmone incubo, quam testantur frequentia experimenta apud Bodinum *supra capit. 7.* & apud Boguettum *capit. 2. & 13. & seq.* non evincit, ut malè aliqui contendunt, seminis illius inefficaciam, & ineptitudinem ad prolis procreationem. Vel enim tunc dæmon non adhibet verum semen ex vivente decisum, vel non vult laborare in fovendis, & retinendis spiritibus calorem semini conciliantibus. Itaque cùm in casu, quem tractamus adhibeantur eædem prorsus causæ, quæ ad naturalem, & ordinariam generationem sufficiunt, tametsi alia sit causa applicans, non dubium, quin eadem actio possit sequi. Et ita præter multos ex supra adductis Augustinus Ancon. *lect. 14. super missus est, quæst. 4.*

Eam tamen actionem nemo jure tribuat dæmoni, si- 10
cut nemo jure dixerit, agricolam esse partem spicæ, cujus semen ipse immiserit terræ, ut rectè ad hoc propositum dixit D. August. *lib. 3. de Trinit. cap. 8.* Quare semidei illi, & heroes, quos tàm multis fabulis inter Gentes dedisse principium suspicatur Vales. *cap. 8. sacr. philos.* perperam ex numine quodam, & ex homine geniti credebantur, cùm dæmon nonnisi materiam applicantis, ac velut agricolæ partes sustineret. Quod idem de Faunis, Sylvanis, Satyris, Pavibus, Dryadibus, Oreadibus, & aliis falsò creditis Deorum filiis, sensit Picus *lib. 4. de prænot. capit. 4.* & ex multis antiquis Fevardent. *ad lib. 4. Iren. capit. 70.* Gymnosophistarum primum authorem, quem è Virgine conceptum fabulabantur, ut refert Divus Hieron. *lib. 1. in Jovinian.* hac ratione fuisse conceptum, conjectura est. Sed & Hunnorum gentem fœdos hos natales primum habuisse scribit Jornandes in historia Gothica, idem dicendum de aliis in hanc rem exemplis quæ adducit Serar. *dict. quæstion. 4.* inter quæ a nonnullis adjungitur exemplum Stercorei Prophetæ, quem hujusmodi natales habuisse, fatente matre se id passam cum in balneo quodam

dam ancillaretur ex Petro Sylvio, & Cocleo ſcribit idem Serarius.

11 Quid autem ſi verum ſemen dœmon aſſumat, ſed in locum debitum non tranſmittat, quidve ſi ne verum quidem ſemen ex vivente aſſumat, alibi fusè tractabitur.

12 Ad Secundum: Stuprum voluntarium punitur in utroque, id eſt in mare, & in fœmina. Violentum verò non in patiente, textus *in l.* 20. *tit.* 9. *C. ad leg. Jul. de adult.* uſque adeò, ut per vim ſtuprata nullam patiatur infamiam, nec de adulterio, nec de ſtupro accuſari poſſit, textus, & Doctores *ibid.* Licet ipſa ſine præfinitione temporis ſtupratorem perſequi poſſit, *l. mariti in fin. ff. eod.* Et adeo inviolatæ exiſtimationis eſt, ut nec nuptis illius aliis interdicatur, textus *ibid.* in fine, & virginitatem retinere cenſeatur, *can. propoſitæ* 32. *quæſt.* 2. licèt non poſſit in monaſterium recipi, & ut virgo Deo conſecrari, *cap. juvenculas*, & ibi Canoniſtæ 26. *q.* 1. quia non agitur de peccato, ſed de Sacramento, niſi recipiatur hujuſmodi vitiata cum diſtinctione aliqua, omittendo aliquid ex ſignis virginitatis, ut per D. Thom. *in* 4. *d.* 38. *q.* 1. Elbert. Leonin. *in proceſſ. crimin. ad leg.* 2. *C. ad leg. Jul. de adult.* Sum. Raym. *lib.* 3. *c.* 2. & ibi Gulielm. Rhodonen. *in annot.*

CONSULTATIO CII.

1 *An Canonici teneantur excipere Epiſcopum indutum Cappa in Camera palatii Epiſcopalis, ad id deſignata, in feſtivitatibus ſolemnioribus, quando vult accedere ad Eccleſiam, & ingredi per illius valvas majores duntaxat?*

2 *An quando Epiſcopus vult accedere ad Eccleſiam in aliis feſtivitatibus, & Dominicis diebus, & audiendi cauſa concionem per ſcalam ſecretam palatii Epiſcopalis, tendentem ad ſacrarium Eccleſiæ, teneantur Canonici illum excipere in camera?*

3 *An Epiſcopus teneatur ſtatuere certam horam ſui adventus tempore opportuno, illamque ſignificare, ſitque ipſi permiſſum venientibus Canonicis moram trahere in accedendo ad Eccleſiam?*

4 *An Canonici comitantes Epiſcopum in ejus reditu, teneantur illi aſſiſtere, donec ſpolietur cappa, & induatur exomide, vulgò mozzetta? Ubi alia.*

1 AD primum: Canonici non tenentur excipere Epiſcopum in ejus Camera, niſi tranſeat per valvas majores Eccleſiæ. Ita diſponit Cæremoniale *lib.* 1. *c.* 15. illis verbis: *Tunc ipſe Epiſcopus, & poſt illum ſequuntur Canonici bini juxta antiquam, & canonicam diſciplinam, & de ordine procedant uſque ad portam primariam.* Concinit *cap.* 1. *lib.* 2. & 5. & 8. Quod autem hoc intelligitur in feſtis ſolemnioribus tantùm, quando adeſt conſuetudo immemorabilis, pluries reſolvit Sac. Rituum Congregatio, ut in Peruſina 20. Decembris 1601. in Ripana 14. Septembris 1609. in Sarzanen. 12. Martii 1616. in Tarviſana 19. Januarii 1619. in Saxonen. 30. Martii ejuſdem anni, in Limana 19. Maji 1621. ac, itaut ſi ex conſuetudine Epiſcopus prætendat Canonicos teneri ad illum excipiendum in camera in aliis feſtivitatibus. Dominicis diebus, & tempore concionis, quando non ingreditur per portam primariam Eccleſiæ, eſſet ab illo probanda, ut fuit reſolutum ab eadem Sac. Congregatione in Ripana 30. Januarii 1650. Unde reſpondetur.

2 Ad ſecundum, quod Canonici ad id non tenentur, ſed Epiſcopus debet eſſe contentus conſuetudine, quod excipiatur in ſacrario. Præcipuè ſi quando Epiſcopus accedit ad Eccleſiam, & ab illa diſcedit per dictam ſcalam ſecretam nullo modo ſervari poſſit forma præſcripta in Cæremoniali circa ordinem incedendi *d. lib.* 1. *cap.* 15. nempè, quod Canonici ſequantur Epiſcopum bini.

3 Ad tertium: Certi juris eſt, Epiſcopum teneri certam horam ſui adventus ſtatuere, illamque ſignificare Canonicis, ut ſæpius fuiſſe reſolutum ab eadem S. Congregatione teſtatur Barboſa *cap.* 32. *num.* 14. *de Canonic.* ſtatimque venientibus Canonicis teneri ad Eccleſiam accedere, neque illi permiſſum eſt, moram trahere, ne Canonici cum ſuo habitu canonicali aulico ritu in proceſſione catervam præbeant in ignominiam dignitatis canonicalis, & in detrimentum cultus divini, cùm divina officia perturbarentur, & Eccleſia remaneret eo temporis ſpatio ſine miniſtris.

4 Ad quartum negativè, ſed Epiſcopus, data Canonicis benedictionem, ſtatim illos dimittere tenetur.

5 Quod ſi Epiſcopus, finita miſſa, vel Veſperis, non tamen completorio, vel concione morali diſcedere voluerit, Canonici tenentur illum ſaltem extra portam Eccleſiæ comitari, & poſtea redire ſtatim ad chorum. Si verò diſcedat perſolutis divinis Officiis, tenentur illum aſſociare extra portam Eccleſiæ, vel uſque ad primum atrium domus Epiſcopi, quando domus eſt contigua Eccleſiæ. Ita Sac. Rituum Congregatio in Piſauren. 13. Septembris 1646. Quæ reſolutio eſt juxta formam Cæremonialis *lib.* 2. *c.* 1. *in fine*, & a dicta S. Congregatione aliàs ita fuit deciſum, Epiſcopum ab Eccleſia diſcedentem reaſſociandum eſſe ſaltem extra portam Eccleſiæ juxta formam cæremonialis, ut in Ebor. 16. Maji 1601. Cremon. 28. Maji 1602. Placentina 4. Julii 1615. non obſtante contraria conſuetudine, ut in Conimbricen. 6. Julii 1602.

Porrò pro illa parte, in qua dicitur, quod ſi Epiſcopus, finita miſſa, vel veſperis, non tamen Completorio, vel concione morali diſcedere voluerit, Canonici teneantur ſaltem extra portam Eccleſiæ illum comitari & poſtea redire ſtatim ad canendum horas, ſive completorium, extat expreſſa diſpoſitio Cæremonialis *lib.* 1. *cap.* 2. & clarius *lib.* 2. *cap.* 2. *in fine*, ubi, finita miſſa, mandat, Epiſcopum aſſociari extra portam Eccleſiæ. Nam poſtea hora ſexta & nona ſunt perſolvendæ, & minus quam fieri poteſt differendæ, cum populo aſſiſtenti non debeat dari occaſio diſcedendi ab Eccleſia. 6

Neque Cæremoniale *d. lib.* 2. *cap.* 2. diſponit, quod Canonici debeant aſſociare Epiſcopum redeuntem uſque ad eandem Cameram, a qua ſuſceptus fuit, ſed expreſſè uſque ad habitationem Epiſcopi in illis verbis: *ſi habitatio erit contigua, vel vicina Eccleſiæ*, non autem dicit, ſi Camera. *Si verò diſtantior uſque ad portam ipſius Eccleſiæ*, ubi Cæremoniale non loquitur incidenter, ſed legem conſtituendo. 7

Non obſtat dictum Cæremoniale *lib.* 1. *cap.* 15. quia ſi rectè expendatur, non repugnat, neque corrigit diſpoſitionem *cap.* 2. Nam in eo *cap.* 15. nihil diſponit circa locum, ad quem aſſociationis faciendæ a Canonicis, ſuper quo jam erat diſpoſitum *in dict. cap.* 2. Licèt enim diſponat ſuper loco, a quo, etiam præſcribendo ordinem ſervandum, quando Epiſcopus accedit ad Eccleſiam, nempè quod primò incedant familiares Epiſcopi, tum ipſe Epiſcopus, & eum ſequantur Canonici bini. Dum enim in eodem *cap.* poſtea mandat & diſponat, quod in redeundo idem ordo ſervetur, intelligitur de ordine incedendi, quod ſcilicet in redeundo etiam ſervetur quod primò incedant familiares Epiſcopi, tum ipſe Epiſcopus, & poſtea Canonici bini, in quo conſiſtit ordo. Nec Cæremoniale dici, quod in redeundo perveniatur ad Cameram, a qua Epiſcopus fuit a Canonicis in redeundo ad Eccleſiam exceptus, dum circa id extabat aperta diſpoſitio in antecedenti *capit.* 2. 8

CONSULTATIO CIII.

An Canonicus Eccleſiæ cathedralis, qui ex diſpenſatione Apoſtolica obtinet in eadem Eccleſia beneficium, ſive Capellaniam, deferre poſſit habitum canonicalem, & præcedere alios beneficiatos, vel Capellanos in functionibus, ad quas ratione beneficii, ſive Capellaniæ ſimul conveniunt?

UT quæſtionis hujus clarior reſolutio habeatur, ad eam cum diſtinctione reſpondendum eſſe exiſtimo. Vel igitur iſti beneficiati conſtituunt unum corpus, ſive Collegium, in quo Canonicus eſt tanquam unus de Collegio, & neutrum ei licebit. Certa enim juris regula eſt, ut in omnibus functionibus dicti Collegii debeat is ſedere ac ſtare poſt omnes alios, qui poſt omnes alios in illo fuit admiſſus, illiſque omnem præcedentiam cedere, ut ex juribus, ac Doctoribus ſæpè firmavit Rota apud Seraph. *dec.* 716. *n.* 15. & *par.* 4. *rec. dec.* 91. ubi de Cardinali Vicecancellario, vel Camerario, quod non præcedit alios in eadem dignitate priores, ſicuti non præcedunt in Rota & in Capitulo Patriarchæ & Archiepiſcopi, ſi ſunt Auditores, vel Canonici, & in Vicen. augmenti apud Marcheſ. *tom.* 1. *fol.* 19. ac cenſuit S. Rituum Congregatio in Comen. præeminentiarum 14. Martii 1653. 1

Vel non conſtituunt Collegium, & tunc ſunt conſiderandi uti ſinguli, atque adeò Canonicus hujuſmodi debet præcedere, ac deferre habitum ſuum canonicalem in propria Eccleſia juxta regulam, quod qui major eſt in dignitate præcedit alios indiſtinctè extra collegium, ut per Menoch. *conſ.* 902. *n.* 71. Lott. *de re benef. quæſt.* 16. *num.* 124. qui eam appellat tritiſſimam, nec habere difficultatem, Barboſ. *de canon. & dignit. cap.* 18. *num.* 64. & *in collect. Bular. v. Canonici*, ubi refert ita 2

decisum aliàs a Sacra Congregatione, aliique communiter asserentes quod in Congregationibus, & concursu plurium non in forma Collegii indistinctè, qui majori fulget dignitate, præcedit alios. Et ita Canonicus beneficiatus interveniendo cum aliis beneficiatis in habitu canonicali, debet illos præcedere in propria Ecclesia, quia non versamur in Collegio formali, sed inter personas separatas, & simplices beneficiatos, qui licèt simul conveniant pro suis functionibus, considerantur tamen uti singuli, quemadmodum censuit Rot. *dec.136. par.6. div.* & tradit Gonzal. *ad reg. cancel. glos. 19. numer.*14. Præcipuè verò si dicti beneficiati non habent peculiarem habitum ad tales functiones, sed quilibet assumit proprium & congruentem suo Ordini, ac propterea non debet esse prohibitum Canonico, quin etiam ipse suum canonicalem, tanquam proprium deferat, sicuti fuit consideratum in Pistorien. tenoris sequentis.

3 *Contendentibus inter se Confratribus Sanctissimæ Trinitatis, & Spiritus sancti Civitatis Pistorii, videlicet Canonicis ejusdem Civitatis ex una, & aliis Presbyteris non Canonicis ex altera partibus super delatione habitus canonicalis, & præcedentia in dictis Societatibus servanda, Sacra Rituum Congregatio, referente Illustrissimo de Torres, censuit Canonicos juxta eorum antiquam consuetudinem uti debere in dictis Societatibus habitu canonicali, eosdemque Canonicos sive sint Priores Societatis eodem tempore, sive sint Officiales, vel unus, vel plures habeant officium, omnes simul sedere semper debere in primis locis ad sinistram chori, atque inter eos officiales præcedere aliis officium non habentibus, non obstante majori dignitate, aut priori receptione in canonicatu. Presbyteros verò non Canonicos Priores sedere è contra debere ad dexteram chori, coadjutores autem Canonicorum nulla in dictis Societatibus prærogativa Canonicorum gaudere posse. In reliquis nihil omninò immutari voluit. Et ita servari mandavit, facto verbo cum Sanctissimo die 12. Junii 1628.*

4 Et in Turritana. *Pro parte Ecclesiæ Turritanæ petitum fuit declarari, an Canonici præcedere debeant beneficiatos indutos. Et Sacr. Rituum Congregatio respondit, Canonicos semper præcedere debere beneficiatos, licèt cappis indutos, dummodò beneficiati non sint parati sacris vestibus die 5. Julii 1631.*

5 Non est enim insolens, quod persona, quæ habet præeminentiam dissimilem a cæteris, deferat habitum. Sic Prothonotarius, si est prima dignitas, potest deferre habitum Prothonotarii etiam in stallo sui Chori, secus autem si non est prima dignitas.

CONSULTATIO CIV.

An & quatenus simplices Presbyteri gaudeant prærogativis, quibus gaudent Canonici?

1 CUm primum Cathedralis, sive Collegiata erecta fuit cum suo capite, & membris distinctis, ceu sunt dignitates, Canonici, & presbyteri, sive Capellani, tunc censentur hi gradus instituti juxta juris dispositionem, ex qua certum est presbyteros esse inferiores Canonicis ad Glos. *in cap. penult. v. assistos de Cler. non resid.* ubi Doctores communiter, Rip. *resp.* 5. *numer.* 1. & 6. *de constitut.* Cæs. de Graff. *decis.*4. *numer.*6. & 9. *de his, quæ fiunt a major. par. cap. decis.*183. *numer.* 1. & *decis.*416. *numer. etiam* 1. *par.*1. *rec.* Caval. *decis.* 57. *n.*1. Rot. *dec.*136. *num.*1. & 351. *num.*11. *par.*6. *rec.* & *decis.*59. & 76. *p.*7. passimque alibi.

2 Pariter si habitus Canonicorum est distinctus ab habitu presbyterorum, quod est signum præcipuum distinctionis graduum, ac ordinum, atque jus peculiare Canonicorum ex traditis a Zecch. *de republ. Eccles. c.*2. *num.*1.

3 Insuper si Canonici præter habitum habeant plures alias prærogativas, quæ illos a simplicibus presbyteris prorsus distinguunt, nempè in thurificatione, in substitutione in locum Dignitatum pro peragendis primariis functionibus Ecclesiæ, & pro convocando Capitulo, & in assistentia Dignitati celebranti, ac pontificalia exercenti, quæ non competunt Presbyteris, sive Capellanis, ut in specie ad fundandum præeminentiam Canonicorum consideravit Rota in Hispalen. præeminentiarum coram Innocentio X. *n.*2.

4 Et licèt in erectione Collegiatæ, vel Cathedralis fuerit concessum Presbyteris suffragium in Capitulo, inde tamen non sequitur, quod in reliquis pares sint Canonicis, ut rectè tradit Gemin. *in cap. fin. num.*5. *de præb. in* 6. & fuit dictum in Abulen. jurisdictionis 6. Februarii, & 17. Aprilis 1589. coram Pamphilio, & in tortionibus terminis de Portionariis Hispaniarum, qui majores habent prærogativas, quam beneficiati Italiæ, ut dicitur *in decis.* 506. *num.*4. *part.* 1. *recent.* quod non ex eo quod admittantur in capitulo, & in illo habeant æquale suffragium cum Canonicis, possint dici ejusdem ordinis cum Canonicis, sed adhuc sint ordinis inferioris & penitus distincti, fuit firmatum in dict. Hispalen. præeminentiarum coram Innocentio X. *decis.*406. *num.* 5. & 6. *p. recent.* confirmata in adducta *decis.* 506. ejusdem & coram Coccino 4. Julii 1625. & 16. Februarii 1626. Et desumitur *ex arg.* Glos. *in l. omnes* 2. *de verb. signif.* Nam istæ ac similes qualitates non mutant eorum speciem, *l. proponebatur ff. de jud.* & *l. cum quæritur, ff. de except.* Rot. *dec.*416. & 506. *par.*1. *rec.* & *dec.* 450. *p.*5. *rec. n.*9.

Hinc iidem Presbyteri debent accipere cineres, candelas, & palmas genuflexi, aliaque peragere ad formam cœremonialis, ut in specie, quod Capellani, quamvis habeant eandem prærogativam ferendi suffragium in Capitulo, nec non alias longè majores, censeantur tamen in omnibus, & per omnia comprehensi sub dispositione cœremonialis, resolvit Rota citata Hispalen. coram Coccino. Qua in re Ordinarius habet fundatam intentionem pro observatione dicti cœremonialis, Scip. de Rub. *in aphor. Episc. v. assistentia num.* 2. & decrevit Sac. Rituum Congregatio in Alexandrina 15. Martii 1608. in Marsicen. 4. Aprilis 1620. potestque obligare Ecclesiam ad formam in eo præscriptam: Maximè si id ipsum præcipiatur a decretis Capitularibus, quæ omninò servanda sunt, Butr. *in cap. constitutis numer.*5. *de rescript.* Lotter. *de re benef. lib.*1. *quæst.* 14. *numer.* 88. Ferr. *cons.*286. *numer.*1. & Rot. *dec.*406. *part.*4. *rec.* ubi in specie concessa est facultas in iis, quæ ordinationem chori respiciant. 5

Hinc etiam sedilia Canonicorum debent esse distincta a sedibus Presbyterorum ex dispositione juris, secundùm quod Canonicis debetur locus aliis altior, Zecch. *d. cap.*2. *num.*1. Novar. *quæst. for. par.*1. *quæst.*24. *num.*1. ubi quod est de jure canonicali habere stallum in choro honorificentius, *cap. relatum de præb. in* 6. Lotter. *lib.* 1. *qu.*16. *n.*5. fuitque dictum *in dec.* 3. *num.*2. *part.*5. *recent.* Et quemadmodum Canonici, absentibus Dignitatibus, debent etiam sedere in suo stallo, nec ascendere ad illarum sedes, ut decrevit Sacra Rituum Congregatio in Capuana 18. Martii 1618. & nos alio in loco diximus, ita & potiori ratione non debent simplices presbyteri ascendere ad sedes canonicales. Ex usu namque promiscuo sedilium, & ex subingressu presbyterorum in sedes canonicales non parvum sequitur absurdum, nam deficientibus aliquibus ex Canonicis, qui sedent a parte dextera primæ dignitatis, presbyteri per subingressum occupant non modò æqualem locum, sed honorabiliorem loco Canonicorum, qui dum sedent a parte sinistra; remanent in loco inferiori ex traditis per Tiraquel. *de jur. primog. in præf. num.* 13. & per Rot. *decis.*11. *num.*2. *part.*5. *recent.* Quod quidem nullo modo permittendum videtur, tanquam contrarium sacris canonibus, qui abhorrent ab hoc membrorum confusione, quæ inter se sunt distincta, ut firmatur *in dict. decis.*111. *numer.*5. Estque indecorum, quod Canonici cum proprio, & distincto habitu sedeant in loco minus digno contra rectum ordinem, qui non est confundendus, *l.*1. & 2. *Cod. ut dignit. ord. serv.* Menoch. *cons.*126. *num.*1. & Gratian. *discept.* 845. *numer.* 3. Ac, itaut non detur præscriptio in iis, quæ pertinent ad præeminentiam, & superioritatem adversus majores, Glos. *ult. in cap. accedentes*, Glos.4. *in cap. auditis in fin. de præscript.* & Glos. *in cap. ult. de consuetud.* omnisque consuetudo, per quam confunditur ordo in sedendo, dicitur invalida, Seraph. *decis.* 716. *numer.* 4. Lotter. *dict. quæst.* 16. *num.*46. 6

At verò si in diplomate erectionis, cujus tenor præsertim attendi debet ad textum *in cap. porrò*, & *in cap. accipimus*, & utrobique Doctores, *de privil.* Rot. *decis.* 238. *numer.* 3. *part.*5. *recent.* disponatur, quod Canonici simul cum Presbyteris omnibus constituant Capitulum, ac suffragium in illo æqualiter habeant, missis, aliisque divinis officiis intersint, resideant, æqualem portionem percipiant fructuum, & inter eos pariter distributiones quotidianæ dividantur, tunc Presbyteri sunt in omnibus æquales Canonicis præterquam in nomine, & in simplici præcedentia. Siquidem hæc æquiparatio id operatur ac si speciatim omnia, quæ competunt Canonicis, essent etiam aliis presbyteris concessa, Rot. in Valentina juris sedendi 5. Junii 1637. coram Ghislerio inter *rec. part.*7. *dec.*224. *num.* 1. & in eadem coram Verospio 8. Junii 1643. Idque etiam argui potest universim ad ea omnia, quæ ex ipsa æquiparatione 7

prove-

proveniunt, licèt in ſpecie non eſſent expreſſa ex adductis a Rota in Valentina præeminentiarum 7. Junii 1641. coram Pirovano §.1. *in fine*.

8 Accedentibus præcipuè Conſtitutionibus Capituli, quæ tanquam ea, quæ concernunt particularia negotia ipſius, & ordinationem chori, validæ ſunt, atquè obſervandæ, Gloſ. *in cap.2. v.ſtatutum de verb. ſignif. in 6.* Lotter. *d. lib.1. quæſt.14. num.88.* Azor. *inſtitut. mor. par.2. lib.7. cap.7. in fin. quæſt.17.* Rot. *dec.606. num.1. part.4. rec.* & in ſpecie de concernentibus ordinationem chori fuit dictum in Illarden. ſtatuti 19. Martii 1597. coram Corduba, quam refert, ac ſequitur Rot. *d. dec.606. n.1.* haſque Conſtitutiones capitulares obſervavit Rota in Valentina juris ſedendi 16. Decembris 1633. coram Merlino *p.6. rec. dec.252. n.5.*

9 Suppoſita igitur hac æqualitate, poſſunt Presbyteri in abſentia Canonicorum occupare illorum ſedes, cum æquiparatio operetur ac ſi ſpeciatim, & indiſtinctè fuiſſet iis conceſſum jus occupandi ſedes vacuas, ut dixit Rota in d. Valentina juris ſedendi 8. Junii 1643. coram Veroſpio *dec.252.* & 288. *par.6.* & *dec.224. par.7. recent.* Tum quia cum ſedes Canonicorum, & Presbyterorum ſint in choro æquales, ſeſſio intereſſentium debet gradatim continuari. Continuatio autem præſtat, ut ſeſſio presbyterorum, nullo medio interpoſito, adhærere, & copulari omninò debeat ſedibus Canonicorum, ut in terminis Rota *d. dec.252. num.1. part.4. recent.* Quippè continuatio eſt conjunctio, & ſubordinatio abſque intervallo, Bard. *de temp. util.* & *contin. cap.1. num.2.* & *ſeqq.* Tum etiam exinde provenit decor Eccleſiaſtici ritus, cum in choro nulla diſſipatio debeat, ſed conjunctiſſima unitas, ut poſt Coccin. *dec.197. n.4.* dixit Rota in d. Valentina juris ſedendi coram Veroſpio ex Steph. Duran. *de ritib. Eccleſ. lib.1. cap.17.* Neque ex occupatione ſedilium canonicalium infertur præjudicium Canonicis abſentibus, ut in ſpecie Rota in d. Valentina 16. Decembris 1633. coram Merlino, confirmata 12. Junii coram eodem, & typis edita *part. 6. recent. dec.252.* & *deciſ.288.* & in eadem cauſa 5. Junii 1637. coram Ghislerio *part.7. recent. dec.224.* Quin etiam debetur iiſdem presbyteris in omnibus actibus æqualis præeminentia poſt Canonicos, Rota in d. Valentina præeminentiarum 11. Martii 1641. coram Pirovano.

10 Neque obſiſtit liber Cœremonialis. Quia loquitur in iis tantum caſibus, in quibus adeſt inæqualitas inter Canonicos, & alios presbyteros, conſtituentes ordinem diverſum diſtinctum, prout ex regula juris communis adeſt, quo attento, ſoli Canonici conſtituunt Capitulum ex Abb. *in cap. novit. de iis, quæ fiunt a Præl.* Veral. *deciſ.84. part.1.* & ex pluribus notatis per Rub. *in addit. ad deciſ.27. part.3. recent. a num.15.* cujus inæqualitatis ratione dicunt etiam diverſitatem adeſſe in modo expediendi actus Eccleſiaſticos. Aliud tamen dicendum quando ex jure, & privilegio ſpeciali, vel ex conſuetudine fuit inducta æqualitas inter ipſos. Tunc enim, ceſſante ſuppoſitione inæqualitatis, in qua fundatur liber cœremonialis, non poteſt ejus diſpoſitio adaptari, Gloſ. *in l. mancipia Cod. de ſerv. fugit.* Surd. *conſ.150. num.78.* & *deciſ.74. num.5.* Rot. *deciſ.440. num.2. part.5. rec.*

11 Etenim in libro primo cœremonialis *cap.18.* habetur, quod *manſionariis, ſeu beneficiatis ſupervenientibus, nulli ex Canonicis, aut Magiſtratu, vel nobilibus ſupradictis aſſurgant, ſed tantummodò alii manſionarii,* & *Clerici, eorum æquales, vel inferiores.* Ergo totalem inæqualitatem ſupponit. Pergit ibidem Cœremoniale, *Illud quoque pro regula obſervandum erit, ut æqualiter omnes prædicti, qui de eodem corpore ſunt, cum ſedendum erit, ſedeant, cum verò ſurgendum, ſurgant.* Itaque cum ſupra prohibuerit Canonicos aſſurgere beneficiatis ſupervenientibus, ſupponit eos non eſſe de eodem corpore, ſubditque: *Sunt enim diverſa corpora ſeu chori miniſtrantium, dum divina res ſolemniter celebratur. Primus ſiquidem chorus eſt aſſiſtentium,* & *miniſtrantium Epiſcopo celebranti: Alter Canonicorum in ſuis ſubſelliis reſidentium. Alter magiſtratuum, vel nobilium laicorum. Alter beneficiatorum, vel reliquorum Clericorum.* Ex quibus apertiſſimè conſtat loqui de beneficiatis conſtituentibus corpus ſeparatum a Canonicis, & habentibus ſubſellia non conjuncta, & continuata cum illis.

12 Cum igitur presbyteri a Canonicis in hoc caſu nomine ſolo differant, in cæteris vero omnibus ſint æquales tàm in conſtituendo æqualiter Capitulum, omneſque actus capitulares explicando, bona Eccleſiæ adminiſtrando, in ſedibus æqualibus ſedendo, itaut unum ac idem corpus Capituli cum Canonicis conflant, ſintque ſocii, & æquales, non autem miniſtri ac ſervi, ideò pariter, æqualiterque iiſdem honoribus potiri debent, Rota in dict. Hiſpalen. præeminentiarum 4. Junii 1625. coram Coccino, ubi firmatur, quod quotieſcunque portionarii ſunt æquales Canonicis, Cœremoniale loquens de Canonicis, intelligitur etiam de portionariis. Quandocunque enim presbyteri non conficiunt corpus diſtinctum a Canonicis, ſed ſunt illis æquales, ceſſat cœremonialis diſpoſitio a ceſſante ratione, ut egregiè Rota in d. Hiſpalen. *n.11.* & *ſeqq.* cujus ſententiam, cum illa nobis arrideat, propriis ejus verbis ſubnectemus: *Aut ſunt*, ait, *omninò æquales* & *fruſtra fit objectum. Quia cœremoniale eſſet etiam intelligendum de portionariis, cum ſtatutum diſponens circa perſonas, includat perſonam omiſſam, quando eadem eſt ratio.*

Quapropter hujuſmodi Presbyteri non tenentur ad 13
obſervationes cœremonialis, niſi in iis tantùm, & eo modo, quo tenentur ipſi Canonici. Iſta enim æquiparatio æqualem determinationem inter ipſos operatur ex notatis *in c. ad audientiam de Cler. non reſid.* cum adductis in d. Valentina juris ſedendi coram Veroſpio.

Minuſque obſiſtit, quod plura competant Canonicis, 14
quam Presbyteris. Unde licèt Presbyteri multas habeant prærogativas cum Canonicis communes, non idcircò tamen dicuntur æquales, neque deſinunt eſſe inferiores, ut dixit Rota in ea *dec.416.* & *466.* & *560. par.1.* & *dec.459. par.5. rec.* Nam aliud eſt ubi æqualitas inter perſonas, ſua natura diſpares, eſt particularis, & acquiſita, aliud ubi nativa, & generalis. Quoties enim de primævo Eccleſiæ ſtatu non conſtat, itaut juris diſpoſitio ſit attendenda, Presbyteri ſuper æqualitate cum Canonicis habent juris reſiſtentiam, & regulam contrariam. At ſi ex conſuetudine, vel privilegio, aliove titulo aliquas prærogativas æquales cum Canonicis acquiſiverint, in rebus quæſitis tantùm dicuntur æquales, in reliquis verò ſunt inferiores, & miniſtri.

Neque refragatur, quod Cœremoniale tollat conſue- 15
tudines cum decreto irritante, & clauſula ſublata. Tum quia intelligitur de illis, quæ ſunt certò & directè contra cœremoniale, non autem ubi dubitatur, an caſus, de quo agitur propter facti circumſtantias in eo comprehendatur. Tum etiam quia tollit conſuetudines, quæ tanquam jus non ſcriptum ex abuſu poterint induci, non autem derogat Conſtitutionibus, vel ſtatutis honeſtè ordinatis, ut ex declaratione Sacræ Rituum Congregationis in una Montis regalis 27. Septembris 1608. firmat Rota in Mediolanen. ſuſtentationis libri 26. Junii 1647. coram Ghislerio, & 30. Maji 1650. coram Decano, de qua re nos alibi multis in locis.

CONSULTATIO CV.

An, & quatenus officium duplex ſit Sanctis concedendum?

QUamquam id Summus Pontifex indulgere poſſit 1
cui maluerit, concurrere tamen debent aliquæ rationes, quæ ſuadeant eſſe concedendum. Etenim varietas ritus in officiis ab Eccleſia militante fuit inducta ad repræſentandum aliquo modo cœleſtem hierarchiam, ut advertunt Durand. *in ration. div. offic. lib.1. cap.1.* Raban. *de divin. offic. lib.4. cap.3.* Gavant. *in rubr. Breviar. ſect.3. cap.2. n.1.* In cœleſti autem hierarchia non ſolùm beati ſunt inæquales in beatitudine eſſentiali, quod eſt de fide definitum in Concil. Florent. *ſeſſ. ult.* & probatur ex *Jo: cap.14. In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, ac 1. *Corinth. 16. Stella enim a ſtella differt in claritate, ſic erit reſurrectio mortuorum*, & 2. *Corinth.9. Qui parcè ſeminat, parcè* & *metet.* Quia beatitudo datur, ut præmium propter merita, quæ ſunt inæqualia, ſed etiam habent aliqui beatitudinem accidentalem. Quod etiam eſt de fide, *Luc.18. Gaudium eſt in Cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* Nam obtinet de novo quædam bona extrinſeca contingentia. Hinc in illis dantur aliquæ aureolæ, ut cum D. Thoma *in 5. dict.49. quæſt.5.* Theologi promiſcuè: Quæ ſignificant parvam coronam. Corona autem datur in ſignum excellentiæ, atque ideò beati ob quaſdam ſpeciales excellentias debent habere parvas coronas ſuperadditas coronæ beatitudinis eſſentialis.

Sunt igitur quidam præcipui characteres ſignificati- 2
vi propriæ excellentiæ. Sunt autem tres, nempè Virginum *Sap.4. quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate*, Martyrum juxta illud *Apocal. 7. Amicti ſtolis albis*, & *palmæ in manibus eorum*, Doctorum *ex Daniel* 12. qui ad juſtitiam erudiunt multos; *fulgebunt tanquàm ſtellæ in perpetuas æternitates*. Datur enim aureola

intuitu ſpecialis victoriæ. Virgines autem illam obtinent per victoriam contra dęmones, quatenus falſis ſpeciebus conantur homines decipere, unde per Doctores intelliguntur non ſolùm qui erudiunt in fide, ſed etiam quoad bonos mores.

3 Itaque Virgines, Martyres, Doctores decorari poſſunt in Eccleſia militanti officio ſub ritu duplici. Quem honorem merentur etiam fundatores religioſorum Ordinum. Nam ſi ii quoque gaudent in Eccleſia triumphant aliqua gloria accidentali, qui in Verbo cognoſcunt omnia, quæ pertinent ad ſuum ſtatum, ut cum D. Gregorio docet D. Thomas 2. 2. *quæſt. 83. art. 4. ad 2. & part. 3. quæſt. 10. art. 2. in corp.* ibique Expoſitores, ac Suar. *de Relig. tom. 2. lib. 1. cap. 10. num. 20.* utique id concedendum illis videtur, qui fuerunt parentes & fundatores religioſorum Ordinum, ex quibus in dies prodeunt tot viri ſanctitate, doctrina, omnique genere virtutum inſignes, & tanquam ex agris fertilibus multiplices, ubereſque fructus quotidie ad ſummi Regis laudem, & fidei accretionem verbo & exemplo producuntur, ut inquit Paulus III. de celeberrima, & hominum generi univerſo ſalutari, Societate Jeſu in ſua Conſtitutione, quem poſtea ſequuti ſunt B. Pius V. Gregorius XIII. Clemens VIII. & Urbanus item VIII. quique dę mones non ſolùm a ſe, verum etiam a proximis, quos ad ſalutem informant, ſpiritualibus armis expulerunt, victoriam conſequuti, ac proinde Doctorum honore, quibus aureola debetur, digni cenſentur, ut ab Eccleſia tantò propenſius honorari ſe ſentiant, quantò ipſam præ cæteris excellentius illuſtrarunt, *cap. unic. de reliq. & vener. Sanctor. in 6.* ubi ad rem plura. Nemo ſiquidem eſt, qui non norit virtuti honorem deberi, & iis, qui virtute ſunt præditi, *l. fin. in princip. C. de ſtat. & imag.* Ergo quanto excellentior fuerit virtus, tantò præclariori afficienda honore. Atqui Sancti fundatores religioſorum Ordinum præclariori honore a Deo afficiuntur. Æquum igitur eſt, ut honorentur etiam ab hominibus, cum is gloria & honore dignior ſit, quem Princeps magis honorat, *l. reſtituendæ in fin. C. de advoc. div. Jud.* Improbus enim videtur, qui dedignatur eum honore proſequi, quem Dominus ſuus honorat, *cap. 19. dict. 4. lib. 1. C. de dom. & proteſt.* & perinde atque rebellis cenſetur Regi necnon injurius, qui amicum ejus ſummo affectum honore a regia majeſtate, recuſat honorare *l. ſi imperialis, C. de legib. & l. fin. in fin. C. de privil. eor. qui in ſacr. palat. mil. lib. 23.*

4 Et ex hac potiſſimum ratione dignatur officio ſub ritu duplici D. Franciſcus de Aſſiſio, ut legitur in Conſtitutione 3. Xiſti IV. D. Dominicus ex *Conſtitut. 13. §. 2.* Pauli IV. D. Franciſcus a Paula ex *Conſtitut. 8. §. 1.* Xiſti V. Et licet Clemens VIII. ſub ritu ſemiduplici illud celebrari juſſiſſet, ne officium Dominicæ occurrentis impediret, attamen Paulus V. ea expreſſa ratione, quod Ordinis fundator erat, reſtituit officium duplex, ut obſervat Gavant. *ad d. rubr. Breviar. ſect. 7. cap. 6. n. 2.* eademque ratione Sanctiſſimus D. N. Innocentius XI. his diebus indulſit, ut ſub ritu duplici celebretur officium S. Cœleſtini, Cœleſtinorum Ordinis fundatoris. Et ut eodem ritu duplici ſub præcepto de Concilio S. Congregationis Rituum dato ſub die 24. Januarii 1628. in feſto S. Cajetani Religionis Clericorum Regularium Theatinorum fundatoris officium recitetur idem D. N. Innocentius præcepit die 4. Auguſti 1685.

CONSULTATIO CVI.

An Abbates regulares, qui habent uſum pontificalium, uti illis poſſint in Eccleſiis exemptis præcipue Regularium?

1 SEntentia magis, quam opinio plurimorum eſt, quam & nos propterea meritò recipimus, hujuſmodi uſum licere, idque ex privilegiis ad *text. in cap. Abbates*, ubi Jo: Andr. *poſt init. de privileg. in 6.* Card. *in cap. Clerici numer. 6. not. 11.* ibique Apoſtill. *de vit. & honeſt. Cler.* ac diſertè Lap. *allegat. 19.* Privilegia autem, ſaltem ea, quæ fuerunt conceſſa pluribus Abbatibus Caſinenſibus non ſunt reſtricta ad proprias Eccleſias, ut ſpeciatim apparet ex privilegio Alexandri ſecundi, conceſſo Abbati Caſinenſi, ubi fit mentio de uſu Pontificalium non ſolùm indefinitè, ſed etiam expreſsè extra propriam Eccleſiam, ut in Bullario Caſinenſi *Conſtitut. 7.* Et indiſtinctè idem uſus conceſſus fuit a Calliſto Secundo, & Innocentio Tertio Abbati Caſinenſi, ut in eodem Bullario *Conſtitut. 11. & 13.* utrobique *numer. 4.* & ab eodem Innocentio, & Gregorio nono Abbati S. Pauli, ut *in Conſtitut. 22. & 30. numer. 6.* Ab Honorio item tertio, & quarto, nec non ab Innocentio quarto, & Paulo tertio Abbati Sanct. Benedicti de Padolirone, ut *in Conſtitut. 26. 27. 32. 38. & 156.* Quæ privilegia etiam uni monaſterio dictæ Congregationis conceſſa, fuerunt ab Eugenio quarto communicata quibuſvis aliis perindè ac ſi nominatim fuiſſent ſingulis data, *ut in conſtitut. 58. num. 20.* Quæ etiam illis impertivit Alexander Sextus *in conſtitut. 210. numer. 21.* & Leo Decimus *in conſtitut. 129. numer. 22.* & Clemens Septimus *in conſtitut. 158. num. 2. & 3.* & Paulus Tertius *conſtitut. 156. num. 3. & 4.*

Hæc omnia, & ſingula privilegia, præſertim ab Eu- 2
genio quarto conceſſa, fuerunt ſimiliter communicata etiam Monaſteriis Congregationis Montis Oliveti a Pio Secundo, ut *in conſtitut. 339.* & in Bullario Olivetano *tom. 1. conſtitut. 9. §. 12.* ibi: *Perinde in omnibus, & per omnia uti valeant pariter, & gaudere, ac ſi illa omnia, & ſingula eis pariter a nobis, & prædeceſſoribus, aut a ſede præfatis ſpecialiter, & expreſsè conceſſa, indulta, & attributa fuiſſent, authoritate Apoſtolica tenore præſentium ex certa ſcientia concedimus, & elargimur.* Cujuſmodi etiam communicationis meminit Novar. *in Lucern. Regul. v. Abbas n. 11.*

Quare idem prorſus eſt, ac ſi dicta privilegia fuiſſent 3
alii communicationem habentibus ſpecialiter conceſſa, cùm hæc ſit virtus communicationis, ut probant Oldrad. *conſil. 300. num. 8.* Pariſ. *conſil. 22. num. 5. lib. 4.* Roman. *conſ. 383. num. 2.* & Rota apud Creſcent. *deciſ. 9. num. 5. de privil. & dec. 8. num. 5. par. 1. diverſ.* ac plenè in Bononien. exemptionis 25. Maji 1618. coram Cardinali Veroſpio, ubi agitur in ſpecie de communicatione dicti privilegii Eugenii Quarti conceſſi Caſinenſibus, & per ſimilem communicationem extenſi ad alias Congregationes. Quod laicus fuit comprobatum in tribus deciſionibus editis in Januen. privilegiorum 20. Junii 1647. & 24. Januarii 1648. coram Royas, & 28. Junii 1649. coram Corrado.

Hinc etſi Lapus *d. alleg. 19.* aſſeruerit, quòd Abbas, 4
qui habet jus pontificalium in ſuo monaſterio, invitatus ad aliud monaſterium poterit in pontificalibus celebrare, ſi monaſterium, ad quod eſt invitatus, eſt exemptum, *arg. c. quod ad translationem de temp. ord.* in non exemptis autem poteſt Epiſcopus prohibere ſecundùm Jo: Andr. *in d. c. Abbates de privil. in 6.* ſubdat Mandoſius, quòd invitatus Monachos alterius monaſterii poterit ordinare, *arg. text. in can. fin. 9. quæſt. 2.* Jo: Andr. *in alleg. cap. Abbates*, & ibi Gemin. *num. 4.* Franch. *ad fin.* Sic & Epiſcopus in loco exempto nihil juriſdictionis exercet, niſi fuerit invitatus, *can. Luminoſo 28. qu. 2.* Abb. *in cap. ſignificaſti poſt num. 11. de for. comp.* Dictumque Lapi ſequutus ſit Adden. ad Gemin. *in cap. ut Apoſtolicæ de privil. in 6.* dicens Lapum non meruiſſe reprehendi a Geminiano, illumque defendit, & poſt alios Pacian. *de prob. lib. 2. cap. 9. numer. 29.* ac Pariſ. *conſ. 95. num. 7. vol. 4.* qui Lapum ſequitur, attamen receptiſſima eſt altera opinio ipſius Geminiani ubi ſupra *num. 7.* aſſerentis, quòd ſi privilegium eſt reſtrictum ad proprium monaſterium, non permittitur uſus extra illud, ſi verò eſt ſimpliciter conceſſum, tunc procedit diſtinctio Lapi, quòd ſcilicet uſus permittatur in aliis Eccleſiis exemptis, ſecus autem in non exemptis. Quam ſententiam ſequitur Franch. *in dict. cap. ut Apoſtolicæ num. 5.* eamque latè referi Pacian. *loc. cit. cap. 29. num. 37. & 41. ac ſeq.* dicens licentiam Ordinarii in tali caſu, quando videlicet quis utitur pontificalibus in Eccleſia exempta, nullatenus requiri, Tambur. *de jur. Abb. tom. 1. diſp. 21. qu. 3. num. 4. & 5.* Barboſ. *de jur. Eccleſ. lib. 1. cap. 17. n. 58.* Bellaſ. *in prompt. Regul. v. Abbas numer. 12.* Zecch. *de republic. Eccleſ. tit. de Abbatibus num. 7.* Lauret. de Franch. *in contr. inter Epiſc. & Regular. par. 2. qu. 27.* ibique Paſqualig. *num. 4.* Campanil. *in diverſ. jur. rubr. 9. cap. 5. n. 3.* & in fortioribus terminis conferendi Ordines Majol. *de regul. lib. 3. cap. 23. numer. 12.* & Alter. *de cenſur. tom. 2. diſput. 7. cap. 1. lit. A.* Quia monaſteria exempta, licèt ſint in diœceſi, non tamen ſunt de diœceſi, & exceptis iis, in quibus ex præſcripto Concilii Tridentini Epiſcopis non ſubſunt, conſiderantur tanquam conſtituentia territorium ſeparatum ab ipſa diœceſi, Rota *dec. 207. n. 3. & 8. p. 2. diverſ.*

Neque obſtat, quòd in generali communicatione pri- 5
vilegiorum non communicentur, quæ ſunt in præjudicium tertii, ut ſæpius decidit Rota, præſertim in Valli oletana quartæ funeralis coram Juſto, & in Valentina decimarum coram Lancelloto, & apud Cavaler. *dec. 101. n. 2.* Primo, quia hæc objectio non fuit alicujus momenti apud Sacr. Rotam in citata Januen. 10. Junii 1647. *§. Non obſtat.* Secundò, quia non procedit quando privilegium eſt de ſui natura præjudiciale, & concedens intelligitur voluiſſe præjudicare ex expreſſione præjudicia-

dicialium, Rota *decis. 36. numer. 4. par. 5. recent.* & ut inquit Rota in dict. Januens. coram Corrado, *§. minus obstat*, quando patet voluntas Summi Pontificis, quia vult omnia indistinctè complecti, vel ex amplitudine verborum, vel ex aliquorum præjudicialium expressione, vel ex clausulis adjectis, ut in hoc casu per illa verba superius relata: *perinde in omnibus, & per omnia uti valeant pariter, &c.* Nam ponunt totalem, & omnimodam identitatem, itaut quod statuitur circa unum, sit etiam statutum eodem modo circa aliud, ut docent Bald. *in l. sed si lege, §. Perinde, ff. de pet. hæred.* Felin. *in rubr. de præb.* Aretin. *l. rem, ff. de acq. possess.* & *in l. Titia, §. Idem, & in l. pluribus, ff. de verb. oblig.* & *in l. cum hæres, ff. de acquir. hæred.* & *in l. lecta, ff. si cert. pet.* Ac proinde facit, quòd concessio ita amplietur, ac si esset una, & eadem facta pluribus Religionibus in suo primordio. Tertiò, quia locum habet in privilegiis merè præjudicialibus, ut sunt exemptiones a solutione decimarum, & id genus alia, in quorum terminis sunt omnes decisiones objectæ, nec non in privilegiis, quæ rarò, & cum difficultate Sedes Apostolica concedere solet, non autem in hisce materiis, in quibus Sedes Apostolica erga Abbates se benignissimam semper exhibuit, ut ex textu *in d. c. ut Apostolicæ de privileg. in 6.*

6 Neque adversatur exemplum de Episcopo, qui neque extra suam diœcesim pontificalia exercere, etiam in Ecclesiis exemptorum absque diœcesani licentia, potest, ut resolutum fuisse, asserunt Ricc. *in prax. par. 1. in notab.* post *resol. 495.* ad finem, & Barbos. *de potest. Episc. alleg. 6. num. 12. & seqq.* quibus addo textum Sacri Concilii Tridentini *sess. 6. cap. 5. de reformat.* Nam procedit solùm de exercitio pontificalium conjuncto cum aliquo actu jurisdictionis, nempe collationis ordinum, chrismatis, & similium, in quibus terminis loquitur Tridentinum *loc. citat. & sess. 14. cap. 2. de reformat.* secus tamen est de simplici usu pontificalium, quando cum eis celebratur. Primò enim casu, cùm actus præseferant jurisdictionem non potest exerceri in aliena diœcesi, invito diœcesano, secus autem in secundo, ac proinde permittitur absque licentia, ut per textum *in d. Clem. 2. de privileg.* non jejunè probat Tambur. *de jur. Abb. dict. disp. 15. qu. 15. num. 2. cum seqq.* & Gratian. *discept. 487. n. 3.*

7 Denique non refragatur, quòd Abbatibus, qui habent usum mithræ, fit restricta facultas celebrandi missas pontificales inter anno. Nam ad id nullum jus, nullumque decretum, neque authoritas ulla adducitur. Restrictiva igitur ad ter in anno non pertinet ad usum pontificalium, sed baldachini, de cujus forma apud cœremoniale Episcop. *lib. 1. cap. 14. sub initio.* Et de ipso loquuntur decreta S. Rituum Congregationis, referente Cardinali Lancellotto sub die 18. Martii *1619.* pro Casinensibus, & pro Olrvetanis referente Cardinali Cæsarino sub die 17. Martii 1629.

CONSULTATIO CVII.

Pauca de translatione Sanctorum Corporum, sive Reliquiarum.

1 COrpora Sanctorum, quæ in unius Ecclesiæ sepulchro pro condita sunt, non possunt ad aliam transferri absque facultate Sedis Apostolicæ, aliisque solemnitatibus exquisitis *ab extravag. ambitiosæ de rebus Eccles. non al.* ut advertunt Glos. *in can. corpora Sanctorum 37. v. Principis d. 1. de consecr.* & ibi Turrecremata, addens, ne aliorum quidem defunctorum cadavera a sepulchro, quod elegerunt, exhumari posse, vel extrahi, ut ad aliam Ecclesiam transferantur. Quod etiam tradunt Genuen. *in prax. c. 71. n. 4.* testans de stylo Curiæ Romanæ, Sanch. *in decal. lib. 2. c. 43. n. 25.* & Marant. *resp. 3. a n. 1. lib. 2.* estque textus *in l. ossa, ff. de relig. sumpt. fun.* & *in l. nemo, C. eod.*

2 Porrò in eadem *Extravag. Ambitiosæ* comprehendi etiam Sanctorum corpora, & Reliquiæ tradunt Piasec. *in prax. par. 2. c. 5. num. 12.* Bonac. *tom. 1. de alien. bon. Eccles. quæst. 11. disput. 2. punct. 2.* Tambur. *de jur. Ab. tom. 3. disp. 13. quæst. 1. num. 11.* & *quæst. 2. num. 12.* Castropal. *oper. mor. tom. 2. disp. 1. §. 1. num. 8.* Genuen. *ubi supra n. 6.* Ricc. *in prax. par. 1. resol. 6. num. 2. & 3. & dec. 63. num. 6.* Perer. *in comp. privileg. v. alienatio in schol. dub. 1. ult. edit.* contra Bordonum *cons. regul. resol. 27. num. 62.* & Dian. *par. 4. tract. 4. resol. 223.* Ea ratione, quia in illa prohibetur alienatio non solùm bonorum Ecclesiæ, sed etiam rerum. Neque distinguit de rebus, quæ sunt prætio æstimabiles. Et confirmatur, quia militat etiam eadem ratio in Reliquiis Sanctorum, quæ considerator a lege in prohibitione alienationis mobilium pretiosorum, ne videlicet Ecclesia suis privetur ornamentis, quibus illustratur. Quare habet locum etiam lex ipsa, quia tanquam anima ipsius trahi legem ad omnia, in quibus ipsa locum habet, *l. illud ff. ad leg. Aquil.* & *l. si postulaveris, §. 2. ad leg. Jul. de adul.* cum aliis. Quod valet etiamsi ratio legis esset amplior, quam sint verba legis, *l. regula, §. fin. ff. de jur.* & *fact. ign.* Et id ponunt tanquam regulam fundamentalem Abb. *in c. sicut ad fin. de testib.* Card. *in Clem. 1. de elect.* Imol. *in c. pro humani de homic. in 6.* & Tuscus alios referens *lit. P. concl. 892.* Unde requiri licentiam Pontificis quando corpora Sanctorum sunt integra, vel saltem pro majori parte, secus autem si fuerint Reliquiæ, sive fragmenta declaravit Sacra Congregatio Concilii. Et ita sæpius Summus Pontifex, vel Sac. Congregatio super Episcopis, & Regularibus concessit transferri hujusmodi corpora, seu Reliquias cum debita solemnitate. Præ cæteris corpus S. Valentini Episcopi Interamnensis, & martyris a cathedrali ad ejus Ecclesiam extra muros Civitatis sub die 5. Decembris 1605. & ex aliqua Ecclesia cum consensu superiorum ad cathedralem, ut in Rossanensi 28. Novembris 1603. Et ex uno ad aliud altare ejusdem Ecclesiæ, ut in Januensi 25. Januarii 1593.

Ad transferendum verò eadem corpora ab una ad a- 3
liam partem ejusdem Ecclesiæ non requiritur taxativè licentia Summi Pontificis, sed satis est si adimpleatur forma *dict. canon. Corpora Sanctorum*, requirens in translationibus omnium Sanctorum corporum consensum Principis vel Episcopi, & Synodi, idest Canonicorum, Genuen. *loc. allegat. numer. 1.* ubi adducit exempla. Et licèt alternativè sufficiat facultas Apostolica, vel consensus Episcopi, non idcircò censetur exclusus consensus Capituli, cum in arduis Episcopus illum teneatur adhibere, ut in similibus tradit Bald. *in l. 1. numer. 4. Cod. de bonor. part. 5. con. tab.* Ubi si alicui molestanti Episcopum in jurisdictione Pontifex Summus rescribat, ut solus Episcopus procedat, respondit, illa verba non intelligi ad exclusionem Capituli conjuncti cum Episcopo. Jas. *ibid. numer. 7.* cum aliis per Rotam *decis. 444. numer. 39. part. 5. recent. tom. 2.* Ita similiter si Pontifex dicat, quòd solus Episcopus possit degradare, non ideò excludit Capitulum, quod in degradationem convenire debet, ut monuit Glos. *in cap. 1. v. solus*, ibique Archic. & Joan. Andr. *de hæret. in 6.* Pariter si Pontifex dicat, quòd solus Episcopus possit providere beneficia, ad quæ provisus assumi solet per electionem, non propterea excludit Capitulum, ad quod de jure, vel consuetudine pertinet electio, ut plenè Barbos. *de potest. Episcop. alleg. 93. numer. 25. de jur. Eccles. lib. 1. cap. 82. numer. 7.* & *canonic.* & *dignit. cap. 42. sub numer. 3.* Et quòd in specie requiratur copulativè consensus Episcopi, & Capituli in hujusmodi translationibus habetur *in cit. cap. Corpora Sanctorum*, & firmant ibi Archid. *v. Synodi*, & Bellam. *ad med.* cum aliis per Genuen. *d. c. 71. num. 1.*

Non debet autem corpus in particulas frangi cum 4
præjudicio divini cultus, & Sacræ Reliquiæ, quæ ratione integritatis est insignis, ut declaravit S. Rituum Congregatio sub die 8. Aprilis 1628. apud Ricciul. *var. lucubr. lib. 1. cap. 36. num. 1.* Quando enim agitur de Reliquiis insignibus, & præcipuè de sacris corporibus in muro clausis, ac perpetuæ sepulturæ traditis, non est licita divisio, neque particularum extractio sine furti, & sacrilegii nota, atque ignominia, quemadmodum probat Ricciul. *in pr. part. 1. resolut. 7. numer. 2. 3.* & *6.* ubi quòd propterea stylus Curiæ se habet quòd quando Summi Pontifices concedunt licentias extrahendi particulas Reliquiarum, ponunt clausulam, dummodò non extrahantur de Reliquiis insignibus, & in muro clausis. Ut proinde meritò contravenientes possint conveniri tanquam Rei violati sepulchri, & locum haberent edicta, de quibus *in l. 3.* & *11. ff. de sepulcr. viol.* Quare translatio fieri debet præcisè ad præscriptum licentiæ, ut in specie dixit Rota in Carthaginen. translationis coram Ubaldo *decis. 362. num. 19. par. 4. recent. tom. 2.*

Præcipuè fieri nequit hujusmodi translatio per Re- 5
gulares ab Ecclesia, quam ipsis concessit Capitulum Cathedralis, vel Collegiatæ, sub quarum dominio illa existit. Quia censetur iis delata duntaxat custodia Ecclesiæ, ac sacrorum pignorum, quæ ibi asservantur, per quam Regulares non acquirant facultatem administrandi, & disponendi de illis suo arbitratu, ut advertit Sanct. *loc. cit. lib. 2. c. 43. num. 23.* subdens proinde non posse a custodibus alteri concedi, aut permitti. Quod idem tradit Ricciul. *lib. 1. c. 45. num. 6.* Quia non sunt in humano commercio, *l. nemo martyres*, & ibi Bartol. *num. 1. C. de Sacrosanct. Eccles.* & in specie Redoan. *de simon. p. 1. c. 4.*

num. 5. & in parte Marant. *part.* 2. *resp.* 3. *num.* 1. *cum seqq.* probans, ea non posse alienari, neque transferri citra incursum in excommunicationem *Extravag. Ambitiosæ*.

6 Quod dominium probatur ex solo concessionis instrumento, ubi agitur contra missum in possessionem, ut pluribus relatis dixit Rot. in Cervien. bonorum 24. Martii 1648. coram Ghislerio, ubi subditur, id procedere tàm ad effectum recognitionis, quàm devolutionis. Concurrentibus maximè pluribus adminiculis, quo casu recepta est opinio, probari dominium ex concessionibus ad quemcunque effectum, etiam contra tertium juxta doctrinam Bart. *in l. ad probationem*, *Cod. locati*, quam aliis pluribus relatis, sequitur Rot. *dec.* 141. *num.* 1. *par.* 2. *div.* & *decis.* 290. *num.* 1. *par.* 1. & *dec.* 193. *eod. num.* 1. *par.* 2. & *dec.* 79. *num.* 7. & *decis.* 81. *num.* 2. *par.* 5. & *dec.* 36. *num.* 3. & *dec.* 124. *num.* 4. *par.* 6. & *dec.* 117. *num.* 3. *par.* 7. *rec.* & coram Buratto *dec.* 602. *num.* 2. & ibi largiter Add. & in Romana vinearum 16. Junii 1636. coram Dunozetto.

7 Si autem fiat translatio absque consensu Capituli, omnia in integrum restitui debent, ut expressè statuitur in dicta *Extravaganti Ambitiosæ* his verbis: *Et nihilominus alienata res, & bona hujusmodi ad Ecclesias, monasteria, & loca pia, ad quæ ante alienationem hujusmodi pertinebant, liberè revertantur*. Et in hoc Regulares non possunt allegare sua privilegia: Nam illa solùm pertinent ad eorum exemptionem a jurisdictione Episcopi tanquam Ordinarii, non autem tollunt jus directi dominii, quod habet Ecclesia sæcularis super monasterio, & Ecclesia regulari vigore concessionis. Quare de hoc in dictis privilegiis nulla fit mentio, & tanquam odiosa sunt strictissimè intelligenda, Thesaur. *dec.* 116. *num.* 7. Rot. in Virdunen. monasterii 8. Februarii 1638. coram Coccino.

8 Quòd si translatio erit necessaria, fieri debet ad Ecclesiam majorem: Nam est de jure, quòd translatio Sanctorum corporum semper fiat ad locum honorabiliorem, & digniorem, ut tradit Navar. *consil.* 9. *de sepult. in fin.* & Roderiq. *quæst. regul.* 62. *artic.* 1. *tom.* 3. Nec dubium est, quin honorabilior, ac dignior existimari debeat Ecclesia Cathedralis, quàm alia, ut in terminis probat Glos. *in can. ubicunque*, ibi: *potius enim eliget Ecclesiam Cathedralem, quàm alteram* 13. *quæst.* 2. Vel si Sanctus fuerit Episcopus Civitatis, ad Cathedralem, non autem ad Ecclesiam exteram, præcipuè Regularium, transferri debet ex iis, quæ tradunt Innoc. *in c.* 1. *sub princ. de sepult.* Burlat. *cons.* 126. *num.* 119. *lib.* 3. Sylvest. *v. sepultura num.* 8. Fusc. *de visit. lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 12. Bellet. *disq. cleric. par.* 1. *de cler. debit. §.* 3. *num.* 20. Semper enim corpus Episcopi collocandum est in sua Ecclesia, cessante contraria electione, Asin. *in l. famil. ff. de rel.* & *sumpt. fun.* Galerus etiam Episcopi debetur Ecclesiæ, in qua elegit sepulturam, non autem Cathedrali, si in illa sepulturam non elegerit, ex Sac. Congregatione super Episcopis in Lutulen. 26. Aprilis 1652. Et hæc non minus accommodatur sepulturis cadaverum, quàm translationi Sanctorum corporum, quæ propriè dicitur sepultura, ut tradit Sanch. *in decal. lib.* 2. *cap.* 40. *n.* 27.

9 Est tamen licita translatio ab una parte ad aliam ejusdem Ecclesiæ: Quia tunc non est alienatio, & ideò fieri non potest cum licentia Episcopi, *leg. fin.* Glos. *v. Pontifices*, *de mort. infer.* Azor. *institut. moral. part.* 1. *lib.* 9. *cap.* 8. *quæst.* 9. Ricciul. *dict. cap.* 45. *num.* 11. Siquidem non potest dici alienatum ab Ecclesia id, quod semper remanet in ejus dominio, Host. *in cap. novit num.* 7. *de his, qui fiunt sine cauf. c.* ibique Jo: Andr. *n.* 4. Butr. *num.* 7. Imol. *num.* 114. Bald. *in l. Dudum num.* 6. *C. de contrab. empt.* Redoan. *de reb. Eccles. non alienan. q.* 51. *c.* 10. *n.* 1. & 2. *q.* 52. *n.* 115. & censuit Rota *dec.* 756. *n.* 3. *cum seqq. p.* 1. *div.*

10 Cùm qua autem pompa, & honore precationum ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine transferri debeant, docemur a Duranto *de ritib. Eccles. cath. lib.* 2. *capit.* 10. *numer.* 5. a quo Catalius sua ferè omnia excerpsit in libro *de veter. Christian. ritib. capit.* 41. *lit. B.* Castellan. *de canoniz. Sanctor. cap.* 2. *punct.* 40. *sub §.* 2. Bellarm. *tom.* 1. *lib.* 2. *contr. cap.* 3. *lit. D.* Baron. *annal. tom.* 12. sub Alexandro III. Ricciullo, & Maranta superiùs relatis.

CONSULTATIO CVIII.

An & quatenus danda sit fides attestationi exercitæ super liberatione energumeni, ut miraculo adscribatur?

HAnc quæstionem omnium aliarum difficillimam 1
strictim atque cursim transgrediemur, neque ea, quæ a Tyræo *lib. de dæmoniac. cap.* 23. & 24. ac alibi, Delrio *lib.* 2. *magicar.* Castaldo *de potest. Angel. tom.* 2. *ad artic.* 1. Carpentario *digress.* 4. *in cap.* 13. Alcioni, ubi multa philosopho, & christiano cognitione digna, Daniele Sennerto *lib.* 6. *pr. p.* 9. *c.* 1. Codronchio, & ab aliis pensiculatè scripta sunt, exequemur, sed anxietate illa prætermissa, rem paucis absolvemus.

Et quidem non videtur attendendum testimonium u- 2
nius testis, quòd aliquis sit vetus energumenus, quamvis dicat se esse expertum exorcistam, ad quem *in can. exorcista* 17. *d.* 12. & *in c.* 1. *d.* 25. pertinere dicitur exorcismos memoriæ mandare, ac retinere, manusque super energumenos in exorcizando imponere, subditurque *in can. omni die* 11. *de consecr. d.* 5. ut pro majori peritia acquirenda omni die energumenis manus imponat, cùm facillimè in hoc error committatur, quia mulieres, ut plurimum ex melancholia, vel uteri præfocatione ab immundis spiritibus obsessæ videntur sicut animadvertunt Yvierus *de præstig. dæm. lib.* 4. *c.* 23. *ac de curat. læsor. malef. lib.* 5. *cap.* 28. & Schenkius *obser. medic. lib.* 1. *tit. de dæmoniac. obser.* 2. referentes quandam puellam in Burgo creditam fuisse energumenam, quia simplex admodum, & pia, semperque domi latuerat, & quamvis hetrusca lombardico, & latino idiomate loqueretur, ideòque diù conjuratam. Verùm cùm nihil exorcistæ proficeranti, medicus ex arte adhibitis primum melanagogis, deinde aliis roborantibus illam sanitati restituit. Immò nec morbi malefici signa sunt adeò certa, ut facilè dignoscantur, licèt eorum plura congessit Codronchius *lib.* 3. *de morb. venef. c.* 13. ex eoque repetat Martinus Delrius *disq. lib.* 6. *qu.* 3. *sect.* 2.

Minus quoque attendi potest fides aliorum testium, 3
quòd ægrota in vomitum proruperit, ligna, acus crinales, recurvos clavos, capillos in globum mistos, ac hujusmodi alia ejecerit. Non enim hoc caret suspicione fallaciæ, cùm energumenis liberatis a Salvatore generis humani nunquam Evangelistæ meminerint de aliqua re evomita, scilicet Matth. *cap.* 8. 17. & 18. Marc. *cap.* 1. 2. 5. & 9. Luc. *cap.* 4. 8. 9. & 11. Minus quoque in sanatis a Philippo *Act. Apost. cap.* 8. & a Paulo *cap.* 6. Neque in liberatis a Sanctis, vel ad eorum memoriam, quorum mentio fit a Delrio *d. sect.* 2. & a Theatr. *vit. hum. vol.* 2. *lib.* 4. *tit. de dæmoniacis curatis*, & *a quibus*. Immò neque in curatis exorcismo, quorum pluries recensent Delrius *d. sect.* 2. ac Theoar. *loc. cit. in Imperio*, *minis exorcismis pag.* 367. *cum seq.* ubi tit. atecedenti ex Joanne Langio *epist. med.* 28. *lib.* 1. Yviero *de præstig. dæmon. lib.* 3. *c.* 8. retertur unicum exemplum agricolæ sub cujus latere circa alterum hypocondrium aderat clavus ferreus inde exactus, illa novacula excisa, & in ventre execto post obitum inventa fuerunt lignum teres, & oblongum, quatuor cultri ex chalybe partim acuti, partim dentati instar serræ, duo ferramenta aspera, & globus capillorum. De quo etiam Sennertus *loco alleg. c.* 3. ubi alia prodit.

Nihilominus esse quempiam ab immundis spiritibus 4
obsessum proculdubio evincit ipsius exorcistæ assertio, cui, tamquam perito in arte illa fides præstatur, *c. propositi* 4. *de prob. l. si quis* 3. *C. fin. regund.* Bald. *cons.* 204. *v. ultim.* Merlin. *dec.* 446. *num.* 7. ad quam exercendam cum prævia Episcopi perquisitione Clerici admittantur, Barbos. *de potest. Episcop. par.* 2. *alleg.* 11. *num.* 11. ejus peritiæ assistit etiam Episcopi judicium, qui præsumitur informatus de peritia, & conditione suorum Clericorum, Rot. *dec.* 152. *n.* 12. *p.* 7. *rec.* Eorum præcipuè, quibus hujusce muneris exercitium permittit, quòd peritiam, prudentiam, aliasque virtutes exposcit, quarum plenè meminit Rituale Romanum *in rubr. de exorcism.* & Concilium Mediolan. 4. *p.* 2. *c.* 1. Cujus exorcistæ testimonium magni fecit in hac materia. Relatio per beatificationem sanctissimi viri Cajetani *mirac.* 11. *§. hoc factum*, & Servæ Dei Catharinæ de Riccis *mirac.* 2. *§. quod igitur*.

Accedentibus præcipuè dæmoniacæ obsidionis, aut 5
veneficii insignis, de quibus Sennertus *in cit. loc. cap.* 6. Fernel. *de abdit. rer. cauf. lib.* 2. *cap.* 16. Castald. *ubi supra dist.* 7. *q.* 1. *art.* 2. ubi prolixè, Tyræus *de dæmoniac.* Delatorre, Delrius, Viadana, Codronchius, aliique. Inter quæ duo certissima omninò puto. Primum, quando per alvum, vel vomitum rejiciantur acus, capilli, ferra-

ferramenta, clavi, plumæ, lapides, filorum ſphærulæ, pelles, ſtramen, ſpinæ, ſetæ porcorum, vitrum, liguæ armataæ, ſericum crudum, & alia hujuſmodi. Res autem tales, cùm variæ ſint, quaſdam in corpore generari poſſe, dubium non eſt, quales ſint pili, qui interdum in apoſtematibus, & vomitis, inveniuntur etiam in iis, quibus nulla eſt veneficii ſuſpicio. Quæ autem nullam cum humano corpore cognationem habent, ut ſetæ procorum, pennæ pavonis, metalla: in primis res artificiales, ut cultui, clavi, panni, & ſimilia, eas in corpore humano generari non poſſe extra controverſiam eſt. Non enim quodlibet fit ex quolibet, ſed determinatum ex determinato ex Ariſtot. *phyſ.* 1. *text.* 43. Ideòque in humano corpore ea tantùm poſſunt generari naturaliter, quæ cum ipſo aliquam habent cognationem, vel cum ejuſdem principiis ad corruptionem vergentibus, ſi ſint ex earum rerum numero, quæ, cum ex putri naſcantur, ſibi ſimile generans non expoſcunt ex ipſo Ariſtotele 2. *de anim. text.* 34. Ac proinde nullo pacto in eo natura poteſt proginere metalla, & res artificiales.

6 An verò talia revera in corpore fuerint, & inde rejiciantur, vel extrahantur, an verò præſtigia dœmonis ſint extra ſaltem talia in corporis ſuperficie oſtentantis, inter Authores eſt dubium. Qua de re Sennertus *ibid. c.* 5. Quacunque tamen ratione id contingat dœmonis opere vomitus hos fieri certum eſt, cùm magis naturæ repugnet corpora hæc extrinſecus nullo deferente accedere, & oculos quam maximè fidas noſtræ cognitionis miniſtros falli, hincque neceſſariò inferendum, ægrotum fuiſſe energumenum, vel morbum a veneficio inductum, atque adeò illius liberationem eſſe ſupra vires naturæ.

7 Nec quicquam officit, quòd in dœmoniacis a Chriſto Domino, vel ad memorias, & altaria Sanctorum liberatis hujuſmodi vomitus non contigerint: Satis enim frequentia recenſet Sennertus loco citato *c.* 3. & Delrius *magic. lib.* 3. *ſect.* 6. quorum ſanè plurimas ad Sanctorum memorias contigiſſe eſt veriſimile. Immò ad aram Divæ Virginis Aſpricollis dœmones per os Catharinæ Buſiæ priuſquam ejicerentur effudiſſe multos acus, ſulphur item nummum argenteum eroſum, & clavum ferreum palmarem memorat Lypſius *in hiſtor.* D. Virginis Magiæ Sichemienſis, ſive Aſpricollis *cap.* 41. Et vidi ego, dum Exorciſtæ munere fungebar, coram Deipara Monticellana, cujus Eccleſiæ dudum pro ſumma beneficentia Eminentiſſimi D. Gaſparis, Cardinalis de Carpineo, S.D.N. Vicarii Parochus ſum, Iſabellam Bancini plures aciculas, quibus mulieres utuntur ad ornamentum capitis, cum globo capillorum vomitu ejicere. Et quando in aliis plurimis energumenis ſupernaturales iſti effectus defeciſſent, non benè infertur, quod ab omnibus excludantur. Non enim a negativa particulari ad univerſalem infertur conſequentia juxta canones logicos, de quibus Ariſtoteles *Prierm.* 1. *c.* 5. & 2. *c.* 1. Quod magis hic aſſerendum, ubi de energumenis agitur, in quibus diverſa animadvertimus ſigna pro diverſitate morbi, & maleficii, nec aliquod ſignum obſervabatur, quod omnibus conveniat, ut affirmat Codronchius *de morbo venef. lib.* 3. *c.* 13. §. *Eſt tamen*.

8 Et eiſdem cauſis ceſſare poterit objectio, quoad plures dies vomitus protrahatur. Siquidem id contigit in pluribus ex aliis cauſis per citatos Authores congeſtis. Nec mirum eſt directas ad liberationem energumeni eas operationes per aliquot dies perſeverare, cùm ita pariter perſeverare curationes hujuſmodi veneficiorum ſatis comprobat puellæ energumenæ curatio facta per S. Furtunatum Tudertinæ civitatis Epiſcopum, cujus meminit D. Gregor. *dialog. lib.* 1. *c.* 10.

9 Adverto tamen, cavendum eſſe, ne quod plerumque accidit, materia ex vitiatis humoribus naturaliter enata, putetur in geſta per maleficium. Conſentiunt enim veteres, novitiique medici quædam in corporibus humanis ſolere, interdum ex pravis humoribus naturaliter coaleſcere, ut ſunt tophi, capilli, oſcilla, conchylia, ſpinæ, glomipilorum, aliaque hujuſmodi. Sic pleriſque naturaliter enati in corpore angues, & lacertulæ, ut teſtantur Plutarch. 8. *ſympoſ. q.* 9. Delrius *lib.* 3. *magic. p.* 1. *q.* 4. *ſect.* 6. & anno 1608. matronam, cui per annos quatuor venter maximè intumuerat, tandem cum ad extrema deveniſſet, vomuiſſe ingentem buffonem, & horrendum ſerpentem. De lapidibus autem & tophis, quòd naturaliter innaſcantur in omnibus propè corporis partibus exempla non pauca habent Scaliger. *exercit.* 108. *n.* 3. Vvierius *ſupra c.* 2. & 16. Mercurial. *var. c.* 20. & *alii*. Immò, quod notandum eſt, quia ratione figuræ admirabilitatem habet majorem, teſtatur Ariſtoteles 3. *hiſt. c.* 15. talia enata quibuſdam in veſica, quæ nihil differrent a conchiliis. Rondeletius autem *lib.* 1. *de teſtac. c.* 35. & 52. enatam acidam in renibus ex pituita vitrea gemmam memorat. Hujuſmodi ergo, ſi in quibuſdam corporis partibus procreata excerni contigerit, non eſſent ad maleficium referenda. Interdum tamen ea poſſe referri, eò quòd non procreéntur naturaliter, docet exemplum parvuli Turonenſis adductum a Gregorio Turonenſi in vita Morodis. Cæterum non poſſunt naturaliter in corpore humano generari ex ulla putrefactione acus, cultri, forfices, & hujuſmodi metallica artificioſa, præſertim informata. Unde neceſſe eſt, hæc omnia dœmones per maleficos operari.

Quòd ſi quæratur quid ſentiendum de iis, qui per os, 10
vel immum gutturem ejiciunt ſpinas, vitrorum fruſta, clavos, acus, cultri, ligna, ſaxa, oſſa, capillos, parvos glomos pilorum, ſeta, & alia hujuſmodi, quę vel comeſtione, vel aliter in corpus immitti potuiſſe videtur: Grillandus *in tr. de ſortileg. c.* 3. *ſub fin.* impoſſibile exiſtimat hęc omnia ad præſtigias eſſe referenda. Quod probat ex eo, quòd materię illę, quantumvis ſolidę ac durę videantur, puta ferrum, & lapides, tamen intra biduum, aut triduum liquefiunt, quod a ſe frequenter notatum ſcribit. Conſentit Cardanus *lib.* 5. *de variet. c.* 80. At Vvierius *lib.* 4. *præſtig. a c.* 2. *ad* 17. probabilius exiſtimat dœmones, has, quas dixi materias veras, & naturales aliundè acceptas, eò deferre velociſſimè, & inviſibiliter, aitque ſe contraria expertum, quàm ſcribit Grillandus nempè laciniam panni rudioris a ſe extractam ex ore puellę maleficium paſſę in humorem non fuiſſe ſolutam. Sed & Annanias *lib.* 4. *de natur. dæm. cap.* 25. negat materias illas ſemper apparentes eſſe, refertque in Piceno ad quandam S. Jacobi ędem, pleraſque ex illis è laquearibus pendentes, omnibus patere. De eadem perſeverantia hujuſmodi rerum teſtis etiam eſt Boguetus *de ſortileg. c.* 27. & ego ipſe, qui propè altare Sanctiſſimi Crucifixi Eccleſiæ meæ parochialis S. Mariæ in Monticellis eas affixi, fixaſque adhuc manere.

Quare dicendum cenſeo, interdum quidem hæc o- 11
mnia poſſe eſſe ex alia materia, quàm præſeferant, ideòque ſenſim depoſita concretione diffluere. Quod probant Grillandi experimenta. Aliàs tamen eſſe veram, & naturalem ſubſtantiam, qualis exterius apparet, & ideò permanere. Ingeſtam autem fuiſſe per maleficium contritam in pulverem, & intus poſtea eadem arte coaluiſſe, ut ſentit ſupra Ananias. Nec improbabiliter, cùm hæc omnia ad motum tantum localem ſpectent, ideòque ſint dæmoni poſſibilia. Vel certè ingeſta fuiſſe integra non per pororum extenſionem, ut fabulantur aliqui, latè rejecti a Binsfeldio *com. in tit. de malef. lib.* 4. *q.* 7. *concl.* 4. Sed intercedente, ſi opus ſit partis ſolidæ diviſione, & ſubita ac imperceptibili reunione, ut cenſet Sylveſter. *v. maleficium q.* 5. & Sayr. *in clav. reg. lib.* 4. *c.* 6. *n.* 19. Omnium tamen optimus, & facillimus id explicandi modus videtur, ſi aſſeratur tales res nunquam eſſe tantæ molis, quin dæmonum induſtria facilè tranſire poſſint ad inteſtina per guttur, ſtomachique orificium, maximè cùm hujuſmodi partes vi aliqua adhibita, poſſint etiam extra ordinem dilatari. Cujus rei duas hiſtorias ad fidem faciendam adhibet teſtis oculatus, chirurgiæ laude clarus Ambroſius Paræus *lib.* 2. *chirurg. c.* 17. Prior eſt ne ſtudioſo, qui cum ſpicum germinis deglutiviſſet, eam poſtea illæſus integram expulit. Poſterior eſt de opilione, qui ſemipedalem cultellum, cui corneum erat manubium craſſitudinis pollicis, in fauces a prædonibus ore aperto adactum ſex ſolidos menſes in corpore retinuit, & tandem nata in inguine vomica, inde chirurgus extraxit. Si igitur natura id potuit & caſus, cur ex propoſito id adnitens nequeat ille artifex ſolertiſſimus, abſque eo, quòd alios difficiliores modos recurramus?

Secundum ſignum, idque certiſſimum deſumitur ex 12
directione rerum longè poſitarum, & oculiſſimarum ab energumeno plerumque facta, ex loquutione ſcientiarum, vel idiomatum prius energumeno incognitorum. Hos enim effectus Porphyr. *in epiſt.* ad Anebuntem apud S. Auguſtinum 10. *civit. cap.* 11. retulit in ſpiritus extrinſecos. Eoſdem effectus Thyræus *lib. de dæmoniac. cap.* 23. & 24. ſolos cenſet eſſe in hanc rem firmos, uſurpanturque etiam in hanc rem a Sybillano *decad.* 3. *cap.* 1. *q* 1. Nec poſſunt infringi ex eo, quòd aliqui eos effectus referant ad primam cauſam, vel ad humores, vel ad lunam. Nam quoad Deum attinet, arreptitii juvantur potionibus, & aliis humanis remediis, itemque adjurationibus, & Eccleſiaſticis exorciſmis, Dei miniſtro torquente, & increpante, ac ſæpè etiam, ut experientia teſtatur, abigente frendentem dæmonem. Quod quis non videt fore abſurdum, ſi effectus illi a Deo fierent?

Quod verò ad lunam, a qua & ab aliis aſtris hos effe- 13
ctus

ctus aliqui proficiſci ajunt, unde & a ſigno Virginis id pati tradit Firmicus *lib. 8. Aſtronom. cap.* 24. jamque olim a quibuſdam medicis traditum, contrivit Origenes *tr. 4. in Matth.* ac Pſellus *lib. de dæmon. numer. 8.* Licèt enim certis lunæ periodis plus vexentur energumeni, hoc tamen referendum eſt in humores tunc magis indiſpoſitos, vel ut monet Chryſologus *ſerm. 51. Dæmon vexat corpus lunaribus incrementis, ut eſſe lunæ credatur quod eſt diabolici criminis*, intendens ſcilicet, ut blaſphemetur creatura Dei, quod Origenes ſupra advertit, & S. Hieronymus *in cap. 4. Matth.* Anne verò corvus ille Auſtriacus, quem Sybillanus *decad. 3. cap. 9. q. 1.* extraordinaria loquutum, & operatum refert, lunaticus & non potius a dæmone actus cenſendus fuit? Idem quæram de Simonis Magi cane, quem Nicephorus *lib. 2. cap. 27.* humana voce loquutum, & pro foribus aſtantem arcuiſſe, quos Simon ingredi nollet, alios verò admiſiſſe commemorat. Alium item canem ſuo tempore articulatè loquutum memorat Grillandus *de ſortileg. c. 7. num. 23.* Quis ibi dæmonis, non lunæ opera, non agnoſcat? Demum malo dæmone actum canem illum rabidum, cujus morſum curaſſe fingebat Apollonius, cenſuit Euſebius in confutatione ſexti Hieroclis ob curam homini a ſe demorſo præſtitam ab eodem cane. Quis item ibi lunarem efficaciam comminiſcatur?

14 Ridiculum etiam eſt, hos effectus prodire è melancholia, & complexione vitiata, ut latè ac optimè Fernel. *d. lib. 2. de abdit. rer. cauſ. cap. 16.* Carpentar. *cit. digreſſ. 4. in Alcin.* Loyet. *lib. 2. de ſpectris cap. 8.* Fazelus *decad. 1. rer. ſicul. lib. 10.* & Pſell. *lib. de demon. circa med.* Unde de Levinus Lemnius, qui *c. 1. lib. 2. de occult. natur. miracul.* rectè quidem propoſuit ſpiritus aereos, & dæmones in hominum corporibus ſolere ſe humore melancholico, ſicut & in aere ipſis tempeſtatibus immiſcere, *c. tamen 2.* in eo peccat, quòd a dæmone, aut ſpiritu teneri negat, qui alienam linguam perſonant, quam nunquam didicerunt, quodque id illis ſolius humoris melancholici vi contingere poſſe arbitratur, excitatis, ut ait, animi notionibus, quas idem ingenitas eſſe ex Platonis Menone, & Phedone cenſet, ac diſciplinam noſtrum vitæ tantùm ſuperioris recordationem eſſe. Quo poſito vult vi morbi melancholici animam concuti, ſpirituſque efferveſcentes, voces inauditas, ſermonemque antea prorſus incognitum ſimul cum illis notionibus ingenitis excitare.

15 At ille non animadvertit, quod ex Platone ponit de notionibus ingenitis noſtræ Religioni eſſe contrarium, & refellitur a Tertuliano *lib. de anim. c. 24.* Arnobio *lib. 2.* S. Ireneo *lib. 2. c. 59. & 60.* Auguſtino *12. de Trinit. cap. 15.* & ex recentioribus a Mirandulano *lib. 11. everſ. ſingul. certam.* Criſpo *lib. 6. de diſtrib. 2.* & Piccolomineo *grad. 5. moral. a cap. 24.* Deinde etiamſi hoc concedatur, tamen apud Platonem rerum tantùm notiones eſſe ingenitas, quarum recordatio etiam vi ſpirituum concitatorum fortaſſe poſſit excitari, vocabulorum tamen, etiam apud ipſum Platonem, nullo modo poſſit. Quid enim in his ingenitum videri poteſt, cum Platonici, ſicut & cæteri philoſophi, fateantur ſermonem omnem ab hominibus eſſe inſtitutum, nihil in ejus ſignificatione naturale eſſe, niſi fortè, ut antea dictum eſt, quatenus in ipſa vocabulorum ſignificatione inſtituenda naturæ rerum, quibus illa imponuntur, ratio quoad poteſt habenda eſt.

16 Itaque etiamſi homini furenti, fortaſſe poſſit vi morbi excidere vocabulum unum, & alterum, quod ad eam linguam pertineat, quam antea nunquam didicerit, at certè ſermonem incognitum perpetuare non poterit. Et quamvis Ariſtoteles *problem. 1. ſect. 30.* hoc ipſum ad humorem melancholicum referre conatur, inquiens, quòd multi, incaleſcente humore melancholico, quia calor ille ſedi mentis vicinus eſt, morbo veſaniæ implicantur, aut inſtinctu lymphatico efferveſcunt, ex quo Sybillæ efficiuntur, & bacchæ, & omnes, qui divino ſpiraculo inſtigari creduntur, cùm videlicet id non morbo, ſed naturali intemperie accidit, tamen in quæſtione hac multa illi naturæ genio condonanda ſunt, quæ in philoſopho, & medico chriſtiano nullo modo ſunt ferenda. Immò ut rectè monet Valeſius *cap. 30. ſacr. philoſ.* quæ petuntur ex problematis modicæ ſunt authoritatis, cùm ibi philoſophus ſæpè ex alienis placitis reſpondeat.

17 Quanquam & hic Levinus habet aliquot exempla veterum, & recentiorum, quibus ſe, ſuumque errorem poteſt tueri. Nam Petrus de Apono, qui Conciliator a medicis cognominatus eſt *comm.* in idem Ariſtotelis problema, teſtatur, ſe multos vidiſſe, qui quanquam pro dæmoniacis haberentur, & pleraque facerent humanas vires ſuperantia, tamen atra bile purgata, omninò curati ſunt, ſanæque menti reſtituti. Et Petrus Pomponatius *libr. de incantat.* vidiſſe ſe ait mulierem, quæ eodem morbo correpta, cùm loqueretur ſecundùm diverſa idiomata, a medico perfectæ ſanitati reſtituta eſt. Addit quoque Cardanus ex Eraſmo in encomio medicinæ a medico quodam poſtquam dæmoniaco germanicè loquenti, qui antea nunquam eam linguam didicerat, potionem dediſſet, cujus vi magnam hic verminum copiam dejecerat, eundem ſtatim liberatum eſſe, & integro mentis habitui reſtitutum. Ex quo idem Cardanus concludit, dæmones morbos eſſe, ſed occultiori cujuſdam naturæ. Noviſſe ſe juvenculam illiteratiſſimam, dum ægrotaret per dies quindecim lingua etruſca bellè admodum loquutam, ſcribit Sirenius *lib. 9. de fat. c. 8.* damnans propè ſtoliditatis eos, qui tales effectus ſemper adſcribunt ſpiritui latenti. Denique S. Auguſtinus *12. de Gen. ad lit. cap. 17.* phreneticum quendam refert, futuram mortem cujuſdam mulieris tunc valentis ac ſanæ, modumque elationis ad ſepulchrum prænunciaſſe.

Huc ſpectant quæ habet Lypſius *in monit. & exempl.* 18
5. mon. 5. n. 12. Erat in comitatu Tiberii mathematici titulo Tranſillus, cùm Rhodi in exilio ageret, & Cajus ac Lucius Cæſares etiam vivebant. Non deſinebat tamen iſte identidem Tiberio fidem facere certi Principatus. Sed parum credulo, & jam de dolo etiam ſuſpectanti, & ne ſubornatus ab æmulis ad eliciendas arcanas aliquas voces eſſet. Atque adeò perdere eum ſtatuit, & clam necare. Domum Rhodi habebat, & in ea turrim, quæ rupibus impoſita, mare ex alto deſpectabat. In hanc turrim ducit Traſillum cum uno fido, & valente liberto comite, certus, ut dixi, tollere, niſi fidem ei faceret fidæ prædictionis. Cùm aſcendiſſent igitur, cœpit interrogare, ſoli ſumus dic per quicquid carum habes, vera hactenus mihi dicis? De imperio etiam adfirmas? Ille iteratè, & ſidera ſic velle. Si de meo igitur ſtatu compertum, inquit, ex ſideribus habes, de tuo & quid ais? Inſpice. Ille tema ponere ſitus, ac ſpatia ſiderum conſiderare, denique timere, palleſcere, & exclamare, anceps ſibi ac propè ultimum diſcrimen inſtare. Eo dicto complexus hominem Tiberius, verè conſcium futurorum aſſerit, & quod de ipſo meditabatur, ſi non ſatisfeciſſet, pandit.

Aliud ejus mirandum addit. Ambulat Traſillus in li- 19
tore cum eodem Tiberio, navis, longè conſpicitur, ille ſtatim affirmat Roma venire, & literas, nunciosque ab Auguſto de reditu ejus afferre.

Et *num. 13.* Fuit Largius Proculus quidam vir inter 20
illuſtres, qui publicè in Germania prædixit, ipſo tali die Domitianum obliturum. Cùmque res ea ad Præſidem dimanaſſet, gratificaturus Domitiano, & ſimul quia hæc præſagia vetita, vinctum eum Romam miſit. Nec negavit, cùm introductus ad Domitianum eſſet, immò magis magiſque aſſeveravit. Juſſus igitur in carcerem recludi, & aſſervari donec dies is tranſiſſet, tum puniendus, immò ut res docuit, tum liberandus, & præſagii ſuſpiciendus.

Aliud. Fuit eodem tempore Aſcletario mathemati- 21
cus, qui & diem, & genus mortis Domitiani apud quoſdam dixit: Vocatus ab ipſo, eadem iteravit, quærentique Domitiano, ut eluderet. Tu igitur qua morte periturus? Ille ſtatim, fore, ut a canibus laniaretur. Tum Imperator ad fidem coarguendam extemplò abduci, & vivum exuri juſſit, ſive, ut Svetonius, prius interfectum. Sed utrumque horum, tamen extra Urbem via latina homo utitur, ſcilicet ut nihil reliquum è cadavere eſſet, quod canes laniarent. Sed ecce nimbus ſubitò ortus rogum extinguit, & miniſtri ſemjuſtum relinquentes, diffugiunt. Canes ſuperveniunt, & vorant. Veſpere cœnanti Domitiano inter alias fabellas ejus diei, id refertur, & valdè eum, ſed fruſtra commovit. Munit ſe, domi hæret, neminem admittit, ſed ſui eum reperiunt, & Stephanus, cubiculariorum primus, cædem patrat. Qua ipſa in re Apollonei Thianei nobile vaticinium non eſt omittendum. Erat tunc Epheſi in Aſia tanto terrarum, & marium abjunctus. Is diſſertationem fortè in publico habebat, ac primò hæſitare, & loqui remiſſus, mox palleſcere, & ſilere, denique paſſus aliquot exiliens, ut mente mota. Euge Stephane, inquit, rectè. Percute tyrannum, percute homicidam. Benè eſt, percuſſiſti, vulneraſti, occidiſti. Hæc in publico dicta, & geſta ipſa hora, qua Stephanus percuſſit. Exclamatque Lypſius, & ipſe cum ipſo. O mira, ſed vera!

Quæ omnia, ut his concedamus, quorum teſtimonia 22
in hac re multis de cauſis nobis valdè ſuſpecta eſſe debent, minimè tamen efficitur, quod ipſi volunt, neque evertitur, quod nos defendimus. Quoniam non docetur quomodo humor melancholicus ſermonem antea homini omninò incognitum, poſſit in hoc ſine ulla diſciplina

exci-

excitare. Atque superioribus exemplis si modò vera sint, responderi potest, dæmonem humore melancholico delectatum, cùm eodem vi medicamenti dejecto, sua sponte cedere, vel etiam fingere cogi se ad cedendum medicamento, ut hominibus facilius imponat, suamque naturam magis occultet, aut modum eum, secundùm quem in nonnullorum hominum animis regnat. Nam quamvis aliquis per febrem humores exicantem, & adjunctam illi audaciam, ac metus expoliationem, possit quæ jam noverat melius, & expeditiùs efferre, quàm sanus posset, tamen non potest febris, vel bilis atra, aliave ulla humoris cujusvis corporei effectio conferre promptam, & stabilem, durante morbo, facultatem utendi idiomate, quod, æger prius non nosset, ita videlicet ut non unum, aut alterum duntaxat verbum, quod casu posset fieri, sed multa & ordine debito proferat, perinde ac si idioma, & linguam, quam noverat, usurparet. Neque enim febrilis ardor vel novas ad hoc species conferre potest, vel præexistentes ita conjungere, ut effectus ille consequatur. Itaque oportet aliquid esse in ore, quod non fuerit in mente, vel aliquid fuisse in mente, quod nunquam fuisset in sensu.

23 Neque exemplum Vvierii, & Schenkii relatum de puella credita energumena, quia etrusca loquebatur latino idiomate, quæ post exorcismos adhuc morbo affecta adhibitis remediis contra melancholiam oportunis, aliisque roborantibus fuit pristinæ saluti restituta, alicujus momenti est. Si enim illa non erat energumena, nihil ad rem. Si verò erat energumena, prout talem fuisse comprobat latini idiomatis, aliàs sibi ignoti, peritia, cùm oportet intelligentem phantasmata speculari ex Aristotele, de anima, ideòque idioma illud nemo valeat loqui, cujus antea per sensum non conceperit phantasmata, ut arguebat Valesius, & sensit Fernel. *d. lib. 2. cap. 6.* nec etiam solius exorcismi ope sequitur illam potuisse curari, sed benè congruit, quòd illius ope, ejecto dæmone, perseveraverit morbus, qui medica manu indigeret. Cùm enim dæmon sit causa externa morborum, horum aliquos quidem per sese facit, & tunc ad eos tollendum satis est solus exorcismus, alios verò per internas causas excitat, & ad hos expellendos requiruntur ulterius medica præsidia, ut in his non satis sit dæmonem fugasse, nisi etiam morbus curetur. Tales sunt profectò morbi melancholiæ, quos excitat dæmon, vel augenda melancholicum succum, dum impedit, ne expurgetur, & simul causas exurentes admovet, vel eum, qui jam inerat, commovendo, dum in cerebrum, & internorum sensuum sedes vapores nigros defert ita, quòd hi nec sine exorcismis, neque cum solis exorcismis possint curari, quod & videtur admittere Sennert. *pract. d. lib. 6. p. 9. cap. 9.* Prædictiones verò illas, quæ objiciebantur, nisi ab eadem causa profectæ sunt, fuisse fortuitas, suadent similia exempla, quæ refert idem S. Augustinus eodem libro *cap.* 22.

24 Unum illud mihi maximè ratum est, quod placet Pomponatio *cap.* 17. *libri de incantat.* etiamsi in multis aliis, quæ ad hanc quæstionem pertinent, non satis piè sentire videatur. Quod multi literarum ignari, inquit, græcè & latinè, linguisque aliis diversorum idiomatum loquuntur, certè philosophi nihil ad hoc afferre possunt, quod verisimile sit. Quare necessarium est ad Deum, ad Angelos, ad dæmones recurrere. Ego certè facilius crediderim scientiarum vel maximè abditarum perfectam cognitionem in homine sine ullo studio, & labore sola vi humoris melancholici posse excitari, quàm facultatem loquendi græcè, vel latinè, in qua nunquam se antea exercuerit. Adde, quòd si humor melancholicus sermonem antea omninò incognitum excitaret in iis, quos a dæmone teneri existimamus, excitaret certè necessariò interveniente naturali motu instrumentorum ad vocis formationem destinatorum. At hi plerumque loquuntur non modò lingua immota, vel in mentum prominente, sed ore omninò occluso. An etiam hic melancholicus humor efficit, ut homines clausis oculis, & sine ullo lumine naturaliter videant? Aut ut ipsa terrena corpora contra naturalem suam gravitatem, nulla externa vi apparente sursum efferantur? Improbabiliora sunt profectò ista omnia, quam ut a philosopho, quantumvis acuto, per naturales causas probabiliter possint explicari.

25 Explodendi igitur Levinus, Cardanus, ac plerique alii de atheorum schola apud Fajum *in energum. circa fin.* qui ad elevandum Ecclesiasticorum exorcismorum robur causantur hujusmodi effectu a solo complexionis vitio proficisci. Si enim ad convellenda miracula per exorcismos hæc revocantur in dubium, cur & idem faciendum non erit in narrationibus fortè fabulosis, facilè ad artis propriæ jactantiam confictis per Schen-Kium, Zachutum, Amatum, & alios ejusdem furfuris medicos, ut in judiciis semper expetita qualitas servetur juxta regulam textus *in leg. fin. Cod. de fruct. & lit. expens. cap. non licet 32. de regul. jur. in 6.* Neque mirum videri debet si hæc medici dicerent, utpotè qui nihil noverint præter sensum, sed corporibus tantùm incubuerint cognoscendis. Et quanquam negari non possit quorundam astus ad imponendum multitudini nonnulla esse adjecta, sunt tamen ejus rei penè infinita exempla, quæ inter Christianos tàm certæ fidei esse debent, ut de his nemo dubitare possit, nisi qui eadem pietate Religionis nostræ fundamenta prima in quæstionem voluerit revocare.

CONSULTATIO CIX.

An ad verum miraculorum invocari debeat auxilium Servorum Dei, vel Beati, dum casus accidit?

AFfirmandum videtur. Quoniam invocatio debet 1
præcedere, non subsequi operationem miraculi, ut tradunt omnes post Archid. *in can. nec mirum num. 6. 26. quæst. 5.* nominatim Malvet. *de can. Sanct. dub. 3. num. 4. & num 71. tr. tom. 14.* Ideòque Lezan. *cons. 1. num. 226.* quærens, quomodo probetur miraculum fuisse perpetratum ad intercessionem talis Sancti, respondit, intercessionem probari, si dictus Sanctus quocunque modo fuerit invocatus, & statim patratum fuerit miraculum. Unde elicitur, nullam admirandam qualitatem accedere post invocationem Beati. Certum enim est in rebus humanis dari casus admiratione dignos sine miraculo, quia rarò fiunt, licèt respectu Dei optimi maximi nihil casu, vel fortuitò eveniat, ut rectè inquit Sennert. *in epit. natur. scient. lib. 1. cap. 3.* Naturaliter enim pleraque accidunt, quamvis de illis certa ratio nequeat assignari, sicut ex Aristotele notat Bald. *in cap. Clericis 15. num. 1. de vit. & honest. Cler.* definiendo propterea fortunam, quòd sit natura sine ratione. Quia nec pro, nec contra potest ratio assignari ab intellectu humano, plerumque enim non cadit in mentem hominum.

At nihilominus censeo cum eodem Lezan. *loc. cit.* sci- 2
licet satis esse, quòd Beatus quocunque modo invocetur, pendente adhuc eventu. Aliàs enim præservatio supra naturæ vim, atque ordinem non eveniret, nisi quis divinitus futuros casus prævideret. Quare hujusmodi invocationes ponderavit, ac veluti congruas admisit Rota in relatione S. Franciscæ Romanæ *p. 3. art. 2. mirac. 10. §. Nec refert.*

CONSULTATIO CX.

An possit reperiri homo, qui ex corporis constitutione ab igne non lædatur? Ubi aliqua de illusionibus in externis sensibus, & exempla varia Sanctorum, qui ab igne immunes evasere.

AFfirmat Pomponatius *dub. 64. in 4. meteor. Arist.* Nam 1
Plutarchus, gravissimus auctor scribit Pyrrhi Regis Epirotarum pedem, aliis digitum, cùm quo sonabat pleneticos, comburi non potuisse, corpore etiam toto cremato. Avicenna etiam ipse testatur, se vidisse hominem, qui si prius mordebat serpentes, necabat eos, & si prius serpentes ipsum mordebant, ei non nocebant. Idemque Pomponatius loco citato testis est, cùm esset puer se vidisse quendam habentem lanceam, qui acumine sine ferro penetrabat totam armaturam catafracta equitis lancea illæsa remanente, nec aliquo modo lanceæ extremitas obtusa reddebatur. Ideòque ait, non omnia hujusmodi fieri incantatione, aut malorum dæmonum auxilio, ut multi imperiti physicarum rerum credunt.

Ignis autem repellendi vim ab ipsa natura manasse, 2
illud argumento est, quòd plurima sunt, quæ ignibus non absumuntur. Ut linteum ex amianto, quod ardens in focis sordes exuit, splendetque magis, quàm aquis, saponeque absterfum. Ut Regum funebres tunicæ ex asbestino, quibus eorum corpora obvoluta comburebantur, ut ab reliquo cinere separarentur. Ut castellum ligneum e Cæsare in Gallia Cisalpina igne frustra oppugnatum. Ut lignea turris ab Archilao Mithridatis Ponti Regis Præfecto contra Syllam extructa. Ut Salamandra, quæ non solùm ab igne non læditur, sed eum, nulla sui læsione, tactu extinguit non alio modo, quàm glacies. Aitque Aristoteles de pyrausti in cyprii fornacibus *lib. de hist. anim. cap.* 19. in Cypro esse ignem, qui cùm diu duraverit, inveniuntur animalia

volan-

volantia per illum ignem, quæ in igne vivunt per multos dies, & ſtatim atque igne exeunti, moriuntur. Cujus rei meminit etiam Plinius *lib. 1. cap. 36.* Quam rem tanquam fabuloſam quidem, ut ait Scaliger *exercit. 23.* temerario ſimul, ac plebejo argumento calumniari auſi ſunt. Cùm Galenus, inquiunt, fornaces illas viſerit, deque ea re nihil ſcriptum reliquerit, verum non eſt, ibi ea fuiſſe animalia. Nam quamobrem proditum repeteret? Citius ille, ut erat tanti viri gloriæ infenſus obtrectator, id quod aliquot locis etiam ridiculè facit, ſi non reperiſſet, redargueret. Nihil enim prohibet humidiſſimo elemento generari humidiſſimas animantes, cujuſmodi piſces ſunt, nihil in ſicciſſimo ſicciſſimas. Nam & ibi quoque miſtio eſt. Non enim purus ignis. Ex ſubjecta ergo materia generari nihil prohibet.

3 Et quod magis ad rem pertinet, ſerva Æthiops, quæ cum luberet tractabat ignem, carbonibus accenſis nulla ſui læſione manu, oreque ſumptis. Alia item mulier Æthiops apud Petrum Servium *in differt. de unguent. armar. num. 37.* manibus gemellis, eiſque cavaticis, veluti ferreo batillo ignis acervulum e foco illæſa ſumebat, aſportabatque. Narratque idem Servius tanquam ſibi exploratum facinus monſtro ſimile, in Piceno vulgare, & omninò pervagatum. Martinum Cecconem ex oppido vulgò Montelupone, manu ignem, carboneſque candentes, & ſumere, & diu, multumque tenere, in os etiam injicere, injectis dentibus conterere, palatoque extinguere, ano veluti balanum inſerere, natibus nudis, pedibuſque calcare, linguam fervente lardo, ut aſſam carnem conſuevimus diu perfundere, candelam ardentem exertæ linguæ ſupponere, aliaque agere, quæ monſtro ſimilia ſunt, & planè inaudito.

4 Nos verò nugari cunctos cenſemus, nihilque comperti habere. Nam cum vita animalis conſiſtat in calido temperato, qui fieri poteſt, quòd animalia vivant in calido maximo, & igneo, aut in maximo frigore, quod eſt in nive? Dicendum igitur eſt, quod vivunt in terra, quæ eſt occupata ab igne. Et quod ſtatim moriantur extra ignem provenit, quia natura non tranſit ab extremo ad extremum, niſi per medium, etſi Plinius dicat, quod ſit ſolùm ratione pabuli. At eſſe quoque ratione loci placet Pomponatio *loc. cit. dub. 61.* Deinde omne vivens vita mortali nutritur. Quomodò ergo animal in igne nutrietur, cùm ex puro elemento nihil poſſit nutriri? Nullum enim ſimplex nutrit, neque in eo eſt aliquod nutrimentum miſtum. Tum etiam quia omne nutriens debet eſſe corpus humidum. In igne autem nullum eſt corpus humidum ad nutriendum aptum. Denique eſt animal, ergo ſentit. Organum autem ſentiendi eſt quædam commenſuratio qualitatum paſſivarum, & corrumpitur ab excellenti ſenſibili. Ergo corrumpitur temperamentum a calido ſummo, & a frigido ſummo: Ergo corrumpitur animal in igne. Quia ſi poteſt corrumpi ejus ſenſus tactus, poteſt etiam & animal corrumpi ab excellenti ſenſibili. Tum. Illud membrum, per quod ſentit aut caro, aut proportionabile carni, cujus conſtitutio debet eſſe in medio. Nam ſi eſſet tanta caliditas, ut ignis, non poſſet ſentire. Quoniam tactus debet eſſe fundamentum omnium ſenſuum. Quomodò ergo ſentiet in igne calidiſſimo, quin corrumpatur illa conſtitutio organi tactus, præcipuè cùm ibi ſit tàm modica frigiditas. Neceſſe enim eſt in animali eſſe aliquid frigidi, ſi debet eſſe miſtum. Quod videtur impoſſibile. Nam cùm ignis comburat lapides, ligna, ferrum, & multa ſolidiſſima, & duriſſima, quin fieri poterit, ut animal non conſummatur? Indicatque ſenſus tactus. Omnium enim maximè ſentimus calidum. Organum namque tactus citiſſimè ſentit, & læditur ab eo. Dicendum igitur, quod fiat hoc, ut factum eſt in tribus pueris, Miſach, Sidrach, & Abdenago in fornace ignis. Quod fuit ſupra naturæ ordinem.

5 De Salamandra quod vulgò aſſeritur, falſum eſt. Id verum, quòd prunis injecta extinguit eas ſive frigiditate, ſive lentore, id, quod ab aliis fit carnibus, ipſa tamen interiit. Idcircò Nicander eam lipotrinon appellavit, quòd eſſet pingui corio, id eſt lipodermon. Unde quod abſumatur igne dicit Galenus *3. de tempor.* & Dioſcorides *cap. de Salamandra*, & Olimpiodorus; dictumque Ariſtotelis exponendum eſt, quòd Salamandra non abſumitur per aliquantulum temporis, quia ſua frigiditate ibi durat, & reſiſtit caloris ignis, non autem quòd ſimpliciter non abſumatur. Quod autem ligna non ardeant, illinuntur alumine, ut legitur apud Gellium *lib. 15. cap. 1.* ubi ex verbis Quadrigarii hæc ait: *Tum Sylla conatus eſt, & tempore magno eduxit copias, ut Archelai turrim unam, quam ille interpoſuit, ligneam incenderet. Venit, acceſſit, ligna ſubdit, ſubmovit Græcos, ignem admovit. Satis ſunt diù conati, nunquam quiverunt incendere, ita Archelaus omnem materiam obliverat alumine. Quod Sylla atque milites mirabantur, & poſtquam non ſuccendit, reduxit copias.*

Reliqua nugæ ſunt, vel circulatorum arcana, ut illud ignem manu tractare. ℞. *Alteæ quantum ſatis, miſceatur cum ovi albo, manus inungantur, & ſiccatæ ignem tractare poterunt.* Aliud. *Recipe ſuccum biſmalvæ, & album ovi, & ſemen pſillii, & calcem, & pulveriza, & confice, cum illo albumine ovi ſuccum raphani commiſce, ex hac confectione illinas corpus tuum, vel manum, & dimitte ſiccari, & poſtea iterum illinas, & poſt hoc poteris audaciter ſuſtinere ignem ſine nocumento.* Experimentum mirabile. Aliqua apud Delrium *magic. lib. 2. quæſt. 21.* & nos infra. 6

Mirum facinus & illud, quod narrat Augerius Giſlenius *Epiſt. 4. de legatione ſua Turcica pag. 330.* ſic ait: Sequitur hoc loco, ut alterius peregrinatoris, & monachi Turcici tibi miraculum narrem. Is incedebat cum tunica, & pallio albo ad pedes uſque demiſſo, cæſarie promiſſa, quales ferè noſtri pictores depingunt Apoſtolos. Sub facie liberali latebat impoſtor animus, ſed Turcæ ut miraculis inſignem venerabantur. Iidem Interpretes meos impolluerunt, ut ad me adducerent, ut viderem. Sumpſit unà mecum prandium ſobriè, & moderatè, inde deſcendit in aream domus, pauloque poſt revertit, ſublato vaſti ponderis ſaxo, quo ſibi in nudatum pectus aliquot ictus inflixit, quibus penè bos percelli potuiſſet; hinc manum injecit ferro, quod in foculo ad eum uſum accenſo candens factum erat. Id ori inſertum omnem in partem aliquandiu verſat non ſine ſalivæ ſtridore. Erat ferrum illud oblongum, ſed altero capite craſſius, & quadrangulum, quod ore recepit, vi ignis ſic fervefactum ut a candente carbone nihil differret. Quo facto ferramentum in ignem recondit, meque ſalutato, & accepto munere diſcedit. Admirabantur, qui circumſtabant mei domeſtici, præter unum, qui ſe plus reliquis intelligere arbitrabatur. Et quid vos, inquit, fatui iſta miramini? An fieri hæc revera creditis? præſtigiæ ſunt iſtæ, & mera oculorum ludibria, ac ſimul ferrum, qua parte altè e foculo extabat, arripit probaturus ſine noxa contrectari. Sed non citius manum comprehenderat, quàm rejecit, vola & digitis ſic aduſtis, ut pluribus diebus perſanari ægre potuerit, quem caſum magnus ſociorum riſus conſequutus eſt, rogitantium, jamne illud calere, an nondum etiam crederet? invitantiumque, ut denuò contingeret. Idem Turca inter prandium commemorabat ſuum cœnobiarcham vitæ ſanctimonia, & miraculis clarum, conſueviſſe in lacum, qui eſſet cœnobio propinquus, extendere pallium, in eoque ſedentem, qua viſum eſſet ſuaviter circumvectari. Eundem excoriato, exenteratoque verveci, nudum colligari ſolitum, ut priores pedes brachiis poſteriores cruribus ejus aptarentur, ita conjectum in ferventem furnum manere, donec percocto vervece, ut jucundè edi poſſet, illæſus ipſe promi ſe juberet. Non credo, inquies, nec ego. Audita modò refero? ſed de ferramento candente, quod vidi, teſtor. Nec tamen ea res tantam habet admirationem, haud dubiè, dum in area ſaxum ſe quærere ſimulabat aliquo medicamento ſibi os adverſus ignis violentiam præmunierat, qualia reperiri non ignoras. Nam memini me in foro Veneto vidiſſe circulatorem, plumbum igne liquefactum contrectare, eoque ſine offenſa tanquam manus lavare. 7

Accedit ars dæmoniaca. Multis enim falſis ſpeciebus deludi poſſe a dæmone externos ſenſus, ac in primis viſum, docent quæ adducunt Gulielm. Pariſ. 3. 2. *de univerſ. cap. 22. & 23.* & Coccin. *tom. 1. theſaur. lib. 4. art. 6.* *Nec magnum illi*, ait de dæmone Tertullianus *lib. de anim. cap. 57. exteriores oculos circumſcribere, cui interiorem mentis aciem excæcare perfacile eſt.* Et plerumque quidem ita evenire videtur, propter imaginationis immutationem, ut affirmat D. Thom. *quæſt. 6. de potent. art. 5. in corp.* & Bartholom. Sybill. *decad. 3. cap. 5. quæſt. 2.* allegans D. Bonaventuram, & Turrecremata. Quibus adde Gabrielem *in 2. d. 8. quæſt. 2. art. 3.* qui benè omninò id declarat, & annotat hujuſmodi illuſionem propriè dici præſtigialem. Cùm autem ita fit, videtur ſibi homo, oculo, aliove ſenſu percipere, quæ oculo, aliove ſenſu non percipit, ſed imaginatione tantùm. Monet tamen D. Thom. *3. contra Gent. cap. 104.* & annuit Victor. *relect. de mag. n. 5.* id nunquam evenire integris, & ſolutis ſenſibus exterioribus, ſed tantùm in dormientibus, & iis, qui extaſim patiuntur. Plerumque verò ipſe quoque externus ſenſus reipſa deluditur, ut Juſtin. *ad q. 81. orthodox.* quod aliquod ex his tribus modis fieri docent Gabr. *loc. alleg.* & Molin. *p. 1. q. 111. art. 4.*

Primus

8 Primus modus eſt, per mutationem factam in objecto, adhibita celerrima ejus agitatione, vel occultatione, ut de ſociis Diomedis philoſophatur Auguſtinus *lib. 18. Civitat. cap.* 18. reddens rationem, cur in aves converſi crederentur, cùm tamen idem eis contigiſſet, quod Iphigeniæ, dæmonum interventu ſubitò ſubtractæ, repoſita cerva in ejus locum. Ludovicus Vives *lib.* 10. *Civit. cap.* 16. videtur eodem referre mira quædam acirculatoribus edi ſolita, ut quòd qui edit panem, ſpuere cernatur farinam ſiccam, qui bibit vinum per frontem id, aut etiam per jugulum remittat, quòd gladii vorentur magno horrore ſpectatorum, & ingens vis evomatur acuum, onularum, numerorum.

9 Alter modus conſiſtit in mutatione facta ex parte medii, quæ mutatio, ſecluſo quovis dæmonis artificio, cauſa plerumque nobis eſt hallucinationis, ut rectè annotat Gabriel ſupra, & patere poteſt variis exemplis, ac nominatim eorum, qui ſubitò convivos truncos aut aſininis capitibus, aut ſub vite triclinio oppanſa apparere faciunt, ut meminit Vives ſupra, & fortaſſis etiam hac ex parte pertinent mira illa, quæ contigerunt in convivio, quo Albertus Magnus Gulielmum Imperatorem excepit Coloniæ, ut videre eſt apud Bzovium anno Chriſti 1248. *num.* 1. Spectant eodem duo perilluſtria exempla, quæ habentur apud Nilum *cap.* 100. & 101. *lib. de orat.* Item quod habetur apud Plinium *lib.* 35. *cap.* 15. de Anaxilao, qui exardeſcentis ſulphuris repercuſſu pallorem dirum, velut defunctorum, affundebat convivis. Cujus ludicra imitatus Marcus hæreticus ſimul, & magnus apud Iren. *lib.* 1. *cap.* 8. & 9. & apud Epiphan. *hæreſ.* 34. initio album in triplici calice vinum apparenter tranſmutabat, vinumque verum rubrum veluti ſanguinem, alterum purpureum, tertium cœruleum exhibebat. Ambigit autem Fevardentius ad eum Irenæi locum quis eſſet iſte Anaxilaus, cujus ludicra Marcus ille imitabatur. Sed dubitationem ſuſtulit Euſebius in chronico, docens fuiſſe Laryſſæum Pythagoricum philoſophum, ac magnum, urbe, Italiaque ab Auguſto pulſum anno Imperii Auguſti 16.

10 Sed quod ſpectat ad hanc medii mutationem, in qua verſamur, Gabriel ſupra addit, dæmonem, ſi admittantur ſpecies viſibiles, poſſe eas in medio profuſa movere localiter, & earum multiplicationem prohibere. Et ita etiam Major. *in* 2. *d.* 8. *quæſt.* 3. Quorum neutrum placet. Nam quoquomodo poſſit dæmon cohibere effluxum ſpecierum ab objecto præſente, cum neque poſſit illi denegare concurſum. Neque ſpecies habeant contrarium, cujus in medium immiſſione excludantur? Quomodò item poſſet dæmon movere ſpecies, quæ ſunt accidentia non corpuſcula, vel ramenta ex objectis decidua? Poſſet quidem dæmon medium cui ſpecies inſunt, movere, & unà cum eo ſpecies, ſed niſi talis ſit poſitura medii muti, ut ſecundùm eam liceat objecto agere naturaliter in medium, & præmiſſam in illud ſpeciem conſervare, peribit ſpecies, atque ita motus ille medii per dæmonem factus erit impertinens ad propoſitum noſtrum, quia productio ſpecie æquè fieret in medio, ſi abeſſet motus, ac poſito motu. Fateor tamen illam medii perturbationem non parum conferre poſſe ad expreſſiorem, vel confuſiorem, aut ſic, vel ſic affectam vim repræſentativam ſpeciei.

11 Tandem tertius modus conſiſtit in variatione aliqua potentiæ, ſive per localem mutationem partium organum compingentium, ut advertit Argentin. *in* 2. *d.* 8. *quæſt. unic. art.* 2. tametſi aliqua addens parum appoſitè, ſive affuſione alicujus humoris, ſive obſtructis ſpirituum animalium meatibus. Humor enim ſanguineus, vel luteus oculo affuſus, facit, ut omnia illi ſimiliter colorata videantur, & humor amarus linguam præoccupans, omnia ſimiliter ſapida exhibet, ut experientia docet, notavitque auctor theologiæ Ægypt. *lib.* 12. *cap.* 3. & 6. ac etiam Ariſtoteles 3. *anim.* tradens celeberrimum illud effatum *intus apparens obſtruit, & prohibet alienum*. Cujus dicti cùm variæ omninò, & parum idoneæ expoſitiones adducantur, illa eſt optima, quæ in eo, de quo agimus ſenſuum experimento fundatur, nempè quòd intellectus, ſi eſſet materialis, & organicus, ratione organi corporei, cui ineſſet, haberet determinatam diſpoſitionem purgantem cum receptione ſive intentionali, ſive reali prærequiſita ad objecti cognitionem eliciendam a virtute illa organica, ex quo fieret, ut intellectus ſic præventus per illam inter apparentem ſine organo inſitam diſpoſitionem, non poſſent fieri omnia intelligibiliter, quod vis intellectiva habere debet.

12 Singillatim verò interrogari poteſt circa viſum, poſſitne dæmon reddere aliquod corpus inviſibile alicui adſtanti? Reſpondendum eſſe, poſſe, & ita variis exemplis ſæpè compertum eſt. De modo tamen eſt aliqua controverſia. Nam Gabriel ſupra *lit. E.* ſignificat id faciendum eſſe per ſubitam ablationem objecti, vel impedita tranſmiſſione ſpecierum ab objecto ad potentiam, aut earundem ab actione locali, & mutatione. Verùm facere, quod objectum ablatum, & loco motum non videatur, non eſt reddere illud inviſibile, ſed ut id fiat, neceſſe eſt objectum adeſſe. Quòd ſi objectum ſubducatur, poterit contingere, ut videatur redditum inviſibile ob ſubductionem imperceptibilem, reipſa tamen non reddetur tale, & eo modo Apollonius, ut eſt apud Philoſtratum, & apud Lactantium *lib.* 5. *cap.* 3. inviſibilem ſe reddidit, ſicque Domitianum, a quo invitus detinebatur, declinavit, & Puteolis, ubi ſocii expectabant, improviſus apparuit. Ut vel ex hoc facto appareat, Apollonium, quod Euſebius in opere contra Hieroclem latè evicit, Suidas ridiculè negat, magum & quidem inſignem fuiſſe. Eodem item modo contingebat olim, ut apud Cæſaream victima redderetur inviſibilis, putareturque in cœlum ſublata, cùm tamen in imas aquas abriperetur, donec Aſterii precibus ceſſavit impoſtura. Rem narrat Euſebius 7. *hiſt. cap.* 13. & eadem, ut ex adjunctis ſacerdotii, & ſacrificiorum conſtat, cauſa fuit ſubitæ occultationis tabellæ apud Palicem in Sicilia, ut narratur *in admir. cap.* 55. authore Ariſtotele, aut potius Theophraſto, ut colligitur ex Plinio *lib.* 9. *hiſtor. cap.* 59. notavitque Philander ad 8. Vitruvii *c.* 3. prorſus autem diſſimili effectum in aqua ſtygia, ut eſt apud Phot. *cod.* 242. injecta donaria eorum, quibus dæmon propitium ſe exhibebat, deprimebantur, tametſi levia, cæterorum verò licèt graviſſima ſupernatabant, & ejiciebantur foras. Subditurque item ibidem de pœna pejerantium per campos, & aquam ſtygiam. Similes ſubitæ occultationes interventu dæmonum factæ alibi non ſemel leguntur.

Noſtra igitur controverſia eſt de objecto, quod in eo- 13
dem loco perſtet. Qua ratione Jamblicus *lib. de myſter.* §. 25. ſcribit Colophone fuiſſe ſubterraneum locum, in quo fons erat, cujus aquam cùm poſt ſacrificium guſtaret ſacerdos ſtatutis noctibus afflatu novo correptus, vaticinabatur, factus præſentibus inviſibilis. Notus etiam Gygis annulus, cujus tanta vis erat, ut præſens Gyges videri non poſſet, niſi vellet, ut eſt apud Platonem 2. *de Republ.* ferè initio. Quanquam id a philoſophis confictum fuiſſe doceat S. Ambroſius 3. *offic. cap.* 5. Nazianzenus quoque *orat.* 3. *num.* 62. in eandem claſſem narrationem hanc refert, cum narratione de Orcigalea, qua indutus homo fieri inviſibilis credebatur, ut ibi ex Homero exponit Elias.

Quare ad controverſiam hoc ſenſu propoſitam, re- 14
ſpondendum eſt, localem mutationem ſpecierum a Gabriele ſupra inſinuatam non poſſe eſſe viſui ad hoc præſtandum. Quia dæmon non poteſt ita abire ſpecies, ut objecto præſente, & aliis obicibus ſecluſis, non perveniant ad oculum. Poſſet ergo dæmon reddere inviſibile corpus præſens, interponendo corpus aliquod corporibus appoſitis ſimile, quodque proinde non internoſcatur, nec exhibeatur, ut diſtinctum. Sic enim corpus præſens eo quaſi vello contectum ſubducetur facilè viſui. Idem patefit circumponendo ipſi corpori novam ſpeciem, ac formam externam ſic vel denſato circa illud aere, aut medio. Nec parum etiam conferet ſubtractio lucis, & tenebrarum affuſio in objecto. Nam cùm lumen neceſſarium ſit ex parte objecti, ut viſio peragatur, neceſſarium eſt, ut quantum de luce adimitur, tantum viſibilitas minuatur, atque ita quamvis tota lux non intercidat, tamen ſi tenuis ſit, aut dilutior quàm oporteat, viſus vel non æquè benè, vel nullo modo elicere poterit actum ſuum.

Non memini applicationis ullius activi ex ſe idonei 15
rem inviſibilem reddere. Quia, ut rectè affirmat D. Thom. 3. *contra Gent. c.* 104. *art.* 4. nulli rei naturali competit hujuſmodi virtus, malè refragante Abulenſe *in cap.* 13. *Judic. qu.* 39. ac quidquid etiam ſcribat Albertus Magnus de gemma heliotropia ſi herba ejuſdem appellationis inungatur. Et quamvis id omninò non rejiciat Gulielm. Pariſ. 3. 2. *de univ. cap.* 22. ſed dicat, ſi id verum ſit, oportere, ut gemma illa impediat tranſmiſſionem ſpecierum ad oculum, tamen ut benè advertit Ferrarienſis in caput illud 104. Albertus, qui vim illam gemmæ hujus aſſeruit, addidit, oportere, ut gemma illa ad hujuſmodi effectum præſtandum certis conſecrationibus, ſeu veriùs execrationibus, & characteribus afficiatur. Quæ ſunt evidenti argumento, hanc vim non naturalem, ſed magicam eſſe.

Cæterùm rectè Abulenſis ſupra obſervat, ſi ſuppona- 16
mus corpus alicubi ad Solem exiſtens, reddi inviſibile per ſupradictam circumpoſitionem, vel interpoſitionem, fore tamen ut videatur umbra ejus, eò quòd licèt tunc ocu-

li fallantur, tamen ſol non poteſt falli, nec penetrat radiis ſuis corpus illud, circa quod oculos deluditur, ac proinde æquè exurget umbra ac ſi corpus videretur. Unde inſuper fit, ut ſi corpus illud ad ſolem moveatur, umbra ejus videnda ſit diſcurrens, corpore interim non viſo. Præterea ubilibet corpus reddatur inviſibile, æquè impediet effluxum ſpecierum a corporibus retropoſitis, atque adeò corporum illorum conſpectionem, ac ſi non eſſet redditum inviſibile.

17 Quæ ad auditum ſpeciatim ſpectant, certum eſt æmulari plerumque dæmon riſum noſtrum aere moto certa ratione, ut apparet ex nocturnis illis riſibus, quos cum tympanorum, ac cymbalorum ſonitu exaudiri ſolitos ad quoddam in Lipara Inſula ſepulchrum, ſcribit Ariſtoteles *in admir. cap. 96.* Riſum effuſum ſtatutæ Jovis cùm juſſu Caligulæ Romam transferenda eſſet, refert Sveton. *in Calig.* Eodem ſpectant quæ de dæmonibus, ut vocant, joculatoribus, ſcribit Caſſianus *collat. 7. cap. 32.* & Gulielm. Pariſ. *3. 2. de univ. cap. 7.* & Tyreus *cap. 32. de locis infeſtis.* Et quòd ad vocem, & loquutionem quaſcumque animalium voces facillimum eſt dæmoni effingere, quia varietas, quæ inter voces illas cernitur nonniſi ex certa aeris fractione proficiſcitur. Omnis autem illa aeris diſſectio non excedit facultatem dæmonis, ut patet ex perilluſtri exemplo, quod habetur apud S. Gregor. *3. dial. cap. 4.* & alio, quod habetur in vita S. Antonii apud Athanaſ. *cap. 8.* rurſuſque alio in vita S. Hilarionis, ac demum loqui quod homo poteſt etiam hujuſmodi animalium paſſivè tantùm ſe habentium organa movere, & ad effingendam connaturalem eis vocem adigere: Immò poteſt vocem unius efformare per organa alterius, aut verius in organis alterius, ut conſtat de aſina Balaam, & de ſerpente, qui cum Heva ſermones miſcuit, ut optimè exponit S. Cyrillus referens Julianum *lib. 3. ad tract. 2.* addens de tauro Jovis apud Rhodum humana voce loquuto, & de ulmo voce muliebri alloquuta Apollonium, ac de quercu Dodonæa, quæ humana voce loquebatur. Et addi poſſunt alia, nam per imagines ac ſtatuas, arboreſque, & aquas, perque alia hujuſmodi loquutos ſæpenumero dæmones notat Andreas Cæſar. *ſer. 13. in Apocalypſ.* ex Apollonio, & aliis.

18 Nec eſt dubitandum, quamvis contradicat Nonnius in expoſitione fabularum primæ orationis Nazianzeni in Julian. *num. 22.* & fortè Suidas *v. Dodona*, ac etiam Plutarchus *in Coriolano*, non eſt, inquam, dubitandum, quin Dæmon poſſit tàm perfectè has voces effingere ſive in organis animalium, quibus voces illæ congruunt, ſive extra illam, quam poſſint effingi ab illis ipſis animalibus, quibus ſunt conſentaneæ. Nam aſina propter diſluentum in tanta ictus latepatentia aerem emiſſum, priuſquam aptè frangatur, inepta valdè eſt ad voces humanas effingendas, ut benè expendit Abolenſis *Num. 22.* & tamen non grave fuit Dæmoni ſermonem humanum per ejus os edere, quod fabula expreſſit Lactant. *1. inſtit. cap. 21.* Multò ergo magis id poſſet per os humanum, ut diſſertè ſenſit Plato apud Clementem Alex. *1. ſtrom. cap. 13.* videturque certum eſſe ſaltem ſi ſolam vim dæmonis ſpectemus.

19 Quod addo, quia Gulielm. Pariſ. *2. 2. de univ. cap. 151.* ex quodam multæ, ut ait, in hujuſmodi rebus experientiæ viro, refert voces energumenorum proprias internoſci poſſe ab illis, quas intra eos efformat Dæmon, eò quòd voces Dæmonis in Demoniaco loquentis ſemper ſubraucæ ſint, voces verò ipſius Energumeni ſint clariores. Quod Gulielmus refert in inſtrumenta vocalia, quibus homo aptius utitur, quàm Dæmon. Sed cauſam illam non eſſe idoneam ex eo manifeſtum eſt, quòd cum Dæmones in cadaveribus aſſumptis apparuerunt, nulla notata eſt vocum diſtinctio, & propterea illi ipſi crediti ſunt, quorum exuviæ ſolæ aderant. Sed & Raphael in aſſumpto corpore perfectè loquebatur, ſicut homines ſolent. Rectiùs itaque idem Gulielmus paulò poſt recurrit ad divinam providentiam, hanc quaſi notam detegendo Dæmoni, nobis ſuppeditantem. Quod admiſerim, ſi vera eſſe ſupponatur relatio illa de Dæmonis voce ſubrauca. Nam de ea dubitat, vel potiùs eam rejicit idem ipſe Gulielmus *1. 1. de univ. c. 52.* aſſerens nunquam Dæmonem loqui in Energumeno, quod exiſtimo omninò falſum. Poteſt quoque dæmon ſibi in ea vocis obſcuritate placere. Nam & cùm per ſe ipſum voces edit, obſcuras, & exiles edere ſolet, ut variæ experientiæ teſtantur. Sanè Remig. *lib. 1. demonol. cap. 8.* ex ſagarum plurium confeſſionibus refert Dæmonis cum miſeris illis colloquentis voces eſſe quales emittunt, qui os in dolium, aut teſtam rimoſam inſertum habent. Et apud Crinitum *6. de honeſt. diſcipl. c. 11.* refertur, dæmonem obſcura voce, & admodum exili de Ariſtotelis entelechia reſponſum dediſſe Hermolao Barbaro, & Georgio Placentino. Eam porrò vocis exilitatem & obſcuritatem a Dæmone de induſtria uſurpari, utpotè commodiorem, ne tàm facilè deprehendantur mendacia, auctor eſt Pſellus *lib. de dæmon. in fine.*

De odoratu illud tantùm annotandum occurrit, poſſe ei illicò exhiberi odores ſuaviſſimos per dæmonem. 20
Quod docent exempla, quæ leguntur apud Plutarchum *lib. de ceſſat. orac. num. 16. & 52.* quamquam odores illos non tàm recens productos novi alicujus activi ad paſſiva applicatione crediderim, tametſi hoc quoque fieri a dæmone potuit, quàm una cum reali ſubſtantia, in qua præexiſterent aliundè apportata diffuſos. Quo itidem modo recipiendum videtur, quod de fragrantiſſimo odore Templi ſacræ Civitatis ſcribit Lucian. *lib. de Syria Dea.* Quod multò magis de altero illo exemplo dicendum ob infrequentem talis odoris è ſpecu illa, de qua Plutarchus agit, afflatum. Cæteroquin enim quod efflare è ſpecubus quibuſdam poſſit odor ſuaviſſimus illuſtri exemplo argentariæ fodinæ Mariabergenſis in Saxonia, docet Agricola in Beremanno dialogo. Potuit etiam per vehementem in interno ſenſu odoris perceptionem imponi iis, qui ſe illos percipere arbitrarentur, ut contigiſſe videtur ei, qui in loco fœtidiſſimo, tanquam in amœniſſimo horto noctem integram verſatus eſt apud Guliel. Pariſ. *3. 2. de univ. cap. 23.*

De guſtu compertiſſimum eſt, cum non rarò a dæmo- 21
ne deludi. Quò ſpectant convivia, quæ Numa ementiebatur, authore Plutarcho in Numa, & Dionyſio Alicarnaſ. *lib. 6.* Nec diſparia Paſetis convivia apud Suidam *v. Paſeſ.* Et quanquam non ſit difficile Dæmoni veros cibos exhibere, tamen ventris poſt convivia illa inanitas, nonniſi apprehenſa convivia, & imaginarios cibos, ac deluſionem guſtus arguit, juvante fortaſſis imaginationem certa humorum attemperatione, ex qua plerumque experimur enaſci certorum quorumdam ſaporum quaſi guſtum, tametſi nonniſi ſaliva linguam perfundat.

Denique circa tactum negat Sirenius, quòd dæmonis induſtria aliqui nudis pedibus illæſi queant prunas calcare *9. de fato c. 14.* aſſerens per oculorum faſcinationem apparuiſſe quondam, ut afflati Deæ Furoniæ numine, nudis pedibus prunas illæſi calcarent. Quod apud Strabonem legitur *lib. 5. geog.* & apud Volater. *lib. item 5. geog.* quo loco de Soracte agit. Idem a Sacerdote quodam factum refert Jamblicus *ſ. 24. lib. de myſter.* quæ minimè reipſa contigiſſe, licèt contingere viderentur, exiſtimat idem Sirenius. Sed non videò neceſſitatem ea ratione philoſophandi, nec ita certè philoſophatur D. Thomas, Nam *quæſt. 6. de potent. art. 3. cum arg. 12.* retuliſſet referri quendam virtute cujuſdam ſcripti, atque adeò interventu dæmonis, non fuiſſe læſum in igne, reſpondet, id quidem non fuiſſe factum a Dæmone impedientem per ſuum imperium, ne ignis ageret in hujuſmodi ſubjectum, fuiſſe tamen factum per oppoſitionem alicujus impedimenti naturalis, ſenſum humanum latentis, vel per remotionem ignis, ne tantoperè appropinquaret cum buſtibili, ut conſequeretur actio.

Harum viarum altera, vel etiam ambabus uſus dæ- 23
mon ille, quem Theodoretus *lib. 5. hiſtor. cap. 21.* memorat inhibuiſſe ad aliquod tempus validi ignis efficaciam. Uſi item Magi illi Judæi apud Epiphanium *hæreſ. 30.* qui ignem, ut ejuſdem Epiphanii verbis loquar, ligarunt, & actione impediverunt. Alterutro item ex his modis lituus ille, qui Romanis clariſſimum inſigne auguratus habebatur, id eſt incurvum ac leviter a ſummo inflexum bacillum, quod ab ejus litui, quo canitur ſimilitudine, nomen invenit, cum ſitus eſſet in Curia Saliorum, quæ erat in palatio, eaque deflagraſſet, inventus eſt integer, teſte Tullio *lib. 1. de divin.* nempè dæmone adauguratus commendationem alterutro ex prædictis modis lignum illud conſervante. Sed prior via expeditior eſt, eaque multi circulatores plebeculæ imponunt cum ſuccis quibuſdam adhibitis ignem, aliave ignita, & combuſtiva, impunè tractant. Sic Aponenſis apud Scaliger. *exerc. 15. in fin.* tradit manum mercurialis, & portulacæ ſucco illitam tractare impunè plubum liquefactum. Sic item Buſbequius in ſuis legationis Turcicæ epiſtolis ſcribit, viſum a ſe Turcam, qui ferrum candens ſexies, aut ſpecies per palatum, prius injunctum, circumduceret illæſus. Alium item a ſe viſum refert, qui manus, & faciem ſuſo plumbo lavaret, cujus etiam Cardanus meminit.

Cùm ergo dæmon optimè norit vim caloris inhibiti- 24
vam, aut partium ſtufactativam, quæ eſt in quibuſdam naturalibus activis, facilè ei eſt per eorum applicationem, Deo permittente, ſervare aliquem illæſum, ut probant frequentia exempla. Nam præter ea, quæ jam ſunt allegata, Simonem Magum impunè in ignibus fuiſſe volu-

volutatum ope Dæmonis ex antiquioribus refert Anaſtaſius *quæſt. 23. inſcript.* & traditur etiam ab Authore imperfecti *hom. 29.* Recentius exemplum refertur ab Authoribus mallei *par. 3. quæſt. 15.* & alterum *in lib. de relig. & morib. Turcar. cap. 15.* Quin etiam ſalutatores illos, qui ſe de S. Catharinæ genere mentiuntur, hodieque id tacere ſcribit Vairus *2. de fiſcin. cap. 11.* & Victoria *ſub fin. relict. de mag.* quamquam hos ſalutatores, humano fortaſſis artificio, non Dæmoniaco, adhibitis naturalibus amuletis tractare ad tempus carbones, infervens oleum, aut aquam manum immittere, in furnum ſuccenſum ingredi illæſos, colligitur ex illis, quæ addidit idem Vairus, nempè ex hujuſmodi circulatoribus quendam ingreſſum in clibanum, eo clauſo, fuiſſe concrematum. At facilè erat Dæmoni ſuccos illos, quibus activitatem ignis ab eis inhibitam comprobatum eſſe dixit Vairus, etiam intra furnum, vincente jam igne, adhibere. Rotam verò, quam in aliqua corporis parte naturaliter impreſſam, ſtirpis teſſeram jactant iidem nebulones, addit idem author, deprehenſum eſſe, quòd artificioſè impreſſa eſſet, idem pronuncians de ſigno ſerpentis, quod circumferunt, qui ſe de D. Pauli familia jactantes a ſerpentis demorſos ſanant. Quamquam, ut obiter hoc addam, Ananias *4. de natur. dæmon. cap. 11.* refert, quendam ſibi notum virum probum, & in magna conſtitutum dignitate, ut nulla poſſet eſſe impoſturæ ſuſpicio, natum cùm ſigno anguis humero impreſſi, vel ſaliva tantùm adhibita reſtituere ſolitum ſanitati omnes demorſos a ſerpentibus. Quæ potuit eſſe gratia gratis data, de qua plenius agere non eſt hujus loci.

25 Sepoſitis igitur circulatorum ludicris, ac præſtigiis Dæmonum, illæſio ab igne miraculo eſt omninò adſcribenda. Exempla hujus miraculi plurima ſunt, quæ apud varios Scriptores extant. Ego autem non ex pluribus omnia quæ poſſem, adducam, ſed illuſtriora tantùm ſeligam a Scriptoribus Societatis Jeſu, hoc eſt a theſauris, e quibus proferuntur nova, & vetera, nominatim a Silveſtro Petraſancta *tom. 1. thaumaſ. cap. 67.* Nec loquor de iis, quibus propter incredulitatem humanam deficientibus aliis humanis ad veritatem eruendam ſubſidiis, præcedente tamen legitima accuſatione in tribunalibus, examinatio per ignem admiſſa fuit, ut obſervari licet in Ivone Carnot. *ep. 74. 205. 251. 252. 254. 280.* & in Roſvveido *lib. de fid. hæret. ſervand. cap. 12.* Unde appellabatur divinum teſtimonium, ut in *ep. 232.* Arnulphus accuſatus in ſynodo Remenſi *cap. 30.* ait, meumque vernaculum Epiſcopis tradam qui per ignitos vomeres incedens, Deum de te judicare manifeſtis declaret indiciis. Sic Copres per ignem fidem Catholicam veram eſſe probavit *lib. 2. cap. 9. in vit. Patr. edit.* a Roſveido Andreas etiam Spoletinus Franciſcanus in Mauritania Foſſæ Rege, & Principibus ſpectantibus, ut oſtenderet Chriſti doctrinam, quam prædicabat, veram eſſe, flammis circumdari non renuit, & inter illas diu permanſit illæſus. Petrus, qui ob illuſtre ignis prodigium, Igneus dictus eſt, deindè verò renunciatus Epiſcopus Cardinalis Albanenſis, & in Cathalogo Beatorum ſub die 3. Januarii Martyrol. Benedict. adſcriptus, de quo Baroni ad ann. 1063. *num. 57.* mira enarrat ac Thom. Bozius *de ſign. Eccleſ. lib. 9. ſig. 35.* De latitudine, longitudine, & altitudine rogi extructi, per quem illæſus pertranſit, vide d. Bozium *loc. cit.* Ant. Yepes *chr. cent. 6. cap. 4. tom. 5.* S. Anton. *3. p. tit. 15. cap. 17. §. 5.* Gononum, & Surium in vita S. Joannis Gualberti, alioſque apud Didacum de Franchis *in hiſtor. monaſt. Vallis Umbroſæ lib. 11.*

26 Contempto Nabuchodonoſoris tyranni decreto, de ſtatuæ aureæ adoratione, tres Hebræi juvenes Sidrach, Miſach, Abdenago, ſen Ananias, Miſael, Azarias, genere, indole, moribuſque egregii, conſtricti vinculis fuerunt, & ſi torques, & monilia merebantur, deturbatique in fornacem ardentem, ut igne probarentur, tanquam aurum. Pueri nominantur, hoc eſt ſervi nempè illius, cui ſervire regnare eſt, alioquin in ætatis flore ac robore agebant circiter trigeſimum ætatis annum. Illis tamen nec prolapſio, nec rogus nocuerunt. Etenim Angelus Domini excuſſit flammam ignis, eaque conflagrarunt Chaldæi, dum interim ipſi recrearentur quodam quaſi rore, aut grata lenique aura, in veſtibus etiam immunes ab injuria ignis, utpotè qui vincula eorum dumt xat cremaverat, *Daniel cap. 3.*

27 Hoc ſupplicium ignis Chriſtianis olim irrogabatur frequentiſſimè, ideoque ſarmentarii vulgò dicti ſunt, quia, ut loquitur Tertullianus *in apolog. cap 50.* ad ſtipitem dimidii aſſis revincti, ſarmentorum ambitu exurerentur. Eo etiam ſupplicio venefici, ac magi afficiebantur, ut affirmant Paulus Jureconſultus *lib. 5. ſentent. tit. 23.* Et ab Ethnicis criminis hujus, ſed falsò, inſimulabantur Chriſtiani paſſim, eaque infamia traducebantur apud Tribunalia Principum ac Præſidum. Innocentia verò ipſorum probata perinde fuit per ignem aliquoties tanquam aurum.

Ordior a S. Thecla virgine, Protomartyre fœminarum, quæ illuſtribus parentibus Iconii nata, juſſa eſt religionis cauſa in rogum intrare, & rogum ſtatim imber extinxit. *Breviar. Rom.* 28

Ex igne quoque S. Priſca virgo nobilis Romana, & puella annorum tredecim, incolumis evaſit. Idem *Breviar. Rom.* 29

Ejuſdem patriæ, ætatis, & nobilitatis S. Agnes ex flammis oravit, & illicò vaporem earum depreſſit. Surius *in Januar.* 30

S. Gliceria item nobilis Romana, & martyr, cujus parens tertius Conſul fuerat, vix in fornacem fuerat conjecta, cum ros de cœlo ignem ſubmovit, & ipſa in cinere Deo liberatori audita eſt lætiſſimos hymnos. Ex Simeone Metaphr. 31

Sanctis martyribus Viro, & Victori ventus vehemens flammam alio diſtraxit, & hi poſtmodum capite plexi, demerſique in alveum fluminis, inde capita manibus extulere ad locum, ubi Baſilica eis poſtmodum eſt dicata. Neque humi ſe ibidem compoſuerunt, niſi poſtquam in genua provoluti oraverunt aliquandiu, atque ita de gladio, aqua, & igne feliciſſimè triumpharunt, Surius *in Septembr.* 32

Sanctis Coſma, & Damianus, fratres Arabes in Ægæa Urbe, ſuperato prius mari, etiam ignis rogum ſuperarunt. *Breviar. Rom.* 33

Sancti Fauſtinus, & Jovita nobiles Brixiani, & germani fratres intra medias flammas perſtitere illæſi. Surius *in Febr.* 34

Sancti martyres Eulampius, & Eulampia in fornace ignis eo ſunt obſequio ſervati, ut flamma inſtar apſidis, recedens undique medio loco, velut in jucundiſſimo thalamo; illos ſine ardore continuerit concinentes, quaſi choreas ducerent, divinum trium puerorum hymnum. Ex Simeone Metaphr. Surius *in Octob.* 35

Sanctus Cyrillus Gortinæ in Inſula Cretenſi Epiſcopus, de medio ignis rogo, manibus in cœlum ſublatis, ſedens orabat, quaſi de ſolio charitatis. Surius *in Julio.* 36

Sancto Pontio martyri catenis onuſto, ignis admotus in theatro, ne fimbriam quidem veſtium vel leviſſimè perſtrinxit. Surius *in Majo.* 37

At quotuplex fuit triumphus, quem de igne reportavit S. Eleutherius Epiſcopus, & martyr? In rogo fuerat omninò illæſus. In craticula eidem prunæ ſuppoſitæ reſtringuuntur. In ſartagine ardorem non ſentit, ſed auream roris potius, quæ ſuaviſſimè ipſum refrigerat. Demum nec in clibano exuritur. Ex Simeone Metaphr. Surius *in Aprile.* 38

Alii mora longiori in incendio indemnes manſerunt, Ita S. Benedictus junior Monachus, poſtquam a Gothis, duce Totila, Italiam populantibus in propria cella exuri non potuerat, quæ quadrageſimo ab Urbe milliario ſita, numquam ignem conceperat, in clibanum ardentem protrahitur, ex eoque ita illæſus poſtridiè emerſit, ut neque caro, neque veſtimenta ignis notam ullam præſeferrent, S. Gregor. *lib. 3. cap. 18.* 39

At triduum exegerunt in fornace ignis S. Mamantes, ſicut & S. Victor, ambo martyres inclyti. Surius *in Auguſto, & Majo.* 40

Sancto Vito puero, & martyri intra clibanum ignis Angelus ardorem præſentia ſua reſtrinxit, ut propterea ille Canticum trium puerorum ſit emodulatus. Surius *in Junio.* 41

Vindices flammas autem in impios idolatras, in Præſides, & lictores, ſicut olim in Chaldæos, vomuere clibanus, intra quem ſine damno fuit S. Procopius martyr; rogus S. Euphemiæ Virginis, & martyris, quam in eo roſcida, & mollis aura recreavit; & fornaces, in quibus ruptis vinculis opera Angeli, manſerunt illæſi Sancti martyres Antonius, Leontius, & Euprepius, & Sanctæ Virgines, & martyres Fides, Spes, & Charitas, incenſæ alio in præcordiis æſtu, quem utique una earum præ ſe tulit in ipſo nomine charitatis. Surius *in Auguſto, & Septembri.* 42

Fateor interdùm in iis incendiis obiiſſe quoſdam, ſed voluntate potiùs quàm neceſſitate. Ter gemini fratres, & martyres Peuſippus, Eleuſippus, & Meleuſippus vinctis manibus, pedibuſque in rogum detruſi beneficio ignis exurentis vincula eorum, libertate fuerant donati, cumque igni pabulum augeretur, nihilominus ipſi, nullatenus læſi, exultare aliquandiu, & hymnos pios emodulari. Demum ut conſtaret in poteſtate ipſorum fuiſſe ſeu vivere, ſeu mori, gratiis Deo actis, 43

niſi

niſi gentibus, ſponte ad ſuperos migrarunt. Surius *in Januario*.

44 Sancta Julitta fœmina Cæſarienſis, & martyr juſſa Chriſtum Dominum ejurare, ſiquidem fori, & legum uſu vellet gaudere, nam lis intentata ei fuerat ab avaro Judice, ut prædio ipſius potiretur, maluit vitæ ac patrimonii, quàm religionis Chriſtianæ jacturam pati. Quocirca ne thus adoleret ante Idoli ſimulacrum, ſemet in rogum potius alacritate mira conjecit. Flamma verò, quaſi thalamus circumplexa eſt corpus ejus, nec ei ardor nocuit, ſed ſponte ſua prorſus mens ipſius in cœlum igne purior evolavit, S. Baſilius *orat. in Barlaamum*.

45 Alia proindè lictoribus tentanda via ſæpè numero fuit, ut morerentur demum ii, quibus ignis parcere videbatur. S. Polycarpus Epiſcopus, & martyr in rogo erat quaſi ſub conopeo. Etenim ſicut velum navigii flamma Euris turgeſcere, ipſumque innoxiè continere videbatur. Sed & caro ejus fragantiam thuris, aut pretioſiorem etiam ſuavitatem odoris emittebat. Itaque ut mors ei inferretur, carnificem opportuit propius ſtricto gladio accedere, eique jugulum perfodere. Et tunc tanta vis cruoris manavit ex vulnere, ut ignem illicò extinxerit. Euſebius *lib. 4. Hiſt. Eccleſ.*

46 Hanc eandem neceſſitatem expertus eſt Hunericus Vandalorum Rex Arianus, cùm ſeptem Monachos Carthaginenſes, tentata eorum conſtantia in fide orthodoxa, juſſit in navigio clavis configi, ne vincula eorum exſolverentur, & igne circumjecto comburi. Quia verò ignis ſemel, iterùm, & ſæpiùs divinitus fuerat extinctus, Tyrannus præcepit demum eos remorum ictibus in capite vulnerari uſque ad cerebri diffuſionem. Et tum illi gaviſi ſunt eo ſe mortis genere defungi, uti ſemper eis ſpes omni fuerat in ligno. Victor. *de perſequut. Vandal. in append. ad lib. 3.*

47 Sed Sanctorum martyrum cadaveribus pepercit etiam non rarò ignis. Ita S. Nicetæ martyris corpus intra medias flammas poſt ſupplicium noctu repertum eſt a Mariano viro pio. Cùm is metu Athanarici defenſus tenebris, ſtella duce, quæ ideò in Cœlo fulſit, clam acceſſit ad ipſum ſepeliendum. Ex Simeone Metaphr. Surius *in Septembri*.

48 Abſtinuit perindè ignis ab injuria inferenda Sanctis martyribus Berardo, Petro, Accurſio, Adjuto, & Othoni, diſcipulis S. Franciſci, qui a Mahometanis pro fide ac religione fuerunt interfecti. Etenim eorum corpora flammis tradita, ut exurerentur, manſere illibata, & peculiariter unius caput aliquoties ex rogo exiliit divina virtute, itaut ne capillis quidem ejus flammæ fuerint nocumento. Surius *in Januario*.

49 Sileo Sanctos eos martyres, qui nudis pedibus per ignitos carbones inceſſerunt abſque detrimento, nec de iis loquor, quibus prunæ ardentes molliſſimæ ac ſuaviſſimæ fuerunt roſæ. *Breviario Rom. in Julio*.

50 Nec alios pariter commemoro, qui lædi non potuerunt vel ab oleo ferventi, ex quo S. Joannes Evangeliſta emerſit purior, & vegetior, vel a plumbo liquato, quo utique reſperſus humeros S. Thyrſus martyr illæſus ipſe vidit, eo exiliente interim lædi plurimos, qui ſupplicio ejus interfuerant. *Brev. Rom. in Majo*, & Surius *in Decembri*.

51 Denique tacitus prætereo etiam aut S. Gregorium, Agrigenti Epiſcopum, prunas accenſas in pallio tuliſſe; quæ thus injectum reſolverunt in odoriferum vaporem, & pallium tamen haud læſerunt, aut S. Simeonem Abbatem cognomento Salum, ideſt ſtultum, ignem in manu geſtaſſe pariter, eoque incenſum abſque ſui detrimento adoleviſſe. Surius *in Novemb.* Simeon Metaph. Quomodò autem hæc miracula Deus patret, reſpondeo facillimum ei eſſe ſic vitam Sanctis ſuis prorogare cohibendo actionem caloris, conſumptricem humidi naturalis, ſicut ei facillimum fuit ſervare tres pueros in camino ignis.

CONSULTATIO CXI.

An qui furatur in Eccleſia, etiam quoad Judicem Eccleſiaſticum, gaudeat immunitate?

1 NEgandum videtur: Quoniam furans in Eccleſia, auferendo ſacrum de ſacro, vel non ſacrum de ſacro, vel ſacrum de non ſacro, committit ſacrilegium, *c. quiſquis cauſ. 17. q. 4.* Quippè augetur plerumque delictorum gravitas ex circumſtantiis, & qualitatibus, inter quas præcipua eſt locus, in quo patrantur, teſte Claudio Saturnino *in l. aut facta, §. locus, ff. de pœn.* utpotè ſi in theatro, vel in foro, in Palatio Principis, ſeu Magiſtratus Prætorio *l. Prætor. edixit, §. atrocem, & l. ſed eſt quæſtionis, ff. de injuriis*. Hæc enim loca, quia publica ſunt, & Principis Majeſtati dicata, quaſi ſacra reputantur ad textum *in l. un. C. de Palat. & dom. lib. 11.* ubi Luc. de Pon. & obſervat Frecc. *de ſubfeud. lib. 1. tit. de off. magn. Siniſcal. n. 6.* Cabal. *reſol. crim. cent. 1. caſ. 8. n. 35.* Mar. Burg. *de mod. proced. ex abrupt. cent. 1. q. 19. n. 206.* Muta *ſuper prax. Regn. Sicil. tom. 1. c. 45. n. 8. & deciſ. 36. n. 16. & 21.* Ideòque domum Principis ſecurum eſſe debere omnibus alylum, & cuicumque tribuere ſecuritatem, tradunt Bald. *in l. 1. C. de his, qui per met. Jud. non appel.* Alber. *in l. præſenti, C. de his, qui ad Eccleſ. confug.* Maſtril. *de Magiſtrat. lib. 3. c. 9. n. 57.* Tapia *ad conſtitut. ut participatio num. 3. ſub tit. de injur. lib. 5. jur. Regn.* Ergò multò magis domum Dei, ex cujus circumſtantia furtum haurit malitiam ſacrilegii *d. c. Quiſquis*, Farinac. *de furt. qu. 72. n. 5. cum ſeqq.* itaut furans in Eccleſia rem laicam dicatur etiam committere ſacrilegium, Suar. *de relig. to. 1. tr. 2. l. 3. c. 5. n. 7. & 9.* ubi contrariam ſententiam non judicat practicè probabilem ac tutam, Triviſan. *deciſ. 60. num. 2. lib. 2.* Sperel. *deciſ. 1. num. 26.* Fagnan. *ad cap. fin. de immun. num. 19.* rejiciens cum Suarez opinionem eorum, qui limitant, furantes in Eccleſia rem profanam, non committere ſacrilegium, niſi cum res cæteroquin non ſacra accipiatur in ſacro loco, cujus cuſtodiæ concredita, aut ibi depoſita erat. Sed perperam, Primò, quoniam *in d. cap. quiſquis* ſimpliciter, & ſine limitatione ponitur ſpecies ſacrilegii furari non ſacrum de ſacro. Secundò, quoniam in eo canone apertè intendit Pontifex immunitatem Eccleſiæ defendere. Valdè autem rationabilis Eccleſiæ immunitas eſt, ut res in ea exiſtentes quandam ſecuritatem ab omni injurioſa acceptione participent. Et ideò qui illas in ea furatur contra immunitatem Eccleſiæ agit, ac ſubindè contra reverentiam illi debitam ſacrilegium committit tertiò, quoniam Eccleſia peculiariter ſtatuit, hujus furti abſtinentiam locum ſacrum honorari, ut *in d. cap. quiſquis*. Sicut conſtituit ibi non fieri actum matrimonii, effuſionem ſanguinis, homicidium, & cætera. Itaque communis ſententia, quam benè explicat, & ſequitur Suarez loco allegato, ſine limitatione aſſerit, quodcumque furtum, etiam pecuniæ ablatæ a perſona privata, quod fit in Eccleſia, eſſe ſacrilegium, & ſic fures occultè in Eccleſia crumenas ſuffurantes, eſſe ſacrilegos *gloſ. in d. cap. quiſquis, & in c. ſacrilegium 17. q. 4.* Ubi Turrecrem. *q. 5.* & communiter etiam Summiſtæ *v. ſacrilegium*, Silveſt. *§. 2.* Angel. *n. 1.* declarans eſſe propriè ſacrilegium, Cajetan. *in ſumm. eod. v.* & Armilla *n. 1.* Navar. *in man. cap. 6. num. 4.* ac cæteri, præſertim Delbene *de immunit. c. 2. dub. 1. ſect. 3. n. 8.* qui probabiliorem, ac communiorem appellat.

Diſſentiunt jus civile, & aliqui Juriſperiti. Nam in *l. Divi ff. ad leg. Jul. pecul.* diſponitur res privatorum, ſi in ædem ſacram depoſitæ ſurreptæ fuerint, furti actionem, non ſacrilegii eſſe, ubi gloſſa ſimpliciter ait in eo caſu non committi ſacrilegium, immò nec in tertio, quando ſacrum de non ſacro ſurripitur, ſed tantùm quando utrumque concurrit. Idem tenet Bartolus, & communiter alii, ceu refert Jul. Clar. *lib. 5. §. ſacrilegium num. 1.* & ſubſcribunt inter Theologos Victoria *in ſum. 4. q. 196.* Sot. *lib. 5. de juſt. quæſt. 3. art. 1.* aliique perpauci, quia inquiunt hujuſmodi furtum non infert ex natura rei injuriam loco ſacro magis quàm inferunt alia peccata, neque etiam eſt ſpeciali jure prohibitum ſub tali ratione. 2

At Juri Civili, ad quod non ſpectat ſtatuere de peccato, ſed ſolùm de actione, quæ contra hujuſmodi furem datur, obſtat jus Canonicum *in d. cap. quiſquis* cui conſentit etiam jus ipſum Civile. Nam *in l. Aut facta, ff. de pœn.* dicitur, locus facit, ut idem vel furtum, vel ſacrilegium ſit. Præterea conſtituitur differentia inter jus civile, & Canonicum Quòd de jure Canonico ſacrilegium punibile dicitur, ſive auferatur ſacrum de non ſacro, ſive non ſacrum de ſacro. De jure autem civili utrumque debet concurrere, ſcilicet, ut ſacrum de ſacro ablatum ſit, & unumquodque jus in proprio foro ſervandum eſt. Et ita Boer. *deciſ. 254.* Mart. *de juriſd. part. 2. cap. 11. num. 15. & 16.* Menoch. *de arb. caſ. 389. nu. 12. & 13.* & de communi teſtatur Clarus *d. §. ſacrilegium in principio*. 3

Et contra Theologos illos, ac paucos alios pugnat *d. cap. quiſquis*, ubi cùm dicatur eſſe ſacrilegium furari rem non ſacram de loco ſacro, vel ſupponit ex natura rei tale eſſe, vel ibi virtute fertur prohibitio. Nec textum aliqui adducunt, aut firmam rationem, quem ipſorum opinionem, vel probabiliter ſuadeat. 4

Atqui licèt crimen ſacrilegii ſit mixti fori, *cap. cùm ſit generale, de for. comp.* & ibi poſt plures Barboſa, tradunt Mar. Ant. *var. reſolut. lib. 3. reſolut. 38. num. 1.* Chartar. *in deciſ. crimin. 31. num. 10. cum ſeqq.* & Sperel.

rel. *deciſ. 3. num. 3. & 13.* tamen locus ſacer eſt prorium territorium Judicis Eccleſiaſtici, *cap. omnes Baſilicæ 16. quæſt. 7. cap. cum olim de præſcript. cap. cum venerabilis de relig. domib.* Delben. *de Immun. cap. 16. dub. 6. ſect. 12. num. 9.* Clariſſimi autem juris eſt, Judicem loci delicti eſſe competentem text. *in l. ſi cui 7. §. idem Imperator, & l. fin. ff. de accuſat. Auth. Qua in Provincia, Cod. ubi de crimin. agi oportet*, ibique Gothofr. ac proſequitur Bartol. *in l. Cunctos Populos num. 47. Cod. de ſumm. Trinit. & fid. cath.* cum aliis relatis per Farinac. *de inquiſ. quæſt. 7. nu. 1.* & latiſſimè Decian. *tract. crim. tom. 1. lib. 4. cap. 3. 16. & 17.* Peguer. *deciſ. 87.* & Carleval. *de for. comp. lib. 1. tit. 1. diſput. 2. quæſt. 7. ſect. 1.* Quinimmò Judex loci delicti cæteris ad cognoſcendum de crimine præfertur, Vincent. de Franch. *deciſ. 37. n. 1. & deciſ. 105. num. 1. & 11.* Farinac. *loco citato num. 1.* Decian. *d. cap. 17. de for. delict.* Theſaur. *deciſ. 90. num. 1.* Peguer. *loc. alleg. num. 5.* Franc. Marc. *deciſ. 921. part. 2.* Cabal. *reſol. crim. 162.* Hier. de Laurent. *deciſ. Avenionen. 114.* Azeved. *ad l. 1. tit. 16. lib. 8. nov. recopil. num. 64.* Quod fit, ut Judex loci, orignis, ſeu domicilii delinquentis ad requiſitionem Judicis delicti neceſſariò teneatur eum remittere, ut pro indubitato, tenet Jul. Clar. *§. fin. quæſt. 38. num. 19.* qui teſtatur de communi Avendagn. *reſp. 4. num. 2.* Azeved. *ad d. l. 1. num. 8. & 24.* Ricc. *deciſ. 132. num. 4. & 5. part. 3.* Covar. *pract. qq. cap. 11. num. 6.* Grammat. *deciſ. 26. num. 7. & 8.* Farinac. *d. quæſt. 7. nu. 29.* Ubi plures de communi teſtantes recenſet. Idipſum affirmo, etſi jam alium apud Judicem reus accuſari, immò & condemnari cœptus ſit per *l. 9. §. ult. de recuſ. l. 7. de juſt. reor. Novel. 134. cap. 5.* Primò, quoniam expedit exempla vindictæ publicæ ibi edi, ubi delictum commiſſum eſt, ut qui facinoroſum delinquere viderunt, videant etiam eundem puniri. Secundò, ut Judex delicti habeat ſatisfactionem, & vindictam propter violatam juriſdictionem ſuam *l. 13. de off. Præſid.* Tertiò, quia in loco commiſſi delicti expeditior eſt probatio ex circumſtantiis, & ut ajunt per confrontationem. Quartò, ne offenſus majori cum moleſtia reum perſequi teneatur *nov. 69. cap. 1.* Niſi tamen Judex requirens, & requiſitus eſſent ſub diverſo dominio, & Principatu. Nam hoc caſu non eſſe faciendam remiſſionem, tenet Bald. *in l. 2. v. ſed nunquid Cod. de ſerv. fugit. & in l. 1. Cod. ubi de crim. ag. op.* ubi teſtatur, hanc ſententiam eſſe totius Orbis Chriſtiani uſu, & praxi receptam, Odofred. *in d. auth. qua in Provincia, l. ubi de crim. ag. op.* Jacob. de Blevis. Marth. de Afflict. Nicol. Boer. & alii relati per Covar. *d. cap. 11.* Boſſ. *de for. comp. num. 52. & ſeqq.* & Farinac. *loc. cit. num. 25.* Quare ſupremum Collaterale Conſilium Neapolitanum, referente Merlino *contr. for. cap. 96. num. 15.* bis cauſa ſolemniter diſcuſſa, cenſuit Juris rigore inſpecto, validam eſſe conſuetudinem illam generalem non remittendi delinquentes ad Provincias diverſi Principatus confugientes. Quia publico nomine tuti ſunt, *l. poſtliminium, §. Poſtliminio de capt. & poſt lim. reverſ.* Idque propter ſeparationem, & authoritatem juriſdictionum, Fulgoſ. *conſ. 149. nu. 2.* Theſaur. *deciſ. Pedem 90. num. 4.* Farinac. reprobans opinionem Covarruviæ *d. quæſt. 7. num. 30.* De Urbanitate verò Principis exiſtimavit, eſſe remittendum juxta tradita per Theſaur. *d. deciſ. 90. num. 4.* Jul. Clar. *quæſt. 96.* quem ſequitur Farinac. *loc. cit. ſub num. 32.* Decian. *in tract. crim. tom. 1. lib. 4. cap. 19. num. 6.* Peguer. *deciſ. 66. num. 19.* Covar. *d. cap. 11. num. 5.* Itaque hodie hujuſmodi remiſſiones potius fiunt de urbanitate, quàm de neceſſitate, ideòque ſub antigrapho, ſeu literis, ut vocant reverſalibus remiſſionem petentis, quòd videlicet remiſſio juriſdictioni remittentis nulla ex parte ſit nocitura. Ad hanc autem urbanitatem exercendam ex quibus cauſis motus fuerit ſupremus ille Senatus vide Merlinum *loc. cit.*

6 Quin actus juriſdictionales in ipſa Eccleſia per Judicem ſæcularem exerceri non poſſe, extra controverſiam eſt per text. *in cap. 1. & cap. Cum Eccleſia*, & ibi Innoc. *ſub princ. de Immun.* Gloſſ. communiter recepta *in cap. decet v. ſæcularium eod. tit. in 6. cap. Qua fronte de appel.* ubi Bald. *num. 1.* Decian. *num. 3.* Philip. Franch. *num. 2.* Abb. *in cap. inter alia num. 13. de Immun.* Suar. *d. lib. 3. cap. 4. num. 10.* Aufrer. *de poteſt. ſæcul. in Eccleſ. tit. 2. num. 7.* Laym. *lib. 4. Theol. mor. tract. 9. cap. 3. num. 11.* Caſtropal. *in oper. moral. diſput. unic. punct. 3. num. 3.* Abſurdum enim eſt, & crudele inquit Lucius tertius *in d. cap. cum Eccleſia*, ibi judicium ſanguinis exerceri, ubi eſt tutela refugii conſtituta.

7 Solumque permittitur, quòd ſi reus criminis confugiens ad Eccleſiam nolit ab ea exire, ne judicium ſæculare ſubeat, licèt non ſit ab illa violenter extrahendus niſi in caſibus exceptis, ratione tamen confugii poteſt a Judice Eccleſiaſtico puniri pœna pecuniaria, vel exilii, vel carceris, vel detruſionis in monaſterium, non verò damnari ad mortem, vel ad aliam pœnam corporalem, ut docent Caſtropal. *loco citato punct. 11. num. 10.* D. Fagnan. *ad d. cap. Inter alia num. 18.* poſt alios, & Farinac. *de Immun. cap. 21. num. 339.* ac Delbene *d. cap. 16. dub. 31. num. 7.* Immò non ſolùm poteſt Judex Eccleſiaſticus punire confugientem, ſed etiam debet, alioquin peccaret contra Juſtitiam, officium ſuum mittendo, Doctores apud Delbene *dict. loco num. 8.* & D. Fagnan. *num. 28.* ubi ex Hoſtienſi, & Jo: Andrea inquit; *Prælati vero, & in hoc delinquunt, quia quantumque gravia confugiens commiſerit, ipſum tamen in totum ſalvare nituntur, itaut nullam pœnam etiam pecuniarum patiatur contra hoc, quod hic dicitur, & contra juſtitiam, quod eſt ſummum bonum cap. devotiſſimum 12. quæſt. 2.* Optat autem Hoſtienſis ut in his, & aliis utrinque ſuis terminis ſint contenti *cap. 1. de ſepult.* & ſequitur Jo: Andr. *num. 5.* Pœna enim eſt delicti ſatisfactio, Azor. *in ſum. Cod. de pœn.* & imponitur, ut in futurum diſcat delinquens rectius vivere, *Clem. 1. §. 2. de pœn.* & ut unius exemplo abſtineant alii a maleficio, *Clem. 1. ubi Card. de off. ord. l. capitalium §. famoſos, ff. de pœn. l. 1. Cod. ad l. Jul. rep.* & vindicta conſiſtit in punitione facta a Judice *l. ſi quondam, Cod. de adult.* Harum igitur pœnarum genera gravia, & utilia olim uſitatiſſima nunc rara omninò repetenda judico juxta *cit. cap. Inter alia de immun.*

Hinc Immunitas Eccleſiarum videtur inducta reſpectu Judicis ſæcularis, non autem Eccleſiaſtici, cujus poteſtatem non abrogat, quemadmodum cenſent Suarez *d. lib. 3. cap. 10. num. 8.* Layman *lib. 4. tract. 9. cap. 3. num. 10.* Menochius *de ſucceſſ. progreſſ. §. 22. num. 54.* Bonacina *in præcept. decal. diſput. 3. quæſt. 7. §. 3. num. 7.* Facundez *in præcept. Eccleſ. præc. 2. lib. 4. cap. 4. num. 52.* Manriquez *in quæſt. Vicar. 65. part. 1.* Delbene *d. cap. 16. dub. 10. ſect. 12. num. 12.* In judicio namque Eccleſiaſtico non ita ſeverè agitur ad corporis pœnam, & publicam vindictam, ut in ſæculari; & Judex Eccleſiaſticus quando educit Reos criminum ab Eccleſia invitos, idipſum facit, vel ſine tumultu, aut ſcandalo ſacrorum, vel cum minori quoad fieri poteſt, propter Numinis reverentiam, ne videantur Chriſtiani inferiores in veri Dei cultu, & irreverentiores ipſis Ethnicis in eorum Templorum, & Idolorum Religione confervanda. Quæ ut planè evitentur inductam eſſe Immunitatem Eccleſiarum, tradunt Doctores modò relati. 8

Atque adeò furantes in Eccleſia gaudere non debent illius Immunitate reſpectu Judicis Eccleſiaſtici, ut præceteris concludit Zabarel. *in cap. fin. de Immunit. num. 2.* Anan. *num. item 2.* Jo: Andr. *num. fin.* Gemin. *in cap. 17. num. 10. de immunit. in 6.* Navar. *in man. cap. 25. num. 19.* Remig. de Gonn. *de immunit. fall. 34.* Clar. *in §. fin. qu. 30. num. 14.* Farinacius *quæſt. 28. num. 51. & 57.* Suarez de Paz. *in prax. Eccleſ. part. 5. tom. 1. cap. 3. §. 3. num. 98. & 105.* Villadieg. *polit. cap. 3. num. 206.* Bobadil. *lib. 2. polit. cap. 14. num. 47.* Neque enim æquum, aut juſtum eſt, quòd quiſpiam privilegium, aut beneficium recipiat ab Eccleſia, quam offendit, *Auth. ut liceat Matri, & Aviæ coll. 8.* cujus hæc ſunt verba: *Non debent hujuſmodi perſonæ in venerabili loco munimem habere quem ipſæ per ſcelus proprium deſpexerunt per not. ibid.* Angeli, & Doctorum unde Gregorius Nonus Summus Pontifex *in dict. cap. fin. de Immunit.* ait: *Cùm autem in eo, in quo delinquit puniri quis debeat, & fruſtra legis auxilium invocet qui committit in legem, mandamus quatenus publicè nuncietis, tales non debere gaudere immunitatis privilegio, quo faciunt ſe indignos*, ob quam rationem ampliari hunc textum, cùm ea ſit generalis, & expreſſa, licèt ille loquatur tantùm de homicidio, & mutilatione, oſtendunt Suarez *d. lib. 3. de Relig. cap. 11. num. 6.* D. Fagnan. *in d. cap. fin. num. 10.* Mandoſ. *ad conſ. Roman. 234.* Caſtill. *contr. jur. lib. 5. tot. cap. 169.* & concordat textus *in cap. ad Epiſcopos 17. quæſt. 4. & in d. auth. ut liceat Matri, & Aviæ §. his quoque.* Unde etiam concludunt reos criminum poſſe puniri non ſolùm pro delictis commiſſis in Eccleſia, ſed etiam pro aliis, ita Farinac. *quæſt. 28. num. 60.* Ambroſin. *de Immunit. cap. 5. num. fin.* Sanchez *lib. 2. conſ. moral. cap. 1. dub. 8. num. 9.* Anſald. *de juriſdict. part. 4. tit. 1. cap. 15. num. 15. & 26.*

Neque obſtat Conſtitutio Gregoriana. Primò, quia tam in jure communi, quàm in dicta Conſtitutione Immunitas conceditur extra delicta, ibi excepta confugientibus ad Eccleſiam ut conſtat ex *§. 3. ut laicis ad Eccleſias, locaque ſacra, & religioſa prædicta confugientibus &c.* Sub tenore eorundem verborum diſponitur in jure commu- 10

ni,

ni, itaut confugientibus tantùm immunitas concedatur. Confugientes autem ii tantùm dicuntur, qui ad Ecclesiam recurrunt, auxilium implorantes, & protectionem. Confugere namque est auxilii causa, & præsidii ad aliquem recurrere. Qui autem accedit ad furandum res ipsius, non accedit ad implorandum auxilium, & protectionem, sed ad inferendam injuriam, & proinde non est confugiens ad ipsam. Unde cùm in ipso non comprobentur verba dispositionis, nec etiam locum habet dispositio *l. 4. §. toties, ff. de damn. inf. & l. quod constitutum, ff. de nul. test. & l. hos accusare §. omnibus, ff. de accus. & cap. indemnitatibus de elect. in 6. & cap. ex parte de præb.* ac notant Butr. in hunc textum, Bart. *in d. §. Toties*, Felin. *in cap. nonnulli num. 34. de rescript.* Soccin. *cons.* 55. *num.* 1. *lib.* 4. Decian. *cons.* 591. *num.* 2. Tiraquel. *in l. si unquam num.* 2. *Cod. de rev. donat.* Menoch. *cons.* 556. *num.* 10. Rot. *decis.* 434. *num.* 5. *part.* 3. *recent.*

11 Hinc causa finalis concedendi immunitatem confugientibus ad Ecclesiam est iis misereri, & tanquam pœnitentes de delicto protegere, non autem fovere delinquentium delicta. Et propterea quando fures confugiunt ad Ecclesiam, illa accipit rem furtivam, & Domino restituit, ne eorum delictum protegat, ut tradunt Suarez *tom.* 1. *de Relig. tract.* 2. *de immunit. lib.* 3. *cap.* 17. *n.* 3. Peregrin. *de immunit. cap.* 12. *num.* 8. Sperel. *decis.* 127. *num.* 36. Quia cùm sit justitiæ cultrix, non debet fovere delicta. Si autem concederet Immunitatem accedenti ad sibi furandum res proprias, foveret furtum, & injuriam sibi illatam. Unde causa finalis Immunitatis cessat contrariè, & ideò cessare debet etiam concessio immunitatis, *l. Titio §. usuras, ff. de leg.* 2. *& l. Adigera, §. quamvis ff. de jur. patr. & l. cum tale ff. de cond. & demonstr. & cap. Cum cessante de appel. & cap. & si Christus de Jurejur.* ac docent Duen. *reg.* 82. Din. *cons.* 6. *nu.* 2. Anchar. *cons.* 87. *num.* 4. Everard. *in top. loc.* 80. *a cessatione dationis*, Tiraquell. *tract. cess. caus. part.* 1. *num.* 11. Rota coram Mantica *decis.* 131. *num.* 4. & *decis.* 437. *num.* 3. *part.* 1. *rec.* & communiter Theologi cum D. Thom. 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 6. *in corp.*

12 Id quod etiam procedit, quando fur res furatur, quæ non sunt Ecclesiæ. Nam militat eadem ratio, quia non accedit ad Ecclesiam, ut ab ipsa protegatur, sed ut committat delictum, quod etiam redundat contra reverentiam debitam Ecclesiæ, & proinde non est confugiens, atque adeò ex illis personis, quibus conceditur Immunitas. Rursus cùm fur delinquat in Ecclesia, si ei concederetur immunitas, protegeretur illius delictum. Quòd dici haud potest.

13 Secundò, quia d. Constitutio Gregoriana loquitur duntaxat de Judicibus sæcularibus, qui plura indulta, & privilegia extrahendi delinquentes ab Ecclesiis a Sede Apostolica impetraverant, & illis abutebantur, ut patet ex illius procœmio, & probant Delbene *d. cap.* 16. *dub.* 10. *sect.* 12. *num.* 16. Manriq. *quæst. Vicar. part.* 1. *quæst.* 65. *num.* 5. & 9. Homobon. *de exam. Eccles. part.* 2. *tract.* 11. *cap.* 12. *quæst.* 16. *suppos.* 3. Carol. de Graff. *eff. cler.* 38. *num.* 1. Mar. Anton. *variar. resolut. lib.* 3. *resol.* 15. *nu.* 7. Chartar. *decis. crim.* 82. *num.* 4. D. Fagnan. *in d. cap. inter alia num.* 95. *de immunit.* ac prolixè Pueron. *in Bull. Cœn. cap. Alias quidem nulla delicti gravitas decori loci esset præponenda*, ut considerat Cutell. *de prisc. & recent. lib. Eccles. part.* 1. *cap.* 24. *num.* 12. Et proindè etiam post Constitutionem Gregorianam furantes in Ecclesia posse a Judice Ecclesiastico capi, & puniri, docent post alios Diana *part.* 6. *tract.* 1. *resolut.* 9. & *part.* 1. *tract.* 1. *resol.* 2. & 12. Ciarlin. *controv. for.* 191. *numer.* 8. Delbene *de immunit. & cap.* 16. *dub.* 26. *sect.* 8. *num.* 10. & *dub.* 29. *sect.* 1. *num.* 10. Barbos. *in d. cap. fin. de immun. num.* 12. Bonacin. *tom.* 2. *disput.* 3. *quæst.* 7. *punct.* 5. *num.* 7. Peregr. *de immunit. cap.* 6. *num.* 28. *cap.* 12. *num.* 9. & *cap.* 16. *num.* 10. Castropal. *part.* 2. *tract. de rever. deb. loc. sacr. disput. unic. punct.* 9. *num.* 9. & tàm ante Constitutionem, quàm post illam in toto statu Mediolani observatum est, quòd si secus fieret sequeretur absurdum, nempè quòd sicut passim committentes in Ecclesias furtum, vel aliud delictum ducuntur ad Judicem Ecclesiasticum, ita e contra sequendo opinionem Clari *in d. §. fin. quæst.* 30. *num.* 14. ad Judicem laicum ducerentur, pro quorum restitutione inter ipsos lites excitarentur.

14 Verùm, quæ hactenus dicta sunt, possent procedere secundùm terminos Juris communis, & ante Constitutionem Gregorii XIV. At post dictam Constitutionem non omnes delinquentes in Ecclesia extrahi ab illa possunt, sed tantùm ii, qui homicidia, aut membrorum mutilationes in ipsa Ecclesia, vel cœmeterio commiserint. Quare cum in illa excepti casus enumerentur, & prohibita sit extensio ad alios casus, etiam enormiores, ac etiam ab identitate, vel majoritate rationis, ideò dici debet, furantem in Ecclesia, licèt in Ecclesiam delinquat, non debere ab ea ne quidem per Judicem Ecclesiasticum extrahi, & puniri, multoque minus sæculari Judici consignari, inconsulto Summo Pontifice. Vulgare quippe est, quòd exceptio in uno casu firmet regulam in aliis, *l. quæsitum §. Idem ff. de fund. instr.* Tum quia si etiam crimen simplicis furti, vel sacrilegii Summus Pontifex excipere voluisset, utique expressisset, prout expressit alia furta qualificata, Mascard. *de probat. concluf.* 1136. *num.* 12. Huic sententiæ adhæret Farinac. *in tract. com. opin. crim. quæst.* 28. *num.* 53. Et ita declaravit Sacra Congregatio Immunitatis in Squillacensi 18. Martii 1631. nimirum furans in Ecclesia gaudet Immunitate, sed puniri potest, unde furans vasa argentea in Ecclesia, quamvis gaudeat, punitur pœna exilii in Januen. 15. Junii 1647. Ac observatum fuit Romæ in furante in Ecclesia S. Petri, & solita est rescribere Sacr. Congregatio Immunitatis in casibus particularibus, concedendo licentiam generalem extrahendi, ut in Mediolanensi anno 1669. & Theatina 15. Junii 1603. etiam respectu Judicis Ecclesiastici. Nam eadem Sacra Congregatio non amplectitur opinionem illorum, qui volunt, Constitutionem Gregorianam non comprehendere Judices Ecclesiasticos, sed contrariam, ut alibi demonstravimus.

15 Nec verò scrupulum cuiquam adversus hanc decisionem injicere debent rationes illæ in contrarium adductæ. Nam eo ipso; quòd fur rem ablatam restituit, gaudet Immunitate, estque protegendus. Tunc enim habet locum ratio finalis privilegii Immunitatis, nempè protegere reum pœnitentem. Ostendit enim pœnitentiam, dum furtum restituit, & ideò locum habet etiam dispositio *l. bis solis §. satis etiam caute Cod. de revoc. don. & l. illud Cod. de sacros. Eccles.* & observant communiter Glos. *in cap.* 1. *v. Italia, de temp. ord.* Abb. *in cap. nihil num.* 5. *de elect.* Bald. *cons.* 324. *in fin. lib.* 5. Dec. *cons.* 15. *num.* 2. Tiraquel. *in d. l. si unquam num.* 45. *Cod. de revoc. donat.* Et quamvis furans in Ecclesia non mereatur gaudere Immunitate, adhuc tamen reverentia debita Ecclesiæ exigit, quòd ibi relinquatur, si velit Immunitate gaudere.

16 Præsertim si agatur de parva furti materia, quo casu reputatur leve delictum ratione pœnæ, quam meretur, & ideò gaudere debet privilegio Immunitatis, sicuti gauderet, si deliquisset extra Ecclesiam, Silvest. *v. Immunitas §.* 2. Covar. *var. resolut. lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 15. estque communis opinio apud Farinac. *dict. quæst.* 28. *num.* 63.

17 Quòd autem dicatur leve delictum ratione pœnæ, licèt sacrilegium sit, apparebit ex qualitate rei, quæ sacra non est, quamvis è loco sacro fuit ablata, & ideò levius punientur, quàm si ablatum esset sacrum de sacro juxta tradita per Decianum *tract. crim. lib.* 6. *cap.* 31. *num.* 19. Pœna autem quando res sacra, è loco sacro aufertur, licèt sit mortis, quando tamen aliæ res non sacræ de sacro auferuntur, est arbitraria, Bart. *in l. sacrilegii ff. ad l. Jul. pecul.* quem sequuntur Boss. *tr. crim. tit. de sacrileg. num.* 6. Decian. *loc. cit. cap.* 33. *num.* 6. Quæ secundùm rei ablatæ qualitatem erit quatruplis valoris ex Decian. *ibid. num.* 33.

18 Id verò limito nisi facti gravitas, illiusque circumstantiæ aliud suaserint, ut si quis furatus fuerit pyxidem sacram cum particulis sanctissimæ Eucharistiæ. In hoc enim, ac in simili casu fur sacrilegus extrahi poterit, & sub fida custodia detineri, donec Summus Pontifex consulatur. Talis enim fur censeo, quòd non debeat gaudere immunitate Ecclesiæ, cum de Hæresi valdè suspectus sit, reputaturque reus læsæ Majestatis, non solùm humanæ, sed etiam divinæ, & propterea punitur in S. Officio, debetque examinari, & abjurare juxta qualitatem suarum responsionum, licèt si Curia Episcopalis prævenerit, possit sua Ordinaria authoritate in hoc procedere, declaravitque Sacra Congregatio Immunitatis, furantem pyxidem, in qua actualiter asservatur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum non gaudere Immunitate, ut in Squillacen. 2. Junii 1632. Quòd si fur particulas Eucharistiæ sumendo consummat, & pyxidem fureretur, nisi aliquid spectans ad S. Officium interveniat, punitur ab Ordinario pœna triremium, vel carcerum, & damnatur ad reficiendum ornatum Tabernaculi, ac pyxidem, Summo tamen Pontifice semper Consulto.

CON-

CONSULTATIO CXII.

An per retentionem animalium Clericorum, quæ damnum dederunt, eorumque relaxationem illicò factam a Curia ſæculari cum fidejuſſione per laicum præſtitâ de illis conducendis ſub expreſſa conditione, quatenus illa non ſpectarent ad Clericum, ſed ad laicum, lædatur Immunitas Eccleſiaſtica? Ubi aliqua de cenſuris Canonicis.

1 CEnſeo negativè reſpondendum. Non enim licet Clericis cum ſuis animalibus damnum dare, atque adeò poteſt Curia ſæcularis illa, dum damnum dant, capere, cùm tunc dicantur de foro laico ex Bald. *in l. de his C. de Epiſcop. & Cler.* & in puncto Guttier. *pr. qu. lib. 1. cap. 4. num. 2.* ac ea retinere, donec ſaltem damnum reficiant, quidquid ſit quoad pœnam, Vulpel. *de libert. Eccleſ. par. 4. num. 15.* Carol. de Graſſ. *effect. Cler. 2. num. 250.* de Marin. *reſol. 220. num. 11. lib. 1.* Prout in durioribus terminis Clerici reperti cum armis, canibus, & inſtrumentis ad venandum, ſive ad piſcandum in locis per edicta laicalia prohibitis, illum poſſe dictis rebus per miniſtros laicos expoliari, non autem pœnis edicti puniri, niſi per Judicem Eccleſiaſticum, aſſerunt Gratian. *diſcept. 139. num. 23. & ſeqq.* Scaccia *de judic. lib. 1. cap. 78. num. 5.* & Tondut. *de prævent. par. 2. cap. 19. num. 50.* Et comprobatur, quia ſicuti cuicumque privato reperienti animalia Clericorum in ſuis paſcuis, ea retinere licet pro emendatione damni, multò magis licebit Curiæ ſæculari, ne major poteſtas detur privato, quàm Magiſtratui, ſicuti diſſeruit Carleval. *de judic. tit. 1. diſp. 2. num. 155. in fin.*

2 Quare ſaltem ratione emendationis damni comprobatur actus retentionis. Undè quatenus Judex laicus ad exequutionem pœnæ contra animalia Clericorum, quæ damnum dant, etiam in fragranti reperta, procedere non poſſit, quando tamen in uno actu cauſa licita, & illicita concurrit, potiùs ad licitam actus referendus eſt pro excluſione delicti, Maſcard. *de probat. concluſ. 864. num. 30. & concluſ. 1224. n. etiam 30.* Bertaz. *conſ. crim. 8. num. 10. vol. 1.*

3 Neque deſunt ex graviſſimis Doctoribus, qui etiam Judices laicos pœnam damni dati ſuper eiſdem animalibus, in fragranti repertis, exigere poſſe autument ea ratione, quòd animalia ſunt de foro ſæculari, non autem Eccleſiaſtico, iique ſunt Luc. de Pen. *in l. jubemus num. 1. & ſeqq. Cod. de nov. non excuſ. lib. 11.* Gulielm. de Bened. Aviles, Azevedus, Avendagnus, Guttierez, Bobadilla, Em. Rodriquez, Parladorus, Cævallos, relati a Carleval. loco allegato *num. 155.* & de Marinis ea *reſol. 220. num. 11. lib. 1.* Ex quorum authoritate negari non poteſt, quin ſaltem hæc opinio ſit probabilis, quæ ſicuti excuſat a peccato ex quamplurimis, ac doctiſſimis viris, nempè Vaſquez *diſput. 62. cap. 4.* Lorca *diſp. 39. de actib. hum. memb. 1.* Montefin. *diſp. 29. quæſt. 5.* Salas *tr. 8. diſp. un. ſect. 6. n. 66.* Cornejo *tract. 8. diſp. 3. dub. 6.* Bannez *quæſt. 10. num. 1.* Pontio *de matr. lib. 10. cap. 15. num. 4.* Garz. *de benef. tom. 2. par. 11. numer. 361.* Farinac. *conſ. 60. num. 9. & in addit. lit. E.* & ex aliis, quos refert, ac ſequitur Paſqualig. *in deciſ. moral. deciſ. 5.* ac Diana *par. 2. reſol. moral. tr. 13. reſol. 1.* ita etiam excuſat ab excommunicatione, quæ ſine peccato mortali, & contumacia non incurritur per text. *in cap. nemo Epiſcoporum 11. qu. 3.* Sayr. *de conſ. lib. 3. c. 27. n. 33.* Sperel. *dec. 39. n. 31.* & alios communiter.

4 Ratio autem eſt, quia in iis, quæ ſunt juris, licet ſequi opinionem quamcunque probabilem, etiamſi ſit minus probabilis, & minus tuta, quia fit ſecundùm præſcriptionem ipſius, quæ mediante opinione probabili innoteſcit, ut tradunt Authores, quos ſequitur Boſſ. *in moral. part. 1. tit. 1. §. 17. num. 177.* Quia cùm operatur cum conformitate ad rectam rationem, implet legem, quatenus eſt intra terminos rectæ rationis. Et confirmatur. Quia quando jus præſcribit aliquod opus faciendum, ſufficienter impletur, etiam ſecundùm formam præſcriptionis, quando opus præſcriptum eſt tale, ut intra terminos rectæ rationis concordet cum jure præſcribente. Tunc enim eſt illud ipſum, quod præſcribitur, & eo modo, quo præſcribitur. Quia nullum jus aliquid præſcribens poteſt egredi terminos rectæ rationis, alioquin non rectè præſcriberet. Et ideò, ſi opus concordat intra tales terminos, eſt ſecundùm menſuram juris præſcribentis, atque adeò illud ipſum, quod præſcribitur. Quoties autem, quis operatur ſecundùm probabilem opinionem concordat cum jure injungente intra terminos rectæ rationis. Quia omnis opinio probabilis eſt intra terminos rectæ rationis, alioquin non eſſet probabilis. Unde eo ipſo, quòd jus applicari poteſt ad menſurandum opus ſecundùm diverſas opiniones probabiles, atque adeò ſecundùm diverſum modum intra terminos rectæ rationis, ex natura ſua eſt aptum, ut diverſo modo poſſit applicari, & eſt de mente legislatoris, quòd applicetur hoc, vel illo modo, quia vult applicari eo modo, quo applicabile eſt, cum mentem ſuam conformet naturæ ipſius. Iterùm confirmatur. Quia, ſtante opinione probabili, præſertim circa factum, Eccleſia dat juriſdictionem, licèt non adſit verus, & legitimus titulus, ut tradunt Sanchez *lib. 3. de matr. diſp. 20. num. 4. & diſp. 22. num. 65. & lib. 1. ſum. cap. 8. n. 35.* Suarez *diſput. 36. de pœnit. ſect. 6. num. 7.* Leſſ. *lib. 2. de juſt. cap. 29. num. 66.* Pontius *lib. 5. de matr. cap. 19. num. 8.* Villalob. *part. 1. ſum. tr. 1. diff. 15. num. 5.* Palaus *part. 1. oper. mor. tract. 1. diſp. 1. punct. 5. num. 9.* Filliuc. *tr. 7. cap. 9. num. 277.* Henriquez *lib. 5. ſum. c. 14. num. 3. & 4. & in com. lit. G.* Abb. *in cap. Nihil de elect.* Roſel. *v. Confeſſor. 3. in fin.* Sylveſt. *quæſt. 19.* Tabiena *v. Abſolutio 1. num. ult.* & alii, quos citat, ac ſequitur Boſſ. *in moral. part. 1. tit. 1. §. 25. num. 384. & ſeqq.* Quia geſta ex communi errore cum titulo putativo ſunt valida in utroque foro, ut decernitur *in l. Barbarius §. ſi ſervus ff. de off. Præt. & in cap. infamis v. verumtamen 3. quæſt. 7.* Quia nimirum utilitas publica exigit, ut iis aſſiſtat juriſdictio ſuprema. Ergo etiam geſta ex opinione probabili. Tùm quia adhuc in hoc caſu utilitas publica exigit aſſiſtentiam ſupremæ juriſdictionis ad vitandum incommoda, quæ ſequerentur. Tùm quia opinio probabilis trahit ſecum voluntatem ſuperioris, & ejuſdem juriſdictionis aſſiſtentiam. Nam, ſequens probabilem opinionem, putat ſe operari ſecundùm voluntatem ſuperioris, & revera habet illam ſibi probabiliter aſſiſtentem. Et ideò cùm ſuperior ſciat homines operari ſecundùm opinionem probabilem, & in hoc rectè agere, debet illis aſſiſtere, quia tenetur ratione publicæ utilitatis aſſiſtere cuicunque quoad rectas operationes. Dum igitur Judex laicus ſequitur opinionem hanc probabilem, putat prohibitionem Eccleſiaſticam ad ipſam ſe non extendere, atque adeò nec peccare, neque incurrere excommunicationem.

5 Concurrente præſertim ignorantia quòd aſſertus dominus animalium eſſet Clericus, & quòd illa ad ipſum ſpectarent. Ex ea enim quis excuſatur a pœna excommunicationis ex adductis per Graſſ. *eff. 9. n. 54.* etiamſi ignorantia ſit vincibilis, & culpabilis, dummodò non craſſa, & ſupina, ac etiamſi ea ſit, quæ non excuſet a peccato. Quia ad contrahendum excommunicationem requiritur contumacia, & interpretativus contemptus ex Delbene *de immun. Eccleſ. cap. 19. dub. 59. ſect. 2. n. 22. 36. & ſeq.* Quinimmò ignorantiam quoque craſſam ac ſupinam excuſare a dolo, & a peccato, atque adeò a cenſuris probat Sperel. *dec. 175. num. 79.*

6 Hæc autem ignorantia non ſolùm præſumitur, niſi probetur ſcientia, ſed etiam in hoc caſu patet ex inſtrumento fidejuſionis conditionalis de reducendo animalia, quatenus ſpectarent ad laicos. Non enim Judex ſæcularis tenetur credere aſſertioni cuſtodum animalium, neque etiam ipſi Clerico aſſerenti, ſe eſſe Clericum, & dominum animalium. Ex quo ſaltem liquet, dolum malum abeſſe, cùm ex eo declaretur animus non lædendi immunitatem Eccleſiaſticam, dum fidejuſsio reſtricta ſit ſub conditione, quatenus ſcilicèt ad laicos ea pertinerent, quæ cùm ſit ad unum caſum reſtricta, non extenditur ad alium, ſub illa conditione non comprehenſum, ac proindè quatenus animalia ſpectarent ad Clericum, liberè relaxata cenſentur, ceſſatque contumacia, & interpretativus contemptus, quia non expectato aliquo Judicis Eccleſiaſtici præcepto, ex ſolo dubio nato ex aſſertione, quòd animalia eſſent Clerici, relaxantur ſub fidejuſsione conditionali, non apta ad comprehendendum animalia Clerici.

7 Et propterea poſſunt dicta animalia legitimè retineri donec eidem Curiæ ſæculari conſtiterit, illa eſſe Clerici abſque aliqua excommunicationis pœna, prout in hac ſpecie tradunt Avendan. *de exeq. mand. part. 2. cap. 14. num. 13.* Delbene *de immun. tom. 2. cap. 9. dub. 2. ſub n. 29. & 35.* Lopez *ad leg. paratitl. lib. 1. tit. 6. l. 51.* Guttier. *pr. qu. lib. 1. qu. 4. n. 2. & ſeqq.* Et in terminis extrahentis bona extra territorium idem Delbene *d. c. 9. dub. 16. a n. 4. 9. & ſeqq.* Confirmaturque ratione præter alias a dictis Doctoribus adductas, non quòd Clerici ſubjiciantur ſtatuto laicali vi coactiva, ſed directiva, cujus vigore cùm extractionis prohibitio, & damna data bonum publicum reſpiciant, ſub ſtatuto illa prohibente etiam Clerici comprehenduntur, ut in ſpecie Delbene *d. cap. 9. dub. 16. num. 9.* aliique ſupracitati.

8 Nec obſtaret, quòd ſuper Clericatu coram Judice Eccleſiaſtico probationes deindè factæ ſupponantur, &

quòd dictus Judex Eccleſiaſticus Judici ſæculari perſonaliter comparenti id atteſtatur. Primò, quia probationes recipi debent, parte citata, alioquin cenſuræ redduntur irritæ, ut optimè firmat Gloſſ. *in Clem. in præſenti v. conſtiterit de cenſib.* Seraph. *deciſ.* 601. *num.* 3. Præcipuè ſi teſtes ſint conſanguinei aſſerti Clerici, cujus prætenduntur eſſe animalia, vel bona arreſtata, ſintve illimet, qui animalia cuſtodiebant, quive fraudem in gabellas committere volebant, & per Curiam ſæcularem fuerant in carcerem conjecti. Quia cùm ſe exiſtimarent offenſos, & inſuper cùm agerent de ſe exculpando, nullum probationis gradum conſtituunt, Rot. *deciſ.* 441. *num.* 4. coram Dunozetto juniori, & *deciſ.* 17. *num.* 4. coram Dunozetto ſen. & *dec.* 10. *num.* 56. coram Eminent. D. Cardin. Otthobono. Secundò, quia ſuper hoc debet præcedere dicti Judicis Eccleſiaſtici declaratio judicialis, & ideò Judex ſæcularis Judici Eccleſiaſtico credere non tenetur, ut rectè docet Feder. de Sen. *conſ.* 251. *ſub n.* 3. Eòque minùs cùm agatur de actu coram eo geſto, circa quem, durante judicio, relationi ſolius Judicis abſque actis probatoriis non creditur, ut latiſſimè comprobat Gratian. *diſcept.* 235. *num.* 38. & *ſeqq.* Rota *dec.* 53. *num.* 16. *part.* 5. *recent.* Ac tertiò, quia non prohibetur Judex laicus examinare, an juſtum ſit, quod ab Eccleſiaſtico Judice petitur, non ad finem pronunciandi, & cognoſcendi de viribus ſententiæ, ab eo promulgatæ, ſed exequendi, & reſcribendi, ut diſtinguunt Bartol. *in l. A Divo Pio num.* 9. *ff. de re judic.* Anchar. *conſ.* 389. *num.* 8. Roland. *conſ.* 37. *num.* 7. & 8. *volum.* 1. Mar. Anton. *variar. reſol. lib.* 1. *reſol.* 112. *caſ.* 32. Bellet. *diſq. Cler. part.* 1. *de favor. Cler. real. §.* 5. *ſub num.* 57. Guidopap. *deciſ.* 574. *num.* 1. & *ibi Add. lit. A.* Innoc. *in cap. de cætero, de ſentent.* & *re judic.* & Marcel. *in l. ſi Prætor. ff. de judic.*

9 Cùm igitur deficiant cauſæ excommunicationis, quæ nonniſi ex culpa, & peccato præterito a jure infertur, vel ex contumacia, ſive ex contemptu, etiam interpretativo, qui oritur ex facto pendente in futurum ex præcitatis atque adductis a Sperell. *dec.* 105. *num.* 18. 60. & 61. deficiat excommunicatio ipſa neceſſe eſt. Nam quoad præterita certum eſt, quòd attenta ignorantia, & ſecluſo dolo malo, non incurritur excommunicatio, a jure inflicta ex allegatis. Et quoad contemptum tollitur, quia nullus actus poſt dictam retentionem, & fidejuſſionem geſtus fuit, ut ſupponimus.

10 Quatenus verò cognitio hujus articuli ſpectare videatur ad Judicem Eccleſiaſticum, interim tamen, licèt verſaremur in caſu, in quo animalia adhuc detineantur, non ſunt ita facile liberanda, niſi vocato, & citato Judice ſæculari, & aliis intereſſe habentibus, prævia probatione intentionis circa Clericatum, ac cætera, quæ neceſſariò requiruntur, ut Clericus privilegio gaudeat, & quidem plenè, cùm agatur de controverſia juriſdictionis, quæ eſt graviſſimi præjudicii, ut, his omnibus perpenſis in durioribus terminis Clerici capti per Curiam ſæcularem, fusè poſt plures per ipſum relatos, articulum reſolvit Farinac. *quæſt.* 8. *numer.* 36. 37. & 43. quòd etiam ingenuè fatetur Sperel. *dec.* 17. *num.* 53.

11 Itaque cum cenſuræ ſint notoriè nullæ, atque injuſtæ, ſunt omninò revocandæ, Abb. *in cap. cùm contingat* 36. *num.* 4. & *ſeqq. de off.* & *poteſt. Jud. deleg.* Valenzuol. *conſ.* 184. *num.* 69. *lib.* 2. Rota in Placentina juriſdictionis 14. Martii 1664. *§. fin.* coram Bevilaqua. Per textum *in cap. ſacro de ſent. excomm.* & *cap. Romana eodem tit. in* 6. Covarruv. *in cap. Alma mater §. num.* 5. *de ſententent. excomm.* Sayr. *de cenſur. l.* 1. *cap.* 12. *num.* 32. cum aliis, quos ſequuntur Sperell. Ridolph. & Huber. *locis allegatis.*

12 Injuſtitia conſtat ex dictis, & nullitas redditur præ cæteris manifeſta ex eo quia fuerunt latæ, prævio examine ad informationem Curiæ abſque citatione partis, & proceſſu minimè legitimato. In materia autem cenſurarum teſtes debent eſſe formiter examinati, vel ſaltem formiter requiſiti, ut ad illarum fulminationem deveniri poſſit per textum *in Clem. ſæpè* ubi Canoniſtæ communiter *de verb. ſignif.* Jo: And. *in ſpecul. tit. de notor. crim. v. teſtis*, Bald. *in cap.* 1. *§. damna de pac. Conſt.* Franch. *in cap.* 1. *de off. deleg. in* 6. Maſcard. *de probat. concluſ.* 1003. *num.* 12. Farinac. *de delict.* & *pœn. quæſt.* 21. *num.* 91. & *ſeqq.* Guazzin. *defenſ.* 24. *cap.* 6. *num.* 1. & *ſeqq.* aliique paſſim. Tùm ex eo, quia monitorium tranſmiſſum contra Judicem ſæcularem, ejuſque Miniſtros exequutioni mandari non debet domi dimiſſa copia, ſed perſonaliter, prout præcisè requiritur, ut pœna excommunicationis infligi poſſit ex traditis per Abb. *in cap. ſi adverſarius num.* 14. *de eo, qui mit. in poſſ.* Add. ad Lap. *alleg.* 73. *lit. B.* Gratian. *diſceptat.* 559. *num.* 14. *tom.* 3. Rota *deciſ.* 28. *num.* 5. *de appell. in antiq.* & *dec.* 15. *per tot. de ſent. excomm.* pariter *in antiqu.* Buratt. *dec.* 176. *num.* 1. & in Spiren. cenſurarum 28. Junii 1666. *§. Altera nullitas* coram Albergato. Debet igitur in earum fulminatione præcedere citatio perſonalis, non autem per edictum, neque alio modo, cùm ſine citatione perſonali nemo excommunicari poſſit, ut per textum *in cap. conſtitut. de ſent. excomm. in* 6. *cap. Sacro*, ubi Gloſ. *v. competente de ſent. excomm.* Covar. *in cap. Alma mater part.* 1. *§.* 9. *num.* 5. Innoc. *in cap. fin. de eo, qui mitt. in poſſ.* Hubert. *de cit. par.* 3. *cap.* 13. *num.* 32. Ridolph. *in prax. par.* 1. *cap.* 14. *num.* 244. & *par.* 2. *cap.* 8. *n.* 144. Thom. Delbene *par.* 1. *cap.* 2. *dub.* 8. *ſect.* 20. *num.* 8. & Rota coram Buratto *dec.* 156. *num.* 1.

Poterit tamen procedi per edictum, quando non patet tutus accèſſus, quæ qualitas ſufficienter probari debet per allegantem, cùm conſiſtat in facto, ut per Bart. *in extravag. ad reprimendam v. per edictum num.* 4. Saluſt. *in pr. lib.* 2. *cap.* 16. *numer.* 1. *cap.* 44. Ridolph. *in pr. d. par.* 1. *cap.* 3. *num.* 75. & *ſeqq.* Hubert. *loc. cit. par.* 1. *c.* 7. *num.* 115. & 202. *ac ſeqq.* Rota coram Mantica *deciſ.* 232. *num.* 6. & coram Buratto *deciſ.* 943. ubi Add. *num.* 6. & *in rec. deciſ.* 395. *num.* 7. *§.* 9. *to.* 2. & poſt Zacch. *de oblig. Cam. dec.* 165. *num.* 9. In qua re advertendum eſt, quòd de jure Canonico edicta non poſſunt decerni ſine ſpeciali reſcripto Summi Pontificis, quidquid ſit de jure civili, ut diſponitur *in Clem. Dudum de judic. in extravag. un. de dol.* & *cont.* ubi Gloſ. *v. Papa*, Bart. *in d. extr. ad reprimendum v. per edicta n.* 1. Abb. *in d. Clem. Dudum poſt init.* ubi ait, non ſufficere facultatem generaliter procedendi per contradictas, ſed requiri, quòd Papa ſpecialiter, & ex certa ſcientia id mandet, Hubert. *d. par.* 1. *cap.* 7. *num.* 276. cum aliis, quos cumulat, & ſequitur Add. ad Buratt. *d. deciſ.* 943. *num.* 4. & 5.

Dato autem, quòd conſtet de non tuto acceſſu, edictum affigi debet in loco, ubi reus degit, vel ſaltem in locis vicinioribus, Vant. *de nullit. ex defect. cit. num.* 140. Caſſad. *deciſ.* 6. *de dol.* & *cont. num.* 1. Hubert. *d. cap.* 7. *num.* 289. & *ſeqq.* Bellamer *deciſ.* 188. Ridolph. *in pr. d. par.* 1. *cap.* 14. *numer.* 2. 4. & *ſeqq.* Rot. coram Seraph. *dec.* 1296. *num.* 1. & 3. & in illo debet duplicari terminus ad comparendum, Bart. *in d. extr. n.* 5. & 6. Add. *ad dec.* 5. *n.* 10. *de reſcr. in nov.* Hubert. *d. c.* 7. *n.* 285. & *ſeq.* Add. ad Buratt. *d. dec.* 943. *n.* 9. & *ſeq.* ubi quòd ſi locum habuit per decem dies, debet præfigi terminus viginti dierum, alioquin edictum non officit, Hubert. *d. cap.* 7. *num.* 285. Rota in Januen. ſeparationis thori 16. Februarii 1632. coram Coccino. Ac præſertim ſi excommunicatio lata ſit, frivola lata ad vindictam, vel ad incutiendum contra textum *in cap.* 1. *de ſentent. excomm. in* 6.

Tùm quia contra laicos non contumaces non poteſt 13
procedi per Curiam Eccleſiaſticam ex depoſitionibus teſtium pro Curiæ informatione abſque citatione examinatorum, quia non probant adverſus non contumaces ex deductis per Rot. *deciſ.* 381. *num.* 16. & 17. *part.* 9. *rec.* illiſque ſaltem formiter non repetitis, prout requiritur ex Farinac. *conſ.* 192. *num.* 33.

Tùm præcipuè quando Curia ſæcularis coram Judice 14
Eccleſiaſtico comparet, ac exhibet ſeparatam parere monitorio. Tunc enim non eſt locus fulminationi cenſurarum, quæ in ſubſidium, & contra contumaces duntaxat decernuntur, Marian. Soccin. *in cap. Nulli num.* 9. 21. & *ſeq. de ſentent. excomm.* Abb. *in cap.* 1. *num.* 10. *de judic.* Caſſad. *deciſ.* 5. *numer.* 7. *de conſtit.* & *deciſ.* 591. *n.* 5. *par.* 2. *rec.* & *deciſ.* 208. *num.* 17. *part.* 5. Quippè nulla excommunicatio ſine contumacia contrahitur, atque adeò ſine peccato mortali, ut docent communiter D. Thom. *quæſt.* 21. *ſupplem. art.* 3. Alenſ. *part.* 4. *ſum. quæſt.* 2. *membr.* 1. *art.* 3. D. Bonavent. *in* 4. *d.* 18. *part. ult. quæſt.* 2. Richard. *art.* 3. *par.* 2. Gabr. *quæſt.* 2. *art.* 1. *corol.* 1. & 2. Durand. *quæſt.* 3. *num.* 7. Sot. *diſt.* 22. *qu.* 1. *art.* 2. *concl.* 2. Ledeſm. 2. *par.* 4. *quæſt.* 23. *art.* 3. Covar. *in cap. Alma par.* 1. *§.* 9. *num.* 4. D. Antonin. 3. *par. tit.* 24. *cap.* 7. Panormit. *in cap. Qua fronte num.* 7. *de appell.* & *in cap. fraternitati num.* 1. *de Cler. excom. min.* Crot. *in cap. ut animarum num.* 26. *de Conſtit.* Canoniſtæ cum Gloſ. *in cap. ex parte* 1. *v. Contumacia de verb. ſignif.* & deſumitur *ex d. cap. nemo Epiſcoporum* 11. *quæſt.* 3. Cùm enim excommunicatio ſit graviſſima pœna, ut habetur *ex cap. corripiantur* 24. *quæſt.* 3. non debet imponi, niſi pro gravi peccato, & cùm ſit ultimum remedium medicinale, ordinatum ad correctionem, non debet ferri, niſi exiſtente contumacia, *cap. ecce autem* 24. *quæſt.* 3. Præſertim ſi Judex Eccleſiaſticus nolit oſtendere Judici laico teſtium depoſitiones. Quòd idem eſt, ac ſi tollantur defenſiones, ut de ipſo Judice Eccleſiaſtico, denegante publicationem proceſſus, dixit Farinaccius *conſ.* 168. *num.* 65. Vel ſi deneget receptiones compari-

paritionum procuratoris, quamvis agatur de causa excommunicationis, in qua procuratores sunt admittendi per textum *in cap. intelleximus de judic.* & post Zabarellam, Farinac. *quæst. 99. numer.* 208. ut proindè cesset contumacia consistens in voluntaria inobedientia, qua quis Judicis monitionem implere contemnit ex relatis per Sperell. *dec. 39. num. 33.*

15 Tùm etiam quando censuræ relaxantur post interpositam appellationem, vel recusationem Judicis, appellando ab ulteriori processu. Per hujusmodi enim recusationem ejus jurisdictio remansit suspensa, itaut quidquid deinde agatur, dicatur nullum, & invalidum, ut in terminis censurarum disposuit textus *in cap. cum speciale de appel.* Corn. *cons.* 247. *vol.* 1. Dec. *cons.* 27. *col.* 1. Covar. *pract. qq. cap.* 28. Vant. *de nullit. ex defect. jurisd. ordin. num.* 140. Osasch. *decis.* 15. cum aliis deductis a Rota *dec.* 2. *par.* 2. *diverf. & decis.* 638. *par.* 3. *rec.* Maximè si in libello recusationis fuerit expressa causa rationabilis, & legitima, quo casu recusatio est attendenda, vel saltem antequam procedatur ad ulteriora, est cognoscendum de veritate, ac relevantia causarum suspicionis, sive recusationis allegatæ, ut in hac specie probat Achil. de Grass. *dec.* 4. *de sentent. excom.* Genuen. *in prax. cap.* 28. *num.* 2. Soccin. *cap. nulli num.* 40. *eod. tit.* Ugolin. *de censur. tab.* 1. *cap.* 13. *§.* 18. *numer.* 13. Sayr. *eod. tr. lit. C.* 16. *n.* 27. Sperel. *decis.* 48. *num.* 8. *& 39. & decis.* 160. *num.* 14. *&* 55. coram Pontifice ac D. Auditore Cameræ Apostolicæ, quorum jurisdictio tanquam superior silere facit jurisdictionem Judicis inferioris adeòut ipsa excommunicationis sententia ex jurisdictionis defectu remaneat prorsus nulla, atque inefficax, ut in specie tradit Sayr. *de censur. lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 18. Gratian. *discept.* 599. *num.* 15. *tom.* 3. & Rot. *in d. Spiren. censurarum* 28. *Junii* 1666. *§. Quibus accedit*, coram Bevilaqua.

16 Cui nullitati non obstat, quòd excommunicationis sententia, quando ex juris dispositione incurritur, appellationem non admittat, ex quo exequutionem secum trahat. Quoniam id non procedit, quando appellatio per superiorem cum effectu admittitur, ut benè declarat Bellet. *disq. Cler. par.* 1. *de fav. Cler. §.* 1. *num.* 20. Nec quando per Judicem Ecclesiasticum Judicialiter proceditur, prout proceditur per viam transmissionis monitorii. In hoc enim casu faciliùs admittitur appellatio, ut distinguendo tradit Barbosa *de potestat. Episcop. par.* 3. *alleg.* 73. *num.* 32. & Rota *in d. Spiren.* censurarum *§. Nec adversatur.*

17 Neque hæc nullitas repellitur ex eo, quòd a Judice Ecclesiastico appellatio non recipiatur. Quia dum eam recipere tenetur, & non recipit, ex hoc defensiones dicuntur denegatæ, quæ tamen cùm sint omni jure permissæ, utique manifestum redditur gravamen pro annullatione censurarum, ut *in d. Spiren. §. Quibus accedit.*

Quare in hoc casu censeo, censuras non sustineri, delendam tamen esse fidejussionem, ac restituendam pecuniam pro ea receptam a Cancellario sæculari. Et de hac materia damni dati vide *tom.* 1. ac *alibi*, & de Clerico asserente cum juramento, res esse suas, ut gaudeant immunitate nos etiam *alibi* fusius. Cæterùm regula est, quòd posita conditione inobedientiæ, & transacto termino, incurritur ipso facto excommunicatio, atque adeò non potest suspendi postea per appellationem a declaratione interpositam, ut probant Suarez *de cens. disp.* 3. *sect.* 6. *num.* 5. *&* 6. & Sanchez *lib.* 3. *consil. cap. un. dub.* 32. *num.* 240. & constat ex *cap. pastoralis §. verùm de appell. & cap. is, cui in fin. de sentent. excommun. in* 6. ubi habetur per appellationem ab excommunicatione post latam sententiam, non suspendi ejus effectum, quia hæc sententia affert secum exequutionem, & eodem tempore, quo profertur, operatur. Quare appellatio subsequens invenit jam excommunicatum ipsum appellantem. Poterit quidem suspendi effectus excommunicationis, si ante elapsum terminum præfixum subditus appellaret, ut cum aliis docet idem Sanchez *loc. citat. numer.* 236. *ex cap. Præterea* 2. *de appell.* quòd ipse Sanchez *num.* 160. extendit ad eum, qui post decem dies elapsos, qui communiter ad appellandum conceduntur, sed tamen ante elapsum terminum præfixum ad obediendum, appellavit. Quamvis tamen appellatio non suspendat excommunicationem, suspendit tamen effectum declarationis, atque adeò contumacem remanere quidem excommunicatum non tamen declaratum, neque vitandum, sed toleratum. Quòd enim appellatio non suspendat censuras latas, non extenditur ad alia, atque adeò neque ad sententiam declarationis, & denunciationis, ut cum communi Doctorum, quos congerit, tradit Sanchez *d. dub.* 32. *num.* 243. *& dub.* 33. *num.* 2. qui addit, hoc esse verum, etiamsi delictum sit notorium, itaut nulla tergiversatione celari possit. Quia hodie post extravagantem *Ad evitanda* multò magis gravatur quis per excommunicationem, & denunciationem, quàm per solam excommunicationem, cum ex tolerato fiat non toleratus. Cùm ergo delinquens a declaratione statim appellaverit, debet declarationis effectus impediri. Et hæc dicta sint pro hujus rei explicatione, de qua Doctores subobscurè loquuntur, & aliqua nos etiam alibi fusiùs.

CONSULTATIO CXIII.

De nece ex veneno propinato ad effectum excludendi reum ab immunitate Ecclesiæ.

CUM ex vulgari *§. Item illud l.* 1. *ff. de Sen. consil. Silan.* liquere debeat, quem scelere interemptum esse, ut quæstioni locus sit, præsertim in veneno, quòd sine vi per insidias occultè solet infundi, sicut Ulpianus advertit *in dict. l.* 1. *§. Quòd si quis puta veneno.* Nam *malum, & bonum adhibitum pro medicamento immutat naturam ejus, cui adhibetur*, teste Cajo J. C. *in l. qui venenum* 236. *ff. de verb. signific.* Ideò quæritur, *An, & quo pacto delicti corpus constare possit?*

Et quidem Gaspar a Reyes *in Elys. camp. jucund. qu.* 1 64. *num.* 38. asserit difficillimum, ac penè impossibile esse, quòd certò distingui possit ex signis, an potiùs quis decesserit ex veneno propinato extrinsecus, quàm ex ingenito in corpore humano, relatis in hanc sententiam è Medicis Ardoino *lib.* 2. *de venen.* Horatio Augenio *epist.* 2. *tom.* 2. Allaravio a Cruce *contr.* 3. *de quæs. per epist.* Angelo Victorio *lib.* 24. *salubr. cap.* 7. & Paulo Zacchia *quæst. medico-legal. lib.* 2. *tit.* 2. *quæst.* 6. *num.* 17. ac ex Jurisperiti Bossio *in prax. tit. de delict. num.* 5. *cum seqq.* Caballo *de omnig. homicid. num.* 621. & Guazzin. *defens.* 4. *cap.* 5. *num.* 5. & medicis, atque historicis animadvertit Camill. Borell. *volum.* 1. *cons.* 60. *ex num.* 30. Ob ex Pisonem reum hujus sceleris liberatum sententia Judicum, narrat Marcus Antonius Sabellicus in notis ad Svetonium *in vita Germanici*. Propterea in cognitione hujus criminis monent in primis, dandam esse operam inquirenti, ut capiat certam informationem de delicto in genere, seu de corpore, & substantia delicti, quòd est fundamentum processus, & si secùs fiat, corruunt omnia, Boss. *tit. de delict. ex num.* 5. Follerius, Farinacius, Guazzinus locis mox citandis, & speciatim Paulin. Bertus *in prax. crim. Regular. tit.* 8. *cap.* 4. & Coriolan. *tr. de casibus reserv. par.* 2. *cas.* 5. *§.* 1. *in fin.* ac Gomez *de homicid. num.* 8. ubi ait, hoc delictum non posse probari via communi ordinaria, qua alia delicta probantur. Unde si testes deponerent, se vidisse dare venenum, & quòd postea fuit sequuta mors, vel ipse reus spontè hoc confitetur, non propterea censetur legitimè probatum delictum, quia depositio, vel confessio videtur superare naturaliter sibi dubia, incerta, & incognita, cum non possint cognoscere, an illud esset venenum, vel non, nec operationum, quàm intrinsecè faceret in corpore humano. Quare non videtur concludere, quia depositio, vel confessio ad hoc, ut probet, debet esse probabilis, & verisimilis *argum. text. in l. Confessionibus, ff. de interl. act. & in l. si is, cujus nomine eod. tit. & in l. inde Horatius, §. fin. ff. ad l. Aquil. & in l.* 1. *§. si quis ultro, ff. de quæst.* & expressè tenet Hippolyt. *in l.* 1. *§. Præterea num.* 32. *ff. ad leg. Corn. de sic.*

Contrarium verò a prædictis dissentiendo ex diame- 2
tro concludit Muscatell. *in pract. crimin. tit. de homicid. simpl. num.* 20. & infra, quòd scilicèt ex signis valeat optimè dignosci, an qui mortuus est homo, veneno ingenito, vel potiùs assumpto interemptus sit. Itidem Paulus quoque Zacchias admittit *d. quæst.* 6. *numer.* 16. id posse deprehendi ex certis conditionibus, & conjecturis ab eo relatis, & Sanctor. *lib.* 8. *method. vitandor. error. cap.* 12. & sex fontibus derivare sindronem omnium signorum, ex quibus valeat hoc internosci. Immò Caball. *d. tr. de omnig. homic. num.* 623. dixit unum ab altero distingui effectu, quia venenum ingenitum paulatim suum effectum operatur, propinatum verò repentè, quòd etiam advertit Castill. *decis.* 208. *num.* 37. & inter medicos de hujusmodi signis veneni, seu hausti, seu extra in corpus immissi fusius ac doctè Daniel Sennertus *lib.* 6. *cap.* 5. *cap.* 3. *§. His missis.*

Placet igitur distinctio Danzæ *de pugn. Doctor. tom.* 2. 3
tit. de venen. cap. 1. *n.* 36. *cum seqq.* quòd aut venenatus erat in statu salutis, aut æger, ac mala valetudine pressus. Nam primo casu mors statim, vel post modicum tempus sequuta sit, venenum, quo petiit, dicitur assumptus, secus altero, cum ipsa infirmitas pravusque corporis habitus

ſua malignitate valeant tàm cauſas veneni ingeniti, quam eoſdem effectus producere, nempè, vomitus, corporis livorem, gutturis inflammationem, & alia, quæ cauſare ſolent venena propinata, teſtè Marth. *dec. Piſan. 1. num. 12.* Id quod proſequitur Sennertus *loc. allegat.*

4 Atque fuit in hac ſententia Galenus *6. de loc. affect. cap. 5. de conſtit. art. cap. 9. 3. epidem. com. 3. argum. 4. 6. epidem. com. 2. text. 38.* Ibidem *com. 6. text. 5. 1. Porrhetic. com. 2. text. 17. de cib. bon. & mal. ſucc. 1.* Et quidem *6. de loc. affect. cap. 5.* ſcribit: *Reliquum eſt, ut inveſtigemus, an in animalibus corruptio aliqua naſci poſſit adeò vehemens, & veneni tùm qualitatem, tùm vires æquet, an id jam medicis enodatum, diſcuſſumque eſſe videatur, qui hanc ſolent proponere quæſtionem, utrum ſint propria notæ veneni nec ne. Nam qui maximè videntur ſuper hac ambiguitate diſputaſſe, ii eoſdem fieri effectus concedunt, & a lethalis veneni, potione, & a corruptione, quæ a corpore ortum habet. Utrùm facilè diſcerni poſſe eos, qui venenum ſumpſerunt ab iis, qui aliundè affecti ſunt. Cùm enim homo ſuaptè natura probis humoribus abundans, ac ſanorum more educatus, de repente moritur, ut lethali aſſumpto veneno fieri ſolet, deinde corpus aut livens, aut nigricans, aut varium eſt, aut diffluens, aut putredinem moleſtiam olet, hunc venenum ſumpſiſſe ajunt. Igitur ſi hujuſmodi affectibus nos infeſtari fateamur, qui ex nobiſmetipſis accepto ſuæ originis impetu, ſimiles ſint his, qui pernicioſo epoto veneno eveniunt, nihil mirum, ſi vitiatum ſemen, aut menſtruum hujuſmodi cum retinetur aut putreſcit corporibus, ut afficiantur idonei gravia inferat accidentia.* Hæc Galenus.

5 Facitque quòd cùm crimen venenationis ſit occultum, & difficilis probationis ex adductis a Farinac. *de homicid. quæſt. 122. par. 4. num. 53.* Corpus delicti in eo tanquam probationis ſuaptè natura difficillimè ſufficienter probatur per indicia, & conjecturas, ſicuti poſt Car. & Farinac. reſpondit Spad. *conſ. 123. in princ. volum. 1.* ac tenet Rota Avenion. apud Hieronymum de Laurentiis *dec. 20.* Petr. Caball. *reſol. crimin. centur. 2. caſ. 180. num. ultim. & d. tract. de omnig. homicid. num. 623.* Decian. Guazzin. *de defenſ. reor. defenſ. 5. cap. 5.* Foller. *p. 2. pr. crimin. v. Item quòd ſororem venenavit*, Sylveſt. Aldobr. inter *conſ. Farinacii vol. 2. conſ. 19. num. 2.* & in eum locum Author addit. *lit. A.* Paul. Zacch. *tom. 2. quæſt. medico-leg. tit. 2. quæſt. 6.* Anton. Santorell. *lib. 3. ante prax. med. cap. 13.* Et quòd ſentiunt nonnulli, qui contrarium aſſeverant, ita demum conſtare de corpore hujus delicti, ſi diſſecto cadavere hominis mortui, appareant evidentia ſigna veneni extrinſecus propinati, non immeritò rejicitur a Zacchia *loc. citato quæſt. 7. numer. 35.* cujus locus eſt omninò perlegendus. Idemque ſentit Mar. Zuccar. *in Method. occur. venenat. corpor. cap. 14. in fine*, ubi ait, *concludendum, eſſe fruſtratorias ſectiones, quæ magis propter obſtentationem vulgi quam gratia veritatis fieri dicuntur, ac ſemper in utroque foro ſic cenſuiſſe.* Judicium hoc igitur conjecturale eſt, pendetque ex indiciis probabilibus, & concludentibus ex diligenti obſervatione ſymptomatum languentis, & ex iis, quæ conſpiciuntur in cadavere extincti arbitrio medicorum. Quòd etiam diſertè aſſeruit Gomez *de homicid. numero 8.*

6 Quæ ſymptomata maximum in modum defatigant ingenia Advocatorum, nihilominus quàm torquent viſcera moribundi, & eo conſpirant, ut probent ea non eſſe argumenta veneni aſſumpta certa, & pategnomonica, ut medici loquuntur, ideſt reciproca, & convertibilia cum ſua cauſa, ut ejuſmodi. Eſt fumus, ergo ignis, ſed ea quibus poteſt ſubeſſe falſum quale eſt, lac habet in mammis, ergo peperit ex Ariſtotele, ac aliis Borellus *loco allegato.* Verùm inanis eſt hic labor. Nam ut demonſtrat Zacchias, utcunque ſe habeant ſigna hæc, ſingillatim ſumpta, conjuncta tamen omnia ſunt indicia indubitata veneni adventitii.

7 Quæres, ac urgebis me. Quare igitur non ſubito omnes, qui venenum hauriunt, exanimes concidunt? Reſpondet Cardanus *lib. 2. de ſubtil.* ſed quæ, inquit, venena clam occidunt, & ſero, ut fraus lateat, pulmones, aut jecur, aut ventriculum vexant. Ventriculum quæ vexant dolore jugi, & pleraque vomitu. Quæ pulmones petierunt, tabe ac tuſſi. Quæ jecur ſanguinem corrumpendo. Alia regium morbum, nonnulla hydropem, pleraque febres virulentas generando occidunt. Aliàs ſcripſit uno prandio exceptos è tredecim viris in Oppido Gallarate undecim, qui venenum biberant, omneſque interiiſſe diverſis temporibus, cùm quidam Romam etiam interim iviſſent, ac rediiſſent. Cum Cardano conſentit Ardoinus *de venen. lib. 2. cap. 1.* qui dicit per duos menſes ſe curaſſe quemdam venenatum, & ſanè nimio plus favet his maleficis, qui præ ſua diritate indigni ſunt humanis tortoribus, nec niſi ferarum dentibus diſcerpendi, quibus cùm de hominum pernicie contendunt ex *l. 1. ff. ad l. Pompei de parric.* De hoc argumento non pauca Petr. Benſfeldius *in l. 1. C. de malef.* Ann. Robert. *lib. 1. rer. judicat. cap. 61.*

Symptomatum verò veneni aſſumpti memorati Scri- 8
ptores plurimi illud faciunt, cùm homo a cibo, a potu, a contactu momento ſine alia ulla cauſa viribus, & facultatibus vitalibus adeò deſtituitur, ut repentina ceſſatione interceptus, arteriarum pulſus deficiat. Inſigniter Zacchias, Gaballus, & alii, quorum ſupra facta eſt mentio, quòd ſignum hujus rei evidens exiſtimant.

Libeat demum de his omnibus luculentiſſimum judi- 9
cium proferre Danielis Sennerti, Germaniæ ſuæ Æſculapii, qui loco antea citato ita cenſet. Et quidem veneni præſentanei hoc commune ſignum eſt, quòd ſubitò maximam in corpore mutationem efficit, & hominem in vitæ periculum conjicit. Etſi enim, & ex veneno intus genito varia, & gravia ſymptomata excitari. Immò homo mori poſſit, tamen multa ſigna ſunt, quibus diſcerni poteſt, an venenum intus genitum, an verò extra aſſumptum ſit. Primò enim intus genita venena, antequam extremum periculum inferant, ſeſe ſignis quibuſdam priùs produnt, cùm pravas humoribus diſpoſitiones imprimant, quas planè latere impoſſibile eſt. Si verò extra venena ſint admiſſa, nullo tali ſigno præcedente, homo aliàs ſanus in extremum periculum ſtatim conjicitur. Non tamen ex eo quòd ſymptomata tardè, vel longè ab aſſumpto cibo, aut potu ſe prodeunt, concludere licèt, venenum extra fuiſſe aſſumptum. Si tamen id accidit, veneni ſumpti certum indicium eſt. Etenim venena variant, & alia citiùs, alia tardius ſeſe produnt, ſicut id è veneno canis rabidi manifeſtum eſt, & venena temporanea eſſe antea dictum.

Nempè eodem *lib. 6. part. 5. cap. 2.* ubi ſic: Hoc lo- 10
co quæſtio inter medicos agitatur, an venena talia dentur, quæ definito, & certo temporis ſpatio hominem interficiant? Ubi non is eſt ſtatus controverſiæ, an venenum longo tempore poſtquam ſumptum fuit, hominem interficere poſſit, neque etiam an venenum, quòd ex ſua natura ita comparatum eſt, ut unius, vel paucorum dierum ſpatio jugulare poſſit, ſic præparari queat, ut tardè operetur, & longo, poſtquam aſſumptum fuit tempore, hominem interimat, utrunque enim verum eſſe experientia confirmat. Exemplum Claudii, quem Agrippina lento veneno tollere decernebat eſt apud Tacitum Annal. *lib. 12.* & Druſi, qui tali veneno ſublatus eſt apud eundem *annal. lib. 4.* Inter recentiora verò exempla eſt id, quòd refertur a Jovio *hiſtor. part. 1. lib. 2.* de veneno illo, quo Cæſar Borgia univerſum Cardinalium Collegium interficere conatus eſt, ſcribit enim, pulverem fuiſſe, qui non illicò, neque cum vehementia vitæ inſidiabatur, ſed exitiali mora hominem è medio tollebat, è quo etiam patet, Chimicos nonnullos, qui medicamenta per ſe venenata nimis incautè, & temerè exhibent, eo non ſatis firmiter probare, quòd talia medicamenta innoxia ſint, quia eo, quo exhibita fuerunt die, vel ſequentibus aliquibus diebus, nihil noceant, cùm ab iis vitioſa diſpoſitio corpori imprimi poſſit, quæ longo demum tempore poſt ſeſe exerat, ſed de hoc quæſtio eſt, an detur venenum, vel hominum malitia præparari poſſit, quòd definito, & certo temporis ſpatio interficiat? Qui id affirmant primò nituntur authoritate Theophraſti, qui *in 9. de hiſt. plant. cap. 16.* de aconito ſcribit *componi*, inquit, *ita ferunt, ut certis temporibus poſſit occidere*, videlicèt bimeſtri, trimeſtri, ſemeſtri, anno completo, interdum etiam biennio. Et quòd magis mirum ibidem *cap. 19.* refert Ariſtophilum quemdam pharmacopolam Paltaicum fuiſſe qui medicamentis veneni impedimentum afferre, & quidem nunc ad unum, nunc ad duos, nunc ad tres menſes poſſet, quique hoc remedio ad temperandos, compeſcendoſque adoleſcentum impetus nimios uſus quandoque fuerit. Deinde ratione idem probant, quòd nimirum omnes res naturales actionum ſuarum circuitus habeant, & per certa temporum ſpatia actiones ſuas abſolvant, id quòd in criſibus, præcipuè in morbis, accidit, quæ certis temporum ſpatiis perficiuntur. Præterea quia mors accidit, calido nativo abſumpto, & humido radicali exſicato nunc uno, nunc duobus menſibus, nunc uno, nunc duobus annis fieri poſſe videtur.

Verùm enim verò non probabile eſt, talia venena dari 11
poſſe. Etenim, etſi primò res naturales omnes ſuos circuitus habeant, & actionum initia, ac fines ſint, tamen

ii ple-

ii plerumque in hac humanæ mentis imbecillitate nobis ignoti ſunt, nec certis dierum ſpatiis exactè determinari poſſunt. Deindè ad actionem non ſaltem requiritur agens, ſed & patiens, & agens pro patientis diſpoſitione agit. Ideòque cùm hic corpus humanum patiens ſit, cujus pro ratione temperaturæ occultarum qualitatum, ætatis, & aliarum circumſtantiarum nunc major, nunc minor reſiſtendi vis eſt, non mirum eſt, ſi idem venenum hunc citiùs, illum tardiùs jugulet, & patet ex hiſtoriis ab eodem veneno, eadem quantitate, pluribus in eodem cibo propinato, non omnes eodem tempore mortuos eſſe, ſed alios mox, alios poſt aliquot horas, alios poſt aliquot dies.

12 Pergitque Sennertus: Secundò, modus invadendi diverſus eſt in veneno intus genito, & extra aſſumpto. Nam in veneno intus genito paulatim ſymptomata ſuperveniunt, neque omnia ſimul, ſed unum poſt aliud. In veneno extra aſſumpto multa ſimul apparent, & natura a veneno ſtimulata turbulentas vomitiones inſtituit, & omnia ſubque, deque inordinato motu feruntur, natura omnibus viribus nitente, ut ſubitò hoſtem improviſum vincat, & a ſe repellat.

13 Tertiò, venena aſſumpta non ſolùm multitudine ſymptomatum ſeſe produnt, ſed plerumque etiam talia ſymptomata habent, quæ ab intus genito veneno provenire non poſſunt, v.g. opii ſumpti ſigna ſunt ſtupor mentis, & ſenſuum omnium in toto corpore pruritus, color corporis citrinus, odorque ipſius opii è corpore expirans, quæ ſimul juncta in veneno intus genito non apparent. Ita ſi lepus marinus ſumptus ſit, accidit ſuffocatio, reſpiratio difficilis, tuſſis, ſanguinis ſputum, omnium piſcium abominatio, & ad eorum conſpectum terror, totius corporis odor, qualis piſcium putrefactorum. Quæ etiam in veneno intus genito non accidunt. Et firmiora ſunt talia ſigna, ſi ſymptomata iſta non ſenſim, ſed ſubitò ingruant, id quod in veneno intus genito rarò accidit, præterea ſi conjunctim, & ſimul omnia iſta appareant. Etſi enim ſopor gravis a cauſa interna accidere poſſit, & pruritus etiam a cauſa interna, tamen non ſimul accidunt, ut ſumpto opio, & omninò multa ſymptomata in venenis externis aſſumptis conjungi, poſſunt, quæ in morbo a veneno intus genito nunquam conjunguntur, e. g. ſi ſtatim in primo morbi inſultu vomitus, & alvi fluxus accidat, ſimulque labia, fauces, vel etiam totum corpus intumeſcat, ſi difficultas reſpirandi, ſitis inextinguibilis, ſudor frigidus, ſtrangulationis, & ſuffocationis metus cum ventris torminibus, & dolores mox in principio adſint, id in nullo morbo ex veneno intus genito ſtatim in principio accidere poteſt.

14 Quartò, eſt & hoc veneni extra aſſumpti ſignum ſi ſymptoma aliquod mirabile, quale in nullo alio morbo accidit, cujuſque nulla cauſa reddi poteſt, appareat, exempli gratia, ſi quis nec piſcium viſum ferrè poſſit, ſi quis rideat, id quod in opio riſus evenit, ſi quis continuò ſaltare, & tripudiare geſtiat, id quod contingit a tarantulæ veneno.

15 Quintò, eſt & hoc non leve veneni extra accepti indicium, quo etiam Galenus *lib. 6. de loc. affect. c. 1.* utitur, ſi nimirum is, cui talia ſymptomata accidunt, corpore ſano, & bonis humoribus abundante præditus, cibiſque bonis nutritus fuerit. Non enim credibile eſt, hominem tali corporis Conſtitutione præditum tàm ſubitò in tàm ſævum morbum tantis comitatum ſymptomatibus incidere poſſe. Aliàs fieri poteſt, ſi quis ante paucas horas, vel dies etiam cibis, qui difficulter coquuntur, vel facilè putreſcunt, & corrumpuntur, & cùm in ventriculo, tùm in epate veneni, quaſi naturam induere poſſunt, copioſè uſus ſit, ut in gravem morbum, ſævis comitatum ſymptomatibus incidat. Ubi non in venenum hauſtum, ſed cibos ſumptos cauſa referenda eſt. Quòd etiam faciendum, ſi quis vel ſciens, vel inſcius, cibos, cum quibus peculiarem habet antipathiam, ſumpſerit. Nam & tales vomitu, palpitatione cordis, ſyncope, & ſimilibus ſymptomatibus corripi notiſſimum eſt.

16 Sextò, venenum intus genitum ſeſe prodit plerumque cum febre. Cùm enim venenum diù in corpore latens ſenſim humores corrumpat, inde putredo fit, & tandem febris accenditur. A veneno verò extra aſſumpto gravia excitantur ſymptomata ſine febre. Cùm enim ad putredinem inducendam alteratio prævia requiratur, & ita temporis ſpatium, venenum non dat eas inducias, ſed ſtatim graviſſima ſymptomata inducit. Itaque cùm ſymptomata gravia cum febre putrida accidunt, & febrem ſubſequuntur, nulla de veneno aſſumpto ſuſpicio eſt, ſed potiùs ab interno humorum apparatu mortbum illum fieri credibile eſt.

17 Septimò, ubi contagium præſens eſt, & pluries in eadem domo, ſeu familia non eodem tempore, ſed unus poſt alterum moritur, & morbus aliquis epidemius graſſatur, id omnem veneni aſſumpti ſuſpicionem aufert. Etenim venena quædam ictu, vel morſu animalium communicata rurſum contagioſa ſunt, ut venenum canis rabidi, & dryni ſerpentis, tamen peſtilentiæ, & aliorum ferè contagioſorum morborum longè alia eſt ratio, habetque ſe venenum canis rabidi, ſi per ſalivam excipiatur, inſtar veneni extra aſſumpti. Nec a cane rabido tàm ſubitò plures inficiuntur, quàm a veneno peſtilenti.

Octavò, & illud veneni intus geniti, non extra aſ- 18
ſumpti eſt indicium, ſi morbus periodos certas, & quaſdam remiſſiones, vel intermiſſiones habeat, cùm enim intus genita venena in humore aliquo ſedem habeant, humores verò ſuas periodos, quibus aliis ſingulis, aliis alternis, aliis quartò quoque die moventur, & exacerbantur, ſi quid tale accidat, intus geniti veneni indicium eſt. Venena verò extra aſſumpta continuò hominem affligunt, nec ullam quietem, aut remiſſionem concedunt, donec vel a natura vincantur, & è corpore expellantur, vel ipſa naturam vincant, & hominem jugulent.

Tandem, & hoc modo cognoſcitur, venenum alicui 19
exhibitum eſſe, ſi id quod vomitu rejicitur, cibo mixtum, cani devorandum exhibeatur. Si enim inde vel lædatur, vel moriatur, certum id veneni indicium eſt. Nonnulli quidem, & gallinis id, quòd vomitu rejicitur, objiciendum putant venenum cum gallinæ plurima venena ſine damno devorent id ſatis firmum ſignum non eſt.

Ita enim tandem concludit Summa, ſi in homine, 20
qui ſanus fuit, nec pravis humoribus abundavit, ſubitò, & actiones, & excreta, ac retenta, ac qualitates mutentur, eum venenum accepiſſe, indicium eſt. Nimirum præſentaneo veneno ſumpto, ructus fœtidi, & mali ſaporis accidunt. Ubi tamen attendendum, ne ob errorem in victu, & ingurgitationem variorum ciborum, oleorum, lactis, alii, ceparum, fructuum fugacium, piſcium frixorum, tales ructus, vel etiam vomitus, & alvi profluvia, de quibus mox dicetur, accidant. Statim pulſus, & cordis motus, nulla alia cauſa ejus mutationis apparente, valdè mutatur, vires labuntur, & vel pulſus planè aboletur, vel valde depravatur. Accedit cordis anguſtia, palpitatio, lipothimia, ſyncope, & tandem mors. Præterea accidunt vertigo, convulſiones, tremor, ſingultus, ſtupor, mordicatio, & dolores ventriculi, & inteſtinorum, urina ſupprimitur, interdum ſitis, accidit. Suboriuntur vomitus materiæ pravæ interdum, & alvi profluvium. Accedunt ſudores frigidi, extrema refrigerantur, lingua intumeſcit, labra nigrigant, & inflammantur, interdum venter, immò & totum corpus intumeſcit, ac inflatur, maculæ paſſim in corpore erumpunt. Et quidem iſta ſymptomata omnia ſunt atrociora, quàm ea, quæ a veneno intus genito accidere ſolent.

Atque addit. Verùm non eadem ſemper ſymptomata 21
in omnibus, qui venenum ſumpſerunt accidunt. Equidem præſentanei veneni, & quòd cordi præcipuè inimicum hæc ſigna ſunt, tamen etiam venena ſunt, quæ aliàs partes lædunt, & non ita vehementer totum corpus turbant.

Et mox. Temporaneorum autem venenorum ſigna 22
non ita certa ſunt, in primis in principio, neque ſtatim ſignis manifeſtis ſeſe produnt, ut venena præſentanea. Conjecturæ tamen quædam dantur, quæ ex iis petuntur, quæ tùm in ipſa ſumptione, tùm poſt aſsumptionem ex effectibus apparent. Hæc quòd attinet, ægri plerumque in diuturnos morbos, quorum cauſa nulla manifeſtè reddi poteſt, incidunt, fatuitatem, inſaniam, epileſiam, paralyſin, dolores vagos, tabem. Et in prncipio quidem lingua ſigna ſuppeditat, quæ ventriculi, pulmonis, & capitis affectus facilè indicant, quorum unum ſumpto veneno tali affici neceſſe eſt. Quæ enim venena pulmonem afficiunt, tuſſim ſiccam, ariditatem linguæ, ſitim, ſanguinis ſputum, & tandem phthiſim excitant. Quæ verò ventriculo imprimis nocent, nauſeam, dolorem, & inflationem ventriculi, fluxum alvi pariunt, & linguæ color, ac ſapor ab iis mutatur. Mutatur quoque color linguæ, ſi epar afficiatur, præterea accidit ſitis, febris, cachexia, hydrops. Cardanus *lib. 1. de venen. cap. 26.* etiam a ſanguine emiſſo latentis veneni ſigna petit, ſi nimirum inſolitæ in eo mutationes appareant, ſcribitque ſe, & ſimilem ptiſanæ, & viridem vidiſſe, bis album, ſimilem ſuccobetarum ſemel, eumque veneni occulti indicium fuiſſe putat. Ego in quodam Juris Doctore ter ſanguinem vidi, cui ſerum inſtar lactis candidum innatabat. Nullum

tamen latentis in eo veneni indicium animadverti, ſed de Scorbuto potiùs ſuſpectum habui. Qui etſi ſæpius febribus erraticis, non tamen diuturnis, laboraret, poſtea peſte tùm graſſante correptus obiit.

23 An verò qui mortuus eſt homo veneno interemptus ſit, ſignis cognoſci poſſit, dubitatur. Negant equidem id multi, & experientia id probare volunt, atque ejus rei exemplum a Tacito afferunt, qui lib. 3. *annal. de Venefica Martia verba faciens*, hæc habet, *vulgatum erat, miſſam a Cyn. Sentio famoſam veneficiis Martiam ſubita morte Brunduſii extinctam, venenumque nodo crinium ejus occultatum, nec ulla in corpore ſigna ſumpti exitii reperta*. Idem de Antonio, & Cleopatra referunt, in quorum licèt veneno extinctorum, corporis nullum pœnitùs veneni indicium extitit. Plerumque tamen etiam in mortuis venena ſeſe ſatis produnt, de quo Galen. 6. *de loc. affect. cap.* 5. *Cum*, inquit, *homo ſuapte natura humoribus probis abundans ac ſanorum more educatus de repente moritur, ut lethali veneno aſſumpto fieri ſolet, deinde corpus, aut livens, aut nigrigans, aut varium eſt, aut diffluens, aut putredinem moleſtam olet, ut ii, qui veneno mortui ſunt paulò poſt mortem toto corpore colorem primò citrinum, aut ſubviridem, & poſt unam, vel duas horas lividum, aut nigrum acquirant, quod ab humorum ſubita corruptione accidit*. Cujus rei exemplum habet Galenus 5. *de loco affect. cap.* 7. de quodam ſervo Imperialium, qui cùm a vipera morſus eſſet ei totius corporis color ita mutatus eſt, ut pori colorem referret.

24 Alii, & alia ſigna addunt, nimirum quòd ungues poſt mortem nigri evadant, & facilè evellantur, capilli defluant, adeòut interdum ſine ulla violentia integri manipuli evelli poſſint, Plinius *lib.* 2. *cap.* 63. cadavera veneno interemptorum neque a feris, neque ab avibus tentari aut deguſtari ſcribit. Quod tamen ſignum & peſte infectis competit, de quo Lucretius *lib.* 6. *rer. nat.*

25 Nonnulli inter ſigna veneni hauſti & hoc habent, quòd cor veneno interemptorum igne conſumi non poſſit. De quo Svetonius *in Caligula*, ubi de Germanici obitu loquitur, *Antiochiæ*, inquit, *obiit non ſine veneni ſuſpicione. Nam præter livores, qui in toto corpor. erant, & ſpumas, quæ per os fluebant, crematique cor inter oſſa incorruptum repertum eſt, cujus ea natura eſſe exiſtimat, ut tinctum veneno igne confici nequeat*. Et Plinius de corde ipſo *lib.* 10. *cap.* 37. ſcribit, negatur cremari poſſe in iis, qui cardiaco morbo interiere, negatur, & veneno interemptis. Certè extat Oratio Vitelli, qua reum Piſonem ejus ſceleris coarguit hoc uſus argumento, palamque teſtatus non potuiſſe ob venenum cor Germanici Cæſaris cremari. Et Avicennas *de virib. cord.* ſcribit, cora venenis impensè congelari, & exſiccari, quæ ſuo loco relinquimus.

CONSULTATIO CXIV.

An Clericis ſit vetitum conducere a laicis vectigalia?

1 REſpondeo affirmativè. Ita ex S. Congreg. ſuper Epiſcop. in Terracinen. 11. Januar. 1647. Quinimmò S. Congreg. Immunitatis in Caſtellaneten. petitioni illius Capituli Cathedralis, an ſibi liceret locare perſonæ Eccleſiaſticæ, tanquam rem ſpectantem ad Eccleſiam, quodam vectigal rerum comeſtibilium, quod titulo emptionis acquiſiverat, nam ſi laicis locaretur, multa exinde ſibi damna, & præjudicia inferrentur, reſpondit negativè, & quòd abſtineat. Elicitur id ex *cap. multa ſunt, ne Cler. vel Monach.* in quo inter multa ſæcularia negotia, a quibus jubet Clericos, & Monachos abſtinere, enumerat conductores ſæcularium rerum, aut procuratores eſſe. Idem, & in *c. ſecundùm eod. tit.* ubi Alexander III. Londonenſi Epiſcopo ita ſcribit: *Secundùm inſtituta prædeceſſorum noſtrorum ſub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi, vel Clerici cauſa lucri negotientur*, cum aliis a nobis aliàs adductis. Quippè negotiatio Clericis, ac Religioſis prohibita non ſolùm eſt illa, quæ eſt mercimonium, ideſt cùm quid emitur, ut immutatum vendatur, ut definit D. Chryſoſtomus relatus *in c. ejiciens* 88. *d.* ſed etiam in aliis quæſtuoſis negotiationibus, Stracch. *de mercat. p.* 1. *num.* 5. cum Signorolo, dicens negotiationis nomen eſſe generalius mercimonio, ſeu mercatura. Habeturque ex *c. Clerici de vit. & honeſt. Cler.* quòd generatim omnia officia, & ſæcularia commercia Clerici exercere nequeant, & tradunt Viv. *dec.* 28. *n.* 18. *& ſeq.* Guid. Pap. *dec.* 196. *in pr.* Rebuf. *ad Conſtit. Gall. tom.* 2. *tit. de merc. in rubr. poſt med.* Cucch. *inſtit. Can. lib.* 3. *tit.* 10. *n.* 19. aliique communiter. Unde S. Congregat. Epiſcop. 10. Maji 1580. in Comen. confirmavit decretum, aliàs factum, quo prohibebatur Canonicis conducere reditus ac bona Capituli, etiam per aliàs perſonas, cùm id repugnet honeſtati Clericali.

CONSULTATIO CXV.

An homicidium ex zelotypia commiſſum ſit proditorium ita ut homicida privetur immunitate Eccleſiæ?

ESt proditorium, niſi probetur, occiſum habuiſſe notitiam zelotypiæ occiſoris. Citatur ab aliquibus Gomez *de homicid. num.* 5. at nihil de hoc agit, ſed tantùm de homicidio proditorio in genere, & Bobadil. *lib.* 2. *polit. cap.* 14. *num.* 35. quos adducit, ac ſequitur Novar. *in ſumm. Bullar. de Immun. num.* 297. Donat. *de aſyl. reſol.* 151. *num.* 1. Nam alioquin non poterit quiſque ſibi præcavere, atque adeò tolleretur illa naturalis defenſio, quæ de jure naturali cuique competit. 1

Dicitur autem proditor qui aliquem, cui ſe tanquam ſocium, & amicum adjunxerat in via, nulla rixæ cauſa interveniente, occidit, ſeu qui doloſè ſub amicitiæ colore ſeducit aliquem, ut occidat, ut ex S. Congregatione Epiſcop. in Rheginen. 12. Octobris 1602. & in Bojanen. 6. Aprilis 1622. Et generaliter homicidium commiſſum ſine præcedentibus inimicitiis dicitur proditorium, & non gaudet Immunitate ex eadem Sacra Congregatione locis citatis, & in Conſentina 8. Aprilis 1603. Dicuntur autem præceſſiſſe inimicitiæ, quando conſtat inter homicidam, & occiſum aliquot ante diebus fuiſſe ſequutam rixam ex eadem Sac. Congregatione 16. Aprilis 1611. etiamſi non occidatur ferro, ſed veneno, vel quolibet alio modo ex S. Congreg. Concilii 7. Decembris 1632. 2

Et nihilominus adhuc ſi non probaretur, occiſum habuiſſe notitiam zelotypiæ occiſoris, cenſeo, reum puniendum pœna extraordinaria. Moveor, quia zelotypia oritur ex amore, & cum amor ſit quædam furoris ſpecies, teſte Platone, qui in Phœdro ſcribit, quatuor eſſe illius ſpecies, inter quas amorem reponit, qui eſt a Venere, idcircò Poetæ paſſim amorem furorem vocant, & amantes furibundos, furentes furioſos. Catulus *in nupt. Pelei, & Thetidis*. 3

Heu miſere exagitant immitti corde furores.

Virgilius *lib.* 4.

Ardet amans Dido, traxitque per oſſa furorem.

Et alibi *eodem libro*.

Quid vota furentem?
Quid delubra juvant?

Et paulò poſt:

Vritur infœlix Dido, totaque vagatur
Urbe furens.

Ovidius in Epiſtola *Paridis ad Helen.*

Qua licet, & poſſum luctor celare furorem.

Et 10. *metarphoſeon* de Mirrha loquens.

Exiliit gremio furibunda.

Eſt quoque textus apud Canoniſtas hunc affectum furorem vocans *in c. cùm in juventute de præſumpt.* ſicque nihil hoc furore vehementius, quem retinere eſt perfectæ philoſophiæ: ut eſt etiam textus, qui & hanc affectionem furorem vocat *in auth. quib. mod. nat. effic. legit. §. illud*, cui omninò aſſentiens Socrates *lib.* 3. Platonis *de Repub. voluptate*, inquit, *venerea nulla vehementior, nullave furioſior*, id ipſum habet Tullius *lib.* 4. *Tuſculan. quæſt.* & Baldus omnium doctrinarum peritus *in l. precibus col.* 6. *C. de impub. & aliis ſubſtitut.* ſcribit Philoſophicum eſſe, non muliebre, hujuſmodi affectum intra debitos limites coercere, quem refert, ac ſequitur Franc. Curt. ſenior. *conſ.* 67. *col.* 3. *verſ. tranſeo ad ſecundum*.

Propterea non temerè, ut reor, contenderim, eum levius eſſe puniendum, ne dicam impunitum relinquendum, qui præ nimio ardentiorique amore quicquam deliquerit, veluti non ex animi ſententia, ſed furore concitatus idipſum amiſerit. In qua ſententia fuit Oldrad. *conſ.* 210. *col.* 2. citatque Ariſtotelem, qui 7. *ethic. lib. cap.* 2. ſcribit, hos venereorum appetitus nonnullos in furorem, atque inſaniam adigere. 4

CONSULTATIO CXVI.

Utrum ad validam erectionem ſodalitatum, præter licentiam, & aſſenſum Epiſcopi, exigatur etiam beneplacitum Principis laici?

SOdalitatum tria ſunt genera, vel ad finem profanum, & merè temporalem, vel ad pia opera, & exercitia devotionis, ſeu Religionis cauſa, vel Religioſæ, & Eccleſiaſticæ authoritate Ordinarii inſtitutæ. Primi generis ſodalitates ſunt mercatorum, &c. Secundi ſunt juvantium oppreſſos, &c. Tertii ſunt Roſarii, Carmelitarum, &c. Beneplacitum autem Principis in nullo videtur 1

lædere

lædere immunitatem Ecclesiæ. Non primi generis quia regulariter sunt prohibitæ, *l. 3. C. de sum. Trin. l. Conventicula*, *C. de Episc. & Cler.* Maschard. *de prob. vol.* 1. *concluſ.* 450. Non ſecundi, quia ſine Ordinarii ſcitu poſſunt erigi, *l.* 1. *ff. de colleg. illic.* quia non ſunt Eccleſiaſticæ, aut Religioſæ, ſed merè laicæ, & per conſequens de jure ſubjectæ Principi laico, Barboſ. *de jur. Eccleſ. col.* 2. *cap.* 11. *num.* 68. Neque tertii generis, quamvis ſint Eccleſiaſticæ, & Religioſæ, & cum privilegiis perſonarum Eccleſiaſticarum, quia non ſubjicitur ex hoc poteſtas Eccleſiaſtica laicali, *c. quamvis* 21. *d. & c. inferior ibid.* Sed potius firmatur licèt ſi Princeps ſæcularis faceret tale ſtatutum, eſſet contra libertatem Eccleſiaſticam *auth. Caſſa C. de ſacroſ. Eccl.* Quin ex iis, quæ ſcribit Duard. *in Bull. Cœnæ lib.* 2. *cap.* 15. *quæſt.* 19. *numer.* 73. etiam ad ædificandum Eccleſiam in Galliis requirendum prius eſt beneplacitum Regis, & conſenſus. Quare id videtur ſuſtineri poſſe.

2 At nihilominus tenendum eſt, ejuſmodi beneplacitum non exigi in fundandis ſodalitatibus ſacris, & Religioſis, eſſeque contra libertatem Eccleſiaſticam. Nam de jure licet Religionis cauſa coire ſine venia Principis, *l.* 1. *ff. de colleg. illic.* ibi: *ſed Religionis cauſa coire non prohibentur*, & Baſilic. *tom.* 7. *lib.* 60. *tit.* 32. *de Collegiis, ſodalit. & corpor. num.* 1. *pag.* 539. ibi: *Et Religionis cauſa licitè permiſſum eſt coire*, Gloſ. *in d. l.* 1. *v. illicita*, Bald. *ibid. num* 1. & 5. Bart. *in l. ſodales* 4. *num.* 6. *ff. de colleg. illic.* & Abb. *conſ.* 55. *num.* 4. *p.* 1. cumque fundentur authoritate Epiſcopi, ac ſubſint ejus juriſdictioni, hoc beneplacitum reſtringeret privilegia toti Eccleſiæ a Deo, a Pontifice, vel Imperatore tàm in temporalibus, quàm in ſpiritualibus conceſſa, atque uſurparet juriſdictionem Eccleſiaſticam. Unde in ſimili communiter receptum eſt, quod ſtatutum negans poſſe Eccleſias, ſeu Monaſteria de novo erigi ſine beneplacito Principis loci, eſt contra libertatem Eccleſiaſticam, ut docent Canones, & Doctores congeſti per Thom. Delbene *de immun. p.* 1. *c.* 8. *dub.* 7. *num.* 1. Quod verò ad Regem Galliarum, ac etiam Rempublicam Venetam habet forſitan hac in re privilegium Sedis Apoſtolicæ. De quo nos aliàs fusè.

CONSULTATIO CXVII.

An Epiſcopus inſtare poſſit apud Principem laicum, ut condat edictum pœnale adverſus occupantes bona Eccleſiarum, piorumque locorum, irreverenter ſeſe gerentes in Eccleſiis, ibique deferentes arma cum haſta, & tormenta ignea, ſiſtentesque in earum januis, dum celebrantur officia divina, dumque prædicatur, aut docetur doctrina Chriſtiana, obloquentes, ac verba inhoneſta proferentes, ac ſervilia facientes in Templis, eorumque portis ac Cœmeteriis, injungendo miniſtris Curiæ ſæcularis, ut ad omnem requiſitionem Eccleſiaſticorum contra prædictos, ipſo Principe prius admonito, procedant ad pœnas, in ipſo edicto contentas?

1 REſpondeo, non poſſe. Primò, quia Epiſcopus ſua juriſdictione poteſt ejuſmodi delinquentes coercere exequendo ſancita in ſacris Canonibus, & a B. Pio V. Conſtitut. 5. §. 4. ut proindè non liceat ipſi recurſum habere ad Principem laicum, eum requirendo de tali edicto.

2 Secundò, quia præbetur occaſio Eccleſiaſticis denunciandi prædicta in foro laicali coram miniſtris curiæ ſæcularis, & declinandi forum proprium Eccleſiæ. Non enim inficior delicta irreverentiæ, ac ſtrepitus commiſſi in Eccleſiis, eſſe miſti fori, quia utroque jure prohibentur, ac puniuntur, civili nempè *l. ſi quis in hoc genus* 10. *& auth. ſed novo jure*, *C. de Epiſc. & Cler. & Canonico in cap.* 2. *de Imm. Eccleſ. in* 6. *ſeſſ.* 22. *Concil. Trid. in decr. de obſerv. & evit. in celebrat. miſſ.* & dicta Conſtit. B. Pii V. Sed ajo, quod non debet Eccleſiaſticus enixè requirere a Principe laico, quod ipſe ſua authoritate ſtatuere, aut coercere poteſt. Neque etiam videtur id eſſe boni ac honeſti exempli, quod Eccleſiaſtici denuncient Curiæ ſæculari ea, quibus conſulere valet propria Eccleſiaſtica.

3 Præterea dum ſtatuitur, quod Curia ſæcularis puniat occupantes quocunque modo bona Eccleſiarum, piorumque locorum, utique ex generalitate verborum intelligitur etiam de violenta turbatione, & occupatione rerum Eccleſiæ, quæ crimen ſacrilegii includit, quo caſu nullus adhuc dubitavit laicum pro illarum dimiſſione, ac reſtitutione conveniendum eſſe in foro Eccleſiaſtico, non autem in laicali, ad text. *in cap. conqueſtus eſt* 16. *de for. compet.* ut fatetur etiam Anſald. *de juriſd. par.* 2. *tit.* 11. *cap.* 32. *num.* 39. *ac* 78. *cum binis ſeqq.* admiſeruntque Alex. *conſ.* 103. *num.* 9. *vol.* 1. & Afflict. *dec.* 159. *n.* 2. ac proinde in hoc clarè lædereturjuriſdictio Eccleſiaſtica.

Neque itidem admiſſo ſuppoſito præfati edicti, quod 4
agatur de bonis, ac juribus Eccleſiæ, controverti poteſt, quin ob dictam inſtantiam recedatur a magis recepta opinione, quod Clericus pro re Eccleſiæ laicum conveniat coram Judice Eccleſiaſtico, quam tenent Abb. *in cap. ſi Clericus laicum* 5. *num.* 13. Marian. Soccin. *num.* 1. *cæterique ſcribentes de for. comp.* Guttier. *can. quæſt. lib.* 1. *cap.* 34. *num.* 13. dicens magis communem, Grat. *diſcept.* 278. *num.* 17. Bellet. *diſq. Cler. p.* 1. *tit. de jav. Cler. real. §.* 5. *num.* 12. Ricc. *in pr. for. Eccleſ. par.* 3. *reſol.* 541. Dian. *par.* 5. *tr.* 1. *reſol.* 7. Antonel. *de regim. Eccleſ. Epiſcop. lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 1. quamvis diſſentiat Bellam. *in d. cap. ſi Clericus laicum num.* 1. *notab.* 1. *ac* 3. & cum eo Anſald. *d. cap.* 32. *ex num.* 44. Quandoquidem S. Congregatio Immunitatis reſolvit in Taurinen. 7. Septembris 1666. opinionem illam, quod omne judicium rei realis faciendum ſit in foro ſæculari, quamvis agatur de intereſſe Eccleſiæ, vel Eccleſiaſticorum, eſſe contra Canones, & Conſtitutiones Pontificias, & tanquam erroneam rejectam a S. Rota Romana, & ab omnibus Romanæ Curiæ Tribunalibus.

CONSULTATIO CXVIII.

An, & qua pœna puniri poſſint ac debeant Confratres ſodalitatum, vel Conſules alicujus artis, qui deleverint decreto publico aliquos è libro artis, vel Confraternitatis, ac deinceps memoriam abolitionis inciderint in marmore parieti ſuæ confraternitatis, vel publicæ plateæ affixo? Ubi de libellis famoſis aliqua.

COrruptores albi, in quo deſcripti ſunt Decuriones, 1
teneri edicto, de quo *in l. ſi quis ff. de juriſd. omn. jud.* ait Gloſ. *ſub rubr. ff. de alb. ſcrib.* nimirum pœna ſcutorum quinquaginta, ut de mente Cyni tenet Bald. *in d. l. ſi quis num.* 7. & de communi tradit Jaſ. *ibid. num.* 41. Hinc duo inferuntur. Primum, quod cum de eſſentia hujus delicti requiratur dolus malus, ut ſunt verba clara textus *in d. l. ſi quis ita aut*, Bald. *ibi num.* 4. *& in §. Doli mali ſub init.* tradat non ſufficere culpam, eamque non puniri, ſi abeſt dolus, atque adeò dicendum in hoc caſu ceſſare omnem dolum, cum etiamſi ad contumeliam delatorum reſultaret, non tamen ea mente id actum fuit ſed venerandæ ſodalitatis cauſa, ex quo non deceret de ejus corpore amplius eſſe, quod diverſæ prætenſiones litibus, aliiſque malis moribus ab ea alienaverint, ut egregiè animadvertit Paulus Jureconſultus *in l. quod Reipublicæ* 23. *ff. de injur.* Quodque præcipuè cum jure poteſtatis a ſtatutis tributæ geſtum fuerit, ad injuriarum actionem non pertinet, licèt illorum dignitas diminueretur, ut ſunt verba Ulpiani *in l. Injuriarum* 13. *ff. de injur.* Maximè ſi in exercitio dictæ poteſtatis adhibita fuerit per abolitionem cauſæ cognitio. Unde etiam excluditur animus injuriandi ex allegatis per Farinac. *q.* 105. *n.* 231. & ceſſat actio criminalis, cum per expreſſionem cauſæ factam a gravante porrigitur gravatis occaſio ſibi ipſis conſulendi aliter, quàm per actionem criminalem, nempè per remedium appellationis, ut in ſpecie annotat Vermigl. *conſ.* 480. *n.* 4.

Secundum: Aut prætenditur, delictum eſſe in ipſo de- 2
creto abolitionis, aut in appoſitione lapidis in ejuſdem decreti memoriam. Si primum: Dicitur, quod cum delictum, quatenus eſſe delictum, ſit univerſitatis abſque ulla cooperatione ſingulorum, uti ſingulorum, ut ſunt termini ſcribentium, poſſe condemnari ſingulos pro delicto univerſitatis, ea non condemnata, certum ſaltem eſt. Quod cùm ſit uti ſinguli tali caſu nequeant puniri, niſi qui conſenſerint delicto ex congeſtis per Decian. *tr. crim. lib.* 7. *cap.* 8. *num.* 11. & Losè *de univerſ. p.* 4. *cap.* 1. *num.* 34. & cùm plures album calculum adjecerint, remanet incertus conſenſus omnium aliorum de univerſitate, etiam reſpectu eorum, qui propoſuerunt conſilium, quatenus poteſt dari caſus, quod quis proponat, & deindè in reſolutione diſſentiat. Qua ſtante incertitudine, deficit delicti probatio ex vulgari regula *in l. neque natales* 10. *C. de probat.*

Si ſecundùm: Cùm inſcriptio lapidis tanquam ſe re- 3
ferens ad decretum, & uti ſolum teſtimonium actus publici, nullam contineat injuriam, & ex dictis reſultet excluſio delicti in ipſo abolitionis decreto, ceſſat utique omnis prætenſio, cùm nequeat conſiderari majus malum in copia referente, quàm in originali relato. Præterea cum appoſitio facta ſit ex mandato univerſitatis, apponentes habent ſe pro mandatariis, ut in ſpecie tradunt Losè *d. p.* 3. *cap.* 1. *num.* 36. & Farinac. *qu.* 24. *n.* 127. At ſpeciale eſt in hoc crimine abolitionis ab albo,

quòd ſi mandatarius ſine dolo malo fecerit, licèt dolo malo mandans commiſerit, ceſſet delictum in mandatario, licèt ſit reſpectu mandantis, ut ait textus *in d. l. ſi quis 7. de juriſd. omn. Jud.*

4 Quòd autem dolus malus ceſſet in iis, qui appoſuerunt lapidem, patet. Tùm quia non conſideratur dolus in actu geſto ex officio ad text. *in l. 2. C. de his, qui accuſ. non poſſ.* Tùm quia decretum ſodalitatis, ſive univerſitatis publicè geſtum excuſat a dolo, cùm debeat reputari pro juſſu ſuperioris *d. l. ſi quis ff. de juriſd. omn. Jud.* Tùm quia ſtantibus ſtatutis præbentibus facultatem delendi a ſodalitate, quos cenſeant emeritos, poterant credere pari modo ſibi licere publicum actus publici teſtimonium apponere in loco, licèt publico, dominii tamen ipſius ſodalitatis, cùm generale ſit, quod ceſſet dolus ex actu permiſſo, licèt perveniatur per eum ad aliquod prohibitum Aymon. *conſ. 8. n. 18.* Menoch. *conſ. 98. num. 29.* ac cæteri per Farinacium *quæſt. 89. n. 59. in fin.* ac ſit ſpeciale, quòd in hoc delicto nedum credulitas, ſed ipſamet ignorantia contrafacienti removeat etiam delictum, *d. l. ſi quis, ff. de juriſd. omn. Judic.*

5 At nihilominùs dicendum cenſeo, non poſſe dubitari, quin deleti a libro ſint ex utroque gravi injuria affecti. Nam quoad primum remotio ab ordine cedit in maximum dedecus remoti, cùm in eo culpam ſupponat, quæ talem pœnam promeruerat, *l. teſtamento 51. in fin.* ibi: *quos pœna coercuit, ab honore miniſtrandi, vel adminiſtrandæ rei negotio removit ff. de manum. teſtament.* per textum Gloſſa *v. negotio* notat, honorem eſſe adminiſtrare, & dedecus removeri, quaſi per hoc de illo dominus non confidat, & Jo: de Platea *in l. Judices n. 3. poſt med. C. de an. & trib. lib. 10.* ait, eo ipſo, quòd quis eſt remotus ab officio, præſumitur remotus propter delictum, & culpam, ideòque maximum dedecus eſſe ab illo removeri. Quæ repetit Maſtrill. *de Magiſtrat. c. 27. num. 19.* Unde Roman. *conſ. 407. nu. 1.* reſpondit, non poſſe juſtum videri, quod quis a ſuo Collegio, vel Univerſitate amoveri poſſit, nulla exiſtente rationabili cauſa, ponderando verba D. Gregorii relata *in cap. 7. diſt. 56.* nempè ſatis perverſum, & contra Eccleſiaſticam probatur eſſe cenſuram, ut fruſtra pro quorundam voluntatibus quis privetur, quem ſua culpa, vel facinus ab officii, quo fungitur gradu, non dejicit.

6 Quòd verò ad ſecundùm, ſicut inevitabile eſt, dictam inſcriptionem more prorſus inſueto marmori inciſam, & parieti ſodalitatis infixam ad perennem memoriam infamare nominatos in ea, ut ſupponitur *in l. Conſtitutionibus 37. ff. de injur.* ubi Juriſconſultus inquit: *Conſtitutionibus principalibus cavetur ea, quæ infamandi alterius cauſa in monumenta publica poſita ſunt, tolli e medio.* Et in caſu mitiori, ſcilicèt tabellæ votivæ contra Civitatis morem appenſæ in Eccleſia, quòd cenſeretur facta injuriosè, gratia infamandi nominatum in ea ad vindictam, advertit Hieron. Gualterut. inter *conſ. Farinac. lib. 1. conſ. 30. ſub num. 61.* Ita quoque certum eſt illam injuriæ adſcribendam eſſe, *l. Item apud Labeonem 15. §. Ait Prætor 2. de injur.* ibi: *Proindè quodcunque quis fecerit, vel dixerit, ut alium infamet, erit actio injuriarum.* Quod comprobant verba *l. 3. C. eod.* ibi: *Quinimmò adverſus eos, qui minuendæ opinionis tuæ cauſa aliquid confeciſſe comperientur, more ſolito injuriarum judicio experiri potes.*

7 Neque ulla ratione poteſt admitti replicatio, quod non fuerit expoſita animo injuriandi. Nam contrarium evincitur primò ex inſolito contra bonos mores Civitatis, *d. l. item apud Labeonem, §. ſed quod abjicitur, cum ſeqq.* Jureconſultus id, quod eſt adverſus bonos mores Civitatis, inquit ſpectare ad alicujus infamiam, vel invidiam. Illud autem dicitur factum contra bonos mores, quod repugnat bonis moribus Civitatis, ſicut declarat Angelus *in §. Idem ant. num. 1.* ejuſdem legis. Secundò, ſi vehemens odium in nominatos eſſet conceptum a Conſulibus, quod in ſpecie ponderat Farinacius *d. conſ. 30. num. 92.* Tertiò, ſi affixio dictæ inſcriptionis marmoreæ fuerit merè voluntaria, quia non legitur decreta in abolitione ex albo univerſitatis, immò res penitus inſueta. Siquidem malus animus injuriandi detegitur, quando fit aliquid non neceſſarium ad eſſentiam actus ex relatis a Farinac. *d. conſ. 30. num. 31. & 93.* Quartò, ex præcedenti tractatu, & conſilio dictam memoriam affigendi, ſi Congregatio Univerſitatis, vel ſodalitatis decreviſſet eos deleri ex albo. Nam talis præmeditatio detegit pravitatem animi in ejuſmodi nota, illis perpetuò inurenda, ut Farinacius arguit *in præcit. conſ. 30. ſub num. 95.*

8 Atrocitas verò dictæ injuriæ gravatur primò, ratione loci, cùm dicta inſcriptio fuerit publico omnium conſpectui expoſita in ſodalium Prætorio, *l. Prætor edixit 7. §. fin. ff. de injur. §. Atrox, inſtit. eod.* Quamobrem Angel. *in l. lex Cornelia 5. §. ſi quis libellum num. 2.* monuit, ponentes ſcripturas ad infamiam alicujus in loco publico, puta in una columna, vel platea, & *num. 3.* eas ponentes ſuper altari Palatii Priorum, ut caveant, quia capitis amputatione puniuntur, & hoc vidiſſe de facto, quamvis *in l. unic. num. 1. C. de famoſ. libel.* referat alteri Bononienſi, cui debuerat caput amputari, indultam fuiſſe pœnam capitis ſolutis ducatis duo millia, cujus meminit Farinac. *in alleg. conſ. 30. ſub n. 26.*

Nec quidquam refert, quòd emanaverit a Conſulibus 9
Artis, ſive a Cuſtodibus, ſive Prioribus ſodalitatis. Quia nec Magiſtratibus licèt aliquid injuriosè facere, ut dicitur *in l. Magiſtratibus 32. ff. de injur.* ex quo Juris conſultus ſic infert: *Si quid igitur per injuriam fecerit Magiſtratus vel quaſi privatus, vel fiducia Magiſtratus, injuriarum poteſt conveniri.* Quare Amedeus *de Syndic. num. 12. in fin. tract. tom. 7. fol. 340.* dixit, quod ſicut in privatis, ita in Judicibus prohibitum eſt facere aliquid illicitum, & Bald. *in rubr. C. de pœn. Judic. qui malè judic. num. 2.* docuit, quòd Judex faciens injuſtè aliquem torqueri, tenetur actione injuriarum, eſt puniendus pro modo ſui judicii. Quòd ex ea repetit. Amed. *d. tr. n. 111.*

Quòd verò ad pœnam Juriſconſultus *in l. fin. de injur.* 10
ait: *De injuria nunc extra ordinem ex cauſa, & perſona ſtatui ſolet, & ſervit quidem flagellis cæſi domini reſtituuntur, liberi verò humiliores quidem loci fuſtibus ſubjiciuntur. Cæteri autem vel exilio temporali, vel interdictione certæ rei coercentur.* Extendimur tamen ad triremes, nempè ſi fuerit illa per expoſitionem picturæ in locis publicis, ſicut de juvene, qui amaſiam nolentem ei aſſentiri pinxerat nudam cum cauda ſalaci, ac ejuſmodi picturam affixerat locis publicis, referunt Pariſ. de Put. *de Syndic. v. injur. Officialis cap. 1. n. 6. cum duobus ſeqq.* Clar. *§. fin. qu. 68. num. 27.* Cabal. *reſol. crim. caſ. 71. num. 7.* & Rinald. Ptolom. *d conſ. 30.* Farinac. *num. 10. lib. 1.* teſtantes illum condemnatum fuiſſe ad triremes, prout Caball. *eod. caſ. 71. n. 4.* refert alium, qui virilia, ac muliebria picta affixerat domi mulieris nuptæ, quamvis non ſine vehementi ſuſpicione vitæ inhoneſtæ, condemnatum fuiſſe ad triremes ad tempus, miſſumque priùs per Civitatem cum mithra, & ſcriptura in pectore, quæ hujuſmodi punitionis cauſam denotaret, ac ibidem reſpondit pari modo condemnandum eſſe eum, qui oſtio, & feneſtris domus alienæ pudenda virilia, & muliebria depicta, vel cornua appendit, vel aliud quid ſimile fecit, cum gravem injuriam intulerit, non diſſimili pœna plectendam, Farinac. autem *in fin. d. conſ.* teſtatur, eum, qui dictam tabellam votivam appenderat in Eccleſia, præter æſtimationem injuriæ erga illam paſſam, condemnatum fuiſſe ad ſolvendum ſcuta 200. cum comminatione, quod niſi ea ſolviſſet infra certum tempus tranſmitteretur ad arcem Civitatis Oſtiæ, ad quam tranſmiſſus, quia non ſolvit, ob aeris malignitatem diem clauſit extremum.

Gravitati quoque dictæ injuriæ illatæ nominatis in in- 11
ſcriptione accedit ſumma temeritas in eam propria authoritate affigendo in platea, aliove loco publico. Nam ſi de jure prohibetur *in l. Baſilicam 30. C. de oper. publ.* & honoris cauſa alicujus imaginis, aut tabularum pictarum obumbratione fuſcari Baſilicam, nempè ædificia, quibus forum Romanum olim ornatum fuerat, & in quibus judicia exerceri conſueverant, ſicut ex verbis Fabr. *lib. 12.* & Plinii Junioris *in epiſt.* aſſerunt Othomanus *in com. verſ. ſicut*, & *v. Baſilica*, & Prateus *in lexicon. eod. v.* multò fortiùs cenſetur prohibita appoſitio marmoris cum perenni inſcriptione ad infamiam nominatorum in ea. Præterea cùm in muris, & rebus publicis prohibitum ſit omne opus, etiam cum licentia Præſidis, qui auditus ſuper hoc, debet Principem conſulere juxta reſcriptum Imperatoris, relatum *in leg. de operib. 6. ff. de oper. publ.* Utique dicta temeritas augetur in tali opere faciendo, etiam inconſulto Magiſtratu Civitatis.

Neque ex eo, quod Ulpianus dixerit *in l. ſi quis ff.* 12
de juriſdict. omn. Jud. judicium quingentorum aureorum dari in corrumpentem dolo malo, quod eſt propoſitum in albo, quam ſummam alii cum Gloſſa legunt quinquaginta, eorumque lectionem ſequuti ſunt Bartol. *ibi in princip.* & Duaren. *diſp. anniv. lib. 1. cap. 48. ſub fin. & in l. 1. & 2. ff. de alb. ſcrib.* ſupponatur nomina Decurionum ſcribi in albo Univerſitatis, non ſit puniendus ultra dictam ſummam ducatorum quinquaginta. Nam, prætermiſſo quod dicta fuit poſtmodum immutata in pœnam falſi, ut dicitur *in leg. hodie 32. ff. ad l. Cornel. de falſ.* ibi: *Hodie, qui edicta propoſita dolo malo corrumpunt falſi pœna plectuntur.* Idque etiam animadvertit Gloſſa *d. l. ſi quis v. quingentorum.* Reſpondetur, non agi de pœna corrumpentis album, ſed de pœna

gravis

gravis injuriæ, dupliciter illatæ cum qualitate aggravante. Primò quidem, removendo homines ab Univerſitate ſine rationabili cauſa, cum talis nequeat dici ob litem forſan, vel ob inimicitias contra caſſantes motam, & conceptas. Quod per ſe aliud crimen gravius implicati, nempè uſurpationem juriſdicendi ſub ſpecie Magiſtratus ad propriam ultionem prohibitam, *lege Julia majeſtas in leg. 3. ff. ad l. Jul. majeſtat. prope fin.* ibi: *Quive privatus pro poteſtate, magiſtratuum quid ſciens dolo malo geſſerit*, ac de vi publica *in l. qui dolo malef. 10. ff. ad l. Jul. de vi publ. ſub init.* ibi, *vel is, qui poteſtatem, imperiumve habebit, quam ei jus erit, decernat, imperet, faciat*, ſubaudiendo Gloſſa *v. Quam dictionem aliter*, ut ſenſus ſit quod habens poteſtatem teneatur *dict. l. Julia*, ſi aliter decreverit, imperaverit, aut fecerit quam ei liceret ex poteſtate ſibi conceſſa. Eoque minus quia propria authoritate nemo poteſt ultionem ſumere, *leg. nullus 13. C. de Jud.* ibi: *Idcircò tamen judiciorum rigori, Juriſque publici tutela videtur in medio conſtituta, ne quiſquam ſibi permittere valeat ultionem.* Quod procedit etiam in gerentibus Magiſtratum, quibus multò minus licet ſub fiducia Magiſtratus aliquid injuriosè facere, quod privatis non liceret *d. l. nec Magiſtratibus 32.* ubi Angel. *ff. de Judic.*

13 Secundò in memoriam dictæ amotionis in marmore inſculptam affigendo, illam muris plateæ, vel ſodalitii, adverſus bonos mores Civitatis, modo ſcilicet prorſus inſueto, cui inhæret alia legum offenſio tàm dictæ *leg. de oper. ff. de operib. publ.* faciendo opus in muro publico, non adito Præſide, nec Principe deſuper conſulto, quàm *leg. Baſilicam Codice eod.* in illius offuſcatione, quæ debet in perpetuum manere libera ab omni affixione.

14 Quæ duplicitas gravis injuriæ cauſa prædictis aggravantibus majorem pœnam exigit monente Bald. *in §. pœna num. 1. inſtit. de injur.* qualitatem injuriarum conſiderandam eſſe, ut injuriarum pœna quis puniatur.

15 Neque verum eſt, quod delinquens propter mandatum alterius excuſetur. Contrarium enim evincitur per textum loquentem de injuriis *in leg. non ideo 5. Cod. de accuſat.* ibi: *Non ideò minus crimine, ſive atrocium injuriarum judicio tenetur is, qui injuſtam accuſationem indicit, quia dicit alium ſe hujuſmodi facti mandatorem habuiſſe*, namque hoc caſu præter principalem, nempè mandatarium, injuriam inferentem, juxta expoſitionem Gloſſæ, reum mandatorem quoque ex ſua perſona conveniri poſſe, ignotum non eſt. Unde Gloſſa *d. v. Ignotum non eſt* ſic infert, uterque ergo tenetur plura in id Jura referendo. Hinc inveniens libellum famoſum ab alio compoſitum, ſi ipſum publicet, tenetur eodem crimine, & ſubjacet eidem pœnæ juxta *l. lex Cornelia §. ſi quis librum, & ſeq. ff. de famoſ. libell. & leg. un. Cod. eod.* & notat Menoch. *lib. 2. de arb. caſ. 263. n. 38.* Schneidewin. *§. Injuria autem inſt. de injur.* Harprecht. *ibid. n. 169.* Ghilanſen. *de injur. & famoſ. libel. §. 12. num. 6.*

16 Illud verò, quod mandatarius in corruptione albi non puniatur, ſi id fecerit ſine dolo, quod ſibi dolo mandatum fuerat *dict. leg. ſi quis verſ. ſi alius* Gloſſa *verſ. qui mandavit*, quam notabilem dicit ibi Bald. *numer. 6. in fin.* pariter evaneſcit. Quia in mandantibus dolus fuit ab initio præmeditando, & deliberando dictam memoriam ponere, ſi amotionem obtinuiſſent ab univerſitate, & continuaverint uſque in finem. Accedit quod ſumus in facto illicito, in quo regulariter dicitur adeſſe dolus verus, & propterea non requiri aliam probationem veri doli, quando ſumus in prohibitis, & illicitis ex Angelo, Alexandro, Felino, Cravetta, & Riminaldo, firmat Eugenius *conſil. 51. num. 45. lib. 2.*

17 Inſuper clari juris eſt, quod ubi quis per ſcripturam, a populo videndam, alicujus famæ, & honori præjudicium infert, libellum famoſum conficere dicatur, ut per Farin. *conſ. 30. num. 23.* Eoque maximè, quando agitur de ſcriptura non ita facilè peritura, & re marmorea perpetuò a populo videnda, quo caſu certum eſt, quod famoſi libelli nomen mereatur, cum libellus famoſus nil aliud ſit, quàm injuria per ſcripturam illata, ex Farinac. *d. conſ. 30. num. 101.* Vermigl. *conſil. 186. num. 4. & 18. & conſil. 193. num. 1.*

18 Porrò nota eſt Sanctio *d. leg. un. C. de famoſ. libell.* qua diſpoſitum eſt, quod ille, qui libellum famoſum componit, plectendus ſit capite. Ubi etiam habetur, quod qui propalat libellum famoſum, debeat haberi pro authore, & puniri ſicut author, donec eum nominet, a quo habeat. Nec qui author non eſt libelli famoſi, ſi eum indicet, a quo habeat, impunis eſt, ſcilicet ipſe ſit prolator. Ex quo enim ipſe propalavit libellum famoſum, videtur puniendus eſſe etiamſi ipſe non fecit, illeque pro propalatore habendus eſt, qui libellum famoſum nondum propalatum, divulgavit, hoc enim importat naturam verbi, ut per Salicet. *in dict. leg. un. in fin. C. de famoſ. libell.* ergo qui ab alio propalatum emit, non tenetur, quia neque author eſt, neque propalator. Unde cum quidam negotiator ab alio negotiatore publicis nundinis emiſſet ſcriptum, quod pro famoſo libello habebatur, iterumque vendidiſſet, pronunciatum fuit apud Coler. *deciſ. 154.* hunc non teneri per modo dicta, & quod illum nocendi effectum, de quo eſt *in d. un.* ipſius factum non haberet *arg. l. item Mela §. Celſus ff. ad l. Aquil.* debent autem verba cum effectu accipi, ut habetur *in leg. 1. §. hæc autem ff. quod quiſque jur. l. penult. §. docere ff. ne quis eum, qui in jus* cum ſimilibus. Unde non apparet in eo dolus, qui tamen neceſſarius eſt in omni crimine adeout nec lata culpa ſufficiat *l. in leg. Cornelia ff. ad leg. Cornel. de ſicar.* Aliundè ergo de dolo conſtare oportet, quam ex ſola emptione, & venditione *arg. l. dolum 6. Cod. de dol.* & cum ſit negotiator librorum, poterit eſſe, quod ignoret contenta ſcripti, ut qui præ multitudine librorum non curant legere eos, ſed tantùm vendere, lucro inhiantes. Ex quo præſumuntur non tàm nocendi, quàm lucrandi gratia eos emere, & vendere juxta conditionem ſuam, *leg. vel univerſorum*, ubi Gloſſ. *ff. de pignorat. act.* Unde non tàm famoſi libelli nomine, quàm cupiditatis lucri arguendus eſſet, *arg. l. Verum eſt l. 2. ff. de fur.* Voluntas enim, & propoſitum diſtinguit maleficia *l. divus ff. ad l. Cornel. de ſicar.* & habens animum delinquendi, etiam ſi dat operam rei illicitæ, non debet tamen puniri ultra menſuram animi, Jaſ. *in l. Cunctos populos num. 69. C. de ſum. Trinit. in 2. lect.*

Ad hanc autem materiam vide Decian. *in tract. crimin. lib. 2. cap. 29. num. 2. & lib. 3. cap. 25. num. 53.* Beuſt. *in leg. nam poſtea 9. §. ſi damnetur 2. numer. 12. ff. de jurejur.* ubi eos, qui libellum famoſum non ipſi fecerunt, ſed tamen excuderunt, & evulgarunt, non putat afficiendos eadem pœna cum authore, ſed arbitraria, velut amiſſione librorum famoſorum, & juris exercendi libros, vel alia pœna. Eſt autem famoſus Libellus, in quo crimen alteri objicitur ad periculum diffamato inde creandum, occultè propoſitus. Vveſembec. *conſ. 22. num. 5.* Decian. *conſ. 34. num. 19. lib. 4.* de quo plura videre licèt apud Cujac. *in paratit. C. de famoſ. libel.* & Menoch. *de arb. lib. 2. cent. 3. caſ. 263. numer. 41.* & Petrum Heig. *lib. 2. quæſt. 31.* cui tamen quod etiam nomine authoris, locoque evulgationis expreſſo, libellum famoſum conſtare arbitratur, vix idem Curt. *loc. cit.* aſſentitur. Nam definitioni ineſt occultatio, ut ſupra ex Deciano. Neque obſtat *l. ex Cornelia 5. §. ſi quis librum cum l. ſeq. ff. de jurejur.* Quia illic non tractatur de pœnis libelli famoſi, ſed tantùm de aliis pœnis injuriarum, neque ibi de definitione libelli famoſi agitur.

Reus verò libelli famoſi ſequuta ſententia condemnatoria efficitur de jure infamis, *l. ob carmen, ff. de teſtib. cap. ſi teſtes 4. qu. 3.* ex quibus juribus etiam habes, hanc eſſe duriorem infamiam, quia reddit inteſtabilem activè, & paſſivè, Majol. *lib. 3. cap. 1. num. 15.* Eritque conſequenter irregularis taliter condemnatus ob infamiam juris, Molin. *tom. 1. diſp. 137. §. damnatus ob libellum*, Majol. *loc. cit.* Notandumque quod hæc pœna ordinaria libelli famoſi a B. Pio V. Bulla 147. quæ incipit, *Romani Pontificis* extenſa eſt ad varios caſus, de quibus ibi, & declarantur a Farin. *conſil. crim. 145.* inter quos eſt, ut contineantur non ſolùm componentes, dictantes, ſcribentes, ſed etiam retinentes.

Et licèt hodie nulla ſit regulariter pœna excommunicationis latæ ſententiæ contra delinquentes hujuſmodi, ut per Menoch. *de arb. caſ. 263. num. 34. & 35.* Filliuc. *tract. 40. num. 81.* Bonac. *de cenſur. par. diſp. 2. quæſt. 3. par. 36. num. 8.* & patet ex *cap. ſi quis 5. qu. 1.* ibique Archid. & alii Canoniſtæ, nam *cap. quidem maligni 5. quæſt.* non fuit conſtitutio, ſed edictum in caſu particulari, tamen extat excommunicatio latæ ſententiæ contra eos, qui libellos famoſos, vel cantilenas, aut rithmos edere, vel retinere, vel publicare præſumunt in infamiam ſtatus Ordinis Prædicatorum vel Minorum, & non poſſunt abſolvi, niſi Sedi Apoſtolicæ perſonaliter ſe præſentent ex Bulla Alexandri IV. incipiente *ex alto*, Cajet. *verſ. excom. cap. 81. §. 3.* Sylv. *excomm. 8. §. 48.* & Sayr. *clav. Reg. lib. 12. cap. 4. num. 9.* Quod ampliatur, ut procedat, etiam in favorem aliorum Regularium, habentium communicationem privilegiorum cum prædictis Sayr. *ibid.* Filliuc. *tr. 15. n. 126.* Bonac. *de reſtit. diſp. 2. q. 4. pun. 9. num. 9.* Et limitatur quod non procedat contra cantilenas, decantantes, aut aliter detrahentes, ſed ſolùm loquitur Bulla de libellis, ſeu ſcripturis, ut per Bonacin. *ibid. num. 9. in fin.* cum Graſſio.

Neque

Neque de libellis editis contra aliquem religioſum particularem, ſed ſolùm contra ipſum Ordinem in communi, Sayr. *loc. cit.* cum Salonio, & Medina.

CONSULTATIO CXIX.

An, & quatenus Tertiarii ac Tertiariæ S. Franciſci, fratres, ac ſorores de Pœnitentia S. Dominici, Mantellati, ac Pizocheri fratrum Eremitarum, aliive ſimiles gaudeant privilegio Canonis, & fori? Ubi nonnulla de Novitiis, Converſis, Oblatis, aliiſque generis hujuſmodi diſſeruntur, ac demum quæ ſint perſonæ Eccleſiaſticæ brevibus declaratur.

1 GAudere privilegio fori, atque eſſe perſonas Eccleſiaſticas, affirmant Sylveſter. *in ſum. verſ. Eccleſia* 1. §. 7. Alterius *in Bull. Cœn. cap.* 1. *dub.* 4. & Duard. *ibid. quæſt.* 3. *num.* 3. Nam ſecundum aliquas Gloſſas, & Doctores fruuntur iſti privilegio Canonis. Optimum autem videtur argumentum ab uno ad aliud, ut communiter ſentiunt Delbene *de immun. cap.* 1. *ſect.* 8. *ſubſect.* 3. *in fin. & dub.* 9. *num.* 7. Diana *par.* 6. *tract.* 8. *reſol.* 7. Marchin. *in reſol. pro Ordinib. milit. art.* 6. *num.* 58. & præcipuè Suarez *lib.* 4. *defenſ. fid. cap.* 29. *nu.* 7. reddens rationem, quia qui defenditur a privata injuria per privilegium Canonis, multò magis defendi decet a publica poteſtate, cùm ſanctitas, & conſecratio perſonæ, quæ donatur privilegio Canonis, ſit fundamentum, ut multò magis donetur privilegio fori. Tum ex eo, quod ad conſtituendam perſonam Eccleſiaſticam non eſt in rigore neceſſaria Religio, ut ait Alterius, ſed ſufficit reductio quædam ad ſtatum religioſum, & participatio illius cum dedicatione facta Deo *ex cap. quiſquis* 17. *qu.* 4. ubi tanquam in rem ſacram dicitur committi ſacrilegium ab irrogantibus injuriam Clericis, vel Monachis, ſive Deo devotis, omnibuſque Eccleſiaſticis perſonis, ſicuti ſunt Clerici, & Monachi, & par eſt modus loquendi *can. duo ſunt* 12. *quæſt.* 1. Tum ex eo, quod iſti ſunt de ordine, ac modo vivendi approbato a Summis Pontificibus *in clem.* 1. juncta Gloſſa *de relig. domib.* & Gloſ. *in Clem. cum ex eo, de ſentent. excomm.* & promittunt obedientiam, ut inquit Gloſſa *in d. Clem.* 1. *verſ. obedientiam*. Ergo iſti ſunt in aliquo ſenſu, non improprio, Religioſi. Tum denique quod ſicut dicuntur perſonæ Eccleſiaſticæ Converſi, & Novitii, ita potiori jure hi dici debent, cum Novitius eo inferior videatur, quo nullam profeſſus eſt ſtabilitatem, & obedientiam.

Unde eſſe perſonas Eccleſiaſticas, & gaudere privilegio fori Fratres, & Sorores de pœnitentia, ſeu Tertii Ordinis, & milites S. Mariæ, qui dicuntur Fratres Gaudentes ait Bartol. *in leg.* 1. *in fin. ff. de pœn.* & fuſius *in leg. ſemper §.* 1. *numer.* 1. *ff. de jur. immun.* ubi teſtatur, ita conſuluiſſe multos Advocatos Curiæ, & conſentiunt Butr. *in cap. nullus de for. comp. numer.* 6. ibique Alex. de Nevo *num.* 31. Paul. *in Clem. cum ex eo de ſent. excommun.* & alii apud Aufrer. *de poteſt. ſæcul. num.* 2. *reg. num.* 39. facitque Gloſs 3. *in dict. Clem. cum ex eo*, ubi refert ejuſmodi Ordinem de pœnitentia, ſive Tertium Ordinem fuiſſe approbatum a Nicolao Papa. Quod patet ex Conſtitutione Nicolai IV. quæ incipit, *ſupra montem*, in Bullario *tom.* 1. *& in extr.* Sixti IV. *incip. Sancta Romana.*

Alii contrarium, hoc eſt Fratres Tertii Ordinis non eſſe de foro Eccleſiæ, ut Calderin. *conſ.* 7. *de foro comp.* Feder. de Sen. *conſ.* 150. Cardin. *conſ.* 13. Abb. *conſ.* 31. *lib.* 1. *& in* 1. *cap. nullus de for. comp. num.* 11. Quia tales, licèt habeant modum vivendi a Sede Apoſtolica approbatum, non tamen ſunt verè Religioſi, cùm non profiteantur tria ſubſtantialia Regulæ, nec ſunt Clerici, neque uxores dimittunt. Et hanc ſententiam profitetur eſſe veriorem, Aufrer. *loc. cit.* Quare cum ipſi magis accedant ad ſtatum laicalem, quam ad Eccleſiaſticum, debent cenſeri laici: quia mixtum debet judicari ſecundùm illud ſimplex, in quo magis incaleſcit, ut *l. quæritur ff. de ſtat. hom. & cap. ſi teſtes §. hermaphroditus* 4. *quæſt.* 3. *ac text. in can. duo ſunt* 12. *quæſt.* 1. & ita ſervatur Peruſii ubi Fratres Tertii Ordinis ſolvunt collectas, & conveniuntur coram Judice ſæculari, ut de ſuo tempore teſtatur Bart. *in dict. leg. ſemper ff. de jur. immun.*

2 Quare tenendum videtur Tertiarios, & Tertiarias, &c. ac alios ſuperius nominatos, qui non ſunt ſolemniter profeſſi cum tribus votis ſubſtantialibus in Congregatione viventes, ſed extra Congregationem vivunt domi ſuæ, licèt deferant habitum, & ſervent Regulam, non gaudere privilegio Canonis, neque fori, ita B. Pius V. conſtitutione ſua 63. incip. *ea eſt officii noſtri* ſub anno 1568. Gregorius XIII. *conſtit.* 35. *incip. ex benignæ ſub anno* 1575. Rota ex Navarro *cap.* 27. *num.* 79. Filliuc. *q.* 4. *n.* 14. Suarez *de cenſur. diſp.* 22. *ſect.* 1. *n.* 20. Alter. *diſp.* 16. *quæſt.* 4. Carol. de Graff. *de eff. Cler. eff.* 1. *num.* 92. Adnot. ad Sorb. *in comp. privil. Reg. v. fratres, & ſorores*, quidquid ibi dicat Corduba, & declaravit Sacra Congregatio ſuper Epiſcopis, & Regularibus in Anagnina 4. Julii 1594. Quidquid etiam dicat Dian. *par.* 1. *tr. de immun. Eccleſ. reſol.* 4. *& par.* 4. *tract.* 1. *reſol.* 31. Neque dicuntur perſonæ Eccleſiaſticæ, quia ſtatus ille non eſt propriè religioſus, Bonacina *tom.* 3. *diſp.* 1. *quæſt.* 16. *ſect.* 1. *punct.* 3. *num.* 17. Quandoquidem in tantum eſſent Deo dicati, in quantum deferunt habitum religionis, & vivunt ſub regularibus obſervantiis, ex hoc autem id non colligitur, eſſe Deo dicatos, qui habent ſolùm ſpeciem habitus, & ſtatus Religioſi, non autem ſubſtantiam. Undè de iis dixit Bald. *in leg. Officialis in fin. Codice de Epiſc. & Cler.* quòd ſcilicet eorum habitus habet accidentia ſine ſubjecto, quia nimirum materialiter habent habitum, & non religioſo modo, hoc eſt cum deputatione, & acceptatione ad communicandum in habitu Religionis. Quod ſi gregatim vivant, & adſtricti Ordini permanent, aliaque ſervent, quæ illis in privilegiis Summorum Pontificum præſcribuntur, gaudent ex prædictis privilegiis exemptione fori, quæ privilegia plus, minuſve injungunt, & communicant, & ideò attendenda ſunt. De jure autem communi non gaudere, tenet Gloſſa *in dict. Clem. Cum ex eo de ſent. excomm.* Abb. *in cap. cauſam, quæ num.* 2. *de jud.* idem, & Calderinus, ac Federicus de Senis apud Sylveſtrum *loco citato*, Cajetan. *in ſum. dict. v. Eccleſia quæſt.* 1.

At verò hodie non eſt amplius de hac re diſputandum, cùm iſta controverſia deciſa ſit in Concilio Laterenenſi ultimo *ſeſſ.* 11. *in fin. tom.* 4. *Concil. par.* 3. *in Conſtit. Leonis X.* ut in decreto S. Congregationis Concilii tenoris ſequentis: *S. Congregatio cenſuit Tertiarios Mantellatos, Corrigiatos, alioſque ſimiles ita demum Ordinis cujus tertiæ Regulæ habitum aſſumpſerunt privilegiis potiri, & ab Ordinarii juriſdictione exemptos eſſe, ſi viri collegialiter vivant, ſeu cum clauſtralibus habitent, & mulieres virginalem, ſeu cœlibem, aut caſtam vidualem expreſſo voto, & ſub dicto habitu vitam traduxerint, quemadmodum cavetur Conſtitutione Concilii Lateranenſis ſub Leone X. quæ habetur ſeſſ.* 11. *in fine. Hoc autem voto mulierum alia duo, ſcilicet paupertatis, & obedientiæ nequaquam includi. Quinimmò hujuſmodi mulieres ſi vitam virginalem, aut cœlibem ſimpliciter, expreſſèque voverint, etiam in conſanguineorum, & affinium ſuorum, aut propriis domibus, vel ſeorſim habitantes ſupradictis privilegiis Ordinis, cujus Regulæ habitum deferunt, exemptionemque ab Ordinarii juriſdictione frui debere, quemadmodum idem Leo poſtea declaravit die prima Martii* 1518. *Conſtitutionem autem Pii V. qua Sorores Tertii Ordinis ad perpetuam clauſuram obſtringuntur, ut fortè loquentem de his, quæ in communi, & in Congregatione vivunt, ad ſupradictas Sorores in Conſanguineorum, vel propriis domibus habitantes, votumque unicum expreſſum virginalis, aut cœlibis, vel caſtæ vidualis vitæ emittentes, de quibus cavetur in dicto Concilio Lateranenſi, nihil pertinere, & propterea quoad illas dictam Conſtitutionem, nec Concilium Lateranenſe correxiſſe, aut immutaſſe, nec quicquam novi juris induxiſſe.*

Et aliàs cenſuit, Tertiarias domi ſuæ, vel ſuorum Conſanguineorum habitantes, & habitum Religionis geſtantes, nulla exemptione potiri, niſi emiſerint expreſſum votum caſtitatis, vel cœlibatus juxta decretum Concilii Lateranenſis ſub Leone X. *ſeſſ.* 11. Cæterùm etiamſi id votum emiſerint, ſi tamen Ordinarii, vel Parochi jus illi adminiſtrandi Sacramenta etiam tempore Paſchatis, vel aliàs in eis juriſdictionem acquiſiverint, non poſſe ipſas de cætero adverſus Ordinarios, vel Parochos exemptione uti, ſed obſervandam eſſe conſuetudinem.

Et cùm in S. Congregatione Concilii quæreretur, an Tertiarii S. Franciſci, & hujuſmodi uxorati tamen, & extra clauſtra, ut alii ſæculares in propriis ædibus, & de ſuis artificiis viventes, gaudeant privilegio fori Eccleſiaſtici, ac poſſint ad ſervitia Baronalia, & univerſitatis onera ſuſtinenda compelli? Sacra Congregatio in Lucerina reſpondit, hujuſmodi viros Tertiarios in Congregatione non viventes, privilegiis Ordinis, cujus habitum geſtant, non potiri, quemadmodum diſertè cavetur decreto Generalis Concilii Lateranenſis. Sed ſi ex conſuetudine aliquid juris in hoc acquiſiverint, conſuetudinem eſſe ſervandam. Cùmque exponeretur in S. Congregatione Immunitatis, quòd Orinthia Diamantes inſtaret in Signatura Juſtitiæ pro remiſſione cujuſdam cauſæ primæ inſtantiæ ad Vicarium Interamnæ, ex quo uti Tertiaria

tiaria Ordinis S. Franciſci non poterat conveniri coram Judice laico, placuit Dominis remittere articulum huic Sac. Congregationi, a qua propterea humiliter petitur declarari, an ipſa Orinthia, tanquam Tertiaria Ordinis S. Franciſci, quæ ultimo loco profeſſionem emiſit vitam virginalem, & obedientiam vovit, & in habitu incedit, gaudeat privilegio fori. Die 10. Novembris 1638. Sac. Cong. Em. Card. controverſiis juriſdictionalibus præpoſitorum inhærendo declarationibus Sac. Congregationis Em. Patrum Concilii Tridentini Interpretum, cenſuit, Orinthiam Diamantem oratricem frui debere privilegio fori, ſi, ut ſupponitur habitum tertiæ Regulæ S. Franciſci aſſumpſerit, & virginalem, ſeu cœlibem, aut caſtam vidualem expreſſo voto, vitam egerit, & ſi in propriis, vel conſanguineorum, ſeu affinium domibus habitet, & dictum habitum ſuſceperit, & votum emiſerit poſt litem motam.

3 Cæterùm non eſt idem gaudere privilegiis Eccleſiaſticis, & eſſe perſonam Eccleſiaſticam. Poteſt namque eſſe, quòd privilegium exemptionis fori, & Canonis, Eccleſiaſticis de jure competens, ſpeciali privilegio, vel alia de cauſa alicui communicatum reperiatur, qui tamen ob id non ſit propriè dicendus perſona Eccleſiaſtica. Unde hoc ſtante, quòd aliqui vel non admittunt, vel non adverterunt, non omnes, qui quomodocunque privilegio fori gaudent, videntur cenſendi ſub protectione *can.* 15. *Bullæ Cœnæ* comprehenſi. Similiter è contra non omnes perſonæ Eccleſiaſticæ gaudent exemptione a foro laico. Poteſt enim eſſe, quod quis aliqua de cauſa, puta criminis, eo expolietur, qui tamen non deſinat eſſe propriè perſona Eccleſiaſtica. Ita è contra plures gaudent privilegio fori, qui non gaudent privilegio Canonis. Uxores enim Equitum D. Jacobi, Alcantaræ, Calatravæ & ſimilium gaudent privilegio fori, ut tradit Diana *par. 6. tr. 8. reſ. 6.* & tamen quis dicat, quòd gaudeant privilegiis Canonis? Familia laica Nuncii gaudet ſimiliter privilegio fori, ut ipſe Diana tradit *d. par. 6. tr. 2. per tot.* non tamen gaudet privilegio Canonis, cùm nullo pacto ſub nomine Clerici comprehendi poſſit. Uxores item Clericorum conjugatorum gaudent hujuſmodi privilegio, ut ipſe Diana docet cum pluribus *p. 3. tr. 1. reſol. 45.* & *par. 4. tr. 1. reſol. 41.* non tamen gaudere poſſunt privilegio Canonis. Item filii Clericorum legitimi, ut cum pluribus docet *par. 3. tr. 1. reſ. 7.* Famuli quoque Clericorum, ut cum pleriſque etiam tradit eadem *part. 3. reſ. 47.* Et tamen nullus ex his gaudet privilegio Canonis. Hinc Dianæ hallucinatio detegitur qui *p. 6. tr. 8. reſ. 7.* privilegium fori a privilegio Canonis non diſtinxit.

4 Quare illationem illam, gaudet quiſpiam privilegio fori, ergo eſt perſona Eccleſiaſtica, non admittimus, negamuſque aſſumptum, & ad primam probationem illius, etſi demus prædictos gaudere privilegio Canonis, quod tamen valdè controverſum eſt, negamus privilegium fori cum illo eſſe conjunctum. Siquidem privilegium fori majus eſt, & in praxi difficiliùs participatur, & facilè ſeparatur a privilegio Canonis, ut conſtat in Clerico in minoribus conſtituto, qui non habet requiſita S. Concilii Trid. *ſeſſ. 23. cap. 6. de reform.* & in Clerico conjugato. Hi enim non gaudent generaliter privilegio fori, cùm tamen gaudeant privilegio Canonis. Ratio autem eſt, quia in læſione ſemper intervenit injuria, ſed ſubjectio juriſdictioni, ac Tribunalibus, Juſtitiæque laicorum, ut ſic, non eſt injurioſa, ſed tantùm reſpectivè ad perſonas ſubjectas, & dum Clericus protegitur anathemate a privata injuria, nulli præjudicium infertur, ſicuti dum eximitur a jure laicorum Principum.

5 Ad ſecundam probationem ſimiliter negatur aſſumptum, & ad *Can. quiſquis* dicimus, ibi per Deo devotos debere intelligi Novitios, aut veros Oblatos, ſeu Converſos. Et ſanè quoad Novitios, etiam ante profeſſionem comprehendi illos ſub perſonis Eccleſiaſticis, tradunt Sylveſtr. *in ſumm. d. v. Eccleſia* 1. §. *Tertium igitur*, Navar. *conſ. 5. de for. comp.* Suarez *cit. lib. 4. cap. 29. num. 5.* Alter. *ubi ſupra cap. 1. col. 1. in fin.* Duard. *in Bull. Cœn. qu. 3. num. 2.* Reginald. *ibid. numer. 353.* ac Bonac. *punct. 3. num. 10.* Quod intelligendum eſt non ſolùm, quòd participent privilegia Eccleſiaſtica fori, & Canonis, non minus ac profeſſi, ut indubitatum eſt, ſed etiam quòd formaliter dicendi ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ, quo nomine eos appellant plerique Doctorum, tametſi hoc habere poſſit aliquam difficultatem. Nam licèt in favorabilibus Novitius veniat appellatione Monachi, ac proinde ex hoc capite dici poſſit perſona Eccleſiaſtica, tamen dictus *can.* 15. Bullæ Cœnæ, ut pœnalis accipiendus eſt, & ut odioſus. In odioſis autem ſtrictior interpretatio attenditur. At ſtrictè loquendo non videtur Novitius perſona Eccleſiaſtica, quia non eſt ſtrictè Religioſus, & Monachus, ut habetur *ex cap. Religioſo, §. Quamvis de ſent. excom. in 6.* Ubi tanquam ex privilegio donatur diſpoſitione *can. ſi quis ſua cute* 17. *qu.* 4. quamvis Religioſus cenſeri cum effectu non poſſit, ut loquitur textus, ac docet Bald. *in leg. illa Cod. ne ſacrum baptiſma iteretur*, Imol. & Angel. *in l. quoties, ff. de verb. obhig.* Caſtr. *in l. ſi idem, ff. de juriſd. omn. Jud.* Roman. & Bald. *in l. non ſolùm ſub init.* & *in §. Annus, ff. de excuſ. tut.* Et patet, quia non tenetur ad regulam, niſi inſtar aliorum Chriſtianorum, ut ait Sylveſt. *verſ. Religio* 5. §. *ſexto*, Angel. *eod. v. num.* 18. Unde revera non eſt Religionis membrum, quia non eſt per profeſſionem permanenter incorporatus ex Sayr. *lib. 7. theſaur. cap. 13. num. 6.*

At verò Novitium eſſe propriè Eccleſiaſticam perſo- 6
nam, tenet Gloſſa *in d. cap. Religioſo §. Quamvis*. Fit enim Eccleſiaſticus per converſionem ipſam ad Religionem cum ſuſceptione habitus ſacri, & dedicatione ſui ipſius ad Dei obſequium permanenter ſub obedientia. Quamobrem, admiſſo etiam, non eſſe Religioſum, non ſequitur, non eſſe perſonam Eccleſiaſticam. Minus enim requiritur ad hoc, quàm ad illud, ſeu potiùs dicamus non eſſe in rigore Religioſum, quatenus Religioſus a relegatione dicitur is, qui per tria vota indiſſolubiliter, & perpetuò ligatur. Si tamen Religioſus dicatur ex ſtatu, & profeſſione Religionis, iſte non poteſt dici Religioſus, & Monachus utpotè in monachatu vivens, & quamvis ſit tantùm in via, reputatur tamen pro perſona Eccleſiaſtica, & conſtituta in ſtatu Eccleſiaſtico, juxta ea, quæ tradunt Dec. *conſ. 35. num. 3.* Angel. *in l. 1. ff. de pœn.* Anchar. *conſ. 96. num. 7.* Jaſ. *in Auth. Si qua mulier circa fin.* Frideric. de Sen. *conſ. 32. num. 9.* Gemin. *in d. cap. Religioſo*, ubi & cæteri Canoniſtæ, Decian. *ad cap. in præſentia num. 186. de probat.* Franc. *in cap. Beneficia de reg. jur. in 6.* Spin. *in ſpec. teſtam. gloſ. 12. num. 59.* Tiraquell. *de retr. conſanguin. §. 1. gloſ. 8. num. 2.* alios citans, Decian. *tract. crimin. cap. 9. num. 24. lib. 4. tom. 1.* Guttier. *quæſt. can. cap. 1. num. 107. lib. 2.* Martha alios adducens *de juriſdict. p. 4. caſ. 121. num. 24.* Farinac. cum aliis *in pr. crim. quæſt. 8. num. 46. ampl. 16.* Rodriq. *quæſt. regul. 2. art. 10. tom. 2.* Cavalcan. *deciſ. 10. num. 537. part. 5.* Molin. *de Juſt. & jur. tom. 1. diſp. 139. verſ. Novitii*, Maſtrill. *deciſ. 190. num. 167.* Ceval. *de cognit. per viam viol. quæſt. 104.* Cened. *quæſt. pract. 6. num. 13.* Zech. *de Republ. Eccleſ. tit. de regul. cap. 3. num. 9.* Bertachin. *de gabel. part. 8. num 56.* Sanchez. *in ſumm. lib. 6. cap. 10.* Sarmient. *ſelect. interpr. cap. 5. num. 9. lib. 1.* Bobadil. *in polit. lib. 2. cap. 19. num. 17.* Navar. *d. conſ. 5. de for. compet. lib. 2. tom. 1.* Roderic. Suar. *alleg. 20. num. 29.* & alii communiter. Nec refragatur, quòd poſſit redire ad ſæculum. Poteſt enim & Clericus in minoribus redire ad ſtatum laicalem, & tamen quandiu in ſtatu clericali vivit, cenſetur perſona Eccleſiaſtica. Unde quando aſſerunt Doctores Novitium, non eſſe Religioſum cum effectu, loquuntur in ordine ad diverſos actus, quorum facultas non eſt ablata a Novitio, puta teſtandi, contrahendi &c. quæ tamen aufertur per profeſſionem. Et falſum eſt, non teneri ad regulam magis, quàm alii Chriſtiani. Quia, etſi ad particularia præcepta non obligetur ſub peccato, ſicuti obligantur profeſſi, generaliter tamen, ſicuti tenetur ingredi cum animo permanendi, & profitendi, ita tenetur vivere juxta Regulam, in cujus experimento verſatur. Tandem aliquo modo Novitius eſt pars, & membrum Religionis, etiamſi ſit ſeparabilis. Unde ex receptiſſimo uſu immunes eſſe ab onere quoad perſonas, & quoad bona, docent Molin. *de juſt. & jur. tract. 2. diſp. 671. numer. 2* Sanchez *in ſum. tom. 2. lib. 6. cap. 10. num. 16.* Turrian. *in 2. 2. tom. 2. diſp. 44. dub. 4. num. 12.* Malder. item *in 2. 2. tract. 2. cap. 6. dub. 8.* Trulench. *in decal. tom. 2. lib. 7. cap. 12. dub. 5. numer. 26.* Barboſa *in collect. tom. 1. lib. 3. tit. 49. cap. 7. num. 11.* Dian. *part. 1. tract. 2. reſolut. 37.* Fauſt. *in ſpecul. diſp. 33. quæſt. 14. num. 2.* Graſſ. *de effect. cler. effect. 3. num. 131.* poſt Bartolum, Abbatem, Ripam, & alios, Berthachinus *tract. de gabel. part. 7. num. 56.* Flores de Men. *lib. 2. quæſt. 21. §. 4. num. 198.* Delbene *de Immunit. c. 1. dub. 9. num. 3.* Quamvis contrarium ſentiant Tiraquell. *de retract. §. 1. gloſ. 8. num. 31.* & *ſeqq.* Gregor. Lopez *in leg. 7. v. ſi quando par. 1. tit. 7.* Cutell. *de Immun. lib. 2. qu. 38.* Parlador. *lib. 1. cap. 13. §. 1. num. 21.* & inclinare videtur uterque Rodriq. *in compend. v. Tributum*, & *tom. 3. quæſt. 74. art. 5.* Molfeſ. *in ſumm. tom. 2. tract. 12. c. 22. n. 162.* tenetque mordicùs Laſſarte *tract. de decim. vendit. cap. 19. num. 50.* qui ſententiam ſuam extendit etiam ad Religioſos Societatis Jeſu, ut, donec non emiſe-

mit

rint quatuor vota, tributis teneantur, ſed minus rectè, cum ii etiam ante quarti voti emiſſionem verè Religioſi ſint ex diplomate Gregorii XIII. quod etiam advertit Delbene *loco citato*.

7 Id, quòd etiam ex probabiliori ſententia extendi ad Novitios impuberes, ad Religionem admiſſos itaut eos gaudere privilegio immunitatis a vectigalibus, Canonis, & fori, cæteriſque aliis privilegiis Religioni conceſſis, aſſerunt Diana *par. 6. tract. 8. reſol. 7.* Sanchez *lib. 5. moral. cap. 4. num. 24.* Peregrin. *in conſtit. Theat. par. 2. capit. 5. lit. R. §. 6.* Bonacina *diſp. 2. de excomm. quæſt. 4. punct. 3. num. 7. & ſeqq.* Marchin. *in reſol. pro Ordin. milit. art. 6. num. 58.* Bordon. *in conſ. Regul. reſol. 28. num. 19.* ac Delbene *ſupra num. 5.* Ratio autem eſt, quia ſunt Deo dicati. Nam ſunt acceptati ad Religionem per legalem, & juridicam ſuſceptionem habitus regularis juxta morem, & præſcriptum Religionis, inſerviunt Eccleſiæ ſub obedientia ſui Prælati in ſtatu ex natura ſua ad hoc ordinato, ſuntque in via ad Religionem. Atque adeò, licèt non ſint propriè Novitii, quatenus non ſunt intra annum probationis, ſunt tamen cooptati ad communicandum in habitu Religioſo, & verè Deo dicati. Hinc etiam qui aſſumpto habitu religioſo adhibentur ad ſervitia, & obſequia monialium, & ad petendam eleemoſynam, gaudent ſaltem privilegio Canonis, ut docent Bonacina *loco allegato n. 10.* & Bordon. *dict. n. 19.*

8 Et quidem quoad privilegium fori certum puto. Quia pertinent ad perſonas exemptas, cùm ſint deſtinati ad habitum religioſum, & in via ad ipſum ſuſcipiendum, & tanquam in ſtatu præparationis, quæ præſertim juxta quarundam Religionum conſtitutiones neceſſariò præmitti debet, ac ſunt quid acceſſorium reſpectu Religionis, ſine quo Religio more conſueto conſervari non poteſt. Privilegium autem principalis trahitur etiam ad acceſſorium, ut a domino ad ſervum *cap. quanto de privil. & cap. licèt eod. tit. in 6.* quando ſcilicet perſona conſideratur tanquam res perſonæ privilegiatæ. Quod confirmatur, quia ſi Judices ſæculares, aut etiam Epiſcopi exercerent juriſdictionem in hos impuberes, inferrent gravamen Religioni, & turbarent ſtatum ipſius. Quæ quidem ratio ſufficit, ut privilegium fori perſonæ exemptæ extendatur etiam ad eas perſonas, in quas ſi exerceatur juriſdictio, turbatur ſtatus perſonæ exemptæ, & ipſi infertur gravamen, ut notant inter alios Grat. *diſcept. 340. numer. 4. & 5. tom. 2.* Menoch. *de arbitr. cent. ult. caſ. 562. num. 12.* Squillant. *de privileg. Cler. cap. 7. dub. 2. num. 57.* & Carol. de Graſſ. *de effect. cler. eff. 1. num. 150.*

9 Hoc ipſum cenſeo dicendum de privilegio Canonis. Quia, licèt hoc privilegium non extendatur ad res, atque adeò neque ad perſonas, quæ conſiderantur, tanquam res perſonæ privilegiatæ, eſt tamen merè perſonale, cùm ſit conceſſum intuitu qualitatis, & dignitatis perſonalis, quæ in eo conſiſtit, quòd perſona ſit Deo dicata, & proindè extenditur ad habentes talem dignitatem. Siquidem privilegium dignitatis, & perſonale eſt perſonarum habentium talem dignitatem. Undè Novitii non gaudent privilegio Canonis, niſi quia ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ, ut notant Gloſſ. *in d. cap. Religioſo v. non poſſit in fin. de ſent. excom. in 6.* Et licèt privilegium non poſſit extendi ad alios caſus, vel perſonas ob ſimilitudinem vel etiam ob majoritatem rationis, ut notant communiter Salas *de legib. diſp. 20. ſect. 11. numer. 110.* Suar. *cod. tract. lib. 8. cap. 28. num. 11.* Bonac. *diſp. 1. de legib. quæſt. 3. punct. 7. §. 1. num. 15. & §. 2. numer. 11. & 12.* Palaus *par. 1. oper. moral. tract. 3. de privil. diſp. 4. punct. 13. num. 1.* privilegium tamen Canonis, conceſſum Clericis, poteſt extendi ad eos, qui verè Deo dicati ſunt.

10 Converſi verò, atque Oblati, ut vocant, diſtinguuntur a Religioſis Clericis, non quòd propriè ſint laici. Hi autem ſi habitum ſuſcipiunt, & tria Religionis vota emittant, veri Religioſi ſunt, ac per conſequens perſonæ Eccleſiaſticæ, *arg. can. lex continentiæ 27. quæſt. 1. & cap. non dubium*, juncta Gloſſa *cap. Parochianos*, *& cap. ex tenore de ſent. excom.* Rodriq. *tom. 2. quæſt. regul. 23. art. 1. & tom. 3. quæſt. 78. art. 2.* Covar. *in cap. alma mater par. 2. §. 2. num. 8.* Sylveſter. *d. v. Eccleſia 1. qu. 5. §. Tertium igitur*, Duard. *in Bullam Cœn. quæſt. 3. num. 2.* Reginald. *num. 353.* Alter. *cap. 1. verſ. Perſonas Eccleſiaſticas*, aliique ſine controverſia. Alii verò ſunt Oblati, ſeu donati, qui ſe, ſuaque offerunt Monaſteriis, etiam perpetuò, non tamen regulam profitentur, neque habitum ſuſcipiunt, aut ſaltem non ſuſcipiunt proprium aliorum, & ſi in aliquo diſtinctum a ſæculari, & hi non ſunt propriè Religioſi, neque perſonæ Eccleſiaſticæ, per ea, quæ habet Navar. *lib. 3. conſ. 49. de Regular.* Rodriq. *d. tom. 3. quæſt. 22. art. 1.* Duard. *quæſt. 3. num. 4.* & Bonac. *punct. 3. nu. 12.* citans Aufrerium *dec. 8.* & Clarum *lib. 5. qu. 35. num. 12.*

An autem gaudeant privilegio fori, Abbas *in cap. ut* 11
privilegia de privileg. ait, Oblatos plenè, ideſt qui ſe, & ſua dederunt Religioni, profitendo tria vota, gaudere, etiamſi non aſſumant habitum Religionis. Non gaudere autem Oblatos non plenè, ideſt qui ſe obtulerunt ſine votis, ſed per habitus tantùm aſſumptionem, vel loco mutationis habitus datis ſuis rebus. Et *in cap. Tuarum num. 4. eod. tit.* aſſerit generaliter non gaudere, niſi qui ſe, & ſua bona obtulerunt, ut perpetuò maneant, & ſerviant in Religione. Et quoad hoc Abbatem ſequitur Martha *de juriſd. par. 4. caſ. 113. in fine*, inquiens, hanc opinionem amplexam eſſe Sacram Congregationem Concilii Tridentini interpretum *ad cap. 11. ſeſſ. 24. de reform.* die 26. Januarii 1606. Verùm cùm in Sac. Congregatione immunitatis in una Nicoteren. 10. Aprilis 1628. quæreretur, an Oblati alicui Religioni gaudeant privilegio fori, veniantque ſub nomine perſonarum Eccleſiaſticarum, cenſuit Oblatos gaudere privilegio fori, & exemptione a vectigalibus, dummodò concurrant requiſita in declaratione S. Congregationis Concilii contenta, de quibus nos *tom. 1.* quòd ſi omnia in ea contenta ſimul non concurrant, neque fori privilegio, neque Immunitate a ſæcularibus exactionibus potiri ex *cap. cum & plantare*, *§. fin. de privileg. & Clem. 2. §. fin. de decim.*

Non puto tamen hodie in uſu eſſe, ut aliquis profi- 12
teatur vota, & non aſſumat habitum competentem Religioni. Ideò generaliter, eos, qui habitum non deferunt, neque profeſſi ſunt, aut profeſſuri, opinor non gaudere per ea, quæ habet Innoc. *in d. cap. ut privilegia de privileg.* quibus ſubſcribit Duard. *loc. cit.* Quòd ſi ſi quis deferat habitum competentem, & ſimpliciter religioſum, non tamen cum profeſſione, aut alia ſolemni promiſſione ſtabilitatis, de jure gaudere non poteſt. Unde ſtandum eſt vel conſuetudini, vel particularibus Religionum privilegiis.

Cæterùm perſonæ Eccleſiaſticæ regulariter eæ ſunt, 13
quæ ordinibus Eccleſiaſticis initiatæ ſunt, vel Dei obſequio ſpeciatim mancipatæ in Religione, ut colligitur ex Alterio *cit. cap. 1. verſ. Perſonas Eccleſiaſticas*, & aliis. Inde certum eſt Eccleſiaſticas perſonas eſſe Summum Pontificem, Epiſcopos, Sacerdotes, alioſque ſacris initiatos, & minoribus, ac prima etiam tonſura, quæ, quicquid ſit, an in rigore ſit Ordo, de qua re nos alibi, eſt ſaltem quid Ordinis, ſeu diſpoſitio ad Ordines, ac proinde inter Ordines computatur. Et ita tonſuratus in partem, & hæreditatem Domini eſt aſſumptus, & dicitur Clericus, *cap. Cleros 21. d.* eſtque aliquo modo conſecratus. Neque ex eo, quòd Clerici minores non gaudeant privilegio fori, niſi habeant conditiones Concilii Tridentini *dict. ſeſſ. 23. cap. 6. de reform.* deducitur, quòd non ſint perſonæ Eccleſiaſticæ. Siquidem cum Ordinibus Eccleſiaſticis initiati ſint, & ſacrati, ac proindè non ſint perſonæ laicæ, manifeſtè ſequitur, quòd ſint Eccleſiaſticæ, cùm non detur medium *ex cap. Duo ſunt 12. quæſt. 1.* Qua ratione etiam Clerici conjugati perſonæ Eccleſiaſticæ ſunt, etiamſi in aliquibus non gaudeant privilegio prædicto. Idemque eſt de Clericis malè promotis. Immò & de degradatis, qui licèt extra gradum, & dignitatem clericalem conſtituantur, remanent tamen ratione characteris, & poteſtatis indelebilis de ſtatu, & natura Clericorum. Ac rurſus certum eſt, Eccleſiaſticas perſonas eſſe Religioſos omnes, ſeu Regulares, tàm mares, quàm fœminas ſub regula, & habitu approbatis degentes, qui ratione ſtatus, & habitus, cùm non ſint ampliùs laici, id eſt profani, debent dici Eccleſiaſtici, etſi non ſint propriè Clerici. Et iſti propriè debent intelligi ſub nomine devotorum Dei *in dict. cap. Duo ſunt 12. quæſt. 1.* ibi: *Ut ſunt Clerici, & Deo devoti, & in cap. Clericis de Immunit. Eccleſ. in 6.* vocantur Eccleſiaſticæ perſonæ ibi: *Eccleſiaſticis perſonis Regularibus*, de quo Innocent. *in capit. 2. de major. & obed.*

Illud autem monitum velim, perſonas haſce Eccleſia- 14
ſticas non decidere a beneficio perſonis Eccleſiaſticis conceſſo per hoc, quòd ſint cenſuratæ, vel pœna notatæ, quia hæc non auferunt privilegia, niſi aliundè expreſsè ſint degradatæ, vel generaliter privilegiis Eccleſiaſticis expoliatæ. Ita Navar. *in man. cap. 27. num. 76.* Duard. *loc. alleg. quæſt. 11. num. 59.* Bonacina *punct. 4. num. 17.* & Alter. *dict. cap. 1. dub. 7.* ex doctrina Abbatis *in cap. ex parte num. 3. de Cler. conjug. & in cap. Cum non ab homine num. 5.* ubi Felin. *num. 10. & ſeqq. de judic.*

At referamus Sacrarum Congregationum declaratio- 15
nes. Tertiariæ gaudent exemptione a gabellis quatenus

con-

concurrant requisita. Sac. Congregatio Immunitatis in Tudertina 4. Augusti 1627.

16 Gaudent privilegio fori, si concurrant requisita juxta declarationem Congregationis Concilii, & Episcoporum ac Regularium, eadem Sac. Congregatio Immunitatis in Assisien. 16. Novembris 1655. & 10. Novembris 1638. quæ Congregationis Concilii declaratio est hujusmodi: Sac. Congregatio Concilii censuit in una Interamnen. Tertiarias frui debere privilegio fori, si habitum assumpserint, & virginalem, seu cœlibem, aut castam vidualem expresso voto vitam elegerint, etiamsi in propriis, vel consanguineorum, seu affinium domibus habitent, & dictum habitum susceperint, & votum emiserint post litem motam. Vide *tom. 1. ac. 3. Consult. 34.*

17 Tertiariæ Tertii Ordinis S. Francisci, si habent requisita, nempe si deferant habitum S. Francisci, vivant cœlibes, & emiserint votum, licèt vivant solæ in suis propriis domibus, gaudent privilegio fori, ut sæpè censuit eadem S. Congregatio Immunitatis, præsertim in Montisalti 2. Aprilis 1669. De quibus, ac de viris Tertiariis alibi etiam.

18 Quòd ad Oblatos, ii, qui seipsos, & omnia sua bona irrevocabiliter obtulerunt, gaudent privilegio fori, & exemptione S. Congregatio Immunitatis in Nicoteren. 10. Aprilis 1628. Quomodò autem seipsos, ac omnia bona sua offerre debeant, ut privilegio fori, atque Immunitatis gaudeant, vide decretum Sac. Congregationis Concilii in d. nostro 1. *tom.*

19 Oblati, qui omnia in d. decreto Sac. Congregationis Concilii contenta adimpleverint, fori privilegio, & supradicta Immunitate gaudent, sive ante, sive post de licentia Superioris Religionis matrimonium contraxerint, S. Congregatio Concilii, teste Aldano *in comp. can. resol. lib. 1. tit. 10. num. 14.*

20 Oblati, etiam quoad delicta ante oblationem commissa, fori privilegio gaudent, & a jurisdictione Judicis laici liberati sunt, punirique debent a Judice Ecclesiastico, si modò absque fraude, idest non animo effugiendi sæcularis Judicis punitionem, se & sua obtulerint. Quòd si fraus subsit, possunt a Judice laico puniri pœna confiscationis bonorum, & alia pecuniaria, sed non corporali, illique remanent subjecti quoad causam, & bona, sed non quoad personam. Debet tamen Judex Ecclesiasticus, si delicti qualitas id exposcat, tradere tales in fraudem oblatos Judici sæculari, corporaliter puniendos, Sac. Congregatio, teste eodem Aldano *loc. cit. num. 15.*

21 Jurisdictio tributa Ordinario vigore Concilii Tridentini *sess. 24. de reform. cap. 11.* in Oblatos, qui solemnem professionem non fecerunt, vel qui intra religiosarum domorum septa non residentes, eisdem Religionibus actu non inserviunt, intelligitur in causis criminalibus, non autem in civilibus, & cumulativè, non autem privativè quod eorum Superiores. Ita declaravit Sac. Congregatio Concilii apud Synodum Caputaquensem *sess. 3. c. 7. num. 1.*

22 Tertiarii, habentes requisita, gaudent exemptione ab oneribus personalibus, Sac. Congregatio Immunitatis in Spoletana 19. Augusti 1630.

23 Uxorati non gaudent privilegio fori, nec exemptione ab oneribus, eadem S. Congregatio in Tricaricen. 7. Septembris 1638.

CONSULTATIO CXX.

An juniores, qui cum stipendio inserviunt Ecclesiæ cathedrali, vel collegiatæ, etiamsi Clerici non sint, neque clericalem habitum deferant extra Ecclesiam, gaudeant privilegio fori in criminalibus pro delictis commissis extra proprium munus, ipsamque Ecclesiam? Et quid de Immunitate reali?

1 Hosce de jure, secùs autem de consuetudine, non gaudere exemptione personali, ac fori, videtur esse exploratum. Quia non sunt Ecclesiasticæ personæ, & *can. Ecclesiarum servos 12. qu. 2.* eis non favet. Quia personale servitium, quod præstant, est modicum, & temporale, non autem continuum, neque ex aliqua necessitate, sive utilitate. Quæ species servitii nec ad fori exemptionem sufficit, ut in puncto de laicis servientibus Barbos. *in cap. nullus num. 10. de for. comp.* Immò in strictioribus de Clericis ipsis, in quibus ex decreto Concilii *sess. 23. cap. 6.* servitium Ecclesiæ requisitum debet esse frequens, saltem pro majori parte temporis itaut bis, vel ter non suffragetur, ut probat Carol. de Grass. *de effect. cler. eff. 1. num. 1180. cum seqq.* Ric. *dec. 111. num. 5. part. 5.* Squill. *de privil. cler. cap. 7. num. 12.* & Barbos. *de potest. Episc. alleg. 12. num. 14. par. 2. & ad d. cap. 6. Concil. num. 40.* & de Clericis conjugatis, qui præter requisita Constitutionis Bonifacii VIII. *in cap. un. de Cler. conjug. in 6.* debent esse ab Episcopo deputati certo servitio, vel ministerio Ecclesiæ, & nihilominus in criminalibus tantùm fori privilegio potiuntur, non autem in civilibus juxta plenè deducta per Barbos. *ibi num. 9.* & super Concil. *sess. 23. de ref. num. 41.* & 44. ubi refert plures declarationes S. Congregationis Concilii, & Immunitatis, quæ certiùs militant contra hujusmodi juniores omninò laicos, & sine ullo ex eisdem requisitis.

Neque de consuetudine, si probetur actus contrarii, 2
qui inefficaces reddunt alios, si qui pro consuetudine allegari possent, cum ad illius exclusionem unicus tantùm actus contrarius sufficiat, & mille tollat, Gregor. *dec. 191. num. 9.* & Add. *num. 5.*

Quare ad gaudendum hujusmodi privilegiis requiritur 3
privilegium speciale Summi Pontificis, cùm ab Episcopo & multò minus a Clero ipso, vel a quovis alio obtentum, non suffragetur, quia est de reservatis, Gloss. *in cap. 1. v. exemptionis de privil. in 6.* cum aliis per Cochier. *de Jurisd. ord. in exempt. p. 1. qu. 3. num. 3.*

Et quoad realem immunitatem respectu gabellarum 4
ac onerum publicorum idem fermè dicendum videtur, cùm a personali ad realem negativè valeat argumentum, secùs affirmativè. Undè etiamsi personalis admitteret realem, eam illis non competere, adhuc videtur etiam esse resolvendum exemplo famulorum Episcopi, ac similium personali fruentium immunitate ratione servitii, etiam juxta sensum Sacræ Congregationis Concilii, expressum in decreto de Diaconis Sylvaticis, relato a Barbosa *in d. cap. nullus in fin. de for. compet.* & exemplo Clericorum conjugatorum, etiam cum requisitis Concilii Tridentini, & *d. cap. unic. de Cleric. conjug. in 6.* ubi Gloss. *v. in cæteris*, & Barbos. *num. 11.* Azor. *instit. moral. lib. 3. cap. 14. quæst. ult. part. 1.* Thom. Delbene *de Immunitat. tom. 1. cap. 4. dub. 11. num. 10.* Qui omnes concludunt, teneri ad tributa, & cæteras impositiones laicales. Quod quidem verum est, deficiente consuetudine, ut alibi de hoc egimus, vel privilegio Immunitatis, quod esse debet clarum, & expressum, cùm in hac materia vigeat conclusio ad text. *in cap. 1. §. in eos*, ubi Gloss. *v. quantum ad ista de privil. in 6.* ut scilicet quod expressum non est, remaneat, contra quem exemptio conceditur. Rot. *dec. 186. num. 4. par. 1. divers. & decis. 324. num. 5. par. 1. recent.* & docuit Franch. *in cap. statuto sub num. 10. de constit. 6.* Quare non potest intelligi de oneribus publicis, præsertim pro tutela patriæ, nisi id exprimatur, quia onera hujusmodi sunt speciali nota digna itaut in generali Immunitate non comprehendantur *text. in l. unic. Cod. ut nemini liceat lib. 10.* & ut veriorem pluribus comprobat Thesaur. *for. quæst. 13. num. 5. & seqq.* Ubi ita judicatum sine scrupulo, quia versamur in Immunitate gratuita, in qua strictissima fit interpretatio, latior autem in proveniente ex contractu, juxta doctrinam Cacialupi, relatam a Nevizzan. *cons. 66. num. 44.* & a Cæphal. *cons. 58. n. 38. lib. 1.* Cùm in hac materia utilitas publica præferenda sit privatæ, ut loquitur textus *in l. 3. Cod. de princip. lib. 12.* ut proinde hujusmodi onera nequeant præscribi pet text. *in leg. competit, Codice de præscript. 30. vel 40. ann.* ubi Bald. & Angelus.

Verùm his, aliisque dimissis, resolutio hujus dubii 5
pendet ex germano intellectu *d. cap. 2. de for. compet.* ubi ex Concilio Parisiensi refertur, quòd *nullus Judicum, neque presbyterum, neque Diaconum, aut Clericum ullum, aut minores Ecclesiæ, &c. distringere, aut condemnare præsumat.*

Nam Glossa ad hunc locum *vers. Minores* contradi- 6
stinctè prolato ab omni Clerico, dixit venire scholares, sive servientes Ecclesiæ, deputatos ad ejus obsequium, quia illi eodem privilegio censentur Ecclesiarum servi. At Abbas sub *num. 5.* Barbatia sub *num. 29.* Marianus Socinus sub *num. 6.* in eadem Glossa plurèsque alii dixerunt, habuisse fortè respectum ad quasdam Ecclesias Alemaniæ, in quibus sunt scholares addiscentes, qui serviunt Ecclesiæ. Cardinalis verò *num. 2. glos. 2.* magis generaliter censuit, habuisse respectum ad Ecclesias, in quibus est de more, quòd pueri discentes grammaticam conversantur in Ecclesiis, & serviunt, tanquam Clerici. Vincentius autem intellexit de junioribus Ecclesiarum, seu de illis junioribus deputatis obsequio Ecclesiæ, qui, adveniente ætate, debent promoveri ad Ordines, cum quo transit Jo: Andreas *numer. 22.* Federicus de Senis id exposuit de deputatis, & adstrictis servitio Ecclesiæ, secùs inquiens de non adstrictis. Quia licèt tales incedant in habitu, & tonsura, & vivant

inter

inter clericos, atque interfint celebrationi divinorum, non tamen gaudent privilegio Eccleſiaſtico, etiam reſpectu Immunitatis Eccleſiaſticæ.

7 Idem verò Socinus *in cap. 1. declar. 5. num. 8. eod. tit.* declaravit de ſervientibus in Eccleſia ea intentione, ut Clerici fiant, ac in ſortem Chriſti deveniant. Nam, licèt tales non ſint Clerici, tamen gaudent privilegio fori, cùm textus poſt illam univerſalem loquutionem ullum Clericum, dicendo, aut Minores Eccleſiæ, neceſſariò loquatur de aliis junioribus non Clericis, inſervientibus tamen cum dicta intentione. Quoniam, ſi non ſervirent tali intentione, ut Clerici fierent, ſed pro pretio, vel ut addiſcerent, & poſtea redirent ad vitam, & negotia ſæcularia, negat poſſe, eos potiri dicto privilegio fori, excipiendo ſolùm caſum contrariæ conſuetudinis, quam putat obſervandam eſſe, cujus placitu adhæſit Bellett. *diſq. cler. par. 1. de favor. cler. perſon. §. 2. num. 2.*

8 At Hoſtienſis *in dict. cap. 2. dict. verſ. Minores num. 1.* Abbas antiquus *in Gloſſa*, Butrius *num. 6.* & Imola *num. 2.* illud interpretatur de Converſis, ſive Oblatis, qui non omninò ſæculariter vivunt, & ſunt in aliquo ſervitio Eccleſiæ. Verùm Barbatia ſub *num. 31. in fine cum ſeqq.* id accepit pro junioribus ætate, quamvis ſint ſæculares, dum tamen ſint deputati ad obſequium ipſius Eccleſiæ, juxta declarationem expreſſam ſub præcedenti *num. 29.* ibi: *veniunt etiam ſervientes ipſi Eccleſiæ, ſi ad obſequium ejus deputati ſunt*, & ſic non ſufficit ſervire Eccleſiæ, ſed oportet deputatum eſſe ad ejus obſequium. Subdens: *Vidi ego ſæpè numero fornarum meum ſervientem Eccleſiæ in miſſa, ut propter hoc non gaudeat privilegio Eccleſiæ, quia ad illud ſervitium non eſt deputatus*, cujus etiam meminit Barboſ. *in collect. ad dict. cap. num. 10.* Alii denique particulam, *aut*, accipiendam eſſe autumant conjunctivè, & ampliativè, ut ſit ſenſus, neque Clericum, etiam minorem, id eſt vel minoribus tantùm, vel prima tantùm tonſura initiatum. Quod fortè appoſitum eſt, quia olim nomine Clericorum non appellabantur, niſi Oſtiariatum ſaltem habentes juxta *cap. 177. dict. & cap. ſi Subdiacono 93. d.*

9 Cæterùm Cardinalis ad *dict. cap. 2. num. 2. poſt med.* pro conditione, ſine qua non exigit perpetuitatem, dicendo: *Dummodò ſint ſervientes perpetui*. Et Abbas Panormitanus ſub *num. 5.* propè finem declaravit, non eſſe hoc intelligendum de deputatis ſimpliciter, ſed perpetuò, & efficaciter oblatis.

10 Quare etiam Reginaldus *tom. 1. lib. 9. cap. 23. n. 354.* & Gambacurta *de Immun. lib. 7. cap. 11. num. 7.* dixerunt verba dicti *cap. 2. aut minores Eccleſiæ* intelligenda eſſe de ſolis deputatis ad Eccleſiæ miniſterium perpetuum, quique propterea ſunt illius ſervitio perpetuò adſtricti. Idemque ſentit Fagn. *in dict. cap. nullus de for. comp.* ubi ait, hos minores eſſe in Regno Neapolitano eos, qui appellantur Diaconi Sylvatici.

11 Sed contrarium, quòd in hoc qualitas ſervitii, non perpetuitatis inſpicienda ſit, cùm agatur de privilegio conceſſo in gratiam Eccleſiæ, ut privilegiatos habeat miniſtros, eidem inſervientes per *dict. cap. Eccleſiarum ſervos 12. quæſt. 2.* Undè ipſum ſervitium conſiderandum eſt citra diſcrimen perpetui, vel temporalis, quoniam intra tempus, ſicut ab inſervientibus perpetuò, in terminis ratiocinati ſunt Narbon. *in recopil. leg. Hiſpan. par. 3. lib. 4. tit. 1. leg. 20. gloſs. 20. numer. 27.* Dian. *par. 6. tract. 1. reſol. 36. §. non obſtat dicere*, quorum ſententiam Thomas Delbene *de Immunit. par. 1. cap. 4. dub. 22. num. 2.* probabilem eſſe, ait, non quidem intuitu, & favore propriæ perſonæ, ſed Eccleſiæ, cui ſerviunt, præſertim ſi incedant in habitu clericali, ſintque in via, ut promoveantur ad ordines, licèt ſub præcedenti *num. 2.* fateatur non convinci ex verbis dicti *cap. 2.* intelligit de perpetuò adſtrictis ſervitio Eccleſiæ, Cùmque textus de Minoribus loquatur contradiſtinctè ab omni Clerico, nec Canoniſtæ admittant opinionem Theologorum negantium primam tonſuram eſſe ordinem imprimentem characterem clericalem, teſte Rota coram Remboldo *dec. 95. num. 6.* poſt Vivian. *de Jurepatr.* reſpuenda videtur interpretatio Suarez in Regem Angliæ *lib. 4. cap. 29. num. 9.* ea intelligentis de ſervientibus Eccleſiæ non omninò laicis, ſed habentibus ſaltem primam tonſuram, ut eam refellit Diana *d. reſol. 36. §. nec ſecundò obſtat.*

12 Minuſvè hærendum eſt ſimplici negativæ, quam initio produximus, & triplici ratione tuetur Bonacina *tomo 2. diſput. 10. quæſt. 2. §. 2. num. 2.* ac in Bulla Cœnæ *tom. 3. diſp. quæſt. 16. punct. 3. num. 6.* Prima quidem arguendo a privilegio Canonis, quo certum eſt, non gaudere tales minores carentes Clericatu, ad privilegium fori. At hoc argumentum concludens affirmativè, gaudet quis privilegio fori, ergo & Canonis, eſſe falſum, cùm plures ſint perſonæ laicæ priori gaudentes, & non altero, aliàs docuimus. Secunda elicita ex decreto Concilii Tridentini, quòd nullus gaudeat privilegio fori, niſi deferat habitum, & tonſuram clericalem. Sed Concilium loquitur de privilegio fori, quo Clerici gaudere debent, ut Clerici intuitu propriæ perſonæ, non autem de privilegio fori, quod etiam laicis competit, non ratione ſui, ſed intuitu, & contemplatione alterius, nempè Eccleſiæ, vel Epiſcopi, quibus inſerviunt, Tertia, quòd tales ſervientes non ſint perſonæ Eccleſiaſticæ: Concedimus. Ergo non debent gaudere privilegio fori: Negamus. Quia id non conceditur ratione propriæ perſonæ, ſed contemplatione, atque intuitu ſervitii, & obſequii, quod præſtant Eccleſiæ, vel Epiſcopo, ut latiùs reſpondent Diana *d. reſol. 36. ex §. Reſtat modò*, & Thomas Delbene *dict. dub. 22. num. 3.*

Ex quibus videtur poſſe concludi, quòd Juniores non 13
Clerici, ſive perpetuò, ſive ad tempus ſerviant Eccleſiæ, dum tamen ſint ad ejus obſequium reipſa deputati, quia non ſufficit ſervire ſimpliciter, valeant gaudere privilegio fori, præſertim ſi habitum clericalem ſemper, & ubique deferant, eoque magis ſi tali obſequio addicti ſint eo animo, ut promoveantur ad ordines. Quod quidem arbitror non comprobari in pueris, qui pro certo ſtipendio cum veſte talari inſerviunt Eccleſiæ in miſſis tantùm, & reliquo tempore laicali habitu vacant negotiis ſæcularibus, quorum ſi aliqui etiam reperirentur quàm mercede conducti, hi pueri tamen etiam gauderent ſecundùm Cocchier. *de Juriſdict. in exempt. par. 4. quæſt. 93.* licèt revera ordine clericali non ſint inſigniti. Et iſti creduntur illi, qui obtinent beneficium, vel officium Eccleſiaſticum. Nam & ex ipſa collatione neceſſariò ſupponenda eſt aliqua qualitas Eccleſiaſtica, & ſpiritualis ex adductis per Gonzalez *ſuper regul. 8. gloſs. 5. §. 2. a num. 5.* Hinc eos, qui ſolùm in accendendis lampadibus, & aperiendis Eccleſiæ januis deſerviunt, non gaudere privilegio Clericorum, declaravit Sacra Congregatio ſuper Epiſc. 29. Januarii 1603.

CONSULTATIO CXXI.

An liceat Epiſcopis ante obtentum beneplacitum Apoſtolicum cogere perſonas Eccleſiaſticas ad contributionem cauſa peſtis, belli, ipſamque contributionem exigere?

AFfirmativè reſpondendum videtur ex ſequentibus. 1
Etenim, licèt Eccleſiaſticæ perſonæ ſint exemptæ a ſolutione quorumcunque vectigalium, onerum & impoſitionum, ſintque excommunicati tàm imponentes, quàm exigentes hujuſmodi onera, id tamen locum habet ubi de utilitate dumtaxat publica res agitur, non verò ubi fit aliqua contributio, non ſolùm propter publicam, ſed etiam ob privatam utilitatem ipſorum Eccleſiaſticorum, vel ob neceſſitatem, ut in his caſibus, in quibus contributio pro expenſis factis tempore peſtis ad tuendam ipſorum Eccleſiaſticorum vitam demandatur, juxta receptiſſimam diſtinctionem, quam inter alios tuentur in ſpecie Purpurat. *conſ. 543. num. 6.* Garz. *de nobil. gloſ. 9. num. 53.* & in terminis alterius neceſſitatis reſpicientis æquè commodum laicorum, & Clericorum, Abb. *in cap. non minus numer. 21. ad fin. de immunit. Eccleſ.* quem ſequitur Jaſ. *in leg. ſi ex toto numer. 15. ff. ſle legib.* Anchar. *in eod. cap. non minus numer. 8.* idem Purpur. *conſ. 530. num. 6.* Corn. *conſ. 72. numer. 15. vol. 4.* Laym. *lib. 4. Theol. moral. de virt. & ſtat. Relig. tract. 19. de Eccleſ. immunit. cap. 6. num. 7.* Azor. *inſtit. moral. part. 3. lib. 5. cap. 19. quæſt. 11.* & facit textus *in leg. nullus*, ibique Bart. *Codice de curſ. lib. 12.* & textus *in cap. pervenit*, ubi Gloſ. *de Immunit. Eccleſ.* Quòd enim omnes tangit, ab omnibus præcaveri debet, *cap. ſacrorum, cap. ſi aurum, & cap. gloria 12. quæſt. 2.* Comprobaturque ex iis, quæ habentur *lib. 4. Reg. cap. 14.* ubi Joas Rex Iſrael pro neceſſitate tulit omne aurum, & argentum, & univerſa vaſa, quæ inventa ſunt in domo Domini, & eodem *lib. capit. 18.* ſimiliter Ezechias omne argentum, quod repertum fuit in domo Domini pro neceſſitate Patriæ erogavit.

Neque locum habet, quando deficientibus facultati- 2
bus laicorum contributio imponitur pro cauſa, quæ reſpicit pietatem, utpotè pro manutenendo hoſpitali, reparatione Eccleſiæ, pro ſolvenda mercede medico debita, & maximè quando imponitur ex cauſa neceſſitatis improviſæ, quæ concernit privatim, & publicè totam univerſitatem, & mora eſt allatura periculum, ſive damnum inevitabile. Ita Rip. *in tract. de peſt. tit. 1.*

num.

num. 456. Barboſ. *in coll. ad dict. cap. pervenit num.* 5. *& ſeqq. de Immun. Eccleſ.* ibique aſſignat rationem, quia videlicet privilegia in hujuſmodi neceſſitatibus ceſſant, & ait, quòd in his caſibus conſenſus Papæ tacitè cenſetur præſtitus, quodque populus poteſt implorare officium ſuperioris, ut compellat Clerum ad conſentiendum, & contribuendum, & melius *in cap. Adverſus num.* 3. *&* 4. ubi in ſpecie loquitur de expenſis factis tempore peſtis.

3 Cùm igitur hæ circumſtantiæ tempore peſtis concurrant, utique hac contributione refici ac reparari debent Conventus Regularium, qui pro publicis noſocomiis inſervierunt, ac ſolvi debet merces medicis, atque illis, qui inſervierunt peſte infectis, quæ quidem merces non patitur dilationem, & ad cujus ſolutionem omnes tenentur de jure divino juxta illud, dignus eſt mercenarius mercede ſua *cap.* 1. *de ſepult. Clem.* 2. *§. verum eod. tit. in* 6.

4 Idque præſertim ſi Eccleſiaſtici videntes inevitabile damnum, promiſerint contribuere, ſive pro rata ſolvere. Quo caſu res videtur verſari extra diſpoſitionem Canonum, perpenſo, quòd ſententia Epiſcoporum non inducit aliquod novum onus, niſi ſolùm exequutionem promiſſionis, & obligationis tempore licito, validè, & legitimè contractæ itaut propterea exactio nullatenus dici poſſit fieri titulo vectigalis, vel tributi, quod ſapiat ſubjectionem, ſed ſolùm titulo mercedis, & compenſationis ſervitii, ac pecuniæ pro Clericis ſolitæ, habita priùs ab eis fide de illam reſtituendo, cùmque Sacri Canones non prohibeant Eccleſiaſticis, nè in neceſſitatibus urgentiſſimis, in quibus mora eſt allatura damnum irreparabile, contribuant, & cum effectu ſolvant, minus prohibent, quin poſſint promittere, ac ſe obligare ad favorem illius, qui pro eis attenta fide data, ſe obligavit ſolvere, fidejuſſit, & cum effectu pecunias anticipando, etiam deſuper contrahendo æs alienum, perſolvit.

5 Et conſequenter parum intereſt, quòd ceſſaverit peſtis. Quia præterquamquod urgent neceſſitates, & cauſæ narratæ, quæ non patiuntur dilationem, non tamen ceſſavit, neque fuit ſuſpenſa vis obligationis contractæ, & ſic poteſt Civitas contra Eccleſiaſticos agere coram eorum Ordinario, qui prætermiſſis, ac benè omnibus conſideratis, conſultiſque piis, & graviſſimis Doctoribus, habitoque conſenſu omnium Capitulorum, & Clericorum, ac Religioſorum, concedere poteſt licentiam, atque mandare, quòd Eccleſiaſtici contribuant uſque ad ratam æris alieni contracti, quòdque contributio fiat juxta modum, votum, & conſilium Clericorum per Epiſcoporum deputandorum, & quòd exactio fiat per Eccleſiaſticos, nec pecuniæ exactæ commiſceantur cum exactis a laicis, quæ certè non præſeferunt tributum, neque ſubjectionem, neque inducunt novum onus, quæ ſacri Canones abhorrent.

6 Non obſtat, quòd Epiſcopus non poſſit concedere licentiam exigendi ante obtentum beneplacitum Apoſtolicum, & proinde incurrat in cenſuras. Quia, ut ſupra dixi, hoc non procedit, quando urget neceſſitas, vel id ſufficit in totum, vel ſatis eſt ad effectum excuſandi a cenſuris. Nam ut in illas non dicatur quis incurriſſe, ſatis eſt ſola dubietas, & probabilis cauſa dubitandi, ut dixit in puncto cenſurarum Rota in Barcinonen. Canonicatus 26. Februarii 1646. coram Royas, & *dec.* 636. *par.* 4. *diverſ.*

7 Cùm igitur ex præmiſſis conſtet, quòd fuerint ſervata omnia requiſita *in cap. non minus, & in dict. cap. Adverſus de Immunit. Eccleſ.* juxta tradita per Leon. *in Theſaur. for. Eccleſ. par.* 3. *cap.* 7. *& num.* 123. Graſſ. *de effect. Cler. eff.* 3. *num.* 227. Thom. Delbene *de Immunit. Eccleſ. par.* 1. *cap.* 5. *dub.* 16. *& ſeqq.* beneplacitum Apoſtolicum dicimus vel in ſimplicibus terminis non eſſe abſolutè neceſſarium, vel juxta circumſtantias hujus caſus potuiſſe hanc contributionem exigi antequam obtineatur, vel demum ex his adeſſe juſtam cauſam credendi, quòd ejuſmodi exactio fieri poſſit.

8 Et quoad primum, ſcilicet in ſimplicibus terminis tradunt Doctores, dicentes, quòd ubi onus ſublevandum per collectam non ſolùm reſpicit publicam utilitatem, ut ſic, ſed etiam particularem, & privatam Eccleſiaſticorum, & laicorum, ut in peſte, bello, & ſimilibus, beneplacitum Apoſtolicum non eſt neceſſarium, nuncupatim Barboſ. *in collect. ad dict. cap. Adverſus num.* 3. Sylveſt. *in ſum. verſ. Immunitas quæſt.* 5. Molin. *de juſt. diſp.* 672. *num.* 5. *concl.* 3. Ludovicus Lopez *de Immun. Eccleſ. cap.* 4. *qu.* 6. Thom. Delbene *dict. cap.* 5. *dub.* 16. *num.* 14. Decian. *conſ.* 51. *num.* 62. & latiſſimè Dian. *reſol.* 41. *&* 133. *par.* 6. *tract.* 2.

9 Quod autem ad ſecundum, quod nimirum juxta præſentis caſus circumſtantias poſſit incipi exactio, & interim conſuli Summus Pontifex, patet ex eo, quòd etiam Doctores, qui ſtant pro beneplacito Apoſtolico admittunt, poſſe incipi exactionem quoties neceſſitas urget, animo tamen conſulendi interim Sedem Apoſtolicam, iique præcipui ſunt Thomas Delbene *dict. cap.* 5. *dub.* 15. *ſect.* 1. *in fin.* Dian. *par.* 5. *reſol.* 11. & Cardinalis de Lugo *de juſt. & jur. tom.* 2. *diſp.* 36. *ſect.* 8. *num.* 127.

Ac tandem quoad tertium, adeſſe ſcilicet juſtam cauſam credendi, quòd poſſit incipi exactio, patet ex illa juris concluſione, quòd opinio Doctoris celebris præbet juſtam cauſam credendi, de qua Specul. *lib.* 2. *tit. de expenſ. §. nunc videndum.* 10

Neque in his caſibus locum habet decretum Sac. Congregationis *Immunit. Eccleſ.* quæ ſæpiùs cenſuit, bona per perſonas Eccleſiaſticas acquiſita, & poſſeſſa gaudere exemptionibus ab oneribus, quæ non ſunt copulativè certa, realia, & invariabilia juxta deciſiones in Brunduſina, & in Albanen. gabellæ coram Pegna & Merlino, & concordantes, nec non ab impoſitionibus cameralibus, etiam comprehenſivis Eccleſiaſticorum, quando Eccleſiæ libertatem ea non ſolvendi præſcripſerunt juxta decretum ſan. mem. Clementis VIII. anno 1600. 11

Undè pariter perſonas Eccleſiaſticas teneri ad onera impoſita ex cauſa peſtis, ac belli, quia hujſmodi cauſa dicitur concernere non ſolùm publicam, ſed etiam privatam earundem perſonarum utilitatem, probant Abbas *conſ.* 3. *ſub num.* 1. *& ſeqq.* Rip. *lib.* 2. *reſp. cap.* 20. *num.* 8. Duegn. *regul.* 100. *num.* 17. Balb. poſt *deciſ.* 68. Cacheran. *num.* 5. *cum binis ſeqq. & per tot.* Capr. *reg.* 96. *num.* 68. Sylvan. *conſ.* 32. *n.* 18. Alvar. *in ſpec. jur. Pontif. capit.* 35. *verſ. & dicitur*, Caſſan. *in catal. glor. mund. par.* 5. *conſid.* 24. *num.* 162. Germon. *de ſacr. immunit. lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 28. Remig. de Gonni *de charit. ſubſid. quæſt.* 62. *num.* 72. & 85. Jo: Aloyſ. de Leo *in auth. Caſſa num.* 19. *Codice de ſacroſ. Eccleſ.* Borrel. *conſ.* 74. *num.* 33. Rim. *conſ.* 219. *num.* 12. *vol.* 1. Natt. *conſ.* 311. *num.* 4. Sanchez *tom.* 1. *lib.* 2. *conſil. moral. cap.* 4. *dub.* 55. *num.* 22. Ludovic. Lopez *part.* 1. *inſtr. cap.* 190. *verſ. Per hanc*, & communiter alii. Talique caſu obligatas eſſe perſonas Eccleſiaſticas pro rata contribuere, etiamſi facultates laicorum ſufficerent, latè firmat Malvaſ. *conſ.* 26. *num.* 2. *& ſeqq. lib.* 1. ubi alios cumulat, & plures rationes adducit, ac ſequitur Sanch. *dict. cap.* 4. *num.* 119. Ubi contrariam opinionem ſe non approbare fatetur, neque illam uſu receptam eſſe teſtatur. 12

Sic quoque ob eandem rationem perſonæ Eccleſiaſticæ contribuere tenentur ad refectionem pontium, ut inter Doctores Eccleſiaſticos probant Suar. *tit.* 2. *de Epiſcop. & Cler. ſub num.* 54. Tolet. *in ſumm. lib.* 1. *cap.* 29. Molin. *dict. diſp.* 672. *num.* 4. *&* 5. Emanuel. *in addit. ad Bull. Cruc. §. 9. num.* 72. Azor. *inſtit. moral. par.* 1. *lib.* 5. *cap.* 13. *quæſt.* 8. *& par.* 2. *lib.* 10. *cap.* 7. *quæſt.* 7. Anton. de Souſ. *in relect. de cenſur. in Bull. Cœn. diſp.* 1. *quæſt.* 19. *punct.* 33. *§.* 3. *num.* 15. Sanch. *loc. alleg. numer.* 13. Ubi de probabiliori opinione teſtatur & Bonacin. *de cenſur. in Bull. Cœn. diſp.* 1. *quæſt.* 19. *punct.* 3. *§.* 3. *num.* 15. 13

Quod etiam diſpoſitum legitur a jure civili *in leg. ad inſtructionem, Cod. de ſacroſ. Eccleſ.* a qua non diſſentit jus canonicum, ut advertit Gloſſ. *in dict. cap. non minus v. Revelandas de Immun. Eccleſ.* & comprobat Sanchez *d. num.* 13. 14

Quæ concluſio fundatur in ratione naturali, quæ dictat, eum pati damna, quem ſequuntur commoda, ut advertit Sanchez eo *num.* 13. Immò etiam in jure divino, ut probat Riminald. jun. *conſ.* 574. *num.* 7. Eamque amplectuntur communiter Canoniſtæ, nominatim Innoc. *in dict. cap. non minus num.* 6. Ubi etiam Cardinal. Hoſt. *num.* 5. & Anchar. *num.* 7. ac in ſuis conſiliis, & quæſtionibus, Queſtard. *quæſt. jur. civil. cap.* 4. *num.* 15. Richard. *quodlib.* 2. *quæſt.* 30. *artic.* 4. Laderch. *conſ.* 145. *num.* 3. Purpurat. *conſ.* 324. *num.* 7. Rimin. jun. *conſ.* 2. *num.* 15. *& dict. conſ.* 574. *num.* 5. *& ſeq.* Sylvan. *conſ.* 32. *num.* 18. Guttier. *alleg.* 10. *numer.* 2. *& lib.* 1. *pract. quæſt.* 3. *num.* 1. Burſat. *conſ.* 16. *num.* 66. Aldovin. *conſ.* 59. *num.* 15. Valaſch. *de jur. emphyt. quæſt.* 17. *numer.* 28. Girond. *de Gabel. par.* 7. *in princ. ſub num.* 32. Bacc. *de inop. debit. cap.* 17. *num.* 15. Tiraquel. *de nobil. cap.* 20. *num.* 167. Bertachin. *de gabel. par.* 7. *princ. qu.* 7. *num.* 13. Pech. *de Eccleſ. cap.* 22. Vaſquez *de ſucceſſ. lib.* 3. *limit.* 7. *num.* 180. Grammat. *deciſ.* 100. *num.* 26. & Guidop. *deciſ.* 78. ſicque in diverſis Chriſtiani Orbis partibus judicatum fuiſſe, oſtenditur ex adductis per Arendan. *in cap. Prætorum part.* 2. *cap.* 14. *nu.* 19. Gregor. Lopez *in leg.* 54. *tit.* 6. *par.* 1. Monte Calc. *in leg.* 54. *& lib.* 15

& *lib.* 1. *tit.* 5. Rebuff. *tom.* 1. *Conſtit. Reg. Gall. tit. de ſent. proviſ. art.* 3. *gloſ.* 6. *num.* 3. & 4. Mexia *pragm. pan. concl.* 1. *num.* 60. & 61. Chaſſan. *in conſuet. Burgund. rubr. de juſtices rubr.* 1. *numer.* 48. & *ſeqq.* Gulielm. *in cap. Raynutius de teſtam. verſ.* & *uxorem num.* 468. & *ſeqq.* Nugnez. Avendan. *de exequen. mand. Reg. Hiſpan. par.* 2. *cap.* 3. *num.* 6.

16 At nihilominus tenendum eſt cum Sac. Congregatione Immunitatis Eccleſiaſticæ, quæ in Cariaten. 7. Auguſti 1657. cenſuit, non poſſe Epiſcopum cogere, neque ex ſe permittere, ut Eccleſiaſtici contribuant pro jactura mobilium facta occaſione contagii, & in Cæſaraugustana declaravit, non licuiſſe Archiepiſcopo ante obtentum beneplacitum Apoſtolicum cogere perſonas Eccleſiaſticas ad contributionem, & multò minus contributionem exigere, ſed cum Sanctiſſimo pro dicto beneplacito obtinendo pro quo inclinat Congregatio, cùm ſit contributio ex cauſa peſtis, & ſic concernens commodum, etiam privatum perſonarum Eccleſiaſticarum, & quia ipſæ præſtiterunt conſenſum pro contributione, obtento beneplacito.

17 Qua ſuper re hoc Breve fuit ſubindè expeditum. *Venerabili Fratri Archiepiſcopo Cæſarauguſtano &c. Alexander Papa VIII. &c. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Nuper tuo, & dilectorum filiorum Communitatis, & hominum Civitatis Cæſarauguſtanæ nomine nobis expoſitum fuit, quod cùm, durante peſte, quæ eandem Civitatem, ejuſque diſtrictum ab anno* 1647. *uſque ad annum* 1653. *afflixit, præteritorum, & nunc urgentium in illis partibus bellorum, indeque ortæ pecuniæ ratione, Civitas prædicta ad inopiam redacta foret, ut ei non ſuppeteret, unde pro amovendo contagio hujuſmodi proviſionibus, ſeu æris alieni ea propter contracti de ſolutione conſuleretur, ipſique Communitas, & homines quaſdam gabellas ſuper rebus comeſtibilibus in eam cauſam imponendas in dicta Civitate, ejuſque diſtrictu imponere intenderent, a te petierunt, ut attento, quòd laicorum facultatem ad præmiſſa non ſufficerent, perſonas Eccleſiaſticas, eandem Civitatem, & diſtrictum in ſolutione gabellarum hujuſmodi unà cum laicis concurrente permittere. Cùmque cognita præmiſſorum veritate eaſdem Eccleſiaſticas perſonas una cum laicis prædictis in ſolutione earundem gabellarum concurrere poſſe cenſuiſſes, & initio a perſonis per te, ac Communitatem, & homines prædictos reſpectivè deputatis expenſarum ex cauſa ejuſdem contagii factarum calculo, illas ad ſummam centum quinquaginta ſex millium octingentorum quatuordecim librarum monetæ illarum partium circiter, quæ totidem ſcuta monetæ Romanæ conſtituunt in totum aſcendere compertum fuiſſet pro ſummæ hujuſmodi collectione dictæ gabellæ ſuper farina, & carne vendenda, & emenda in Civitate, & diſtrictu præfatis impoſitæ fuerunt: Tuque etiam perſonas Eccleſiaſticas ad ſolvendum unà cum laicis gabellas hujuſmodi ſine noſtro, & Sedis Apoſtolicæ beneplacito obligaſti, & de facto gabellæ prædictæ, etiam ab Eccleſiaſticis exactæ fuerunt, cum autem, ſicut eadem exponitur, ſubjungebat: Tu, ac Communitas, & homines præfati, ut in ſolutione gabellarum hujuſmodi, etiam perſonæ Eccleſiaſticæ licitè concurrere poſſint, a nobis permitti, ſtatuique, & in præmiſſis opportunè providere deſideres, nos te ac dictos Communitatem, & homines ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, Teque, ac eorum Communitatis, & hominum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis &c. abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus tuis, necnon Communitatis, & Hominum præfatorum nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati de venerabilium fratrum noſtrorum S. Rom. Eccleſ. Cardinalium Immunitati Eccleſiaſticæ, & controverſiis juriſdictionalibus Præpoſitorum conſilio, non licuiſſe tibi ante obtentum beneplacitum Apoſtolicum præfatum cogere perſonas Eccleſiaſticas contribuere, ſeu concurrere in ſolutionem gabellarum hujuſmodi, & multò minus illas exigere Apoſtolica authoritate tenore præſentium decernimus, & declaramus, & nihilominus attento, quod cauſa, propter quam gabellæ præfatæ impoſitæ fuerunt, etiam proprium commodum Eccleſiaſticorum concernit, fraternitati tuę per eaſdem præſentes committimus, & mandamus, ut conſtito tibi de narratis, & dummodò ad id Cleri eorundem Civitatis, & diſtrictus in primis, & ante omnia accedat aſſenſus, perſonas Eccleſiaſticas tàm ſæculares, quàm cujuſvis Ordinis Regulares utriuſque ſexus Civitatis, & diſtrictus hujuſmodi ad ſolutionem præfatarum gabellarum ſuper farina, & carne, ut præfertur, impoſitarum, donec & quouſque tanta exinde quantitas pecuniarum conflata fuerit, quæ ad ſolutionem dictæ ſummæ quinquaginta ſex millium, & octogintorum quatuordecim librarum ſufficiant, & non ultra, ea lege, ut quicquid ex gabellis hujuſmodi percipiatur in ſolutionem ſummæ hujuſmodi, & non in alios uſus omninò impendatur, teneri, & obligatas eſſe, & fore authoritate noſtra Apoſtolica decernas. Præterea te a quibuſvis ſententiis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, quas propter conſenſum a te impoſitioni, & exactioni gabellarum præfatarum quoad perſonas Eccleſiaſticas hujuſmodi abſque Sedi Apoſtolicæ licentia præſtitum, ſeu ex eo, quòd perſonas Eccleſiaſticas prædictas ad ſolutionem earundem gabellarum coegeris, quoquomodo incurriſti, authoritate, & tenore præfatis abſolvimus, & totaliter liberamus, ac tibi earundem præſentium tenore itidem committimus, & mandamus, ut Communitatem, & homines prefatos eorumque Officiales, & Miniſtros, & eorum ſingulos, ſi hoc a te humiliter petierint, a quibuſvis excommunicationis, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis per eos, & eorum quemlibet, ex eo quod predictas gabellas ſuper farina, & carne, ut prefertur, impoſitas, etiam ab Eccleſiaſticis perſonis Civitatis, & diſtrictus hujuſmodi antequam noſtra, & Sedis Apoſtolicę licentia deſuper accederet, exegerunt, ſeu exigi fecerunt reſpectivè incurſis, &c. dummodò omne id, quod hactenus ex eiſdem gabellis exactum fuit, in diminutionem ſummę centum quinquaginta ſex millium octingentorum quatuordecim librarum hujuſmodi integrè cedat, authoritate noſtra abſolvas, & totaliter liberes, dictaſque pœnas eis, & eorum cuilibet gratiosè remittas, & condones, &c. Datum Romę &c.* 11. *Junii* 1655.

Rationes autem alibi adduximus. Nunc ſolùm adnotamus, quam religiosè Epiſcopi obſervare debeant diſpoſitionem *dict. cap. non minus*, & *cap. Adverſus de Immunit. Eccleſ.* quorum textus alio in loco fusè explicavimus, nunc ad rem eſſata. 18

Clerici in minoribus gaudere debent immunitate a gabellis, Sacr. Congreg. Immunit. in Montis Alti 10. Novembris 1638. in Florentina 13. Junii 1640. & in Camerinen. 17. Januarii 1628.

Eccleſiaſticæ perſonæ non tenentur ad gabellas abſque licentia Apoſtolica, eadem S. Congregatio in Materana 13. Julii 1627. 19

Clerus ſæcularis & regularis eſt immunis a gabellis, à laicis impoſitis, eadem Sac. Congregatio in Parmen. 1. Decembris 1627. in Recinaten. 22. Junii 1655. 20

Etiam a gabella, ut dicitur *de' contratti*, eadem Sac. Congreg. in Reatina 9. Aprilis 1647. 21

Clerici non tenentur ad gabellam impoſitam ſuper paſcua animalium, eadem Sac. Congregatio in Laquedonen. 31. Januarii 1628. 22

Clerici gaudent Immunitate fructuum in bonis, etiam eiſdem donatis, eadem S. Congregatio in Laquedonen. ibidem. 23

Clerici non tenentur ad ſolutionem gabellæ carnis, eadem S. Congregatio in Aſculana 30. Maji 1628. 24

Clerici, etiamſi non inſerviant Eccleſiæ, ſunt immunes ab oneribus perſonalibus, eadem S. Congr. in Aprutina 6. Martii 1635. 25

Bona data Clericis in Regno Siciliæ quomodò ſint immunia a gabellis, & quando teneantur ſolvere, eadem S. Congreg. 24. Januarii 1623. 26

Gabella, ſive vectigal non ſolvitur in tranſportatione cadaveris ab uno ad alium locum, eadem S. Congr. in Firmana 10. Junii 1653. 27

Clericus, quamvis abſens, gaudet immunitate a gabellis, eadem Sac. Congregatio in Salernitana 2. Julii 1650. 28

Clerus non tenetur ſolvere gabellam impoſitam ſuper tumulis frumenti, eadem S. Congreg. in Lucerina 11. Septembris 1634. 29

Servientes Eccleſiis non tenentur ad gabellam panis non ingabellati, eadem Sac. Congreg. in Bovinen. 30. Decembris 1636. 30

Gabella non eſt ſolvenda pro eleemoſyna frumenti, olei, vini, eadem S. Congreg. 28. Febr. 1658. & in Valentina 12. Novembris 1649. 31

Eccleſiaſticis, attenta quaſi poſſeſſione immemorabili, eximuntur a gabella macinæ eadem S. Congr. in Conſentina 12. Februarii 1646. 32

CONSULTATIO CXXII.

An, quatenus, & in quibus palatia Eminentiſſimorum Cardinalium gaudeant immunitate? Ubi an in illis fieri poſſit recognitio cadaveris abſque licentia Judicis Eccleſiaſtici? Et quid de Epiſcoporum palatiis?

CErtum planè videtur, quòd, exceptis domibus annexis Eccleſiis tituli Cardinalitii, ut declarat Cutell. *de immunit. lib.* 1. *quæſt.* 37. & egregiè Duard. *in Bull. Cœn. lib.* 2. *cap.* 5. *quæſt.* 16. *num.* 12. nullo jure cautum eſt, domos alias Cardinalium dici poſſe locos ſacros, 1

ſacros, vel immunes, ſed tantùm ex rationabili conſuetudine, ut conſtat ex congeſtis a Farinacio *de carcer. quæſt. 28. num. 48. & de immun. Eccl. in append. n. 274.* a Thoma Delbene *eodem tr. tom. 2. cap. 16. ſect. 15. n. 1.* ex Navar. *cap. 25. num. 18.* Tuſch. *v. Eccleſia concl. 9. num. 12.* Deciano *tract. crim. lib. 6. cap. 25. num. 15.* Clar. *in princ. §. fin. quæſt. 30.* Sanchez *in opuſc. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 7. num. 2.* Jacobac. *de conſil. lib. 1. col. 1. lit. A.* Cuccho *in inſtit. can. lib. 2. tit. 4. num. 91.* Manfred. *tit. de Card. deciſ. 147. & c. 8. privil. 14.* ubi communiter hodie ſervari teſtatur, Guid. Pap. *quæſt. 121. num. ultim.* Boſſ. *pr. crin. de capt. num. 30.* Barboſ. *de jur. Eccleſ. lib. 1. part. 4. num. 80.* & Mar. Italia *de immun. lib. 1. cap. 4. §. 9. num. 22.* Immò hanc conſuetudinem eſſe ſublatam a Conſtitutione Gregorii XIII. ac Sixti V. Summorum Pontificum, teſtantur Farinac. locis citatis, Duard. *in Bull. Cœn. lib. 2. cap. 15. quæſt. 16. num. 22.* Gambacurt. *lib. 4. cap. 5.* Lezan. *in ſumm. v. immunitas num. 2.* & Zecchius *de republ. tit. 3. de Card. num. 9. privil. 9.* non ſolùm, ut ait Delbene, forſan propter abuſus, qui ex illa oriebantur, ſed etiam propter multitudinem aſylorum, ex quibus delicta impunita, tametſi non deſint, qui credant, has Conſtitutiones intelligendas eſſe pro Urbe tantùm & Statu Eccleſiaſtico, non autem extra Statum, ut Martius Ital. *loc. alleg. & num. 23.* Peregr. *de immun. cap. 4. num. 75.* Diana *part. 1. tract. 1. reſol. 27.* Barboſ. eodem loco *lib. 2. cap. 3. num. 71.* Anton. de Marin. *quotid. ref. cap. 180. num. 12.* quibus videtur ſubſcribi Delbene *ubi ſupra num. 2.* Undè ex his poteſt Judex ſæcularis dictas domos ingredi, reos ad eas confugientes extrahere, & ſic formales actus juriſdictionis exercere, ac multò magis facere poteſt actum recognitionis cadaveris, de qua probabilius dicendum videtur, quòd ſit actus extrajudicialis.

2 Quæ quidem conſuetudo procedit ſolùm in palatiis Cardinalium, & ſic in domibus conſpicuis, eorum aſſiduæ habitationi deſtinatis, quibus hoc palatii nomen inſignium regiæ dignitatis convenit. Hinc quia Mons Palatinus primum a Romulo, deindè a Tullio Haſtilio eſt habitatus, fuitque in eo Sedes Imperii Romani, & domus Auguſta, ab Octavio enim Auguſto deinceps omnes Romani Imperatores in Palatio habitaverunt, cujuſvis Principis aula, ſive ſplendidi hominis domus, palatium dicitur. Quare nemo eam conſuetudinem extendit ad domos, quæ in villis, vel aliis locis habentur animi relaxationis cauſa, cùm non dicantur domus habitationis. Quia cùm domus accipiatur pro habitatione, *l. qui domum, ff. de adult. l. in lege, §. ſed de ea, ff. de verb. ſignif.* & habitare quis non dicatur ubi momenti cauſa inhabitat, ſed ubi moratur, Rebuff. *in dict. l. in lege verſ. ſequitur*, Gabr. *de malef. concl. 10. num. 31. & 32.* Ubi quod domus non dicitur, etiamſi ſit propria, quando in illa quis non inhabitat, quia neque dominium, neque proprietas, neque locus, ſed ſola habitatio continua conſtituit domum. Ita quoque domus, ſeu villæ, quas habent Regulares delectationis cauſa, vel ad recipiendum hoſpitio illuc tranſeuntes, quòd non gaudeant immunitate, tradit Barboſa *de jur. Eccleſ. lib. 2. cap. 3. num. 76.* Aliàs enim quicunque locus, quem Cardinalis quavis ex cauſa paucis diebus inhabitaret, eſſet illius domus. Quod nullo jure probari poteſt. Et ad rem ponderandum eſt,

3 quod firmat Delbene *de immun. cap. 16. ſect. 14. poſt n. 12.* Ubi loquendo de palatiis, quæ habitantur ab Epiſcopo, dum peragrat diœceſim occaſione viſitationis, tenet pro immunitate, quando ipſe Epiſcopus ibi reperitur, & actu habitat ob reverentiam perſonæ potiùs, quàm loci, & *num. 20.* aſſerit, domibus, quas habitat Epiſcopus extra diœceſim, nullam competere immunitatem, quia ibi nullam habet juriſdictionem, licèt ex ſententia Sacræ Congregationis Immunitatis contrarium ſit verum, ut declaravit in Caſtren. 8. Julii 1670. nempe palatium menſæ Epiſcopalis, exiſtens in Terra Migiani, Ugentinæ diœceſis, gaudere, dum Epiſcopus inhabitat.

4 Præterea Doctores, quærentes, an palatium Epiſcopi, quod de jure ratione juriſdictionis, gaudet Eccleſiaſtica immunitate, ut habetur ex Concilio Aurelianenſi primo, relato *in can. Id. conſtituimus 17. quæſt. 4.* ibi: *Id conſtituimus obſervandum, quod Eccleſiaſtici Canones decreverunt, & lex Romana conſtituit, ut ab Eccleſiæ atriis, vel domo Epiſcopi reos abſtrahere omninò non liceat*, & docent communiter Doctores, teſte Covar. *lib. 2. var. reſol. cap. 20.* gaudeat hoc privilegio, abſente, vel mortuo Epiſcopo, reſpondent affirmativè, dummodò non ſit aliis locatum, neque a ſæcularibus habitetur, ut tradunt Parin. *in appen. de immun. cap. 17. num. 170.* Marius Ital. *eodem tract. lib. 1. cap. 4. §. 5. numer. 4.* Azorius *inſt. moral. tom. 2. lib. 9. cap. 8.* Laym. *lib. 7. theolog. moral. tract. 9. cap. 3. numer. 3.* Novar. *in Summ. Bullar. tit. de Immun. 10.* & advertit Delbene *loc. citat. d. ſect. 14. numer. 2.* Si ergo ipſum palatium Epiſcopale, abſente Epiſcopo, non gaudet Immunitate, quando alii illud inhabitant, multò minus manſiones, ſive domus, non autem palatium conſuetæ habitationis Cardinalium, quas habent oblectamenti gratia, vel conducunt, vel gratuitò inhabitant, non ſolùm eorum famuli, ſed etiam diurni operarii. Præſertim ſi manſiones habeant oſtium in via publica, per quod abſque violatione loci ſacri, vel immunitatis in eos ingreditur, ſicuti habetur in fortioribus terminis de domibus communicantibus cum atrio, clauſtro, vel porticu Eccleſiæ, ſeu Monaſterii, quòd non gaudeant immunitate, niſi eas miniſtri Eccleſiæ inhabitent, vel juxta opinionem, immunitati favorabilem, ſi ad eas egreſſus, atque ingreſſus haberi non poſſit, niſi per locum ſacrum, & immunem, ſecùs verò ſi habebant oſtium in via publica more aliarum domorum ſæcularium, ut in ſpecie tradunt a Ponte *deciſ. 35.* Peregrin. *de Immunit. capit. 4. numer. 27.* & Sanfelic. *deciſ. 136. per tot.* Alioquin omnes apothecæ, & habitationes artificum habitantium ſubtus palatia Cardinalium cum communicatione ad illa, eſſent immunes.

Unde in terminis recognitionis cadaveris faciendæ 4
per Curiam ſæcularem, agi ſolet de materia Immunitatis, quoties recognoſcendum eſt cadaver jam ſepultum in Eccleſia, vel cœmeterio, itaut agatur de illius exhumatione ex deductis per Sperell. *deciſ. 51. num. 4. cum ſeqq.* Quin neque exhumari debet pro capienda informatione abſque licentia Sacræ Congregationis, ut decretum in Æſina 17. Decembris 1602. & in Sutrina prima Junii 1604. Quia laici in cauſis criminalibus a foro Eccleſiaſtico non ſumunt indicia, Sacra Congregatio ſuper Epiſcop. in Callien. 12. Novembris 1619. Si tamen recognitio ſit facienda extra Eccleſiam, poteſt Ordinarius talem licentiam concedere: Sacra Congregatio Immunitatis in Nullius 2. Maji 1639. Diana *par. 6. in declarat. Congregat. num. 64. & par. 4. tr. 2. reſol. 44.* Bellett. *diſq. Cler. par. 1. tit. 1. §. 5. n. 148.* Genuen. *in princ. cap. 42. num. 10.* Ricc. *reſol. 463. in fin. part. 1.* & juxta mentem ejuſdem Sac. Congregationis fieri debet in licentia proteſtatio ad formam *cap. Prælati de homicid. in 6.* Quinimmò ex ſupracitata declaratione, & ex Sperello *dict. dec. 51. num. 18.* ne in cœmeterio quidem hujuſmodi recognitio, aut vulnerati examen fieri poteſt, neque ad id faciendum Ordinarius licentiam dare. Si verò laicus abſque dicta licentia cadaver exhumare præſumeret, eſſet excommunicandus, ut ex *cap. 2. de Immunit. Eccleſ. in 6.* tradunt Genuenſ. *loc. alleg. num. 11.* Ordinarius autem compelli nequit ad dandam hujuſmodi licentiam, ut contra Genuenſem concludit Sperellus *ſupra*. Nullibi tamen jure cautum videtur, exceptis Eccleſiis, vel locis verè ſacris, ob reverentiam eis debitam, ſimplicem recognitionem cadaveris, factam per modum cujuſdam potiùs voluntariæ, quàm contentioſæ juriſdictionis in loco non ſacro, neque a Sacris Canonibus reputato immuni, importare immunitatis Eccleſiaſticæ violationem, & pro ea incurri cenſuras. Nam etiam in ipſis Eccleſiis, ac multò magis in Eccleſiarum domibus teſtes per Judicem ſæcularem examinari poſſe, firmant Bartolus, & Geminianus, aliique, quos refert Sperellus *dict. dec. 51. num. 2.* contra quos neminem reperiſſe contradicentem, teſtatur *num. 15.* Et licèt ipſe contrarium putet, attamen ejus authoritas prævalere non debet tot antiquis, & graviſſimis Doctoribus, præſertim, quia ſolùm loquitur de Eccleſiis, ac locis verè Eccleſiaſticis, ideòque adaptari non debet domibus Cardinalium gaudentium juxta alteram opinionem immunitate ex ſola conſuetudine, quæ incertum eſt, an illis proveniat ratione dignitatis Eccleſiaſticæ, vel potiùs ratione officii temporalis, & tanquam Senatoribus Summi Pontificis, præſertim ubi non agitur de domibus Eccleſiarum titularium, quæ aſſimilari poſſunt palatiis Epiſcopalibus ob quaſi Epiſcopalem juriſdictionem, quam ibi retinent, tametſi juxta veriorem ſententiam, quam amplexa eſt Sacra Congregatio ſuper Epiſcopis in Sipontina 12. Maji 1604. *ex capit. 1. de Immunitate Eccleſiarum*, Judex ſæcularis non poſſit in Eccleſia, vel alio loco immuni teſtem, vel reum formaliter examinare, vel cadaveris recognitionem facere, neque ad id licentiam concedere poteſt Epiſcopus, ſed a Sanctiſſimo, vel a Sacra Epiſcoporum, vel Immunitatis Congregatione petenda eſt, poſſitque tamen concedere licentiam Epiſcopis exhumandi cadaver ad recognitionem extra Eccleſiam faciendam, & ad reum extra Eccleſiam examinandum in loco immuni, nimirum in Monaſterio, vel porticu. Eadem fermè dixit Sacra Congregatio Immuni-

tatis ſub die 2. Martii 1639. ſcilicet non poſſe Epiſcopum, tanquam Ordinarium concedere licentiam Judici laico, ut examinet aliquem reum, vel teſtem in Eccleſia, præſertim formaliter, & cum juramento, neque vigore literarum Sac. Congregationis ſuper electione, ſed talis licentia peti debet a Sede Apoſtolica, poſſe tamen, ſi velit concedere licentiam exhumandi cadaver, ac faciendi recognitionem, & examinandi extra Eccleſiam, etiam in loco immuni. Quòd verò ad Clericum, ſive vulneratum, ſive occiſum a ſæculari, hac utitur Sacra Congregatio diſtinctione. Si Clericus vulneratus non fuerit translatus ad hoſpitale, aliumve locum ſacrum, vel ſi mortuus non fuerit translatus ad Eccleſiam, poterit laico, qui prævenit, fieri recognitio corporis delicti. Si verò Clericus vulneratus ad locum ſacrum translatus fuerit, vel mortuus ad Eccleſiam delatus, ac ſepulturæ traditus, ejuſmodi recognitio fieri ab eo non poterit abſque præcedenti ſolita, ac legitima facultate a Sacra Congregatione Immunitatis concedenda. Sic in una Civitatis Caſtelli, ac in aliis ſæpè 19. Julii 1667. data facultas Epiſcopo dandi licentiam abſque violatione Immunitatis Eccleſiaſticæ tranſportandi cadavera, & vulneratos a loco immuni pro recognitione corporis delicti pro octo caſibus, præmiſſa ab Ordinario ſolita proteſtatione juxta *d. c. Prælatis de homicid. in 6.* Qua in re extat formula in Secretaria Sac. Congregationis tenoris ſequentis. *La Santità di Noſtro Signore concede a V. S. col mezzo di queſta la facoltà di dare licenza per otto caſi, conforme alla ſua prudenza, che i feriti, ò i cadaveri eſiſtenti in luoghi immuni con l'aſſiſtenza di perſona Eccleſiaſtica da deputarſi da lei, ſi traſportino in luogo vicino, ed opportuno con la dovuta ſicurezza ad effetto, che la Corte ſecolare poſſa provare il corpo del delitto col far le recognizioni de' morti, ò de' feriti, e ſenza violazione dell' Immunità Eccleſiaſtica, acciochè i delitti non rimangano impuniti, mentre facendoſi da lei la ſolita proteſta, ſecondo la diſpoſizione del capit.* Prælatis de homicid. in 6. *la Santità ſua la perſerva dall' irregolarità, che perciò ella, e i ſuoi Delegati Eccleſiaſtici poteſſero incorrere.*

5 Ex quibus abundè conſtat, quòd ejuſmodi domus non ſit immunes, vel quòd miniſtri Curiæ ſæcularis exercendo in illis actus aliquos judiciales, ſaltem probabiliter, ita credere poſſint. Cùm enim excommunicatio ſit pœna graviſſima, exigit ſanè temeritatem, ad peccatum mortale ſufficientem, ſine quo non datur excommunicatio ex deductis a Sayro *de cenſur. lib. 1. cap. 18.* atque tunc cauſæ excuſationis in hac re non admittuntur, quando eæ ſunt certò injuſtæ, & cum ignorantia vel craſſa, vel ſupina, cùm agatur de violatione Eccleſiæ, vel loci notoriè, & ſine dubio ſacri, quo caſu improbantur Decianus, & plerique alii haſce malè opinatas excuſationes admittentes ex egregiè deductis a Farinacio *in append. Immunit. num. 328.* Quinimmò ad effectum incurrendi cenſuras non attenditur quilibet actus, fortaſſe illicitus in loco immuni. Recenſentur enim *in cap. Decet, de Immunit. in 6.* actus, qui prohibentur fieri in Eccleſia, inter quos & actus judiciales, & tamen non irrogatur pro illis excommunicatio. Fortiùs ergo in loco, qui non eſt referendus ad immunitatem Eccleſiaſticam, ſed potiùs ad exemptionem a juriſdictione laicali ob quandam reverentiam ex conſuetudine.

6 At nihilominus tenendum eſt, ad faciendam recognitionem cadaveris, multòque magis ad exercendum quoſcunque actus judiciales in palatiis Eminentiſſimorum Cardinalium, neceſſariam eſſe licentiam Ordinarii Eccleſiaſtici.

7 Sive quia regulariter palatia hujuſmodi, etiam extra Urbem, gaudeant immunitate inſtar palatii Epiſcopi, ut ex conſuetudine communi ita ſervari teſtatur Manfred. *de Immun.* quem refert, ac ſequitur Clar. *in princ. lib. 5. §. fin. quæſt. 30. num. 25.* Immò de jure communi, poſſe hujuſmodi privilegium ſuſtineri, & ante Sixtum V. ſervatum fuiſſe, etiam Romæ, teſtatur Ughell. *de notit. Cardin. privileg. 22. verſ. verum.* Habetur ex *cap. Epiſcopus de conſecr. dict. 3. & ex cap. Epiſcopus d. 41.* cui quidem juri Conſtitutiones Gregorii Decimitertii, & ejuſdem Sixti non præjudicant, quia reſpiciunt dumtaxat palatia Urbis, non autem palatia Cardinalium adhærentia Eccleſiis ſuorum Titulorum, & ſuæ Dignitatis. Nam in ordine ad has Eccleſias habent juriſdictionem, ſuntque in eis tanquam Epiſcopi, præcipuè cùm in favoribus, & gratiis Epiſcopis ipſis comparantur, ex *cap. fœlicis de pœn.* neque palatia, vel domos extra Urbem, ut per Farinacium, & alios probatum eſt. Maximè, ſi in illis conſtructa ſit capella, in qua functiones ſacræ celebrantur, quod pluribus comprobat Guazzin. *ad defenſ. capit. 37. numer. 26.* Ciarlin. *controverſ. par. 2. cap. 198. numer. 36.* & Sperell. *deciſ. forenſ. Eccleſ. par. 1. dec. 49. ſub v. ac ſeqq.* Ubi ait, libertius id eſſe tenendum ob dignitatis celſitudinem.

Sive quoniam negari non poteſt, quin domus ejuſmodi ſint omninò exemptæ a juriſdictione laica ob generalem exemptionem, quæ conceditur ex jure divino, & poſitivo perſonis, ac bonis Clericorum, ut per Sperell. *cit. deciſ. 29. num. 1. & ſeq.* ac juxta deciſionem Rotæ in Albanen. gabellæ coram Merlino inter ejus impreſſas 902. *num. 1.* cujus ſæpè meminimus. Quemadmodum etiam famuli, aut coloni Cardinalium, qui in illis inhabitant, ſunt de foro Eccleſiaſtico inſtar famulorum, ac colonorum Epiſcopi, juxta reſolutiones Sacræ Congregationis apud Barboſam *in Sum. Apoſt. dec. collect. 14. n. 3.* & Sperell. *dec. 42. n. 21.* 8

Idem cùm ſuper his ſaltem cognitio ſpectet ad Judicem Eccleſiaſticum, tanquam Superiorem Clerici, Roland. a Vall. *conſ. 47. num. 25. lib. 4.* Sperell. *deciſ. 12. num. 65.* ſequitur, quòd non ſine culpa Judex laicus propria authoritate ingrediatur ejuſmodi domos ad exercendum ſuam juriſdictionem, examinando teſtes, & recognoſcendo cadaver, ſicut in domo, Clerici propria authoritate publicani reſpondet Sperell. *præcit. dec. 49. a num. 14. ubi num. 27.* firmat ex hoc tantùm dici irrogatam injuriam Clerico, puniendam ab ejus Ordinario, & paulò infrà comprobat habere locum etiam Bullam Cœnæ contra impedientes juriſdictionem Eccleſiaſticam. 9

Neque obſtare poteſt, quòd manſiones, quas Judex laicus ingreditur, ſint deſtinatæ ad uſum operariorum, & tanquam diſtinctæ ab habitatione Cardinalium, habeant ingreſſum a via publica, diverſum ſanè ab ingreſſu palatii. Nam privilegium immunitatis conceditur etiam ædificiis adhærentibus per textum *in cap. ſi quis contumax*, ubi Gloſ. *v. adhærentibus 17. quæſt. 4.* & pluribus aliis firmat Farinac. *in append. de immunit. numer. 268.* Caſtropal. *par. 2. tract. 11. tit. de rever. deb. loc. ſacr. diſp. 1. punct. 6. num. 18.* Et in ſpecie quòd habitationes, etiam pro famulis, & hoſpitibus, animalibus, & hujuſmodi aliis ſint immunes, tradit Bordon. *reſol. regular. tom. 1. reſol. 1. tom. 4. & tom. 2. reſolut. 52. n. 356.* Quod minùs dubitari poteſt in caſu, quo manſiones ſunt incorporatæ, & intra illius ſitum, etiamſi habeant alium ingreſſum. Etenim id poſſet difficultatem facere, ſi manſiones eſſent acquiſitæ poſteà, vel penitus diſtinctæ. Quo caſu requireretur deſtinatio patrisfamilias ad hoc, ut ſub diſpoſitione palatii venirent. Idque præſertim, ſi janua ejuſmodi manſionum fuerit aperta ad commodiorem uſum palatii, non autem manſionem, in quas quotidianus ingreſſus eſt ex oſtio palatii, ut benè declarat Cancer. *var. reſol. lib. 3. cap. 20. q. n. 143.* cum aliis per Surd. *dec. 241. a numer. 7.* eſtque deciſio Putei *96. lib. 3. in correctis*, quòd in legato domus ſuæ habitationis veniat domus contigua, acquiſita poſt teſtamentum. Ac etiamſi aliis locentur, quia cùm ſint palatium, adhuc non improbabiliter gauderent ejus immunitate, ut per Dian. *par. 3. tract. 1. de Immunit. reſol. 71.* Bonac. *tom. 3. diſput. 2. quæſt. 3. punct. 16. §. 4. numer. 7.* ubi rejicit contrariam opinionem, & Lezana *in Summ. v. Immunitas n. 20.* 10

Minùs obſtat, quòd ejuſmodi domus non ſit palatium propriæ, & ordinariæ habitationis Cardinalis, ſed ſolùm ibi quandoque moratur oblectamenti gratia, & propterea non gaudeat Immunitate, ut de domo, quam Epiſcopus habet ruri delectationis cauſa, dixit Ciarlin. *controverſ. 198. numer. 23.* Nam illud dicitur palatium Cardinalis, in quo Cardinalis inhabitat, ut de palatii ſplendore, dignitate, & antiquitate eleganter, ac diligenter, ut ſolet, loquutus eſt Dio. *libr. 35.* his verbis: *Imperatoris autem ædes palatium nominatur, non quod ita aliquandò decretum ſit, ſed quòd in palatio Cæſar habitabat, ibique Prætorium ejus erat, ac nonnihil Domus ejus ab eo toto monte, propterea quod ibi quondam Romulus habitarat ſplendoris accepit.* Subditque Dio. *Ideòque, etſi alibi Imperator domicilium ſuum habeat, tamen id quoque palatii nomen obtinet.* Neque eſt par ratio Epiſcoporum, de quibus loquitur Ciarlinus, ac Cardinalium. Nam iſtis multò magis debetur immunitas, cùm ultra jura epiſcopalia, habeant etiam qualitatem Cardinalitiam, ut rectè Peregrin. *de Immun. cap. 4. num. 75.* & ipſe Ciarlin. *dict. cap. 198. num. 38.* nec debent eſſe deterioris conditionis, ac erant olim Flamines, Diales, inter quorum cæremonias hoc Aulus Gellius *lib. 20. cap. 15.* commeminit: *Vinctum, ſi ædes eorum introiret, ſolvi neceſſarium eſt vincula per impluvium in tegulas ſubduci, atque inde foras in viam dimitti.* Præterea ſemper urgeret ratio ſuperiùs allata, 11

quod

quod ſcilicet, ſi ejuſmodi manſiones, vel domus non ſint immunes, ſaltem dici debeant exemptæ a juriſdictione laicali.

12 Palatium verò Epiſcopi, quamvis locatum gaudet Immunitate, Sac. Congregatio Immunitatis in Aquinaten. 16. Decembris 1666.

13 An palatium unius menſæ Epiſcopalis exiſtens in territorio alterius Diœceſis, gaudeat immunitate? Gaudere reſpondit eadem Sacra Congregatio, dum in eo habitat Epiſcopus, ut in Caſtren. 8. Junii 1670. ſuperiùs relata.

14 In palatio autem Epiſcopi non poſſunt fieri exequutiones, eadem Sacra Congregatio in Cervien. 17. Septembris 1658.

CONSULTATIO CXXIII.

An cuſtodes agrorum ſpectantium ad cauſam Epiſcopalem, uti tales, gaudeant privilegio fori Eccleſiaſtici?

1 FAcit pro negativa primò, quòd ſaltuarius, nempe cuſtos prædiorum, rei veritate inſpecta, non eſt conſiderabilis, uti pars eſt, & inſtrumentum ipſius fundi, cujus cuſtodiæ præponitur, ſed uti quid penitus ab eo ſeparatum, veluti Paulus Juriſconſultus dixit in *l. cum quæreretur 58. §. prædiis de leg. 3.* inquiens prædiis legatis, & quæ eorum prædiorum colendorum cauſa empta, partaque eſſent, ſaltuarium non cenſeri legatum, quia tuendi, & cuſtodiendi fundi magis, quàm colendi cauſa paratus eſt. Quod pariter animadvertit Gloſ. *in l. Inſtrumenta v. Saltuarii de inſtruct.* exponendo ſaltuarios pro iis, qui cuſtodiunt feudum, & tuentur magis, quàm fructibus colligendis præſint.

2 Secundò, quòd ruſticus convenitur coram Judice ſæculari, ſicut ex Jo: Gloſſatore, inquit Abb. *in c. 2. num. 9.* & Felin. *ibid. n. 2. & 3. de for. comp.*

3 Tertiò, quòd privilegium fori Eccleſiaſtici non competit, niſi certa mercede conductis ab Epiſcopo, quique illius expenſis vivunt, quemadmodum exemplificant Burſat. *conſ. 25. num. 2. col. 1.* Gratian. *diſceptat. 242. ſub num. 4.* Tom. Delbene *de Immun. cap. 4. dub. 15. ſect. 1. num. 28. & ſeq.* Ciarlin. *lib. 1. controv. 20. num. 35. & lib. 2. controv. 186. num. 24. & 25.*

4 Pro affirmativa verò extat Decretum Sacræ Congregationis Immunitatis in Tudertina ſub die 29. Januarii 1629. hiſce verbis conceptum: *Sacra &c. cenſuit ad menſam Epiſcopalem Tudertinam ſpectare cognitionem damnorum datorum in bonis Eccleſiaſticis, & perſonarum Eccleſiaſticarum Diœceſis Tudertinæ; necnon pœnas eorundem damnorum datorum; ideòque cauſam Franciſci Solaroli, miniſtri pro hujuſmodi damnis ab Epiſcopo deputati, cognoſcendam a Curia Epiſcopali; cùm gaudeat privilegio fori, nec poſſe Curiam ſæcularem Boſchi contra eum procedere, nec illum cogere ad præſtandum cautionem de non offendendo per acta ejuſdem Curiæ laicalis.* Et in Forolempronien. 20. Decembris 1667. his verbis: *Cuſtos ſylvarum menſæ Epiſcopalis gaudet privilegio fori, ſi vivit pro majori parte anni ex emolumentis dictæ cuſtodiæ, & nullum aliud habeat exercitium.*

5 Quodque Ulpianus non ſolùm dixit in fine, *leg. Inſtrumenta fund. 8. de fund. inſtr. & inſtrum. legat.* ſaltuarios præpoſitos cuſtodiæ ſaltus, & paſtionum accedere inſtrumento fundi, ſcilicet conſervandi fructus cauſa, ſed amplius in ſubſequenti *l. quæſitum 12. §. Saltuarium*, rejecta diſtinctione Labeonis inter ſaltuarium paratum fructuum conſervandorum gratia, & finium cuſtodiendorum cauſa, probavit ſententiam Neratii, dicentis omnes ſaltuarios contineri ſub inſtrumento fundi, ſubdens, & hoc jure utimur, quem ſequitur Coraſ. *lib. 5. miſcell. cap. 21. num. 4.* Idemque aſſeruit Pomponius *in l. ſi ita teſtamento 15. §. mulier, ff. eod.* dicens, quòd mulier cuſtos villæ continetur ſub legato fundi cum inſtrumento, ſicut ſaltuarius, cùm par utriuſque ratio ſit, quia tam villæ, quàm agri cuſtodiam deſiderant, hi ne quid ulni, agri, vel fructuum occupent, illæ ne quid cæterarum rerum, quæ in villa continentur, id de jure conſideratur pro illorum inſtrumento conſervandi gratia fines, ac fructus eorundem, pari ratione videtur dicendum, quòd ſit eodem jure cenſendus, ſicque debeat potiri privilegio ipſis prædiis, uti Eccleſiaſticis, competente. Quod tu tene mordicus.

CONSULTATIO CXXIV.

A Sacra Congregatione de propaganda Fide concedi ſolet Miſſionariis decretum ſequentis tenoris. S. Congregatio cenſuit concedi poſſe diſpenſationem petitam concurrentibus infraſcriptis conditionibus, videlicet, ut Sacerdos miſſionarius ſit peritus in arte medicinæ, & chirurgiæ, & eam gratis exerceat, ut abſque inciſione, & aduſtione operetur, & in loco ubi Miſſionarius degit non ſint medici laici: *Nunc quæritur*

Primo. Quomodo ſe gerere debeant hujuſmodi Miſſionarii in illis partibus, quando ob evidens periculum vitæ alterius patientis neceſſarium eſſet aliquam ex præcipuis corporis partibus incidere?

Secundò. Cùm unus ex dictis Miſſionariis ad præſervandum brachium, & vitam cujuſdam in digito vulnerati, ipſum digitum inciderit, an incurrerit irregularitatem?

IN *cap. ſententiam, ne Clerici, vel Monachi*, Clericis in ſacris interdicitur exercitium chirurgiæ, quæ aduſtionem, vel ſectionem inducit. Et *in cap. tua nos de homicid.* Clericus, vel Monachus aduſtionem, vel ſectionem faciens, tanquam chirurgus, ſi inde mors infirmi ſequatur, fit irregularis, etiamſi omnem adhibuerit diligentiam, & infirmus ex propria culpa ſit mortuus propter ſectionem, vel aduſtionem, licèt morte phyſicè proveniente ex ſectione, vel aduſtione prædicta. 1

Quod planè locum habet in omni Clerico in Sacris, vel in Minoribus quidem, aut in prima tonſura, ſed ſufficientes beneficiato, quia omnia interdicta Clericis in Sacris, cenſentur interdicta Clericis beneficia habentibus ſufficientia ad victum, ſeu ſuſtentationem, Sanch. *lib. 6. in Decal. capit. 14. num. 15.* Abb. *in dict. cap. Sententiam*, Major. *lib. 2. de Irregul. cap. 12. num. 7.* Tolet. *lib. 1. cap. 81. §. 5.* Item procedit etiam in ſectione venæ, ſeu phlebotomia ſecundùm veriorem, ut Bonacin. *de Irregular. quæſt. 4. punct. 5. num. 5.* Avil. *diſp. 6. de cenſur. ſect. 1. dub. 10. concl. 2. §. Hinc ſequitur* contra Molinam *diſp. 75. num. 4. tract. 3.* 2

Hicque unicus caſus eſt, in quo Clericus irregularis fit, ſequuto homicidio, præter intentionem, etſi diligentiam omnem adhibuerit, ne ſequeretur. Nam ideò illi hoc opus prohibitum eſt, quia cum homicidii periculo conjunctum eſt. Qua ratione Monachis, & Clericis ſupradictis ſpeciatim prohibitum eſſe exercitium artis chirurgiæ per inciſionem, vel aduſtionem *ex dict. cap. ſententiam*, & *cap. tua nos* docent ibi Gloſſa, & Abbas, traditque Covar. *par. 2. Clem. §. 4. numer. 9.* Molin. *dict. diſput. 75. num. 7.* Avil. *diſp. 6. ſect. 1. dub. 2.* Quia non eſt ſine culpa, qui rei, quæ ad ipſum non pertinet, ſe miſcet, *regul. Jur. 19. in 6.* Id tamen non procedit, ſi non ſua manu ſecuit, vel uſſit, ſed alius chirurgus ejus mandato, ſecundùm regulam artis, Molin. *ibid. num. 3.* Sayr. *de cenſur. lib. 6. cap. 18. num. 27.* Bonac. *loc. alleg. num. 5. & 6.* Neque procedit in caſu gravis neceſſitatis infirmi, quando non aderat alius chirurgus, Molin. *diſp. 8. num. 11.* Sayr. *num. 10.* Bonacin. *num. 4.* Nam jus ipſum naturale ſic exigit, excuſatque neceſſitas, ac pietas. 3

Ex quibus reſpondeo ad primum poſſe in caſu neceſſitatis. 4

Ad ſecundum, non incurriſſe. Atque ita quòd ad utrumque caſum declaravit Sac. Congregatio Concilii in una Chinen. Irregularitatis die 9. Februarii 1669. Hinc Congregatio particularis ſub die 28. Novembris 1641. pro Miſſionariis Æthiopiæ unanimiter cenſuit in caſibus neceſſitatis, Sacerdotes Miſſionarios poſſe licitè mederi, neque egere diſpenſatione. Vide Dian. *part. 4. tr. 2. reſolut. 23.*

CONSULTATIO CXXV.

An Vicarius Generalis in concurſu Parochialium poſſit legitimè accedere habenti paritatem votorum, omiſſo habente ultra dimidiam?

PRimo ſanè intuitu negandum videtur. Etenim Sacr. Concilium Trid. *cap. 18. ſect. 24. de reform.* tribuit jus Epiſcopo, ejuſque Vicario accedendi dumtaxat, quando omnes oppoſitores deſcripti fuerint examinati ab Examinatoribus ſynodalibus, qui tamen ſint pares, vel ſingulares in votis ſuis. Unde Sacra Congregatio pluries declaravit, Epiſcopum, vel Vicarium non habere vota, niſi vota Examinatorum fuerint paria, ut in Faventina 14. Auguſti 1631. ad 2. & 3. & alibi. Tantùm illi poſſunt accedere, ubi vota ſunt paria, vel ſingularia, ut apud Garz. *de benef. p. 2. c. 2. n. 56.* At in hoc caſu vota non ſunt paria. Unus 1

enim habet ultra dimidiam. Quando enim unus tantùm est approbatus pluribus suffragiis Examinatorum, excedentibus medietatem, cessat paritas, & cæteri dicuntur reprobati, atque adeò dictus Vicarius non poterit accedere habenti votorum paritatem, omisso habente ultrà dimidiam, qui solus instituendus erit, Garz. *loc. alleg. par. 9. c. 2. num. 225. & seq.* Massobr. *de concurs. requis. 5. dub. 22. num. 7.* Buratt. *decis. 952. num. 2.* Merlin. *dec. 354. num. 8. & dec. 394. num. 1. 3. & 8. dec. 733.*

2 Quod expressè decidit textus *in cap. Venerabilem 4. de elect.* Ubi primò præcipit confirmari debere approbatum a majori parte Electorum. Secundò, esse locum gratificationi ad dirimendas discordias in casu, quo nullus est approbatus propter paritatem votorum, notatque Gloss. ibi, *§. Quod autem, & cap. in Genesi, cap. Ecclesia vestra, eod. tit. cap. obeuntibus, §. nunc & c. si forte 63. dist.* ac Rot. *dec. 219. num. 4. & 7. par 9. rec.*

3 Hinc igitur sequitur, non posse dari paritatem ad effectum, de quo agitur, uno existente approbato, Rota *decis. 139. num. 2. par. 7. & decis. 14. num. 29. cum seq. p. 9. rec.* Nam paritas supponit defectum consensus majoris partis Examinatorum in unoquoque oppositore, ac proindè electionem non causat, Rot. *decis. 319. num. 4. tom. 1. & decis. 1. num. 32. & 57. cum seq. & decis. 210. num. 46. & seq. par. 9. rec.* Eminentiss. Otthob. *decis. 29. num. 27. & decis. 37. num. 10. & 27.* Certum enim est, ut quis dicatur approbatus, requiri vota ultra medietatem, ut rectè Vener. *in Exam. Episcop. cap. 25. num. 20.* Massobr. *loc. cit. requis. 4. dub. 7. num. 2.* D. Fagnan. *in cap. cum sit ars nu. 52. de ætat. & qualit.* ac declaravit S. Congregatio Concilii apud Garz. *d. cap. 2. num. 109. p. 9.* Ideòque habens ultra dimidiam, tanquam approbatus necessariò eligi debet ex allegatis in Toletana Canonicatus Pœnitentiariæ 22. Aprilis 1641. *§. Quod facilius vers. Et quando electio* coram Eminentiss. Cerro, confirmata coram Eminentiss. Otthobono *dec. 29. num. 28.*

4 Insuper accessio tunc attenditur, & auget numerum, quando ex ea major resultat numerus, non autem, si solus ad paritatem cum alio electo, seu approbato reducatur, ut firmat Merlin. *dec. 733. num. 7. & 8.* & ubi hanc sententiam veram appellat. Aliàs enim Episcopus, vel ejus Vicarius haberet votum decisum, etiam in eo, quod solùm spectat ad Examinatores synodales, quod nullo modo iis competere, stabiliunt Barbos. *ad d. c. 18. n. 115. & in collect. Apostol. dec. collect. 340. num. 4.* & Massobr *d. requis. 4. dub. 5.*

5 Non obstat decisio Rotæ in Eugubina Parochialis S. Venantii coram Remboldo. Quia non loquitur de accessione, sed de electione. Multum enim inter se differunt. Nam accessio datur in paritate, vel singularitate votorum, ex quo nullus ex oppositoribus est approbatus, ut ex eodem *cap. 18. §. Transactio constituto tempore*. Electio verò datur, quando ab Examinatoribus renunciantur plures approbati, habentes vota favorabilia ultrà dimidiam, ut *in §. Peracto deindè*. Hæc respicit personam Episcopi, qui ex pluribus approbatis, & renunciatis idoneis potest unum, tanquam magis idoneum eligere absque consilio Examinatorum, etiamsi minorem numerum reportaverit, ut sæpè declaravit eadem Sacra Congregatio, & tenuit Rota in d. Eugubina Parochialis, & in Naulen. Parochialis 15. Maji 1662. *§. Quia Ordinarius, & seq.* coram Eminentiss. Cerro. Illa respicit personas Examinatorum, & versatur circa habilitatem, & idoneitatem eorum, qui fuerunt examinati, & hoc totum, atque integrum absque ulla participatione Episcopi spectat ad ipsos Examinatores, quorum judicium Episcopus expectare debet, Passerin. *de elect. canon. cap. 30. num. 102. & 103.*

6 Minus obstat, quòd Concilium eo loco dicat, posse Episcopum, vel ejus Vicarium accedere, quando vota sint paria. Hic autem unus habet vota paria. Nam etiam dicit, quòd possit accedere, quando vota sint singularia. Unde si in hoc concursu sint vota singularia, potest Episcopus accedere, omisso habente vota paria, vel ultra dimidiam. Quod sanè dicendum non est. Quare sicut non potest accedere habenti vota singularia, quando adsunt vota paria, ita non potest accedere habenti vota paria, quando adsunt habentes ultra dimidiam. Intelligendum itaque Concilium est de votis paribus, & singularibus in omnibus concurrentibus ejusdem concursus, in quo, ut dictum est, Episcopus, vel Vicarius votum decisivum non habet, haberet autem, si posset accedere habenti paritatem votorum, omisso habente ultra dimidiam. Quod videtur esse contra mentem Concilii, atque ita censuit Sacra Congregatio Concilii in Civitatis Castellanæ concursus die 1. Septembris 1668. scilicet, Vicarium non potuisse accedere.

Verùm quia huic declarationi adversatur alia ejusdem Sacræ Congregationis declaratio, edita anno 1604. quæ respondit ad simile dubium, in abstracto tunc propositum, quodque reperitur in libro 123. memorialium fol. 324. sequentis tenoris: *An, existentibus duobus concurrentibus examinatis a quatuor Examinatoribus, quorum unus reportavit omnia vota favorabilia, alter verò tantùm duo, possit Episcopus sui voti accessione approbare secundum. Itaut cùm hic secundus ultrà dimidiam, incluso voto Episcopi, vota favorabilia habeat, sit judicandus idoneus, uti primus adeò, ut liceat deinde Episcopo elicere ex his duobus, quem sibi magis idoneus videbitur? Sacra Congregatio Concilii censuit, eum quoque, qui a duobus Examinatoribus approbatus, & ab aliis duobus reprobatus fuit, si Episcopus votis approbantium accesserit, quem admodum ei licet per decretum Concilii, cap. 18. sess. 24. approbatum intelligi, ac propterea posse etiam ad Parochialem vacantem regendam Episcopi electione alteri præferri, si eum altero magis idoneum judicaverit.* Cæterùm dubium cum hac declaratione extat iisdem verbis, & ordine uti fuit extensum sub die 1. Dec. in libro verò decretorum reperitur tantummodò ipsa declaratio allegata; ideò iterùm proposita dicta causa Civitatis Castellanæ concursus sub die 9. Februarii 1669. eadem Sacra Congregatio, mota ex adducta declaratione ann. 1604. censuit recedendum esse ab ultimo loco decretis. Præcipuum autem fundamentum illud mihi videtur, quòd habens vota paria censetur approbatus, ut ex Tridentino loco citato. At Episcopus non solùm potest accedere approbatis sed illos eligere ex jam dictis. Neque tenetur Episcopus judicare, & eligere ex collatione votorum, habita ratione calculorum, sed approbatum ab omnibus electoribus potest relinquere, & eum admittere qui vix fuit approbatus, etiamsi fuit approbatus per accessum ejusdem Episcopi in casu, quo vota Electorum fuerint paria. Quia omnes approbati dicuntur quicunque sunt approbati sive ab omnibus, sive a majori parte, & Episcopo sufficit, quòd unum ex approbatis eligat, ut ex verbis Concilii clarè habetur, & tanquam decisum a S. Congregatione tenent Garz. *dict. part. 9. cap. 2. num. 109.* Massobr. *d. requis. 5. dub. 21.* Barbos. *ad d. cap. 18. num. 116. & 122. & de Paroch. cap. 2. num. 88. & 93.* & idem tenet Cardinal. de Lugo *de just. & jur. disp. 35. num. 65.* Pax Jordan. *lib. 10. tom. 8. num. 180.* & Passerin. *d. cap. 30. num. 104.*

CONSULTATIO CXXVI.

An distributiones quotidianæ, pro personali assistentia in Choro Canonicis debita, & ante ipsorum obitum non exactæ, subjaceant spolio?

1 Si enim antiqua spectemus jura, licèt de jure communi fructus Ecclesiæ, vel beneficii vacantis per Oeconomum ab Episcopo, vel Capitulo deputandum, percipiendi sint, & vel in utilitatem Ecclesiæ, ejusque onera supportanda, expendendi, vel saltem successori in beneficio servandi sint, *c. Cum vos de offic. ordin. c. Quia sæpè de elect. in 6. c. Præsenti de offic. ordin. etiam in 6.* Similiter bona a Prælato, seu beneficiato acquisita ex fructibus Ecclesiasticis ejus, congruam sustentationem excedentibus, remaneant eidem Ecclesiæ, seu beneficio jure spolii, seu legitimæ successionis, *c. Placait 12. qu. 3. c. Cùm in officiis, c. Relatum de testam. c. 1. de succes. ab intest.* de quibus vide Azor. *tom. 2. lib. 7. c. 9. quæst. 8.* Covar. *in d. c. Cùm in officiis num. 6.* Molin. *tom. 1. disp. 147. concl. 5.* Navar. *de spol. §. 10. to. 1.* Garz. *p. 2. de benef. c. 1. num. 89.*

2 Attamen ex novo jure in multis facta est eorum applicatio jure spolii Cameræ Apostolicæ. Et primò, fructus beneficiorum Italiæ Sedis Apostolicæ reservatorum, seu affectorum, vacantium, ex Bulla Pii IV. *Constit. 32.* & Sixti V. *Bull. 100. §. 20.* de quibus Garz. *ibid. num. 90.* Secundò, omnia a beneficiatis, seu Clericis acquisita ex fructibus bonorum Ecclesiasticorum inconsumpta tempore obitus remanentia, si, & quatenus testandi facultate legitima a Sede Apostolica obtenta de eis non disposuerint ex Bulla 29. Pauli III. quæ incipit, *Romani Pontificis*, Navar. *loc. cit. §. 5. num. 3.* Filliuc. *tr. 43. cap. 5. a nu. 1.* Tertiò, item omnia bona ab Ecclesiasticis acquisita per illicitam negotiationem ex Bulla 19. Pii IV. de quo nos alibi. Quartò, bona a Clericis relicta illegitimis ex dicta Bulla Sixti V. *§. 15.* Quintò, bona Regularium extra claustra degentium, & decedentium ex Bulla Gregor. XIII. 43. nisi quatenus, facultate testandi habita, disposuerint, *ut ibid.* Sextò, bona Clericorum extra residentiam debitam decedentium ex Bulla 91. Pii IV. ex Bulla 7. Julii III. Septimò, fructus beneficiorum vacantium a defuncto inexacti ex eadem Bulla Julii III.

Id

3 Id autem limitatur primò, quòd multi dicunt, fructus beneficii vacantis pertinere ad Cameram, quando beneficium vacat de jure, & de facto, secus si de jure tantùm, ut quia collatio facta fuit nulla ex aliquo defectu occulto. Unde dicunt, revalidato titulo, fructus ad eundem pertinere provisum. Ita Em. Sà *v. Beneficium num.* 21. Navar. *de spol. §.* 12. *num.* 3. & 4. Filliuc *d. tr.* 43. *cap.* 8. *num.* 18. Borgas *de Irregul. par.* 7. *tit.* 1. *nu.* 17. & Bellamer. *dec.* 842. Contrarium videtur statutum in Bulla prædicta Sixti V. *§.* 13. ubi reservat Cameræ omnes fructus Ecclesiarum, & beneficiorum malè perceptos, etiam ex titulo infecto. Quod intelligendum est pro foro externo. Limitatur secundò circa bona ab Ecclesiasticis acquisita per illicitam negotiationem, dubiumque est, an hæc applicatio sit legis pœnalis, ut non liget ante sententiam, ut alibi dictum est.

4 Occupans verò bona Ecclesiæ vacantis, vel defuncti beneficiati, ad Cameram pertinentia contra jus spolii supradictum, si prætextu privilegii, aut alterius facultatis injustè id faciat, incurrit in excommunicationem latam a Tridentino *sess.* 22. *cap.* 11. *de refor.* & in Bulla Cœnæ Domini *cap.* 17. Quia licèt ibi tantùm sit sermo de rebus pertinentibus ad Papam, & Sedem Apostolicam, & ad personas Ecclesiasticas ratione Ecclesiarum, seu beneficiorum suorum; tamen, etiam Sede vacante, dicti fructus, & bona dicantur pertinere, ad personas Ecclesiasticas, saltem in genere, id est successores, quibus posteà conferentur Ecclesiæ, seu beneficia vacantia, & ita tenent Suar. *de cens. disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 97. Navar. *cap.* 77. *numer.* 70. Sayr. *de cens. lib.* 3. *cap.* 21. *num.* 4. Estque communis contra Cajetanum *in sum. v. excommunicatio cap.* 27. Toletum *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 6. sed quoad fructus, & bona, quæ vacante beneficio, capit Camera Apostolica ratione spolii, non potest esse dubium, quin sit locus excommunicationi *d. cap.* 17. *Bullæ in Cœna Domini*. Est tamen advertendum, quòd multi putant, Bullam ibi loqui tantùm contra usurpantes vigore laicæ potestatis publicæ, ut Sousa *super d. Bull. in Cœna Domini disp.* 90. Ugolin. *in d. cap.* 17. *vers. vel etiam*, Navar. *dict. cap.* 77. *nuu.* 72. Alter. ibi *cap.* 2. *col.* 3. sed quod procedat de quocunque usurpante quavis potestate, tenet Reginal. *lib.* 9. *cap.* 25. *num.* 371. Duard. & Filliuc. quos sequitur Bonac. *super eadem Bulla quæst.* 18. *punct.* 3. *num.* 2. si autem furtivè occupet nullam a jure communi censuram incurrit secundùm probabiliorem, sed incurrit excommunicationem, quando a Commissariis spolii Ecclesiastici promulgabitur contra non restituentes, vel non revelantes. Ita Mar. Alter. *to.* 2. *disp.* 12. *c.* 3. *in fin.*

5 Atque ex his ad dubium propositum respondeo negativè. Nam distributiones quotidianæ non censentur fructus beneficii, quando beneficium habet distributiones a fructibus separatas, sed sunt bona quasi patrimonialia, Garz. *de benef. p.* 2. *cap.* 1. *num.* 19. Bonac. *punct.* 2. *§.* 1. *num.* 3. *to.* 1. *de Var. tr. disp.* 4. Ex Bulla autem Julii III. solùm fructus beneficii spolio subjacent. Quod procedit, etiamsi Canonicatus non haberet alios fructus præter distributiones quotidianas, ut censuit Sac. Congregatio Episcop. & Regul. in Avellina 29. Novembris 1600. & declaravit Sacr. Congregatio Concilii ad *cap.* 12. *sess.* 23. & *d. c.* 11. *sess.* 12. *de refor.* in Neapolitana sub die 9. Februarii 1669. nempè distributiones hujusmodi, & Capitulum non subjacere spolio.

6 Hæres verò Canonici, qui vel testatus, vel intestatus decessit, in ea distributionum parte succedit, quæ Canonico, vel beneficiato tempore mortis competebat pro rata temporis, quo defunctus realiter, vel fictione juris, id est legitimè impeditus inservivit, Bonac. *loc. cit. punct.* 11. *num.* 6. Secus autem est de fructibus, qui, si tempore obitus beneficiatorum, vel pendentes, & a solo nondum separati, vel separati, & adhuc exacti non fuerint, non ad hæredem sed ad successorem in beneficio spectant, ubi non spectant ad Cameram Apostolicam tanquam spolia, *cap. Quia sæpè de elect. in* 6. Julius III. Const. 7. quam confirmavit Urbanus VIII. Const. 80. incip. *æternus*, Rot. in Romana, seu nullius pecuniarum 4. Junii, & 19. Novembris 1593. coram Pegna. Quod ampliatur, ut Clericus non possit suos hæredes necessarios tali hæreditate privare, sed eis omninò saltem legitimam relinquere teneatur juxta Authores, quos sequitur Garz. loco citato. Item ut habeat locum etiam in fructibus beneficii, vel pensionis, congruæ sustentationi necessariis. Nam hos cui voluerit Clericus relinquere poterit, & si decesserit ab intestato, cedunt hæredibus. Quoniam fructus beneficii, qui non sunt superflui, & quos sibi Clericus parcè vivendo congruæ sustentationi subtraxit, reputantur bona quasi patrimonialia, Bonac. *loco alleg.* Fructus autem necessarii semper reputantur, qui triginta aureos annuos non excedunt, ut ex Constitutionibus dictorum Pontificum habetur.

Et ut ista materia, quæ in praxi quotidiana versatur, clarius discutietur sciendum est, quòd fructus beneficii tempore mortis beneficiati nondum percepti, sed illi debiti in triplici sunt differentia. Aliqui sunt nondum percepti, quorum tamen tempus, & dies solutionis jam præteriit. Alii, qui debentur, nondum tamen eorum dies solutionis advenit, ob commodum enim conductoris solutio in duo anni tempora dividitur, & potest esse, ut paulò ante mensem verb. gr. Septèmbris beneficiatus decedat, in quo solutio fieri debeat fructuum, qui illi debeatur pro semestri spatio proximè elapso. Aliqui tandem sunt percipiendi, qui adhuc in arbore pendent post mortem beneficiati, maturati tamen tempore successoris.

His positis dicendum est. In terris, in quibus reperitur, & solet esse collector Apostolicus fructus omnes primæ, & secundæ differentiæ debiti, sed nondum percepti a beneficiario defuncto spolia fiunt, & Cameræ Apostolicæ debentur. Ita sancitum est Constitutione Julii tertii, quam latè explicat Redoanus *q.* 5. 8. Quia fructus isti jure communi antea Ecclesiæ, successori in beneficio debebantur ex Ostiensi, Calderino, & aliis apud Azor. *c.* 3. *q.* 13. *p.* 1. Fiscus autem Apostolicus in istis bonis successit loco Ecclesiæ, ut benè Redoanus *qu.* 1. & Azor. *c.* 1. *q* 3. 4. & 5.

In terris, in quibus non est, nec solet esse collector Apostolicus, ut in Urbe, hujusmodi fructus debentur successoribus, ut illorum spolia, & nullo modo possunt hæredibus transcribi. Quod etiam sanxit Julius tertius in alia Constitutione, qua præcedentem declaravit, de qua post Redoanum *d. qu.* 5. Azorius *cap.* 3. *qu.* 13. Quaranta in *Bullar. v. Spolium*.

Fructus verò tertiæ differentiæ, qui adhuc in arbore pendent, & tempore successoris matureścunt, debentur ipsi successori: Quia constat eos esse domini fundi. Quippè dum percepti non sunt reputantur pars fundi, & ideò ad illius dominum pertinent, *ut ex l. fructus pendentes* 45. *ff. de rei vindic.* ibi: fructus pendentes pars fundi videntur, ubi Glos. *v. pars*, ait, ideò in eadem vindicatione fundum, & fructus illos venire propter unitatem, *l. Julianus*, *§. si fructibus ff. de empt.* & *l. Cum filius*, *§. Dominus ff. de leg.* 2. & *l. si servus communis §. locum ff. de furt.* Idque licèt fructus illi sint venturi, & proximè colligendi; non enim quoad hunc effectum reputantur collecti, sed sunt adhuc pars fundi, ut clarè probat textus *in l. fin. §. penult. ff. quæ in fund. credit.* & tradunt Claud. Cantiuncul. *§. Siquis non a domino*, *institut. de rer. divers.* & Petr. Barbos. *in l. divortio* 8. *§. interdum num.* 5. *ff. sol. matrimon.*

Non obstat Constitutio Sixti V. qui jubet dividi hos fructus pro rata temporis. Nam Constitutio illa est localis pro Regno Neapolitano tantùm. Quare non est extendenda ad alias Regiones, cùm sit præsertim contra jus commune *cap.* 2. *de rescript.* & *cap. statuto de decim. in* 6. lex enim non obligat, nisi eos, quibus loquitur juxta illud Apost. ad Rom. 3. *Scimus autem quoniam quæcumque lex loquitur, iis, qui in lege sunt loquitur*.

Paulus V. Constitutione sua 18. aliàs 14. disponit in Urbe, & per decem milliaria non fieri spolium, & tribuit circa fructus inexactos liberam testandi facultatem. Tandem Urbanus VIII. in suis regulis Cancellariæ editis anno primo sui Pontificatus, ut in Bullario Cherubini *to.* 3. revocat facultates testandi circa fructus beneficiorum cum narrativa id esse in præjudicium successorum, & Ecclesiarum detrimentum. Idemque Urbanus *Constit.* 80. confirmat Bullam supra citatam Julii III. suam Regulam Cancellariæ circa fructus inexactos, & etiam decretum Camerale, in quo revocantur duntaxat facultates testandi de fructibus.

Neque obstat, quòd in d. Constitutione Urbani dicatur cum præservativa jurium Cameræ. Quia dum confirmat Constitutionem Julii III. intelligitur ubi fit spolium, non autem in Urbe, in qua non fit spolium ex citata Const. Pauli V. His accedit, quòd inhibuit Thesaurario, & Clericis C. A. aliter quàm in dictis Constitutionibus innovatis judicandi, & sic nulla est difficultas, quia fructus inexacti debeantur Parochis, aliisque beneficiatis successoribus in Urbe, & in locis, in quibus non fit spolium.

CONSULTATIO CXXVII.

An ab assignatione congruæ Parochialis detur appellatio suspensiva? Ubi de appellatione in causa alimentorum, congrua debita Curatis atque Episcopis nonnulla.

1 NOn putò. Nam licèt de jure in omni casu appellatio sit regulariter permissa, *l. Illum, Cod. de coll. l. 3. in fin. ff. de prævar. cap.* 11. *de sent. excommun.* tamen regula in causa congruæ, quæ datur ratione alimentorum, locum non habet, cùm sit causa privilegiata, & ideò, quamquam ordinaria concedatur commissio appellationis, diversimodè tamen id fieri solet. Nam aut agitur de alimentis futuris, vel præsentibus, vel de præteritis. Si agitur de præsentibus, aut futuris datur appellatio, sed addita clausula, sive retardatione præstationis alimentorum. Quia cùm venter dilationem non patiatur, in hujusmodi alimentis simpliciter non admittitur appellatio, itaut ipsorum traditio sit retardanda, Bart. *in l. Mela num.* 5. *& in addit. v. appellatio, ff. de Alim. & cib. leg.* Illa enim negans hominem necare dicitur, textus *in l. necare*, ubi etiam Bartol. *ff. de lib. agn.* Roland. a Valle *cons.* 54. *num.* 6. *vol.* 2. *cap.* 1. 83. *dist.* Et ideò pro alimentis præteritis transigi poterit, non autem pro futuris absque licentia Judicis, Bald. *in l. de alimentis, C. de transact. in princ.* Quare hanc causam summariam esse Jurisconsulti asserunt, ut Bald. *in l.* 1. *n.* 6. *C. de fideic. & in l. si quis in suo Cod. de inoffic. testam.* Sperell. *tit. de appel. §. in quibus num.* 11. ubi Jo: Andr. Quod locum habet sive petitio alimentorum fiat officio Judicis, sive jure actionis, rejecta distinctione Speculatoris *tit. de appel. num.* 11. Si verò agitur de alimentis præteritis, causa non est ita summaria, quia non militat eadem ratio, Jas. *in d. l. de alimentis num.* 5. *&* 6. ubi Bart. Specul. *loc. cit. §. in quibus num.* 11. Caputaquen. *dec.* 74. *lib.* 1. & proindè nec eadem debet habere privilegia. Quare S. Congregatio Concilii in Neapolitana congruæ sub die 9. Februarii 1669. rescripsit, Parochus utatur jure suo.

2 Enimverò sive intelligamus de diœcesi, & Episcopo, sive de Parochiis inferioribus, Rectori Curato debetur congrua, hoc est portio sufficiens ad vitam sustentandam juxta ejus gradum, *cap. extirpandæ, cap. de monachis de præb. cap.* 1. *eod. in* 6. Rot. apud Farinac. *p.* 1. *decis.* 420. *num.* 3. Quod si omninò certum non esset, non habere congruam, præsumitur habere. Quia quodlibet beneficium curatum præsumitur congruum, sibique imputet, qui tenue acceptavit. Rota ibi *n.* 4. Si verò constet non habere congruam, hujusmodi acceptatio Parocho non præjudicat. Nam ista congrua debetur Parochis, ne vacantes quærendo sibi victum, deserant curam animarum, vel ne ob nimiam egestatem in illa exercenda committant, quæ non deberent committere, neve sint ludibrio ipsis parochianis, quos debent coercere. Et proinde cùm id non concernat præcipuum commodum ipsius Parochi, sed ordinis Parochorum, & curæ animarum, consensus Parochi tacitè resultans ex acceptatione tenuis beneficii, in nulla debet haberi consideratione, cùm aliàs ad prædictum effectum neque expressus quidem suffragetur.

3 Hæc autem congrua in primis debetur de decimis, quæ tàm jure divino, quàm positivo speciatim destinatæ sunt ad usum Rectoris sustinentis curam animarum, *cap. Cum contingat, c. Cum in tua, cap. parochianos de decim. can. revertimini* 16. *qu.* 1. *can. omnis decimæ* 16. *quæst.* 7. *cap. fin. de paroch.* & Rota *loco citato*. Quod procedit etiam si ex privilegio Apostolico decimæ percipiantur ab aliis. Quia intelligitur cum onere, ut congrua remaneat Rectori, Bot. *ibid. num.* 7. Quòd si decimæ nullæ, vel exiguæ solvantur, debent parochiani, qui percipiunt sacramenta, congruam subministrare, vel supplere, eadem Rot. *num.* 8. & Sacra Congregatio Episcop. & Regul. in Interamnen. 27. Martii 1601. & 18. Junii 1602. & 7. Septembris, & 18. Martii 1603. in quam non computantur incerta, quia vitæ sustentatio ab incertis pendere non potest, Rot. *ibid. num.* 2. Taxaturque secundùm consuetudinem locorum, & qualitatem personarum, & taxata a Commendatore debetur etiam a successore, S. Congregatio super Episc. in Lauretana 14. Novembris 1603. *cap.* 3. *ad hæc de offic.* Pro Curato tamen ordinario solet taxari duobus aureis, vel tribus scutis monetæ pro quolibet mense Sac. Congreg. super Episc. in Callien. 29. Octobr. 1616. Congrua verò portio pro substituto parochialis annui redditus trecentorum aureorum non debet esse minor quinquaginta, nec major centum aureis pro quolibet anno, consideratis qualitatibus personæ, temporis, & loci, nec non quantitate fructuum ipsius parochialis, S. Congregatio Concilii in Asten. 28. Octobr. 1581. ex Const. 47. B. Pii V. *Ad exequendum*. Quæ tamen intelligitur de Vicariis post Concilium creatis, nec extenditur ad veteres, qui suos certos, ac pinguiores redditus habent. Alibi fuit rescriptum pro congrua Vicariorum, si beneficium non excedat centum, esse triginta: si excedat, esse tertiam partem. Quòd si præ tenuitate assignentur omnes fructus, Monasterium, &c. liberatur ab onere solvendi quindenium, sed Vicarius tenetur Bullas Apostolicas expedire, & Annatam solvere ex dicta Constitutione. Neque habenda est ratio oblationum, quia sunt exiguæ, & incertæ. Pendent enim ex libera offerentium voluntate, & ideò ad certam summam redigi non possunt. Quod in primitiis dici non potest, Oldr. *cons.* 118. Anchar. *in Clem. un. col. pen. de conces. preb.* Felin. *in cap. ad aures num.* 38. *in fin. & num.* 39. *de rescr.* Put. *dec.* 169. *lib.* 3. Rebuff. *in tr.* 14. *de congr. port. quæst.* 11. *num.* 83. *&* 86. ac Rota coram Mant. *dec.* 269. *num.* 6.

Archiepiscopo Tranensi suspenso fuerunt assignata scu- 4
ta quinquaginta pro quolibet mense ex Sac. Congregatione super Episc. 6. Octobr. 1646. Episcopo Amychlensi, coadjutori Archiepiscopi Arborensis in Sardinia mille scuta annua monetæ Romanæ absque incertis, quæ cedere deberent Archiepiscopo, eadem S. Congregatio in Orestana 18. Novembris 1639. Quòd si est pauper non potest hanc congruam sibi in literis Apostolicis assignatam, remittere, Sacr. Congregatio Concilii 26. Junii 1621.

Die 11. Junii 1568. apud S. Petrum in Consistorio San- 5
ctitas sua decrevit, omnes pensiones assignatas Suffraganeis super fructibus Ecclesiarum, quibus præficiuntur, transire ad successores, dummodò illis Ecclesiis, quarum sunt Suffraganei, deserviant, vel saltem per ipsos non stet, quin inserviant, aliàs statim censeantur extinctæ. Suffraganei verò deinceps dari non possint Archiepiscopis, & Episcopis, etiam quibus solent concedi, nisi pro eorum sustentatione assignentur super fructibus Ecclesiarum, quibus suffragari debent trecenti, vel saltem ducenti ducati aurei de Camera. Item Episcopi gravati pensionibus assignari solent pro congrua mille ducati annui, de quibus securi jam redditi per schedulam mensariam, vel alio modo coguntur relinquere pensionariis administrationem bonorum mensæ, seu alterius beneficii, Sac. Congregatio super Episc. in Alerien. 25. Januarii 1658. & 29. Martii, & 24. Maii ejusdem anni. Præterea debet Episcopus coadjutus dare suo Coadjutori commoditatem habitationis in palatio Episcopali, & omnia necessaria pro excercitio Pontificalium, & aliis Episcopalibus functionibus, S. Congregatio super Episcop. in Nicoteren. 27. Junii 1619. Episcopi verò loco congruæ, si indigeant, solent exigere charitativum subsidium, de quo alibi. De Episcopis autem suffraganeis, ac titularibus vide Fagnanum *in cap. Episcopalia de privileg.*

CONSULTATIO CXXVIII.

An, & Quatenus Episcopus in causis suæ mensæ possit esse Judex, præsertim in personas non subditas, & in bona extra propriam diœcesim?

ET hujus quidem sinuosæ quæstionis scopum, assum- 1
pta in consilium ratione, diligentius considerando, affirmandum videtur. Ac licèt enim si antiqua primùm spectemus jura, id nullibi reperiatur expressè decisum, sed solùm loquantur de Prælato, etiam inferiori excommunicante ob violentiam de facto in suam personam, vel bona sua illatam, ut in *cap. Dilecto de sent. excom. in* 6. ubi de Decano, ille tamen textus non explicat, an balivus ille, bonorum occupator, esset subditus Decano, vel exterus, aut aliàs exemptus, & an illa bona, quibus balivus dictum Decanum injuriosè spoliare, seu violenter occupare præsumpserat, essent bona Ecclesiæ, vel bona propria. Quòd ultimum denotare videtur, dum utitur verbis illis: *Eum bonis suis mundanis spoliare*.

Ex hoc enim perspicuè patet ibi agi de bonis privatis, non 2
autem Ecclesiæ. Primò, ex illo verbo *suis*, quòd denotat dominium, & proprietatem, *l. scribit Quintus* 30. *ff. de aur. & arg. leg.* Gregor. *dec.* 115. *n.* 6. Id, quod applicari non potest bonis Ecclesiæ; quia non sunt in dominio Prælati, neque ejus dici possunt, quia ipse est merus administrator. Secundò, ex verbo *mundanis*. Bona enim Ecclesiæ sunt patrimonium Christi, & pauperum, ideòque dicuntur sancta, & Ecclesiastica, non autem mundana.

Cùm igitur Innocentius, quem, re non discussa, se- 3
quuntur Anchar. Jo: Andr. Gemin. & alii relati a Cavalc.

dec.

dec. 28. *p.* 1. *a num.* 39. & a Ricciul. *de jur. person. lib.* 4. *cap.* 61. *num.* 34. *in d. cap. dilecto num.* 2. dicat: *Dummodò tamen spiritualis gladius non exerceatur, nec pro sua, nec pro aliena injuria, nisi contra homines suæ jurisdictionis, naturalis tamen defensio pro se, & aliis benè potest exerceri, etiam in homines cujuscunque jurisdictionis*, non distinguit, an agatur de bonis ac juribus Ecclesiæ, quin potiùs ostendit, quòd agatur de ejus injuria privata, ut ex illis verbis: *nec pro sua, nec pro aliena injuria*.

4 At quando agitur de tuendis juribus, ac bonis Ecclesiæ posse Prælatum uti gladio spirituali censurarum, etiam contra non subditos, probat diffusè Ricciul. *d. c.* 61. *a num.* 36. signatè verò *n.* 39. Ubi ponderat illud satis concludens, & luculentum principium, quòd faciliùs forensis, & non subditus violentiam, & injuriam inferre potest Prælato, quam subditus, ideòque ubi major, & facilior est offensio, ibi magis prompta esse debent arma spiritualia defensionis. Et ita declarasse Sac. Congregationem Episcoporum, & Regularium negotiis præpositam sub anno 1619. refert *numer.* 44.

5 Quòdque illa facultas, quæ de jure competit Episcopo utendi gladio spirituali pro defensione, & compescendi perturbatores jurium ac bonorum Ecclesiæ, ipsiusque Episcopi procedat extrajudicialiter etiam extra proprium territorium, ubi certum est, quòd non habet jurisdictionem per *text. in l. fin. ff. de jurisd. omn. Jud.* docet D. Fagnanus, qui eheu, dum hæc cogito, vita defunctus est. Venerandus senex, rerum humanarum, divinarumque scientissimus. Amisi vitæ meæ testem, rectorem, & magistrum, Fagnanus *in cap. procurationes de censib. num.* 39. ubi prodit exemplum de monasterio existente in aliena diœcesi, in cujus visitandi possessione Episcopus turbetur. Licèt enim hoc casu præsumptio sit contra Episcopum, quòd dictum monasterium non sit ei subjectum, adhuc tamen ratione turbatæ possessionis potest contra impedientem procedere per viam excommunicationis, Butr. *in cap. venerabili num.* 10. Anch. *num.* 8. *in fine de censib.* & alii, quos sequitur Fagnan. loco allegato. Nam esse intra, vel extra diœcesim inducit solùm juris assistentiam, vel respectivè necessitatem probandi possessionem, qua probata, nil refert, esse in proprio, vel alieno territorio. Et procedendo extrajudicialiter uti pars, non intelligit, nisi se ac bona sua defendere. Defensio autem non est restricta ad certum locum, Gemin. *in d. cap. venerabilis n.* 6. & 7. Franch. *in dict. cap. dilecto n.* 3. & Steph. Cost. *num.* 10. Et sanè si non subditus turbando jurisdictionem, seu aliàs offendendo aures Judicis non sui, & incompetentis ita dicitur effici subditus, ut iste dicatur forus omnium magis privilegiatus ex notatis per Doctores *in cap.* 1. *de offic. deleg.* & *in l. addictos*, *C. de Sacrosanct. Eccles.* nominatim per Farinac. *q.* 84. *n.* 67. & *seqq.* & *cons.* 134. *lib.* 2. cur hæc eadem jurisdictio in re præsenti locum habere non debeat?

6 Id autem potiori jure procedit ubi agitur de censuris illatis a jure, in quibus Episcopus eas non infert, nec aliquid facit ex jurisdictione, & authoritate propria, sed solùm denunciat populo usurpatorem bonorum Ecclesiæ esse excommunicatum. Et proinde hæc declaratio non exigitur, quòd sit ritè facta, Add. *ad Lap. alleg.* 73. *lit. I. in fin.* Bellett. *disquis. Cler. par.* 1. §. 4. *num.* 42. dicens hanc esse communem opinionem Canonistarum, & Theologorum. Ex qua ratione receptissimum est tàm in Sac. Congregatione Concilii, cujus decreta alibi adduxi, quàm in Sac. Congregatione Immunitatis, quòd Ordinarii locorum declarant excommunicatos Milites Hierosolymitanos, ac Regulares, aliosque exemptos, habentes in specie privilegium, ne possint excommunicari, quoties agitur de censuris illatis a jure, ut declaravit eadem Sac. Congregatio Immunitatis in Messanensi interdicti anno 1653. contra Milites Hierosolymitanos, & alios servientes eorum Prioratui.

7 Ac potissimùm procedit ubi non agitur de censuris prolatis pro delicto facti transeuntis, sed permanentis, pro quo delinquentes sunt notoriè excommunicati excommunicatione ipso jure inflicta, ut proinde resultet, quòd ubi etiam declaratio facta per Episcopum esset omninò invalida, & habenda ac si nunquam facta esset, adhuc tamen excommunicati exaudiendi non essent, sed declarandi sunt excommunicati ex ipso solo facto, seu delicto, per quod sequutus est censurarum incursus ipso jure, dum in eo perseverant. Ac propterea locum habere videtur propositio, quòd malè captus benè detinetur, si constat incontinenti de delicto, pro quo si non esset captus, deberet omninò capi ex plenè congestis a Farinac. *qu.* 27. *n.* 151. *cum seqq. ubi n.* 153. testatur de praxi. Sive locum habet altera conclusio quòd licèt sententia lata per Judicem a quo sit nulla, si tamen liquet de ejus justitia, tunc Judex appellationis unico contextu potest eam infirmando, iterùm sententiare, Put. *decis.* 72. *lib.* 3. Seraph. *dec.* 857. *n. ult.* & *dec.* 878. *per tot.* Gregor. *dec.* 131. *num.* 1. & alibi. Ac etiam quòd immissus in possessionem ex processu nullo, si constat de ejus justitia, ad evitandum inanem circuitum manutenetur, Seraph. *d. dec.* 878. Surd. *dec.* 46. ubi Addens, & cessantibus vel positivo spolio violento, vel attentatis, est conclusio communis.

Illustremus rem exemplis. Si Judex laicus custodiæ tra- 8
deret Clericum, vel extraheret quempiam ab Ecclesia, & Episcopus malè servato ordine judiciario, aut aliàs carens jurisdictione in illum Judicem cum processu nullo processisset ad censuras, ipseque Judex recurreret ad Sedem Apostolicam pro illarum infirmatione, & adhuc de facto continuaret in delicto, detinendo Clericum, & non se offerendo satisfacere Ecclesiæ, absque dubio non esset exaudiendus. Quia ubi etiam nullæ essent censuræ declaratæ per Episcopum, adhuc validæ, ac notoriæ sunt illæ, quæ refultant ab ipsa perseverantia de facto in delicto præferente incursum censurarum ipso jure.

Item si communitas aliqua sæcularis usurparet, atque 9
occuparet pascua Ecclesiæ de facto. Nam juris regula est, quòd herba, quæ in meo agro nascitur, mea est, tanquam rei fructus, neque alter potest eam, me invito, depascere sine legitimo titulo. Esset enim spolium, ac turbatio possessionis rei meæ ad textum *in l. Quintus Mutius*, *ff. ad leg. Aquil. l. injuriarum*, & *l. seq. ff. de injur.* cum aliis deductis in Narnien juris pascendi coram Verospio *dec.* 300. & 347. *par.* 9. *rec.* Atque id sanè, cessante servitute quæsita ex contractu, vel præscriptione, quæ ex veriori sententia, tanquam in servitute, habente causam discontinuam, debet esse immemorabilis, est indubitatum. Quippè conclusio super juris assistentia, quam communitas habet in re pascendi procedit in bonis communibus, ut declaratur *d. dec.* 300. *sub initio*, sive in montibus, ac locis campestribus, & nemorosis, destinatis usui communi pascuorum, in quibus præter usum civium, adhuc pascua supersint, unde possunt asidari, hoc est in fidem recipi exteri, & tunc quæstio excitatur, an in illis habeat juris assistentiam communitas, sive Baro, vel Dominus. At ubi agatur de agribus privatorum, prorsus alienum esta veritate, quoties non probatur formalis servitus juris pascendi, vel cum titulo explicito, vel cum præscriptione memoriam excederet. Aliàs enim esset mera intrusio, ac violenta usurpatio de facto, per quam Ecclesia impeditur in suorum fructuum perceptione.

Unde propterea subintrat exemplum in specie, ab 10
Innocentio relatum in *d. cap. Venerabili de cens. num.* 5. circa finem in hæc verba: *Episcopus iste existens in possessione alicujus fundi, vult colligere fructus ex eo: Alius se opponit dicens. Domine, ne colligatis, quia ego sum in possessione hujus fundi. Propter hujusmodi contradictionem non minus est justa excommunicatio Episcopi, dummodò possideat, secus si non possideat. Ratio diversitatis est, quia cuicunque licet defendere possessionem suam, & vim vi repellere.* Quæ verba repetit Host. *in d. cap. procurationes num.* 7. *eod. tit.* ac sequuntur cæteri antiquiores, interque modernos D. Fagnanus *ad d. cap. procurationes num.* 4. ubi, & *n.* 3. *in fine*. Idem Innocentius expresè ait, quòd cùm liceat Episcopo cum armis materialibus defendere possessionem suam, quare non multò magis spiritualibus, scilicet per excommunicationem? Quia arma Episcopi sunt censuræ Ecclesiasticæ.

Et quidem quando Episcopus procedit uti pars con- 11
tra turbantes de facto bona, vel jura suæ Ecclesiæ, vel mensæ, non est opus jurisdictione. Quia tunc propriè se defendit vim vi repellendo, secus aurem si procederet ut Judex, quo in casu deberet in ipso necessariò concurrere jurisdictio super illos, in quos excommunicationem ferret, ut benè declarat idem Innoc. *numer.* 4. ibi: *Quia illa habent locum quando procedit uti Judex, hic autem procedit uti pars, quæ jura sua defendit mucrone suo spirituali*, addens, quòd ideò non est opus præcedenti cognitione, sive monitione. Quem sequuntur ibidem communiter Canonistæ, ac tradit Lap. *d. alleg.* 73. *numer.* 3. ibique Add. *lit.* 1. Marant. *de ord. judit. par.* 4. *dist.* 11. *numer.* 26. ac præ cæteris Ricciull. *d. cap.* 61. *numer.* 17. *cum binis seqq.* ubi ait; hanc esse opinionem frequentiorem ac veriorem, & præcipuè *num.* 35. objectioni illi, quòd scilicet facultas procedendi extrajudicialiter non competat nisi contra subditos, respondet *num.* 36. nunquam sibi placuisse talem limitationem, adducens *numer. seqq.* plures rationes, optimèque advertit, quòd hujusmodi facultas nulla alia ratione a

sacris Canonibus concessa fuit, nisi quia vim vi repellere licet, & quia plerumque adversus nimiam potentiam non est sufficiens temporalis defensio, quæ ratio legitur in *cit. c. dilecto de sent. excom. in 6.* Idemque tenent Bellet. *d. p. 1. §. 4. n. 31.* aliique non pauci.

12 Et accedit, quòd laici turbantes jurisdictionem Episcopi, fiunt de illius foro, ut per Bobadil. *in polit. lib. 2. cap. 17. num. 82.* Barbos. *in cit. cap. dilecto num. 7. & seq.* Sicuti etiam dicitur de quocunque Judice, cujus jurisdictio turbatur, qui potest turbantes punire, licèt aliàs non sint sui subditi ex plenè traditis a Farinac. *quæst. 114. num. 70.*

13 Verùm his omnibus non obstantibus, siquis rem attentiùs consideret, non dubitamus, eum contrarium responsurum, & nobiscum in eam sententiam iturum, ut censuræ hujusmodi latæ ab Episcopo in non subditos, & propter bona suæ mensæ extra diœcesim posita, nullo modo possint subsistere, quia sunt manifestè nullæ, & stante nullitate, nulla opus est absolutione, *c. Cum contingat 36. de offic. deleg.* Covar. *in cap. Alma mater par. 1. §. 2. num. 7. de sent. excom. in 6.* Rot. *decis. 568. num. 5. par. 4. tom. 3. rec.* & in Crotonen. censurarum 4. Martii 1667. *§. agnita*, & 16. Novembris ejusdem anni coram Eminentiss. Cardinali Gaspare Carpineo.

14 Nullitas autem multiplex esset, eaque insanabilis. Prima resultaret ex defectu jurisdictionis: Tùm quia illas proferret Episcopus in propria causa, qualis est dum agitur de bonis propriæ mensæ juxta celebre consilium Surdi 50. *per tot.* & signatè è *num. 9.* quòd in specie sequuta est Rota in d. Crotonen. censurarum *§. Duplicis enim*: Tum etiam ex eo quòd prætensi occupatores bonorum ejus Ecclesiæ non sunt ei subditi ratione originis, nec domicilii, neque delicti, ut ad validitatem censurarum ex necessitate requiritur, cùm jurisdictio non egrediatur fines propriæ diœcesis, ut est textus *in can. nullus 8. quæst. 2.* ibi: *Nullus alterius terminos usurpet, vel alterius parochianum judicare, vel ordinare, aut excommunicare præsumat. Quia talis judicatio, vel damnatio nec rata erit, nec vires ullas habebit. Quoniam nullius alterius Judicis, nisi sui sententia tenebitur.* Quod etiam dixit Rota in d. Crotonen. *§. alter*, & latè Gratian. *dec. March. 98. num. 12. & seq.*

15 Neque obstant quæ contra hanc partem nullitatis asserta sunt. Non illud, quòd conclusio non procedat in censuris latis a lege, sed ab homine. Nam Doctores, qui ad id citantur, loquuntur in declaratione ferenda contra exemptos notoriè excommunicatos, qui licèt non sint de diœcesi, sunt tamen in diœcesi, & multis in casibus Ordinario subjectis, quos accuratè recenset Tambur. *de jur. Abb. disp. 15. quæst. 7. tom. 1.* & in iisdem terminis procedunt declarationes sacrarum Congregationum, non autem in non subditos, contra quos nullam habet Episcopus jurisdictionem, ut docet Gambar. *de offic. leg. lib. 8. tit. de potest. legat. in Regular. & exempt. num. 1. & seqq.* ubi firmat in sex casibus Episcopos habere jurisdictionem contra exemptos.

16 Ratio autem disparitatis est, quia exempti sunt in diœcesi, atque adeò possunt excommunicari. At exteri non sunt de diœcesi, neque in diœcesi. Ricc. *in prax. part. 2. resolut. 108. num. 3.* ac proinde excommunicari non possunt, Episcopus extra diœcesim habeatur uti privatus, nec potest exercere jurisdictionem contentiosam, ne volente quidem Diœcesano, Gratian. *dict. decis. 98. num. 13.* Deinde declaratio excommunicationis, quamvis latæ a lege, fieri non potest, nisi parte citata ad dicendum causam quare non debeat declarari excommunicatus, Glos. *in Clem. præsenti verf. Consiterit de censib.* Ubi Abb. & Felin. ac sequitur Genuens. *in pr. cap. 23. nu. 16.* Citatio autem potest fieri, nisi per habentem jurisdictionem. At Episcopus extra suam diœcesim jurisdictionem non habet. Itaque sustineri non possunt, sive latæ sint a lege, sive ab homine. A casu autem de exempto notoriè excommunicato, & aliquando etiam subjecto, non potest fieri illatio ad casum præsentem, ac proinde standum est decisioni Rotali in d. Crotonensi, quæ loquitur in terminis censurarum latarum a canone. Quando enim extat Doctor in terminis casum decidens, illius dictum habetur pro casu legis, donec alius allegetur, qui contradicat, Surd. *cons. 313. num. 43. lib. 3. & decis. 229. num. 35. & seqq.* Vinc. de Franch. *decis. 365. num. 4.* Cavalc. *dec. 44. num. 39. p. 1.* & Rot. *dec. 354. num. 24. p. 5. rec.*

17 Pariter non obstat, quòd Episcopus contra invasores bonorum suæ Ecclesiæ possit procedere per usum gladii Ecclesiastici extrajudicialiter, & forma judicii non adhibita, quasi vim vi repellendo, non tanquam Judex, sed uti pars juxta doctrinam Innocentii *in dict. cap. Venerabili sub num. 4. de censib.* cum aliis citatis. Nam admittimus conclusionem, at inde non sequitur, quòd Episcopus possit excommunicare non subditos. Doctores enim allegati id non ajunt. Immò conclusio vera est, quòd etiam in hoc casu excommunicatio ferri non possit in non subditum, ut in specie adverterunt Jo: Andr. *in dict. cap. dilecto sub num. 2. de sent. excom. in 6.* Abb. *in cap. Cum sit generale num. 9. de for. comp.* & post Innoc. Franch. & Gemin. tradit Borgnin. Cavalc. *dec. 28. num. 39. & 46. par. 1.* omninò videndus.

18 Prætereà doctrina Innocentii, ac sequacium habet fortasse suum locum, quando constat de manifesta violentia, & usurpatione bonorum Ecclesiæ, non autem in casu, in quo id non solùm non probatur, sed docetur prætensos occupatores esse in possessione, vel quasi. In his enim terminis ferri non potest excommunicatio judicialis, neque extrajudicialis, donec de veritate causæ fuerit judicatum, cum per hujusmodi possessionem res reddatur dubia, Rot. *decis. 1. in fin. de sent. excom. in antiq. Bisgneti, & dec. 7. eod.* iisque relatis Borgnin. *d. decis. 28. nu. 43.* Cessatque difficultas, quando Episcopus non procedit extrajudicialiter, sed in forma judicii, in quo casu omninò exigitur jurisdictio. Quia cùm excommunicatio sit pœna, infligi non potest, nisi per Judicem cum causæ cognitione, ut inquit Abb. *in d. c. Cum sit generale eo n. 9. sub princ. de for. comp.*

19 Et quamvis Ricciullus eo *cap. 61. num. 36. ac seqq.* opinatus sit, quòd sententia Innocentii, ac ejus sectatorum possit procedere quando occupantur bona Ecclesiæ, dicatque ita placuisse Sac. Congregationi super Episcopis; attamen considerandum est, quòd Innocentius, & alii loquuntur in resistente visitationi Ordinarii. Quod jus non est de bonis temporalibus Episcopi, sed Ecclesiæ. Rationes autem Ricciulli sunt planè futiles. Ea enim, quam considerat *num. 37. cum duob. seqq.* & rursus *n. 43.* quòd scilicet vim vi repellere liceat, idque sicuti cum armis temporalibus contra non subditos permissum est ad defensionem propriorum bonorum, ita jus sit cum armis spiritualibus defendere bona Ecclesiæ, cùm hæc panificentur in dispositione, prorsus inefficax est. Nam usus materialis armorum temporalium tendit ad naturalem defensionem, qua quisque uti pars, se, bonaque sua defendere potest, & ideò contra quemcunque eorum usus licitus est, quia est in potestate exercentis. At arma Ecclesiastica non sunt in potestate Episcopi, tanquam partis, quia uti privatus excommunicare non potest, atque adeò illa exercere nequit contra non subditum, ut rectè advertit Host. *in d. cap. procurationes in fin.* & D. Fagnan. qui alios refert *nu. 49. de censib.* Alia verò ratio, quam Ricciullus adducit e *n. 39.* nimirum quòd posita violentia, facultas procedendi extrajudicialiter per censuras non requirat necessariò jurisdictionem, arguendo, quòd ideò ubi est violentia, possit exerceri etiam in non subditos, petit principium. Nam hoc est, quod in quæstionem vocatur, cum Innocentius, ac cæteri dicant, Prælato contra non subditum hoc esse interdictum.

20 Cæterùm quod textus *in d. cap. dilecto* loquatur de bonis temporalibus, non autem Ecclesiæ, nil facit ad rem. Nam præterquamquòd verba textus id necessariò non inferunt, & Maranta *in suo Specul. part. 4. dist. 8. num. 26.* illum intelligit de bonis Ecclesiasticis, quemadmodum etiam eum exemplicat Farinac. *in fragm. part. 1. litt. E. v. excommunicatio num. 28.* dato etiam hoc sensu, non ideò sequitur, quòd quando Episcopus agit contra occupatores bonorum Ecclesiæ, possit in non subditos censuras proferre. Id enim textus non ait, sed solus Ricciullus, qui vel audiendus non est, vel intelligendus in occupatore notorio, adversus quem plures Doctores etiam admittunt hanc potestatem. Quia tunc Prælati non excommunicant uti Judices, sed tanquam exequutores, ut tradit Hostiensis, & cum aliis Fagnan. *in dict. cap. procurationes de censib.* Et certè Ricciullus ita loquitur, ut patet ex iis, quæ *num. 34.* deducit, ac in hisce terminis procedunt allegata ab Adversariis super distinctione inter censuras latas a lege, & ab homine.

21 Ea etiam ratione objectio diluitur. Nam secundùm sententiam contrariam eatenus Episcopus potest excommunicare occupatores bonorum suæ Ecclesiæ sine alia monitione, quatenus procedit extrajudicialiter, & uti pars, non tanquam Judex, sicut expressè vult Innocentius, & loquuntur Doctores communiter, ac nuncupatim Ricciullus, *qui num. 71. & seqq.* docet modum formandi processum. Quod item facit Ricc. *in decis. Cur. Neap. 241. num. 3. part. 2.* Cùm igitur Episcopus non procedat extrajudicialiter, sed in forma judicii, quo casu exigitur omninò jurisdictio, Soccin. sen. *in c. super eo n. 25. de sent. excom.* utique dicendum est, quod procedere non

potest

potest contra non subditos, cùm jurisdictio non egrediatur fines propriæ diœcesis.

22 Ac præsertim si prætensi invasores possident titulo immemorabili, non possunt ab Episcopo excommunicari. Quia communis opinio fert contra existentem in possessione non posse Episcoporum prætextu usurpationis, ac uti pars extrajudicialiter censuras proferre, etiamsi constet de Ecclesiæ proprietate, sed si jura sua tueri velit, debet procedere juris ordine servato, ut post alios antiquiores tradunt Host. *in d. cap. procurationes num.*7. *in fin. num.*8. *in princ.* ibique D. Fagnan. *n.*45. *de censib.* Ricc. *d. dec.*241. *num.*1. *in fin. part.*2. Borgnin. Cavalc. *d. dec.*28. *num.*43. qui Rotæ decisiones refert, fatetur ipse Ricciul. *dict. cap.*61. *num.*54. *cum duob. seqq.* Durum enim esset, quòd quisque ex eo quod illicò non paruerit injusto præcepto Episcopi, & possessionem suam non dimiserit, quam armis quoque defendere potest, incidat in excommunicationem, hoc est posse Episcopum dira, aut ultima exempla animadversionis Ecclesiasticæ in eum statuere, cùm nemo teneatur cedere juri suo, illudque dimittere indefensum verbo Superiores, ut tradunt Gomez *ne reg. de non toll. jur. quæst.*19. *num.*2. Cardin. Tolet. *in sum. tit. de sept. pecc. mort. cap.*15. *num.*9. diffusè Suar. *in Reg. Angl. cap.*34. *num.*30. *& seq.* Ideòque resistentes se, juraque sua defendendo, non possunt dici contumaces, neque excommunicationis pœnam incurrere ad textum *in cap. si verò 3.* ibique Glos. *v. vim de sent. excom.* & Rot. coram Achil. *decis.*4. *num.*1. *cum seqq. eod. tit.* ac sequitur Ridolphin. *in prax. part.*2. *cap.*8. *num.*194.

23 At de his satis. Nam supervacuum esset de cæteris omnibus dicere. Fecit enim ante me S. Rota Romana in dicta Crotonensi censurarum coram memorato Eminentissimo Carpineo, qui magnis natalibus, parique sapientia præditus, capax imperii, probitate Cardinalis Vicarius, munificentia olim Datarius, ingenio, doctrina, prudentia nemini par, nisi sibi, omnes causarum cardines, articulos perfugia, subsidia novit, temporumque momenta; ad cujus tamen decisionum uberiorem explicationem notari velim, quod licèt in prima fuerit firmata nullitas censurarum ex defectu jurisdictionis, tamen reproposita causa, Rota nihil voluit super hoc articulo statuere, sed illo ad partes discusso, ac relatis hinc inde opinionibus, dubitavit de applicatione facti, eò quòd pluries circumstantiæ suadebant, Episcopum judicialiter processisse, ac rursus dubitavit de possessione Ecclesiæ, quæ est requisitum necessarium ad hoc, ut juxta formam sæpiùs citati *cap. dilecto* possit Episcopus extrajudicialiter procedere per censuras contra turbantes sua jura. Idque in hac re certum est, quòd saltem ex opinionum varietate res valdè dubia redditur, ac jus est inter peritissimos ambiguum ad effectuum excludendi censuras. Et in S. Congregatione Immunitatis in Mediolanensi 18. Februarii 1659. decretum fuit, Episcopum non posse procedere ad tuitionem suorum bonorum mensæ Episcopalis ad formam aliorum, nisi habita facultate è Sanctissimo, & in Consentina censurarum id maximoperè in causa ab utraque parte contendebatur, itaut difficultas rei judicandæ, vel in frequentia consilii judicium in plures dies distulit, ac sub die 2. Octobris 1667. censura hujusmodi suspendit. At in Rossanensi, sive in Consentina 24. Januarii 1668. decrevit esse validas censuras ab Episcopo pro tuitione jurium suæ mensæ vim vi repellendo, & servatis servandis latas contra Ecclesiasticos ob damna ab eis illata bonis ejusdem mensæ, satis in aliena diœcesi.

24 Sed pergamus audire Eminentiss. Carpineum, & sibi ac nobis non invideamus, sibi maximam laudem, nobis utilitatem. Lege, mi lector, ejus *decisiones* 47. *&* 122. *part.*15. *recent.* & mei consilii, tuæque lectionis te non pœnitebit.

CONSULTATIO CXXIX.

An liceat alicui habere fenestram in ipsis parietibus Ecclesiæ, ex qua possit in Ecclesiam prospicere? Quid de patronis Ecclesiæ? quidve de illius benemeritis, quidve tandem de parochis?

1 NOn licet. Quia nemo potest in muro alieno sine servitute fenestram construere, & aperire per textum *in leg. altius, Cod. de servit.* ibi: *in pariete verò tuo si fenestram Julianus, vi, vel clam feciſſe convincatur, ſumptibus ſuis opus tollere, & integrum parietem reſtituere compellitur*, traditque Cæpol. *de servit. urb. præd. cap.*62. *num.*6. Quod præcipuè locum habet in Ecclesia propter honestatem ac reverentiam illi debitam, *Clem.*1. *de sent. excom.* ibi; *aut in eis factis fenestris*, ibidemque Butr. *in fin.* ubi quod temerariè agunt, qui construunt hujusmodi fenestras, & in illis audiunt divina, Sebel. *in select. canon. cap.*3. *num.*119. & Barbos. *de jur. Eccles. lib.*1. *cap.*11. *num.*28. Adeòque, ut ne in suo quidem pariete dominus aperire possit fenestram, quæ in Ecclesiam respiciat, ut per Gomez *ad l.*46. *Tauri num.*9. Gavan. *in man. Episcop. v. Eccl. n.*27. & per eumdem Barbos. *in collect. ad d. l. altius n.*7. *& seq.* Præterea si liceret laicis habere fenestras, per quas a suis privatis domibus pateret in Ecclesiam prospectus, Ecclesia, quæ est instituta ad publicè orandum, fieret Oratorium privatum, multaque sequerentur incommoda, præsertim in materia immunitatis Ecclesiæ. Cumque Ecclesia sit adeo sacra, ut per triginta passuum ambitum immunitate gaudeat, *can sicut antiquitus* 17. *qu.*4. congruum quoque, & ut saltem per quindecim pedum distantiam privatorum ædificiis non profanetur ad textum *in l. sicuti loci Cod. de ædif. privat.*

Quare B. Pius Quintus anno 1560. mandavit claudi 2
omnes fenestras vicinorum, ex quibus haberi poterat prospectus in Ecclesias, ut refert Fusch. *de visitat. lib.*1. *cap.*11. *n.*10. pro cujus rei assequutione decretum suum edidit Cardin. Sabellius ejus Vicarius, præcipiens omnibus has fenestras habentibus, quod deberent illas claudere, relatum a Quaranta *in sum. Bullar. v. reverentia divinorum*. Ex quo decreto regi, & tractari debent omnes Ecclesiæ, cum Ecclesia Romana sit omnium magistra, ad cujus exemplum omnes debent componi, Cardin. *in Clem. quamvis in princ. de appel.* Gom. *ad regul. Cancel. q.*2. *proœm. n.*10. *ad fin.* Gravat. *de restrict. in prax. lib.*5. *c.*3. *n.*6. ac Rot. *in rec. dec.*6. *n.*2. *in fin. par.*1.

Fuitque semper ac religiosè sancitum per decreta Ge- 3
neralia Sacr. Congregationis super Episcopis, ne personæ particulares prospectum habeant in Ecclesiam, & speciatim in Veronen. 15. Junii 1655. in hunc modum: *S. Congregatio Episcoporum, &c. declaravit, non licere privatis personis habere, ac tenere fenestras prospicientes in Ecclesias contiguas habitationi* In Casertana 8. Junii 1646. *E' stato più volte risolto, che debbano gli Ordinarii de' luoghi rimuovere affatto dalle Chiese, dagli Oratorii, dalle Cappelle, le quali sono soggette alla loro giuridizione tutte le servitù di porte, ò di fenestre, che da particolari in pregiudizio del decoro, e della libertà, che debbono godere le Chiese vi trovassero imposte senza espressa licenza di questa Sacr. Congregazione. E perche V. Sig. riferisce, che con l'occasione della visita di cotesta diocese hà trovato diverse Chiese, e Cappelle pubbliche con servitù di porte, ò di fenestre in uso privato delle case a loro contigue. Questi Eminentissimi, &c. mi hanno commesso di scriverle, che sopra di ciò ella si conformi co' decreti suddetti, facendogli eseguire co'rimedii opportuni, e Iddio, &c.*

Hoc ipsum scriptum fuit Archiepiscopo Consentino 4
14. Decembris 1646. *Perchè Francesco Serzale Rettore di San Michele Arcangelo non solo non giustifica alcun titolo, nè concessione Apostolica ad effetto di ritenere la servitù di una porta particolare, per la quale dalla casa contigua hà l' ingresso nella medesima Chiesa. Questi Eminentissimi, &c. hanno ordinato, che speditamente co'mezzi opportuni, e di giustitia facci chiudere affatto, e à muro pieno la porta suddetta in conformità de' decreti generali della medesima Sac. Congregazione, e degli ordini dati a lei nella sua prima visita, con avvisare poi quanto prima di haver così eseguito*. Idemque injunctum Episcopo Calvensi 26. Septembris 1653. scilicet, *Episcopo, qui mandet claudi fenestram muro pleno, non obstantibus quibuscunque inhibitionibus*.

Et in Hortonensi 11. Junii 1655. tenoris sequentis: 5
Essendo stato riferito alla Sacra Congregazione tutto ciò, che V. Sig. rappresenta circa la fenestra di Giuseppe Pizzi in fin dell'anno 1643. in vigore di un decreto dal già Monsignor Biondi fece aprire sopra la porta della nave di mezzo di cotesta Cathedrale col prospetto dentro alla Chiesa. Questi Eminentissimi, &c. udite le pretensioni del medesimo Pizzi, e vedute le scritture, le fedi, e le deposizioni de' testimonii da esso prodotte, hanno risolto, che ella debba onninamente far chiudere a muro pieno la suddetta fenestra infino ad altro ordine, e intanto se il Pizzi avrà maggiori ragioni dovrà dedurle avanti all'Eminenze loro. Gliele significo, accioche così facci puntualmente eseguire, &c.

Pariterque in Alexanen. 14. Novembris 1659. Episco- 6
po. *Havendo la Sacra Congregazione udito quel tanto, che per parte di V. Sig. è stato rappresentato circa la pretesa innovazione della fenestra fatta dal Prencipe di Tricase nella Chiesa maggiore di quella Terra per valersene ad uso di udire la messa, e i divini ufficii dal suo contiguo palazzo, e considerato ancora ciò, che per parte del medesimo Principe è stato dedotto in contrario, questi miei Signori Eminentissimi hanno risolto, che si scriva a lei, come si fà con la presente, affinche prefigga un competente termine a chi di*

ragione

ragione deve ridurre nello ſtato priſtino detta feneſtra, e reintegrare la libertà, e immunità della Chieſa. E quando ciò non reſti eſeguito, ella ſi vaglia di quei mezzi, che le concedono le ſue ordinarie facoltà per far ſuccedere la reintegrazione accennata. Io però glie le ſignifico, e Iddio la proſperi.

7 Itaut, ne quidem Ducibus quibuſcunque, Marchionibus, aliiſque id permitti poſſe declaraverit eadem Sacr. Congregatio 5. Martii 1619. his verbis: *Non ſi concede nè anche a' Duchi, e a' Marcheſi di aprire feneſtre, che riſpondano in Chieſa per aſcoltare da quella la Meſſa, e i divini Ufficii*. Et quoad portas, idque etiamſi extaret longa conſuetudo, & eſſent patroni, ut in una Faventina 15. Februarii 1619. ſcilicet, *Si devono murare le porte, per le quali dalle caſe contigue ſi può entrare nella Chieſa, non oſtante i padroni ſiano ſoliti per lungo tempo tenerle aperte*.

8 Idipſum declaravit Sacr. Rituum Congregatio, ut in Marſicen. 28. Maji 1654. in qua Oddus Mancinus, & ejus filii ſupplicarunt pro licentia faciendi feneſtram in Oratorio Miſericordiæ reſpiciente ex illorum domo ad effectum audiendi ſacrum, & Sac. Rituum Congregatio reſpondit *Lectum*. Ac alibi ſæpiùs hoc ipſum denegavit.

9 Claudique debent, maximè ſi proſpectum habeant ſuper altaria, ut per eandem Sac. Congregationem ſuper Epiſcopis in Hiſpalen. 5. Julii 1583. in Meſſanenſi 29. Octobris 1565. in Sulmonenſi 4. Junii 1602. & 6. Novembr. 1648. Unde non debet Ordinarius permittere, ut ab Eccleſiis ſit ingreſſus, tranſitus, vel proſpectus in privatas ædes, neque ſuper Eccleſias eſſe cameras, vel loca ad habitandum, dormiendum, vel deambulandum abſque licentia Sedis Apoſtolicæ, aliàs debent interdici, donec hæ ſervitutes removeantur, ut ſæpè decrevit eadem S. Congregatio ſuper Epiſcopis, præſertim in Hieracen. 26. Julii 1613. in Melphiten. 2. Octobris 1626. in Neapolitana 13. Aprilis 1646. & in d. Hortonen. 11. Junii 1655.

10 Quarum Congregationum decreta, & declarationes, tanquam leges reverenter recipiendæ, & attendendæ ſunt in cauſarum deciſionibus, ut ſæpiùs reſpondit Rota, nominatim coram Mantica *dec.* 56. *num.* 3. coram Cavaler. *dec.* 628. *num.* 8. & coram Buratto *dec.* 479. Nam ſi ad opinionem alicujus Doctoris, qui aliquid ſcriptis ſuis mandavit, conſilium noſtrum accommodamus, quantò magis illud accommodare debemus doctrinæ, ac ſapientiæ tot Eminentiſſimorum Patrum, qui ſumma cum maturitate controverſias definiunt a rebus, in quibus quotidie verſantur, ut rectè ponderavit Rota *dec.* 714. *nu.* 6. *cum binis ſeqq. p.* 4. *tom.* 2. *rec.* Quamvis nec publicatæ, neque in actis productæ fuerint, cùm uti notoriæ ſatis ſit illas allegare, Buratt. *dec.* 479. *n.* 21. & 22.

11 Hic non obſtaret ſi a particularibus aſſereretur poſſeſſio, etiam authoritate Epiſcopi. Quia cùm conſtructio, & uſus feneſtræ in pariete alieno non permittatur, niſi in vim ſervitutis, quando conceſſio legitima non exhibetur, ſaltem cum præſcriptione, ut probat Cæpol. ſupra citatus, Gratian. *diſcept.* 572. *num.* 58. cum aliis allegatis a Rota *dec.* 32. *num.* 13. *tom.* 2. *par.* 4. *recent.* & in Eccleſia tanquam in loco ſacro ſervitus, vel nullo modo acquiri poſſit *l. ſervitutes*, *§. facer. ff. de ſervit. l. ſi prius*, *§. ſed loco ſacro*, *ff. de acqu. pluv. arc. l. caveri*, *§. Communia de ſervit.* & Cæpol. ubi ſupra *cap.* 18. *num.* 1. Vel ſaltem niſi concurrente longiſſimi temporis curſu cum aliis requiſitis, de quibus in Conſtitutione Urbana, quam mox adducam, non poterit ſimplex, & penè dixerim, momentanea poſſeſſio, aut tolerantia ſuffragari, nullaque præſcriptio prætendi poterit, non ſolùm quia forſan non effluxerunt quadraginta anni, ut requiritur, cum titulo contra Eccleſiam per *c. de quarta*, *de præſcript.* ubi Gloſſ. & Doctores, Bald. *de præſcript. p.* 1. *p.* 5. *princ. quæſt.* 18. Put. *dec.* 252. *num.* 3. *lib.* 3. Rot. *dec.* 683. *num.* 3. *p.* 4. *diverſ.* & *dec.* 208. *num.* 1. *part.* 1. *recent.* vel etiam quia fortaſſe fuit ſæpiùs contradictum, habeatque talis ſervitus cauſam diſcontinuam, cùm non continuò inſerviat, itaut requirat factum hominis, Gaill. *obſerv.* 66. *num.* 7. *lib.* 2. Caldas *quæſt. forenſ. num.* 27. ideòque ad ſui acquiſitionem expoſcit præter quadragenariam titulum, aut famam tituli, ut loquendo de ſervitutibus cauſam diſcontinuam habentibus, firmavit Gaillus, & Caldas locis allegatis, & Franch. *dec.* 183. *n.* 12. & *ſeqq.* ac Rota *par.* 9. *tom.* 1. *recent. dec.* 300. *num.* 8. & 9. ſed quia, quando etiam adeſſet tempus habile, haberet locum concluſio, quòd ſervitus contra Eccleſiam non poteſt præſcribi. Quia interdicta alienatione, intelligitur interdicta etiam præſcriptio, Surd. *dec.* 3. *num.* 24. Fuſch. *de viſit. lib.* 1. *cap.* 27. *num.* 3. Ugolin. *de poteſt. Epiſcop. cap.* 17. *num.* 7. Dian. *tom.* 10. *tract.* 16. *reſol.* 64. Præterquamquòd in actibus Eccleſiaſticis inconvenientibus, ut eſt hæc feneſtra in Eccleſia, nulla præſcriptio admittitur, ſicuti non admittitur conſuetudo, quæ a viris doctis non habetur pro rationabili, Gregor. XV. *deciſ.* 310. *num.* 506. Rota *dec.* 659. *num.* 9. *par.* 2. *recent.* In hoc autem caſu feneſtra eſt improbata, etiam a viris doctis, nimirum ab Eminentiſſimis Cardinalibus Sacrarum Congregationum, ut in allegatis decretis. Cùmque ſervitutis ſit ſpecies alienationis *l. fin. Cod. de reb. Eccleſ. non alien.* Redoan. *eod. tit. quæſt.* 2. & *cap.* 16. & *cap.* 4. *num.* 2. & *quæſt.* 14. *num.* 22. Quarant. *in ſum. Bull. v. alienatio num.* 21. Pariſ. *conſ.* 1. *num.* 34. *lib.* 4. Lambert. *de jurepatr. lib.* 1. *par.* 1. *princ. quæſt.* 6. *art.* 1. *num.* 2. & *art.* 3. *n. item* 2. ac Rot. *dec.* 717. *num.* 14. *par.* 1. *diverſ.* & plenè Surd. *conſ.* 276. *n.* 27. utique authoritas Epiſcopi neque ſuffragari poterit, cùm ſit illi vetitum Eccleſiam lædere, illiuſque jura laicis ſubjicere abſque expreſſa licentia Sedis Apoſtolicæ, *cap. Epiſcopi de reb. Eccleſ. non alien.* ibi: *Impium eſt enim, ut qui res ſuas Eccleſiæ non attulerit, damnum inferat, c. hoc conſultiſſimo eod. tit. in* 6. ubi Gloſ. *v. ſpeciali*, ac Rota *p.* 5. *rec. dec.* 318. *n.* 8. & 9.

12 Multòque magis ob eandem rationem prohibitum cuique feneſtram ipſius Eccleſiæ ſibi appropriare. Eſt enim id uſurpatio juris, ac rei Eccleſiæ. Quòd ſub pœna excommunicationis eſt prohibitum a S. Concilii Trident. *cap.* 11. *ſeſſ.* 22. *de reform.* & a Bulla in Cœna Domini, dum non ſolùm perſona privata, ſive particularis feneſtram conſtruit propria authoritate in pariete Eccleſiæ, ſed uſurpat, ſeu tentat uſurpare jus ſervitutis in Eccleſiam, quæ illam non habebat, ſed erat in ſtatu libertatis, Dian. *d. reſol.* 64. Rota *dec.* 717. *num.* 14. *par.* 1. *diverſ.* Id quod ſub eadem pœna, ac etiam privatione juriſpatronatus prohibitum eſſe etiam quando Eccleſia eſſet de jurepatronatus laicorum, privaretur patronus non ſolùm jure honorifico, ſed etiam præſentandi ex dotatione, & fundatione, ut ex Trident. eodem in loco, traditque Leo *in theſaur. for. Eccleſ. part.* 2. *cap.* 21. *n.* 31. & Barboſ. *in collect. Concil. ad d. ſeſſ.* 22. *cap.* 11. *num.* 14. A qua excommunicatione non poteſt quis abſolvi, niſi authoritate Summi Pontificis poſt futuram redintegrationem juxta declarationes S. Congregationis Concilii, cujus ſenſus eſt, per hujuſmodi feneſtras remanere violatam libertatem, & immunitatem Eccleſiæ, & ideò ante omnia redintegranda eſt, *cap. non minus*, & *cap. adverſus de immun. Eccleſ.*

13 Unde manutenenda eſt Eccleſia in poſſeſſione ſuæ libertatis, cùm ſemper concedatur, manutentio adverſus factum Prælati, qui nulliter alienavit jura Eccleſiæ, Rota poſt *tr. de manut. dec.* 379. *n.* 1. Præſertim ex Conſtitutione Urbani VIII. edita anno 1641. ſuper præjudicialibus Eccleſiæ, quæ inficit, atque irritat omnes actus præjudiciales factos ſine authoritate Summi Pontificis, quam S. Rota ſæpiùs laudavit, maximè in Barcinonen. exemptionis 13. Junii 1646. in Tiburtina affictus 19. Junii 1648. & in Leodien. dominiorum 25. Junii 1649. coram Cardinali Corrado, & in Ravennaten. domus 14. Junii ejuſdem anni, & 17. Maji 1651. coram Tarraconenſi, & in Romana devolutionis domus 4. Decembris ejuſdem pariter anni coram Bichio. Idque non obſtante quacunque diuturna poſſeſſione. Quia cum verſemur in Eccleſia omnis præſcriptio, quæ oriri poſſet ex diuturnitate temporis, ſola immemorabili excepta, fuit per eandem Conſtitutionem ſublata.

14 Quæ quidem locum habent, etiamſi agatur de jure honorifico, Principi, aut Domino loci debito. Quia jus habendi feneſtras in Eccleſia non dicitur jus honorificum, ſed ſervitus Eccleſiæ, quæ tanquam in loco ſacro nequit abſque titulo legitimo acquiri, aut præſcribi, Ugolin. *de poteſt. Epiſcop. cap.* 17. *num.* 6. Fuſchus, & Diana locis ſuperiùs allegatis. Et jus honorificum non verſatur in imponendo ſervitutem Eccleſiæ, ſed in præeminentiis, & prærogativis in Eccleſia circa locum, ac ſedem in ipſa, & in proceſſionibus, & circa ſalutationes, thurificationes, & in recipiendo alimenta in caſu paupertatis, ac in aliis hujuſmodi, ut per Vivian. *de jure patr. l.* 1. *cap.* 2. *n.* 12. & *ſeqq.* Hinc in jure habendi feneſtram in Eccleſia ne jus quidem patronatus cadit, ut in ſimilibus de jure habendi ſedilia in Eccleſia tradunt Rocch. *de jurepatr. v. In Eccleſia n.* 18. Gratian. *diſcept.* 210. *n.* 30. & Diana eadem *reſolut. §. Reſtat modo*. Quippe juſpatronatus, exceptis quibuſdam præeminentiis, de quibus ſupra per Vivianum, & Rota in Burgen. Capellæ 19. Junii 1656. coram Eminentiſſimo Cerro, nullum aliud jus acquirit in Eccleſia, quæ ſtatim eſt ædificata, efficitur libera, nec poteſt eſſe ſub alicujus jure, aut dominio, *§. nullius*, & *§. ſacræ inſtit. de rer. diviſ. c. noverint* 10. *q.* 1. *c. non placuit*, & *cap. laicis* 16. *qu.* 7. & probat text. *in c.* 1. *de cenſibus*.

Ideò-

15 Ideòque ceſſat prætenſio manutentionis in poſſeſſione uſus dictæ feneſtræ. Quia uſus juris cùm ſit ſervitus, quæ in Eccleſia acquiri, & præſcribi non poteſt, ut dictum eſt, utique ceſſat, dum non adeſt beneplacitum Apoſtolicum, & uſus facti, qui eſt ſimplex facultas, reſultans ex ſpontanea permiſſione domini, non ſuffragatur. Quia eſt ſemper revocabilis ad ejuſdem domini beneplacitum, nec aliquam præſcriptionem inducit, etiam ſi annis mille habitus fuiſſet ex cumulatis per Poſth. *de manut. obſ.* 53. *num.* 1. *& ſeqq.* & in terminis proximis Dian. *dict. reſolut.* 64. ac Trullench. *in decal. tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 6. *num.* 2. Doctores verò, qui videntur adverſari, intelliguntur, quando manutentio petitur contra tertios, non autem contra dominum, Menoch. *de recup. remed.* 15. *num.* 58. Rot. *dec.* 1. *num.* 2. *de reſtit. ſpol. in antiq.* & alii poſt Dianam *loc. cit.* §. *& tandem*.

16 Nec Giovagnonus *conſil.* 8. *num.* 29. *lib.* 2. cum aliis aliud ſentit. Nam non loquitur de feneſtra, ſed de ſedilibus in Eccleſia pro commoditate populi in ipſa orantis, quæ videntur neceſſaria, & permiſſa, ſecus autem proſpectus in Eccleſiam a ſacris Canonibus, & a decretis Apoſtolicis improbati. Moveturque exemplo juriſpatronatus, quòd ex gratia conceditur laico, ut proinde ſemel conceſſum, non poſſit amplius auferri, ut ait *num.* 20. Quod ſanè non urget in hac ſpecie, cùm ideò procedat in jurepatronatus, quia fuit ab initio in ejus erectione, ac dotatione cum expreſſo conſenſu Superioris conceſſio illius ſtipulata, ut dixit Rota in Feſulana beneficii, ſeu Oratorii 26. Junii 1648. coram Bichio, adeò quòd nec patientia, neque præſentationes ſucceſſivè admiſſæ per Epiſcopos ſuffragarentur ad hunc effectum, ut *in d. dec.* §. *Primum*. In hoc autem caſu, etiamſi probaretur conſenſus tacitus, vel expreſſus, aut ſcientia Epiſcoporum pro tempore de hujuſmodi feneſtris, non ſufficerent. Quia, ut dictum eſt, Epiſcopus non poteſt abſque Sedis Apoſtolicæ beneplacito id concedere, etiam virtute juriſpatronatus.

17 Excipe nihilominus patronum Eccleſiæ ex indulgentia, & Parochum de jure. Nam ex eo, quòd paries Eccleſiæ fuit erectus ex cauſa onerosa illius ædificationis, cenſetur tunc factam fuiſſe hujus ſervitutis reſervationem eo ferè pacto, quo videmus in antiquis ex appoſitione inſignium in Eccleſia probari ejus ſervitutem, & patronatum, ut per Ricc. *dec.* 6. *num.* 6. & Coccin. *dec.* 230. *num.* 1. Comitol. *dec.* 115. *num.* 15. ac Rot. *dec.* 13. *num.* 3. *in fin. par.* 1. *recent.* Quare ſola immemorabilis poſſeſſio laicis ſuffragatur, ut hujuſmodi jura conſerventur Pariſ. *conſil.* 149. *num.* 4. *lib.* 4. Gratian. *diſcept.* 110. *num.* 13. *& ſeqq. & diſcept.* 210. *num.* 32. Ciarlin. *controv.* 179. *num.* 210. & in terminis feneſtræ ad hunc effectum eadem Sac. Congregatio ſuper Epiſcopis in Biſuntina, & in Senogallienſi, ac cenſuit Sacr. Congregatio Concilii in d. Hortonen. 22. Auguſti 1654. in qua mandavit Epiſcopo hoc jus controvertenti, ut nihil innovaret, & acquieſceret. Et in una Urbinatenſi cum in eadem Sac. Congregatione Concilii proponeretur, an poſſit indulgeri patrono Eccleſiæ, ut habeat feneſtram in ipſius parietibus Eccleſiæ, ex qua poſſit in Eccleſiam proſpicere, & ex ea ſacroſancto miſſæ ſacrificio intereſſe, & an eadem indulgentia poſſit extendi ad eum, qui in pariete communi cum Eccleſia fecerit feneſtram in eandem Eccleſiam proſpicientem, & an Parochus habeat jus retinendi feneſtram reſpicientem in Eccleſiam? die 10. Martii 1663. reſpondit, *indulgendum patrono ex gratia perſonaliter, non autem aliis, Parocho verò licere*.

18 Potiſſimum autem ſi ſtructura feneſtræ appareat antiquiſſima, & temporanea Eccleſiæ ex depoſitione teſtium coram Epiſcopo examinatorum, qui probant, cùm eorum depoſitio concernat ſtatum, vulg. *l. ingenium*, ubi Doctores, *ff. de ſtat. homin.* nominatim Bald. *num.* 14. Alex. *in l. ſæpè num.* 62. *ff. de re jud.* Rot. *dec.* 535. *num.* 3. coram Greg. *& dec.* 102. *num.* 2. coram Comitolo, & in Romana fideicommiſſi 21. Junii 1652. §. *neque* coram Veroſpio. Vel ex epiſtola Epiſcopi, *l. epiſcopale judic.* 8. *l. decernimus* 13. *C. de Epiſc. aud.* & pleniſſimè Genua *de ſcript. privat. lib.* 3. *de liter. Epiſcop. num.* 27. *& ſeqq.* licèt verius ſit, quòd atteſtationes extrajudiciales non attendantur in judicio, quantumvis a perſonis qualificatis cum juramento, & coram teſtibus factæ, Rot. *dec.* 214. *num.* 3. *& ſeqq. & dec.* 221. *num.* 14. *p.* 6. *div.* Immò etiamſi firmatæ fuerint a viris clariſſimis, ſive Eminentiſſimis coram notario, ac teſtibus, non citatis iis, quorum intereſt, non probant Greg. *dec.* 114. & ibi Add. *lit. B.* Buratt. *dec.* 213. *num.* 28. Vel ex declaratione peritorum, Rot. *dec.* 151. *num.* 16. *p.* 6. *rec.* cum illius deſcriptione, Rot. *dec.* 405. *num.* 1. *p. rec. & dec.* 367. *n.* 2. coram Buratto. Debet tamen fieri parte citata juxta ſententiam Rotæ in Salisburgen. 1. Julii 1645. §. *ultimò non obſtat* coram Royas. Vel ex aliis, quæ enumerant in hac materia DD. relati a Poſth. *de manut. obſ.* 101. *num.* 7. *& ſeq.*

19 Etenim attento curſu tanti temporis, concurrit, nedum præſcriptio beneplaciti Apoſtolici, quæ exigit tantummodò lapſum triginta annorum, Add. ad Gregor. *dec.* 354. *num.* 18. Rot. *dec.* 147. *num.* 10. *p.* 5. *& dec.* 32. *n.* 3. *p.* 6. *& dec.* 94. *num.* 17. *p.* 7. *rec.* juncta præſertim obſervantia, Rot. *dec.* 191. *n.* 8. *par.* 5. *rec.* & in Fulginaten. hæreditatis 14. Februarii 1650. §. *hinc quoque* coram Veroſpio, ſed etiam licebit allegare quemcumque titulum, Rot. *dec.* 245. *n.* 1. *par.* 4. *rec. tom.* 2. *& dec.* 150. *num.* 4. *& ſeq.* Qui tamen nunquam declaratur, neque oſtenditur ubi concurrit antiquitas, ut in majoribus terminis aquæductuum, a quibus nemini licet aquam depromere ſine divinis apicibus de ſacro epiſtolarum ſcrinio more ſolito edendis, *l. fin. C. de aquæ duct. lib.* 11. monuit Scevola *in l. fin. ff. de aqu. pluv. arc.*

20 Quinimmò, circumſcripta etiam temporis antiquitate, ratione incendii, vel alterius periculi, non eſſet neceſſaria hujuſmodi jurium exhibitio, ut renovata, & ampliata diſpoſitione *l.* 1. *& l. ſtatum* 6. *C. de fid. inſtr.* ſancivit Juſtin. in ſua pragm. *ſanct.* §. *licet enim* 3. ibi: *ſanximus, ut inſtrumentorum quidem amiſſionem, vel corruptionem nullum præjudicium pro domino, vel poſſeſſionem, &c. dominis rerum, vel poſſeſſoribus, pro quibus inſtrumenta conſcripta fuiſſe, inferre*.

21 Ac præcipuè ſi extent affixa inſignia familiæ poſſeſſori in eodem antiquo pariete Eccleſiæ, in quo conſtructa eſt feneſtra, quæ ſicuti arguunt parietem fuiſſe ab eadem familia conſtructum *l.* 1. *& toto tit. C. ut nemini liceat ſign. lib. alien. impon. l. Baſilicam, C. de oper. publ.* ita etiam arguunt, quòd illo tempore ex cauſa onerosa illius ædificationis reſervatum fuerit hoc jus, non ſecus atque ex inſignium appoſitione probari etiam longè graviorum ſervitutum Eccleſiæ, nempe juſpatronatus, ſæpè dixit Rota præſertim *dec.* 13. *n.* 7. *p.* 2. *recent.* nec laici decipiantur, & a beneficiis erga Eccleſiam conferendis retrahantur ad deducta per Butr. *in c. cum dilectum n.* 44. *de conſuet.* & per Lotter. *de re benef. lib.* 1. *q.* 23. *n.* 58. *& q.* 32. *n.* 14.

22 Et hæc quidem dicta ſint ex ſeveritate juris, quæ ſi modò non adverſetur legibus divinis, & naturæ, non vituperanda, ſed laudanda ſæpius eſt propter quorundam etiam in hac re arrogantiam, qui id ſibi aſſumunt abſque ulla Eccleſiaſtica authoritate. Quoniam verò Reipublicæ cauſa adhibenda eſt ſeveritati clementia, ſine qua adminiſtrari rectè civitas non poteſt, cùm in judiciis acerbis Civitas magis vaſtetur, quàm corrigatur, ſæpèque temperanda eſt ſeveritas, ne veniatur ad deteriora, quæ etiam apud Deum benigna eſt, ideò quæ ſuperius diximus, æquitate, ac juſtis cauſis ſuadentibus aliquando benignè accipienda ſunt, itaut jus ipſum mutari debeat *l.* 86. §. *fin. & l.* 91. *ff. de reg. jur.* & legislatori non eſt alleganda lex ad coarctandam ejus authoritatem, quia illi non ſubeſt, ut per Alberic. de Roſat. *de ſtat. p.* 1. *q.* 197. *n.* 1. & Ancharan. *conſil.* 295. *n.* 7.

23 Quare licèt ex juris ſeveritate prohiberi poſſit vicinis, ne a ſuis domibus proſpectum habeant in Eccleſiam, etiam per ejuſdem Eccleſiæ feneſtras, id tamen tolerandum eſſe videtur in Domino, vel Barone, aut Principe loci, quibus ob culmen dignitatis in loco major debetur honor, quàm aliis, multaque iis conceduntur, quæ aliis denegantur ad *l. deprecatio, ff. ad l. Rhodiam de jactu*, Bellug. *in ſpec. Princip. rubr.* 6. *in princ.* & Altograd *conſ.* 1. *vol.* 1. *num.* 32. Quia licèt non retineant aliud culmen dignitatis, ob quod Regibus, ac Magnis Principibus debentur in Eccleſia thronus, aliæ quæque prerogativæ, de quibus *to.* 1. adhuc tamen eis tanquam locorum Dominis honorem aliquem ac reverentiam deberi movemur a Tridentino *ſeſſ.* 25. *de ref. c.* 17. quod ſpeciatim loquitur de his Regulis, & Baronibus, rigorque legis mitigatur ad favorem perſonarum conſpicuarum ad textum in *cap. de multa in fin. de præb. leg. non tantùm, ff. de excuſ. tut.* ubi Bald. traditque Tiraquel. *de nobil. c.* 191. *&* 193. ac Rot. *dec.* 372. per totam *par.* 1. *rec.*

24 Atque hinc eſt, quòd licèt prohibeantur in privatis domibus Oratoria, & Capellæ, in quibus Miſſæ ac divina celebrentur, his tamen Regulis, ac Baronibus ratione dignitatis conceduntur, quemadmodum etiam ipſis a Cœremoniali *lib.* 1. *c.* 15. ac alibi conceduntur ſedes honorifica, thurificatio, & alia hujuſmodi. Unde multò magis toleranda eſt hæc feneſtra pro eorum devota commoditate, dummodò per ipſam non inducatur nova, & poſitiva ſervitus per novam ejus conſtructionem ad hunc effectum potiſſimè factam, & non immutetur antiquus Eccleſiæ ſtatus, ſed ut antur feneſtra jam conſtructa.

Idque

25 Idque præſertim ſi accedant dignitati plures circumſtantiæ, quæ hanc tolerantiam poſtularent, ut ſi Princeps, Baro, vel Dominus loci, eorumque majores optimè de Eccleſia mererentur, itaut ob eorum promerita, atque ut ad nova beneficia in Eccleſiam ipſi, ac ipſorum ſucceſſores alliciantur, debent cum iis benignè agi. Quandoquidem ſi hæc permittuntur ſimplici patrono, ac benefactori, ut obſervat Fuſch. *de viſit. lib.1.cap. 27.num.6.* multò magis permittenda, ſive toleranda ſunt iis, qui Eccleſiæ benefactores, ac locorum Domini, & Principes ſunt. Vel ſi non agatur de feneſtra in Eccleſia cathedrali, ſive quæ loco Cathedralis ſerviat, in qua reſidet Epiſcopus, cujus venerandæ majeſtati indecorus cenſetur hujuſmodi feneſtrarum uſus: Neque agatur de Eccleſia Collegiata, ſed de ſimplici vel parochiali, vel alia, in qua nemini infertur injuria, vel præjudicium; Sique agatur de feneſtra jam conſtructa, & jam diù ab Epiſcopis tolerata; in hoc enim caſu ſolet jam facta tolerari, ut toleratur uſus ſedis, & throni, ſeu baldachini, quem in pleriſque Eccleſiis plures Barones erexerunt.

26 Neque obſtarent declarationes Sacr. Congregationum, quas ſupra retulimus. Quia loquuntur vel de laicis omninò ab Eccleſia extraneis, nullumque jus in illa habentibus, vel de patronis, qui initio nullum jus ſibi reſervarunt nulliſque præcedentibus promeritis in Eccleſiam, prætendunt, illud ſibi aſſumere, & abrogare. Quod haud obſcurè ita videtur declaraſſe Sac. Congregatio Concilii in Hortonen. juris honorifici ſub anno 1654. ac ſequenti, dum prius cenſuerat tolerandam eſſe quandam feneſtram è domo Baroni habentem proſpectum in Eccleſiam, eo quòd eſſet patronus, & benefactor. Et ideò poſtea receſſit a reſolutione, quia probatum fuit, quòd conſtructio feneſtræ non eſſet antiqua, ſed nova, in quo caſu ne patronis quidem ſine licentia Sedis Apoſtolicæ permittitur. Quanquam enim laici non poſſunt invito Superiore ſervitutem aliquam acquirere in Eccleſiam ex juris rigore, & gratia tamen, & indulgentia, ſuadente æquitate, ac meritis, beneficiisque in Eccleſiam collatis, poſſunt in illam Domini, ſive Barones loci jus aliquod acquirere, & ſemel acquiſitum revocari non poteſt, ut latè pluribus exemplis comprobat idem Giovagn. *d. reſp.8.num.18.* Gratian. *diſcept.210.num.46. & ſeqq.* ac Genuenſ. *in prax. for. Eccleſ. cap.41.num.2.*

27 Itaque quoties acceſſerit ſolemnitas, nempè authoritas, ſive licentia Sedis Apoſtolicæ, & evidens utilitas Eccleſiæ, id ſaltem indulgendum videtur perſonæ Principis, vel Ducis loci, ejus uxori, & filiis.

CONSULTATIO CXXX.

An Præpoſiti, aliive, qui vulgò dignitates exiſtimantur, deputari poſſint in Judices Synodales, & Apoſtolicos?

1 AFfirmativè reſpondendum cenſeo: Nam ſacrum Concilium Tridentin. *cap.10. ſeſſ.25. de reform.* in judicibus ſynodalibus requirit qualitates præſcriptas *in cap. ſtatutum 11. de reſcript. in 6.* ut ſcilicet ſint dignitate præditi, aut perſonatum obtinentes, ſeu Eccleſiarum Cathedr. Canonici. Ac proinde certum eſt, unam ex dictis qualitatibus ſufficere, ponderando dictiones illas *aut, ſeu*, quæ ſunt alternativæ, & disjunctivæ, ut de prima Portol. *de conſort. cap.1. n.7.* cum aliis per Barboſ. *dict.36. n.1.* Grat. *d.num.22.* etiam 1. *ac ſeqq.* & de ſecunda ſunt textus *in l.1. §. ſublata, ff. ad Trebel. & l.ſi quis ita legaverit, ff. de aur. & arg. leg. & l.generali*, ubi Bart. *Cod. de ſacroſ. Eccleſ.*

2 Non eſt igitur neceſſarium, quòd hujuſmodi Judices habeant dignitatem propriè dictam, prout ſupponit juriſdictionem. Quia ſufficit habere perſonatum. Et hæc differentia inter unam, & alteram intercedit, ut dignitas propriè dicta habeat præeminentiam, & juriſdictionem. Perſonatus verò præeminentiam ſine juriſdictione, ut ex doctrina Archid. notat Abb. *in cap. de multa 28. num.21. de præb.* Gloſ. *in dict. cap. ſtatutum in princip.* Lotter. *de re benef. lib.3. quæſt.7. num.4.* & dixerat *lib.1. quæſt.16. num.47. ac ſeqq.* Qua ratione Canonicus Cathedralis poteſt eſſe Judex, quia licèt propriè dignitas dici non poſſit, quia non habet juriſdictionem, largo tamen modo dignitas dicitur ex traditis in hanc ſpeciem a Barboſ. *de canon. & dignit. cap.19. num.1. & ſeqq.* Genuen. *in prax. cap.85. num.10.* & Piaſec. etiam *in prax. par.2.cap.14.num.8.* Tales autem ſine dubio ſunt Præpoſiti, qui dicuntur habere dignitatem, ut alibi oſtendimus. Et licèt de jure Præpoſitura non ſit dignitas ſpecificè ſumpta, ex conſuetudine tamen Eccleſiæ conſiderari poteſt ut dignitas, Barboſ. *de jur. Eccleſ. cap.28. nu.8.* cùm conſuetudo ſufficiat ad conſtituendum beneficium in dignitate, Grammat. *deciſ.64. num.17.* & cum multis aliis Lotter. *lib.2. qu.33. num.36.* Indeque ſolam communem exiſtimationem poſſe inducere dignitatem cum pluribus tuetur *num.29.* ac præ aliis admittit Aret. *conſ. 23. num.7.* & Rot. *dec.29. num.3. par.1. div.* ac Buratt. *dec.473. num.12. & 13.*

3 Porrò diverſa hæc nomina deſerviunt dumtaxat ad ſignificandum diverſitatem gradus, non autem ſubſtantiæ, quatenus illa conveniunt in ſignificando aliquod dignitatis ſubjectum, veluti ſynonyma, ut apertè probatur *in cap. Cum acceſſiſſent de conſt.* ubi Cardin. *num.1.* Abb. *in dict. cap. de multa num.21. de præb.* ibique Joan. Andr. *num.13.* Butr. *numer.23.* Gemin. *in dict. cap. ſtatutum de reſcript. in 6. numer.24.* Quandoquidem prædictæ voces potiùs gradus dignitatis explicant, quia ſeparant dignitatem a ſubjecto. Nobilior quippè gradus eſt adminiſtratio cum juriſdictione, medius eſt cum præeminentia, inferior autem eſt adminiſtratio cum ſimplici gradu. Neque aliud eſt ſubſtantia dignitatis, quàm præeminentia in gradu ex Hoſt. *in ſumm. de præb. ſub num.2.*

4 Neque obſtat, quòd interdum Præpoſitura vocetur ſimplex beneficium: Nam hoc fit ad excludendum curam animarum, & juriſdictionem, cum in pleriſque Eccleſiis Præpoſituræ ſint dignitates, curam animarum, & juriſdictionem habentes, ut refert Barboſ. *de jur. Eccleſ. d.c.28.n.18.* ſimplicia verò officia dignitatum officia nominantur, quæ abſque juriſdictione, & cura animarum ſunt, teſte Lotterio *ubi ſupra quæſt.33. num.24.* Ita dicitur ſimplex dignitas, quæ curam non habet animarum, Lotter. *lib.3.q.7.n.21.*

5 Et licèt præpoſitus non haberet dignitatem, quòd tamen perſonatum habeat negari non poteſt, cùm perſonatus nil aliud ſit, quàm præeminentia in Eccleſia, Gloſſ. *in d.cap. ſtatutum ſub initio.* Rebuff. *in pr. benef. tit. ſæculare beneficium num.4.* minuſque dicit, quàm dignitas, cùm ſit quidam honor, ſive officium abſque adminiſtratione, Staphil. *de form. imper. §. tranſeo num.4.* Hojed. *de incompat. par.1. cap.1. num.2.* Put. *dec.89. numer.2. lib.3.* cum aliis ejuſmodi. Quæ ad hunc effectum ſatis eſt, ut de ſtallo honorifico in choro præ aliis loquitur Abb. *d. num.21.* & de prærogativa in proceſſionibus Lotter. *lib.1. quæſt.16. num.56.* qui *lib.2. cap.33. num.23. & ſeqq.* has prærogativas etiam ſine juriſdictione ſufficere ad hoc ut beneficium dignitatem habeat, fusè probat, & ante ipſum Gloſ. *in his terminis in dict. cap. ſtatutum, v.prædictis*, ibi: *præ aliis ditatis.* Eſt enim dignitas quædam præeminentia in Eccleſia, ut ſupra *de verb. ſignif. c. quamvis.*

6 Præterea differt officium ſimplex a dignitate, nec valet conſequentia affirmativa: Eſt officium, ergo eſt dignitas, cùm poſſit eſſe officium abſque eo, quòd ſit dignitas, ut eſt Procurator, qui licèt habeat officium, non tamen habet dignitatem. Neque valet ſequela: Eſt officium, ergo non habet dignitatem. Nam diſtinguendum eſt cum Abb. *in d.c. de multa propè fin.* quòd ſi officium eſt nudum miniſterium, itaut non habeat aliquam prærogativam, tunc non habet dignitatem, ſecus verò ſi eſt officium cum præeminentia, prout eſt a Theſauraria cum ſimilibus & officium appellari dignitatem, probat textus *in d. c. cum acceſſiſſent, de conſtit.* cum aliis per Rot. *in rec. p.5. d.249.n.3.* & faciunt notata per Lotter. *de re benef. lib.2. q.6.n.2. cum binis ſeqq. & q.7.n.3.q.33. n.25.* ubi ponit exemplum in Theſauraria, quæ eſt officium ſimplex, ac dignitas.

7 Quod eo magis tenendum eſt, quia neminem lædit, ſed ſimpliciter tendit ad conſervationem honoris, qualem Judex deputatus habere dicitur, *c.ut debitus de appel. in 6. l.ult. §.ult. ff. de decur.* cum aliis ita quidem, ut ſi ad illum ambitione aſpirare non liceat, benè tamen labore ac virtute decet, *l. contra publicum, C. de re mil. lib.13.* cum pluribus Burſat. *conſ.480. n.17.*

8 Proceditque etiamſi hujuſmodi Præpoſiti arceantur ab actibus capitularibus. Quia cùm hæc deputatio in Judices ſynodales non fiat in capitulo, ſed a tota ſynodo, in qua etiam alii Clerici, licèt non Canonici interſunt, non poteſt appellari actus capitularis, ſicuti explicat Gloſſa, & Doctores *in clem.2. v. in capitulo de æt. & qual.* ubi quòd licèt Canonicus, qui non eſt conſtitutus in ſacris, non habeat vocem in capitulo, benè tamen poteſt optare præbendam, & domum, cùm iſti actus non ſint collegiales. Idem tradit Vitalin. *n.17.* ubi affert alios actus, quos ejuſdem Canonicus exercere poteſt, & præcipuè quòd valeat audire cauſas per reſcriptum Apoſtolicum. Quia id non competit ratione Capituli. Quibus poſt Innocentium, & alios aſſentitur Rot. *d.533.n.5.p.3.lib.4.div.* ubi quòd actus propriè capitularis

tularis dicitur cùm actus fit a Canonicis ritè congregatis, prout quando agitur de electione.

9 Quæ ſanè quoad dignitatem, quæ eſt prima qualitas in his Judicibus requiſita ſatis dictum judico. Quod verò ſpectat ad alteram qualitatem idoneitatis, illa de jure præſumitur, quia Clerici, maximè in Eccleſiis Cathedralibus legis divinæ, & humanæ periti eſſe ſolent. teſtante Jo: Monacho *in d. c. ſtatutum n.7.* allegando *cap. 1. & cap. quia de magiſtr.*

CONSULTATIO CXXXI.

An Dignitates in Cathedralibus examinentur ab aſſidua reſidentia ultra tres menſes?

1 NEgativè per clariſſimam diſpoſitionem Sac. Concil. Trid. *ſeſſ.24. cap.12. §. Præterea de ref.* Idque non obſtante quacunque conſuetudine, etiam immemorabili, ut ex declarationibus impreſſis apud Barboſ. *de canon. & dign. c.23. n.1. & 2.*

2 Atque quidem, quòd illis non ſuffragetur antiqua Conſtitutio ſuarum Eccleſiarum de tempore animi relaxationis quatuor menſium, quam ſtante confirmatione Apoſtolica, non fuiſſe a Concilio ſublatam, reſolvit illius S. Congregatio ex Greg. XIII. per hæc verba.

3 *Joanne de Ribera Archiepiſcopo Valentino dubitante de ſolatio quatuor menſium, quod Canonici reſidentes quolibet anno percipere ſoliti erant, propterea Tridentina ſynodus ubivis Eccleſiarum ſolatium Canonicorum ad tres dumtaxat menſes reduxit, Canonici ad Sedem Apoſtolicam recurrentes ante Sacram Congregationem Cardinalium Concilii Interpretum libellum propoſuerunt, per quem rationibus, atque allegationibus de jure probarunt, ipſos præfato quatuor menſium ſolatio libere frui, atque gaudere poſſe ex eo potiſſimum, quòd decretum Concilii cap. 12. ſeſſ. 24. de reform. derogat ſtatutis, & conſuetudinibus, non tamen juratis, & confirmatis, quale eſt ſtatutum Canonicorum juratum, & per Apoſtolicam Sedem confirmatum. Unde, prædicta Congregatione referente dictum libellum coram S. D. N. Papa Gregorio XIII. Sanctitas ſua, ſtatutum illum non fuiſſe ſublatum a decreto Concilii, ſed obſervari debere declaravit, prout Reverendiſſimus D. Philippus Boncompaguus Cardinalis Sanct. Xiſti vivæ vocis oraculo ſibi facto de ejuſmodi expreſſa mente, ſententiaque Pontificis, literas unà cum libello ad dictum Reverendiſſimum D. Archiepiſcopum dedit tenoris ſequentis.*

4 *Illuſtriſſime, & Reverendiſſime Domine. Cùm libellus hic Canonicorum Eccleſiæ Valentinæ propoſitus eſſet in Sacra Congregatione Cardinalium Concilii Interpretum, & deinde ad Santiſs. Dom. N. relatus, Sanctitas ſua declaravit, ſtatutum illud, quo permiſſum eſt Canonicis quatuor menſes anno quolibet ab Eccleſia abeſſe, non fuiſſe ſublatum a decreto Concilii ſeſſ.24. cap.12. §. Præterea, & ideò obſervari debere, ſi tamen verum eſt, quod aſſeritur, fuiſſe a S. Sede Apoſtolica confirmatum. Qua in re amplitudo ſua quod ſua muneris erit, aget, valebitque in Domino. Romæ die 18. Januarii 1576.*

5 Quas literas unà cum libello propoſito excipiens idem Archiepiſcopus ab eiſdem Canonicis, eaſque in pleno Capitulo evolvens ac legens, quin & conſtito ſibi de prædicti ſtatuti Canonicorum Apoſtolica confirmatione, a ſua tandem dubitatione, & repugnantia receſſit, atque Canonicos prædicto quatuor menſium ſolatio quolibet anno juxta decretum a Summo Pontifice declaratum frui, atque gaudere permiſit.

6 Id, inquam, non ſuffragatur. Quia conſtitutio loquitur de ſolis Canonicis, & non exprimit Dignitates. Cùm autem verſemur in ſtatuto, ac privilegio illud confirmante contra jus, verba interpretari debemus ſtrictè ac propriè, uti ſonant, & ſic de Canonicis, non autem de dignitatibus juxta ea, quæ tradunt Dec. *conſ. 5. num.2.* Cæphal. *conſ.571. num.59. lib.4.* cum aliis plena manu congeſtis a Maſcard. *concl.4. num.1. & ſeqq.* Cùmque aliud ſint dignitates in Eccleſia Cathedrali, & aliud ſint Canonici, non eſt in dubio recedendum a proprietate verborum, Rota *part.2. div. dec.261. num.7.* Dignitates enim de jure non ſunt de Capitulo, cùm ſoli Canonici in eo ferant ſuffragium, Abb. *in cap.1. num.13. & in cap. ſcriptum num.4. de elect.* Barboſ. *de poteſt. Epiſc. p.1. tit.1. cap.3. nu.18.* Et propterea nomine Capituli veniunt ſoli Canonici, & non Dignitates, Compoſtel. *in cap.1. num.4. de elect.* Abb. *in d. cap.5. num.4.* Barboſ. *de Canon. & dignit. cap.37. num.14. & ſeqq.*

7 Hinc conficitur, quòd ubi jura loquuntur de Canonicis, & dignitatibus id exprimunt, ut patet nedum ex *dicto §. Præterea*, ubi in indulto trium menſium fit explicita mentio diſtincta Canonicorum, & Dignitatum, ſed etiam *ex cap. ſtatutum in princip. de reſcript. in 6. Sancimus, ut nullis, niſi dignitate præditis, ſeu Eccleſiarum Cathedralium Canonicis.* Ergo ſi Canonici diſtinguuntur a Dignitatibus, ſequitur, quòd ſub nomine Canonicorum illæ non veniant, & propterea Canonici non habeant dignitatem, nec ſucceſſorem in Canonicatu, ſicuti habent obtinentes dignitates, Franch. *d. c. ſtatutum col.2.* poſt Imolam, & Geminianum.

Ratio autem differentiæ eſt. Quia cùm ſoli Canonici, ut dixi, de jure conſtituant capitulum, ideòque ad canonicos capitulum conſtituentes ſpectat univerſum regimen, & adminiſtratio Eccleſiæ Cathedralis *tot. tit. de his, quæ fiunt a major. par. cap.* Cæſ. de Graſſ. *dec.4. eod. tit.* cum concordantibus, ideò ratione majoris ponderis, quod ſuſtinent, majorem quoque compenſationem in animi relaxatione recipere debent. Quò cenſetur reſpexiſſe ſtatuentes, & confirmantes Conſtitutionem. Quæ ratio cùm ceſſet in dignitatibus, ſequitur, quòd verſamur in materia differenti, quo caſu tantò minus ſub nomine canonicorum debent comprehendi dignitates, cùm in privilegiis concernentibus præjudicium tertii, fiat ſtricta interpretatio, *l. ſi quando in princ. C. de inoff. teſtam.* Ruin. *conſ.227. n.1. & 3. lib.1.* Gabr. *concl.1. n.62. de verb. ſignif.* & Seraph. *dec.603. n.3.* 8

CONSULTATIO CXXXII.

An in diœceſi, in quo ſunt duæ Cathedrales unitæ, Capitulum unius Cathedralis cogi debeat, ut accedat ad Synodum alterius?

NEgo. Et ita eſſe ſervandum in hujuſmodi Epiſcopatibus unitis declaravit ſæpius Sacra Congregatio Concilii, præſertim in una Civitatis Caſtellanæ, & Hortanæ 8. Januarii 1624. Atque hinc eſt, quòd eadem Sacra Congregatio in Valven. & Sulmonen. die 3. Septembris 1650. *ad c.1. ſeſſ.6. & c.18. ſeſſ.24. de reform.* declaraverit, quòd in qualibet Civitate ſint deputandi examinatores ſynodales diſtincti ab illis, qui deputantur in altera Civitate. Et quòd Epiſcopus pro cauſis diœceſanorum unius diœceſis deputare debeat Vicarium generalem in illa diœceſi. Ac etiam quòd Clerici unius diœceſis delinquentes debeant ibidem in carcerem condi, & non tranſmitti ad carceres alterius diœceſis. Idipſum de examinatoribus dixit Rota in Faventina nullitatis concurſus 12. Januarii 1635. coram Coccino, quod ſcilicet non poteſt Epiſcopus concurſum facere cum Examinatoribus Synodis alterius Epiſcopatus uniti, ſed ſolùm cum Examinatoribus electis in ſynodo illius diœceſis, in qua ſitum eſt beneficium. 1

Ratio autem eſt, primò, quia licèt reſpectu Epiſcopi una ſit diœceſis, reſpectu tamen Eccleſiarum duæ ſunt, & negotia unius non confunduntur cum alia, nec ſunt vocandi Canonici unius Eccleſiæ in diſputatione, & proviſione Clericorum alterius per doctrinam Archid. *in c. Et temporis qualitas n.6. cauſ.16. q.1.* 2

Deinde quia convocatio ad ſynodum eſt de lege diœceſana, *c. dilectus v. juriſdictionis de offic. Ord.* Abb. *in c. quod ſuper num.3. de major. & obed.* cum aliis allegatis a Bott. *de ſynod. part.1. num.61.* & a Maſſobr. *eod. tract.c.2. dub.12.* Immò jus convocandi ſynodum eſt miſtum de lege nempè diœceſana, & de lege juriſdictionis, Rot. *dec.619. num.2. par.4. div.* Lex autem diœceſana non poteſt extendi extra limites diœceſis, atque adeo non poteſt convocari Clerus alterius diœceſis. Unde non exiſtentes de diœceſi, vel in diœceſi, ad ſynodum minimè tenentur, aliàs enim quiſquam teneretur accedere ad duas ſynodos, quod non eſſe permittendum declaravit Sacra Congregatio ſuper Epiſcopis in Mileten. 10. Novembris 1620. Nam ad ſynodum ii tantùm accedere tenentur, qui habent officium, vel beneficium in diœceſi, & non alii, Abb. *in d. c. quid ſuper in princ.* Bott. *loc. cit par.2. num.17. & 20.* Azor. *inſtit. mor. tom.2. c.47. q.3.* Maſſobr. *ubi ſupra c.3. dub.2. num.13. & ſeqq.* Sacra Congregatio Concilii in Foroſempronien. 17. Januari 1654. & in Eugubina 13. Auguſti 1650. & Sacra Congregatio ſuper Epiſcopis in Aquilana 21. Martii 1589. & S. Rituum Congregatio in Hipporegien. 9. Auguſti 1637. Quia Conſtitutiones diœceſanæ non obligant, niſi diœceſanos ſubditos, ut per Bott. *par.3. art.2. concl.1. num.1.* Seraph. *dec.813. n.4.* Burat. *dec.572. n.4.* 3

Poſtremò, quia Clerus unius diœceſis eſt pars ipſius diœceſis, & ideò non debet ſeparari a capite ſuo, ſed æqualiter haberi, Greg. *d.284. n.3.* 4

Addo non abs re ſequentia, quæ ſunt veluti parerga. Clerus, & decanus, ſive aliàs exemptus, poſſunt cogi ad intereſſendum ſynodo, ſi aliàs, exemptione ceſſante, venire deberent, S. Congregatio Concilii in Tiraſonenſi. 5

Exempti omnes ad diœceſanam ſynodum venire debent, 6

bent, si exemptione cessante, interesse debeant, & Capitulis generalibus subditi non sint, & quòd de diœcesi sint, eadem S. Congregatio in Feretrana, facitque *d. c. super de major. & obed.* ubi Fagnanus.

7 Rectores parochialium nullius diœcesis tenentur accedere ad synodum viciniorem, eadem S. Congregatio in Sarsinatensi.

8 Obtinentes beneficia in una diœcesi, vel civitate, cùm tamen ipsi in alia habitent, tenentur ad synodum diœcesanam illius Episcopi accedere, cui subjecti sunt, illiusque leges observare, eadem Sacr. Congregatio in Aquilana.

9 Archiepiscopus, & Episcopus non convocans synodum, de jure communi est suspendendus *ex c. sicut olim de accus.* & Concilium in hoc nihil innovavit, vel addit, eadem S. Congregatio 21. Martii 1590.

10 Obtinens in una diœcesi Abbatiam habentem curam jurisdictionalem in commendam, & in alia beneficium simplex, non tenetur ratione simplicis beneficii accedere ad synodum provincialem.

11 Synodi diœcesanæ non sunt necessariò mittendæ ad Sedem Apostolicam, ut comprobentur. Quia Constitutiones factæ per verbum *Placet*, tantùm comprehenduntur sub dispositione Romani Pontificis. Quod locum habet in Conciliis provincialibus solummodò.

12 Metropolitanus, qui ex aliqua causa Concilium ad præscriptum tempus celebrare non potest, a Summo Pontifice dispensationem petat, eadem S. Congregatio in Cæsaraugustana.

13 Decreta, quæ in Conciliis provincialibus conduntur, non debent publicari inconsulto Romano Pontifice, eadem S. Congregatio in Florentina, & Januensi die 24. Julii 1573.

14 Die 21. Martii 1594. Episcopus Bituntin. consulit S. Congregationem Concilii, an ex decreto *c.2. sess.24.* tenerentur monachi Olivetani cujusdam monasterii, cui reperitur annexa quædam Ecclesia sæcularis simplex, omnes accedere ad synodum ex verbis ejusdem decreti, & S. Congregatio censuit, non teneri, si Ecclesia est simplex, neque accedere, neque aliquem eorum nomine mittere, sed si foret parochialis, teneri eum, qui curam exercet, ad synodum accedere.

15 Civitatum unitarum Episcopus debet in utraque residere, convenienti tamen tempore, S. Congregatio super Episcopis in Tolentina 16. Julii 1601. & in S. Angeli in Vado 30. Aprilis 1615.

16 In functionibus synodorum, ordinationum, hebdomadæ sanctæ, aliisque similibus servare debet alternativam, eadem Sacra Congregatio in Atrien. 3. Februarii 1604. & 4. Maji ejusdem anni, ac 21. Decembris 1603. & 20. Januarii 1624. & in dicta S. Angeli in Vado die, & anno, quibus supra; nempè quòd si ultimæ functiones factæ fuerint in una Civitate, proximæ habeantur in altera sine respectu intermediorum annorum, qui propter absentiam, vel impedimentum Episcopi vacui transissent ab hujusmodi functionibus, eadem S. Congregatio in Pennen. 24. Martii 1597.

17 In unaquaque diœcesi tenere debet unum Vicarium, eadem in Sutrina 7. Junii 1594.

18 Episcopi in synodo non possunt quidquam statuere, quod obviet Canonicis institutis. Multa vide apud Fagnanum.

CONSULTATIO CXXXIII.

Quæsitum in jure canonico est, quisnam dicendus sit notorius Clerici percussor ita, quod evitari debeat juxta secundam illam exceptionem Concilii Constantiensis? Superque ea quæstione exposita diversæ sententiæ?

1 PRincipio tenendum est, quod hodie ex decreto Concilii Constantiensis confirmata a Martino V. per Constitutionem incipientem *ad evitanda*, & a Leone X. in Concilio Lateranensi, ad evitanda animarum pericula, nemo quempiam alicujus sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, seu suspensionis, aut prohibitionis ratione, in Sacramentorum administratione, receptione, aut aliis rebus vitare, aut interdictum locale observare tenetur, nisi sententia, vel censura contra certam personam, vel Ecclesiam, vel universitatem specialiter a judice fuerit publicata, seu denunciata, exceptis iis, qui excommunicationem ob violentam manus injectionem in Clericum notoriè incurrerint, quia tales etiam vitandi sunt. Hæc autem moderatio non relevat ipsos censuris innodatos, seu suspensos, vel prohibitos, etiam occultè, ut habetur in eadem Constitutione, quæ in praxi recepta est, ut testatur D. Antonin. *3. par. tit.25.* Felin. *in c. Rodulphus num.39. de rescript.* Sot. *in 4. d.22. lib.1. ar.4.* ubi ait, sine metu huic Constitutioni adhærendum, Cajet. *in summ. v. excommunicatio minor. in fin.* Victor. *de excomm. num.10.* Major. *in 2. d.18. q.3.* Adrian. *eodem loc. tit. confess. dub.9. & de clav. q.3. & de Euch. q. penult.* Turrecrem. *in summ. de Eccles. lib.91. cap.100.* Dried. *de libertate Christ. pag.88.* Silvester retractans *in fin. Conflat. & in sum. v. excommunicatio 5. num.7.* Ledelm. *par.2. q.25. art.1.* Navar. mutata sententia *in man. c.27. n.36. in fin.* Vivald. *p.2. candel. tit. de sent. nu.74.* Guttier. *lib.1. can. q. c.1. n.1.* Henriq. *lib.13. c.6. n.1.* Avil. *p.2. c.6. disp.2. dub.1.* Suar. *disput.9. sect.2. n.5. de censur.* Alter. *tom.1. de censur. lib.1. disp.6. cap.1. col.2.* Azor. *instit. mor. tom.1. lib.8. c.13. q.7.* Duard. *q.8. n.2. in Bull. Cœn.* Gambarupt. *de casib. reserv. ad c.1. d. Bull. sub num.24.* ConinK *de cens. disp.13. dub.2.* Sanchez *in Decal. lib.2. cap.9. n.3.* & de communi testatur Laym. *lib.1. tract. de excomm. cap.4. num.1.* & receptam esse in praxi Urbis, & Curiæ Romanæ, ac totius Orbis testatur Sayr. *lib.2. de censur. c.12. n.9.* & tenent S. Rota *ut in rec. p.1. dec.534. num.112.* & Fagnan. *in cap. Quod a prædeces. de schism. a nu.39.* licèt quoad hanc partem *sub num. 55. & seqq.* contendat fuisse derogatam a Leone X. in Concilio Lateranensi *sess.11. §. statuimus insuper*, sed frustra, cùm jam more Ecclesiæ receptissimum sit, ut non vitemus, nisi duas illas excommunicatorum species, quas eadem Constitutio Constantiensis vitare jussit, ut ipse Fagnanus fatetur, & procedere in omnibus censuris sive a jure, sive ab homine, Sayr. *loc. cit. n.21.* & certissimum inquit Avil. *dub.5.* habereque locum etiam in irregularitate est communis recentiorum, teste eodem Avil. *ibid.*

Et notandum, quod non sufficit, censuram esse in 2
tribunali promulgatam, nisi sit per cedulones denunciata, ut docent Covarr. *in c. alma p.1. §.2. n.9. de sent. excom.* Avil. *disp.2. dub.3.* Suar. *disp.9. sect.2. n.8.* Laym. *d. cap.4. §.2.* Ex qua moderatione sic exposita sequitur, quod etiam hodie excommunicatus, occultus, seu declaratus potest repelli in judicio a Judice, etiam reo non excipiente, non tamen tenetur Judex illum repellere, nisi reo excipiente, *c. pia de except. in 6.* juncta dicta Constitutione Martini Genuen. *pract. q. c.762.*

Ex quibus audiendi non sunt morosi aliqui de hujus- 3
modi Constitutione Martini dubitantes, nominatim Covar. *in d. cap. alma num.7.* ex eo quod inter acta Concilii Constantiensis illam non legerint. Qui autem illam audeant negare, aut de ea dubitare, postquam toties typis cusa, & recusa, ac per omnes mundi partes tribus ferè sæculis pervulgata? Postquam illam quotquot de censuris Ecclesiasticis scripsere Scriptores clarissimi editis libris uberrimè exposuerunt? Postquam toties in jus canonicum universum Romani Pontifices retulerunt omnium consensu, ac praxi omnium Tribunalium observatum: Enim vero, si tot Pontificibus post evolutum trium ferè sæculorum spatium hujusmodi Constitutio nota, tot editorum codicum monumentis, tot in dies litigantium linguis contraria, atque usurpata, nihilominus falsam, aut dubiam arbitrantur, stipites, ac fungos, non homines Petri Sedem tenuisse arbitrantur. Porrò quid magis decantatum inter eos, qui jurisprudentiam odorati sunt, quàm scientiam Principis, utpotè quid a sensibus remotum, atque adeo suaptè natura imperspicuum, conjecturis probari, etiam ubi ageretur de tuenda consuetudine Principis leges abrogante? Utcumque autem sit Constitutio illa recipienda est tanquam canonica, ut omnes admittunt locis citatis, & testatur tandem Fagnan. *ubi supra n.40.*

Hac igitur anxietate, & quasi morositate disputatio- 4
nis prætermissa, prima sententia sit Suarez *de censur. disput.9. sect.2. num.11.* quam breviter explicat Filliucius, luculentus rerum moralium scriptor, mihique carus *tr.13. & 3. de censur. cap.4. quæst.5. num.66.* ubi, ut quis dicatur notorius percussor Clerici, ait, primò requiri, ut sit notorius notorietate facti, non juris, id-est non per sententiam, sed per evidentiam facti: Secundò, ut sit talis evidentia, ut non possit ulla tergiversatione celari. Nec satis est, inquit, quod probari possit per duos testes. Quia id tantùm efficit probabilitatem, non autem notorietatem. Nec enim satis est publica infamia. Quia hoc dicitur famosum tantùm, non verò notorium, cùm ad hoc requiratur, ut delictum sit factum coram multis testibus, & deindè eorum testimonio ita factum sit publicum, ut non possit ulla tergiversatione celari. Tertiò, eum testium numerum requiri, satis esse, qui prudentis arbitrio, circumstantiis loci, & temporis consideratis, possit efficere factum notorium.

Secunda sententia sit Fagund. *par.1. l.2. c.5. num.11.* 5
ubi

ubi advertit, non sufficere constantem famam, quæ publicet aliquem fuisse publicum percussorem Clerici, cùm adhuc excusari possit remedio juris, dicendo, quod non cognoverit, illum esse Clericum, quod fuerit ebrius, aut quod percusserit justè defendendo, & possit tergiversatione cellare, allegando in judicio tumoris falsitatem. Quæ reperit Diana *p. 3. tr. 5. resol. 13. & p. 5. tr. 9. ref. 61.*

6 Tertia sententia sit Sayri *lib. 2. cap. 12. num. 18.* ubi ait, solùm excommunicatum notorium ob Clerici percussionem ante denunciationem tum privatim, tum publicè vitandum esse duobus concurrentibus. Primum est si adeò manifestè constet, aliquem in eam excommunicationem incidisse, ut nullo modo celari possit. Secundum est, ut notorium etiam sit, percutientem nullo juris remedio, aut ratione excusare se posse, quominus in excommunicationem inciderit. Quæ Sayri sententia ita intelligenda est, ut nimirum primo requirat, debere adeò manifestè constare, percussorem in excommunicationem incidisse, ut nullo modo celari possit, id est quantum est ex parte ipsius facti, seu percussionis Clerici, ut sic præcisè, non verò simpliciter, & absolutè, nisi addatur secundum requisitum, quod scilicet talis percussor nullo juris remedio, aut ratione possit se excusare. Et ideò, fortasse Sayrus possit tale exemplum, dicens: Unde licèt notorium sit Petrum percussisse Clericum, si tamen notorium etiam non sit, Petrum nullam excusationem pro se habere, vitari non debet antequam citatus denuncietur excommunicatus.

7 Quarta sententia requirit primò saltem decem testes, scientes per evidentiam facti, & contradistinctos ab ipso delinquere. Quia licèt lex de vitando tali percussore, edita sit in favorem Ordinis Ecclesiastici, est nihilominus exceptio ab indulto maximè favorabili animabus, atque adeò quàm minimè potest, derogare debet tali indulto, cùm præsertim sit lex pœnalis, & quidem non solùm respectu delinquentium, sed etiam respectu aliorum innocentium, qui tàm severè obligantur ad abstinendum a communione cum hujusmodi notoriis Clericorum percussoribus, ac proindè lex ista quantum fieri commodè potest, restringenda est potiùs, quàm amplianda. Hoc autem fit, si dicatur, fideles obligari ad evitandum, quando adest notorietas delicti, quæ sit notorietas simpliciter, & absolutè, seu quæ sit propriè secundùm quid, ac respectivè. Unde Bonacina *de excom. in com. disput. 2. quæst. 2. §. 1. num. 5.* ait delictum commissum coram decem non esse notorium respectu magnæ Civitatis, quamvis respectu Collegii, aut viciniæ notorium sit. Et Avila plus addit *p. 2. c. 6. disp. 2. dub.* quòd scilicet non sit notorius Clerici percussor in magna Civitate ille, qui percussit coram decem, vel duodecim, benè tamen in oppido parvo, & in vicinia illius magnæ Civitatis. Hæ verò decem personæ sive sint ex eadem, sive ex diversis domibus, &c. sufficiunt ad notorium simpliciter, & requisitum ad obligationem vitandi percussorem Clerici. Quia si alio modo requirerentur hujusmodi decem testes, sæpè esset impossibilis notitia circa testes requisitos, ac sufficientes ad hoc, ut docerentur obligari ad tales percussores vitandos, ut ex se patet.

8 Deinde requirit præter notorietatem prædictam, ut factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo juris suffragio excusari, id est, ut percussio hominis, atque etiam hominis Clerici nulla tergiversatione celari possit quatenus percussor benè novit illum esse Clericum. Rursus, ut nullo possit remedio juris excusari, id est, non possit excusari ab excommunicatione canonis incursa. Et ideò benè Suarez *loc. allegat. disp. 9. sect. 2. n. 13.* ait, illa verba: neque aliquo juris suffragio excusari, intelligenda esse de probabili suffragio, & ita apparente, ut constituat rem dubiam, ut si alleget via defensionis percussisset, quod inquit præsumi potius debet, quamdiu oppositum non constet. Additque similiter si constanter neget percussum esse Clericum, & ex circumstantiis, & qualitate personarum id reddatur verisimile, aut saltem oppositum reddatur incertum, & probatur ex fine Concilii intendentis tollere dubia, ideòque fuisse illam exceptionem de percussore in casu certo, non verò dubio. Quamdiu ergo non est certum, & indubitatum percussor non est talis, qualis esse debet, ut vitetur. Et concludit, quacunque ratione excusatio probabilis sit, aut probabile ingerat dubium, non erit casus, in quo vitandus sit.

9 Postremò requirit necessariò, quòd tale delictum factum sit coram multis, & deinde, ut ex eorum testimonio ita factum sit publicum, ut nulla tergiversatione possit celari. Quod voluit Suarez *dict. sect. 2. n. 11.* & habet Filliuc. *c. illo q. 5. num. 66.* ubi ait, eum dici notorium percussorem Clerici, qui per evidentiam facti ita percussit, ut nulla tergiversatione celari possit, ideòque requiri, ut delictum coram multis testibus factum sit, & deinde ex eorum testimonio factum sit publicum. Similiter dixerat idem Filliuc. *num. 70.* ejusdem quæstionis de notitia denunciationis ad hoc, ut obliget ad vitandum excommunicatum, debet enim, inquit, notitia esse talis, ut ex parte Judicis sit actione aliqua publicè usitata ad res juridicè promulgandas manifestata. Ex parte verò aliorum debet vel per testimonia digna fide, vel per publicam famam in eorum notitiam venire, denunciationem esse factam. Non debet autem notitia ex fama esse dubia, sed moraliter certa.

Tenendum est, ut notorius percussor Clerici sit vi- 10
tandus regulariter requiri sententiam Judicis, declarantem, seu denunciantem excommunicationem incursam, ut sic constare possit iis, qui talem percussorem vitare tenentur vel immediatè per ipsam denunciationem, vel mediatè per certam relationem. Nam requiritur, quòd factum, seu percussio nulla possit tergiversatione celari, & proindè non erit vitandus, si aliquo pacto celari possit juxta ea, quæ tradunt Covar. *in d. cap. alma part. 1. §. 2. n. 7.* Fagund. *præc. 1. lib. 2. d. cap. 5. num. 12.* Unde non sufficit publica fama, quia hæc non inducit notorium facti, cùm possit esse falsa. Similiter etiam non erit vitandus, licèt adsit notorietas facti, si factum possit excusari aliquo juris suffragio, ut constat ex dicta Extravaganti. Quamvis enim notorium sit, quòd aliquis percusserit, potest tamen allegare, quòd habuerit justam causam, aut quòd nesciverit esse Clericum, aut aliquo alio modo se excusare. Et ideò quamdiù non constat, quod nullo modo possit excusari, non erit vitandus. Hoc autem difficile contingere potest absque formatione judicii, & prolatione sententiæ. Ita desumo ex Navarro *in man. cap. 25. n. 73.* Lessio *lib. 2. de just. cap. 11. dub. 13. num. 73.* Sayro *lib. 2. de censur. cap. 12. n. 18.* Avila *par. 2.* ejusdem argumenti *disp. 11. sect. 2. n. 13.* Fagundez *d. c. 5. n. 12.* Nisi enim percussor auditur quod ad ea, quæ pro excusatione afferre potest, non potest formari certum judicium, quod nullo juris suffragio excusari possit.

At dices. Si id admittatur jam nullius ferè erit effectus 11
discrimen in dispositione Constantiensi positum inter excommunicatos ob Clerici percussionem, & ob alias causas. Illos enim tendit esse vitandos etiam sine judicis sententia, declaratione, aut recursu ad ipsum, quod non accidet, si erit examinando excusatio.

Respondet Diana *p. 3. tr. 5. miscel. resol. 14.* discrimen 12
satis in eo servari, quòd circa alios excommunicatos requiritur sententia declarativa, quòd excommunicatio contracta fuerit, seu denunciativa in singulari personæ excommunicatæ, ac ejusdem juridica publicatio. Quoad excommunicatum verò ob Clerici percussionem sufficere solam juridicam reprobationem excusationis. Sed hæc responsio frivola est, cùm hæc differentia nimis modica videatur: Tum quia quoad alios excommunicatos etiam sola denunciatio aliquando requiritur sine declaratoria, nimirum quando nullum est dubium, quin excommunicatio sit contracta: Tum quia idem est declarare aliquem ob tale crimen subjacere excommunicationi jam latæ, ac declarare excusationem allatam circa percussionem Clerici non esse legitimam. Ex hoc enim statim infertur, declarari etiam excommunicationem inductam fuisse.

Respondendum igitur est, recursum ad Judicem ad 13
effectum, ut obligatio vitandi locum habeat, non semper esse necessarium, nedum quando nulla affertur actualiter ab ipso percutiente excusatio, & ipse reputat excommunicatum. (Quòd enim motu proprio afferatur ab alio, dum posset ipse percutiens, non videtur admittenda, quia moraliter non contingit, quòd quis habeat probabilem excusationem, & nesciat per se, vel per alium adducere) sed nec quando excusatio adducta nihil probabilitatis, apparentiæ, aut verisimilitudinis habet, nec probabile dubium ingerit. Quando enim contingeret eam fictam esse sine alio recursu ad Judicem, adhuc percussor esset vitandus, cùm ficta excusatio non tollat certitudinem facti, ut optimè habetur ex Suarez *de censur. d. disput. 9. sect. 2. num. 3.* Graffio *tom. 1. conf. 1. conf. 15. num. 8. de sent. excomm.* & Bonacina *de censur. in gener. disp. 2. q. 1. pun. 1. §. 1. n. 4.*

Ea verba Concilii Constantiensis si recensere quis vel- 14
let, appositi ex D. Antonino, Felino, & Soto locis superius citatis, ubi integram Constitutionem referunt, & ex ipsis alii passim. *Salvo si quem*, inquit Concilium, *pro sacrilega manuum injectione in Clericum, sententiam latam a Canone adeò notoriè constiterit incurrisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari*, licèt

Sua-

Suarez *ubi ſupra nu.* 12. aliqualiter diverſis verbis hanc eandem exceptionem Concilii recitet.

CONSULTATIO CXXXIV.

An electio Nunciorum, quibus Romani Pontificis authoritas repræſentatur in Regnis, ad quæ mittuntur, omninò pendeat ab ejus libera voluntate? Ubi de facultatibus, quæ aliquibus ipſorum, ac Epiſcopis, & Miſſionariis a Sede Apoſtolica concedi ſolent.

2 ITa quidem, atque ideò permittendum non eſt, quòd redigatur in ſervitutem arbitrii illos recipere debentium, ut nonniſi petiti ab eis, vel de illorum beneplacito tranſmiſſi Terras ſibi commiſſas ingrediantur, ut ſtatuit Joannes XXII. *in Extrav. un. de conſuet.* ubi contrariam conſuetudinem, uti irrationabilem, animarum ſaluti contrariam, detrahentemque authoritati Sedis Apoſtolicæ penitus reprobando, non ſolùm decernit electos ab omnibus cujuſcunque præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus fuerint, admittendos eſſe, neque eos prætextu cujuſvis conſuetudinis impedire poſſe a quoquam chriſtiano nomine gloriante, quominus Regna, ad quæ deſtinati fuerunt, liberè ingrediantur, ac commiſſæ ſibi legationis officium in eiſdem exerceant; ſed etiam contra eos, qui de cætero impedire præſumpſerint Legatos, aut Nuncios, quos ad quaſcunque partes Sedes Apoſtolica tranſmiſerit, fertur ſententia excommunicationis eo ipſo incurrenda, & contra Regna, Terras, & loca quælibet ſubjecta Dominis impedientibus hujuſmodi Legatorum, ſeu Nunciorum Officium, fertur ſententia interdicti ipſo facto incurrendi tamdiu duraturi, quandiu Domini prædicti in contumacia perſtiterint, non obſtantibus quibuſcunque indultis, & privilegiis etiam Imperatoribus, aut regibus conceſſis in quacunque verborum forma.

2 Id, quod olim quoque Alexander primus epiſt. 3. relata *in can.* 2. *diſt.* 94. ſtatuit in hæc verba: *Si quis autem legationem impedit, non unius, ſed multorum profectum avertit, & ſicut multis nocet, ita a multis arguendus eſt, & bonorum ſocietate privandus. Et quia Dei cauſam impedit, & ſtatum conturbat Eccleſiæ, ideò ab ejus limitibus arceatur. Ab omnibus itaque talis eſt cavendus, & non in communionem fidelium uſque ad ſatisfactionem recipiendus.*

3 Quod ampliatur, ut neque ſit licitum Principibus, vel Magiſtratibus diſcutere facultates, & poteſtates Nuncii Apoſtolici, ſed ſolis Judicibus Eccleſiaſticis, ut apud Dianam *p.* 1. *tract.* 2. *reſol.* 67. ubi plures. Verum autem eſt, quod tenetur Legatus oſtendere Principi literas legationis. Sed quamvis Princeps non teneatur Legatum Papæ admittere, niſi probet legationem per oſtenſionem literarum, hoc tamen fallit in Legato a latere, aut alio nobiliſſimo, ac noto Principe, ad quem mittitur, ut de communi teſtatur Maſcard. *v. Ambaſciadores concluſ.* 84. *num.* 2.

4 Ejiciens verò Legatum, vel Nuncium Papæ jam receptum ad aliquod territorium deſtinatum pro munere legationis exercendo, incurrit excommunicationem latam in Bulla Cœnæ Domini *cap.* 11. non tamen illam incurrit impediens tranſitum, vel non admittens, Navar. *cap.* 27. *numer.* 149. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 25. *§. undecima*, Filliuc. *tract.* 16. *numer.* 238. Bonac. *ad d. can.* 11. *quæſt.* 12. *pun.* 1. *numer.* 7. niſi id faciat carcerando, vel detinendo, vel percutiendo, vel occidendo, aut mutilando, aut hoſtiliter perſequendo, ut patet ex eodem textu.

5 Sed tamen impediens Legatos, ſive Nuncios non admittendo ad locum deſtinatum, vel non concedendo tranſitum incurreret excommunicationem latam *in can.* 16. dictæ Bullæ Cœnæ contra impedientes Prælatos, ne ſua juriſdictione Eccleſiaſtica ordinaria utantur, ſi tales erant Legati, ſive Nuncii deſtinati ad regimen alicujus territorii, ſive Regni. Quia iſti habent ordinariam juriſdictionem, *cap. Legatus de offic. leg. in* 6. ſecus ſi ſolùm ad negotium extraordinariè eſſent miſſi, quia ibi non ſunt Judices ordinarii, ut per Abb. *in rubr. de offic. leg.* Azor. *tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 27. *quæſt.* 5. Laym. *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 7. *num.* 21.

6 Nolentes ergo recipere Nuncios incidunt in excommunicationem dictæ Extravagantis, quam Alter. *de cenſur. d. can.* 11. *in Bulla Cœnæ c.* 44. *col. pen. & ult.* ac Duard. *in comm. ad d. locum libr. ſecundo, quæſt. ſecunda, numer. decimo primo*, notant, extendi in eos, qui ita non recipiunt, ut impediant. Adduntque Navar. *d. numer.* 149. Gamb. *de caſibus reſerv. cap.* 12. *numer.* 2. Lavor. *de Indulg. par.* 2. *cap.* 13. *numer.* 47. quod licèt hujuſmodi excommunicatio non fuerit reſervata Papæ in dicta extravaganti, hodie tamen dicitur reſervata *in d. Bulla Cœnæ.*

Redarguendi quoque ſunt non admittentes Nuncios 7
Summi Pontificis, de inobedientia, quæ ſecundùm Samuelem ſimilis eſt idolatriæ, ſicut Gregor. VII. expreſſit *epiſt.* 75. ſcripta Regi Danorum, quæ legitur Conciliorum Binii *tom.* 1. *p.* 1. *fol.* 370. *col.* 1. *ſub lit. D.*

Quare hujuſmodi Nuncii non debent è locis, ad quos 8
miſſi ſunt, diſcedere, ſed minori, quoad fieri poteſt diſpendio, illæſa tamen dignitate, morari poſſunt in aliquo monaſterio, ubi ſuas, ac Sedis Apoſtolicæ partes valeant explere.

Et nihilominus conſultum eſſe volo, & Principi, ad 9
quem mittitur, gratioſum eſſe oportet Legatum, ſive Nuncium, non gravem, aut inviſum. Qui placere petitor potuit, jam impetrare cœpit. Sanè quemadmodum conſultum non eſt aut Magiſtratum odioſum plebi, aut inviſum Imperatorem exercitui præficere, ſic malis avibus ibunt ſi, quos veriſimile eſt offenſuros, aut inacceptos, vel ingratos fore. Prima Urbis Romæ diſcordia ob ſævitiam fæneratorum nata ſedari non potuit, niſi miſſo in ſacrum Montem Oratore Menenio Agrippa, qui non tàm quia facundus, & ſapiens erat, quàm quia populo carus, hinc quippè oriundus placuit, pacemque perſuaſit. Similiter cum plebs ob injuriam Virginiæ ab Appio Claudio Decemviro illatam, in Aventinum Montem ſeceſſiſſet, Senatus tres Conſulares Legatos, C. Julium, P. Sulpitium, & Sp. Tarpejum minus populares, miſit ad placendum, ſed ne admiſſi quidem illi, nedum reſponſum ullum tulere, ſed valida voce conclamatum eſt, ut L. Valerius, & M. Horatius mitterentur, hos audiendos fore, neque quod æquum videbatur, ſed quod placebat, obtinuit, nimirum ut non ſolùm quæ nunciarentur juſta ac grata eſſent, ſed ii præterea, qui nunciarent, juſti & grati. Hoc conſilio Cardinalis Bembus a Leone X. ad Rempublicam Venetam miſſus eſt, cùm de fœdere cum Cæſare ineundo, Galloque abdicando ageretur. Venetus enim erat, & ſic non virtutibus tantùm, ſed natalibus Patriæ carus. Extat adhuc, & oratio ejus legitur, diſciturque. Sic & olim ad Caſſium, qui Rhodum obſidebat, miſſus eſt Archelaus Rhetor, a quo ille aliquando græcis literis fuerat inſtitutus, utpotè tantæ diſciplinæ beneficium habitum eſt, ut ceſſura belli, & obſidionis ratio videretur. Accidit ſæpè, & quidem conſultò, ut Princeps ſtudio protrahendarum rerum miſerit plauſibilibus inſtructum mandatis Legatum, quem ignorabat fortè minus acceptum, miſerit verò quaſi id neſciviſſet. Ita impetratum, ut protinus alium ſibi mitti petierit alter, & ille quem deſiderabat, nec petere moram ſuis negotiis, obtinuerit remoram alienis.

Facultates verò ipſorum, quod attinet iſtæ, vel hu- 10
juſmodi aliæ ſunt. Nuncii Apoſtolici poſſunt cum hæreticis converſari in actibus publicis pro negotiis tractandis. Quod verò ad invitandum illos ad convivia abſtinent, niſi ſubſit probabilis ſpes eorum converſionis. Conceditur etiam hæc licentia eorum miniſtris, ſcilicet Abbreviatoribus, & Secretariis.

Non veniunt nomine Oratorum Principum extero- 11
rum. Unde cùm in Comitiis Rothomagenſibus in Galliis fuiſſet dubitatum, an ſubditis eſſet prohibendus acceſſus ad domos Oratorum Principum exterorum, & an in horum numero comprehenderetur. Nuncius Apoſtolicus, Rex Galliarum die 17. Januarii 1618. declaravit extra Comitia, Nuncium Summi Pontificis non venire ſub nomine Principum exterorum. Summus enim Pontifex non debet haberi pro Principe extero, ſed pro communi omnium Patre, maximè a Rege Chriſtianiſſimo, qui eſt Primogenitus Eccleſiæ. Immò objurgavit quendam, qui in Romanam Curiam obloquutus fuerat, obtulitque ſe paratum Ordini Eccleſiaſtico, illum a conſiliis ejicere, ſi voluiſſet.

Publicis functionibus faciendis Ulmæ, vel alibi circa 12
deputationem Imperii ratione præcedentiæ cum Electoribus Saxoniæ, & Brandeburgi hæreticis abſtinent intereſſe dum cedere debent, vel incedere pari greſſu cum eiſdem Electoribus. Quod verò ad manendum in procætone confuſè cum aliis, poſſunt id facere, dummodò ſemper, aut plerumque id non fiat omnibus diebus deductionis, & reductionis, ſed occaſione negotiorum. Prius tamen juſta, & idonea excuſatione uti debent apud Imperatorem, cauſam illi exponendo, cur nequeant intereſſe.

Invitati per literas ad nuptiarum ſolemnia hæreti- 13
corum poſſunt illis ſignificare, ſe uti miniſtros Sedis Apoſtolicæ nullatenus intereſſe poſſe nuptiis Principum diverſæ Religionis, atque idcircò reſpondere non poſſe literis invitantibus.

Fa-

14 Facultatem, quam habent concedendi licentiam Miſſionariis, ut interſint concionibus hæreticorum, quam parciſſimè utantur, & plenè obſervatis conditionibus in literis ſcriptis 27. Januarii 1628. Illud verò, quòd ſtatim confutare debeant hæreſes, qui hæreticorum conciones audiunt, intelligi debet in latitudine ejuſdem diei tantùm.

15 Nuncio Apoſtolico apud Cæſarem die 16. Maji 1630. fuit conceſſa licentia legendi libros prohibitos, quam communicare poſſit aliis perſonis ſuæ Nunciaturæ ſubjectis, facultas abſolvendi ab hæreſi in utroque foro, & a caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, nec non duellantes de præterito tantùm, & pro viginti caſibus in futurum, diſpenſandi in tertio, & quarto conſanguinitatis gradu, ſeu affinitatis cum Catholicis pauperibus Comitatus Goritiæ, Imperio ſubjectis, in matrimoniis contractis, & contrahendis, durante Nuncii munere.

16 Sub die 30. Maji 1620. Nuncio Coloniæ, conceſſa facultas abſolvendi ab hæreſi in utroque foro, & licentia legendi libros prohibitos, durante ejus munere. Et ſub die 14. Novembris ejuſdem anni fuit eidem conceſſum, ut aliis poſſit communicare licentiam legendi libros prohibitos.

17 Nuncio apud Helvetios die 16. Maji 1630. conceſſa facultas abſolvendi ab hæreſi in utroque foro, & licentia legendi libros prohibitos, quam communicare poſſit aliis perſonis, durante tempore ſui Officii.

18 Nuncio in Belgio die 8. Julii 1627. fuerunt conceſſæ facultates, quas habuerunt ejus prædeceſſores, nempè licentia legendi libros prohibitos cum facultate aliis communicandi, facultas abſolvendi ab hæreſi in utroque foro, quam communicare poſſit aliis octo presbyteris in foro conſcientiæ.

19 Nuncio apud Regem Poloniæ anno 1630. conceſſa licentia legendi libros prohibitos, quam communicare poſſit quatuor, aut quinque perſonis, facultas abſolvendi ab hæreſi in utroque foro, quam communicare poſſit Epiſcopis, & Prælatis ſuæ Nunciaturæ ſubjectis, diſpenſandi cum hæreticis converſis, aut cum Catholicis ex parentibus hæreticis natis, ut ad omnes ordines, etiam ſacros, & presbyteratus, etiam extra tempora, & non ſervatis interſtitiis, promoveri poſſit, quam diſpenſationem communicare poſſit Epiſcopis, & aliis Prælatis ſupradictis. Nec non cum triginta Clericis ſuper irregularitate & bigamia proveniente, ut ad omnes Ordines promoveri poſſint. Abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis de præterito. Communicandi facultatem abſolvendi ab hæreſi Sacerdotibus ſibi beneviſis in foro conſcientiæ.

20 Nuncio Taurinenſe ſub die 8. Novembris 1629. conceſſa licentia legendi libros prohibitos, durante ſuo munere. Et ſub die 21. Auguſti 1631. facultas duratura per triennium abſolvendi eos, qui in duello pugnarunt, vel quoquomodo duello interfuerunt de præterito, & pro ſex vicibus in futurum, cum conditione, quòd ſileat habere hanc facultatem pro ſex caſibus in futurum. Et ſub eadem die 8. Novembris conceſſa authoritas communicandi fratribus Capucinis, & Patribus Societatis Jeſu Miſſionariis Vallium citra, & ultra Montes, infraſcriptas facultates.

21 Legendi ac retinendi libros prohibitos, etiam illos, qui in dies eduntur, & bibliam gallicam, dummodò ſit ex approbatis, & traditis a Catholicis.

Concedendi licentiam Curatis ſupradictorum locorum retinendi, ac legendi dictam bibliam, dummodò ſint perſonæ habiles, & ſæcuræ, & biblia ſit de editione.

22 Audiendi confeſſiones ſacramentales omnium in illis partibus de licentia, & de approbatione Ordinariorum, etiam in actu reconciliationis hæreticorum, & adminiſtrandi Sanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ, etiam pro viatico, & extremæ unctionis.

23 Abſolvendi de præterito tantùm ab omnibus cenſuris & caſibus reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ, ac etiam illos, qui commiſerint duellum, idque ſolùm pro originariis, & habitatoribus illarum partium, & pro habitatoribus intelliguntur ii, qui habent domicilium firmum, & etiam pro originariis aliarum partium, in quibus hæreſes impunè graſſantur in eorum primo acceſſu in Italiam tantùm.

24 Recipiendi ac reconciliandi in foro conſcientiæ omnes hæreticos, etiam relapſos. Hæc tamen clauſula etiam *relapſos* tollenda videtur,

Recipiendi ac reconciliandi in utroque foro omnes hæreticos illarum partium, ubi impunè graſſantur hæreſes, & habitatores dictarum partium, ut ſupra.

Nunciis Hiſpaniarum, & Galliarum non legi conceſſam fuiſſe aliquam facultatem. 25

Facultates, quæ in dies concedi ſolent Epiſcopis in Hibernia ſunt hujuſmodi. 26

Abſolvendi in utroque foro omnes cujuſcunque ſexus 27
tàm laicos, quàm Clericos ſæculares, & cujuſvis Ordinis Regulares hæreticos, ſchiſmaticos, & a ſancta fide catholica quomodolibet aberrantes, eorumque receptatores, fautores, & defenſores, ac eorum libros & ſcripta legentes, retinentes, aut imprimentes, non tamen in hæreſes relapſos, judicialiter abjuratos, delatos, vel condemnatos, neque eos, qui ſunt ex partibus, in quibus exercetur ſanctum Officium Inquiſitionis.

Abſolvendi in foro conſcientiæ alios pœnitentes ab omnibus caſibus, & peccatis Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, de præterito tamen, & uſque ad diem datæ conceſſionis hujuſmodi incurſis, injunctis, injungendis. 28

Diſpenſandi gratis cum Eccleſiaſticis ſuper quibuſcunque ſuſpenſionibus, inhabilitatibus, & irregularitatibus, ptæterquam homicidii voluntarii, ſimoniæ realis, vel confidentialis, & vitiorum corporis in foro conſcientiæ. 29

Concedendi Apoſtolicam benedictionem cum plenaria Indulgentia iis, quos Eccleſiæ Catholicæ reconciliaverint. 30

Concedendi Indulgentiam plenariam quotannis in feſtis celebrioribus, & in mortis articulo, ac ſi quotannis generalem ſuorum peccatorum confeſſionem fecerint, & etiam Indulgentiam quadraginta, aut quinquaginta dierum ad libitum. 31

Commutandi vota Religionis, & caſtitatis ad effectum 32
contrahendi matrimonium, & non aliàs, dummodò non ſint ſolemnia, & ex gravi cauſa.

Diſpenſandi ob magnam neceſſitatem gratis, & abſque 33
ullâ mercede, vel præmio cum catholicis pauperibus manu victum quærentibus in tertio, & quarto conſanguinitatis, ſeu affinitatis gradu etiam ante contractum matrimonium.

Diſpenſandi quoque ob ſimilem neceſſitatem in affini- 34
tate ex illicita copula, & impedimento publicæ honeſtatis, cognationis ſpiritualis, atque etiam criminis, neutro machinante, idque in foro conſcientiæ tantùm.

Retinendi ac legendi libros hæreticorum, & quoſcun- 35
que prohibitos ad effectum illos impugnandi, exceptis tamen Caroli Molinæi, & Nicolai Macchiavelli operibus, aliis libris de aſtrologia judiciaria principaliter, vel incidenter tractantibus, ita tamen, ut præfati libri non exportentur ex illa regione.

Celebrandi miſſam in quocunque loco decenti, etiam 36
ſubdio, ſub terra, ante lucem, una hora poſt meridiem bis in die ubi neceſſitas poſtulaverit, & ſit jejunus, etiam coram hæreticis, aliiſque perſonis excommunicatis, dummodò miniſter non ſit hæreticus, & aliter celebrare non poſſit.

Applicandi piis uſibus bona reſtituenda incerto do- 37
mino.

Diſpenſandi cum converſis ad fidem catholicam ſuper 38
fructibus bonorum Eccleſiaſticorum malè perceptis, facta aliqua eleemoſyna in uſum Religionis illius, cujus ante ſchiſma erant bona, ſi ibi adſit Religio illa, ſin minus in Catholicos pauperes arbitrio confeſſarii.

Supradictas facultates aliis etiam presbyteris ſæcularibus, vel regularibus, idoneis tamen, & ſufficientibus ad 39
certum tempus ſubdelegandi, adhibito magno perſonarum delectu.

Diſpenſandi cum ſupradictis Catholicis Hiberniæ ſuper 40
retentione bonorum Eccleſiaſticorum, accepta ab eis promiſſione de ſtando judicio Eccleſiæ quandocunque circa eorum reſtitutionem, illis interim admonitis, ut faciant eleemoſynas ex fructibus arbitrio confeſſarii in uſum Religionis, cujus ante ſchiſma erant bona, ſi ibi adſit Religio illa, ſin minus Catholicis pauperibus, & memores ſint illa bona eſſe revera Eccleſiæ.

Diſpenſandi quando expedire videbitur ſuper eſu car- 41
nium, ovorum, & lacticiniorum tempore quadrageſimæ.

Concedendi miniſtris hæreticis ad fidem convertendis, ut pro beneficiis Eccleſiaſticis, quæ dimittere coguntur, aliquam partem recipere poſſint ad levamen inopiæ. 42

Concedendi facultatem Sacerdotibus idoneis admi- 43
niſtrandi ſacramenta omnia, excepta confirmatione,

& ordine, omiſſis pro neceſſitate ſolemnibus, & cœremoniis ſolitis, non tamen neceſſariis.

44 Dandi authoritatem benedicendi paramenta, pallas, veſtes ſacras, & alia ad cultum divinum neceſſaria, dummodò non adhibeatur ſacra unctio, nec teneatur inquirere, an altaria portatilia contineant ſacras reliquias, nec ne.

45 Diſpenſandi in foro conſcientiæ, cum iis, qui cùm paterentur defectum natalium, aut corporis, ſacros Ordines ſuſceperunt, ut poſſit in ſuſceptis miniſtrare.

46 Diſpenſandi ſuper defectu natalium cum perſonis magnæ expectationis, ut eodem non obſtante, ad omnes etiam ſacros, & presbyteratus Ordines promoveri valeant.

47 Diſpenſandi cum hæreticis ad fidem converſis cum hæreticorum filiis, ac nepotibus, ut iiſdem etiam ſacris & presbyteratus ordinibus inſigniri valeant.

48 Conficiendi chriſma, & benedicendi oleum infirmorum quovis opportuno anni tempore, quando in feria quinta Cœnæ Domini conſecrari non poterunt ob urgentem hæreticorum perſequutionem.

49 Conferendi etiam extra tempora ſacros Ordines, cùm ob eandem perſequutionem ſæpè perdifficile ſit ſtatis temporibus habere ordinationem.

50 Ut ad augendam fidelium devotionem, & in ſolatium defunctorum altaris portatilis gratiam habeant inſtar altaris privilegiati.

51 Utendi ſupradictis facultatibus in diœceſi, & aliis vicinis regionibus, ubi non ſunt proprii Archiepiſcopi, vel Epiſcopi Catholici, aut Vicarii Apoſtolici.

52 Facultates verò concedendæ Miſſionariis Germaniæ, Hungariæ, Poloniæ, & Flandriæ, ac aliorum locorum ab hæreticis, & infidelibus reſpectivè occupatorum, ſolent eſſe hujuſmodi.

53 Audiendi confeſſiones quorumcunque fidelium utriuſque ſexus, ubi non ſunt Parochi, vel Epiſcopi, & ubi ſunt, de eorum licentia. In Gallia tamen deberet concedi ſolùm facultas abſolvendi ab hæreſi in foro conſcientiæ, & licentia legendi libros prohibitos ob copiam Epiſcoporum. Prima conceditur ſolùm Patribus Capuccinis.

54 Abſolvendi in foro conſcientiæ omnes utriuſque ſexus tàm laicos, quàm Clericos ſæculares, & cujuſvis Ordinis Regulares hæreticos, ſchiſmaticos, apoſtatas, & a ſancta fide catholica quomodolibet aberrantes, eorumque receptatores, fautores, & defenſores, eorumdenque hæreticorum libros, & ſcripta legentes, retinentes, aut imprimentes, non tàm hæreticos relapſos, judicialiter abjuratos, delatos, vel condemnatos, neque eos, qui ſunt ex partibus, in quibus exercetur ſanctum Officium Inquiſitionis.

55 Abſolvendi in foro conſcientiæ alios pœnitentes ab aliis caſibus, & peccatis Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, omnes, etiam Eccleſiaſticos, & Regulares de præterito tamen, & uſque ad diem datæ hujuſmodi conceſſionis incurſis, injunctis adjungendis.

56 Retinendi, ac legendi libros hæreticorum, & quoſcunque prohibitos ad effectum illos impugnandi, exceptis tamen Caroli Molinæi, & Nicolai Macchiavelli operibus, & aliis libris de aſtrologia judiciaria tractantibus, ita tamen, ut præfati libri non extrahantur ex illa regione.

57 Adminiſtrandi Sacramenta omnia, exceptis confirmatione & ordine, omiſſis pro neceſſitate ſolemnitatibus, & cœremoniis ſolitis, & conſuetis, non autem neceſſariis, ita tamen, ut baptiſmus, & extrema unctio & matrimonium non adminiſtrentur in locis, ubi Paſtores inveniuntur, ab Ordinariis, ſeu Vicariis Apoſtolicis inſtituti abſque eorundem Paſtorum, ſeu Ordinariorum conſenſu.

58 Ubi Breviarium deferri non poteſt abſque periculo recitandi Roſarium B. Virginis, vel alias orationes, & pſalmos, quos memoria tenent.

59 Diſpenſandi gratis & abſque ulla mercede, vel præmio cum catholicis pauperibus manu victum quærentibus in tertio, & quarto conſanguinitatis, ſeu affinitatis gradu, etiam antè contractum matrimonium ubi non ſunt Epiſcopi, & ubi ſunt de eorum licentia.

60 Celebrandi miſſam in quocunque loco decenti, etiam ſubditos, ſubtus terram tribus horis antè lucem, hyeme una hora poſt meridiem, bis in die ubi neceſſitas poſtulaverit, etiam ſuper altari portatili fracto, vel læſo, & coram hæreticis, aliiſque excommunicatis, dummodò miniſter non ſit hæreticus, & aliter celebrare non poſſit, & ſit jejunus, nec teneatur inquirere, an altaria portatilia contineant Sanctorum Reliquias, nec ne.

Miſſionariis in Anglia additur facultas diſpenſandi gratis cum Eccleſiaſticis ſuper quibuſcunque ſuſpenſionibus, inhabilitatibus, & irregularitatibus, præterquam homicidii voluntarii, ſimoniæ realis, vel confidentialis, & vitiorum corporis in foro conſcientiæ, & in Civitatibus, ac diœceſibus, quæ non habent Epiſcopos reſidentes, aut Vicarios Apoſtolicos, vel cum eorum licentia. 61

Concedendi Apoſtolicam benedictionem cum plenaria Indulgentia iis, quos Eccleſiæ catholicæ reconciliaverint, ubi non ſunt Epiſcopi, vel Vicarii Apoſtolici, & ubi ſunt de eorum licentia. 62

Concedendi Indulgentiam plenariam quotannis in feſtis celebrioribus, & in mortis articulo, ac ſi quotannis generalem ſuorum peccatorum confeſſionem fecerint, ac etiam Indulgentia quadraginta, aut quinquaginta dierum ad libitum. 63

Benedicendi ubi non ſunt Epiſcopi, vel Vicarii Apoſtolici, & ubi ſunt de eorum licentia, paramenta & alia ad divinum cultum neceſſaria, in quibus non intervenit ſacra unctio. 64

Hoſtiam conſecratam ſervandi in loco decenti ſine lumine, & aliis cœremoniis, quibus uti ſolet Eccleſia. 65

Commutandi vota ſimplicia ubi non ſunt Epiſcopi, vel Vicarii Apoſtolici, & ubi ſunt, de eorum licentia, exceptis caſtitatis, & Religionis, in aliud opus pium, & juramenta juſtas ob cauſas relaxandi. 66

Diſpenſandi ob magnam neceſſitatem gratis & abſque ulla mercede, vel præmio, quando non poteſt haberi recurſus ad Epiſcopos, cum catholicis pauperibus, manu victum quærentibus, in tertio, & quarto conſanguinitatis gradu, etiam ante contractum matrimonium. Abſque Epiſcoporum verò conſenſu, ſi commodè haberi poteſt, & non diſpenſetur in his, aut aliis matrimonii impedimentis. 67

Imprimendi, & edendi libros Catholicorum tacito nomine Authoris, loci, ac typographi, & reliquorum, non obſtante Concilio Tridentino, ubi non ſunt Epiſcopi, vel eorum Vicarii, & ubi ſunt, de eorum licentia. 68

Diſpenſandi cùm converſis ad fidem catholicam ſuper fructibus bonorum Eccleſiaſticorum malè perceptis facta aliqua eleemoſyna in uſum Religionis illius, cujus ante ſchiſma erant bona, ſi ibi adſit Religio illa, ſin minus in Catholicos pauperes arbitrio confeſſarii. 69

Utendi ſupradictis, facultatibus in Anglia, Scotia, Hibernia, Mon., ac in aliis locis ſub ditione dictorum Regnorum exiſtentibus. 70

CONSULTATIO CXXXV.

An alicui pœnæ obnoxius ſit ſacerdos, qui Miſſam ſemel celebratam, eadem die laico Principi, id ex cauſa, quod abſolutis omnibus aliis ad Eccleſiam veniſſet, petenti, ſuper altare cum luminibus, ſuperpelliceo, & ſtola indutus, ſine calice, & hoſtia, omiſſis conſecratione & ſecretis, perlegit, ſeu recitavit?

HAnc Miſſam, quam ſiccam vocant, vel nauticam, eſſe licitam, præſertim ſi celebretur in agris, in domibus, & in mari, tradunt Durand. *de divin. offic. cap.* 1. *numer.* 23. Durant. *l.* 2. *de ritib. Eccleſ. cap.* 4. Vvaldenſ. *tom.* 3. *de ſacram. tit.* 4. *cap.* 35. *numer.* 15. Navar. *miſcel.* 55. *de orat. numer.* 127. Azor. *par.* 1. *l.* 7. *cap.* 7. *quæſt.* 6. Henriq. *l.* 9. *ſum. cap.* 27. *numer.* 3. Sà *v. Miſſa numer.* 39. Fagundez *præcept.* 1. *Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 14. Portel. *par.* 3. *reſp. mor. caſ.* 16. Lezan. *in ſum. v. Miſſa numer.* 56. Quart. *in rubr. miſſal. p.* 1. *tit.* 14. *dub.* 4. *difficult.* 1. & deſumitur ex ſacerdotali Romano *tr.* 4. *cap.* 33. videturque hujus meminiſſe Socrates *l.* 5. *hiſt. Eccl. capitul.* 21. 1

Dicitur autem ſicca, authore Durando, quoniam ait, ſi Sacerdos non poteſt conficere, quia fortè jam celebravit, vel ob aliam cauſam, poteſt, accepta ſtola, Epiſtolam & Evangelium legere, & orationem dominicam dicere, & dare benedictionem. Quinimmò ſi ex devotione, non ex ſuperſtitione velit tantùm officium Miſſæ ſine ſacrificio dicere, accipiat omnes veſtes ſacerdotales, & Miſſam ſuo ordine celebret uſque ad finem offerendæ. Præfationem verò dicere poteſt, licèt in eadem videantur Angeli invocari ad conſecrationem. De canone verò nihil dicat, ſed orationem dominicam non prætermit- 2

mittat, & quæ ibi dicuntur sub silentio dicenda, non dicat, calicem, vel hostiam non habeat, &c. fuisseque approbatam a Leone X. in dicto libro Sacerdotali testatur Navar. *loc. alleg.* Dicitur autem navalis, seu nautica, quia, ut in eodem libro Sacerdotali legitur *c. 35.* in mari, & fluminibus celebrari solet, quibus in locis propter motum, & agitationem fluctuum Missæ sacrificium celebrandum non est, Antonin. *3. part. tit. 3. cap. 6. §. 4.* Hanc Tolosæ dum post prandium defuncti sepulturæ dantur celebrari consuescunt, ait Durant. *loc. cit. lib. 1. cap. de cœmeteriis.* Et ratio est, quia nullo jure prohibetur, & aliàs utilis est, cùm foveat devotionem.

3 Alii verò eam non admittunt, tanquam licitam. Ii sunt Sylvius *3. p. quæst. 83. art. 2. quæst. 2.* Mercer. *dub. 2.* & asserunt Joan. Echium *art. 21. adnot.* ad librum oblatum Carolo V. ac synodum Iprensem *tit. 15. cap. 10.* & synodum secundam Cameracensem *tit. 3. cap. 7.* in quibus prohibentur hujusmodi Missæ. Quare Thom. Urtad. *part. 1. resolut. moral. tractat. 2. capit. 9. numer. 316.* Existimat, quòd licèt, ubi extat consuetudo, possit Missa sicca tolerari, non sit tamen de novo introducenda, aut celebranda, ubi consuetudo non adest. Verùm, an sacerdos, qui hujusmodi Missam recitat, pœnam aliquam incurrat diu est, quod quæro, & nemo hactenus expressit.

4 Mihi igitur juxta secundam sententiam dicendam videtur, in hac Missæ recitatione intervenire abusum sacrarum vestium sacerdotalium, & sacri altaris, quæ ab Ecclesia instituta sunt pro functionibus sacerdotalibus, quæ fiunt a Sacerdote nomine Ecclesiæ, ut ministro publico. Recitatio autem hujusmodi Missæ non est functio, quæ fiat nomine Ecclesiæ. Quia licèt preces illæ sint ab Ecclesia institutæ, non sunt tamen institutæ, ut extra oblationem sacrificii recitentur, sed tanquam partes ritualis oblationis, & ideò extra oblationem sacrificii non habent locum ex institutione Ecclesiæ.

5 Redundat etiam in superstitionem: Quia sic celebrans assumit cultum precum ordinatum ab Ecclesia pro oblatione sacrificii, & contra ipsius institutionem non ordinat ad sacrificium, sed ad aliud, ratione cujus D. Thom. *2. 2. quæst. 93. art. 1. in corp.* & Cajet. eo loco agnoscunt falsitatem, & superstitionem in cultu. Sicuti enim, ait D. Thomas, falsarius esset, qui aliqua proponeret ex parte alicujus, quæ non essent ei commissa, ita vitium falsitatis incurrit, qui ex parte Ecclesiæ cultum exhibet Deo contra modum divina authoritate ab Ecclesia institutum, & in Ecclesia consuetum.

6 Atque ideò, cùm ex doctrina Cardinalis *in cap. fin. de celebr. missar.* omnis excessus, seu delictum commissum circa cultum Sacramentorum sit crimen depositione dignum, quando concurrat grave scandalum, sequitur in hoc casu, quòd si crimen fuerit notorium, erit talis delinquens etiam ante condemnationem infamia juris notatus, & consequenter irregularis. Quia omne crimen depositione dignum notorium afficitur juris infamia, & facit irregularem, ut de communi testatur Tolet. *lib. 1. cap. 74.* Sayr. *de censur. lib. 7. c. 12. num. 12. & seq.* Garz. *de benef. par. 11. c. 3. num. 110. & 119.*

7 Ad rationem verò in contrarium respondetur, quòd licèt hujusmodi Missa non sit prohibita aliquo speciali jure, est tamen prohibita jure naturali, tanquam contraria veritati Religionis. Neque utilis est ad devotionem, quia peccatum nunquam est utile ad devotionem, estque hæc devotio complacentia fundata in amore proprio inordinato, qui facit, quòd pro objecto complacentiæ & delectationis spiritualis eligatur aliquid inordinatum præter Ecclesiæ institutionem, in quo sunt plures deformitates. Neque probabile est, quòd Sacerdotale Romanum cùm designatione Missæ fuerit approbatum a Leone X. Unde dicendum est, aut fuisse additam post approbationem, aut approbationem subreptitiè obtentam. Quidquid tamen fuerit, certum est, nunc non extare approbationem hujus Missæ neque in Missali, neque in alio libro Ecclesiastico, neque in usu Ecclesiæ.

CONSULTATIO CXXXVI.

An, & quando concedatur exemptio ab Episcopi jurisdictione?

1 IN nullo casu concedenda videtur; nusquam enim id reperitur jure cautum, sed potius contrarium, ut in *can. Nonne 8. quæst. 4. & in cap. Olim*, ubi etiam Glos. *de accus.* & tradunt Host. & Abb. notantes, quòd, pendente lite inter subditos, & Prælatum, suspensa est Prælati jurisdictio quoad eam causam, & totum negotium ad Superiorem, coram quo litigatur, defertur; super aliis verò potest contra subditos suam exercere jurisdictionem; alias absolverentur propterea ab obedientia, quod fieri non debet, ut probat textus *in d. cap. Olim*, & dixit Rota apud Cassador. *dec. 6. de privil. a num. 1.*

Asserendum nihilominus est: Exemptio nunquam de- 2
negatur, quando concurrit odium, etiam præsumptum, & inimicitia, seu gravamina, atque oppressio, vel sævitia Ordinariorum. Ita Jo: Faber. *in §. ult. instit. de his, qui sunt sui, aut al. jur. num. 7.* Cochier. *de jurisd. Ordin. in exempt.* Cassador. *d. decis. 66. num. 4. & 6.* ubi testatur, quòd Summus Pontifex in Signatura soleat eos eximere, durante lite, ne propterea Superior sæviat, aut injuriosè aliquid agat contra sui subditos. Nam propter ipsam litem odium concepisse Superiorem in inferiorem potest præsumi, aut timeri. Quod etiam affirmant Host. & Abb. *in cap. 2. in 6. fall. de sequestr. poss. & fr.* Paris. *de resignat. lib. 3. quæst. 11. num. 7.* ubi ait, Sacram Congregationem super Episcopis ita sæpè censuisse, seque vidisse plures exemptiones ab ea concessas ex prædictis causis, eumque sequitur Corrad. *in prax. dispens. lib. 4. cap. 5. num. 55.* Gabr. *de judic. concl. 4. numer. 31.* Lancell. *de attent. lit. pend. cap. 4. limit. 30. declar. 4. num. 41. & seqq.* ac resolvit Rot. *div. dec. 280 num. 14. & 5. part. 5.* Ita namque ratio dictat, quia suspecti & inimici Judices esse non debent, ut decernit Cœlestinus III. *in cap. Secundò requirit, de appell.*

Unde cùm ex rebus anteactis constiterit de pravo u- 3
su jurisdictionis Ordinarii contra subditum, & ex novis causis majus odium, ac proindè nova oppressio timeri possit, justitia & æquitas exigit, ut subditus eximatur ab illius jurisdictione, ne ejus vita ac bona sint exposita ludibrio, & potentiæ irati, atque offensi superioris, Guidopap. *decis. 62. num. 1.* Gram. *decis. 104. nu. 3 & 4.* Gail. *observ. 17. num. 1. & seq. lib. 1.* ibique Græven. *num. 14.* Valquez *controvers. illustr. 8. num. 8. & seq.* Viv. *decis. 447. num. 13. & 18.* Gonzal. *ad reg. 8. glos. 56. num. 16. & 17.* ubi alii, & in terminis exemptionis concessæ ob timorem sævitiæ a jurisdictione Ordinarii, Achil. de Grass. *decis. 16. de privileg.* quam sequitur Novar. *de gravam. vasal. tom. 1. prælud. 7. num. 7.* Unde Rota in Gerunden. exemptionis 21. Maji 1629. coram Verospio, cujus votum exquisitum fuerat a Sacra Congregatione super Episcopis, & Regularib. postquam dixerat, arbitrium concedentis hac in re maximum esse, ex Abb. *in cap. literas num. 7. de restit. spol.* Roman. *cons. 37.* Paris. *cons. 54. num. 36. vol. 4.* respondit, posse, si videbitur, per Sacram Congregationem concedi postulanti exemptionem, & propter litem, quæ gravis apparet, & calumniosa visa non fuit, ejus personam ad tempus a jurisdictione Ordinarii eximi, cùm id fit de jure, ut pendente lite, negotium devolvatur ad Judicem, suspensa Superioris jurisdictione super eadem causa, de qua dubitatur, *cap. Cum dilectus, c. Olim*, ubi Glos. *de accus.* Rip. *in cap. Cum M. Ferrariensi num. 196. & 199. de constit.* Unde solet tàm Signatura, quàm eadem Sacra Congregatio, ubi litem ipsam gravem, nec temere susceptam cognoverit, hanc exemptionem ea durante, concedere.

Ex cujus quidem litis causa, quæ levis non sit, cùm 4
possit probabiliter subditus Superiorem suum sibi infestum timere, non requiri propter litem aliquam probationem malæ tractationis, aut vehementis suspicionis futuræ sævitiæ, sed satis esse, ut de ea ex præsumptionibus dubitari possit, firmat Specul. *de denun. §. quis denunciare possit num. 13.* Mandos. *de inhib. qu. 104. num. 3.* Ægid. *decis. 45.* Rota *dec. 3. de rescript. in nov.* & in d. Gerunden. coram Verospio. Et sicut moribus Principis, sive cujusque Superioris asperioribus, aut pravo jurisdictionis usu subducuntur subditi ab ejus jurisdictione, *dict. cap. olim*, & *cap. Ex parte, de accus.* Jo: Faber. *in dict. §. fin.* Burs. *cons. 170. num. 27.* Guidopap. *dict. decis. 62. n. 1.* Achil. *dec. 362.* ita & sola lis videtur sufficere, dum super re gravi justum timorem inferre potest, Staph. *de lit. just. titul. de rescript. in form. Brev. §. indultum num. 10.* Paris. *ubi supra de resign. lib. 7. quæst. 11. num. 7.* Gabr. *de judic. concl. 4. num. 31.* & Veral. *dec. 67. num. 5. p. 2.*

Maximè autem hæc exemptio concedenda videtur, 5
quando litem jamdiu ab antecessore motam fuisse, constat. Ex hoc enim argui non potest, quòd petens exemptionem temerè illam instituat, vel per calumniam prosequatur, *l. quædam, ff. de reb. dub. l. aut facta, §. exitur, ff. de pœn.* Aym. *cons. 335. nu. 3.* Crescent. *dec. 19. de prob.* Cessatque ea suspicio, quam in hac re Doctores considerant, ne quis prætextu litis affectatæ, aut ex ingenio conflictæ a Superioris sui obedientia subducatur. Ne verò

exemptus cauſam diutius protrahat, atque adeò exemptionem, ſolet aliquando exemptio iſta concedi ſimpliciter ad tempus arbitrarium, præcipuè contradicente Ordinario, ut teſtatur Lancell. *d. p. 2. de attent. cap. 4. decl. 4. num. 41.*

6 Dictaque exemptio ad fratres etiam, & nepotes Clericos extendenda eſt, cùm lex præſumat, quòd eodem odio Ordinarius ſit eos proſequuturus, ut probat textus *in l. un. C. ſi quacunque præd. poteſt.* ibi: *liceat perſonæ, quam hujuſmodi ambitu circumvenire tentaverit, confeſtim conteſtatione propoſita cum ſuam, ſuorumque domo juriſdictionem ejus evitare.* Et mox: *Et quidem ſi hæc pravitas ordinarii judicii erit, univerſa domus ejus ratio, atque omnia, vel civilia, vel criminalia negotia, quamdiu idem in adminiſtratione fuerit, Vicario competant.* Et explicant ſibi omnes. In quo textu advertendum eſt, quod quatenus loquitur de Vicario, non intelligitur de Vicario ipſius Ordinarii, ut perperam opinatur Accurſius, ſed de Vicario Præfecti Prætorio, cui reſcriptum illud dirigitur, ut patet ex inſcriptione *d. l. un.* Hujuſmodi enim Præfecti Prætorio Vicarios in Provinciis conſtituebant, ut ipſorum vice adminiſtrarent, ut probat textus *in l. præcipit 3. §. illud, C. de can. larg. lib. 10.* & declarat Cujac. *in paratitl. de verb. ſignif. v. Vicarius*, Undè dum Imperatores Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius in dict. textu committunt cauſas Vicario, intelliguntur de Vicario Præfecti Prætorio, cui reſcribunt.

7 Idque etiamſi Ordinarius ſit Cardinalis. Concurrente enim legitima cauſa, etiam Cardinales recuſari poſſunt, licèt in illis cauſa major ſit conſideranda, quàm in aliis, ut per Roland. *conſ. 19. numer. 17. lib. 3.* Pariſ. *conſ. 31. numer. 97. & ſeq. lib. 1.* Laurent. *de Judic. ſuſp. cap. 2. num. 13. & ſeq.* Ubi ait, quòd licèt Eminentiſſimi Cardinales habeant pro ſe præſumptionem ob ſuam ſublimitatem, & approbatam fidem, hoc tamen non facit, quin etiam aliquando poſſint in ipſis concurrere cauſæ recuſationis, Glont. *reſp. 11. num. 3.* Zanch. *de re publ. Eccl. tit. 3. de Cardinal. num. 9. privil. 4.* Laudenſ. *de Cardinal. qu. 50.* Barbat. *cod. tract. p. 2. qu. 3.* Monet. *de conſervat. c. 9. num. 21.* & Taſſon. *ad pragm. de antefat. obſerv. 2. num. 114.*

8 Et prædicta faciliùs locum habent in exemptione a Capitulo, ſede vacante, quia tunc non eſt perpetua, ſed temporalis.

9 Neque in his caſibus requiritur citatio partis. Quia exemptio fundatur in diſpoſitione juris, quòd ea ſit concedenda propter litem. Maximè ſi probetur etiam actus, qui præſumuntur proceſſiſſe propter litem, & non propter aliam cauſam, Ægid. *dec. 45.* Achil. *d. dec. 15. de privil.* & ita in ſimilibus terminis quando decreta S. Congregationis fundantur in aſſiſtentia juris, non ſolet requiri partis citatio, non ſolùm quando fit aliquid per modum proviſionis, & temperationis, durante lite, ſed etiam quando agitur de reſolutione totius negotii, ut fuit ſervatum in Mætenſi Abbatiæ 29. Junii 1629. coram Dunozetto, quæ erat cauſa graviſſima, & Rota declaravit, non obſtante, quòd decretum S. Congregationis non fuerit de actis, & ideò non attendi. Quia cùm ſit declaratio juris univerſalis emanata a Sac. Congreg. inſtituta a Summis Pontificibus ad interpretandum ſimiles caſus contingentes, ſufficit illud allegare inſtar legis communis juxta textum *in §. reſponſa prudentum, inſtit. de jur. nat.* Rota in Averſana beneficiorum 3. Junii 1606. coram Cardinali Sacrato, licèt loquantur de declarationibus aliarum Congregationum, & in ſpecie, de Congregatione ſuper conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium idem firmat Rodriq. *qu. regul. 11. num. 2. tom. 1.* ac Rota citata deciſione.

10 Solet quandoque ex cauſis ſuſpicionis ex ſtylo Signaturæ dari dumtaxat adjunctus. Quod approbavit ſa. me. Innocentius X. Cùm enim Duciſſa S. Marci die 12. Novemb. 1644. proponente R. P. D. Pirovano, peteret ſimilem deputationem ex cauſa inimicitiarum Epiſcopi, Sanctitas ſua reſcripſit, quòd, conſtito de inimicitiis, detur adjunctus, traditque Mandoſ. *in prax. commiſ. in 8. form. v. Adjunctus*, & Farinac. *in fragm. p. 2. v. Judex num. 734.* Hinc conquerente Cardinali Borromæo, quòd cùm menſa Archiepiſcopalis Mediolanenſis diverſos haberet debitores emphyteutas, conductores bonorum, & cenſuarios, quos ſæpè in judicium vocare contingit, ipſi verò cùm vocentur coram Vicario Archiepiſcopali, eum ſuſpectum allegant per ſpeciem, quòd cum in cauſis ſuæ menſæ Archiepiſcopalis tanquam in re propria Archiepiſcopus dicatur ſuſpectus, etiam Vicarius idem tribunal faciens, reddatur ſuſpectus, ideòque cùm remedium peteretur a Sacra Congregatione Concilii, Congregatio cenſuit, referendum Sanctiſſimo, nempè Gregor. XIII. quòd quando Vicarius ſuſpectus allegatur, datur ei Adjunctus, veldelegatus ab Archiepiſcopo nullo autem modo detur Conſervator. Quod ſi impedimentum fiat a Judicibus ſæcularibus, tunc clariùs exprimendum, ut provideatur, Fagnan. *in cap. Noſti de elect. nu. 21.* Certum eſt enim, Epiſcopum in cauſis ſuæ Eccleſiæ poſſe, uti ſuſpectum recuſari, cùm commodum, & incommodum ad eum pertineat, Eminentiſs. Otthob. *deciſ. 52. num. 2.*

Adjiciam & id. Cùm aliàs quæſitum fuerit genericè, an, & cui Ordinario ſubeſſet presbyter Carolus Guarinus, Caſtrenſi ne, è cujus diœceſi erat oriundus, an Hydruntino, in cujus diœceſi per plures annos commoratus fuerat, ac bona acquiſiverat? Sac. Congr. ſub die 17. Decembris anni 1672. reſpondit, ſubjacere utrique. Quia tamen deſcendendo ad particulares effectus ſubjectionis videbatur durum Oratori hoc duplex jugum, citato Agente Epiſcopi Caſtrenſis, ſupplicavit pro reſponſione ad infraſcripta. 11

1 *An poſſit cogi ab Epiſcopo Caſtrenſi ad præſtandum ei obedientiam conſuetam in Dominica in Albis, cùm ſub eadem die vocetur ad obedientiam ab Archiepiſcopo Hydruntino? Et quid ſi vocetur ſub alia die?* 12

2 *An cogi poſſit ad viſitationem perſonalem quotannis, cùm quotannis ab Archiepiſcopo etiam vocetur?* 13

3 *An Orator, quando moratur per aliquot dies in diœceſi Caſtrenſi ob ſua negotia, poſſit ab Epiſcopo cogi ad functiones publicas, vel privatas in illis diebus obtingentes, ad quas tenentur veri diœceſani?* 14

4 *An Orator, adveniente caſu, teneatur ſolvere ſubſidium charitativum utrique Epiſcopo?* 15

5 *An teneatur concurrere ad ſolutionem ſpolii cum Clero utriuſque diœceſis?* 16

Die 2. Decembris 1673. Sacra Congregatio Em. S. R. E. Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, auditis utriuſque partis procuratoribus.

Ad 1. & 2. cenſuit, poſſe cogi in illa diœceſi, in qua reperitur. 17

Ad 3. reſpondit, affirmativè. 18

Ad 4. & 5. reſpondit, eum teneri, ubi poſſidet beneficium. 19

Interdum verò eadem Sacra Congregatio ſuper Epiſcopis procedit ad deputationem Judicis, ut in ſequenti Epiſtola, data Archiepiſcopo Brunduſino die 9. Julii 1639. 20

Illuſtre, & Reverendiſſimo Monſignore, come fratello. Il Marcheſe d'Oria, e Carlo Imperiale hanno continuamente diffidato della perſona di quel Veſcovo, e per queſto fanno inſtanza a queſta S. Congregazione, che nelle loro cauſe tanto ſorte, quanto da ſorgere ſi deputi loro un Giudice, è parſo a queſti Eminentiſſimi miei Signori di eleggere per queſto effetto la perſona di V. S. e deputarla per commune quiete delle parti. Sarà dunque contenta di far quanto le viene impoſto, mentre ſi hà da dare ſoddisfazione a queſti Eminentiſſimi, e alle parti ſteſſe, e Iddio la contenti.

Quæ exemptio concedi etiam ſolet toti Communitati; ut conſtat ex ſequentibus literis: *Per le molte differenze, e diſguſti paſſati trà Monſignor Veſcovo d' Iſchia, e'l popolo del Caſale di Fiorio di quella Dioceſi, ſi è contentato noſtro Signore di eſimere per lo ſpazio di due anni le perſone tanto Eccleſiaſtiche, quanto ſecolari del detto Caſale, e ſuo territorio della giuridizione del Veſcovo, e ſottoporla alla giuriſdizione e correzione di V. S. Illuſtriſſima, la quale per ſe ſteſſa nelle cauſe civili, criminali, e miſte li governerà, come ſe foſſe proprio Paſtore per lo tempo ſuddetto tanto nella collazione degli ordini ſecondo le diſpoſizioni de' Sacri Canoni, e del Concilio di Trento, quanto in ogni altra occorrenza appartenente al foro Eccleſiaſtico, e del tutto, &c. 1606.* 21

Idem pro quibuſdam presbyteris Ænariæ vulgò Iſchiæ ſub die 21. Decembris ejuſdem anni. *Facta relatione ſupradicti memorialis placuit Sanctiſſimo concedere oratoribus exemptionem a juriſdictione, & ſuperioritate Epiſcopi Iſchiani ad biennium tantummodò, per quod tempus Sanctitas ſua illos ſubjecit gubernio, & juriſdictioni Illuſtriſſimi Cardinalis Aquavivæ, Archiepiſcopi Neapolitani, & mandavit prædictam exemptionem, & ſubjectionem expediri per Breve in forma 14. Junii 1606.* 22

Aliud: *Si Sanctiſſimo placuerit, S. Congregatio cenſuit, concedendam eſſe Oratoribus, nempè civibus, & beneficiatis exemptionem petitam, lite prædicta durante, a juriſdictione Epiſcopi Elnenſis, ipſoſque ſubjiciendos juriſdictioni Epiſcopi Vicenſis, & ſuper ipſa exemptione concedendum Breve in forma, 15. Julii 1606.* 23

CON-

CONSULTATIO CXXXVII.

An & quatenus Archiepiscopis, & Episcopis concedendus sit coadjutor, vel suffraganeus? Et quid de resignatione Episcopatus, & translatione Episcopi?

1 COadjutoriæ provisio inducta est de jure Canonico usu antiquissimo Ecclesiæ, ut in exemplis a Paris. *de resign. lib. 7. quæst. 7. quæst. 20. num. 1. & seqq.* Lotter. *de re benefic. lib. 2. quæst. 25. num. 8.* & constat ex *cap. un. de Cleric. ægr. lib. 6.* Rota in Argentinen. coadjutoriæ *part. 6. recent. dec. 133. num. 14.* ac etiam ex Sacro Concilio Trid. *sess. 25. cap. 7. de reform.* permittente coadjutorias, etiam in Ecclesiis cathedralibus, si quando urgens necessitas, aut evidens utilitas postulat, reservata solùm cognitione causæ Sedi Apostolicæ, & Sanctissimo, Campeg. *de coadjut. Episcop. per tot. tract. tom. 15. part. 2. fol. 539.* Gambar. *de authoritat. Legat. tit. de Coadjut. num. 4.* Campanil. *in diverf. jur. canon. rubr. 7. cap. 6. num. 105.* Quarant. *in summ Bullar. v. Archiepiscopi authoritas num. 9.* Paris. *ubi supra num. 6.* Burat. *decis. 78. num. 1.* ac præ cæteris Fagnanus *in cap. nulla de concess. præb.* ubi latissimè hanc materiam versat.

2 Debent tamen concurrere causæ, ex quibus Summus Pontifex moveri consuevit ad dandum Coadjutorem cum futura successione. Prima est senectus Episcopi, qui petit Coadjutorem, sufficitque ætas sexaginta annorum, Veral. *dec. 311. part. 12.* & de hac causa habetur *in d. cap. unic. de Cler. ægr.* ubi Archid. Gemin. & alii communiter, idem Archid. *in can. nihil §. Ecce 7. quæst. 1.* Rebuff. *in prax. tit. de reprob. benef. viv. impetr. numer. 50.* Paris. *d. quæst. 20. num. 6.* Campanil. *loc. cit. num. 110.* Secunda est infirmitas perpetua, ex qua impeditur etiam in festivitatibus solemnibus celebrare Missæ sacrificium, abstinet a collatione Ordinum, & consecratione Ecclesiarum, & nequit amplius visitare diœcesim, qua ex causa magnum imminet periculum diminutionis cultus divini, ac Religionis catholicæ, adeòut omninò debeat dari Coadjutor, etiam invito, si illum non peteret, ut habetur *in d. cap. unic. de Cler. ægr. & in cap. 17. quæst. 1.* ibique Cardin. *num. 1. & in canon. scripsit num. 1. eadem quæst. 1.* Paris. *consult. 49. num. 38. vol. 4. & de re resign. d. quæst. 20. num. 7.*

3 Ratio autem est, quia deputatio Coadjutoris fit in contemplationem Ecclesiæ, ne pro defectu pastoris gregem dominicum invadat lupus rapax, vel in facultatibus suis ipsa, quasi viduata, detrimentum patiatur, ut ait textus *in cap. ne pro defectu, de elect.* Gonzal. *ad reg. 8. glos. 5. §. 9. num. 31.* Quod præcipuè periculosum est Ecclesiis in longinquis partibus positis, Glossa *in dict. c. un. de Cler. ægr. verb. in remotis*, ac etiam in contemplationem Episcopi, ne removeantur ab Episcopatu, Cardin. *in d. can. scripsit num. 2.* Abb. *in cap. Ex parte num. 3. in fin. de Cler. ægr.* Licèt enim prægravetur morbo incurabili, non idcircò debet privari, neque removeri, Anchar. *in d. cap. un. num. 3. & 4.* Paris. *locis alleg.* neque cogi potest ad renunciandum vel cedendum, ne afflicto addatur afflictio, quin potius est ejus miseriæ miserendum, præcipuè quando vir probus extitit, & Ecclesiam sibi commissam rectè gubernavit per textum *in d. c. ex parte*, ubi propterea Innocentius III. mandat dari Coadjutorem, providendo tàm Episcopo, quàm Ecclesiæ Glos. *in d. cap. un. de Cler. ægr. v. perpetuò in 6.*

4 Concurrere etiam debent qualitates in persona, quæ petitur deputari in Coadjutorem, nempè honestas natalium, idoneitas vitæ, scientiæ, ætatis, prudentia tàm in exercitio spiritualium, quàm temporalium, quæ sunt requisita de jure, & de consilio, ut per Paris. *d. quæst. 20. num. 15. & seqq.*

5 Potest etiam Episcopo, qui pluribus, & quidem gravissimis ex causis dudum abesse cogitur a sua Ecclesia, concedi Suffraganeus eo planè modo, quo Episcopo inhabili propter Ecclesiæ utilitatem datur coadjutor ad tempus, & sine futura successione, *cap. Ex parto extr. de Cler. ægr. d. cap. unic. eod. tit. in 6.* Gonzal. *ad regul. 8. Cancer. glos. 5. §. 9. numer. 19. cum binis seqq.* Sicuti datur & Episcopo exuli, vel ab hostibus capto, donec durent impedimenta, Rebuff. *in tr. nominat. quæstion. 5. num. 27.* Gonzal. *ubi supra num. 28.* Put. *dec. 224. numer. 17. lib. 3. in correct.* & Rot. *decis. 602. num. 1. part. 5. recent. tom. 2.*

6 Quod adeò verum est, ut quando Coadjutoria est utilis Ecclesiæ, & Coadjuto, non possit idem Coadjutus variando dicere, se non indigere Coadjutore, ut in *clem. 1. de renunc.* & Rot. in d. Argentin. Coadjutoriæ *num. 7.* Unde quòd ad gratiam Coadjutoriæ sustinendam sufficiat sola utilitas Ecclesiæ, tradit Rot. *dec. 913. num. 24. & seq. part. 7. rec. & dec. 255. num. 19. & d. dec. 602. num. 1.* & apud Buratt. *dec. 78. num. 1.*

Præsertim si extent exempla, quòd eidem Ecclesiæ de- 7
putetur Suffraganeus. Observationem enim in hac materia, in qua nemo læditur, cultusque divinus augetur, attendendam esse, firmavit eadem Rota apud Buratt. *dec. 379. n. 3. & 557. n. 7.* Seraph. *dec. 600. n. 3.* & in Bononien. de Malvetis 7. Maji 1640. coram Peutingero, §. Observantia. Immò quòd sufficiat aliquando ita fuisse observatum, probant Grat. *discept. 608. n. 17.* Surd. *cons. 149. n. 45.* Rota in Romana successionis de Comitibus 26. Junii 1647. cora Ghislerio, & latè in Romana pretii grani 14. Februarii 1648. coram Meltio.

Ac præcipuè si Episcopus sit magnus Princeps, itaut 8
ob gravissima negotia non possit sine magno damno, & incommodo assiduè residere in diœcesi, ac onera subire necessaria, cùm nihilominus sufficiat, quod Episcopus commodè nequeat Ecclesiæ inservire ex doctrina Alciati *in l. 2. num. 3. ff. de jurisd. omn. Jud.* Non posse enim quis dicitur, quod incommodè potest, ut consuluit Bald. *cons. 101. sub num. 1.* Aym. *cons. 199. num. 2.* Menoch. *cons. 2. num. 211. & cons. 351. num. 35.* Surd. *de alim. tit. 6. quæst. 18. num. 17.* Add. *ad dec. 617. num. 187. & seq. part. 8. rec.* & ponderatur in Eugubina Coadjutoriæ 3. Junii 1650. coram Em. Cerro.

Pro resignatione verò constare debet de infirmitate E- 9
piscopi ex fide authentica medicorum, in quo casu plenè probat, cùm ipsi fidem faciant de sua peritia, & arte, Dec. *cons. 51. n. 100. lib. 2.* Rot. *dec. 515. n. 5. p. 2. rec.* Abb. *in cap. tenor. n. 2. de sent. & re jud.* Quæ infirmitas debet esse continua, quam esse sufficientem ad resignandum docet Fusc. *de visit. lib. 2. cap. 28. n. 1.* Quia infirmitas continua facit habitum contra naturam Ostien. *in summ. de Cler. ægrot. n. 1.* & Paris. *de resign. lib. 5. qu. 3. n. 16.* Valent. *p. 4. tit. 3. disp. 10. qu. 3.* Et impedit, ne Episcopus exercere possit functiones Episcopales.

Neque obstat S. Concilium Trid. *sess. 23. de refor. cap.* 10
1. ubi S. Congregatio ait, non licere Episcopo abesse ab Episcopatu suo propter morbum perpetuum. Quia loquitur de morbo perpetuo non impediente functiones Episcopales, ut dicitur *in capit. nisi cum pridem de renunc.* his verbis: *Nec tamen omnis debilitas corporis, sed illa solummodò, per quam impotens redditur ad exequendum officium pastorale.*

Infirmitas igitur, quæ reddit Episcopum debilem, ac 11
impotentem ad exercendum munia Episcopalia est justa, & legitima causa resignandi, accedendi Episcopatui, ut liquet ex *d. cap. Nisi cum pridem*, ubi Alexander tertius enuncians causas cedendi Episcopatui, ponit debilitatem corporis ex infirmitate causatam, quæ impedit Episcopum, ne suum exercere possit officium, & ibi Glos. *v. impotens*, Abb. *n. 9.* Ostiens. *num. 23.* ac alii communiter, facitque textus *in cap. quamvis triste 7. qu. 1.* & Præpos. *in can. hoc nequaquam n. 2. 7. qu. 1.* D. Thom. *2. 2. qu. 185. art. 4.* Valent. *loc. cit.* ac Sot. *lib. 10. de just. & jur. qu. 2. n. 4.* Idque sive infirmitas sit in toto corpore, ut febri, sive in parte, ut cœcitas, surditas, manuum debilitas, multò autem magis ventriculi, & capitis cum vertigine. Quibus in casibus Episcopus est inhabilis ad Episcopales functiones obeundum, Paris. *de resign. d. qu. 3. n. 20.* Ideòque Zacharias Papa concessit Bonifacio Moguntino Archiepiscopo licentiam eligendi alium Archiepiscopum in suo loco, ut refertur *7. quæst. 1.*

Potissimùm autem si accedat aeris intemperies, con- 12
traria naturæ Episcopi, quod probandum est a medicis, & testibus, quam esse justam, & legitimam causam cedendi Episcopatui, latissimè tradit Paris. *ubi supra a numer. 244.* Estque casus in specie *in cap. ad supplicationem de renunc.* ubi Pontifex concedit Episcopo Ragusino licentiam renunciandi ob aeris intemperiem, ubi Glossa inquit hoc fieri propter periculum mortis ob intemperiem aeris, Ostiens. *in cap. 1. de renunc. numer. 3.* Felin. *in cap. accedens 2. num. 11. ut lite non contestat.* & Rebuff. *in prax. benef. tit. de resignat.* expressè sub *nu. 2.* ac Paris. *loc. cit.* ait, hanc esse communem omnium opinionem.

Maximèque si nequeat Episcopus se conferre ad resi- 13
dendum in alio Oppido suæ diœcesis, ubi aer est temperatus, ut essent loca parva, & villæ, ubi non sunt habitationes capaces pro illo, ac ejus familia. Si non essent medicamenta, & medici, quibus Episcopus ob suas continuas infirmitates sæpissimè opus habet. Præterquamquòd Episcopi non debent residere in Villis, Castellis, aut municipiis, sed tantùm in majoribus a frequentioribus Civitatibus, ut probat textus *in c. illud, & in cap. Episcopi 80. d. & in cap. 1. de privileg.* estque ibi Glossa singularis, quæ sic ait: *Nota quod ne vilescat dignitas Episcopi, non in minoribus villis, sed in Civitati-*

bus residere debet, ibique Abb. *numer.* 2. At de hoc nos alibi.

14 Ex quibus omnibus colligitur hujusmodi Episcopum non solùm habere justam causam resignandi, sed debere resignare, ac posse cogi ad resignandum Episcopatum, ut per Paris. *cit. quæst. 3. num.* 2. adducens Ostiensem ab omnibus receptum, & subdit, quòd verbum illud *potest*, quod legitur *in d. cap. Nisi cum pridem*, importat idem ac debet. Nam Papa potest cogere Episcopum ad resignandum per Abb. *in d. cap. ad supplicationem num.* 8. *de renunc.* Jacobac. *de Conc. lib. 9. art. 3. num.* 23. ubi declarat dictum Innocentii *d. cap. licèt de præb.* quòd non cogitur quis renunciare, ut non procedat causa existente, causa enim recedere facit a regulis juris, *l. si honorem ff. mand.*

15 Secundò, colligitur hujusmodi Episcopum teneri sub pœna peccati mortalis cedere Episcopatui, stante causa supradicta. Ita docent Valentia, Sotus, D. Thomas locis allegatis, ac Toletus *lib. 5. institut. Sacerd. capit. 4. num.* 11.

16 Necessitati jam probatæ accedit æquitas, & congruentia, ut si per multos annos dictus Episcopus omnia munia Episcopalia laudabiliter gesserit, congruum videtur, ut admittatur ejus resignatio, ut colligitur ex Paris. *d. quæst. 3. num.* 215. Et ne in dedecus Episcopalis dignitatis Episcopus cogatur mendicare, debetur ei pensio ex redditibus Episcopatus, vel aliundè, ut commodè alatur, Valentia ubi supra, & facit Sac. Concilium Trident. *sess. 24. de reform. cap. 17. in fin. & d. cap. ad supplicationem de renunc.* ibi: *Et ne in vituperium ministerii nostri &c.*

17 Quod verò ad translationem, probari etiam debent causæ, ob quas Episcopus translationem petit, quibus probatis, non videtur deneganda, cùm in his casibus Summus Pontifex soleat moveri ad gratiam concedendam, *cap. 1. de Cler. ægr.* & in similibus terminis Rot. in Eugubina Coadjutoriæ 3. Junii 1652. §. *& tamen* coram Celso.

18 Causæ sint pariter aeris intemperies, maximè noxia saluti Episcopi non solùm in Civitate Episcopali, sed etiam in tota diœcesi, ob quam pluries fuerit in vitæ periculo constitutus, ut deponere debent testes domestici, ac medici, quibus in hac materia standum est *ex l. septimo menses, ff. de stat. homin.* Rota apud Merlin. *dec.* 768. *num.* 4. *& seqq.* Per quem modum optimè id probari firmant in his terminis Paris. *d. lib. 5. quæst. 2. num.* 34. & Barbos. *de Episcop. alleg.* 113. *num.* 4. Quæ sola causa sufficeret.

19 Item perpetua infirmitas ex intemperie aeris causata, itaut nonnisi cum maxima difficultate sit curabilis extra diœcesim, cùmque a medicis nulla alia fuerit assignata, nisi supradicta, prohibendo propterea ejus regressum ad diœcesim. Unde ob hanc causam videtur esse locus translationi, maximè cùm locus intemperatus omnem inducat excusationem, *d. cap. ad supplicationem*, ubi Glos. *de renun. cap. Cum postoralis de re judic.* Boer. *dec.* 218. *num.* 11. & Peguer. *dec.* 8. *num.* 5.

20 Multòque magis si concurrant urgentissimæ causæ inimicitiæ, aliaque pericula cum machinationibus, aliisque calumniis contra Episcopum per subditos illatis cum famæ, ac vitæ periculo. Quæ causæ debent esse justæ ad gratiam obtinendam, cùm gratia, quæ super justitia fundatur, potiùs ejusdem justitiæ exequutionis nomen mereatur, *l. si cum per absentium, C. quibus non objicitur temp. præscript.* Concurrente quippè populi malitia, quæ etiam probanda, satis superque sufficiens causa videtur, ut Episcopus cogi possit invitus ad relinquendum Episcopatum ex collectis a Barbos. *d. alleg.* 113. *num.* 9. Bellet. *disq. cler. part. 1. de discip. Cler. §. 15. num.* 20. Paris. *loc. cit. numer.* 153. *& seqq.* Etiamsi nulla in Episcopo culpa dignoscatur, sed tota sit populi, ut per Bellet. & Barbos. supra citatis. Quia consulendum est, ne scandala oriantur: nec utilis est continuatio illius Episcopi, quem ob inimicitiam cum populo constat non esse illi profuturum.

21 Qua in re advertendum est, quòd in probatione causæ facienda non pari modo proceditur, sed juxta facti circumstantias. Etenim quando agitur de transferendo Episcopo invito, concludentes ac rigorosæ probationes requiruntur. Quia tunc materia est objectiva, & pœnalis; secus autem quando agitur de Episcopo volente, ac supplicante transferri, benignè procedendum est, sufficitque constare petitionem non provenire ab Episcopi levitate, vel malitia, vel ambitione. In hoc enim casu nemini fit injuria, nec agitur de translatione facienda ex justitia, sed ex prudentia, directa ad gratiam a Summo Pontifice concedendam.

Causæ verò inhabilitatis ad exercenda munia Episcopalia debent concludenter probari per confectionem processus, & debent esse tales, quæ vel reddant omninò inhabilem Episcopum, vel saltem pro majori parte temporis moraliter tantùm intelligendo, aliàs non datur Coadjutor, neque admittitur resignatio. Et advertendum, quòd si Coadjutor habeat beneficium curatum, debet illud dimittere, vel si habeat residentiam, quatenus dispensatur, amittit distributiones quotidianas.

Consuevit dispensari ob defectum ætatis, vel natalium, & tunc antequam proponatur in Consistorio, immò nec fit mentio de tali dispensatione, quia eo ipso quòd est dispensatus, sublatum est impedimentum, sed tantùm dicitur ex catholicis, & honestis, vel nobilibus parentibus natus. Et fuit acriter reprehensus quidam Episcopus, qui declaravit se nullo modo exercere velle munera Episcopalia, & dimisit Episcopatum in manibus Nuncii Apostolici; sed dimissio non fuit accepta ab Apostolica Sede, sed ordinatum, quòd rediret ad residentiam. Et licèt in partibus infidelium consueverit semper provideri de aliquo Episcopo Catholico ob salutem Catholicorum, & ne ob defectum Episcopi Catholici schismaticus, vel hæreticus provideatur de Episcopatu, & ob dictas causas sepiùs præficiatur aliquis regularis ex quo sæcularis non reperitur; quin etiam aliquando Congregatio de Propaganda fide, quæ solet provisionariis assignare certas provisiones, decernat contra proprium institutum pauperibus Episcopis stipendia, qui aliàs statim recurrere solent ad Datarium, & ad suas residentias non accedere.

Expeditio autem Ecclesiarum, etiam in partibus infidelium non consuevit fieri per Breve, etiam attenta paupertate, sed per Bullam gratis, & expeditio consuevit ascendere in totum ad summam septuaginta, vel octuaginta scutorum.

CONSULTATIO CXXXVIII.

An Constitutio Synodalis, qua cavetur, quod advenæ, ubicunque decesserint, sepeliantur in Ecclesia Cathedrali, & emolumenta ad illius Curatum pertineant, nisi Parochus ejus parochiæ, ubi advena decesserit, ei sacramentum pœnitentiæ, vel Eucharistiæ administrasse probaverit, locum habeat in administratione Sacramenti extremæ unctionis, & in casu, quo Parochus vocatus ab advena infirmo ad audiendum ejus confessionem, ille ob morbi gravitatem nec confiteri queat, neque sacrum viaticum percipere?

AFfirmativè resolvendum censeo. Nam administrando sacram unctionem, verè administrat Sacramentum. Neque obstare potest ejusmodi Constitutio, quæ videtur præcisè requirere administrationem Sacramenti pœnitentiæ, vel Eucharistiæ. Quia cùm in dubio debeat recipere interpretationem a dispositione juris communis, Bart. *in l. omnes populi sub princ. ff. de justit. & jur. & in l. 2. numer. 3. de leg.* 1. Paris. *cons.* 167. *in fin. lib.* 4. utique debet intelligi de quocunque Sacramento juxta dispositionem juris communis, & sic quòd supradicta duo sacramenta exprimantur demonstrativè, non autem taxativè; nam in dubio præsumendum non est, quòd dicta Constitutio voluerit corrigere jus commune, cùm correctio jurium in dubio non præsumatur, *cap. Cùm expediat*, ibique Doctores *de elect. in 6.* Paris. *cons. 2. num.* 205. *lib. 4.* 1

Immò verò etiamsi hæc Synodalis Constitutio esset correctoria, & strictè intelligenda, adhuc tamen, & non absque fundamento potest Parochus obtinere cadaver, & ejus funeralia. Quia, ut dictum est, cùm hujusmodi Constitutio requirat, quòd impleatur conditio administrationis Sacramenti pœnitentiæ, vel Eucharistiæ, cujus exequutio dependet quoque a voluntate alterius, utique Parochus cùm promptè accedat ad infirmos, ut eorum sacramentalem confessionem audiat, licèt eos absolvere nequeat, vel quia ob ingruentem morbum neque confiteri, neque sacrum viaticum percipere possint, adhuc dicitur implere conditionem requisitam ad effectum obtinendi cadaver, & funeralia, ut in similibus terminis optimè advertit Duran. *in suo tractat. post decision. de condition. & mod. impositon. cap. 3. num. 54. part. 2.* Quinimmò cùm dicta Constitutio facta fuerit, ne Parochi negligant administrare sacramenta istis advenis, & in favore animarum eorundem, debet profectò intelligi, si ipsi velint, ut advertit Mantic. *de tacit. libr. 4. tit. 29. num.* 14. quamvis fortè in hoc casu respectu etiam defuncti possit dici impleta conditio, cum ipse nullius peccati conscius esset, indeque reputari debeat, ac si fuisset confessus, prout firmant plerique Doctores de eo, qui tempore Paschatis nullius culpæ reus est. 2

Et

3 Et quidem vulgaris, ac certa juris regula est, quòd conditio semper pro impleta habeatur, quando non stat per implere debentem, quominus impleatur, juxta *l. quæ sub conditione §. quoties, ff. de cond. & l, in jure, ff. de condit. & demonstr.* In hoc autem casu non stat per Parochum, quin administrentur sacramenta. Et ideò si adhibuerit omnes diligentias, ac fecerit omnia, quæ ad suum munus spectant, sine dubio dicendum est, satisfacere conditioni requisitæ, cùm nulla lex arctet ad ea, quæ fieri nequeunt juxta Rotam *dec. 395. numer. 1. part. 9. tom. 2. rec.*

4 Minusque obstare potest, quòd hìc agitur de constitutione correctoria consuetudinis immemorabilis, & propterea tanquam odiosa debeat strictè intelligi, &, quoad minus fieri potest, illi præjudicium inferre. Nam, omissa responsione, quam tradit Seraph. *decis. 1135. sub numer. 3.* non approbans hujusmodi consuetudinem, saltem respectu illorum, quibus a Parocho administrata fuerint Sacramenta, respondeo antedictam constitutionem non esse odiosam, sed favorabilem. Adhuc enim constitutio censenda est favorabilis, etiamsi contineat odium alicujus, quando per ipsam primariò intenditur alicujus favor, ut nos alibi docuimus. Cùm igitur in hoc casu constitutio facta fuerit, ne Parochi contemnant administrare, advenit Sacramenta, favore animarum dicenda est favorabilis, atque adeò extendenda, ut adnotat Fagnan. *in cap. Ne innitaris numer. 226. de constit.*

5 Quinimmò cùm Sacramentum Extremæ Unctionis a Sacro Concilio Trid. *sess. 14. cap. de doctr. sacr. extr. unct.* dicatur, quòd non modò pœnitentiæ, sed totius christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummativum existimatum est a Patribus, sequitur, quòd Parochus, qui illud ministrat, censeatur ministrare Sacramentum pœnitentiæ, atque adeò in hoc habere locum constitutionem synodalem.

CONSULTATIO CXXXIX.

An permitti debeant matrimonia mulierum catholicarum cum viris schismaticis? &

An, absente Parocho Catholico, presbyteri schismatici possint baptizare filios catholicarum?

1 AD primum, de jure tàm Ecclesiastico, quàm naturali negativè respondendum est per textum *in can. cave, can. non oportet 28. quæst 1. & in cap. decrevit de hæret. in 6. Exod. 34. Deuteron. 7. & 3. Reg. 11.* ac docent Theologi, & Canonistæ communiter ex Conciliis, & Patribus apud Sanch. *de matrim.* & Pont. *eod. tr. in append. cap. 2. a num. 1.* Idque propter periculum subversionis. Siquidem prohibitum est catholicis ducere in uxores mulieres schismaticas, nisi prævia abjuratione, vel fidei professione. Quòd si contraxerint cum conditione, ut illas catholicè vivere faciant, vel cum certa spe lucrandi schismaticum, vel schismaticam, certior reddenda est Sedes Apostolica. Quibus concinunt Concilium Nicenum *1. cap. 53.* Illeberitanum *cap. 16.* Laodicenum *cap. 31.* Chalcedonense *act. 15. cap. 14.* & Agathense sub Symmacho *cap. 67.*

2 Consulenda igitur est Sedes Apostolica, quæ in regionibus, ubi catholici cum hæreticis, vel schismaticis permistim vivere solent, ob commune pacis bonum, aut tranquilliorem statum catholicorum, vel propter alias circumstantias occurrentes prudenter consideratas, potest cum illis dispensare, dummodò conjux catholicus sive vir, sive mulier cum schismatico matrimonium contrahens sua spontè omninò, ac tutò fidem ac religionem catholicam profiteri in omnibus permittatur, & similiter servetur quod Ecclesia constituit, ut ex alterutro parente catholico suscepta proles catholicè educetur, ut habetur *in cap. Ex literis de conversi. in fid. & can. Judæi 22. quæst.*

3 Et licèt Sedes Apostolica toleret matrimonia hujusmodi in regionibus, in quibus hæreses, vel schismata impunè grassantur, nunquam tamen voluit aliquo actu positivo illa authenticè approbare. Immò quando potest, se opponit, impeditque. Ideòque Episcopus in casibus occurrentibus se opponere debet, quando potest sine periculo scandali, aut tumultus, vel saltem non debet concedere licentiam, nec facere actum aliquem, ex quo possit elici consensus positivus. Immò in terris hæreticorum, ubi hæreses impunè grassantur, maximè, si ibi catholicæ fidei liber cultus non permittitur, matrimonia cum ipsis hæreticis per exhortationes potiùs, quàm per censuras prohibenda. Quando verò matrimonium jam contractum est, potest tolerari, ut mulieres hæreticæ, quæ maritos habent catholicos, cohabitent simul arbitrio Ordinariorum quamdiu fuerit aliqua spes conversionis, & nullum subversionis periculum, ita tamen, ut proles catholicè educetur.

Hujus autem prohibitionis ratio est, quia præcipuum 4
matrimonii bonum est, quòd proles ad Dei cultum educetur. Cùm autem educatio fiat communiter per patrem, & matrem, uterque secundùm fidem suam intendit ad cultum Dei prolem educare, & ideò si sunt diversæ religionis, intentio unius intentioni alterius erit contraria, sicque inter eos non potest esse conveniens matrimonium.

Ad secundum. Licèt permittendum non sit, ut catho- 5
licorum filii a schismaticis baptizentur, quia semper prohibitum fuit cum schismaticis, & hæreticis communicare, præsertim in rebus sacris, si tamen abesset Parochus catholicus, & non adesset alius minister, poterint justa, & gravi necessitate coacti ab iis baptizari cum his conditionibus. Prima, ne ulla inde oriatur catholicorum offensio. Secunda, ut in baptismo administrando legitima forma, & materia servetur cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. Tertia, ne ulla sit communicatio ritus, cœremoniæ, & schismaticæ pravitatis. Quarta, ne ullum immineat baptismum suscipientibus periculum erroris in fide. Definitum videtur a Concilio Florentino in decreto Eugenii, ubi notanda sunt illa verba: In casu necessitatis non solùm sacerdos, vel diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, immò etiam paganus, & hæreticus baptizare potest, & a Tridentino *can. 4. de baptismo*, Nicolao Papa *in can. a quodam Judæo de consecr. d. 4. & in can. Romanus eod. d.* traduntque Patres apud Suarez *in 3. part. quæst. 67. disp. 23. sect. 1. & quæst. 64. num. 13. sect. 4.* Quia baptismus est Sacramentum maximæ necessitatis respectu omnium hominum, ac proindè expediens fuit, ut illius administratio omnibus concederetur, præsertim necessitate urgente.

CONSULTATIO CXL.

De Clerico minori obtinente per resignationem cum pensione Parochialem Ecclesiam, mediante exhibitione falsæ fidei baptismatis, & successivè, eadem fide mediante, promoto vigore Brevis Apostolici extra tempora ad ordines sacros, in quibus ministravit, & curam animarum exercuit.

PLura delictorum genera in hunc casum concurrere, 1
certum est. Primum falsi, cujus crimen est publicum, *l. 1. ff. de publ. judic.* ibique Glossa *§. item lex Cornelia instit. de publ. judic.* Clar. *§. falsum init.* Unde condemnatus in judicio de falso, cum ea sit causa famosa, incurrit infamiam juris *l. 1. ff. de his, qui not. inf. l. infamem ff. de public. judic.* & consequenter est irregularis, Majol. *lib. 5. cap. 36. num. 7.* Quod confirmatur, quia omne crimen enorme, depositione dignum, si notorium fuerit, reddit infamem infamia juris, & irregularem secundùm probabiliorem, Sanch. *lib. 6. opusc. cap. 3. dub. 6. num. 14.* & 20. cum ibi allegatis. Crimen autem falsi est enorme & depositione dignum, ut per Major. *ibid.* & latè per Diaz. ibique Salzed. *cap. 96. prax. v. detrudatur.* Quodque ampliatur, ut procedat etiam contra falsificantes literas, seu patentes Ordinariorum, seu publicorum officialium, *l. eos*, ibique Doctores, *ff. ad leg. Cornel. de falsi.* quando scilicet sunt in forma probanti, Abb. *in c. post. cessionem de prob. num. 4.* Felin. *num. 3. in fin.* Guido Papa *dec. 481.* Osasc. *dec. 71. numer. 10.* Limitat tamen Diaz. *ibid. num. 1.* non procedere de falso probato via exceptionis, seu incidenter, quamvis tunc sit infamis infamia facti tantùm, ut per Major. *in loc. cit.* & per text. *in l. Lucius ff. de his, qui not. infam.* Limitaturque secundò, quod super hac infamia, & irregularitate potest Episcopus dispensare, ut alibi diximus.

Secundum, & tertium crimen est, quod recepit sacros 2
Ordines ante legitimam ætatem malitiosè, ac proindè incurrit ipso facto suspensionem; & quia hujusmodi suspensione durante ministravit in eisdem ordinibus, incurrit irregularitatem. Et propterea ob prædictum crimen potest Ecclesiasticis beneficiis privari ex Bulla 7. Pii II. quæ incidit *Cum ex sacrorum*. Quippè quod irregularitatem incurrat Clericus exercens in statu excommunicationis majoris actum Ordinis Ecclesiastici est textus *in can. Si quis Episcopus 11. quæst. 3. & toto tit. de Cleric. excommun. ministr. & cap. 1. de sentent. & re jud. in 6. & cap. is, cui de sentent. excommun. eod. lib.* ibique Canonistæ. Quod ampliatur etiamsi sit excommunicatio occulta, seu non denunciata, Sayr. *de censur. lib. 7. cap. 9. n. 18.* cum aliis. Quinimmò hoc crimen celebrationis in censura est depositione dignum. Itaque Clericus ex hoc est deponendus ab officio, & beneficio, *c. Clerici, de Cler. excomm. ministr.* Quamvis ex æquitate hanc pœnam

non esse exequutioni demandandam, nisi prævia monitione canonica, dicat Sayrus *lib. 2. cap. 15. numer. 7.* & Diaz. *in pr. cap. 33.*

3 Quartum crimen est, quod consequutus sit beneficium curæ animarum ante legitimam ætatem. Nam Gregor. X. *in capit. Licet canon. de elect. in 6.* ad removendam negligentiam hujusmodi beneficiatorum statuit, ut parochiales Ecclesiæ non possint validè conferri, nisi iis, qui attigerint vigesimumquintum annum, qui intra annum a die commissi sibi regiminis se faciant ad Sacerdotium promoveri. Quod si promoti non fuerint intra annum, ipso jure sint privati parochia, etiam nulla prævia monitione. De qua re tractant, illamque explicant Gonzal. *glos. 15. num. 47.* Garz. *de benefic. part. 3. cap. 4. a num. 1.* Sanchez *consil. moral. lib. 2. cap. 2. dub. 22.* Quam pœnam privationis parochiæ obligare in foro conscientiæ ante sententiam, tradunt Navarr. *capit. 25. num. 118.* Rebuff. *in pr. tit. de non promot. num. 72.* Less. *de just. lib. 2. cap. 34. numer. 101. in fin.* & Sanchez *loc. cit. num. 1.* ac communem ait Garz. *part. 11. capit. 10. num. 28.* Quia non est pœna, sed conditio resolutiva; quamvis negativam teneant Henriquez, aliique pauci.

4 Ex quibus omnibus dicendum est, præfatum Clericum non esse capacem beneficii. Nam adeò malè ordinatus est, ut remaneat suspensus. Ita Paris. *de resignat. lib. 4. quæst. 2. nu. 54. 56.* & 58. Squillant. *de privileg. Cleric. cap. 4. num. 16.* Alphons. de Leon. *de offic. Capell. quæst. 4. part. 6. num. 6.* Quia ratione suspensionis remanet impedita exequutio ordinis, & consequenter etiam omnes effectus, quos ordo inferre potest, atque adeò etiam capacitas beneficiorum. Unde remanet cum nullo ordine, sed absque iis omnibus, quæ de jure positivo annexa sunt ordini.

5 Cùm igitur collatio, seu resignatio parochialis fuerit nulla, ideò, obtenta prius absolutione, ac dispensatione a censuris, & ab irregularitate, necessaria est nova provisio, ut possit retinere beneficium ita quidem, ut licèt ratificatio ordinationis retrotrahatur, ac operetur, quod eodem pacto se habeat, ac si ab initio ritè ordinatus fuisset, *cap. Quoties de pact.* & *capit. ratihabitionem de reg. jur. in 6.* & *l. cum decem §. si fidejussor, ff. fol. matrim.* & annotant Baldus *ibid. num. 2.* ac Rota coram Merlino *decis. 615. num. 9.* attamen hæc retrotractio virtute ratihabitionis nihil operatur circa collationem beneficii. Cùm enim fuerit nulla defectu capacitatis personæ, non potest convalidari, nisi interveniat facultas conferendi, aut instituendi, & cætera omnia, quæ erant necessaria ab initio, ut actus subsisteret, *l. si ut proponis, Cod. de nupt.* & *l. nuptiæ ff. de rit. nupt.* & observat Roman. *cons. 12. num. 6.* Decian. *cons. 536. num. 6.* Aret. *cons. 128. num. 1.* Bero. *cons. 134. num. 1. lib. 1.* Rota coram Seraphin. *decis. 1242. num. 2.* & coram Ludovisio *decis. 473. num. 9.* Et ideò indigebit nova provisione, ut possit beneficium retinere.

6 Tandem omittendum non arbitror, quod si Episcopus protestatus fuerit in interminatione solita, se non intendere ordinare non examinatos, non approbatos, non habentes legitimam ætatem, &c. secundùm multorum sententiam non recipit sic ordinatus characterem, & ordinatio est omninò irrita, & invalida, ut per Navarr. *cons. 1. de eo, qui furtive*, Salzed. ad Diaz. *cap. 25. num. 2.* Rebuff. *de benef. part. 2. tit. de Cler. male prom. glos. 4. num. 19.* Licèt alii magis communiter dicant validam esse ordinationem, quia Episcopus quando actu hunc ordinat contra suam protestationem, censetur mutare intentionem, & practicè habere intentionem absolutam, licèt speculativè habeat conditionatam, ut per Henriquez *lib. 14. cap. 6. num. 5.* cum Ledesma, Sayr. *lib. 7. cap. 11. num. 37.* Layman. *de Sacram. in com. cap. 4. num. 6.* Sanchez *de matrimon. lib. 7. disp. 18. num. 11.* & 16. Alii verò dicunt spectandam ordinantis intentionem, ut per Suarez *de sacr. disp. 13. sect. 13.* Quare in hoc conflictu Doctorum verius videtur ac tutius, ut postquam absolutionem ac dispensationem obtinuerit, se ad Ordines sic susceptos sub conditione faciat secretò promovere, prout tenet in his casibus, & observari mandat S. Pœnitentiaria, vel saltem ad ordinem Presbyteratus, quia Sacramentum irreiterabile iterari potest sub conditione, quando est dubium probabile de nullitate ex communi sententia Theologorum, & Canonistarum, de qua aliàs.

CONSULTATIO CXLI.

An liceat Nunciis Apostolicis mittere Commissarios ad alienas Diœceses, ut ibi cognoscant causas in prima instantia?

NEgativè, Quia, licèt Nuncius instar Proconsulis, 1
qui creabat Legatum cum tota jurisdictione, valeat jurisdictionem suam alteri demandare, utpotè auditori generali, qui hodie successit in locum Legati Proconsulis, quinimmò si præesset Provinciæ satis amplæ, ut expeditioni causarum facilius consulatur, duos Auditores tenetur constituere, id tamen facere potest in loco suæ residentiæ, ut per Barbos. *de offic. & potest. Episc. part. 3. alleg. 54. num. 126.* & *seq. ac 130.* ubi ampliat in Legato duarum Provinciarum.

Idque præcipuè, quando facultas Nuncii limitatur ad 2
secundas instantias. Tunc enim non potest deputare Commissarios, aliosve Officiales in aliena diœcesi pro cognitione futurarum causarum per appellationem devolvendarum, sicuti non potest Metropolitanus, ad quem similiter spectat cognitio causarum in secunda instantia per textum *in capit. Romana de offic. ordin.* ibique Glossa *in 6.* Fagn. *in capit. a nobis 1. de sentent. excom. numer. 27.* Quia in causis, in quibus non fuit appellatum, Nuncius nullam jurisdictionem habet atque adeò illam alteri demandare non potest, *d. cap. Rom. vers. Quia in causis, l. observare, vers. & enim per quam absurdum, ff. de offic. Proconsul.* & *Leg. l. nemo ff. de reg. jur. cap. nemo potest eod. tit. in 6. ac l. traditio ff. de aquir. rer. dom.*

Eoque magis, si Nuncii antecessores nunquam depu- 3
taverint similes officiales, & Commissarios pro causis futuris. Quæ observatio tanquam interpretativa facultatis Nuncii, est attendenda, Baldus *consil. 245. num. 2. lib. 3.* Cravett. *consil. 212. num. 8.* & Rota *dec. 301. num. 8. part. 1. recent.*

Nec refragatur, quod Nuncius cum potestate Legati 4
de latere sit Ordinarius in Provincia sibi delegata, atque ita possit in qualibet illius parte pro tribunali sedere, ac per se, sive per alium officialem jus dicere, & causas cognoscere per textum *in cap. Cum Episcopus de offic. Ordinar. 6.* Nam id locum habere poterat ante Concilium Tridentinum, quo tempore facultas Legatorum de latere extendebatur etiam ad primas instantias cumulativè cum Ordinariis, & inter eos locus erat præventioni, ut per Gambar. *de offic. & potest. Leg. de lat. lib. 8. num. 13.* & ideò, cùm haberet jurisdictionem solutam, non mirum si statim ac ingrediebatur Provinciam, poterat in qualibet illius parte pro tribunali sedere, ac per se, sive per alios jus dicere, & causas cognoscere. Id autem hodie cessat; Nam Ordinarii in primis instantiis ex dispositione S. Concilii Trident. *cap. 20. sess. 24. de reform.* habent jurisdictionem privativè quoad omnes, etiam Legatos de latere, cui nequaquam Pontifex summus derogare voluit. Sicuti etiam Metropolitanus, etsi dicatur Ordinarius totius Provinciæ, verumtamen habet jurisdictionem limitatam, atque impeditam, *cap. Pastoralis de offic. Jud. ord.* ibique Glossa *v. potest dici*, & Innoc. *numer. 1.* ac Baldus *numer. 2.* Unde quemadmodum Metropolitanus non valet illam solvere ac explicare, deputando Officiales pro cognitione futurarum causarum in aliena diœcesi, ita etiam Nuncius: Quia donec consummata non fuerit prima instantia, nec appellatum, nullam jurisdictionem habet, ac proinde nullam alteri committere potest.

Generatim verò potest Papa Legatis, vel Nunciis ali- §
quid amplius ad libitum concedere, vel prohibere. Unde eorum facultates sunt in casibus particularibus consulendæ, *cap. Quod translationem 4.* & *cap. excommunicatis 9. de offic. Leg.*

CONSULTATIO CXLII.

An & quatenus fructus patrimonii clericalis possint alienari, vel auctione constituta vendi pro viaticis, & delictis Clericorum?

NOn possunt: Quia S. Concilium Tridentinum pro- 1
hibet alienationem patrimonii Clericis ad sacros Ordines promotis *in capit. 2. sess. 21. de refor.* & ideò tàm illud, quàm ejus fructus non possunt in exequutionem capi, neque publicari, ne in dedecus ordinis Clericalis mendicare cogatur. Unde sicuti Clericus contrahendo non potest alienare, ita & multò minus delinquendo, ut per Tond. *resol. benef. part. 2. cap. 1. §. 11. num. 11.* & *seqq.*

Præ-

2 Præcipuè quando in Constitutione patrimonii adest pactum resolutivum, Tondut. *loc. alleg.* Quod sustinetur atque operatur prohibitionem alienationis Garz. *de benef. p. 2. cap. 5. num. 296.* Et itaut non obstet rescriptum Pontificis, quia intelligitur prout juris est, Rota *dec. 80. n. 2. p. 4. rec.* Et ideò per illud non censetur facta specialis delegatio causæ, Barb. *de assist. glos. 1. n. 15. & 16.* nullaque tribuitur jurisdictio, Seraph. *decis. 1276. numer. 1.* Videnda tamen *consult. 136. numer. 6. tom. 1.*

CONSULTATIO CXLIII.

An & ex quibus præcipuè convincatur, Hospitale, vel Confraternitatem non esse titulum beneficialem, & laicos non esse incapaces illius regiminis, & administrationis?

1 COnvincitur potissimum ex eo, quod non sit erectum authoritate Ordinarii, ut proinde remaneat extra jurisdictionem Episcopi, ac sit de jure laicorum. Ita Abb. *cons. 31. num. 1. p. 1.* Parlador. *p. 3. difficult. 9. §. 2. n. 9.* Cabed. *decis. 51.* Valasch. *consil. 105 nu. 32.* Zerol. *in pr. p. 1. v. Confraternitas*, Caputaq. *dec. 328. p. 1.* Quia tàm ratione originis, quàm termini continetur intra fines, & ordinem rerum laicalium. Nam dotatur bonis laicis, & per authoritatem laicalem, & cum locus non sit erectus authoritate Episcopi, remanet laicalis, neque est religiosus, potestque laica authoritate tolli, ut notat Glossa *in Clem. quia contingit vers. altare, de relig. dom.* & Abb. *d. consil. 31. n. 2.* Unde ex eo, quod legata in ejus dominium transeunt, non fit extra ordinem rerum laicalium, sed solum est destitutum ad usum Pium, in ipsumque facultate laicali convertenda, ejusque rectores haberi, ac reputari tutores, & curatores bonorum illius juxta formam *d. Clem. quia contingit*, ubi Vitalin. *num. 92. v. nisi dicas*, Calder. *consil. 1. de suppl. negl. Præl.* & præclarè in terminis Rota *decis. 714. num. 6.* cum binis *seqq. ac num. 14. p. div. & dec. 122. num. 3. cum seqq. par. 2. diversi.* cum aliis allegatis *in dec. 268. p. 3. recent.*

2 Ac itaut, neque sit locus Ecclesiasticus, quia sine authoritate Episcopi remansit merè laicalis, ac privatus, etiamsi habeat Capellam ad celebrandum, & in illa opera pietatis exerceantur juxta consilium Calder. *de relig. domib.* ac decisiones Rotæ in Melevitana bonorum 10. Februarii 1651. & 10. Martii 1652. coram Meltio.

3 Quinimmò pro titulo beneficii neque sufficeret fundatio authoritate Ordinarii, & qualitas Ecclesiastica juxta verba *dict. Clem.* ibi: *Etiamsi Ecclesias, & Cappellas*, Gonzal. *ad reg. 8. gloss. 5. §. 4. numer. 12.* Mohed. *dec. 18. de possess. & propr.* Qualitas verò laicalis de jure præsumitur continuata, *ut in d. dec. 122. a nu. 1. part. 2. div.*

4 Et licèt concurreret ultimus status contrarius collativus, prævaleret tamen antiquus in ipsa fundatione expressus, nisi pro mutatione probarentur requisita necessaria, nempè potestas, & voluntas Superioris, bona fides, scientia, & patientia patronorum cum lapsu quadraginta annorum juxta decisionem in Monopolitana hebdomadæ 5. Decembris 1614. coram Verospio, & de administratione sunt *dec. 304. num. 11. & 381. a num. 8.* coram Durano, comprobatæ in Barcinonen. præpositurarum 20. Februarii 1660. coram Emin. Cerro, & de Capellania ad nutum est decisio Volaterana Capellaniæ 27. Junii 1650. coram Dunozetto.

5 Defectus autem potestatis Ordinarii non potest revocari in dubium propter expressam prohibitionem, de qua in *d. Clem. quia contingit, §. ut autem*, ubi apertè prohibetur collatio Clericis in titulum beneficii, reprobata quavis contraria consuetudine. Quod ibi annotant Glossa *v. beneficium*, & *v. reprobamus*, Imol. *num. 6.* Zabarell. *sub init. & num. 4.* Anchar. *num. 10.* ac Lotter. *de re benef. lib. 3. q. 6. num. 39. & seq. ac nu. 46.* ubi quod non est subjectum conferibile.

6 Et quidem in judicanda qualitate rei, attendenda est causa originalis, *l. tutor datus, ff. de fidejuss. & l. quæsitum init. ff. de reb. auct. Jud. possid. & l. si filius familias Cod. ad S. C. Maced. & cap. porrò de privileg.* & advertunt Glossa *in cap. statutum v. Canonicis de rescript. in 6.* & Bald. *in l. 1. ff. de regul. jur.* ac in specie de beneficiis Rota in Ripana Oratorii 10. Martii 1591. coram Gypsio. Unde cum in fundatione hospitalis non adsit erectio in beneficium, sed constat fuisse fundatum tanquam Capellaniam non collativam, hæc primæva qualitas erit attendenda. Eoque magis quando sumus in claris. Tunc enim non habet locum observatio, sed standum est dispositioni *l. 2. in fin. C. de lib. præt.* & observant Castr. *in l. hæredes palam §. quid, ff. de test.* Rot. *dec. 623. num. 4. p. 3. recent.* & in Toletana decimarum de Laxedor. 22. Maji 1592. coram Arigonio.

Et propterea non obstat, quod in beneficiis sit attendendus ultimus status juxta *cap. Cum de beneficiis de præb. in 6.* Quoniam id locum habet, quando sumus in dubio circa statum, non autem quando constat de statu anteriori, ut firmat Rota *decis. 188. num. 1. part. 1. recent.* & coram Caval. *dec. 639. in fine*, & in Melphitana Legati pii 24. Januarii 1629. coram Dunozetto. Immò addo, quod *d. c. de beneficiis* disponit circa statum beneficiorum, & supposito, quod sit beneficium, & dubium sit quem statum habeat, vult attendi ultimum statum. Unde cum cesset præsuppositum, quia ex fundatione constat non esse beneficium, cessat etiam dispositio, ut notant Glos. *in l. mancipia C. de serv. fug.* Dec. *cons. 161. nnm. 2.* Menoch. *de recup. remed. 9. n. 161.* & desumitur *ex c. si Papa de privil. in 6.* & ex *Clem. si sumus de sent. excom.* Quod si concurrat diversa observatio contraria, attendenda est illa, quæ est proximior dispositioni, quàm illa, quæ est magis remota, *l. mola, v. sed si alimenta ff. de alim.* & *cib. leg.* firmantque cum aliis Rota *decis. 37. num. 34. part. 2. div. & dec. 105. num. 10. part. 7. rec.* Caval. *dec. 487. num. 2.* Duran. *decis. 36. numer. 38.* & Eminentissimo Otthobono *dec. 26. numer. 14.* Observatio enim proxima dispositioni præsumitur habere fundamentum in ipsa dispositione, & ab ea descendere, ac proinde cum ipsa concordare. 7

Ex institutionibus autem, quæ fortè asseruntur subsequutæ, ad summum, etiamsi possent prodesse ad tollendum dictam præsumptionem juris, quæ, ut dixi, stat pro laicalitate, ac pro loco privato, ut scilicet ex illis firmetur, quod hospitale evaserit publicum, & religiosum, non tamen dicitur sublata qualitas laicalis, & inductus status beneficialis collativus, ne laicus sit capax juxta propriam *dec. 725. p. 1. div.* 8

Neque refragatur, quod aliqua institutio facta sit cum expressione beneficii. Nam detegitur erronea ex dictis, neque inde necessariò sequitur, quod sit tale, cum verbum *beneficium* sit æquivocum, conveniens etiam præbendæ temporali, ac stipendio, ut per Garz. *de benef. p. 1. cap. 1. num. 8. & seqq.* Præsertim si emanaverit per commissionem curæ, & regiminis bonorum Hospitalis, ac cum onere conficiendi inventarium, & reddendi rationem; quæ diametro pugnat cum titulo beneficiali Ecclesiastico, ut in præcitata *dec. 724. ac 114. par. 1, & 2. div.* & semper obstat dispositio *d. Clem. quia contingit*, prohibens collationem Clericis in titulum beneficii, ac reprobans contrariam consuetudinem. 9

Adeòque ut neque prodesset nova provisio obtenta, etiam a Cardinali Legato de latere. Quia per eam non potest præjudicium inferri statui Hospitalis, dicto Cardinali penitus ignoto ex firmatis a Lotter. *de re benef. lib. 1. q. 34. n. 68. cum binis seqq.* 10

Tandem ad excludendum titulum beneficialem, inspiciendum est, an Rector Hospitalis aliquos habeat fructus assignatos pro sua dote. Si enim enim nullos habeat fructus, nec teneatur recitare horas canonicas, neque alia peragere, ad quæ tenentur beneficiati, excluditur titulus beneficialis juxta dictam *dec. 724. num 8. part. 1. div.* Item, an patronus laicus confirmationem, & institutionem concesserit. Si enim esset beneficium Ecclesiasticum, certè quod institutio per laicum fieri non potuisset, cùm hoc sit unum ex peculiaribus signis ad cognoscendum, excludendumque titulum beneficialem, ut per Gonzal. 11

Ex quibus conficitur, quod stante legato in suis terminis puri legati, & pro Hospitali, & Capellania non collativa poterunt ii, ad quos pertinet, eligere quemcunque Rectorem sive Sacerdotem, qui regat, sive satisfaciat oneri Missarum, ut observant Tholos. cum Fabro, & Guid. *de benef. cap. 11. num. 10.* Perez. de Lar. *de anniv. lib. 2. cap. 1. num. 33.* Alphon. de Leon. *de offic. capel. q. 5. sect. 11. n.* 178. Et ita declarasse Sacr. Congregationem refert Zerola *in pr. p. 2. v. beneficium*. Per approbatos autem intelliguntur ii, qui ab Ordinario habent facultatem celebrandi. 12

Similiter quod si super hujusmodi Hospitali, vel Capellania oriatur controversia aliqua, cùm non sit de jurisdictione Episcopi pertinebit ad Judicem sæcularem eam decidere, ut notant Abb. *cons. 31. n. 1. p. 1.* Cabed. *de patr. Reg. Cor. c. 38. n. 6.* Perez de Lar. *d. lib. 2. c. 1. num. 12.* Alphonf. de Leon. *loc. cit. q. 5. sect. 11. n. 183.* testans, Regium Consilium Neapolitanum ita in praxi servare. Nam, cùm sint in ordine laicali, subjiciuntur judicio laicali juxta *cap. fin. de form. comp.* 13

Quod

Quod tamen mihi, aliisque perdifficile videtur. Quia cùm sint destinata ad opus pium, ipsique sint accessoria, videtur sequi debere naturam sui principalis, & trahi ad forum operis pii, ut alibi dicebamus. Illudque etiam limitandum est, ut solùm pertineat ad judicium laicale, quando agitur de bonis, in quibus consistunt. Nam si ageretur de ipso opere pio, pro quo sunt destinatæ, aut de ipsius exequutione, tunc pertineret ad forum Ecclesiasticum, quia causæ piæ, & quæ concernunt animam, pertinent ad Episcopum juxta *cap. Nos quidem, de testam.* & notant Roch. *de jurep. v. pro eo, quod num.* 28. Velasch. *consil.* 105. *num.* 61. & 65. ac Perez. de Lar. *d. cap.* 1. *num.* 8. Quamvis ut advertit Velasch. *num.* 49. non poterit exigere rationem, aut visitare, quia hoc caderet super his, quæ sunt de jure laico.

14 Denique, quod quamvis hæc bona sint laicalia, & de jure antiquo alienari possint absque solemnitatibus, si tamen subjecta sint alicui oneri perpetuo missarum, hodie non possunt alienari absque authoritate Sedis Apostolicæ ob noviſſima decreta Sac. Congregationis Concilii edita authoritate Urbani VIII. *de celebr. Miss. §. Præterea*. Quod etiam tanquam disposítum in favorem piæ causæ afficit ex hoc quoque capite etiam sæculares.

CONSULTATIO CXLIV.

1 *An Missionarii, aliique confessores possint audire confessionem, & absolvere christianos illos, qui habent pro uxoribus mulieres turcas, quibus nulla spes effulget, quod amplexuræ sint fidem christianam, & versa vice, an possint absolvere mulieres christianas in matrimonium conjunctas cum Turcis?*

2 *An debeant separari mulieres christianæ Turcis jam nupta?*

3 *An idem fieri debeat de illis mulieribus, quæ cum christianis matrimonium inierunt, qui postea fidem abnegarunt, neque ulla est spes, quod donec in illis partibus morentur, redeant ad Christianam fidem?*

4 *An possint baptizari filii Turcarum, quando eorum pater est fidei abnegator, & mater est christiana, sed dubitatur, quod licèt parentes petant filium baptizari, pater tamen educare illum velit in secta turcica?*

5 *An possint baptizari filii patris turci, & matris christianæ, quæ, licet pater non assentitur, vult tamen filium baptizari?*

6 *Cum Turcæ baptizare faciant suos filios ob alium finem, quàm, ut fiant Christiani, an cum ii fiunt majores, & petunt baptismum, denuò sit illis administrandus, an verò sufficiat primus baptismus, quem susceperunt?*

7 *An sit verus baptismus ille, qui suscipitur cum fine superstitioso, ut non sit iterum conferendus sub conditione?*

Ubi etiam alia ad rem veluti parerga.

1 AD primum negativè. Nam vivunt in continuo concubinatu, cum inter fidelem, & infidelem ob disparitatem cultus nullum possit esse matrimonium, sive sit prohibitum ex universali Ecclesiæ consuetudine, ut per Bellarmin. *lib.* 1. *de matrim. cap.* 23. *prop.* 3. sive ex lege Ecclesiastica per manus derivata, ut per Poncium etiam *de matrim. lib.* 7. *cap.* 47. *num.* 5. ex *canon.* 67. Concilii Niceni primi. Quare mulieres christianæ uxores Turcarum, quandoque etiam invitæ, a Curatis illarum partium a perceptione sacramentorum, non autem ab ingressu Ecclesiæ, excludi debent. Possunt tamen tolerari, ut ingrediantur Ecclesias, ut hoc modo in fide retineantur, ad sacramenta tamen non possunt admitti, cùm sint in continuo concubinatu. Possunt quoque se præsentare confessario ad effectum obtinendi beneficium absolutionis. Hinc mulieres christianæ in partibus Turcarum, aufugientes a maritis christianis, & nubentes Turcis, sicut etiam earum mariti, qui post fugam cum aliis mulieribus christianis contraxerunt, non possunt admitti ad sacramenta. Idque etiamsi matrimonium fuerit per vim contractum, quia ob disparitatem cultus non est matrimonium, sed concubinatus. Non tamen prohibentur accedere ad audiendum Missam, & si in tali statu decedant, carere debent Ecclesiastica sepultura.

2 Ad 2. Affirmativè. Quia de jure canonico est improbata quælibet carnalis conjunctio præter uxoriam per textum *in can. Nemo, & can. meretrices* 39. *qu.* 4. *canon. nubendi ad fin.* 27. *quæst.* 1. ac docet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 15. *art.* 4. & *in* 4. *sent. d.* 13. *qu.* 1. *art.* 4. traduntque Glossa *in clem. fin. v. non est de hæret.* Abb. *in cap. tanta, qui fil. sint legit.* ibique Præpos. *num.* 6. ita ut non possit absque hæresi de hoc dubitari ex dispositione Sacr. Concilii Trident. *sess.* 24. *de ref. cap.* 8.

Ad 3. negativè. Quia inter eos est verum matrimo- 3
nium, ac proindè mulieres christianæ in partibus Turcarum nuptæ iis, qui postea abnegarunt fidem christianam, non debent excludi a Sacramentis sed permitti debent, ut vivant sine contumelia Creatoris, cùm sit verum matrimonium.

Ad 4 Videtur non expedire. Nam, ut dicitur in Con- 4
cilio Toletano 4. *c.* 59. non possunt, moraliter loquendo, infantes baptizati educari sub cura parentum infidelium quin eorum involvantur erroribus, in quo fit magna injuria christianæ Religioni, & ipsi baptismatis Sacramento ob periculum apostasiæ. Et ideò in hoc casu curandum est, ut prius filius subtrahatur a cura, & consortio parentis infidelis, ut tutò baptizari possit juxta doctrinam ejusdem Concilii Toletani loco citato.

At nihilominus dicendum censeo. Si dubium hujus- 5
modi sit merè dubium, & necessitas non urgeat, expectari potest, ac debet commodior occasio, majorve cognitio. Si autem necessitas urgeat, itaut, pensatis omnibus circumstantiis ea occasio videatur necessaria ad salutem parvuli, tunc in casu dubio inclinandum est in favorem Religionis, & fidei christianæ, ac spiritualis salutis ipsius parvuli, qui magis possidere censetur jus se, atque animam suam tuendi, quàm parentes possideant jus in ipsum. In casu autem dubio melius jus possidentis præferendum est. Quare huic dubio, an baptismus sit conferendus filiis mulieris christianæ, & patris Turcæ, instante matre, cùm pater in progressu illos secundùm sectam mahumetanam instruant, & filii timeant profiteri se esse christianos, respondeo: Si non adest certitudo apostasiæ, potest conferri. Si adest certitudo, accuratius est examinandum.

Non obstat Concilium Toletanum, quia loquitur 6
quando periculum apostasiæ est evidens, vel aliquo modo probabile, sive moraliter certum.

Ad 5. Possunt, atque debent. Constat apertè *ex cap.* 7
Ex literis de convers. infid. ex d. Concil. Tolet. 4. *c.* 62. & habetur *in can. Judæi* 28. *q.* 1. ubi dicitur, filios natos tàm ex patre infideli, & matre fideli, quam ex patre fideli, & matre infideli limitari debere in Religione parentem fidelem, atque ita posse baptizari, dummodò tamen parens fidelis diligentem curam suscipiat filii instituendi, caveatque, ne ab alio infideli seducatur, ut per Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 25. Qui partus, ut ajunt, sequitur ventrem. Unde hoc ipso, quod filius ex matre fideli, & christiana concipitur, acquiritur jus ab Ecclesia ad illum baptizandum, quia ex vi originis nascitur subditus Ecclesiæ.

Ad 6. Sufficit primus baptismus, si fuerit ritè ac re- 8
ctè collatus. Etenim ut infantes sint incapaces baptismi, non est eis necessaria intentio suscipiendi baptismum nec propria, nec parentum, vel alterius, sed sufficit illis voluntas Christi. Est communis sententia Theologorum apud Suarez *in 3. p. D. Thom. disput.* 25. *sect.* 1. & nominatim D. Augustini *epist.* 23. ubi ait, esse validum baptismum illorum infantium, quos parentes infideles offerunt baptizandos, etiamsi ipsi non intendant, ut ad vitam regenerentur æternam, sed ut sanitatem, aut aliquod temporale commodum accipiant. Nam sicut parvulus contrahit originale peccatum absque consensu proximi parentis per solum Adæ consensum, ita potest justitiam Christi participare per voluntatem Christi, & media ab eo instituta sine voluntate proprii parentis. Et hanc ob causam etiamsi parens offerat filium falso Deo, nihil illi nocet, ut egregiè more suo probat Suarez loco allegato contra Durandum, Paludanum & Catherinum, adducens usum Ecclesiæ, quæ nunquam permisit baptismum iterari propter hunc solum defectum. Et propterea S. Concilium Trid. *sess.* 7. *de baptism. c.* 13. definit, hos infantes esse propriè christianos ac fideles. Quia, ut inquit Augustinus *lib.* 1. *de peccat. merit. c.* 23. hoc eis acquiritur per baptismi Sacramentum.

Ad 7. Esse verum, ac proinde non esse reiterandum 9
sub conditione. Certum namque est, ad valorem Sacramenti baptismi nec fidem, nec bonam aliquam dispositionem in suscipienti requiri. Colligitur ex *cap. majores de baptism. & can. de Judæis* 45. *d.* Nam ille, qui per vim, & coactus baptizatur, si baptismo consentit, cogendus dicitur ad servandam fidem absolutè, ac sine ulla limitatione. Ergo etiamsi cum incredulitate, infidelitate, ac superstitione ad baptismum quis accedat, si tamen baptizari vult, characterem recipit, ac verum Sacramentum. Quod etiam confirmat praxis Ecclesiæ. Nam quemlibet adultum voluntariè baptizatum cogit ad servandam fidem, etiamsi constet fuisse infidelem, vel hæreticum, cum baptizatus est, nec permittit iterùm baptizari.

Quip-

10 Quippe hæc veritas non pendet ex sola rei natura, sed ex institutione, a qua est totum esse Sacramenti. Constat autem ex usu, & traditione Ecclesiæ, hanc fuisse Christi institutionem. Nec desunt congruentiæ. Prima, quia non expedit, ut rei substantia pendeat ex accidentibus extrinsecis & contingentibus, sed ex propriis principiis, & causis. Secunda, quia est naturis rerum consentaneum, ut causa non pendeat a suo effectu, sed è contra. Ergo nec Sacramentum a suo effectu. Ergo neque a dispositione, quæ ad effectum ordinatur. Ac tertia, quia aliud est Sacramentum, aliud effectus Sacramenti, & Sacramentum de se prius est. Ergo non impeditur propter dispositionem contrariam effectui, si Sacramento ipsi contraria non sit.

11 Hanc veritatem sæpè tradit D. Augustinus *lib. 2. contra Parmel. cap. 16. & lib. 2. contra Petil. cap. 35.* ubi ait, si quis baptizetur propter flagitium aliquod committendum, dummodò baptizari velit, verè manet baptizatus. Idem *lib. 3. de baptism. cap. 14.* ac eodem sensu *lib. de catechiz. rudib. cap. 17.* inquit, aliquos fieri christianos propter lucrum temporale, & nihilominus validè baptizari. Constat denique ex definitione Conciliorum, ac Pontificum tradentium, infideles, vel hæreticos baptizatos, vel ordinatos, si juxta ritum Ecclesiæ catholicæ baptizati, vel ordinati sint, non esse iterùm baptizandos, vel ordinandos quorum testimonia producit Suarez *in 3. p. disp. 13.* Supponunt ergo Sacramentum susceptum sine vera fide, aut cum superstitione, esse validum, atque adeò non esse reiterandum sub conditione.

12 Parerga. Baptismum malè collatus reiteratur. Sed si tantùm dubitatur an sit malè collatus, reiteratur sub conditione.

13 Collatus ab hæreticis in forma Ecclesiæ, non est iterùm conferendus, sed supplentur defectus, ut orationes, exorcismi, & unctiones, & sic baptizati muniuntur Sacramento confirmationis, quatenus non fuerint confirmati.

14 Collatus captivis non eximit illos a servitute, sed restituuntur eorum domino, qui monendus est, ut cum illis benignè se habeat. Nati verò ab iis sunt liberi, nec tenentur dominis servire.

15 Non est ministrandus cum patrinis hæreticis, sed potius infantes baptizandi sunt sine patrinis. Quare in hoc casu Missionarii adhibere possunt suos socios.

16 Collatus a ministris Paulinianistis contra formam sanctæ Romanæ Ecclesiæ, iterùm est conferendus.

17 Conferens illum sine aqua suspendendus in perpetuum ab administratione Sacramentorum.

18 Dicens infantem non baptizatum salvari in fide parentum, debet se retractare.

19 Ii, quibus collatus est in infantia, & qui enutriti sunt in partibus infidelium, vel hæreticorum, non possunt dici hæretici.

20 Baptismum reiterans, an sit puniendus ab Inquisitoribus, & qua pœna vide Pegnam *in addit. ad Direct. p. 1. sch. 11. & 12. & c. 2. de appostat.* Sunt qui putant, non spectare hunc casum ad S. Officium, sed ad Ordinarium. Plerique volunt, quod baptismum reiterantes sint suspecti vehementer de hæresi Anabaptistarum, & Novatianorum, de qua Baronius anno Christi 218. quam Donatus, & Donatistæ professi sunt, damnata in Concilio Arelatensi sub Sylvestro Papa anno Christi 314. Cùm autem hoc crimen sit contra fidem, atque adeò merè Ecclesiasticum, hodie pœna ultimi supplicii statuta *l. 2. C. ne sanct. baptism. reiter.* non habet locum, sed aliter puniuntur tales rei ab Inquisitoribus. Ego tamen censeo, reiterantem torquendum esse super intentione, & abjurare vel de vehementi, vel de levi juxta gradum suspicionis. Unde qui ad confingendum partum supposititum curat baptizari infantem aliàs baptizatum, torqueri debet super intentione, abjurare de levi, & manere præ foribus Ecclesiæ cum candela accensa, & inscriptione.

21 Et Christianus se fingens infidelem, & petens iterum baptizari ob commodum temporale, si non constiterit petiisse iterationem baptismi ex fine commodi temporalis, abjurare debet de vehementi ob reiterationem baptismi, nam videtur, & præsumitur de hoc malè sentire, unde ad purgandam suspicionem, & præsumptionem debet indici abjuratio. Si verò constiterit, iteratse baptismum ob commodum temporale, censent aliqui non esse necessariam abjurationem sive de vehementi, sive de levi: Quia factum ipsum evacuat suspicionem, quod malè non sentiat de fide. Cùm enim abjuratio sit detestatio hæresum, ii tantùm abjurare debent, qui aut in hæresi fuerunt, aut de ipsa suspecti sunt, ut notant Pegna *p. 3. direct. com. 40. v. His ita positis*, & Farinac. *q. 194. de hæres. §. 2. n. 24.* In hoc autem casu nulla adest suspicio de hæresi, quia non petiit iteratum baptismum, quod supponeret posse iterari, sed usus est tali iteratione, quam cognovit malum, ut medium ad obtinendum commodum temporale.

Neque in foro externo adest præsumptio, aut suspicio, quod malè sentiat, quia finis declarat intentionem, & evacuat omnem suspicionem. Non enim habet locum suspicio quando constat de oppositio. In hoc autem casu constat petiisse iterationem baptismi ex fine commodi temporalis, atque adeò fuisse limitatam intentionem petentis, ut non sentiret malè de fide, sed solùm ut malè operaretur, quia intentio non se magis extendit, quàm se extendat motio finis. Ego tamen tenendum arbitror, quod licèt per torturam intentio purgetur, adhuc tamen remanet abusus Sacramenti, & sacrorum rituum Ecclesiæ, & ideò præmissa abjuratione, prout de jure, saltem de levi, hujusmodi reiterantes ob commodum temporale puniendi sunt a S. Officio Inquisitionis. 22

Baptismus collatus ab hæreticis Calvinistis est validus, unde non est iterùm conferendus, ne sub conditione quidem. 23

Filii infantes mulieris, quæ fuit apostata a fide, & illos genuit cum patre Turca, post absolutionem matris, si ipsa instet, possunt baptizari, etiam invito patre. 24

Baptismus Russianorum schismaticorum degentibus Ragusiæ, cujus forma est ista: *Sia battezzato il servo di Cristo in nomine Patris amen, in nomine Filii amen, in nomine Spiritus Sancti amen, est verus & legitimus.* 25

Bis puerum baptizari faciens, si sponte compareat, potest abjurare de levi cum pœnitentiis salutaribus. 26

Parentes catholici facientes iterùm baptizari metu pœnarum a ministro hæretico suos filios, jam antea baptizatos a Parocho catholico, peccant peccato sacrilegii. 27

Parochus catholicus, qui certò scit puerum a se baptizatum iterùm baptizandum a ministro hæretico ritu catholico, non peccat, si baptizat, quia facit rem licitam. Tenetur tamen monere parentes pueri, ne illum iterùm ad baptizandum ministro hæretico offerant. 28

Matrimonium inter hæreticos, vel inter hæreticos, & catholicos a Parochis, & Sacerdotibus catholicis celebrari non potest, nisi adsit justa causa a Sede Apostolica approbata. 29

Non permittitur inter hæreticos & Catholicos, nisi hæreticus velit fidem catholicam complecti. Tunc enim Parochus poterit interesse. In locis autem, in quibus Concilium Tridentinum est publicatum, ejusmodi matrimonia sunt nulla, ubi verò non est publicatum, valent, & solùm catholicus peccat contrahendo cum hæretica, sicut etiam Parochus. 30

Contractum inter Græcos, & Latinos coram Parocho græco est validum. 31

Sine præsentia Parochi contractum non valet in locis, in quibus decretum Sac. Concilii Tridentini est publicatum. Si verò non fuerit publicatum, concedi potest dispensatio. 32

Non debet concedi facultas committendi examen testium examinandorum super statu libero in causis matrimonialibus. 33

Si quis sæcularis, indutus superpelliceo intererit celebrationi matrimonii, uti Parochus, puniri debet a S. Officio. 34

Prævia abjuratione, hæresis potest dispensari super matrimonio rato in favorem secundi consummati. 35

Matrimonium contrahens cum commatre, puniri debet in S. Officio. 36

Contrahens matrimonium joco cum moniali, debet abjurare de levi cum ipsa moniali, & potest puniri pœna triremium. 37

Ratum non consummatum cum hæretico, & catholica est validum, & idcircò non est concedenda mulieri dispensatio, ut alteri nubat. 38

Conjuges catholici, qui coram Parocho, ac testibus catholicis celebrarunt privatim matrimonium, peccant, si iterùm metu pœnarum illud contrahant coram ministro hæretico, secus si minister assistit tanquam magistratus politicus. 39

CONSULTATIO CXLV.

An possit Episcopus absque beneplacito Apostolico præcipere, quod in Ecclesia collegiata præter præfixum numerum Canonicorum, eligantur duo presbyteri extra gremium Capituli ad inserviendum dignitati, vel Canonico celebranti in locum Diaconi, & Subdiaconi, & quod de massa capitulari assignentur illis stipendia?

REspondeo, non posse, si præfata Ecclesia inter præbendas canonicales habeat ex statuto jam præscripto præbendas diaconales, & subdiaconales, ut Canonici istas obtinentes inserviant, & assistant in locum diaconi, & subdiaconi dignitati celebranti, Barbos. *de offic. Episc. allegat. 93. num. 3.* Rota in Lucana suffragiorum 7. Aprilis 1642. *§. Et hinc* coram Carillo. Eoque magis, quia id est 1

con-

conforme libro cœremoniali Epiſcoporum *lib. 1. cap. 26.* ubi diſponitur, quod duo canonici immediatè ſedentes poſt dignitatem celebrantem aſſiſtere debeant loco Diaconi, & Subdiaconi. Qui liber cœremoniarum habet vim legis, Lotter. *de re benef. lib. 1. quæſt. 16. n. 123.* ac Rota in Oppiden. proceſſionum 18. Maji 1646. *§. Et hæc juris diſpoſitio* coram Veroſpio, cumque fuerit a Clemente VIII. etiam cum clauſula decreti irritantis confirmatus, cenſetur lex Apoſtolica, cumque tandem Epiſcopi in confirmatis a Pontifice ſe habeant tanquam in jure communi, Sanchez *de matrim. lib. 8. diſp. 15. num. 30.* & Barboſa *loc. cit. alleg. 34. num. 7.* utique non poteſt Epiſcopus aliquid contra illum diſponere, cùm nullam habeat poteſtatem diſponendi contra jus commune, Rota *doc. 79. n. 5. in fin.* & *deciſ. 84. num. 4. p. 1. rec.* & *dec. 3. n. 11. p. 5. rec.*

2 Secundò, quia id eſſet direptio partis fructuum canonicalium, quod abſque ſolemnitatibus requiſitis in alienationibus rerum Eccleſiæ fieri nequit, Gregor. XV. *deciſ. 504. num. 5.* ibique Add. *nu. 8.* Ricc. *collect. 2047. p. 6.* Immò eſſet impoſitio novi oneris omnibus de Capitulo, quod etiam ab Epiſcopo nequit fieri, *c. ſcientes de præb. in 6.* ibique Doctores Ricc. *in pr. p. 3. reſol. 483. num. 3.* Præſertim quia Canonici debent functiones facere per ſeipſos, & ſi fuerint impediti, poſſunt illas implere per alios, qui tamen ſint ejuſdem ordinis, & gradus, non autem per inferiores, & extra gremium, ut per Barboſam *de Canon.* & *dignit. c. 31. nu. 6.* non obſtante conſuetudine in contrarium, idem *ibi n. 4.*

CONSULTATIO CXLVI.

An pendente controverſia inter virum, & uxorem ſuper ſævitia, eſto quod uxor ſequeſtranda ſit, amoveri poſſit è domo fraterna, & quo in loco ſit collocanda?

1 NOn poteſt, ſi ibi, permittente viro, commorata fuit, ut in ſpecie firmat Buratt. *deciſ. 684. num. 2.* & Duran. *deciſ. 262. num. 1.*

2 Quatenus verò a fraterna domo amovendam eſſe arbitretur Judex, cujus judicio juxta cauſarum contingentiam, & circumſtantiam facti hoc remittitur, ad tradita per Gloſſam *in c. Cum in loco, v. Nihil, de ſponſal.* arbitrari nullatenus poteſt, quod detrudatur in domum Convertitarum, quia ejus arbitrium regulari debet a jure, Bart. *in extr. ad reprimendum v. videbitur n. 7.* Cæſar. de Graſſ. *dec. 7. n. 7. de ſent.* & *re jud.* Rot. *dec. 365. n. 1. in fin. p. 1. recent.* De jure autem aſſignanda eſt alicubi probæ & honeſtæ mulieri, ut diſponunt textus *in c. ex tranſmiſſa de reſt. ſpol. c. cum locum in fin. de ſponſ.* ibi: *facias honeſtè teneri*, vel detrudenda in monaſterium monialium, quæ verè honeſtæ perſonæ dici poſſunt, ut per Rotam coram Buratto *deciſ. 586. n. 4.* & *d. deciſ. 684. n. 1.* & apud Pegn. *dec. 497. n. 3.* & apud Durandum *d. deciſ. 262. n. 1.* ubi firmatur, quod ſtante nobilitate mulieris, licèt retineretur in honeſtiſſimo monaſterio, Rota impertiit licentiam exeundi, & commorandi cum patre, Tondut. *reſol. benef. tom. 1. c. 55. n. 13.* Ubi quod Judicis officium eſt proſpicere mulieri locum commodum, & honeſtum.

CONSULTATIO CXLVII.

An matrimonium maximè exterorum, præſentibus, ſed contradicentibus Parocho, teſtibus & parentibus viri, vel mulieris contractum, ſit validum? & *quid prohibente Epiſcopo, quave pœna puniendi? Ubi ad hæc incommoda remedium quæſitum, ſed fruſtra.*

1 ESt validum. Quia ad illius validitatem ſufficit ſola Parochi, ac teſtium præſentia, etiamſi inviti, & coacti ſint præſentes, ac non obſtante eorum contradictione, & proteſtatione, ut fuit ſæpius reſolutum a S. Congregatione Concilii *ex l. coram Titio, de verb. ſignif.* & comprobat plenè Sanchez *de matrim. lib. 3. diſput. 39. num. 9.* & *ſeq.* Quod procedit non obſtante, quod contrahentes eſſent exteri, ac recentes incolæ parochiæ, neque haberent animum in ea permanendi, ut pluribus probat Sanchez *d. lib. 3. diſp. 25.*

2 Non obſtat, quod Parochi prohibeantur intereſſe matrimoniis exterorum niſi prævia inquiſitione facta per Ordinarium, & de ejus licentia ex decreto S. Concilii Trident. *c. 7. ſeſſ. 23. de ref. matr.*

3 Quia cum Concilium præcipiat tantùm Parochis, ne interſint matrimonio exterorum, non procedendo ulterius illud irritando, utique contrahentes, & Parochus peccant mortaliter, ſed matrimonium valet, ut per eundem Sanch. *d. diſp. 25. n. 17.*

Similiter non obſtat, quod ante matrimonium contractum, Parochus eſſet prohibitus a ſuo Ordinario, ne matrimonio intereſſet. Tum quia ſpeciale eſt in matrimonio, ut ex ſimplici prohibitione non irritetur per textum *in c. 2. de matr. contra interd. Eccleſ. contrad.* Dec. *in c. Secundò requiritis n. 7. de appell.* Rota *dec. 750. n. 4. p. 1. div.* Tum etiam quia ſufficit ad effectum validitatis, quod Concilium non habeat clauſulam irritantem, Rota poſt alios *d. deciſ. 750. n. 5.* & in hac ſpecie reſpondit S. Congregatio, cujus reſolutionem refert Lopez ad Diaz. *in prax. c. 76. v. primum igitur, dubium.* Porrò ubi legis prohibitio non habet perpetuam cauſam, actus in contrarium geſtus valet. Abbas *in cap. ad Apoſtolicam n. 11. de regular.* non igitur majoris efficaciæ erit Epiſcopi inhibitio, Gloſſa *in c. cum ſpeciali, v. diſtricto præcepto de appell.* & Gloſſa *in fin. in c. fin de Cler. excom.* Fagnan. *in c. literæ, de matr. cont. interdict. Eccleſ. a num. 5.* ubi argumenta contraria diluit. 4

Et quidem ſi Parochus quoad hunc effectum non poteſt facultatem intereſſendi matrimoniis, a Concilii conceſſam a ſe abdicare, nec videtur id poſſe Ordinarius, qui parem a Concilio habet poteſtatem *arg. cap. innotuit de elect.* in quo conſiderandum de jure novo pro forma inductum eſſe, ut matrimonia coram proprio Parocho celebrentur, aut coram alio Sacerdote de ipſius parochi, vel Ordinarii licentia, cùm olim abſque hujuſmodi forma matrimonia conſiſterent, ut habetur *in princ. c. 1. ſeſſ. 24. de reformat. matr.* licet mos contrahendi coram presbytero in primitiva Eccleſia ab ipſis Apoſtolis fuerit inductus, ut in epiſtola Evariſti relata a Gratiano *in can. aliter 30. q. 5.* & *in canon. 13.* Concilii Carthag. 4. Baron. *tom. 1. an. 57. n. 47. cum tribus ſeqq.* & adnotationes ad idem Concilium Carthag. *tom. 1. Concil. gener.* & *provincial p. 1. pag. 591. col. 2. lit. A.* itaut propterea hic ritus non tàm inſtitutus, quàm reſtitutus fuerit a Tridentina Synodo. 5

Minus refragatur, quod parentes, vel conſanguinei contrahentium diſſentiant. Quia certum eſt, nullum requiri, ne patris quidem conſenſum in matrimonio filiorum, quod nequit impediri, eſtque validum, quantumvis expreſsè illi diſſentirent *per text. in c. cum virum in fin. de regular.* & decernit Sac. Concilium Trident. *in d. c. 1. ſeſſ. 24.* ac tradunt Riminal. jun. *conſil. 333. n. 5.* & *ſeqq. lib. 2.* Fontanel. *de pact. nupt. clauſ. 4 gloſſ. 2. n. 2.* Hurtad. *de matrim. diſp. 6. difficult. 10.* & Sanchez *eodem tract. lib. 4. diſp. 22. n. 3.* cùm in matrimonio nihil aliud requiratur, niſi mutuus contrahentium conſenſus ad textum *in canon. ſufficiat 27. q. 2.* ibi: *ſufficit ſecundùm leges ſolus eorum conſenſus*, & juxta decretum Tridentini *d. cap. 1.* de quo Ponc. *de matrim. lib. 2. cap. 1. num. 2.* & *ſeqq.* quia matrimonium ex ſua eſſentia eſt vinculum mutui amoris inter ipſos ſolos contrahentes: definitur enim animorum, corporumque conjunctio, atque adeò ſufficit ſolus eorum conſenſus, qui ſine amore eſſe non poteſt. 6

Dicitur enim *Geneſ. 24. Inquiramus voluntatem ejus* & *1. Corinth. 7. cui vult nubat.* Unde Iſaac diſplicentia filii Eſau matrimonia non diſſolvit, & Jacob unam quidem parentum conſenſu, alias verò inconſultis eiſdem accepit, *Geneſ. 26. 28.* Tobias quoque Angeli ſuaſu, non expectato parentum conſenſu, uxorem accepit. Quare licèt parentum directionem in ſtatu eligendo liberi ordinariè ſequi teneantur, peccentque ſi abſque rationabili cauſa inſciis, aut invitis parentibus matrimonia contractant, attamen ſolus liberorum legitimus conſenſus matrimonium efficit, itaut, neque a parentibus, neque a magiſtratu irritari poſſit, aut debeat initum a filiis conjugium abſque parentum conſenſu. Nam in iis, quæ ad naturæ officia ſpectant, filii adulti ſui juris ſunt ſimiliter in iis, quæ certi vitæ ſtatus electionem concernunt. 7

Quare nec directè, neque obliquè poteſt ullo modo impediri, vel differri, Grillenzon. *conſil. 7. num. 5.* Crot. *conſil. 265. num. 13. lib. 2.* Menoch. *conſil. 617. num. 33. lib. 9.* Adeòut Sacr. Concilium Tridentinum omnibus, etiam cujuſcunque gradus, dignitatis, & conditionis expreſsè ſunt anathematis pœna ipſo facto incurrenda, præceperit, ne quovis modo hujuſmodi matrimonium impediant, quominus liberè contrahatur, cum maximè inquit, nefarium ſit matrimonii libertatem violare. Quod licèt, ſi privata perſona in hoc decretum committat, non incidat in hanc excommunicationis pœnam, ne in pœnalibus fiat extenſio a dominis, & magiſtratibus ad privatos, ſecus tamen eſt de jure communi, ut per Navar. *in ſum. c. 27. n. 150.* 8

Idque ſive ſponſalia ſint jurata, ſive non per textum *in cap. ſicut, in cap. ex literis 2. in cap. requiſivit de ſponſal.* traditque Seraphin. *deciſ. 112. n. 1.* & *2.* ac Rota in Tul 9

len.

len. matrimonii coram Cavalerio. Quia sufficit sola promissio, *canon. juramenti 22. quæst. 4. cap. de illis 1. & c. mulierem de sponsal. impub.* ubi Abb. Host. Henric. & alii, docetque D. Thom. *in 4.* Cajetan. *in summ. verf. sponsalia*, Angel. eod. *v. num. 7.* Sylvest. *quæst. 5.* Sot. *dist. 26. quæst. 2. art. 3.* Covar. ad Navar. *cap. 22. nu. 25.* & secundùm hanc sententiam judicavit Rota, ut testatur Coccin. *dec. 367.* & Ludovil. *decis. 376.* Nam ex sponsalibus oritur obligatio ad contrahendum matrimonium de præsenti, *d. c. ex literis, cap. sicut, & c. requisivit de sponsal.* & Doctores communiter. Si igitur sponsi cogendi sunt ad contrahendum matrimonium, quando alter absque rationabili causa resilit, & dissentit, eò magis contrahendum est quando uterque consentit, reclamantibus etiam eorum parentibus, cum nemo cogatur sequi paternam voluntatem circa matrimonium, ut latè firmat Ric. *in pr. p. 4. resol. 415. num. 45.* & censuit Rota, inquiens, quod pro justa causa ad non cogendum sponsos non habetur defectus consensus parentum, ut in Tullen. sponsalium 30. Januarii 1617. & 17. Aprilis eodem anno coram Cavalerio, quid disponat jus civile *in l. 2. ff. de nunc. & in l. un. §. oportet C. de rapt. virg. & §. 1. instit. de nupt.* quibus in locis consensus paternus requiritur ad validitatem matrimonii ratione patriæ potestatis, & quia patri aliàs invito suus hæres agnosceretur.

10 Nam in re matrimoniali non attenditur jus civile, sed canonicum, & præcipuè Sac. Concilium Tridentinum, ex quo jure canonico paternus consensus requiritur solùm ex honestate, non ex necessitate, ut per Panormitanum ac cæteros Canonicos *in cap. veniens 1. de sponf.* facitque *cap. cum apud extr. eod. tit.* & probat *c. non omnis, cap. honorantur, & cap. fin. 23. quæst. 1.* & Covarr. *de sponsal. part. 2.* Multoque minus requiritur consensus fratrum, vel avunculorum argumento desumpto a fortiori. Validè igitur, sed non semper licitè, possunt liberi sine consensu parentum conjugium inire. Communiter enim honori parentibus debito contrahitur, cùm liberi iis invitis ad nuptias convolant. Fieri tamen etiam potest, ut illi patriæ potestatis fines excedant, & plus æquo a natis exigant. Quasi verò inauditum sit, patrem aliquem, aut livore, aut stultitia secundas filii sui res, quæ ex connubio optato obveniebant, evertere voluisse. Eccur verò, si id accidat, non libeat, salva naturæ, & Reipublicæ lege, paternæ temeritati obsistere, & fortunam sese in manus offerentem amplecti? Videndi hac de re Carrer. *lib. 4. de sponsal. cap. 10.* Duaren. *ad tit. fol. matrim. cap. 2. qu. 2.* Vvesembec. *in paratitl. de ritu nupt. num. 3.* & Moller. *lib. 1. sentent. cap. 47.* Unde proinde jure interim naturæ, seu naturaliter consensum parentum ad validitatem matrimonii requiri negamus. Nam quæ adferunt argumenta qui id affirmant, nihil aliud probant, quam officio filiorum conveniens esse, ut parentum consensum impetrent, quod planè concedimus cum temperamento, nisi manifestè iniqua sit parentum voluntas. Nam si in omnibus rebus filii reverentiam parentibus debent, certè præcipuè eam debent in eo negotio, quod ad gentem totam pertinet, quale sunt nuptiæ. Solum autem reverentiæ officium non efficit, ut nullus sit actus, qui ei repugnat. Quod autem a Romanis, aliisque constitutum est, ut quædam nuptiæ, quia consensus patris deficit, irritæ sint, non ex natura est, sed ex juris creditorum voluntate.

11 Et itaut promittens matrimonium contrahere, potest censuris, & carceribus cogi, & si in sua pertinacia perstiterit, non cogatur, sed puella congruenter suo statui convenienterque est dotanda ex S. Congregatione super Episcopis in Pistorienſi ultima Julii 1584. per hæc verba: *Al Vescovo, che con pene, e censure, e ancora con carcere induca colui, che ha promesso il contratto matrimoniale, conforme alla promessa, ma persistendo renitente non lo sforzi più oltre, facendo però, che doti la donna competentemente.*

12 Quoniam verò multa incommoda provenire solent ex matrimoniis contractis Parocho præsente, sed invito, & non cooperante in Sacramento matrimonii, ideò referam quod a Cardinali Bellarmino *epist. 136.* hac de re scriptum fuit Archiepiscopo Mechlinienſi 10. Octobris 1616. *Exposui Sanctitati suæ incommoda, quæ notantur in Belgio ex matrimoniis contractis Parocho præsente, sed invito, & non tacui remedium, quod insinuabat Amplitudo vestra Reverendissima, ut Ordinarius primates Parochos potestate pastoris, sive Parochi pro eo tempore, quo assistebant matrimoniis contrahendis per verba de præsenti inviti, & nihil agentes. Sanctitas sua jussit, ut referrem hoc totum negotium ad Cardinalem Lancellottum, qui præest consultationibus super interpretatione Concilii Tridenti-ni. Interim tamen Papa non tacuit, matrimonia contracta præsente Parocho, & testibus esse valida, etiamsi Parochus invitus adsit, & nihil agat, neque tolerandum esse contrariam sententiam, ut expressè contradicentem Sacro Concilio, in quo irritantur solùm matrimonia clandestina, & clandestina declarantur, quæ contrahuntur sine præsentia Parochi, & testium. Neque placuit Sanctitati suæ remedium illud de privandis Parochis authoritate pastorali pro eo tempore, in quo inviti adsunt matrimoniis celebrandis. Card. Lancellottus respondit mihi ex multis aliis locis proposita fuisse Sac. Congregationi incommoda, quæ nascuntur ex his matrimoniis, quæ contrahuntur non præmissis denunciationibus, & postulata esse remedia, quæ nondum inventa sunt, quoniam Patres, qui Congregationi interfuerunt, valde timent, ne ex propositis remediis impediatur libertas matrimonii, quæ libertas semper necessaria judicata est. Hæc in præsenti mihi scribenda visa sunt Reverendissimæ D. V. si Congregatio aliquod remedium invenerit ad incommoda illa tollenda, libenter ea communicabo.* Hactenus Bellarminus, & S. Congregatio hucusque remedium non invenit.

Pœna igitur contra sic contrahentes est, ut eis impo- 13
natur pœnitentia, & separentur donec cognoscatur causa interdicti. Separatio autem conjugium non fit quoad fœdus matrimonii, sed quoad thorum per textum *in d. c. literæ de matr. contr. interd. Eccles.* ibique Jo: Andreas, Cardinalis, Abbas, & Alexander de Nevo, & pœna est Episcopo arbitraria, Tridentin. *loc. cit.* sunt verò graviter puniendi, ideoque peccaret Ordinarius eos non puniens, præcipit enim Tridentinum eos puniri. Testes autem quasi clandestini si qui fuerunt, etsi illis nulla pœna imponatur, tamen cùm peccent præstando authoritatem matrimonio prohibito, puniendi sunt condigna pœnitentia ab Episcopo.

Quod verò ad Parochum, vel alium Sacerdotem assi- 14
stentem voluntariè matrimonio clandestino absque publicationibus, est per triennium suspendendus ab officio, eodemque modo Parochus, licèt non interfuerit, tamen sciens tale matrimonium non prohibuit per textum *in c. fin. §. fin. de cland. desponf.* quæ pœna est sententia ferendæ, non latæ, ut patet ex verbo *suspendatur*, quod respicit actum, & ministerium judicis futurum, ut docent Henriq. *cap. 5. num. 6.* & alii. Hæc verò pœna est correcta per Tridentinum *d. cap. 1.* quando Parochus, vel alius Sacerdos assistit clandestino invalido defectum numeri testium, dicitur enim ibi esse graviter puniendum arbitrio Ordinarii. Quod si matrimonium sit clandestinum tantùm ob omissionem denunciationum, standum erit pœnæ *d. c. final.* Quia Concilium Trident. in hoc nullam pœnam statuit. Quod si alius Parochus, vel Sacerdos absque licentia proprii assistat, non incurreret eam pœnam, cum tale matrimonium sit invalidum, sed aliam *d. c. 1.* suspensionis ipso facto tandiu, quamdiu absolvatur ab Ordinario ejus Parochi, ad quem illud matrimonium spectabat. An autem excuset ignorantia, vide Sanchez *lib. 3. disp. 48.* & apud eum reliqua de hujusmodi pœna Parochi *disp. 50. 51.* & *52.* Ejusmodi autem delictum, quatenus committitur a laicis est misti fori, ideoque datur præventio. Quomodò autem Ecclesiasticus Judex possit inhibere laicum, quia pertinet ad forum externum, vide apud eundem Sanchez *disp. 54.*

Quare poterit Episcopus prohibere, ne matrimonia 15
coram se, vel Parochis insciis contrahantur de facto absque sufficiente testium numero, denunciationibus non præmissis, nec probato libero contrahentium statu sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, cujus absolutionem sibi reservare poterit, ab ipsis contrahentibus, ac testibus fraudis consciis, contrahendæ. Et si quis Parochus fuerit hujus temeritatis compos, & suam assistentiam eis præstiterit, vel illa non prohibuerit, ad præscriptum Sacrorum Canonum, vel alia pœna graviori pro modo culpæ punietur.

Hanc autem pœnam excommunicationis posse impo- 16
ni in hoc casu ab Episcopis tuentur Sanchez *de matrim. lib. 3. disp. 46. n. 9.* & Boss. *eod. tr. cap. 8. §. 7. n. 18.* Quia coadjuvant pœnas a jure statutas, præcipuè quando est necessaria ob malitiam hominum, quæ quotidie crescit. Tunc enim expedit augere pœnas, & eadem excommunicationis pœna in hoc casu imposita fuit ab Archiepiscopo Neapolitano in sua Synodo celebrata an. 1619. *decr. 9.* in Synodo Toletana, de qua Salzed. ad Diaz. *cap. 76. olim 73* & Boss. *loc. cit.*

De jure verò communi *in dict. cap. fin. §. fin. de clan-* 17
dest. desponf. matrimonium, omissis etiam in gradu concesso, denunciationibus in Ecclesia ante habendis, contrahere præsumentes condigna pœna puniri debent. Et cùm ibi non sit præscripta, arbitrio Judicis debent irrogari, *arg. cap. de causis de offic. deleg.* & in terminis Sanchez *loc. cit. num. 5.* & *7.* & *antea disp. 1. usque ad num.*

num. 9. Et ut ait Gloss. *in d. §. fin. v. pœnitentia*, hæc pœna non irrogatur ob impedimentum aliquod matrimonii, quo non obstante, illud contrahunt, sed quia ipsum ineunt contra Ecclesiæ interdictum, ejus præceptum contemnentes. Sacra quoque Congr. Concilii teste Sellio *in select. canon. cap.* 21. *n.* 10. quem refert Barbos. *in Collect. Bullar. v. matrimonium* censuit debere his taliter contrahentibus imponi pœnam interdicti ab ingressu Ecclesiæ, & nullo modo ab illo, nisi publica pœnitentia peracta, esse absolvendos.

18 Et licèt contra hos testes absque rationabili causa aliqua pœna a jure non sit imposita, tamen peccant mortaliter præstando authoritatem matrimonio interdicto ab Ecclesia, ut docent quamplures Doctores apud Boss. *de matr. d. c.* 8. *§.* 1. *n.* 1. & ideò non sunt pœna arbitraria puniendi, Sanchez *d. disp.* 46. *n.* 8. Salzed. *d. c.* 76. Ceval. *comm. opin. q.* 605. *n.* 86. Guttier. *de matr. c.* 75. *n.* 9. & alii, quos congerit Boss. *c.* 6. *§.* 20. *n.* 71. & *d. c.* 8. *§.* 7. *n.* 17.

19 Et quoad Parochum, ille incurrit pœnam, quæ est imposita *in d. c. fin. §. fin. de cland. desponsat.* nempè suspensionis ab officio per triennium, tàm si his matrimoniis interfuerit, quàm si scienter ea non prohibuerit, Sanchez *d. lib.* 3. *disp.* 48. *n.* 1. Boss. *d. c.* 8. *n.* 15. *qui n.* 16. ait, hoc procedere, si scienter, non ignoranter fiat, nam tunc leviori pœna plectendum esse, subdit. Et hæc pœna suspensionis ab officio, intelligi debet de suspensione a functione, seu munere, & Ordinis exercitio, non autem a beneficio. Istæ enim suspensiones sunt distinctæ, ut latè probat Sanchez *d. lib.* 3. *disp.* 51. *num.* 9. & Boss. *d. c.* 6. *§.* 23. *num.* 87. Et hæc pœna non contrahitur ipso facto, sed ferenda est a Judice, ut vindicat verbum illud in textu *suspendatur*. Et potest augeri, si qualitas id requireret, ut habetur *in d. §. fin.* ibi: *gravius puniendus si delicti qualitas id postulaverit*, Boss. *loc. cit. num.* 85. Sanchez *disp.* 48. *nu.* 2. ubi docet, posse quoque ab Ordinario ex causa justa minui, quia hoc trienii tempus assignatur a jure ministerio hominis imponendum, & ideò potest ex rationabili causa augeri, & minui per notata *in c. Cum sit Romana, de appell.* sed Boss. *d. c.* 6. *§.* 23. *n.* 83. rursus ait, posse hanc pœnam augeri per supradicta verba *d. §. fin. Gravius &c.* non autem minui, quia dispositio dicti textus est Concilii generalis Lateranensis, super quo Episcopus non potest dispensare, & hoc probat *§.* 24. *num.* 89. & *seq.* ubi ponit quæstionem, an Episcopus super hac triennali suspensione possit dispensare, seu per sententiam jam suspensum absolvere & tradit, communem opinionem esse negativam, & solùm ita suspensum elapso triennii termino liberum evadere per Covar. Henriq. Guttier. Barbosa, & alios, nominatim Sanch. Neque hæc dispensatio, vel absolutio concedi potest ab Episcopo vigore S. Concilii Trident. *sess.* 14. *c.* 6. *de ref.* quia cum hæc suspensio ferenda sit Judicis ministerio, quando de ea irroganda agitur, & Parochi culpa probata est, & multò magis quando sententia est lata, ad forum contentiosum deducta dicitur, quo casu non habet locum dispositio dicti S. Concilii, ut per Boss. *d. c.* 6. *§.* 24. *n.* 92. & Sanchez *disp.* 52. *n.* 2. *lib.* 3.

20 Neque *d. c. fin. §. fin.* pœna contra Parochum matrimonium clandestinum, scilicet omissis illicitè, licèt validè celebrantem, sublata censetur a S. Concil. Trident. *c.* 1. *sess.* 24. *de reform. matrim.* cùm hoc casu S. Concilium nullam statuat pœnam, & ideò standum est pœnæ antiquæ *in d. §. fin.* inflictæ, ubi idem statuitur contra Parochum, qui sciens hæc matrimonia ita contrahi, si facilè potuerit impedire, neglexerit, Sanch. *d. lib.* 3. *disp.* 48. *n.* 4. Guttier. *de matr. c.* 75. *n.* 14. Pontius *eod. tract. lib.* 5. *c.* 37. *num.* 12. Boss. *d. c.* 6. *n.* 80. & 82. qui tamen *c.* 8. *n.* 17. ait, contra hos contrahentes, omissis absque causa denunciationibus, scienter matrimonium, unitormem pœnam scilicet arbitrariam, impositam esse, tam *in d. §. fin.* quam *in d. c.* 1. S. Concilii Trident. Matrimonii enim clandestini pro pœnis præscriptis *in d. c. fin.* luendis duæ tantùm sunt species secundùm Sanchez *d. lib.* 3. *disp.* 1. *n.* 3. & *pluribus seqq.* & Bossium *d. cap.* 6. *§.* 1. *num.* 1. Clandestinum namque, ut ipse Sanchez ait *d. nu.* 3. & nomen ipsum præsefert, dicitur quod clam fit, unde id solùm tale existimabitur, in quo aut testes deficiunt, & ideò clam omninò contrahitur, aut denunciationes ad perfectam ejus publicationem ab Ecclesia petitæ desiderantur, cæteris autem solemnitatibus omissis, non clandestinum, ut ajunt aliqui Doctores ab ipso Sanchez *num.* 1. & 2. relati, sed minus solemne appellatur, & hoc matrimonium absque denunciationibus celebratum quoad dictas ejusdem *cap. fin.* pœnas contrahendas clandestinum secundæ speciei dici latè tuetur Sanchez *d. disput.* 1. *num.* 7. ubi *num.* 8. respondet rationibus pro negativa sententia ab ipso prius *num.* 6. adductis. In hac secunda specie comprehenditur etiam illud matrimonium, quod omissis denunciationibus absque causa, & dispensatione Episcopi publicè coram consanguineis, amicis, & sciente majori parte viciniæ, celebratur. Quia quamvis per hanc publicationem legis menti satisfieri videatur, non tamen per illam ejus finis benè adimpletur. Magis enim examinatur præmissis denunciationibus diebus festis in Ecclesia inter Missarum solemnia habitis. In eam enim major populus confluit, qui timore præcepti, quo impedimenta detegi mandatur, ea pandere, ac revelare disponitur, quàm si publicè scientibus vicinis, & aliis, ut supra, contraheretur. Quia hoc modo facilè esse plures latere, qui impedimenta scire, & denunciare poterunt, ut ex doctrina Bartoli *in l. fin. in princ. ff. de rit. nupt.* dicentis, id fieri clam, quod omissis jure requisitis, in actu efficitur, tradunt Pont. *d. lib.* 5. *cap.* 37. *n.* 6. ac Sanchez *d. disput.* 1. *num.* 7. & 10. ubi adducit rationes, ac Doctores contra Innocent. *in d. c. fin. n.* 2. Covar. *desponsat. cap.* 6. *n.* 10. & alios.

Major difficultas est, an si matrimonium secundùm 21
primam clandestinitatis speciem supra deductam, scilicet absque præsentia Parochi, vel cùm minori, quàm debito testium numero, & ideò invalidè celebretur, locum habeat pœna *d. cap. fin.* vel illa sublata sit a S. Concilio Trident. *loc. cit.* ubi decretum est Parochum, vel alium Sacerdotem, qui cum minori testium numero, & testes, qui sine Parocho, vel Sacerdote hujusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes graviter arbitrio Ordinarii puniri debere Sanchez *d. disp.* 48. *num.* 3. & *seq.* opinioni affirmativæ adhæret, quam veriorem appellat, scilicet quod solùm habeat locum in hoc casu pœna Sacri Concilii Tridentini arbitraria ab Ordinario irroganda, per quam abrogata est pœna *d. §. fin.* Sed Bossius *d. cap.* 6. *§.* 22. *num.* 78. mordicus tuetur negativam opinionem, dicens hoc casu injugendam esse Parocho nedum pœnam *d. §. fin.* sed arbitrariam ab ipso Sac. Concil. Trident. *d. c.* 1. statutam & præter Doctores pro hac sententia a Sanchez adductos *d. n.* 3. pro se affert Barbos. Ugolin. Cevallos, & alios, itaut & numero Doctorum, & rationum pondere magis communis existimari videatur. Et ita contrahentibus, ut supradictum est, pœnam arbitrariam tàm antiquo, quàm novo jure S. Concilii Trident. Episcopus, vel Vicarius imponere debet, quam graviorem arbitrabitur, si matrimonium deindè ausi fuerint consummare, Salzed. Ugol. Sanchez, Cevallus, & alii, quos sequitur Bossius *d. cap.* 6. *num.* 69. ubi quoque tradit graviter peccare ipsum Episcopum, vel ejus Vicarium, qui cautam cognoscunt, si illos non punient, quia S. Concilium id præcipit.

CONSULTATIO CXLVIII.

An possint Sacræ Eminentissimorum Cardinalium Congregationes commovere, sive commutare fundationes Collegiorum, aliorumque rerum ad pias causas?

REspondeo non possunt, neque debent, quia hæc 1
materia est ex reservatis Summo Pontifici, ut cavetur in *Clem.* 2. *de relig. dom.* in qua ita habetur: *Ea, quæ ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium, salva Sedis Apostolicæ authoritate, converti*, ubi Glossa inquit, nota per hanc literam solum Papam commutare posse usum illorum, quæ per fideles donata sunt, vel relicta. Unde ultimam voluntatem testatorum esse omninò in specie servandam, stabilitur etiam in jure civili, *ut in l. in his, ff. de cond. & demonstr. In his, quæ extra testamentum incurrunt, possunt res ex bono, & æquo interpretationem capere, ea verò, quæ ex ipso testamento oriuntur, necesse est secundùm scripti juris rationem expediri*, hoc est, secundùm scripturam testamenti, ut explicat Sarmiento *lib.* 1. *select. c.* 8. *num.* 22. Vide Brissonium *lib.* 6. *de formul.*

Et ita, ut ne Legati quidem de latere id possint fa- 2
cere, nisi hoc habeant expresè in facultatibus. Quia hoc fieri nequit, nisi ex plenitudine potestatis, quam Legatus non habet, ut tradunt *in d. Clem.* 2. Lapus *num.* 2. & 3. Anchar. *num.* 4. Imol. *num.* 9. Zabarel. *num.* 11. Vitalin. *num.* 113. Rip. *de pest. tit. de remed. ad cur. pest. num.* 35. ac Rot. in Hispalen. commutationis voluntatis 19. Decembris 1631. coram Cardinali Ubaldo. Immò neque totum Collegium Cardinalium commutare potest ultimas voluntates, ut fusè comprobat Monet. *de com. ult. vol. cap.* 15. *n.* 186. & *seq.* Quia cùm quisque voluntatis suæ justam sententiam habeat de eo, quod post mortem fieri velit, non debet ejus suprema voluntas postea subverti, nam tolleretur quod est omnibus concessum, quod fieri non potest, nisi ab eo, qui habet potesta-

teſtatem ſupra legem, alioquin eſſet contrectatio rei alienæ, invito domino, quod eſſet ſpecies quædam furti. Unde *in l. legatum, ff. de adminiſtr. rer.* habetur: *Legatam municipio pecuniam in aliam rem, quam defunctus voluit, convertere citra Principis authoritatem non licet.*

3 Eſtque tàm certa hæc propoſitio, ut inferiores ne poſſint hoc quidem commutare in melius. Quia voluntas fundatoris habet vim legis ſcriptæ, a qua ſolus Princeps ſupremus recedere poteſt, ut benè advertit ibidem Lapus *num.* 1. dicens, ita judicatum fuiſſe contra dominum ſuum, quem aliqui Juriſperiti contrarium conſulerant, & ſequuntur eo in loco, Imola *poſt med.* Zabarel. *v.* 11. Vitalin. *num.* 100. Abb. *in cap. Tua nobis n.* 4. *de teſtam.* Garz. *de benef. part.* 7. *cap.* 1. *num.* 109. *& ſeqq.* ubi & alii.

4 Quinimmò, licèt Summus Pontifex commutare poſſit legatum in aliud opus pium, non tamen poteſt ſine juſta cauſa. Ita ii, qui hoc ipſum univerſaliter tradunt de commutatione ultimarum voluntatum quoad ſupremum Principem, nempè Dec. *conſ.* 357. *num.* 5. Socin. jun. *conſ.* 65. *num.* 3. *vol.* 2. *& in l. Gallus, §. etſi tantum num.* 146. *ff. de lib. & poſth.* alios adducens ac teſtans de communi. Cæphal. *conſ.* 111. *num.* 38. Pinel. *in rubr. de reſcind. vend. p.* 1. *cap.* 2. *num.* 19. Spin. *in ſpec. teſtam. p.* 1. *gloſ. rubr. num.* 16. Bero. *conſ.* 49. *n.* 4. *vol.* 2. & proſequuntur Archid. *in c. Epiſcopus d.* 88. Martin. Lauden. *de privil. §.* 22. Cravet. *conſ.* 296. *lib.* 2. Bald. *in l. ſi teſtamentum in fin. Cod. de teſtam.* Covar. *lib.* 3. *var. cap.* 6. *num.* 7. alios citans, Molin. *de primog. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 31. *& lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 10. alter Molin. *de juſtit. & jur. diſp.* 174. *concl.* 4. 5. *&* 7. Peregrin. *de fideicom. ar.* 52. *num.* 125. *&* 127. ac ſubè Monet. *de com. ult. vol. c.* 6. *concl.* 2. *num.* 29. Qui volunt commutationem ſine cauſa eſſe invalidam. Idem etiam tradunt, quamvis ſubdant, eſſe præſumendam juſtam cauſam in Principe commutante, Jo: Andr. *in cap. in noſtra de injur.* Alciat. cum Aretino, Jaſone, & Alexandro *in d. l. Gallus num.* 132.

5 Quia nequit Summus Pontifex, aut Princeps privare aliquem ſine cauſa jure quæſito. Nam privatio juris ſine cauſa eſt injuſtitia, quæ non eſt intra terminos cujuſcunque poteſtatis, conſideratæ etiam ſecundùm plenitudinem. Et ideò, quod jus quæſitum tolli non poſſit, habetur *l. dominus, ff. de his, qui ſunt ſui, vel al. jur. & l. fin. ff. de pact.* & notant Angel. *conſ.* 209. *num.* 1. Menoch. *conſ.* 207. *num.* 15. Bald. *in l. ſi conſtante in fin. C. de donat. ante nupt.* Cyriac. *controv.* 90. *num.* 43. Rot. *deciſ.* 1635. *n.* 3. coram Pegna, *& dec.* 15. *n.* 23. coram Em. Otthobono. Suppoſita autem facultate teſtandi, teſtator habet jus quæſitum ad ſuſtinendam ſuam voluntatem in ſua præcipua forma. Per commutationem autem privatur hoc jure, quia non adimpletur amplius ejus voluntas in ſua forma præcipua, & privatur effectu illius facultatis, quam habet liberè diſponendi de rebus ſuis in ultima voluntate. Quæ injuria tranſit et iam ad eos, qui ſuſtinent perſonam hæredis.

6 Quare non poſſunt Sacræ Congregationes aliquid facere, quod ſit contra jus commune, atque adeò contra mentem teſtatorum, ut in terminis quando alicui datur facultas ampliſſima reformandi, dixerunt Butr. *conſ.* 66. *numer.* 3. Anchar. *conſ.* 367. *ad med.* Rota coram Coccin. *deciſ.* 197. *num.* 12. *& 13. & deciſ.* 238. *numer.* 10. etiam circa qualitates, quas Papa non ſolet commutare, Rot. *deciſ.* 1. *numer.* 2. *in nov. & dec.* 41. *num.* 2. *tit. de conceſ. præb. in antiqu.* Anchar. *conſ.* 20. *numer.* 2. *poſt med. & ſeq.* Ferret. *conſil.* 190. *numer.* 6. Seraph. *deciſ.* 871. *numer.* 6. & Garz. *dict. part.* 7. *cap.* 1. *numer.* 122. Ita quòd non poſſint fieri ſtatuta nova in præjudicium admittendorum ad Collegium, ut tradunt Corn. *conſ.* 126. *numer.* 2. *lib.* 3. Boſſ. *in prat. titul. de union. numer.* 5. & latè Valenzuel. *conſ.* 87. *numer.* 78. *lib.* 1.

7 Neque obſtat, quòd juripatronatus Eccleſiaſtico facilè derogatur. Quia id facere poteſt ſolus Pontifex, non autem inferiores, qui non poſſunt perturbare ea, quæ ſemel diſpoſita fuerunt ad piam cauſam ex ſuperiùs adductis. Immò requiritur expreſſa derogatio Pontificis, cùm tacita non ſufficiat. Quia licèt in Eccleſiaſticis poſſit derogare, etiam implicitè, per ſimplicem collationem, ſecus tamen eſt quoad qualitates in fundatione requiſitas. In iis enim, quæ non concernunt præſentationem, requiritur ſpecialis derogatio, etiam in Eccleſiaſtico, Anchar. *conſ.* 20. *num.* 3. Lambert. *de jurepatr. lib.* 2. *part.* 3. *quæſt.* 9. *art.* 10. *num.* 4. Felin. *in tr. quando literæ Apoſtolicæ noceant patronis num.* 7. *ad fin.* Garz. *de benef. p.* 7. *cap.* 1. *num.* 120. *& ſeqq.*

8 Tolliturque omnis dubitatio, ſi Collegium fundatum fuerit ex bonis merè patrimonialibus, & ideò dicitur laicale, Gloſſ. *in Clem.* 2. *v. præſentare, de jurepatr.* Abb. *in cap. Eam te num.* 4. *eodem tit.* Felin. *d. tr. num.* 5. Pariſ. *de reſign. lib.* 2. *quæſt.* 4. *num.* 41. Garz. *part.* 5. *c.* 1. *num.* 392. Rota in Aſtoricen. Capellaniæ 7. Febr. 1611. coram Innocentio X. & in Durtuſen. beneficii 27. Aprilis 1626. coram Merlino. Diciturque laicale, etiamſi Epiſcopus acquirat de bonis Eccleſiæ, quando tamen a Papa habuit facultatem teſtandi de illis, Garz. *dict. cap.* 1. *num.* 594. *& ſeqq.* Rota in Vicen. Capellæ 2. Maji 1636. coram Cardinali Macchiavello.

Adeòque, ut neque obſtet, ſi fundator dederit facul- 10
tatem ſtatuendi. Quia debet reſtringi ad eos, quos ipſe nominavit, & ideò non debet ab aliis uſurpari. Nam limites facultatis ſtatuendi ampliari, & extendi non poſſunt, ut dixerunt Bart. *conſ.* 172. *num.* 4. *lib.* 1. Dec. *conſ.* 174. *num.* 3. & a nemine prætendi poteſt contra diſpoſitionem ipſius fundationis, ut in ſpecie firmant Butr. *d. conſ.* 66. *num.* 3. & Salicet. *ibid. conſ. ſeq. nu.* 2. Dec. *conſ.* 598. *num.* 11. *&* 12. Qui omnes loquuntur in terminis facultatis ſpeciatim datæ ad ſtatuendum. Cùmque ſtatuta ſint facta a nominatis, nequeunt fieri denuò, cùm prima vice expiraverit facultas data a fundatore, ut ad rem tradunt Roman. *conſ.* 116. *num.* 2. & Alex. *conſ.* 119. *num.* 30. *ac ſeq. lib.* 6.

Præcipuè verò ſi teſtator mandaverit, ut aliter fieri 11
non poſſit. Hæc enim clauſula nequit eſſe magis efficax, cùm removeat conſenſum ab actu extra caſum expreſſum Verall. *dec.* 82. *num.* 4. *part.* 3. Oſaſch. *dec.* 165. *num.* 13. Rot. *dec.* 115. *num.* 6. *part.* 1. *& dec.* 747. *num.* 1. *ad fin. part.* 2. *rec.* habeatque naturam præciſam adeò, quòd non admittat aliquam interpretationem, a verbis ſeparatam, Alex. *conſ.* 3. *num.* 4. *lib.* 1. Dec. *conſ.* 91. *num.* 2. Cravet. *conſ.* 201. *num.* 43. Jaſ. *conſ.* 86. *ad fin. lib.* 3. Natt. *conſ.* 372. *num.* 5. Rot. *in rec. deciſ.* 619. *n.* 2. *part.* 1. paſſimque alibi, & operetur claram inhibitionem fundatoris, ac impediat commutationem in aliud opus pium, ut in ſpecie admonet Capr. *conſ.* 121. *num.* 2. *&* 3. ubi quòd potiùs relictum fit caducum, & tranſit ad hæredes diſponentis. Quod ſequitur Seraph. *de privil. juram.* 98. *num.* 7.

Ac ſi obſtent quoque plures confirmationes a Ponti- 12
ficibus emanatæ ex certa ſcientia. Difficiliùs enim derogari debet diſpoſitioni, quæ ſæpiùs confirmata fuit, Dec. *conſ.* 165. *num.* 3. Brun. *conſ.* 12. *num.* 38. & in terminis commutationis ultimæ voluntatis ſcitè Cravet. *d. conſ.* 294. *col. penult.* Quia ex diſpoſitione Sac. Concilii Tridentini *ſeſſ.* 22. *cap.* 6. *de ref.* commutationes ultimarum voluntatum nonniſi ex juxta, & neceſſaria cauſa fieri debent, & ideò, quod non ſoleant concedi a Sede Apoſtolica, niſi quando aliter impleri non poſſunt, Rot. d. Hiſpalen. commutationis coram Ubaldo.

Atque ſi fundator imploraverit, judicium Dei adver- 13
ſus impedientes ſuos honeſtos affectus, effectuſque ſuæ ordinationis. Quæ obteſtatio narranda eſt Summo Pontifici, alioquin gratia eſt ſubreptitia, ut in ſpecie tradit Gemin. *conſ.* 63. *num.* 4. ubi ait, neceſſarium eſſe narrare Papæ prohibitionem teſtatoris de bonis in alium uſum non convertendis. Quia fieri debet mentio omnium notabilium clauſularum.

Et inſuper ſi fundator alios ſubſtituerit, ut firmat Ri- 14
minald. *conſ.* 116. *num.* 27. ubi dicit gratiam fuiſſe ſubreptitiam, quia non fuerit Principi narrata ſubſtitutio alterius familiæ, facta eo caſu, quæ obtineretur commutatio a Principe.

Accedat quòd commutationes voluntatum defuncto- 15
rum malè audiuntur, quia ſunt contrariæ non ſolùm juri poſitivo, ſed etiam æquitati naturali, ideòque horrori, & abominationi habentur ex cumulatis a Cravet. *conſ.* 296. *num.* 2. Et quidem res iſta difficillima eſt, nam niſi commutationes ex juſta, & neceſſaria cauſa fiant, non ſunt tuti in conſcientia illas facientes, conſulentes, procurantes, ut rectè monuit Molin. *de primogenit. lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 10.

CONSULTATIO CXLIX.

Appellatio ab irrationabili judicio Epiſcopi in concurſibus Parochialibus quo pacto interponi debeat? Ubi ad rem plura, præcipuè verò de juriſdictione Sacr. Congregationis Concilii ſuper tribunali Sacr. Rotæ Romanæ?

INterponi debet intra decem dies ad *cap. concertatio-* 1
ni 8. *de appel. in* 6. ibique Doctores communiter, ſatiſque eſt, quòd cauſa committatur intra annum ubi appellatio denegata non fuit per *cap. cùm ſit*, ibi: *hujuſmodi appellationibus annus indulgetur, eod. tit.* Scacc. *de appell. qu.* 54. *num.* 1. Licèt, quando cauſa cognoſcitur in

Sac.

Sac. Congregatione Concilii, non ſit opus commiſſione formali, ſed ſufficiat ipſemet recurſus intra decem dies, vel reſcriptum Pontificis, præſertim emanatum ad inſtantiam partis prætendentis, cauſam non ſpectare ad illam, ſed ad Rotam juxta textum *in cap. ſive de offic. & poteſt. Jud. deleg.* ibique Gloſſ. *v. priorum literarum.* Quamvis revera juriſdictio Sacræ Congregationis non deſit, etiam abſque reſcripto, dum agitur de materia conciliari, & in qua pluries providit, ordinando novum examen, ac etiam determinando collationem fieri provocanti, ut ex a nobis *in primo tomo* deductis.

2 Idque præcipuè ſi in eadem S. Congregatione fuerit ſuper hac certatione juriſdictionis diſputatum, eaque firmata remanſerit cum decreto.

3 Quod autem S. Congregatio habeat authoritatem determinandi, cauſam ad ſe ſpectare habetur expreſsè ad Conſtit. 64. Sixti V. in primis declarationibus §. 1. ubi ad evitandam confuſionem judiciorum determinatur, quod unaquæque Congregatio, quando aliqua cauſa ad eam delata fuerit, diligenter perpendat, an ad ipſam propriæ ejus cauſæ cognitio, & expeditio pertineat, nec eſſe incongruum, quòd idem Judex debeat declarare, an ad ſe ſpectet juriſdictio, docet Abb. *in cap. ex parte num. 3. de reſcript.* & patet exemplis, quæ ultimò recenſebo.

4 Unde non repugnant ultimæ declarationes poſt Conſtitutionem Sixti V. §. 2. Quia ſupponunt cauſam inchoatam fuiſſe coram alio Judice, & partem coram S. Congregatione conventum renuere in illam conſentire, vel per eam introductam fuiſſe cauſam in tribunali Rotæ, non autem per commiſſionem jactationis jactationum contra tertium, quæ non afficit ex traditis a Marcheſ. *tom. 3. pag. 339.* qui advertit, ideò delendam eſſe in commiſſione clauſulam illam, omneſque alios in exequutione præſentium nominandos, & cognominandos, cùm remedium legis *diffamari* non detur contra incertos.

5 Minuſque locus eſſe poteſt commiſſioni ad Rotam ex eo, quòd oporteat confici proceſſum, quia confici non ſolet in S. Congregatione. Siquidem omnia requiſita, quæ debent attendi ad determinandam majorem idoneitatem in Parochialibus juxta decreta S. Concilii, nimirum ætas, doctrina, mores, ac prudentia, optimè probari poſſunt abſque ullo proceſſu, ex quibus planè oritur certiſſima probatio idoneitatis, quæ in electione ad Parochiales ſolet expoſci, ut fuit dictum in Ripana Parochialis 27. Junii 1608. coram Innocentio X. & in Calaguritana beneficii 4. Julii 1646. §. *has verò* coram Veroſpio, & in alia 27. Maji 1648. coram Ghislerio. Quare non eſt neceſſarius in hiſce materiis judicialis proceſſus, ſed ſufficere informationem extrajudicialem, dixit Rota in pluribus deciſionibus, & ſignatè in Albiganen. concurſus coram Cavalerio *deciſ.* 302. *num.* 5. De doctrina verò, an ſit ſufficiens, & an ſuperet illam adverſarii, certiſſimum judicium fieri poterit ex novo examine, quod propterea ullo modo evitari nequit ex eo, quòd dum omnes fuerunt in primo examine approbati, ſuperfluum ſit ei ſe iterùm ſubjicere. Nam hic eſt caſus, cui præcisè providit Conſtitutio B. Pii V. dum §. 7. dat facultatem appellandi ab irrationabili judicio Epiſcopi, & provocandi præelectum ad novum examen coram ipſo appellationis Judice. Unde neceſſariò Conſtitutio ſupponit appellantem fuiſſe ab examinatoribus declaratum idoneum, cùm aliàs nullum proponi poſſet gravamen reſpectu Epiſcopi, qui non poteſt eligere, niſi unum ex approbatis, & ex illis magis idoneum juxta decretum Sacr. Concilii Tridentini *ſeſſ.* 24 *cap.* 18. *de reformat. §. peracto inde examine*, & appellationem vigore dictæ Conſtitutionis Pianæ dari a mala electione Epiſcopi, quod nempè inter plures approbatos judicaverit digniorem illum, qui talis non erat, firmat Gratian. *deciſ. Maeh.* 97. *num.* 22. & Rota in Majoricen. Parochialis 13. Junii 1646. & 28. Junii 1647. coram Cardinali Celſo.

6 Præterea gravamen examinatorum eſſe poteſt tàm ſi reprobent idoneum, quàm ſi non idoneum approbent ad præjudicium idonei oppoſitoris, de quo non poteſt conſtare, niſi per novum examen, ut ex Rota in Calaguritana beneficii de Lumbreras 17. Decembris 1646. coram Peuntingero, & paſſim in aliis, in quibus deducitur gravamen ex eo, quòd non idoneus fuerit approbatus, vel quòd idoneus tantùm ad ſimplicia beneficia fuerit approbatus etiam ad curam.

7 Et quidem non ex uno, vel altero experimento deſumi poteſt argumentum ſcientiæ, per textum *in proœm. inſtit. §. Cùm hoc*, ibi: *Solertiam, & rerum ſcientiam ex multis rerum argumentis accepimus.* Ex quo texu notat Faber *num.* 3. quòd ex uno, vel altero actu non dignoſcitur num quis ſit bonus, vel malus, & Aldobrand. *num.* 16. ait, non poſſe quempiam ex unico actu doctum judicari. Sic athletæ tunc approbati dicuntur, quando tres in arena victorias obtinuerint *in l.* 1. *Cod. athlet. lib.* 10. ex qua lege notat Bartol. *num.* 2. tertiò in paleſtra literaria eſſe ſubeundum examen. Unde Angelus, & Joannes de Platea ortam conſuetudinem referunt, ut quis tertiò examinetur. Ad quod pertinet textus *in l. omnes, §. quidam autem* cum Gloſſa *v. fortuita, C. de præſcript. 30. vel* 40. *an.* & hoc ipſum in terminis proviſionis in forma dignum obſervavit Rota in Nepeſina Canonicatus 9. Decembris 1624. coram Merlino, & Ricc. *in pr. reſol.* 106. *num.* 10. *& ſeqq. art.* 4.

Minus obſtant, ſi provocans aliam Parochialem renunciaverit. Quia non idcircò minus dignus, ac idoneus dicitur, quinimmò eſt habilis, & dignus non ſolùm ad alia beneficia, ſed etiam ad illud ipſum, quod renunciavit, ſi denuò vacaverit, obtinendum, juxta Gloſs. *fin. in cap. ſuſceptum de reſcript.* Pariſ. *de reſign. lib.* 1. *q.* 5. *num.* 5. 8

Exempla, quorum memini, ſunt iſta. Urbinaten. Parochialis R. P. D. Veroſpio Lunæ 12. Februarii 1629. In concurſu Parochialis Caſtri Talachii, Urbinaten. diœceſis ſervatis edictis aliiſque ſolemnitatibus, quæ ex præſcripto Sacr. Concilii Tridentini requiruntur in vacatione Parochialium Eccleſiarum, fuerunt præ cæteris approbati Hieronymus Gallus, Canoniçus Urbinatenſis, & Paulus Antonius Pagnonus, ſed cùm Archiepiſcopus Pagnonum Gallo prætuliſſet, & cauſa per appellationem ad me devoluta fuerit, propoſui hodie dubium, an conſtaret de irrationabili judicio ejuſdem Archiepiſcopi, quod Domini negativè reſolverunt. 9

Licèt enim in Curatis non ſatisfiat, diſpoſitioni Sacr. Concilii Tridentini per electionem digni, omiſſo digniore, cum ex pluribus, quos examinatores ſynodales approbaverint, non detur Ordinario facultas eligendi, quem velit, ſed quem magis idoneum judicaverit, ſicut pluries advertit Rota in Beneventano parochialis 13. Junii 1590. coram Gypſio, ac in aliis, negari tamen non poteſt, quin ſuper electi habilitate tàm Concilium, quàm Conſtitutio Pii plurimum deferant ipſius Ordinarii judicio, cùm præ cæteris omnibus electi qualitatibus ſpectandam eſſe præcipiant ipſius Eccleſiæ utilitatem, & majorem habilitatem electi non ex una magis, quàm ex alia qualitate dijudicandam velint, ſed eum haberi digniorem, qui inſpecta ætate, doctrina, prudentia, moribus, aliiſque, vacantis Eccleſiæ adminiſtrationi aptior viſus fuit, id, quod ſoli Epiſcopo notum eſſe poteſt, qui de ſui Cleri diœceſani qualitatibus præſumitur informatus, *cap. in præſentia, de renunc. c. paſtoralis in fin. de cauſ. poſ. & propr. c. ſicut de ſentent. & re jud.* Lambert. *de jurep. lib.* 2. *p.* 1. *qu.* 7. *art.* 24. *num.* 5. & dixit Rota in Ravennaten. Parochialis 2. Novembris 1592. coram Arrigonio. 10

Die 17. Februarii 1629. Sacra Congregatio Em. Card. S. Concilii Trident. Interpretum in Urbinaten. commiſit Illuſtriſſimo D. Urbis Vicario, qui faciat proceſſum ſuper moribus, & qualitatibus Hieronymi Galli, ad novum examen admiſſi, & poſtea eundem in proceſſum in eadem Congregatione referat pro habenda opportuna reſolutione ſuper adjucatione Eccleſiæ Parochialis Talachii, & interim notificet Rotæ in hac cauſa nihil innovari. 11

Romana penſionis R. P. D. Veroſpio Mercurii 17. Martii 1638. In hac cauſa, &c. Non enim viſum fuit, probatum eſſe eum valorem ſive ex teſtibus, ſive ex libro Eccleſiæ, qui eſſet contrarius confeſſioni factæ a Rectore in reſervatione ejuſdem penſionis. Et primò, teſtes referebant in ſuis depoſitionibus fructus, ac redditus, quos Eccleſia percipiebat ex diverſis domibus, vel ſub nomine penſionum, vel ſub nomine Canonum, & poſtquam declaraverant quantitatem eorum fructuum, ſe referebant ad aliam expreſſionem magis veram, aut certam, quæ coninebatur in libro Eccleſiæ, a quo voluerunt augeri, aut minui ſuam depoſitionem. Unde illi non poterant facere majorem probationem, ſive diverſam ab ea, quæ continebatur in eodem libro ex notatis *in l. aſſe toto, de hæred. inſtit.* & pluribus probat Dec. *conſ.* 63. *num.* 6. Bald. *conſ.* 276. *n.* 16. *lib.* 1. Ipſe verò liber non erat contrarius confeſſioni Rectoris, quia, facta dinumeratione omnium reddituum, apparebat illos aſcendere in eodem libro ad ſum. ſcut. 298. cum 93. bononenis. Et licèt ab hac ſumma dicerentur detrahenda ſcuta 71. quæ dicebantur impendi ſolere pro oneribus Eccleſiæ, quorum haberi debebat ratio ad favorem Rectoris cum clauſula illa, *dummodò*, 12

modo, intelligenda eſſet, dummodò ei ſupereſſent centum liberè, detractis omnibus oneribus, ut reſolutum fuit in eadem deciſione Aretina coram Cardinali Millino, & in Oppiden. penſionis 2. Junii 1585. coram Cardinali Pamphilio, & in Conſentina penſionis 29. Maji 1596. coram Litta, & tradit Sarnen. *ad regul. de valor. q.* 12. *num.* 1. tamen, deducta etiam hac ſumma, in qua tanquam in minori concordis erat ſecundus teſtis cum primo, atque etiam altera ſcut. 145. monetæ, quæ erant valor ducatorum 100. auri de Camera debitorum Rectori pro ſua congrua portione, adhuc ſupererant ex eadem ſumma ſcutorum 298. contenta in libro Eccleſiæ ſcutor. 80. in quibus ſuſtineri poterat hæc penſio, quæ non excedebat ſummam ſcutorum 40.

13 Eminentiſſimi Domini. Decrevit S. Concilium Trid. *cap.* 13. *ſeſſ.* 24. *de ref.* quòd Parochiales Eccleſiæ non graventur penſionibus, niſi fructus excedant ducatos centum: Cùm autem fuerit reſervata annua penſio ſcutorum 40. monetæ juliorum decem ſuper redditibus Parochialis Eccleſiæ in Urbe exiſtentis, cujus fructuum valor aſſeritur aſcendere ad duc. 220. auri de Camera cum clauſula, *dummodò* remaneant centum ducati liberi Rectori pro tempore exiſtenti, ſupplicatur DD. VV. Illuſtriſs. quatenus dignentur declarare, an ducati centum in moneta juliorum decem pro ſcuto, vel in ducatis aureis de Camera ſint detrahendi ad favorem Rectorum?

14 Die 22. Septembris 1640. Sac. Congreg. Emin. Card. Concilii Trid. Interpretum cenſuit, verba ducatorum centum, de quibus *in cap.* 13. *ſeſſ.* 24. *de ref.* in Urbe eſſe debere de ſcutis centum monetæ Romanæ ad rationem juliorum decem pro ſcuto.

15 Vicen. juriſdictionis R. P. D. Merlino Lunæ 21. Junii 1638. Orta controverſia inter D. Epiſcopum Vicen. & Archipresbyterum ſuper juriſdictione, &c. Nec adverſatur concordia inita uſque ab anno 1262. inter tunc temporis exiſtentem Epiſcopum, ac Monaſterium, & Abbatem S. Joannis, cui ipſe Archipresbyter fuit ſubrogatus in literis ſæcularizationis fel. rec. Clementis VIII. Quidquid enim de tali juriſdictione fuerit concordatum, ac etiam fortaſſe obſervatum favore Abbatum Regularium pro tempore uſque ad diem ſæcularizationis, parvi refert, cùm idem Clemens VIII. in erectione Archipresbyteratus, & Canonicatuum ſubjecerit Eccleſiam, & Canonicos Ordinario, & ſub nomine Ordinarii, cujus ibidem fit mentio jamdiu Sacra Congregatio Emin. Patrum S. Concil. Trid. Interpretum determinavit, nullatenus eſſe intelligendum Archipresbyterum S. Joannis de Abbatiſſis, ſed dumtaxat Epiſcopum Vicen. ut in declaratione, munita etiam Brevi Apoſtolico ſub 18. Januarii 1624. quam declarationem S. Congregationis reverenter Domini ſuſceperunt, prout in aliis cauſis fuit hactenus ſemper obſervatum in Rota.

16 In cauſa Vicen. Juriſdictionis inter Epiſcopum Vicen. ex una, & Archipresbyterum Collegiatæ Eccleſiæ Sancti Joannis de Abbatiſſis ex altera: *Die* 15. *Martii* 1642. *Sacra Congregatio Emin. Card. Concil. Trid. Interp. iterum propoſito dubio, utraque parte informante, ac omnibus maturè perpenſis, unanimi Emin. Patrum voto cenſuit, ſtandum eſſe in reſolutis ab hac S. Congregatione die* 2. *Decembris* 1623. *& prima Decembris* 1640. *ſcilicet appellatione Ordinarii, de quo fit mentio in literis erectionis ſan. mem. Clementis VIII. nullatenus eſſe intelligendum de Archipresbytero Collegiatæ Eccleſiæ S. Joannis de Abbatiſſis, ſed tantùm de Epiſcopo Vicen. diœceſano, cique propterea Eccleſiam ipſam, illiuſque Dignitates Canonicatus, & beneficia pro tempore obtinentes, atque alios quoſcunque Clericos, & miniſtros, non eidem Archipresbytero ſed ipſius Epiſcopi Vicen. dumtaxat viſitationi, correctioni, & omnimodæ juriſdictioni ſubjectos eſſe.*

17 Mediolan. decimarum de Carlatio coram R. P. D. Martino Andrea 18. Martii 1616. in impreſſis ejuſdem *dec.* 59. quæ ſic incipit, *In cauſa*, quæ fuit propoſita ſub die 1. Februarii 1616. & in qua ſemel non explicatur *cap.* 4. *ſeſſ.* 22. *de reform.* & jam præceſſerat alia deciſio ſub 1. Februarii 1616. quæ citatur in ſupradicta deciſione 18. Martii 1616. Deinde adita fuit S. Congregatio, & vigore declarationis ejuſdem Congregationis revocatæ fuerunt priores deciſiones, ut ex *dec.* 497. *part.* 4. *recent.* cujus initium, Stante declaratione Sacr. Congregationis Concilii Interpretum ſuper *ſeſſ.* 22. *capit.* 4. *de reformat.* Quod dicens, & facilis viſa fuit reſolutio dubii, quòd ſit recedendum a deciſis ſub die 18. Martii 1616.

18 Calaguritana Juriſpatronatus de Viana, in qua præceſſerant ſeptem deciſiones Rotales, in quibus agebatur de intelligenda S. Concilii, ſcilicet coram Pegna 15. Maji 1609. coram Dunozetto 1. Julii 1615. coram Remboldo 9. Maji 1616. coram eodem 15. Novembris 1621. & tertiò coram eodem 2. Decembris 1624. & coram Coccino 18. Decembris 1626. & iterùm coram eodem 19. Aprilis 1626. & menſe Auguſti 1631. adita fuit S. Congregatio Concilii, & dilata reſponſio. Deinde propoſita denuò die 13. Septembris 1631. & reſponſum juxta deciſiones Rotales.

Meſſanen. Archipresbyteratus commiſſa R. P. D. Virili, tunc Rotæ auditori, & reſolutum, dandum eſſe mandatum de manutenendo, ut ex *dec.* 264. apud Paſt. *de manut.* deinde S. Congr. adita fuit, quæ declaravit, ut ſequitur. 19

Die 15. *Decembris* 1629. *S. Congreg. Concil. Trid. Interpretum ſecundùm ea, quæ proponuntur reſpondit, ſupradictum concurſum fuiſſe invalidum.* 20

Ferrarien. diſtributionum, facta deciſio in Rota ſub die 4. Julii 1636. coram Pirovano, & poſtea adita fuit S. Congregatio, quæ reſpondit his verbis. 21

Die 3. *Septembris* 1636. *Propoſita in Sac. Congregatione Concilii, &c. dictum fuit, deberi diſtributiones.* 22

Valentina diſtributionum 1597. commiſſa Hieronymo Pamphilio S. Rotæ Auditori, & coram eodem diſcuſſa, & poſtea anno 1626. Merlino ſubrogato, addita fuit S. Congregatio per memoriale porrectum Sanctiſſimo, quæ reſpondit in hunc modum. 23

Die 19. *Decembris* 1626. *Sac. Congreg. &c. cenſuit de jure communi non lucrari diſtributiones quotidianas, niſi pro illis horis, quibus legunt. An autem vigore privilegii, mandavit, illud exhiberi.* 24

Calciaten. juriſdictionis, in qua extant deciſiones coram Remboldo 21. Junii 1621. & 6. Junii 1672. & 28. Februarii 1623. & 10. Maji 1642. coram Coccino 8. Maji 1627. Attamen anno 1630. adita fuit S. Congregatio, & emanata reſolutio ſub die 17. Septembris ejuſdem anni, in qua cauſa ſcripſit etiam Gratian. *diſcept.* 892. *lib.* 5. 25

Nicen. Parochialis 13. Martii 1628. coram Durano *par.* 5. *rec. dec.* 154. 26

Mediolanen. diſtributionum ad Rotam commiſſa, & anno 1637. adita S. Congregatio. 27

Montis Regalis unionis, commiſſa ad Rotam R. P. D. Pamphilio, & a Franchino Paleotto parte una adita S. Congr. per memoriale datum Sanctiſſimo, & deinde ab Archipresbytero parte adverſa aliud memoriale eidem Sanctiſſimo porrectum, qui pariter reſcripſit ad S. Congregationem, prout de jure. 28

Romana Capellaniæ, quæ apud Marchef. *de commiſſ. part.* 1. *fol.* 140. in qua Rota poſt Sac. Congregationis declarationem cauſa repropoſita, ſuam deciſionem revocavit. 29

Maceraten. beneficii 16. Januarii 1640. coram Merlino, ubi Rota pluries audita contraria opinione S. Congregationis ſuis deciſionibus receſſit, & in eadem deciſione legitur, ibi: Attamen Domini cenſuerunt, &c. Et ſic recedendum eſſe a reſolutione ſub die prima Aprilis proximi præteriti, &c. Et quòd Dominos in hanc reſolutionem maximè impulit, illud fuit, quòd S. Congregatio Concilii hanc tenet ſententiam, cujus reſolutiones Rota ſemper reverenter excipit, & ſequitur. Sacra enim Congregatio pluries reſpondet, &c. Et infra. Et Rota licèt prius ſenſerit tali caſu eſſe Sacerdotale beneficium, tamen audita contraria ſententia S. Congregationis Concilii, receſſit a prima reſolutione. 30

Cochen. juriſdictionis 22. Maji 1592. coram Mantica *dec.* 580. *num.* 5. in qua habentur hæc verba. Cæterùm ſi Agentes pro Capitulo huic interpretationi ad dictum Concilii §. *Qui verò* noluit acquieſcere, Domini dixerunt pro declaratione poſſe adire Congregationem Illuſtriſs. & Reverendiſs. DD. Cardinalium Sac. Concilii Trid. Interpr. Et hæc Congregatio die 6. Julii 1592. ita declaravit, &c. 31

Litteren. Archipresbyteratus 6. *Julii* 1582. *coram Blanchetto relata* per Garz. *de benef. par.* 9. *cap.* 2. *num.* 87. in qua hæc verba leguntur. Quod verò ad tertium objectum, videlicet, quod examen fuerit factum extra terminum in edicto præfixum, Domini dixerunt, quod ſi in beneficiis de jurepatronatus, quando plures ſunt nominati, non requiritur examen per concurſum, defectus iſte non obſtat, quia per examen, & approbationem nullum infertur præjudicium. Si autem requiritur, Domini inclinabant pro nullitate. Quomodò autem Concilium hoc caſu veniat intelligendum, cùm Rota non poſſit illud interpretari ſine commiſſione ſpeciali, conſulant Illuſtriſſim. D. Gard. Caraffam. 32

Et hoc ſatis. Univerſa enim hic recenſere nihil attinet. Tot verò juriſdictiones S. Congregationis in hiſce materiis ſtabiliunt. 33

CONSULTATIO CL.

An Canonico, qui capitularem poſſeſſionem adeptus eſt, & poſtea, facto Capitulo, non fuit admiſſus ad reſidentiam, ſicque ratione impedimenti illati a Capitulo, non reſidet, debeantur fructus, & emolumenta, ac etiam diſtributiones quotidianæ, quas alii Canonici reſidentes lucrantur?

Et an Canonicus, qui ex qualitate infirmitatis non eſt prorſus inhabilis ad intereſſendum officiis divinis, habere debeat pro præſenti, ac percipere poſſit diſtributiones quotidianas, nec non alia emolumenta, etiam ratione anniverſariorum, & miſſarum inter præſentes diſtribuendarum?

1 AD 1. Affirmativè reſpondendum videtur, ut per Covar. qui alios allegat *var. reſol. lib. 3. cap. 13. num. 8. cum duobus ſeqq.* & per ea, quæ tradit Barboſ. *in collect. Doct. in Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 12. num. 101. cum pluribus ſeqq.* Et in durioribus terminis de eo, qui Capitularem poſſeſſionem non accepit, quia non fuit admiſſus a Capitulo, quod habeatur pro admiſſo, & gaudere debeat prærogativis, & emolumentis aliorum Canonicorum, pluries reſolvit Rota, ut per Add. ad Greg. *dec. 341. ſub lit. A.*

Ad 2. reſpondeo quoad anniverſaria, & miſſas negativè, quoad reliqua affirmativè, quatenus non poſſit aſſiſtere. Ita Sac. Congreg. Concilii in Gravinenſi 17. Julii 1649. *ad cap. 12. ſeſſ. 24. de ref.*

CONSULTATIO CLI.

Titius degens in Parochia Sancti Clementis ſuum condidit ultimum teſtamentum, in quo inter cætera ſic diſpoſuit: Voglio eſſer ſepolto nella Parocchia, dove mi trovcrò quando morirò. *Infirmatur, defertur ad Hoſpitale, poſitum intra fines Parochiæ Sancti Victoris in qua obiit. Quæritur in qua Parochia ſit ſepeliendus?*

1 VIdetur ſepeliendum eſſe in Parochia Sancti Victoris, quia in ea reperiebatur tempore ſuæ mortis. Etenim diſpoſitio teſtatoris non ſortitur effectum, niſi ſequuta morte, & proinde teſtator diſponens, non diſponit de tempore præſenti, ſed pro tempore mortis. Ac proindè quando contemplatur Eccleſiam, tanquam parochialem, contemplatur illam, quam habiturus eſt pro tempore mortis, in quo teſtamentum eſt habiturum ſuum effectum, ut deſumitur ex *l. quidam, ff. de vin. & trit. leg. & l. ſi ita, ff. de aur. & arg. leg.*

2 Quod etiam cofirmatur. Quoniam habilitas ſubjecti tunc eſt neceſſaria, quando actus ad eſſe perducitur. Quia cùm tunc debeat conjungi cum ſubjecto, requirit in ipſo qualitatem, qua diſponatur, & fiat ſubjectum proprium, cui debeatur actus, *leg. in delictis, §. ſi damnum, ff. de noxal. act. & leg. Humanitatis, Codice de impub.* ibique Bald. *num.* 18. traditque Alex. *in leg. ſi rem meam in fin. ff. de verb. obligat.* Menoch. *conſ. 106. num. 94.* Cæphal. *conſ. 590.* Rimin. jun. *conſ. 544. num. 225.* Olaſch. *conſ. 71. numer. 15.* Surd. *conſ. 90. numer. 18.* & Theſaur. *qæſt. forenſ. 34. num. 23. lib. 1.* Cùm igitur voluntas teſtatoris non facit ſortiri actum ſuæ diſpoſitionis, niſi ſequuta morte, tunc requiritur in ſubjecto illa habilitas, ſeu determinatio, quam requirit teſtator in ſua diſpoſitione, & ideò tunc Eccleſia debet eſſe Parochia teſtatoris, ut in ea habeat locum electio ſuæ ſepulturæ.

3 Accedit quòd dum teſtator poſt conditum teſtamentum mutavit Parochiam, etiamſi quando elegit ſepulturam in Parochia intendiſſet de Eccleſia, cui tempore conditi teſtamenti ſuberat, adhuc tamen ſepeliri debet in Eccleſia, in cujus Parochia mortuus eſt. Quia mutando Parochiam, cenſetur mutaſſe electionem ſepulturæ, & tranſtuliſſe illam ad ſecundam Parochiam, ſubrogando unam loco alterius juxta ſuam expreſſam voluntatem, quam habiturus tempore mortis, & cum qua eſt deceſsurus. Et proindè ſicut in illud tempus tranſfertur voluntas, & exequutio, ita etiam contemplatus eſt Parochiam, quæ erit talis, qualis nominatur a teſtatore pro illo eodem tempore.

4 At nihilominus cenſeo, ſepeliendum eſſe in Parochia, in qua habitabat antequam deferretur ad hoſpitale. Nam Parochia non amittitur dum quis diſcedit animo revertendi, Abb. *in cap. de his, de ſepult.* Gratian. *diſſ. 76. num.* 18. Mareſcot. *lib. 2. var. cap. 95. num. 2.* cum aliis, ac Rot. in Romana Jurium Funeralium 4. Julii 1653. coram Zarate. Et ideò ſi contingat mori in hoſpitali, ad quos transfertur, ut commodius curari poſſit, debeat in propria Parochia, quam adhuc retinet, ſepeliri; quin cum infirmus in hoſpitali non deſerat Parochiam, ſed propter ſuam voluntatem extra ipſam maneat, adhuc erit illius Parochiæ. Quod deſumitur *ex cap. Is, qui de ſepult. in 6.*

Confirmatur ex conjecturis. Præcipuè verò ex largitione legati pro miſſis. In hoc enim caſu adeſt veriſimilis mens teſtatoris, quod de hac Eccleſia intellexerit. Tum quia conſtat, quod de ea cogitavit, dum ipſi legatum reliquit. Tum quia ex legato relicto detegitur erga ipſam ſpecialis affectio, quæ præbet efficacem conjecturam, quod in ipſa voluerit ſepeliri ad tradita per Socin. ſen. *conſ. 23. num. 21. vol. 1.* & Mantic. *de conject. lib. 6. tit. 10. num. 13.* Tum quia ita habet conſuetudo, ut legata miſſarum relinquantur Eccleſiis, in quibus ſepeliuntur defuncti, & proindè dubia voluntas teſtatoris comprobanda eſt ex conſuetudine, *l. ſi ſervus, §. ult. ff. de legat. 1.* Mantic. *loc. cit.* 5

Caſu autem, quo Parochia habitationis dubitaret de ſuo jure, illique cederet, tunc ſepeliri debet in Hoſpitali, cui etiam debetur legatum pro miſſis. Quia jus ſepulturæ eſt conſequutivum ad jus adminiſtrandi Sacramenta, quando non eligitur ſepultura, aut aliàs non eſt de jure determinata, aut dubitatur de electione, ut tradunt Archid. *in cap. 1. num. 3. de ſepult. in 6.* Abb. *in c. 1. num. 4. eod. tit.* Butr. *num. 9.* Rota coram Mantic. *deciſ. 366. num. 4.* & in dict. Romana jurium funeralium coram Zarate. Hæc enim duo jura ſunt invicem connexa, tanquam ordinata ad ea, quæ debentur defuncto ex officio paſtorali. Conſtat enim, quod jus miniſtrandi Sacramenta infirmis in hoſpitali pertinet ex privilegio ad ipſum. Unde etiam ad ipſum ſpectabit in tali caſu jus ſepulturæ. Item & legati, quia cùm hujuſmodi legata cedere ſoleant in commodum Eccleſiæ, æquitas vult, quod hoc commodum perveniat ad Eccleſiam, quæ ſuſtinet onus ſepulturæ, *l. ſi is, qui in poteſtate, §. fin. ff. de leg. præſt.* 6

Unde non obſtant, quæ ſupra dicebamus: Quia procederent quando cum translatione ab hoſpitale cauſa ſe curandi conjungeretur dimiſſio domus ſolitæ habitationis. Nam quandiu retinetur domus, præſumitur animus redeundi, & eſt ſignum ſufficiens retenti domicilii, atque adeò etiam Parochiæ, ut notant Gloſ. *in l. 2. verſ. Conſtiterit, C. de incol. lib. 10.* Bero. *conſ. 11. num. 9. lib. 3.* Menoch. *conſ. 329. num. 36.* & Rot. *deciſ. 473. num. 3. par. 4. rec.* 7

CONSULTATIO CLII.

An Granciæ, ſive membra Conventuum Regularium poſt Conſtitutionem Innocentii Decimi ſint amplius regulares, ideoque poſſint gaudere privilegiis Eccleſiarum Regularium, & præcipuè aſſervare Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, illudque fidelibus adminiſtrare, aliave facere, quæ ad Parochum in ſua Eccleſia ſpectant?

ET affirmativè reſolvendum puto, nam ſunt membra Conventuum, & ideò non fuerunt per ſuppreſſionem ſæcularizata, & Regularium privilegiis privata. Quoniam, ut conſtat ex dict. Conſtitutione Innocentii, incip. *Inſtaurandæ* data Idibus Octobris 1652. de quibus poſtea & ex literis Sac. Congregationis ſuper ſtatu Regularium, quæ illam explicant, ſolùm interdicitur Regularibus Clericis, ne in Granciis pernoctent, & habitent. Cæterum Conventus hujuſmodi parvi cum ſuis Eccleſiis non ſunt ablati a proprietate, dominio, & adminiſtratione Conventuum principalium, quorum ſunt membra, quin etiam permittuntur ibi manere Religioſi, non Clerici, eiſdemque Regularium Superioribus committitur, earumdem Eccleſiarum adminiſtratio, & cura, atque injungitur, ut per Sacerdotes ſæculares, vel Regulares miſſę celebrentur de more, ſaltem diebus feſtis. Et amplius ubi Eccleſiæ ſint parochiales jus, & cura animarum Superioribus Regularibus reſervatur, licèt adminiſtranda per Sacerdotes ſæculares ab ipſis Superioribus eligendos, & ab Epiſcopo approbandos. Hiſque duobus exceptis, omnia jura hujuſmodi Eccleſiarum præſervantur Conventibus principalibus, quorum illæ ſunt membra. 1

Verba autem literarum hæc ſunt: *Nella Bolla di Noſtro Signore nuovamente pubblicata ſopra l' eſtinzione, e ſuppreſſione de' piccioli Conventi, ſono anche compreſi i membri de' Monaſterj, e le Grancie, dove per lo poco numero de' Religioſi non può ſecondo il ſuo inſtituto oſſervarſi la diſciplina regolare, ancorchè abbiano anneſſa la cura dell' anime, o ſiano parocchiali. E però il P. Generale, e i Provinciali, e i Superiori de' Conventi dovranno fra il termine* 2

pre-

preſcritto nella detta Bolla rimovere i Religioſi non ſolo da' membri, grancie, e parocchiali eſpreſſe di ſopra, ma ancora da ogni altra non eſpreſſa, che in coteſta Religione ſi trovi, e colloccarli in famiglia ne' Monaſterj d' oſſervanza, e non permettere, che in quelle abiti per l' avvenire alcun Sacerdote, o Chierico profeſſo ſotto le pene contenute nell' iſteſſa Bolla. Permettendo la Santità Sua, che i Superiori Regolari, quando non abbiano perſone ſecolari idonee, e fedeli di loro ſoddisfazione, delle quali poſſano ſervirſi per la cura, ed amminiſtrazione di quei beni, liberamente poſſano in ciò valerſi dell' opera de' loro Converſi, o Laici profeſſi in fino ad altro ordine di ſua Beatitudine, e con queſto che abbino particolar avvertenza di deputarvi perſone di buon' eſempio, invigilando, che pe 'l tempo ivi dimoreranno, vivino religioſamente, ne diano altrui occaſione di ſcandalo, ſopra di che s' incarica ſtrettamente la coſcienza de' medeſimi Superiori, i quali dovranno anche aver cura, che nelle Chieſe, o Capelle di detti membri, e Granete, dove fin' ora è ſtato ſolito di celebrarſi la Meſſa, vi ſi celebri anche per l'avvenire almeno le Domenice, e feſte di precetto da' Sacerdoti ſecolari, ed anche da' Regolari, purchè non pernottino fuori de' Monaſterj. Parimente nelle Grancie, e membri, che in qualunque modo hanno anneſſa la cura dell' anime, o ſiino Parocchiali, non vuole la Santità Sua, che detta cura ſi eſerciti da' Regolari, ma che ivi da' Veſcovi dieceſani, a' quali in conformità ſe ne dà l' ordine, ſi deputino Sacerdoti ſecolari idonei in Vicarj amovibili, ò perpetui, come parerà loro più eſpediente per il buon governo delle Chieſe, da nominarſi da' Superiori de' Monaſterj, a' quali le ſuddette Grancie, e membri ſi appartengono, e da approvarſi da' medeſimi Veſcovi con l' aſſegnamento d' una congrua porzione a loro arbitrio ſopra i frutti delli ſteſſi membri, o Grancie conforme alla diſpoſizione del Sac. Concilio di Trento. Non intende però la Santità Sua, che dalla detta eſtinzione, e ſuppreſſione nel poſſeſſo, e proprietà de' beni, ed altre ragioni di eſſi membri, e Grancie ſii generato alcun pregiudizio a' Monaſterj principali, a' quali di ragione ſi devono; ma che, detratta la detta Congrua, e ſoddisfatto a' peſi delle meſſe, ed altri obblighi, che ivi ſaranno, il reſto rimanga ad utilità, e comodo de' Monaſterj ſuddetti. Tutto ciò notifico a V. P. d' ordine eſpreſſo di Noſtro Signore, incaricandole di darne ſubito avviſo a' medeſimi Padre Generale, Provinciale, e Superiori, perchè adempiſcano in ogni parte la ſanta mente di Sua Beatitudine, e all' orazioni di V. P. mi raccomando. Di Roma a' 10. di Decembre del 1652.

3 Proindeque ſi Monaſterium regulare, etiamſi ſæcularizaretur, & mutaret ſtatum, non amittit jura, privilegia, & exemptiones, ſed, ſæcularizatione non obſtante, hæc illi illæſa, & immutata manent per textus *in cap. Dilectus 2. de Capell. Monach.* ubi Abb. *num. 9.* Innocent. *num. 4.* & tradit Rip. *reſp. 31. alias 3. de elect.* ac Rot. *deciſ. 174. num. 7. part. 1.* & *deciſ. 252. num. 2. part. 5. recent.* & *dec. 358. numer. 2.* docetque Abb. poſt Innocent. quem ſequitur Rot. *eadem deciſ. 258. numer. 3.* quod per ſuppreſſionem Eccleſia non mutat ſubjectionem, ſed remanet exempta, ſicut antea, multò fortius id procedit ubi Eccleſia non ſæcularizatur, ſed ejus ſtatus ſolùm pro parte aliqua mutatur. Ideoque ſine dubio jus omne antiquum hujuſmodi Granciarum Eccleſiis remanet immutatum. Quia exemptio fundatur in totali dominio, ac proprietate reſultante ab unione, quæ operatur, quod Eccleſiæ Monaſteriis Regularium unitæ ſint eorum membra, corpora, & proprietas, quæ non remanet alterata ob exercitium curæ, quæ ibi a Sacerdote ſæculari adminiſtratur, cùm adminiſtratio non operetur, quod Eccleſia unita non ſit Eccleſia Regularis, atque adeò exempta, ſicuti eſt Monaſterium, cui eſt unita, ut rectè colligitur ex *capit. 1. de capell. Monach. in 6.* ubi Apoſtill. *in figurat. caſ. not. 1.* & Zabarell. *conſ. 47. num. 4.* Suadeturque ex regula textus *in leg. præcipimus, in fin. Codice de appell.* qua habetur, permanere jus antiquum, cujus mutatio non reperitur expreſſa. Inquit enim: *Quicquid autem hac lege ſpecialiter non videtur expreſſum, id veterum legum Conſtitutionum regulis omnem reliquum intelligant*, quem textum in hanc rem advertit Rota *dict. deciſ. 358. num. 5.* & conſiderat, quod Gloſ. ibi, *verſ. intelligant*, notat in hæc verba: *Et ita quod non mutatur ſtatus.* Sic *in auth. de admin. offic. §. fin.* ac probatur *ex text. in leg. Sancimus*, ibi: *Quod enim non mutatur, quare ſtare prohibetur? Cod. de teſtam.* & *ex leg. ſive poſſidetis, Codice de prob.*

4 Cùm igitur ex Conſtitutione Innocentii atque ex literis relatis in hujuſmodi Eccleſiis ſolùm ſint mutata, quod ibidem Regulares Clerici non pernoctent, & per ſeipſos curam animarum non exerceant, cætera remanent immutata, atque adeò cùm non habeat Epiſcopus extra hæc duo jus aliquod in Monaſterium, minus etiam prætendere illud poterit in Capellas, ſive Eccleſias, vel Grancias Monaſterii omninò exemptas a ſua juriſdictione. Ut proinde intret regula illa, tantum privilegiis, & juribus derogatum, quantum dictum, aut quantum de neceſſitate infertur, *dict. leg. Sancimus, Cod. de teſtam.* Cravet. *conſ. 26. num. 7.* Rota *dec. 23. num. 20. par. 5. recent.* firmatque Rota coram Seraph. *dec. 144. num. 1.* Ubi quod per mutationem non extinguitur privilegium, quod eſt compatibile cum ſtatu immutato. Stare autem poteſt, quod Eccleſia poſſit eſſe ſub cura Religionis, etiamſi Religionis Superiores non poſſint exercere curam animarum, niſi per Vicarios ſæculares ab ipſis eligendos, & ab Epiſcopis approbandos. Et ita cenſuiſſe videtur S. Congregatio ſuper Epiſc. & Regul. & in Nolana pro Olivetanis 20. Novembris 1654. ſcilicet, Eccleſia Monaſterio unita, in qua nulla reperitur Monachorum reſidentia, in ſupradicta ſuppreſſione non comprehenditur.

Atque hinc manifeſtè deducitur, hujuſmodi Grancias, ſeu parva Monaſteria, majorum Conventuum membra cum ſuis Eccleſiis non eſſe ſæcularizata, ſed eorum regularitatem eſſe redactam ad terminos antiqui juris communis. Duo enim ex antiquo jure communi habebant hujuſmodi Eccleſiæ a monaſteriis majoribus disjunctæ. Alterum quod in eis non poterat exerceri cura animarum per Regulares, ſed per Clericos ſæculares a Monaſteriis nominatos, & ab Eiſcopis approbatos *d. capit. 1. de Capell. Monach.* Alterum quod non porerant in illis permanere Regulares ſine ſociis, ad vitam regularem ducendam neceſſariis. Cùm autem poſtea fuiſſet Regularibus conceſſum, ut per ſeipſos in hujuſmodi locis curam animarum exercerent, fuit tamen ſtatutum, ut vel per Sacerdotes ſæculares cura adminiſtraretur, vel Parochis Regularibus alii Regulares ſocii adjungerentur, cum quibus vitam poſſint ducere regularem, ut habetur *in cap. Ex parte*, & *in cap. ad audientiam eod. tit.* Ad terminos ergo hujus juris antiqui redacti ſunt iſti parvi Conventus, & ſtatutum eſt, ut in iis non habitent Regulares Clerici in parvo numero, & quod per Regulares non exerceatur cura animarum, ſed per Clericos ſæculares a Regularibus nominandos. Quod non eſt Eccleſias ſæcularizare, ſed Regulares efficere, atque in ſtatu regularitatis confirmare, eſtque proprium Eccleſiæ regulares, ut ejus Superior habeat jus adminiſtrandi curam animarum per Clericum Vicarium ab eo nominatum, ut ex *d. cap. 1. de Capell. Monach.* probat Rota coram Durano *dec. 297. num. 3. part. 5. recentior.* Ubi quod idem habetur ex Conſtitutione Pii V. ſuper Vicariis apud Gonzal. *ad regul. 8. Cancell. gloſ. 5. §. 6.* Bellam. *deciſ. 203.* Caſſad. *deciſ. 4. num. 3.* & *dec. 12. num. 9. de præb.* Unde non obſtat nominata Conſtitutio Innocentii, quoniam in his Eccleſiis unitis, excepta reductione Regularis ad clauſtrum, ac cura animarum exercenda modo jam dicto omnes aliæ qualitates, ac circumſtantiæ relinquuntur in ſuo primævo ſtatu abſque ulla alteratione, confirmando ſe in his cum diſpoſitione dicti *cap. 1. de Capell. Monach. in 6.* §

6 Idipſum colligitur primò ex eo, quod Superioribus regularibus præcipitur, ut per Sacerdotes ſæculares, vel regulares, ſibi beneviſos in hiſce Eccleſiis miſſam celebrari faciant. Ex hoc enim conſtat, quod cultus divinus in illis remanet ſub cura Regularium, atque adeò etiam Eccleſiæ ſub eorum proprietate, & dominio. Deinde ex eo, quod Pontifex Religionibus omnia jura horum parvorum Conventuum præſervat. Nomine autem jurium ſine dubio continetur omne jus antiquum, quod, exceptis illis duobus a Pontifice innovatis, remanere debet immutatum.

7 Conſentaneè igitur ad dicta poteſt in Eccleſiis hujuſmodi, quæ ſunt membra, & Granciæ Conventuum Regularium retineri, ac decenter cuſtodiri Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum. Regulares namque in ſuis Eccleſiis, atque Oratoriis aſſervare poſſunt Euchariſtiam ex Pontificum privilegiis, ac præcipuè ex privilegio conceſſo Ordini Prædicatorum ab Alexandro IV. in Conſtitut. *Nimis iniqua*, data 13. Kal. Martii Pontificatus ſui anno 3. & Patribus Societat. Jeſu a Paulo III. in Conſtit. *Licet debitam* 15. Kal. Novembris 1549. Undè certum eſt licere Regularibus aſſervare ſacram Euchariſtiam in propriis Eccleſiis, immò ab ipſis ſervandam eſſe in tabernaculo poſitam ſuper altari majore, decrevit Sac. Congregatio ſuper Epiſcopis in Lucen. 10. Februarii 1579. & in Imolen. 14. Decembris 1593. declaravit, poſſe Regulares in qualibet eorum Eccleſia Sanctiſſimum habere.

8 Non obſtat, quod hoc privilegium reſpiciat uſum Regularium, ac proindè in parvis iſtis Conventibus, in qui-

quibus non poſſunt Regulares permanere, ceſſante cauſa privilegii, ceſſat privilegium. Unde ſæpius S. Congregatio ſuper Epiſc. & Regular. declaravit, quod regulariter hoc Sanctiſſimum Sacramentum debet conſervari in Parochiis & in Eccleſiis Regularium utriuſque ſexus, niſi ſint Conventus, ubi moratur unus ſolùm, non autem in Eccleſiis Confraternitatis abſque licentia Apoſtolica, & conſenſu Ordinarii, & tunc ſine præjudicio jurium Parochialium, ut in Lauden. 20. Auguſti 1601. in Aſculana 13. Decembris 1639. & in Papien. 2. Auguſti 1652.

9 Nam, primò præſupponimus, quod in hujuſmodi parvis Conventibus aliqui Regulares converſi permanere poſſint, & permaneant, qui in infirmitate, & extra illam, ſacram Communionem recipiunt. Unde cauſa privilegii ex hac parte non ceſſat. Dum enim non ceſſat adæquatè ratio finalis privilegii, ſed remanent aliquæ reliquiæ ipſius neque etiam ceſſat privilegium per *l. ex duobus, ff. de vulg. ſubſtit.* & *leg. unus, §. ſervus, ff. de quæſt.* & *leg. 2. ff. rerum amot.* & annotavit Mantic. cum Bart. *de tacit. lib. 3. tit. 12. num. 58.* etiamſi privilegium habeat tractum ſucceſſivum Gloſſa *in cap. Decet, verſ. decet, de reg. jur. in 6.* Din. *ibidem numer. 3.* Roland. *conſ. 52. num. 55. leg. 2.* qui alios adducit, Sanchez *lib. 3. de matr. diſput. 30. numer. 8.* Coninch. *tom. 2. diſput. 33. in fin.* & Merol. *tom. 2. Theol. moral. diſput. 4. cap. 6. num. 324.*

10 Secundò, quia non ſolùm pro Regularium uſu, ſed etiam pro ſæcularium devotione augenda, illiſque communicandis, Regulares Sacratiſſimam Euchariſtiam in ſuis Eccleſiis aſſervare poſſunt, ut in citata Conſtitutione, *Licet debitam*; Pauli III. videre eſt. In ea enim ex quo conceditur facultas adminiſtrandi Euchariſtiam ſæcularibus, conceditur ſimul facultas eam retinendi in propriis Eccleſiis.

11 Eſtque aliud privilegium Regularibus conceſſum, ut excepto die Paſchatis, poſſunt quibuſcunque ſæcularibus Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrare. Ita non obſtante *Clem. 1. de privileg.* conceſſit Leo X. & Julius II. apud Caſſarub. *verſ. Communicare*, & Julius III. in præcitata Conſtitutione, ac Eugenius IV. *in Conſtit. & ſi quaslibet* in Bullario Caſinenſi 63. & B. Pius V. *in Conſtit. Et ſi mendicantium*, quem, ut advertit Peyrin. *num. 85.* in hac parte Gregorius XIII. non eſt moderatus, cùm non adverſetur Concilio Tridentino, & tradunt Navar. *in ſumm. cap. 21. num. 52. & cap. 27. num. 102.* Azor. *tom. 1. lib. 7. cap. ult. quæſt. 7.* Suar. *in 3. par. tom. 3. diſput. 72. ſect. 2.* Portel. *verſ. adminiſtratio verſ. 8.* Hier. Rodrig. *reſolut. 27. num. 2.* Mirand. *quæſt. 42. art. 1.* Tambur. *de jur. Abb. tit. 5. diſput. 5. quæſt. 3.* Peyr. *ad Conſtit. 7.* Pius V. *num. 83.* Barboſ. *de off. Paroch. par. 2. capit. 20. num. 8.* Lexan. *verſ. Euchariſtia num. 2.* Sayr. *lib. 3. de cenſ. cap. 29. num. 3.* Bonac. *eod. tract. diſp. 2. quæſt. 9. par. 5. num. 59.* Paſqualig. *ad Laurent. de Franch. par. 2. quæſt. 25.* Piaſec. *in pr. par. 2. cap. 3.* Filliuc. *tract. 4. cap. 9. num. 264.* Pax Jord. *lib. 3. tit. 3. num. 50. & alii.* Et ſupponitur a S. Congregatione Concilii in ejus declaratione, data ſub die 2. Martii 1619. apud Barboſam *loc. cit. num. 10.* his verbis: *Fuit dubitatum, an in die Paſchatis fratres poſſint adminiſtrare populo Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum? S. Congregatio cenſuit, non poſſe, ſtante quod in Privilegio Eugenii IV. hoc eis interdicitur expreſsè pro illa die. Igitur S. Congregatio privilegium admittit pro aliis diebus.*

12 Neque obſtat, quod miniſtratio Euchariſtiæ pertineat ad juriſdictionem, cùm ſit actus paſcendi proprias oves, ut deſumitur ex Concilio Carthag. 1. *cap. 7.* & Concilio Milevitano *cap. 18.* Et proinde ut Regulares poſſint miniſtrare Euchariſtiam in his Eccleſiis, quamvis liberè poſſint in illis celebrare, & quilibet ibi intereſſe miſſæ, non tamen ex hoc poterunt miniſtrare Euchariſtiam. Ex eo enim quòd conceditur miſſa, non cenſetur conceſſa facultas aſſervandi Euchariſtiam, & miniſtrandi. Quia cùm pertineat ad juriſdictionem, eſt quid ſpeciali nota dignum, & ideò non venit in conceſſione celebrandi, cùm debeat ſpecialiter exprimi, juxta *leg. Eos, Codice de aquæduct.* & obſervat Cravet. *conſ. 880. num. 19.* Alex. *conſ. 104. in fin. lib. 1.* Afflict. *deciſ. 111. numer. 9.*

13 Quoniam id locum non habet in privilegiatis. Regulares autem habent privilegia. Præcipuum eſt illud Pauli IV. relatum a Rodriquez in Bullario pro fratribus Minoribus. Et illud B. Pii V. *Ad immarceſcibilem 7. Februarii* 1567. pro Clericis regularibus conceſſum cum ampliſſimis derogationibus, & poſt Concilium Tridentinum, atque adeò poſt *d. Clem. 1. de privil.* Miniſtratio autem Euchariſtiæ venit in conſequentiam ad celebrationem, non quoad facultatem miniſtrandi, ſed quoad locum miniſtrationis; itaut eo ipſo, quòd eſt deputatus pro celebratione, cenſeatur etiam deputatus pro miniſtratione Euchariſtiæ in ordine ad eos, qui poſſunt miniſtrare.

Denique non obſtat, quod privilegium ipſis Regula- 14
ribus ſit conceſſum, non autem Sacerdoti ſæculari, ſeu Capellano. Quia id munus adminiſtrandi Euchariſtiam in eorum Eccleſiis poteſt ab eis committi etiam Sacerdotibus ſæcularibus ex privilegio Julii II. apud Peyr. *Conſtit. 1. §. 27.* ibi *Et aliis quibuſvis perſonis Euchariſtiæ Sacramentum, quoties opus fuerit miniſtrare, & miniſtrari facere.* Sicque Regulares necdum per ſeipſos, ſed etiam per alios Sacerdotes poſſunt miniſtrare Sacram Euchariſtiam in ſuis Eccleſiis, ut tradunt Cordub. *in addit. ad comp. v. Communicare*, Med. *in inſtruct. lib. 1. cap. 11. §. 3.* Joann. à Cruc. *de ſtat. relig. lib. 2. cap. 5. diſt. 3. concluſ. 3.* Tambur. *de Jur. Abb. par. 3. diſp. 5. quæſt. 4.* Barboſ. *de offic. Paroch. cap. 20. num. 8.* Ubi miranda addit, non eſſe neceſſarium hujuſmodi Sacerdotes eſſe ad hoc munus approbatos ab Epiſcopo, cùm multò major ſufficientia requiratur ad Sacramento pœnitentiæ, quàm Euchariſtiæ. Unde non eſt eadem ratio, ideòque nullibi ſtatutum reperitur, miniſtrum Euchariſtiæ debere eſſe ab Epiſcopo approbatum.

Verùm hanc in rem præter ea, quæ a ſan. mem. In- 15
nocentio X. ſuper extinctionem, & ſuppreſſionem parvorum Conventuum in citata Conſtitutione *inſtaurandæ* conſtituta ſunt; ea etiam, quæ a Sac. Congregatione in ſuis declarationibus penſiculatè ſunt ſcripta, exequamur.

In hoſpitiis, vel Granciis non permittitur habitatio 16
Religioſorum, neque curæ exercitium per Regulares, ſed per Presbyteros ſæculares, ab ipſis Regularibus nominandos. Permittitur etiam habitatio Regularium laicorum, ſeu converſorum pro fructibus colligendis 10. Decembris 1652.

Conventus parvi reſtituti ſubjecti ſunt Ordinario, do- 27
nec per S. Congregationem declaratum fuerit, ibi commodè degere poſſe, & cum effectu degere duodecim Religioſos. Et ſi interim non alantur in eis ſaltem ſex Religioſi, quorum ad minus quatuor ſint Sacerdotes maturæ ætatis, gratia reſtitutionis nulla ſit. In aliis verò non ſuppreſſis, in quibus quandoque dictus numerus non alitur, datur juriſdictio Ordinario, tanquam delegato Apoſtolico 10. Febr. 1654.

Super quo decreto die 27. Julii 1655. emanarunt a 18
S. Congregatione ſuper ſtatu Regularium ſequentes declarationes a Summo Pontifice approbatæ.

Epiſcopus in Conventibus ſuæ juriſdictioni ſubjectis 19
non poteſt Abbates, Priores, Guardianos, & alios Superiores locales deputare, vel familiam conſtituere.

Ex rationabili tamen cauſa poteſt Religioſos a dictis 20
Conventibus amovere, commonito prius Superiore Regulari, ad quem pertinet, ut eoſdem Religioſos aſſignet in aliis Conventibus.

Regulares eorundem Conventuum compelli poſſunt ab 21
Epiſcopo ad exhibendos libros introitus, & exitus, & reddendas rationes adminiſtrationis.

Poteſt Epiſcopus in eiſdem Conventibus ſe ingere- 22
re etiam in iis, quæ Regularem diſciplinam concernunt.

Eccleſiæ dictorum Conventuum, & Capellæ Grancia- 23
rum, in quibus degunt Converſi pro agrorum cultura, poſſunt ab Epiſcopo viſitari.

Sicut etiam ipſi Converſi. 24

Et Granciæ, licèt nullius ibi degat Converſus.

Non tamen, licet Epiſcopo viſitare Conventus tàm 25
ſuppreſſos, & poſtea reſtitutos, quàm non ſuppreſſos ad effectum cognoſcendi, an in illis re ipſa alantur ſex Religioſi, antequam aliundè conſtet de fundamento intentionis Epiſcopi, & deficientia numeri conſtituti.

Non licet Epiſcopo tales Conventus viſitanti quicquam 26
accipere procurationis nomine.

Juriſdictio prædicta competit etiam Vicariis generali- 27
bus Epiſcoporum, & aliis inferioribus Prælatis, proprium territorium, ac juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentibus.

Provinciales, & alii Superiores regulares poſſunt hu- 28
juſmodi Conventus, Ordinarii juriſdictioni ſubjectos, & Religioſos in illis degentes, viſitare, corrigere, & punire, omnemque juriſdictionem in eos exercere, ſicut poterant ante dictum decretum, non tamen privativè quoad Epiſcopum.

Si Superior regularis in cauſa pervenerit contra ſub- 29
ditum degentem in aliquo ex iiſdem Conventibus, Ordinario ſubjectis, fabricando proceſſum, vel eum carceri mancipando, Epiſcopus non poteſt hujuſmodi cauſam reaſſumere, ac ſuperiori inhibere, niſi ex juſta cauſa,

cauſa, veluti cùm videt Superiorem regularem ex odio, vel amore, cupiditate, vel metu, aut ex nimia ſeveritate, vel indulgentia, quid durius, aut remiſſius conſtituere, quàm cauſa depoſcit, in quo ipſius Epiſcopi conſcientia oneratur.

30 Non licet è converſo Superiori regulari Religioſum ac Epiſcopum inquiſitum è loco amovere, & ſi amotus fuerit, poteſt Epiſcopus cauſam proſequi, & illum quibuſcunque remediis revocare, etiam invocato auxilio Ordinarii, & brachio ſæculari cujuſcunque loci, in quo Religioſus ille reperiebatur.

31 Quo caſu excepto, ſi Superior localis, vel etiam provincialis voluerit aliquem ex Fratribus a Conventu removere, id Epiſcopus prohibere non poterit.

32 Si a Conventu primum ſuppreſſo, & deinde Religioni reſtituto, abſint ex aliqua rationabili cauſa, & ad breve tempus unus, vel plures ex numero ſex Religioſorum, ibi degentium, gratia reſtitutionis ob id non eſt nulla, nec Conventus remanet ſuppreſſus, omni tamen fraude ceſſante.

33 Conventus tamen remanet ſubjectus juriſdictioni Ordinarii tali abſentia durante.

34 Iterùm verò impleto numero, Conventus recuperat priſtinam exemptionem.

35 Si gratia reſtitutionis Conventus ſuppreſſi reddatur nulla ex eo, quòd in illo ad formam decreti cum effectu non alantur ſex Religioſi, & poſtea contingat ejuſmodi numerum impleri, non reviviſcit gratia reſtitutionis Conventus.

36 Antequam Epiſcopus Conventus poſſeſſionem apprehendat, vel Religioſos expellat eos, quòd gratia reſtitutionis, ut ſupra reddatur nulla, debet præcedere declaratoria ipſius Epiſcopi cum cauſæ cognitione.

37 A qua declaratione licet Religioſis ad Sedem Apoſtolicam appellare quoad effectum devolutivum tantùm, non autem quoad ſuſpenſivum.

38 Ætas autem matura ad hunc effectum dicitur completo anno quadrageſimo.

CONSULTATIO CLIII.

Satis ſcitè, ſatiſque ſolicitè quæritur, an deponentes pecunias in Monte Pietatis poſſint ex illis percipere lucrum quinque pro centenario?

Et an idem Mons Pietatis, exponens poſtea mutuatariis dictas pecunias, poſſit exigere ab iis ſeptem pro centenario?

1 ET certò non eſt hodie, neque amplius eſſe poteſt quæſtio, an Mons Pietatis erigi poſſit ea lege, quod a mutuatariis poſſit erigi certa ſumma moderata pro conductione domus, & miniſtrorum ſuſtentatione, cum illa fuerit definita a Pontifice Summo Leone V. ut in ejus *Conſtit.* 11. *tom.* 1. *Bullar.* Sacro Concilio Lateranenſi approbante contra opinionem, quam anteà tenuerat Cajet. *tom.* 2. *opuſ.* 6. qui ſcripſit anno 1498. ſub Alexandro VI. adhuc tunc Cœnobita in Conventu Ticinenſi S. Appolinaris, cujus librum refutavit Bernardinus a Buſtis Minorita, pro cujus opinione plerique tunc contra Cajetanum ſteterunt, & nunc omnes ſtare tenentur poſt Summi Pontificis, & Lateranenſis Concilii definitionem, primuſque Mons erectus fuit Peruſii magno Reipublicæ commodo, ac pauperrimè plebis utilitate, ut per Modern. *de reb. per uſur. acquiſ. quæſt.* 10. Navar. *in com. de uſur. num.* 6. *& ſeq. & in man. cap.* 17. *num.* 212. Molin. *de contr. diſp.* 325. *numer.* 2. Salon. *de juſt. & jur. quæſt.* 87. *num.* 3. *& ſeqq.* Filliuc. *tract.* 34 *cap.* 9. *numer.* 170. *&* 171. Leſſ. *de juſt. cap.* 2. *dub.* 23. *num.* 193. Azor. *tom.* 3. *lib.* 10. *cap.* 22. Quaranta *in ſumm. Bull. v. Mons Pietatis*, Maranta, qui alios congerit *reſp.* 27. *n.* 4. Lup. *de uſur. com.* 3. *§.* 3. *num.* 8. Scacc. *de camb. §.* 1. *quæſt.* 1. *num.* 445. ubi quod de hoc apud nos nullus eſt ſcrupulus, & *num.* 447. ubi quod hodie temerarium eſt de hoc diſputare, ſicut etiam ferè omnes alii præcitati ajunt opinionem Soti, qui innixus fundamentis Cajetani contrarium tenuit *lib.* 6. *quæſt.* 2. *art.* 67. eſſe temerarium, periculoſam, & poſt declarationem Pontificis, & Concilii nullo modo tenendam, quamvis hanc Soti labem diluere conetur P. Vincentius Baronius, vir raræ eruditionis, & in Theologia Thomiſtica modeſtiſſimus, doctiſſimuſque *Ethic. Chriſt. diſp.* 1. *ſect.* 2. *art.* 2. *§.* 4.

2 Quibus authoribus addendum eſt, non obſtare, quòd Sotus atteſtetur, ſe vidiſſe autographum approbationis contineri clauſulam *: Quatenus ſint licita, & juſta, ac ſacris Canonibus non repugnent*. Quoniam hæc clauſula non refertur ad expreſsè diſpoſita, ſed ad non expreſſa. De ſtylo enim Cancellariæ poſt approbationem expreſſorum addi ſolet approbatio generalis aliorum, quæ a ſtatuentibus decerni poſſent, de quibus cùm Pontifex notitiam non habeat, ideò additur clauſula, *dummodò ſint licita, & honeſta*, quæ, ut dictum eſt, non ad expreſſa, ſed tantummodò ad ea capita, quæ ultra expreſſa a ſtatuentibus addi poſſunt, refertur, ad tradita per Seraph. *dec.* 465. *num.* 2. Rota *dec.* 339. *num.* 5. *par.* 2. *rec.* Quod Sotus, uti Theologus, advertere non potuit. Unde rectè Filliuc. *dict. cap.* 2. *dub.* 23. *num.* 192. dixit, quod cum hæc quæſtio fuiſſet ſuſcitata inter Theologos, debuit apertè definiri abſque dicta clauſula. Idem aſſerit Scacc. *dict. quæſt.* 1. *num.* 444. inquiens, non eſſe veriſimile; hanc clauſulam fuiſſe appoſitam; nos verò admittimus, quod Sotus in autographis illam legerit, ſed non perpenderit in qua parte literarum fuerit appoſita.

Tota igitur concertatio eſt, an impartienda ſit licen- 3
tia erigendi montem, qui volentibus apud ipſum deponere proprias pecunias, ſolvat lucrum ad rationem quinque pro centenario, idemque lucrum pro ſui indemnitate exigat a ſuis mutuatariis.

Et ex prima ſtatim fronte de rigore juris negativè 4
reſpondendum eſſe videtur ex *cap. conſuluit, de uſur.* firmatque Navar. *conſ.* 2. *eod. tit.* Azor. *inſtit. mor. tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 9. *quæſt.* 5. Filliuc. *tract.* 34. *tom.* 2. *num.* 177. *& ſeqq.* Megal. *par.* 2. *inſt. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 45. Theſaur. *in prax. Eccl. par.* 2. *verſ. Montes Pietatis*, ubi alii. Quoniam inter montem, & tradentes pecunias non poteſt eſſe alius contractus, quàm depoſiti, vel mutui. Ratione autem mutui non poteſt aliquid recipi, cùm ſit contra præceptum naturale, & divinum, D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 1. *ad* 4. & omnes communiter. Neque ratione depoſiti, quia contractus depoſiti debet eſſe gratuitus, *l.* 1. *§. ſi veſtimenta, & §. ſeqq. ff. de poſſeſſ.* Doctores *in l. quod Epheſi. ff. de eo, quod certo loc.* Roman. *conſ.* 500. *num.* 5. Alex. *conſ.* 80. *num.* 4. *& ſeqq. lib.* 3. ac latè Lup. *de uſur. com.* 1. *§.* 4. *num.* 61. ubi in ſpecie de eo, qui fecit depoſitum ſub conditione aliquid recipiendi. Unde a Summis Pontificibus non permittuntur Montes Pietatis, ut plurimum erigi, niſi ad præſcriptum Concilii Lateranenſis, & præſertim, ut recipi non poſſit niſi quid moderatum pro expenſis Miniſtrorum, & ipſorum Montium, non excedens ſummam trium pro centenario, ut declaravit Sac. Congregatio Concilii in Avenionen. 26. Maji 1612. in Tudertina 17. Auguſti 1626. in Theatina 5. Julii 1627. in Lucerien. 27. Maji 1645. Et in Mutinenſi de Finali 22. Auguſti 1637. cenſuit, lucrum pignorum non poſſe permitti ultra tria pro centenario, & cum clauſula, ſi dicta ſumma ſit neceſſaria pro Miniſtrorum ſalario, & aliis expenſis Montis ſubeundis. Vel bina, ut in Cremonen. 31. Maji 1580. & in Vercellenſi 8. Octobris 1628. vel ſingula tantùm ſi ſufficiant, ut in Meſſin. 11. Aprilis 1625. Et in aliis ſæpè, rejecta opinione contraria. Quinimmò die 28. Auguſti 1582. declaravit nullo modo permitti debere, ut detur pecunia Monti ad finem conſequendi ex ea aliquos fructus, licèt minimos. Etſi quæ ſub hac conditione mutuata inveniatur, omninò reſtituatur. Et Sac. Congregatio ſuper Epiſcopis, & Regularibus declaravit, quod ſi Mons poteſt manuteneri ſolvendo etiam mercedem operariis, & aliis miniſtris ex ſuis propriis redditibus, nihil exigere poteſt pro mutuis, aliàs ſolummodò tantum id, quantum eſt neceſſarium pro ſupradicta manutentione, & expenſis neceſſariis loci, & miniſtrorum juxta Conſtitutionem Leonis X. in Concil. Lateranenſi. Ita in Cotronen. 28. Aprilis 1599. & in Faventina 6. Septembris 1604. Dummodò non excedant trina pro quolibet centenario, ut in Vegevanen. 19. Januarii 1607. & in Therdonen. 11. Auguſti 1626. vel ad ſummum quaterna, ut in eadem Cotronenſi 28. Aprilis 1599.

At nihilominus ob cauſam neceſſariæ ſublevationis 5
pauperum conſueverunt ex Indulto Pontifices aliquando dictam ſummam concedere, & in ſpecie fuit conceſſum Monti Pietatis Bononiæ, Mutinæ, Veronæ, & Ferrariæ, ut ex Indulto, quod legitur apud Paſqualig. *dec. mor.* 183. *num.* 6. Idque ratione lucri ceſſantis, & damni emergentis, ſeu indemnitatis ipſorum deponentium, ut latius poſt alios firmat Paſqualig. *num.* 11. *& ſeqq.* ubi etiam *num.* 18. reſpondet ad *cap. Super eo, de uſur.* quod confirmat *dec.* 184. *per tot. & dec. ſeq. num.* 6. *&* 7. Unde nonniſi cum temeritate aſſeri poteſt, Pontifices Summos, eorumque, ac Curiæ Romanæ Officiales, qui diligentiſſimi eſſe ſolent, ac prudentiſſimi, erraſſe, ut ponderat Salon. *d. quæſt.* 78. *ſub num.* 3. *art.* 2. & latiſſimè comprobat Fragoſ. *de Regim. Reipubl. Eccleſ. par.* 1. *lib.* 7. *tota diſp.* 20.

Et licèt ab aliquibus id reſtringatur, quatenus depo- 6
nentes

nentes possint compelli ad deponendum pecunias in Monte Pietatis pro sublevandis pauperibus, ut ex Abb. *in cap. In Civitate, in fin. de usur.* & notat Laur. de Rodulph. *in d. cap. consuluit num.* 4. *eod. tit.* Alex. *in leg. Item quia §. 1. num.* 2. *ff. de pact.* Azorius *tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 5. *dub.* 2. & Gemin. *de usur. tom.* 3. *§.* 3. *num.* 54. Vel quando Mons Pietatis habet bona stabilia fructifera, & pecunias a deponentibus recipit nomine emptionis, census, vel similis contractus, ut firmat Thesaur. *loc. citat.* Vel quando deponentes ad effectum deponendi, omisserunt collocare pecunias ad aliud lucrum licitum, & hoc casu ratione lucri cessantis, ut adnotat idem Thesaur. *ibidem* ex doctrina recepta Pauli de Castro *in leg.* 3. *§. nunc de officio num.* 3. *ff. de eo, quod cert. loc.*

7 Attamen Pasqualigus absolutè asserit contrarium *dict. dec.* 183. *num.* 2. *§. Et per tot.* ubi adversariis respondet, quòd etiam facit *dec.* 185. *num.* 8. Ea potissimum ratione, quòd hujusmodi lucrum non ex mutuo, sed ex justo titulo Indulti Apostolici pro necessaria subventione pauperum concessi percipitur.

8 Accedit, quod intentio præcipua civium deponendi pecunias apud Montem erigendum, non est, ut ex iis lucrum consequantur, sed potiùs, ut erigatur Mons Pietatis ad pauperum sublevationem. Stante autem hac præcipua intentione, non dicuntur committere usuram, Laur. de Rodulph. *de usur. par.* 3. *princ. num.* 27. Ubi quòd mutuantes Monti non solùm si coactè, sed etiam si voluntariè mutuant, dummodò ex charitate, non autem spem ponendo in lucro per se primò, sed secundariò si mutuant, immunes esse ab usura, *tract. diversf. tom.* 7. *par.* 39. quem sequitur D. Anton. *par.* 2. *tom.* 2. *cap.* 11. *§.* 20. ubi rejecta opinione Gregorii Ariminensis, & aliorum Theologorum contrarium sentientium, adhæret opinioni d. Laurentii de Rodulphis, addens, ita quoque tenuisse plures alios, quorum opinionem communiter sequuntur Patres Dominicani, & Minores, traditque Bonac. *de contr. disp.* 3. *quæst.* 3. *punct.* 12. *num.* 9. Pistor. *qu. jur. lib.* 3. *quæst.* 2. *num.* 18. & Pasqual. *d. dec.* 183. *& seqq.* licèt is *dec* 18. *num.* 1. dum rejicit distinctionem Doctorum, qui faciunt differentiam inter coactè, & spontè mutuantes, non sit audiendus, quia loquitur contra opinionem Baldi *in l. jusjur. num.* 104. *ff. de jurejur.* & contra communem.

9 Non obstat, quòd Pontifex facere non possit, quin peccatum sit peccatum. Quia omissa responsione Salonii ubi supra, licèt Pontifex non possit generaliter statuere, quòd usuræ committantur, tamen ex causa in aliquo casu potest declarare, quòd non sit usura, ut per Felin. *in cap. fin. num.* 9. *de major. & obed.* quem sequitur Sylv. *de jurejur. par.* 4. *quæst.* 51. *num.* 48. *tract. div. tom.* 4. *pag.* 356. & comprobatur ex ea doctrina, quòd Pontifex possit declarare ex causa rationabili tum legem divinam, tum etiam naturalem, quòd scilicet in aliquo peculiari casu non obliget ex mutuatione facta in materia. Eam quoad legem naturalem tradunt Abb. *in cap. a nobis n.* 4. *de decim. in cap. Cùm tanto, num.* 3. *de consuet. & in cap. Quæ in Ecclesiarum num.* 11. *de Constit.* Innoc. *ibidem*, ac Felin. *num.* 26. qui alios refert Glos. *in d. cap. a nobis, vers. Exemptus, & in l. manumissionis, v. nascerentur, & in leg. jus civile ff. de just. & jur.* Quibus adstipulantur Cajet. 2. 2. *quæst.* 120. *artic.* 1. Sot. *lib.* 6. *de just. quæst.* 7. *art.* 3. *ad* 3. Navar. *conf.* 4. *de desp. impub. num.* 17. *& seq.* Covar. *in* 4. *par.* 2. *cap.* 6. *§.* 9. Angel. *v. Papa num.* 1. Can. *relect. de pœnit. part.* 5. Sanch. *lib.* 8. *de matr. disp.* 6. Salas *disp.* 5. *de legib. sect.* 10. Et quoad legem divinam Panorm. *in cap. Præposuit num.* 20. *de concess. præben.* citatis Innoc. *in cap. Cùm ad Monasterium, de stat. Monach.* Felin. *in dict. cap. Cum in Ecclesiarum num.* 19. & 20. Angel. *in leg.* 2. *Cod. de crim. sacril. & in l.* 1. *Cod. de sent. pass.* Decian. *conf.* 112. *num.* 3. *vol.* 1. Cano, & Sanchez locis allegatis, & Suarez *lib.* 10. *de legib. cap.* 6. *num.* 17. & Pasqualig. *ea decis.* 183. *a num.* 14.

10 In re autem proposita causæ concessionis sunt manifestæ. Tum quia erectio Montis, quæ non solùm est utilis, & sancta, sed etiam necessaria, non potest fieri absque hac conditione solvendi deponentibus pecunias quinque pro centenario in sublevationem pauperum, qui devorantur ab usuris, præsertim Hebræorum. Tum etiam quia certum est, quòd qui parati sunt deponere suas pecunias in Monte erigendo, facilè possent illis emere tot res immobiles, quarum fructus, ut dicunt Doctores, computari solent ad quinque pro centenario, Glos. *in auth. perp. vers. justa, Codice de sacros. Eccles.* Natt. *conf.* 498. *num.* 10. Lup. *de usur. com.* 20. *§.* 3. *numer.* 117. Rot. *decis.* 116. *num.* 1. *part.* 2. *divers.* adeòut duntaxat dubitari possit, an sit in promptu occasio illas emendi. Juxta namque alteram opinionem sufficit, quòd emptio sit verisimilis, Filliuc. *dict. tract.* 34. *cap.* 9. *num.* 109. dicens, quòd si moraliter loquendo opus esset longo tempore ad collocandum pecunias negotiationibus, vel emptione rei fructiferæ, possit aliquo modo dubitari, si verò sperant posse brevi tempore pecuniam occupari, tunc lucrum ex monte licitè percipi potest. Navar. *conf.* 17. *de usur. num.* 3. ibi, quod verisimiliter lucrarentur tantundem, aliique passim. Secundùm autem alteram opinionem requiritur, quòd emptio sit certa, itaut concurrant requisita Pauli de Castr. *in d. l.* 3. *§. fin. ff. de eo, quòd cert. loc.* Pistor. qui alios cumulat, *d. qu.* 2. *num.* 43. & propterea cùm Pontifex concedendo erectionem, definiat tantùm dictam quæstionem inter emptionem verisimilem, & certam, non dispensat super usuris, sed decernit, quòd in ea Civitate passim adsit occasio emendi parata pecunia res fructiferas.

Insuper cùm nemo sit, qui ultrò se offerat ad ejus- 11
modi deposita faciendum, sed Civitas ipsa ad sublevandum pauperes offert deponentibus solvere dictum lucrum ad rationem quinque pro centenario, potest sustineri in vim donationis, & liberalitatis, ad hoc, ut alii alliciantur ad tradendum pecuniam, & pauperibus abundè subveniatur, quemadmodum censet Bonac. *dict. tr. contract. disp.* 3. *qu.* 3. *punct.* 12. Molin. *disp.* 325. *num.* 5. & Filliuc. *d. cap.* 9. *num.* 179.

Postremò quatenus de hac justitia dubitatur, poterit 12
decerni, ut Mons erigatur ad formam Constitutionis Julii III. quæ approbat Montem sub duabus conditionibus. Prima, ut mens deponentium sit juvandi pauperes, non autem fœnerandi. Secunda, ut ad finem deponendi proprias pecunias in Monte desinant emere merces paratas venditioni, quas alioquin emerent, nisi eas deponerent in Monte, Filliuc. *dict. cap.* 9. *num.* 177. Less. *dict. cap.* 20. *num.* 198. Azor. *dict. tom.* 3. *lib.* 10. *cap.* 22. Molin. *dict. disp.* 325. *num.* 2. Salon. *dict. qu.* 78. *num.* 4. Estque regula, quòd quisque mutuans potest a mutuatario recipere quidquid sua interest ratione lucri cessantis, & damni emergentis, ut prolixè Pistor. *dict. quæst.* 23. *num.* 8. Ubi quod procedit nedum quoad damnum emergens, quod ait esse extra omnem controversiam, sed etiam quoad lucrum cessans, ut latè Azor. *dict. tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 4. & 5. Scacc. *de camb. §.* 1. *quæst.* 1. *num.* 461. Et hæc gratia est facillima, omnique caret usuræ suspicione, ut Canonistæ, ac Theologi cum Div. Thom. 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 2. *ad* 1. docent.

Ad secundam. Quamvis sit controversum, affirma- 13
tivam tamen, uti veram, tenuerunt quamplures ea ratione, quòd Mons Pietatis debet indemnis servari, atque ideò exigere potest quantum est sibi necessarium pro sua indemnitate, cùm id tendat in compensationem damni, quod patitur in parandis pecuniis pro sublevatione mutuatariorum, & pro expensis Ministrorum, atque aliarum rerum pertinentium ad conservationem ipsius Montis, ut docent Abb. *in dict. cap. In Civitate, in fin. de usur.* Alex. *in leg. Item quia, §.* 1. *num.* 2. *ff. de pact.* Azor. *par.* 3. *lib.* 5. *cap.* 9. *quæst.* 2. qui alios citat, Reginald. *lib.* 25. *pr. cap.* 11. *num.* 209. Philiarch. *lib.* 5. *de offic. Sacerd. cap.* 21. *§. quoad primum.* Scacc. *de commerc. §.* 1. *quæst.* 1. *num.* 151. & 162. *ac seqq.* Molin. *tom.* 2. *de just. d. disp.* 325. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 3. *de contract. quæst.* 3. *punct.* 12. *num.* 3. Less. *d. dub.* 23. *num.* 194. Filliuc. *dict. cap.* 9. *num.* 183. & Pasqualig. *dec. moral.* 186. *a num.* 4. *& dec.* 187. *num.* 2. *& 3. ac decis.* 188. cum binis sequentibus, *& dec.* 204. *num.* 2. itaut ea *dec.* 186. *num.* 5. adeò haud sententiam veram existimet, ut oppositam censeat non posse probabiliter sustineri. Et quidem posito, quòd Mons erigatur sub conditione, quòd deponentibus solvat quinque pro centenario, sequitur, quòd totidem exigere poterit a suis mutuatariis cum reliquis duobus, quæ sint necessaria pro sustinendis Ministris, non quidem ratione mutui, sed ut duntaxat servet indemnem juxta sanctionem Leonis X.

Neque regeras mutuum dari debere omninò gratis. 14
Quia neque Ministri gratis subituri sunt laborem, nec sine diminutione perpetua summæ capitalis, adeòque tandem ipsius Montis extinctione, illi mercedem indè accipere possunt, nec adeò grave pauperibus vilissimum obulum illis in lucrum suum alendis solvere, nec ullum restare scrupulum in instituto per piissimos, doctissimosque viros approbato, denique summorum Pontificum Pii II. Pauli II. Sixti IV. Innoc. VIII. & aliorum diplomatibus confirmato.

Porrò perpetuum esse usurarum remedium Montes 15
Pietatis, alibi diximus. Hoc tamen in illis necessarium est. Primò, ut mutuum detur omninò gratis. Secundò, ut ratione ministrorum aliquid detur, qui operas gratuitas

tuitas non impendunt. Tertiò, domus etiam constituenda, quæ sine aliquo sumptu non potest fieri. Quartò, sumptus illi æquandi sunt, ut pauperes non magis graventur, quàm divites. Quintò, nihil in his usurarium est; nam si quis mutuum dat, testes, notarium adhibet, pignus inspici, aut adduci jubet, nec æquum ejus sumptu, qui dedit mutuum, ista fieri. Sextò, Conandum tamen, ut Montes omninò gratis constituantur. Sic enim omnis causa suspicionis tolletur. Hoc autem duorum modorum alterutro fieri potest, vel utroque. Primo, ut census ematur annuus, quo sumptus necessarii tolerentur. Secundò, ut magni viri, fidi, divites scribarum, numeratorum, custodum officia gratis præstent. Nec in re tàm pia labor infra ullius dignitatem est. Si enim in aliquibus Italiæ civitatibus, in Hispania, in Gallia, in Germania, & nunc quoque in Romana Urbe viri nobiles, & Senatorii eleemosynas pro pauperibus petitum eunt, nec est contra existimationem eorum esse pauperum legatos, sed plusquam ulla purpura amplitudinem eorum exornat, quin & ad magnam Christi cedit gloriam pauperum suorum Vicarios, & Procuratores esse purpuratos, & divites hujus sæculi alium non sapere, sed timere, nec paupertatem in Domini sui vita omnium sceptris antepositam, opprobriosam putare. Si Reges, & Principes pauperibus ministrant, cur non & pauperum scribam, & atriensem agat dives? Quod uni ex minimis istis faciunt, Christo faciunt. Omne officium Christo exhibitum, supra omnem dignitatem est, & omninò regium; quia Deo servire, regnare est.

16 Nam, licèt in magna multitudine divitum, & beneficiorum non deesset qui mutuam pecuniam liberaliter offeret egentibus, negligentia tamen, & sublata fides facit omnes timidos. Ex oraculo Plaut. Trin.

Si quis mutuum dederit, sit pro proprio perditum.
Quum jam repetas, inimicum amicum beneficio invenis.

Quorundam pervicacia, perfidia, ingratitudo debitorum facit, ut omnes, quos opprimit inopia, luant. Creditor interdum est molestus, & onerosus, præcox, & sævus, quod lege prohibetur. Sæpiùs tamen debitor delicatus, & fraudator, ferè enim humaniter postulat, quod debetur, qui verò debent quantumcunque molliter appelles, quamcunque dilationem præstes, indignantur. Si tenues sint, tyrannum proclamant. Si magnates, quasi suo jure minantur; neque præsertim hac in re quicquam tàm fontem benefaciendi occludit, quàm beneficiorum abusus. Nec caveri satis potest, nec solet, quamvis sint hypotheca, judicesque; hoc tamen grave est, conferta manu repetere, quod amico dederis. Hæc igitur seriò constituenda sunt magistratui, & liquida debita celeriter, & de plano judicanda, & debitor contumax puniendus est.

17 Et hac ratione penitus tolleretur Judæis occasio fœnerandi, cùm fœnus illis permissum fuerit tempore, quo Montes Pietatis nondum erecti essent. Quare iis erectis, fœnus Judæis ampliùs non erit tolerandum, præsertim si scandalum generet Ecclesiæ, & damnum populo, illius permissio est revocanda juxta *cap. fuggestum de decim.* ubi Glossa juxta textum hos pulcherrimos versus refert, ac probat.

Indultum tollit contemptus, crimen, abusus.
Oppositum factum, damnum, tempus variatum.

Neque amplius habebit locum expostulatio Tholosani *in syntagm. lib. 2. cap. 3. num. 20.* Cæterum, ait, *in omni jure invenimus, & aliquando usuras permissas in certis rebus, & causis, & personis, & modis negotiandi. Non tamen idcircò approbatas dicere oportet, sicuti Deus ob duram cervicem Judæorum illis permisit repudium, sed non approbavit. Tanta enim hominum est improbitas, ut omninò a nomotheta tàm benè emendari, vel purgari non possit, ut scoriæ aliquid perpetuò non remaneat, aut si omninò tollere velit, in pejus vitium non degeneret, in quo discrimine pejus malum evitandum est, & fugiendum. Hoc modo in usuris, si vetantur omninò, facit divitum pessima avaritia, & crudelitas, seu immisericordia, ut malint potiùs arca nummos rubigini committere, quàm juvare gratis indigentes. Vel si mutuent gratis, ita truculenter repetunt, ut omni inquietudine debitores infestent. Proindè, & modus quidam fœnerandi permissus propter pervicaciam creditorum, & ad juvandam inopiam debitorum.* At quia nil promptius, quàm ex beneficio inimicos facere:

Nam maxima pars morem hunc hominum habet.
Quod sibi volunt, dum id imperant, boni sunt; sed id ubi jam penè se habent.
Ex bonis pessimi, ac fraudulentissimi sunt.

Ex eodem Plauto *loc. cit.* Ideò iterùm dico perpetuum esse usurarum remedium Montes Pietatis. Et hujus sententiæ olim fuit, cùm usuræ Judæorum sub Clemente X. discuterentur, in qua etiam nunc persistit, dum iterùm examinantur sub Sanctissimo D. N. Eminentissimus dignitate, & sapientia Cardinalis de Laurea, qui magno oneri pari honore exprimit suum Bonaventuram, aliosque Ecclesiæ primitivos Patres majestate publica, paupertate privata, dignèque Doctor Seraphicus audiret, nisi quid supra Seraphim ausus, sine alis volaret. Quare in Congregatione a Summo Pontifice in hanc rem deputata, cujus Secretarius fuit Illustrissimus, ac Reverendissimus D. Jacobus de Angelis Archiepiscopus Urbinas, & Eminentissimi, ac Reverendissimi D. Cardinalis Vicarii Vicesgerens, in agendis causis disertus, & exercitatus, vir dignus Majoribus suis, cujus vitæ Sanctitas magna, sapientia par, insectatur vitia, non homines, nec castigat errantes, sed emendat, natura ad omnem virtutem temperato animo instructus, post seriam discussionem decretum sub die 22. Octobris 1682. abrogari fœnus Judæorum, adjici Sacro Monti Pietatis ministros, qui pauperum pignora recipiant, ejusque summo charitatis affectu faveant, maximas gratias, laudesque, & agendas, & habendas Sanctissimo D. N. quod bono Reipublicæ natus pauperum animas ab usuris redimit. Edictum verò in exequutionem decreti hunc in modum emanavit.

Paluzzo del titolo di S. Grisogono Prete Cardinale Altieri della S. R. Chiesa Camerlengo. La Santità di N. Signore Papa Innocenzo XI. considerando, che di presente sono cessate quelle giuste, urgenti, e ragionevoli cagioni, per le quali ad effetto di provvedere alle necessità de' poveri Christiani abitanti nella Città di Roma, si sono fin' ora tolerate l' usure degli Ebrei dimoranti nella medesima Città, ha risolto, e determinato col concorde parere d' una Congregazione da sua Santità deputata di alcuni Em. Cardinali, e Prelati di non tolerare più le dette usure, ma quelle ha fatto proibire, ed abolire, avendo dato gli ordini opportuni nel Monte della Pietà, acciocchè essi Christiani possino avere dal detto Monte quell' ajuto, che cercavano col prender danari sotto gravi usure da' detti Ebrei in Roma. 18

Per tanto noi in vigore del Chirografo di Sua Santità a noi diretto sotto il giorno di 30. di Ottobre, e in vigore del nostro officio, rivochiamo, e abolimo in tutto, e per tutto ogni toleranza di usure, ed uso di esse a' detti Ebrei di Roma, come ancora qualsivoglia privilegio concesso a' loro banchi, e sotto la pena di scudi 500. d' oro d' applicarsi per una terza parte all' accusatore, o denunciatore, e per l' altre due alla casa de' Catechumeni, e d' altre pene, eziandio corporali ad arbitrio di S. Santità, e de' suoi Successori, che non possino dal giorno della pubblicazione del presente editto tener più banco da fare imprestanze sotto usure, nè dar danari di qualsivoglia ancorchè menoma somma sotto usure a' Christiani, nè tampoco ad altri Ebrei, nè con pegni, nè senza.

E rispetto a gl' impresti già fatti, si debbano andar vendendo secondo che termineranno dieciotto mesi dal giorno dell' imprestito, di maniera però, che dopo quattro mesi dal giorno della pubblicazione dell' editto, non corrano più usure, nè interessi, benchè tuttavia corressero i dieciotto mesi, e tutti i pegni, che saranno restati dopo i detti quattro mesi della pubblicazione dell' editto, si debbano vendere secondo i Capitoli nella forma, e modo soliti, senza che si possa dar proroga, ò far rinovazione.

E il presente Editto vogliamo, e ordiniamo, che si osservi inviolabilmente, non ostante qualsivoglia Constituzione, moto proprio, Editti, e Bandi, ò altro in contrario, a quali sua Santità nel suo Chirografo hà espressamente derogato. E il presente Editto affisso ne' soliti luoghi obligherà ciascuno in Roma dal presente giorno, e dopo quindici giorni per tutto lo stato quanto a gl' interessati ne' pegni già fatti, come se fusse personalmente intimato. Dato in Camera questo di 30. di Ottobre 1682. P. Cardinale Altieri Camerario. M. Zaccaria Auditore. Santo Pilastri Commissario generale. F. Pinardo Not.

CONSULTATIO CLIV.

An, & quo pacto Episcopus possit injungere Canonicis, ne se congregent sine licentia?

IN hac re ita resolutum invenio per Sac. Congregationem super Episcopis, & Regularibus sub die 20. Augusti 1601. scilicet non requiri licentiam Episcopi, si solitum sit sine ea se congregare. Ergo a contrario sensu non licet se congregare, si non probetur solitum. Quod argumentum est fortissimum *l. 1. ff. de offic. ejus*, 1

& valet etiam in ſtatutis, Rot. *dec.* 111. *num.* 13. coram Coccino, & *in recentior. dec.* 185. *num.* 7. *par.* 1.

2 Eſtque regula, ut non liceat Collegiis, & Univerſitatibus ſe congregare ſine licentia Superioris per textum *in leg.* 2. *Cod. de decur. lib.* 10. Fab. *in §. Univerſitatis num.* 1. *in fin. inſtit. de rer. diviſ.* Par. de Put. *de Sind. tit. Judices cap.* 3. *per tot.* Boer. *deciſ.* 60. *num.* 12. etiam in Univerſitate Eccleſiaſtica, Rot. *dec.* 567. *num.* 2. *par.* 8. *rec.*

3 Quod præcipuè locum obtinet, quando Epiſcopus habet in Eccleſia præbendam, quia hoc caſu eſt de Capitulo, & ideò non poteſt ab aliis congregari, quàm ab eo, niſi tamen Epiſcopus ſine juſta cauſa noluerit, ſive recuſaverit, aut diſtulerit congregare. Unde non poterit ſine ejus licentia congregari, cùm ad ipſum ſolùm pertineat, quando eſt Canonicus, ut tradunt Innoc. *in cap. Irrefragabili num.* 3. *de offic. Ord.* & Bott. *de Synodo par.* 1. *num.* 21. qui etiam *num.* 23. ſubjungit, quòd ſi ab eo non convocentur, dicitur conventicula, ſeu conciliabulum, & poteſt iſto caſu præcipere, atque mulctare ſine adjunctis, ut in terminis, quando faciunt Capitulum modo non permiſſo, dixit S. Congregatio Concilii in una Oriolen. 6. Martii 1642. Et in ſimili quando contraveniunt ejus præcepto de ſervando die feſto in Hiſpalen. 7. Septembris 1630. & cùm Epiſcopus ſit de Capitulo, erit eidem ſignificandum, non ſolùm tempus, ſed etiam cauſa tractanda, ut poſſit & ipſe de ea deliberare.

4 Ideòque poteſt fieri ab Epiſcopo præceptum pœnale adverſus Canonicos, exequutioni demandandum, ne ſe congregent abſque ejus licentia, cùm Judex pati non debeat inobedientiam, *leg. obſervare, ff. de offic. Præſid.* Ut proindè pœnas præcepti rigoroſè erigendas moneat Hercul. *de caut. de non offend. cap.* 5. *num.* 15.

5 Ubi verò Epiſcopus non eſt Canonicus, & ſolitum eſt congregari abſque licentia Epiſcopi, is non poteſt multòque minus ejus Vicarius prohibere abſque juſta cauſa, ne convocetur Capitulum, ut reſcripſit Sac. Congregatio ſuper Epiſcopis Vicario Rhegienſi ſub die 4. Junii 1602. cujus verba fuerunt hæc: *Per evitare li ſcandali imminenti può il Superiore prohibire, ed impedire la convocazione del Capitolo.* Secùs autem ſi adſit juſta cauſa, ut eadem Sac. Congregatio in Amerina 13. Septembris 1541. & hoc caſu neque dicere tenentur Epiſcopo quid tractare velint in Capitulo, ut in Andriend. 25. Febr. 1603.

6 Et non ſolùm Vicarius convocare nequit Capitulum, ſed neque in eo intereſſe ratione talis officii, niſi in Eccleſiis, receptitiis, vel ubi adeſt conſuetudo, ut Mediolani ex eadem Sac. Congreg. in Mediolanen. 2. Junii 1591. in Neritonen. 27. Octobris 1613. in Rubien. 15. Januarii 1616. Unde etiam Sac. Congregatio Concilii cenſuit *per cap.* 6. *ſeſſ.* 25. *§. Abſente verò Epiſcopo*, non obſtare quo minùs Vicarius Archiepiſcopi Mediolanenſis poſſit intervenire in Capitulo, ac in eo ſedere, ſi talis facultas ei ante Concilium, vel Conſtitutione, vel conſuetudine, vel alio quocunque modo legitimè competebat juxta dictum decretum in fine, præſertim ſi ipſum Capitulum nullo exemptionis, aut ſpeciali jure juvetur adverſus omnimodam ſubjectionem Archiepiſcopi. In his tamen caſibus, ſi agendum eſſet in Capitulo de re ſpectante ad Archiepiſcopum, ſeu ſuorum commodum, Congregatione æquum cenſuit, ut nec ejus Vicarius interſit. Quæ quidem declaratio fuit diſcuſſa a Sac. Congregatione ſuper Epiſcopos die 5. Maji 1587. his verbis: *Sacra Congregatio ſuper Epiſcopos decrevit Vicarium Archiepiſcopi Mediolanenſis, Capitulis Eccleſiæ Metropolitanæ, & negotiorum Capitularium tractationi, & expeditioni intereſſe valere, primam ſedem habere juxta decretum Concilii Provincialis tertii.*

7 Et in Brunduſina eadem Sac. Congregatio ſuper Epiſcopos die 17. Januarii 1584. ita decrevit, ſcribens Archiepiſcopo. *La Sac. Congregazione hà riſolto, che il Capitolo ſii libero di congregarſi, quando vuole, purchè non ſia in pregiudizio del culto divino, onde non ſi può obbligare a dimandar licenza, e che il Vicario, ſe non è del Capitolo, dee uſcire quando ſi hà da trattare di coſe pertinenti a lui, ovvero a V. S. e lei ancora conviene, che facci il ſimile, quando vuol eſſer preſente in Capitolo.* Et in Meritonen. 20. Auguſti 1601. *Eſſendo il Capitolo in poſſeſſo d' adunarſi ſenza licenza del Veſcovo, e del Vicario, non ſi decerni in ciò fare altra novità.* Et in Caſtellaneten. 13. Junii 1580. Epiſcopo. *Quanto all' aſſiſtenza di V. S. alli conti da renderſi per li Procuratori, e razionali del Capitolo ſi dice, che ſi avranno da vedere, e ſaldare in pieno Capitolo, e che dovrà Ella conferirſi nel luogo ſolito di eſso, e ſe non le parerà d' andarvi, potrà ordinare, che non ſi ultimino i ſaldi finchè non gli avrà Ella reviſti, e in tal caſo potrà commettere, che i deputati, e i Procuratori razionali vengano co' libri, e con le ſcritture nel palazzo di V. S. acciochè Ella poſſa chiarirſi di quanto gli occorrerà per ſua ſoddisfazione. E quando ſarà ſoddisfatta, permetta liberamente, che ſi facciano ſecondo il ſolito l'aſſolutorie, e le condannatorie, come ſarà di giuſtizia.* Et in eadem ſub anno 1596. *che al Veſcovo ſi dii copia degli atti Capitolari, e ricuſando i Canonici, ſi ponno aſtringere con pene, e cenſure.*

CONSULTATIO CLV.

An Epiſcopus viſitare poſſit domum Parochi regularis cujuſcunque Ordinis exempti?

NEgandum videtur. Nam habent Regulares ſua 1
privilegia, quibus Pontifices Summi volentes conſulere eorum quieti, eos, & omnes domos ipſorum, omniaque loca ab eis dependentia cum tàm effrenata verborum expreſſione exemerunt ab omni viſitatione, & juriſdictione Epiſcoporum, ut non videatur poſſe declarari eſſe locum viſitationi Epiſcopali, niſi aliquod jus ſupervenerit, quòd dictæ exemptioni derogaverit.

Inter jura autem poſt privilegia Regularium edita, 2
non allegantur, niſi Concilium Tridentinum, & Conſtitutio Gregorii XV. At Concilium non ſubjicit parochiales exemptorum domos viſitationi Epiſcoporum, ſed ſolùm Eccleſias, & Curatores, & ne hos quidem ſimpliciter ſubjicit, ſed ſolùm in concernentibus curam. Unde fit, ut ſi dubitetur, an domus parochialis concernat curam, nec ne, conſiderandum ſit ex una parte, quòd domus expreſsè nominetur inter ea, quæ Pontifices in ſuis Conſtitutionibus eximunt a viſitatione Epiſcoporum, & ex altera parte conſiderandum eſt, quòd in his domibus poſſint comprehendi aliqua, quæ pertineant ad curam, adeòque domus ſubjiciatur, quoad illa, viſitationi Epiſcopi vigore Concilii, & Conſtitutionis Gregorianæ.

Ex hac diffinitiva conſideratione puto nullo fundamento poſſe dici, quòd domus Parochi regularis Or- 3
dinis exempti ſubjiciatur viſitationi Epiſcopali, etiam quatenus ejus domicilium ſit extra clauſtrum. Quia dicta exemptio ſe extendit etiam ad loca, & domos extra clauſtra poſitas, & nullum jus fuit poſtea conditum, quod iſta loca, & domos ſubjiciat Epiſcopo, eo præcisè quia ſunt extra clauſtra. Et contrarium probari non poteſt.

Si igitur aliquod fundamentum ſubeſt viſitandæ do- 4
mus, illud peti debet, quatenus pertinet ad curam animarum. Quomodò autem pertineat ad curam animarum, vix excogitari poteſt. Si enim conſideretur, quatenus in ea habitet, & in ea peccare poteſt Parochus, non videtur propterea poſſe viſitari, niſi a Superiore regulari, prout fit de facto, quia mores Parochi regularis exempti poſſunt a ſolo Superiore regulari corrigi, qui ideò tenetur ſuum Religioſum viſitare vigore ſuæ Regulæ. Et de hoc nulli dubium, cùm toties S. Congreg. Concilii ita declaraverit, docens, quòd Epiſcopus debeat monere Superiorem regularem.

Si verò domus conſideretur quatenus ſpectat ad rem 5
œconomicam, quid ad Sacramenta, cella panaria, vel vinaria? Credo hæc non admittenda inter ea, quæ ſic curaverit S. Concilium, & Gregoriana Conſtitutio, ut voluerit ea viſitari ab Epiſcopo.

Quòd ſi prætendatur viſitari debere quatenus in ea 6
ſervantur libri baptiſmales, aut aliqua ſacramentalia, tunc non ſolùm regulares aperiunt diœceſano poſticum, ut ingrediatur per ſcalam ſecretam, ſed expandunt omnes fores, ut ea viſitet, quia fatentur iſta ubicunque ſint, eſſe ſubjecta Epiſcopo. Sed hoc negant de domo, prout clariſſimè negatur in delatione dictæ Conſtitutionis Gregorianæ impreſſa in ipſo Bullario, ubi Sacra Congregatio cenſuit, non poſſe ab Epiſcopo viſitari loca, quæ ſunt extra parochialem Eccleſiam in Monaſterio exiſtentem, licèt Regulares audiant in eis confeſſionem perſonarum ſæcularium. Quod a fortiori quadrat domibus, ubi non audiuntur confeſſiones.

Nec dictæ domus poſſunt dici ſubjectæ Epiſcopis, 7
quia relationem habeant ad Eccleſiam parochialem ſubjectam. Siquidem loca clauſtralia, ubi audiuntur confeſſiones ſæcularium, etiam eſſent ſubjecta, quia habent etiam reſpectum ad Eccleſiam, quatenus ei cura animarum annexa eſt, & tamen S. Congregatio dixit, non eſſe ſubjecta. Item domus, & fabrica domus parochialis eſt prædium temporale, & proindè non cadens

ſub

ſub concernentibus curam. Etſi refectio Sacriſtiæ Parochialis Eccleſiæ ſubjectæ Regularibus non eſt de pertinentibus ad curam, ut per Barboſ. *de offic. Epiſc. alleg.* 74. *num.* 18. multò minus erit refectio domus.

8 Et valdè frivolum eſt, quòd dicitur, Epiſcopos dediſſe Parochias cum reſervatione ſuorum jurium. Quis enim negat, omnes antiquos Ordines fuiſſe fundatos ſub Epiſcoporum juriſdictione, & nullum antiquitùs fuiſſe permiſſum ab Epiſcopis fundari Monaſterium, niſi remanerent locus, & perſonæ in eo degentes ſub Epiſcopali juriſdictione? Verumtamen cùm S. Sedes videret Religioſos vexari ab Epiſcopis, eos exemit, & exemptio facta de plenitudine poteſtatis ex certa ſcientia, & proprio motu neceſſariò imbibit, & præſtat, quòd Epiſcopis aliquid auferatur. Et ſicut Pontifex non curavit querelas Epiſcoporum, ita nunc non videntur conſiderandæ, alioquin nulla eſt exemptio, quæ non ſit abolenda. De quibus videndus textus *in cap. Nimis iniqua, & cap. Nimis prava, de exceſſ. Præb. & Clem.* 1. *eod. tit. & Clem.* 2. *de cenſ.* ac Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 20. *de regul.* & Rodriq. *tom.* 2. *q.* 62. *art.* 3. *& qu.* 63. *art.* 1. *&* 2. Henriqu. *de indulg. cap.* 24. & Regulares paſſim.

9 At nihilominus affirmandum eſt ex Trident. *cap.* 7. *ſeſſ.* 7. *de reform. & ex Conſtit.* Gregor. XV. *de exemptor. privil.* ea quidem ratione, quia domus Parochi eſt de concernentibus exercitium curæ animarum. In ejus quippè viſitatione inquirendum, qui incolæ, quæ cohabitatio ancillarum, facinoroſorum, & ſimilium, reparatio, diſtantia ab Eccleſia, commoditas, & facilitas egrediendi noctu pro Sacramentorum adminiſtratione, & alia hujuſmodi, ut accuratè adnotat Gavant. *in prax. viſit. Epiſcop. §. 6. num.* 4. *& §. 9. num.* 15. Et quidem non video, cur Epiſcopus, qui reſpectu concernentium curam animarum, poteſt viſitare Eccleſias, & perſonas exemptas, nequeat viſitare ædes Parochiales, cùm potiùs acceſſorium ſequatur naturam ſui principalis, *leg. etiam, C. de jur. dot. reg. acceſſorium, de regul. jur. in* 6. Etſi licèt, quòd plus eſt, id quoque quod minus eſt licere debere, *auth. multò magis, C. de ſacroſ. Eccleſ. cap. Per venerabilem, qui fil. ſint legit.* Et Epiſcopum viſitare poſſe non ſolùm Eccleſias, ſed etiam loca, firmavit Sacr. Congregat. Concilii loquens de Monachis exemptis, & non ſolùm quoad curam animarum, ſed etiam quoad dependentia, & acceſſoria, ut aliàs plenè. Quin potiùs dari poteſt caſus, quòd ſi exempta Eccleſia, membra verò exempta non ſint, quorum ratione exempti Epiſcopo ſubſit, ut per Tambur. *de jur. Abb. to.* 1. *diſp.* 15. *qu.* 7. *num.* 9. Præcipuè quando non agitur de Monaſterio, nec de domo illi annexa, ſed diſtante.

10 Et ita declaraſſe S. Congregationem Concilii in Auguſtana 15. Junii 1652. jam alibi dixi, in qua cenſuit Epiſcopum poſſe viſitare nedum Eccleſiam Parochialem Regularium exemptorum in concernentibus curam animarum, & adminiſtrationem Sacramentorum, nec non perſonam illam exercentem, verùm etiam ædes Parochiales, & renuentes compellere, etiam per cenſuras. Quod confirmavit 17. Julii ejuſdem anni.

11 Quod præcipuè locum habet, quando conſtat harum Eccleſiarum conceſſionem fuiſſe factam, & fieri ab Epiſcopis non pleno jure, ſed cum reſervatione totius juris Epiſcopalis, nempè juribus tamen Epiſcopalibus omnibus ſemper ſalvis, cujus præſervativæ natura eſt, ut nullum præjudicium intelligatur illatum juri reſervato, ſed ſalvum, & illæſum remaneat in omnibus, & per omnia, ut per varios textus diſertè probat Spad. *conſ.* 3. *num.* 37. *lib.* 1. Aldov. *conſ.* 5. *num.* 19. *& conſ.* 110. *num.* 3. Hæc enim reſervatio modificat actum, qui geritur, illumque declarat, Gloſ. & Doctores *in l. Item Labeo ff. famil. erciſc.* Felin. *in cap. Inter Monaſterium* 20. *poſt med. de ſent. & re jud.* cùm aliis per Bertaz. *conſ.* 1. *num.* 98. *& ſeq.* Surd. *dec.* 163. *num.* 17. ac Rot. *dec. n.* 2. *& ſeqq. par.* 7. *rec.* Quæ adeò vera ſunt, ut quando reſervatio non inveniret quid modificandum, ipſum actum extingueret, & nugas reſolveret, Angel. *conſ.* 290. *num.* 4. Felin. *ubi ſupra num.* 3. Bertaz. *d. conſ.* 1. *num.* 100. Aldov. *conſ.* 5. *num.* 30. *& conſ.* 110. *num.* 14.

12 Accedente nedum Regularium acceptatione ejuſmodi præſervativæ, Rot. *dec.* 300. *num.* 2. *& ſeqq. par.* 7. verùm etiam renunciatione, quoad hoc ſuarum exemptionum, quæ quoad hunc effectum ſibi, ac ſuis ſucceſſoribus nullatenus ſuffragantur, adeòut ampliùs de exemptione agendum non ſit, *l. quæritur, §. ſi venditor, ff. de ædil. edict. l. ſi maritus, §. ſi negaverit, ff. ad l. Jul. de adult. l. poſtquam, C. de pact.* Junctis etiam confeſſionibus eorumdem, quæ licèt Prælatorum, adhuc cùm aliundè adminicula, & probationes habeant, nocent, Gregor. *deciſ.* 506. *num.* 3. ibique Add. *lit. A.* & Maſcard. *concl.* 367. *num.* 13. *& ſeq.*

Præterea de natura unionis eſt, ut cenſeatur facta ſine præjudicio alterius, ac retentis eiſdem oneribus, quibus res unita antea ſubjacebat, *cap. quia Monaſterium* 2. ubi Gloſ. *ſub init. de relig. dom. cap. Paſtoralis* 19. *de privil.* Coccin. *dec.* 162. *num.* 2. Seraph. *dec.* 1410. *num.* 18. *& ſeq.* Duran. *dec.* 14. *num.* 8. *& dec.* 92. *num.* 7. Rot. *dec.* 730. *num.* 1. *par.* 3. *rec.* cùm aliis, & benè ad rem hanc Fuſc. *de viſit. lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 5. *& ſeqq.* & latiùs *cap.* 26. *num.* 28. *& ſeqq.* 13

Denique cùm voluntates partium a poteſtate commodè deducantur, *l. Cùm te, C. de donat. propt. nupt. c. Cùm ſuper de offic. deleg.* Rota *p.* 5. *rec. dec.* 186. *n.* 8. & in Recanaten. bonorum 27. Junii 1643. coram Em. Cerro. Epiſcopus autem ex ſe non poſſit in totum Eccleſias, aut loca eximere a ſua juriſdictione, & Regularibus concedere, niſi aliquid ſibi reſervet, in ſpecie autem jus viſitandi, ut latè probat Fuſc. *d. lib.* 2. *c.* 20. *num.* 5. *& ſeqq.* loquens etiam ſtante unione, *& cap.* 26. *numer.* 29. *& ſeqq.* loquens in eiſdem terminis, reſtat, ut contra benè poſſit Prælatus regularis in aliquo particulari caſu ſuis exemptionibus renunciare præcipuè aliquid acquirendo poteſt in hoc caſu, & in conſequentiam actus, quem gerit facultatem Monacho facere, ut videre eſt in Eccleſia regulari, & exempta, ac in ipſis Religioſis exemptis, qui ſi animarum curam exercere velint, viſitationi Epiſcopi ſubjiciuntur, parique ratione, ſi Superior concedat licentiam exempto, ut exequutoris ultimarum voluntatum munus acceptet, illicò ipſi Epiſcopo ſubjectus remanet, *Clem. un. de teſt.* Tambur. *de jur. Abb. tom.* 1. *diſp.* 15. *quæſt.* 6. *n.* 23. *& p.* 3. *diſp.* 3. *q.* 6. *num.* 36. 14

CONSULTATIO CLVI.

An in erectione Canonicatus pœnitentiarii requiratur conſenſus Capituli?

Et an Pœnitentiaria exigat unionem beneficiorum ſimplicium?

AD primum non requiri, cùm Pœnitentiaria ad ſolùm Epiſcopum abſque conſenſu Capituli pertineat ex authoritate Sacri Concilii Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 8. *de refor.* traditque Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſcop. alleg.* 55. *num.* 2. *& ſeq. ac de Can. & dignit. cap.* 264. *num.* 4. Ubi *num.* 5. id procedere inquit etiamſi collatio præbendarum eſſet ſolius Capituli, & ad d. locum Concilii *n.* 11. Pariſ. *de conſid. quæſt.* 45. *num.* 17. Garz. *de benef. p.* 5. *c.* 4. *num.* 138. & Rot. coram Mantic. *dec.* 56. *num.* 3. Immò erigi poteſt etiam reluctante Capitulo, quòd nullum jus habet circa hujuſmodi actus, Rot. in Neapolitana pœnitentiariæ 4. Junii 1637. cor. Merlin. quæ eſt *dec.* 222. *par.* 7. *rec.* 1

Ad ſecundum. Non exigit, niſi fortè, ut opulentior reddatur, ſed tantùm de ſui natura requirit unionem præbendæ Canonicalis, ut ex decreto Sacri Concilii *d. cap.* 8. ibi: *Cum unione præbendæ.* Ubi verò fructus omnes in diſtributionibus quotidianis conſiſtunt, diſtributiones ad hunc effectum habentur pro præbenda juxta doctrinam Gloſ. *in cap. un. in princ. de Cler. non reſid. in* 6. & declaravit S. Congregatio Concilii apud Garz. *d. cap.* 4. *num.* 17. 2

CONSULTATIO CLVII.

An Canonico ſolito reſidere, in carcere detento, & abſoluto, tanquam non reperto culpabili, ac de jure punibili, debeantur diſtributiones pro tempore carcerationis?

AFfirmandum videtur. Nam regula eſt, quòd beneficiatus ſolitus reſidere, ſi non reſideat ex cauſa injuſtæ carcerationis, lucretur non ſolùm fructus, ſed etiam diſtributiones quotidianas, perindè ac ſi revera reſediſſet. Quia non poteſt dici per ipſum ſtare, quin divinis officiis intereſſet, nemoque debet ſine culpa ſua jure ſuo privari, ut per Covar. *var. reſol. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 8. ejus Magiſtrum Navar. *conſ.* 11. *num.* 6. *de Cler. non reſid.* Monald. *conſ.* 27. *num.* 6. *lib.* 1. Monet. *de diſtrib. p.* 2. *quæſt.* 5. *num.* 80. *&* 81. Seraph. *dec.* 1131. *n.* 2. 3. *&* 7. Gregor. *dec.* 54. *num.* 2. Buratt. *deciſ.* 624. *n.* 4. *cap.* 5. ac reſolvit ſæpiſsimè Sacra Congregatio Concilii apud Garz. *de benef. p.* 3. *cap.* 2. *num.* 362. *&* 363. Et Sacr. Congregat. ſuper Epiſcop. nominatim in una Aquilana 20. Junii 1681. his verbis: *Che a' Canonici, i quali per cauſe criminali ſono carcerati, quando vengono aſſolti, e liberati, ſi debbano loro le diſtribuzioni quotidiane, purchè detti Canonici, avanti che foſſero carcerati, foſſero ſoliti riſedere, e ſervire alla Chieſa.* Et interim ad inſtantiam carcerati deponuntur, ut ex eadem S. Congrega- 1

gregatione ſuper Epiſcopis in Capuana 29. Auguſti 1614. in Anagnina 11. Martii 1644. & alibi.

2 At nihilominus in hac ſpecie negandum eſt. Habet enim Canonicus contra ſe aliam regulam, quòd abſenti non debentur diſtributiones, quæ recipi debent tantummodò ab intereſſentibus, & inſervientibus Eccleſiæ juxta decretum Bonifacii VIII. *in can. un. de Cler. non reſid. in 6.* a Sacro Concilio Trident. *ſeſſ. 24. cap. 12. de ref.* confirmatum.

3 Neque ſuffragari poteſt exceptio, cum qua deducit ſe fuiſſe in carcerem conjectum, & abſolutum, tanquam non repertum culpabilem, neque de jure punibilem. Nam hujus abſolutionis nulla haberi poteſt ratio ad effectum, de quo agitur. Quia non eſt ex capite innocentiæ, qualis tantummodò attendi ſolet per Sacram Congregationem Concilii ad hoc, ut pro crimine captivus, poſtea relaxatus, faciat diſtributiones ſuas, ea ratione, quia hæc ſola abſolutio ex capite innocentiæ præſtat reo præſidium, ut de eodem delicto ulterius moleſtari non poſſit, Farinac. *quæſt. 4. num. 27.* Guazzin. *defenſ. 2. cap. 6. num. 12.* Sed eſt duntaxat abſolutio facta de eo, tanquam non reperto culpabili, nec de jure punibili, quæ æquipollet abſolutioni ex hactenus deductis, & nunquam tranſit in judicatum, adeòut ſemper novis ſupervenientibus indiciis cum eo agi poſſit, Guazzin. *ubi ſupra num. 11.* Et ideò eadem S. Congreg. ſuper Epiſcopis declaravit, deberi diſtributiones pro tempore carcerationis, ſeu vexationis indebitæ, poſt tamen abſolutionem, & rem judicatam, ut in Brunduſina 11. Junii 1596. ut in Averſana 13. Auguſti 1613. ac alibi ſæpiùs.

4 Præcipuè quando hujuſmodi abſolutio ſequuta eſt poſt concordatos poſtulatores, tunc enim videtur affectata, & ſolùm remiſſiva pœnæ, attenta præcedente concordia cum parte, quæ poſtulavit, & cum fiſco, ſicque tanquam lata ex indulgentia non ex capite innocentiæ criminis infamiam nequaquam tollit, *l. Indulgentia, C. de general. abolit.*

CONSULTATIO CLVIII.

An Abbas regularis non benedictus poſſit ſuis ſubditis regularibus Ordines minores conferre?

An Ordines minores per hujuſmodi Abbatem non benedictum collati non ſuis ſubditis ſint invalidi? &

An dictus Abbas non benedictus conferens Ordines minores non ſubditis in loco exempto, exiſtente in Diœceſi Epiſcopi, poſſit ab eodem Epiſcopo Diœceſano de hujuſmodi collatione puniri?

1 AD primum de jure communi, Abbas non benedictus non poteſt ne ſuis quidem ſubditis dictos Ordines conferre per textum *in cap. Cùm contingat, de ætat. & qualitate, & cap. 1. de ſuppl. negl. Præl.* traduntque ibi Gloſſa, & Canoniſtæ communiter, ac Felin. *in c. Eam te num. 2. de reſcr.* & alii adducti a Tambur. *de jur. Abb. diſp. 2. quæſt. 3. in princ. tom. 2.* At ex privilegiis, quæ ſingillatim referuntur a Tambur. *loco citato num. 1.* poſſunt etiam Abbates non benedicti ordinare, aliaque exercere, quæ poſſunt Abbates benedicti, ut ex privilegio Eugenii IV. Congregationi Caſinenſi de obſervantia in Hiſpania, & Congregationi S. Juſtinæ de Padua, Julii II. Congregationi Valliſumbroſæ, & quoad alios Abbates ſunt communicata, ut latiſſimè Gratian. *diſcept. 87. num. 11. cum pluribus ſeqq. & diſcept. 791. num. 8.* Et pro Baſilianis etiam non benedictis extant privilegia ejuſdem Eugenii IV. Pauli III. Gregorii XIII. & Pauli V. de quibus Conſtitutiones Religionis D. Baſilii, Tambur. *ubi ſupra num. 2.* & fuſiùs *diſp. 11. quæſt. 3. tom. 1.* & Gratian. locis allegatis, ac D. Fagnan. *in cap. Cùm contingat de ætat. & qualit. num. 4.* & declaravit Sacra Congregat. Concilii in Panormitana die 16. Martii 1647. *ad cap. 10. ſeſſ. 23. de reform.*

2 Ad ſecundum: Negant Azor. *inſtit. mor. par. 1. l. 12. cap. 20. q. 7.* Quaranta *in ſum. Bullar. v. Ordo, verſ. Abbatibus*, Bonac. *de ſacram. diſp. 8. qu. un. punct. 4. num. 3.* aliique apud Tambur. *diſp. 2. quæſt. 7. num. 4. & 8.* qui etiam refert Concilium provinciale Mediolanenſe, & Sacra Congregatio Concilii pluries declaravit, quod Abbates regulares, habentes ex privilegio facultatem deferendi inſignia Epiſcopi, poſſint minores Ordines ſæcularibus, Epiſcopi juriſdictioni ſubjectis, ac etiam Regularibus aliorum Ordinum conferre, de licentia tamen, & cum dimiſſoriis eorum Ordinariorum, ac Superiorum, idemque Tambur. *dicto num. 4.* ex mente aliorum declarat deciſionem Cardinalis Seraphini, quæ inter ejus impreſſas eſt 985. aliaſque reſolutiones in contrarium, & comprobat, quòd Abbatibus prædictis non deeſt poteſtas conferendi Ordines præfatis perſonis, etiam non ſubditis. Hoc ipſum repetit ex dictis reſolutionibus *diſp. 2. qu. 8. num. 2.* & Laur. de Franch. *de contr. inter Epiſc. & Regulares* in decreto, quod refert Sacræ Congregationis Concilii *fol. 72. in fin.* ac Fagnan. *in cap. ſtatuimus de ſuppl. neglig. num. 46.* Unde præſuppoſitis etiam diſpoſitione Sacri Concilii Trident. *d. cap. 10. ſeſſ. 23. de reform.* nec non reſolutionibus recentioribus ejuſdem Sacræ Congregationis, ex quibus vetitum legitur dictis Abbatibus Ordines conferre prædictis non ſuis ſubditis regularibus; ac illa antiquiori Bononien. ubi reſolutum fuit, quòd per hoc decretum non impediuntur Abbates, qui ſunt Sacerdotes, & benedicti, jus deferendi baculum, & mithram habentes, quin de licentia Ordinarii poſſint etiam aliis non ſubditis ſuis ordines conferre, & extraneis de licentia ſuorum Ordinariorum, accedente conſenſu illius Epiſcopi, in cujus Diœceſi Pontificalia hæc exercent. Et ita fuit ſervatum in tota Provincia Lombardiæ, & alibi uſque ad annum 1590. die 11. Julii 1592. Et tunc Epiſcopus Novarienſis, qui fuit ante promotionem Secretarius Sacræ Congregationis ſuper Epiſcopis revocavit in dubium, an ſic promoti eſſent benè promoti, & ſtante maximè rigore Bullæ Sixti V. obtinuit in omnem eventum a Gregor. XIV. per Breve facultatem abſolvendi, & diſpenſandi cum prædictis Clericis, ut præfertur, ordinatis, & ſuper hoc dubitantes etiam alii Epiſcopi ejuſdem Provinciæ conſuluerunt Sacram Congregationem Concilii, & in ſpecie Vicarius Apoſtolicus Parmenſis. Quæ Sacra Congregatio judicans rem valdè dubiam, petiit votum Rotæ, & juxta illud decrevit, prædictos Abbates non poſſe prædictos Ordines conferre extraneis, ſed ſuis ſubditis tantùm. Quod etiam a Sanctiſſimo approbatum fuit. Et quamvis tractatum etiam fuerit quòd ſuper hoc Conſtitutio promulgaretur, tamen promulgata non fuit. Et hæc fuere menſe Junii 1592. prout ex literis Vicario Parmen. exaratis ſub die 9. dicti menſis. Præſuppoſitis etiam Concilio Butrii *num. 10.* de Privilegiis, & juriſdictione iſtorum Abbatum, ac iis, quæ tradit Turrecr. *in cap. 2. d. 69.*

Quia tamen in textu Sacri Concilii nulla fit mentio nullitatis ordinum, neque contra illos ſic conferentes, 3
videtur negativè eſſe reſpondendum, & ſic pro validitate ordinum, neque illos eſſe reiterandos. Ita præcisè ad hoc dubium, etiamſi Ordines abſque literis dimiſſoriis Ordinarii, & licentia Epiſcopi loci ſint ab Abbate collati, reſpondit idem Tambur. *d. diſp. 2. quæſt. 8. tom. 2. ubi num. 1.* ait, ſic Ordinatum indigere tamen diſpenſatione ob ſuſpenſionem a ſuorum Ordinum exequutione. Nam per hanc ordinationem character imprimitur, ut ex pluribus authoritatibus Canoniſtarum, & Theologorum probat nominatim Rodriq. *q. regul. 18. art. 1. tom. 1.* Ubi ſubdit, quòd cùm in Sacro Concilio circa nullitatem Ordinis nihil ſit determinatum, ſed tantùm prohibitum Abbatibus, ne conferant, invaliditas, & nullitas Ordinum collationis non eſt per tacitos, & ſubauditos intellectus determinanda, & infligenda in præjudicium characteris jam impreſſi. Hoc ipſum docet Suarez *de relig. tom. 4. tr. 8. lib. 2. cap. 29. num. 20.* qui refert Sacræ Congregationis Concilii declarationem, aitque, ſic Ordinatos non indigere iterùm tonſura, vel aliis minoribus Ordinibus, jam receptis, initiari, ſed tantùm diſpenſatione ob incurſam ſuſpenſionem, ex quo fuerunt ordinati abſque dimiſſoriis proprii Epiſcopi. Unde infert, Abbates licèt ex dictis literis dimiſſoriis ordinare neceſſariò ſupponantur, habere poteſtatem, quamvis impeditam. Nam dimiſſoriæ non tribuunt poteſtatem, ſed tantùm licentiam, vel jus utendi ſua facultate. Quæ quidem S. Congregationis declaratio legitur inter impreſſas poſt Concilium *ad d. cap. 10. ſeſſ. 23.* Idipſum tradunt Layman. *lib. 5. tract. de ſacram. Ordin. c. 9. num. 7.* & Sanch. *Opuſc. lib. 7. cap. 1. dub. 19. num. 17.* cum communi ſententia. Quia Tridentinum non aufert ab illis totalem poteſtatem de jure communi conceſſam, ſed uſum illius reſtringit, ut extra dictos limites reddat illicitum, licèt ſi alieno ſubjecto, conferant ſine licentia ipſius Prælati, aliqui dicant ordinationem nullam eſſe totaliter quia exceſſerunt limites ſuæ facultatis a jure conceſſæ, ut Palud. & Layman. ibidem. Sed contra Sanchez ibi cum communi ſententia Doctorum ait, quòd non recipit promotus Ordinis exequutionem, ſed ordinatio imprimit characterem, quia privilegium hoc eſt per ſe primò abſolutè conceſſum, Archid. *in c. Abbates, de privil. in 6.* ibique Gemin. & Franch.

Verùm hæc, & ſimilia, eaque præſertim, quæ ſparſim D. Fagnanus locis allegatis adducit, nullo pacto me 4
dimovere poſſunt a ſententia affirmativa, quam probavi *tom. 1. conſult. 367. num. 3.* quòd ſcilicèt Ordines hujuſmodi ſint invalidi.

Ad

5 Ad tertium. Exquirendum prius videtur quænam pœna ſit de jure impoſita in hoc caſu. Tambur. *d. diſput. 1. quæſt. 9. tom. 2.* reſpondet, quòd conſulta ſuper hoc Sacra Congregatione Concilii ab Abbate S. Mariæ de Succurſu, qui minores Ordines contulerat tribus fratribus S. Auguſtini cum dimiſſoriis eorum Superiorum, eadem Sacra Congregatio cenſuit, quòd non poſſit dictos Ordines conferre abſque conſenſu Epiſcopi loci, & quoad pœnam incurſam, non eſſe illam, de qua *in d. cap. 10. Concilii ſeſſ. 23.* quia illa reſtringitur tantùm ad concedentes dimiſſorias. Item neque eſſe illam, de qua in *cap. 2. ſeſſ. 14.* quia procedit quoad Epiſcopos nullius. Item neque pœnam *cap. 8. ejuſdem ſeſs.* quia loquitur, quando ſine teſtimonio Ordinarii Ordines conferret, ſed eſſe illam, de qua *in cap. fin. ſeſs. 6. de reform.* nempè ſuſpenſionis ab exercitio Pontificalium non per annum tantùm, ſed ſimpliciter, videlicet a collatione Ordinum, & ſimilium, non autem a divinis. Et licèt illud caput loquatur de Epiſcopis, idem tantùm habere locum, & multò magis in Abbate. Unde conſequens erit, ut ſi poſtea celebravit, non ideò effectus ſit irregularis, tamen indigeat rehabilitatione ad exercitia Pontificalium, a quibus fuit ſuſpenſus. Idem erit advertendum quoad Ordinatos, quia & ipſi ſunt ſuſpenſi ab exequutione Ordinum, & ſi celebraverint, ſunt irregulares, & indigent diſpenſatione. Quam declarationem adducit etiam D. Fagnan. *in cap. Aqua de conſecrat. Eccleſ. vel alt. num.* 18.

6 At Bonac. *de cenſur. diſput. 2. punct. 5. §. 4. num. 12.* concludit contra Sayrum, quòd neque etiam incurrat Abbas dictam ſuſpenſionem. Quia Concilium imponit illam tantummodò concedentibus dimiſſorias. Ideòque *ibid. num. 13.* firmat cum Jo: Andrea, Lapo, Geminiano, & aliis, quibus ipſe adhæret, Abbatem peccare quidem conferendo Ordines minores non ſubditis, & abſque licentia Ordinarii, ſed non tamen incurrere dictam ſuſpenſionem.

7 Dum igitur Abbas vel nullam incurrit ex hoc Eccleſiaſticam cenſuram, ſeu ſuſpenſionem, ſed tantùm peccat, vel ad ſummum ſuſpenſionem tantùm ab exercitio Pontificalium, fruſtra quæri videtur, an poſſit ab Epiſcopo puniri. Nam etiamſi Regulares decretis S. Concilii controvenerint, & abſque licentia Epiſcopi, ubi requiritur, actum prohibitum, geſſerint, non ideò ſunt ab Epiſcopo puniendi, ſed a ſuis Superioribus, ut reſolvit S. Congregatio Concilii apud Quarantam *v. Privilegia Regularia*, cujus etiam meminit Barboſa *in collect. jur. can. lib. 5. tit. 7. cap. 13. num. 43.* Cùmque certi ſint determinati caſus, in quibus Epiſcopus poteſt procedere contra Regulares exemptos, qui recenſentur a Barboſa *de offic. Epiſc. alleg. 105. par. 2.* & a Laur. de Franch. *loc. cit. q. 5.* neque inter eos legatur is caſus, utique remanet ſub diſpoſitione privilegiorum Regularium, quorum vigore in omnibus ab Epiſcopi juriſdictione ſunt exemti, ex traditis per eundem Barboſam *eo loco*. Quidquid ſecus dicendum eſſet, ſi ageretur de publicando Regularem incurſum in excommunicationem a jure latam. Quo in caſu ſpectat ad Epiſcopum, illum uti talem denunciare, ut per Barboſam, & Laur. *locis adductis*, & nos alibi.

8 Quinimmò neque videtur in hoc caſu eſſe locum alicui pœnæ contra hujuſmodi Abbatem, vel ſuſpenſioni etiam a ſuo Superiore imponendæ. Siquidem ex tot authoritatibus Theologorum, Concilii Provincialis Mediolanenſis, & antiquarum S. Congregationis Concilii reſolutionum, quas ſupra retulimus ad ſecundum dubium, habere poteſt juſtiſſimam cauſam credendi, ſe jure poſſe dictos Ordines, etiam non ſubditis conferre, itaut a qualibet pœna, culpa, & dolo ſit excuſandus, ut per Chartar. *dec. crim. par. 1. num. 37. & dec. 5. n. 4.* Et in fortioribus terminis cujuſdam Superioris regularis, ut evaderet excommunicationem ob juſtam credulitatem præſtitam authoritatibus Doctorum, & Sapientum etiam erroneis, dixit Anton. *var. reſ. lib. 1. reſ. 96. n. 4.* Sufficit enim ad evitandam graviſſimam ſuſpenſionis pœnam, quòd bona fide procedatur, & abſque temeritate, ac dolo, ſine quo nunquam incurritur pœna, ut decernitur *in l. Sancimus, C. de pœn.* & probant Caſtr. *in l. 1. in fin. ff. de legib.* Dec. *conſ. 82. num. 3.* Marſil. *conſ. 137. n. 5.* Farinac. *conſ. 15. num. 36. lib. 1.* Adeò, quòd non ſufficiat lata culpa, *l. lege, ff. ad l. Cornel. de ſicar. & l. ſi quacunque ff. ad l. Aquil.* Boſſ. *de homic. num. 68.* Farin. *cit. conſ. 15. n. 9.* qui dolus, atque temeritas nunquam præſumitur, niſi concludenter probetur, *l. merito ff. pro ſocio, l. quoties 2. §. qui dolo ff. de prob.* Becc. *conſ. 77. n. 18.* & potius errori, quàm dolo actum eſſe tribuendum, habetur *in l. quòd adhibitis, C. de his ſibi adſcrib. in teſtam.* ibi: *Te credo magis errore, quàm malitia incidiſſe.* Nec unquam conſiderari poſſe dolum, niſi concurrente conſilio, & animo fraudandi legem, ait textus *in l. fraudis, ff. de reg. jur.* & probat Alban. *conſ. 97. num. 36.*

Verùm hodie nullo modo hujuſmodi Abbates excuſari poſſunt ob decretum S. Congregationis Concilii ſolemniter publicatum ſub 23. Novembris 1641. de quo idem Fagnan. *in d. c. Aqua num. 19.* & nos *tom. 1. conſult. 367.* ubi etiam tradidi hujuſmodi Abbates non benedictos, conferentes Ordines minores non ſubditis in loco exempto, exiſtenti in Diœceſi Epiſcopi, poſſe ab eodem Epiſcopo puniri juxta præſcriptum Sacrorum Canonum. Nec obſtat declaratio ſuperiùs adducta a Fagnano, & a Tamburino, quia loquitur tantùm de Abbatibus benedictis, non autem non benedictis. 9

CONSULTATIO CLIX.

An Canonicus Eccleſiæ Collegiatæ poſſit in Synodo Diœceſana Judex deſignari ex diſpoſitione Concil. Trident. cap. 10. ſeſſ. 25. de ref. *ubi aliqua de Judicibus Synodalibus?*

NEgativè reſpondeo. Quia *cap. Statutum, de reſcript. in 6.* ad quod expreſsè habet relationem Concilium circa qualitates requiſitas in hujuſmodi Judicibus, illiuſque diſpoſitionem in hoc attendi jubet, diſponit in melius anteriores leges, illas reformando, ut nullis niſi dignitate præditis, aut perſonatum obtinentibus, ſeu Eccleſiarum Cathedralium Canonicis cauſæ authoritate literarum Sedis Apoſtolicæ, vel Legatorum committantur. Cui etiam inhæret Conſtitutio Gregor. XV. de *Conſerv. Regul.* cùm iſti quoque electi per ipſoſmet Regulares ad formam ejuſdem Conſtitutionis ſint delegati Apoſtolici. Et hanc ſententiam ſequuntur Gloſ. *in d. c. Statutum*, ibique Jo: Andr. Franch. & alii, ac Genuenſ. *in pract. Eccleſ. qu. 612. num. 2.* Maſſobr. *de Synod. cap. 4. dub. 10. n. 5. & 25.* ubi refert declarationem Sac. Congregationis Concilii per hæc verba: *An poſſit eligi in Judicem Synodalem Canonicus Eccleſiæ Collegiatæ, qui ſit Doctor, ſi non extant in Cathedrali Doctores, ſaltem ita idonei? Sacra Congregatio cenſuit Canonicum Collegiatæ eligi non poſſe in Judicem Synodalem*, Gavant. *in man. Epiſcop. v. Judex n. 4.* quam ſententiam ait meliorem, idque etiamſi Canonicus Collegiatæ ſit peritiſſimus. Quamvis minus rectè oppoſitum doceant plerique apud Barboſam *de poteſt. Epiſcop. alleg. 46. num. 12.* 1

Ratio autem eſt, quia *d. c. Statutum* procedit per diſpoſitionem negativam, *ut nullius, &c.* quæ excludit omnes alias perſonas præter expreſſas. Et licèt Eccleſia Collegiata reſpectu juriſdictionis, quam habet ſupra perſonas Collegii, dicatur habere dignitatem, ut per Lotter. *de re benef. lib. 1. quæſt. 14. num. 87. & 97. & ſeq.* Ricc. *in pr. qu. 1. deciſ. 637. num. 5.* & Seraph. *deciſ. 22.* nihilominus ejus Canonici non dicuntur habere dignitatem, cùm non ſint in magno honore, & præeminentia, in qua verſantur Canonici Cathedralis, qui dicuntur Clerici primi Ordinis, & ſunt pars corporis Eccleſiæ ſub capite Epiſcopi ex allegatis per Gonzal. *ad reg. Cancel. gloſ. 2. num. 39. & ſeq.* ac per Lotter. *lib. 2. qu. 48. num. 155. & 157. & 162.* Atque hinc poſſunt in ampla quidem ſignificatione dici conſtituti in dignitate, vel dignitati æquiparari, ut ex *cap. Quamvis §. quamquam, de præb. in 6.* firmat Pariſ. *de reſign. lib. 2. qu. 1. n. 102.* & Lotter. *d. lib. 1. qu. 4. num. 24.* 2

Neque prætendi poteſt, Canonicum Collegiatæ venire ſub nomine perſonatus admiſſi per *d. cap. ſtatutum.* Quia perſonatus in Eccleſia eſt gradus diſtinctus a Canonicis, & dignitatem quandam mediam habens inter dignitates, & Canonicos, Pariſ. *d. quæſt. 1. num. 91.* & Lotter. *lib. 2. quæſt. 16. num. 49. & ſeq.* 3

Minuſque facienda eſt vis in conſuetudine, reſultante ex deputationibus, aliàs factis. Tùm quia debet eſſe quadragenaria, cùm præſcribatur contra jus dicti *c. Statutum.* Tùm quia contra Concilium Tridentinum haud facilè admittuntur conſuetudines. Tùm etiam quia conſuetudini etiam immemorabili contrariæ derogatum eſt per dictam Conſtitutionem Gregorii XV. 4

Hinc nequit Epiſcopus ſibi reſervare nominationem Judicum Synodalium faciendam extra Synodum, cùm reperti fuerint præditi qualitatibus requiſitis, ſed ſi non adſunt idonei in Diœceſi, danda eſt facultas deputandi alios de conſenſu Capituli, ex Sacra Congregat. Concilii in Mazaren. 25. Maji 1640. At quando Ordinarius vult ſubſtituere aliquem in locum Judicis Synodalis Defuncti, vel abſentis per longum tempus, debet petere, ſed non ſequi conſilium Capituli, ut in Florentina ex declarationibus antiquis ejuſdem Sacræ Congregationis, & ex alia, quam refert Fagnan. *ad c. Nullus, de elect. num. 64.* per textum *in cap. Præſentata de teſtibus*, Cardin. 5

din. *conſ.* 54. & textum *in l. ſi longus, ff. de Judic. & in cap. quod ſedem de offic. ordin.* in quibus habetur, quod diuturna abſentia morti æquiparetur. Et licèt ex dicto decreto Tridentino *cap.* 10. *ſeſſ.* 25. ſtatutum ſit, quod in Synodo Diœceſana, quæ quotannis celebratur, Judices delegati deputandi ſint, attamen, ſi Synodus non celebretur, officium Judicum jam deputatorum prorogatur, donec Synodus habeatur, ut in Mediolanenſi. Ideòque monendus Epiſcopus, qui in prima ſua Synodo Diœceſana non conſtituit Judices, quibus cauſæ a Sede Apoſtolica, & Nunciis committantur, ut in ſecunda non prætermittat, quin eos eligat, ut in Omucen. etiam in antiquis declaratum fuit.

CONSULTATIO CLX.

Ad quem ſpectent oblationes, illarumque adminiſtrationes, quæ fiunt Imagini translatæ ad Eccleſiam Cathedralem, & in quem uſum ſint convertendæ? Ubi plura de hujuſmodi oblationibus.

1 PRima ſententia eſt ſpectare ad Capitulum. Primò, quia Capitulum ex diſpoſitione juris communis habet intentionem fundatam ſuper adminiſtratione omnium bonorum, ac reddituum ſuæ Eccleſiæ, *c. Relatum* 12. ibique Abb. *num.* 5. *de teſtib.* Felin. *in c. Edoceri n.* 3. & 9. *de reſcr.* Cæſar. de Graſſ. *dec.* 4. *de his, quæ fiunt a Prælatis*, Rot. *dec.* 16. & *dec.* 183. *num.* 1. *par.* 1. & *dec.* 252. *num.* 5. *par.* 5. & *dec.* 254. *num.* 7. *par.* 6. *rec.* Secundò, quia cùm de jure oblationes debeantur Capellæ, & imagini, cujus intuitu fiunt, ut firmatur in deciſione Barchinonen. oblationum 17. Decembris 1612. coram Innocentio X. Capitulum, ut adminiſtrator bonorum ſuæ Eccleſiæ, eſt etiam adminiſtrator bonorum ſingularum ejus Capellarum, & Imaginum, *l. quæ de tota in princ.* & ibi Gloſ. & Bartol. *ff. de rei vendic.* & *cap. Paſtoralis, §. Item*, ibique Gloſ. Bald. Cardin. Imol. Panorm. Barbat. & Felin. *de offic. deleg.* Ac demum quia cùm Cathedralis ſit etiam curata, oblationes ſunt de jure Parochiali per textum in *cap. Quia Sacerdotes*, & *cap. Sanctorum* 10. *qu.* 1. Et ſuper omnibus oblationibus, quæ fiunt non ſolùm intra Parochialem, ſed etiam inter Parochiam, Eccleſia Parochialis habet de jure communi intentionem fundatam ex latè deductis in Lunen. Sarzanen. oblationum 8. Februarii 1627. coram Merlino, & in Aquilana nullitatis erectionis 20. Decembris 1610. coram Pirovano.

2 Ita ſanè, ut non obſtet, quòd Imago aliàs exiſteret intra domum alterius Parochiæ: Quia cùm non agatur de oblationibus factis ante, ſed poſt translationem, illæ debentur Eccleſiæ, & Cappellæ, cujus intuitu fiunt, ut tradit Felin. *in cap. Dilectus num.* 1. *de offic. ord.* & fuit judicatum in Toletana eleemoſynarum 29. Maji 1619. coram Pirovano, & firmatur in d. deciſione coram Innocentio X. Et in terminis Imaginis translatæ extat decretalis Alexandri III. relata per Rebuff. *de decim. quæſt.* 1. *num.* 30. Et nemo plus juris poteſt in alium transferre, quàm ipſe habet, *cap. nuper de donat. inter vir. & uxor.* Gloſ. *fin. in cap. jura* 11. *de jurep.*

3 Unde ne jus quidem ullum habet Epiſcopus ſuper adminiſtratione harum oblationum, cùm illa de jure ſpectet ad Parochum, non autem ad Epiſcopum, ut de veriori, ac receptiſſima Doctorum ſententia teſtatur Rota *dec.* 37. *num.* 3. *par.* 5. *rec.* Idque etiamſi fundaret jus ſuum in acquieſcentia Parochi. Nam licèt Parochus habeat fundatam intentionem ſuam, attamen id procedit quando oblationes fiunt intra limites Parochiæ in domo laicorum, quo caſu cùm laici ſint incapaces dictarum oblationum, nil mirum ſi illarum adminiſtratio ſpectet ad Parochum, ſecus autem, quando dominus domus, in qua eſt depicta imago, eſt capax illarum adminiſtrationis, ut eſt Capitulum Cathedralis ad tradita per Decian. *conſ.* 16. *num.* 15. *lib.* 2. Petrum de Raven. *ſingul.* 468. Lotter. *de re benef. lib.* 1. *quæſt.* 30. *num.* 30. & *ſeqq.* ac Rebuff. *de decim. d. qu.* 1. *num.* 28.

4 Eoque magis ſi hujuſmodi oblationes fiant a diverſis perſonis, & pro majori parte a viris alienæ Parochiæ. Tunc enim non poteſt dici, quòd fiant intuitu Parochialis Eccleſiæ, ſed Imaginis exiſtentis in Cathedrali, & extra Parochiam, atque adeò dictæ Imagini, & non Parocho acquiruntur, ut per Coſt. *de rat. quæſt.* 258. *n.* 8. & *ſeq.* Genuen. *in princ. cap.* 57. *n.* 1. & 2. & *pract. Eccleſ. quæſt.* 230. Gregor. Lop. *in l.* 6. *Taur. tit.* 17. *par.* 1. *num.* 2. & Lotter. *d. quæſt.* 30. *num.* 31.

5 Et confirmatur. Quia ſi Confraternitates laicorum ex generali conſuetudine excludunt Parochum ab adminiſtratione oblationum, quæ fiunt in ſuis Eccleſiis, vel in Oratoriis juxta ea, quæ tradit Mareſcott. *capit.* 42. *in fin.* Dec. *conſ.* 148. Multò fortiùs id firmandum eſt in Cathedrali Eccleſia, quæ ſemper dicitur capax adminiſtrationis oblationum, & perceptionis quarumcunque decimarum.

Quod præcipuè locum habet, quando domus, in qua 6
eſt depicta Imago, eſt propria Capituli, & membrum Cathedralis, quæ eſt Eccleſia curata. Unde cùm agatur inter duas Parochiales, Capitulum, tanquam Parochus dignioris, & Dominus directus domus eſt præferendum.

Secunda ſententia eſt, ſpectare ad Epiſcopum, pro 7
quo ſtat regula *in cap. Præter hoc ad fin. d.* 32. ubi expreſsè deciditur, quod decimæ, primitiæ, & oblationes vivorum, & mortuorum Eccleſiis Dei fideliter reddi debent, ut ipſæ in diſpoſitione Epiſcoporum ſint *in cap. quæcunque*, & *in cap. de his* 10. *quæſt.* 1. & *in c. Præcipimus* 16. *quæſt.* 4. Quæ ſententia ceſſante concurſu Parochi, videtur indubitata Abbati *in dict. cap. Dilectus num.* 4. *de offic. Ordin.* Troyl. de Malvet. *de oblat. dub.* 4. *num.* 68. Angelo *in diſp. incip. in re fulgenti dub.* 2. Petro de Ubald. *de can. p. c.* 40. *quæſt.* 16. & Rota *in rec. d. dec.* 37. *num.* 4. *par.* 5.

Quinimmò etiam reſpectu Parochi ceſſat difficultas, 8
quando ex conſuetudine ſpectant ad Epiſcopum, Soccin. *de oblat. lib.* 18. *num.* 48. & 54. Malvet. *eod. tract. dub.* 4. *num.* 62. Coſt. *de rat. qu.* 239. *num.* 14. & *ſeqq.* Dec. *conſ.* 146. *n.* 3. Ferret. *conſ.* 278. *per tot.* ac Rot. *d. dec.* 37. *numer.* 13. Quemadmodum hanc conſuetudinem extare in Civitate Peruſina, conſtat ex Epiſtola Sacræ Congregationis Concilii 20. Decembris 1605. & 10. Decembris 1621. & 5. Maji 1636. Quæ declarationes habent vim legis, ut ajunt Surd. *de alim. tit.* 1. *qu.* 59. *in fin.* Honded. *conſ.* 76. *numer.* 26. *lib.* 2. Garz. *in præf. ad tract. de benef. ante med.* Cened. *can. quæſt. cap.* 6. *num.* 9. Mantic. *deciſ.* 56. *num.* 3. Burat. *deciſ.* 479. *num.* 2. Cavaler. *deciſ.* 628. *num.* 8. & Rot. in Tarraconen. Parochialis 14. Januarii 1639. coram Cardinali Panzirolo. Præſertim cum in hac materia oblationum plurimum attendendam eſſe conſuetudinem, admittant omnes, nominatim Malvet. *d. dub.* 4. *num.* 16. Soccin. *loc. cit. num.* 17. Decian. *dict. conſ.* 16. *num.* 1. Ricc. *dec.* 170. *num.* 2. Gratian. *cap.* 395. *num.* 25. & Rota *deciſ.* 37. *num.* 13. *par.* 5. *recent.* & *dec.* 391. *num.* 2. *part.* 4. *item rec.* Lotter. *dict. lib.* 1. *qu.* 30. *ſub num.* 32.

Multòque magis hoc dicendum in caſu, in quo Ima- 9
go translata ſit ad Cathedralem. In eo enim intrat concluſio, quòd oblationes factæ in Cathedrali acquirantur Epiſcopo, & non Capitulo, quando fiunt altari de menſa Epiſcopi, & non de menſa Capituli, ut rectè diſtinguit Malvet. *dub.* 4. *numer.* 69. qui loquitur etiam in fortioribus, quando nimirum Cathedralis eſt Parochialis.

Hoc idem probat d. Epiſtola decretalis Alexandri III. 10
quæ eſt ultima in collectione *de decim. fol.* 80. ubi habetur, quòd ſacra hoſtia miraculoſa a Parochiali ad Eccleſiam majorem per Epiſcopum, & Canonicos translata fuerat. Repetebat Rector dictæ Parochialis oblationes, quæ in fabricam Cathedralis inſumptæ fuerant. At Epiſcopus inſtitit coram Pontifice, ut Rectori imponeret ſilentium. Pontifex negat, id facere, & mandat duobus aliis Epiſcopis, ut commoneant Rectorem deſiſtere, & in reparationem Cathedralis erogari permittat. Si verò ad hoc induci non poſſet, eidem cauſæ debitum finem imponeret, ex qua decretali non rectè colligit Rebuff. *de decim. quæſt.* 1. *num.* 30. quòd oblationes debeantur Eccleſiæ, ad quam translata fuit Imago. Nam textus contrarium probat. Si enim id de jure fuiſſet, Pontifex ſilentium impoſuiſſet Rectori Parocho, ſicuti petebat Epiſcopus, & non rogaſſet Parochum, ut permitteret oblationes converti in fabricam Cathedralis, neque dixiſſet Pontifex, petitioni tuæ non poſſumus ſuper hoc exhibere favorem; quia potuiſſet, ac debuiſſet, nam tenetur lites injuſtas extinguere inter Eccleſiaſticos, *capit. finem litibus*, *de dol.* & *contum.*

Maximè quando translatio facta fuit ſine præjudicio 11
quorumcunque jurium Epiſcopatus, quæ clauſula præſervat jura tàm in poſſeſſorio, quàm in petitorio, ac ſi actus geſtus non fuiſſet, Peregrin. *de fideicomm. art.* 47. *num.* 29. Seraph. *dec.* 351. *num.* 23. Rot. *in recent. dec.* 340. *num.* 12. *part.* 5.

Adeòque, ut non obſtet, quòd domus eſſet ſub pro- 12
prietate Capituli. Quoniam ab ea concluſione, quòd laicus Dominus domus non ſit capax oblationum factarum Imagini in pariete depictæ non poteſt inferri, ergo quando Dominus eſt Eccleſiaſticus, ad eum ſpectant, ut fecit Decian. *d. conſil.* 16. *n.* 15. *lib.* 2. Quia non licet arguere a contrario ſenſu in dictis Doctorum, ut tradunt

Gabr.

Gabr. *conſil.* 170. *num.* 14. *lib.* 1. Franch. *deciſ.* 87. *numer.* 16. Seraph. *deciſ.* 1342. *numer.* 1. & Rot. *deciſ.* 366. *num.* 2. *part.* 3. *diverſ.* Unde nil mirum ſi innixus Decianus tàm debili argumento contradixit communi opinioni, quæ vult, non eſſe attendendum dominium Eccleſiæ in ipſo pariete, ut de communi teſtatur Soccin. *de oblat. libel.* 18. *numer.* 5. Mareſcott. *var. reſol. lib.* 2. *cap.* 42. *num.* 9. Rot. *deciſ.* 391. *num.* 6. *p.* 8. *rec.* ubi aliæ. Quibus accedit, quod dominus directus nequit ea prætendere, quæ concernunt utilitatem, & fructum, ſed ſpectant ad utile dominium, ſicuti de theſauro, & ſtatuis repertis dixit Rota in Romana lapidum, & ſtatuarum coram Manzanedo *poſt.* 2. *volum. conſ.* Farinac. *deciſ.* 359. Præterea non attenditur in hac materia ſpirituali dominium parietis, ut notant doctores *in cap. Conqueſtus, de for. compet. & in cap. Quia Sacerdos* 10. *q.* 1. Petr. Ubald. *de can. port. cap.* 4. *quæſt.* 16. *num.* 4. Sic videmus, quòd oblatio facta Eccleſiæ, vel altari, cui inſervit peculiaris Capellanus, ſpectat ad Epiſcopum, niſi Capellanus ſit pauper, Barboſ. *de jur. univ. lib.* 3. *cap.* 23. *a num.* 22.

13 Non obſtat *deciſ.* 37. *part.* 5. *rec.* Quia ibi Capitulum habebat curam animarum, & Parochiam, quod fuit ratio ſic decidendi, ſecus autem de Cathedrali, quæ non eſt Parochia. Ceſſante igitur hoc fundamento, & Parocho acquieſcente, regula ſtat pro Epiſcopo, ut per Felin. *in d. cap. Dilectus ſub princ. & num.* 3. *de offic. Ordin.* ac firmatur in eadem *deciſ.* 37. *num.* 4. Ubi quod Epiſcopo ſolùm debeantur oblationes, quando ceſſat jus Parochi. Atque ita cenſuit Sacra Congregatio Concilii in Peruſina 5. Martii 1646. nempè, ſuppoſita acquieſcentia Parochi S. Eliſabethæ, adminiſtrationem oblationum, quæ fiunt Imagini Sanctiſſimi Salvatoris, ad Eccleſiam Cathedralem translatæ, ſpectare ad Epiſcopum, non autem ad Capitulum, ita tamen, ut ab eodem Epiſcopo convertantur in pios uſus ejuſdem Imaginis, & alios. Quod etiam ſemel, & iterum prius fuerat diſputatum, & reſolutum in fortioribus terminis contra Religionem Hieroſolymitanam, & contra Regulares præſertim in Brixien. 22. Auguſti 1608.

14 Itaque verior, & receptiſſima ſententia eſt, quòd ſive in Eccleſia parochiali hujuſmodi Imagines poſitæ ſint, ſive extra, intra tamen limites Parochiæ, ſpectent ad Parochum per textum *in c. hanc conſuetudinem* 10. *qu.* 1. *cap. Paſtoralis*, ibique Canoniſtæ, nominatim Fagn. *a num.* 16. *de his, quæ fiunt a Præl. in eod. cap. Dilectus, de offic. Ordin.* ubi Felin. *loco allegato*, Abb. *num.* 4. ſubdens, Epiſcopo ſolùm deberi oblationes, quando Imagines reperiuntur extra omnem Parochiam, *& in cap. Quoniam, num.* 1. *de decim.* Capell. Toloſ. *deciſ.* 483. Ferret. *conſ.* 143. *numer.* 2. *cum binis ſeqq.* Azor. *inſtit. moral. part.* 1. *lib.* 7. *cap.* 38. *quæſt.* 13. Decian. *d. conſ.* 16. *per tot. lib.* 2. Guttier. *var. lib.* 2. *cap.* 42. *numer.* 6. *& ſeqq.* Bellet. *diſq. Cler. part.* 1. *tit. de bonis Cler. §.* 3. *&* 6. Ricc. *part.* 4. *elect.* 160. *numer.* 7. D. Thom. 2. 2. *q.* 86. *art.* 2. ſignatè *in reſp. ad* 2. & expreſsè Rot. in d. Aquilana nullitatis erectionis coram Pirovano, quæ eſt *deciſ.* 256. *part.* 1. *recent.* & in Beneventana ſpolii 2. Decembris 1586. & eadem die 1587. coram Orano, ubi reſolutum fuit, oblationes factas in Eccleſia Cathedrali ſpectare non ad Epiſcopum, ſed ad Archipresbyterum qui curam animarum ibi exercebat. Quod ipſum reſpondit Sacra Congregatio Concilii in Caven. apud Barboſ. *de offic. Paroch. cap.* 24. *num.* 29. Ratio autem eſt, quia oblationes de jure ſpectant ad Rectorem Eccleſiæ, *cap. Cùm in tua, & cap. Dudum, & cap. Quoniam de decim.* Parochus autem eſt rector Eccleſiæ, cùm ad ipſum pertineat cura adminiſtrationis Sacramentorum. Idque etiam ſi conſuetudo ſit, oblationes hujuſmodi debeantur laico domino muri, in quo depicta eſt imago. Quia talis conſuetudo expreſsè damnatur *in d. can. Hanc conſuetudinem* 10. *quæſt.* 1. & tradunt Soccin. *de oblat. d. libel.* 18. *num.* 4. Dec. *conſ.* 148. *num.* 3. Decian. *conſ.* 16. *numer.* 15. *l.* 2. Ferret. *conſ.* 278. *ſub init.* quos ſequitur Fagnan. *loco allegato num.* 19. quod procederet etiam reſpectu adminiſtrationis, quia cùm oblationes ſint res ſpirituales *d. cap. quia Sacerdotes* 10. *quæſt.* 1. laici non debent in illis quoquomodo ſe ingerere, & contrariam conſuetudinem eſſe pravam, & contra libertatem Eccleſiaſticam, plenè conſuluit idem Ferret. *conſ.* 143. *num.* 5. Quæ conſuetudo ſalvari poteſt, ſi adhuc deputarentur a Parocho, vel alio habente authoritatem, ut eorum nomine has oblationes perciperent, & cuſtodirent ita, eſſent nudi miniſtri, non tanquam habentes aliquam authoritatem, vel præeminentiam. Quia eſſet tractare jura Eccleſiæ propria authoritate contra textum, ibique notata per Doctores *in cap. decernimus de judic.* Poteſt enim merus laicus conſtitui principalis collector fructuum decimarum, & oblationum, ut per eundem Fagn. *ubi ſupra num.* 21. ubi quod ita ſervatur ex conſuetudine in Gallia. Item ſalvari poteſt in confraternitatibus laicorum, dummodò nil ſibi applicent, ſed in pios uſus totum diſtribuant, ut per Decium *d. conſ.* 148. *num.* 3. & Ferret. *conſ. cit.* 143. *num.* 6. ac dummodò ſint Confraternitates Canonicè erectæ ab Ordinariis.

Atque ita, ut nequeat Epiſcopus concedere facultatem laico domino parietis, ubi religioſa imago eſt depicta, quòd oblationes illi factas ad ejus libitum diſpenſet. Quia ſunt juris ſpiritualis, cujus laici ſunt penitus incapaces per textus *in cap. Meſſana, & in cap. Sacroſancta de elect. & in cap. cauſam de præſcript.* & notat Abb. *in cap. quamvis in* 2. *notab. de decim.* ac Ferrett. *in præcit. conſil.* 143. *n.* 5. 15

Ac etiam ſi oblationes factæ ſint imagini exiſtenti in aliqua Capella, ſeu oratorio intra limites Parochiæ, non enim cedunt eidem Capellæ, ſed parochiali, Abb. *in d. cap. Paſtoralis num.* 2. *& in cap. ad audientiam* 1. *de Eccleſ. ædif.* quicquid in contrarium dicat Decius, quem refellit Fagnan. *ibid. num.* 24. 16

Et etiamſi oblationes fiant altari in Capella alicujus Eccleſiæ, debentur parochiali inter cujus limites Eccleſia illa ſita, eſt, per Calder. *conſ.* 15. *de Paroch.* Butr. & Abb. *in d. cap. Paſtoralis*, & alios, quos proſequitur Fagnan. *n.* 25. ubi teſtatur de communi. 17

Hæc tamen ſententia declaratur a Fagnano *num.* 29. ut procedat in dubio tantùm, ſecus verò ſi oblationes ex pia voluntate offerentium appareant factæ alterius contemplatione, quia tunc nullatenus debentur Parocho, ſed pia voluntas illorum, qui obtulerunt, præcisè ſervanda eſt per Doctores, quos adducit, & *numer.* 34. declarat etiam, ut non procedat in oblationibus, quæ fiunt ſacris Imaginibus exiſtentibus in Eccleſiis Regularium; tales enim non quæruntur Parocho, vel Epiſcopo, ſed monaſterio pro Monachis, ibi inſervientibus per textum *in cap.* 1. *in fin.* ibique Abb. *in ult. notab. de ſtat. Monach. & in cap. nimis* 1. *circa fin. de exceſſ. Præl.* Quia licèt monaſteria ſint intra limites parochiæ, propter tamen exemptionem non ſunt de Parochia, & licèt ſint in diœceſi, non tamen ſunt de diœceſi *cap. Cùm Epiſcopus*, ibique Gemin. *in* 3. *notab.* aliique *de offic. ordin. in* 6. ac Rota *dec.* 207. *numer.* 2. *p.* 2. *div.* 18

Declaratur denique ut non procedat, ſi conſuetudo præſcripta, aut aliud ſpeciale jus habeat, ut res oblatæ Imagini alicujus Sancti, non debeantur Eccleſiæ parochiali, ſed alteri Eccleſiæ, vel loco pio, aut perſonæ Eccleſiaſticæ, quæ capax ſit quaſi poſſeſſionis jurium ſpiritualium. Hujuſmodi enim conſuetudinem validam eſſe exprimitur *in cap. Cùm inter, de verb. ſignif.* & per Soccin. *de oblat. dict. libel.* 18. *part.* 3. *& in cap. Ex tranſmiſſa, &c. de quarta, de præſcript.* 19

Si verò contingat, quòd cura animarum exerceatur ab omnibus Canonicis per turnum ſucceſſivè, tunc ſpectabunt ad omnes, & proindè erunt diſtribuendæ, niſi aliter convenerint, aut conſuetudinem introductum ſit. Si demum Parochus acquieſcit, & Canonici non exercent curam animarum, tunc ſpectant ad Epiſcopum ut ex ſupra deductis. 20

Ad ſecundam igitur partem dubii quod pertinet, reſpondeo, eſſe convertendas in uſum imaginis, ut firmat Coſt. *de rat. quæſt.* 238. *num.* 8. *& ſeq.* Genuen. *in princ. cap.* 57. *num.* 2. *& 3. in pract. Eccleſ. quæſt.* 230. Mareſcot. *var. cap.* 42. *num.* 1. *lib.* 2. Lopez *in l.* 6. *Tauri tit.* 17. *quæſt.* 1. *num.* 2. & Rot. *d. dec.* 37. *num.* 8. *par.* 5. *rec.* Præcipuè ſi oblationes appoſitæ fuerint in capſula, in qua adeſt inſcriptio pro fabrica Capellæ Imaginis. Unde tanquam deſtinatæ ab offerentibus in certum, & determinatum uſum, eorum voluntas præcisè ſervari debet, Mareſcot. *loco citato*. Rot. *d. dec.* 37. *num.* 8. Et id fortiùs quando multi adfuerint qui pro faciliori gratiarum conſequutione ſe Imagini aliquid vovent donaturos, quod adimplere non dicerentur, ſi Parocho, vel aliis locis piis daretur, Petr. de Ubald. *de can. port. q.* 15. *n.* 3. & tanquam Deo quæſitæ, ſunt diſtribuendæ in pios uſus ſecundùm intentionem offerentium, quorum intentio, & voluntas attendi debet, ne ab hiſce oblationibus retrahantur. Quare opinio, quòd converti poſſint in alios pios uſus, procedit ſolùm quando non conſtat de intentione offerentium, ut ponderat Rota in d. Barchinonen. oblationum coram Innocentio X. Si verò non conſtat eſſe factas ad certum uſum, tunc ſpectat, ad quem pertinet, determinare in quem uſum ſint convertendæ, Soccin. *de oblat. d. libel.* 18. *n.* 1. & probant textus ſuperiùs allegati, ac cenſuit eadem Sacra Congregatio Concilii in dicta Peruſina ſub anno 1621. ſcribens Epiſcopo, ibi: *Secondo che a lei parerà bene, e come ſi uſa in ſi-* 21

in simili casi in cotesta Città. Consuetudini enim in hac re multum deferri, dixit etiam cum aliis Barbosa *d. cap. 24. num. 31.*

CONSULTATIO CLXI.

An redditioni rationum reddituum, non spectantium ad Ecclesiam, sed ad beneficiatos, interesse debeat aliquis Canonicus?

1 NEgandum existimo. Quia tàm de jure, quàm ex dispositione Sacri Concilii Tridentini redditio rationum hujusmodi spectat ad Episcopum privativè, quoad alios, nisi probetur consuetudo, privilegium, aut Constitutio, ex qua aliis deputatis reddenda sit. *Clement. Quia contingit, §. fin autem, de relig. domib.* Trid. *sess. 22. de reform. cap. 9.* Gratian. *discept. 195. in princ. & num. 7.* Et ita aliàs declaratum fuisse a Sacr. Congregatione Concilii testatur Gonzal. *ad regul. 8. Cancel. glos. 5. sub num. 45.* & tradit Rot. *decis. 335. num. 1. & 4. part. 1. & decis. 21. sub num. 9. part. 6. recent.* Præsertim quando a beneficiatis eligitur administrator, qui eis reddere debet rationem, cùm inferiores ministri illam reddant deputatis, & isti Episcopo juxta dispositionem Tridentini, & dicitur de negotiorum gestore a tutore, & de substituto litis procuratore deputatis, qui tenentur reddere rationem tutori, & procuratori, & isti pupillo, & principali ex latè cumulatis a Gratian. *d. discept. 395. num. 7. cum pluribus seqq.* & Rota *dec. 355. num. 1. part. 1. recent. quam sequitur dec. 440. numer. 7. ejusdem par. 1.*

2 Non obstat, quod redditus convertendi sint in usum Ecclesiæ, ac proinde quòd Canonici habeant suum commodum in hac conversione. Nam id spectat arbitrium Episcopi, ac proindè nequeunt Canonici se ingerere, sicque in fortioribus terminis, quæ spectant administrationem bonorum, & reddituum Ecclesiæ soli Episcopo sine Capitulo commissa est, præterquam in arduis, *cap. edoceri 21. de rescr.* Ubi Doctores præcipuè Felin. *n. 3.* Rota in Ulysponen. juris deputandi collectorem decimarum 24. Novembris 1630. coram Ottembergo. Eoque magis in his terminis, in quibus solus Episcopus vigore Tridentini recipit rationem administrationis, ut *d. decis. 355. num. 4. par. 1. rec.*

3 Unde cùm hæc rationis redditio restringatur ad prospiciendum rebus Ecclesiæ ex massa beneficiatorum, pro quibus nihil Canonici, & Capitulum contribuunt, neque ex illis aliquid tanquam Canonici percipiunt, ideò nullum jus in illis habent, atque adeò non debent in hoc exaudiri, *l. si pupilli, §. videamus, ff. de neg. gest. l. 1. in princip. ff. quor. appell.* Roman. *cons. 347. num. 4.* ubi Mandosius alios adducit, *& cons. 499. num. 1. cum seq.* Surd. *cons. 214. num. 9. lib. 2.* copiosè Gratian. *discept. 869. num. 24. lib. 5.* Gregor. *decis. 118. num. 5. & decis. 410. num. 6.* ac Rota *dec. 335. num. 1. par. 1. & dec. 406. num. 1. par. 4. tom. 2. rec.*

CONSULTATIO CLXII.

An Conservatoriæ omnes comprehendantur sub Constitutione revocatoria Gregorii XV. & Sacri Concilii Tridentini?

1 NON videtur, quando deputatis Conservatorum facta fuit sub nomine dignitatis, ex qua elicitur mens Pontificis deputantis perpetuò unum alteri subrogandi in eadem dignitate, attenta qualitate ipsius deputationis sic differentis a personali, ut per Monet. *de conserv. Jud. cap. 2. num. 6.* ideòque transit ad successorem in dignitate, *cap. Quoniam Abbas de offic. deleg. cap. si gratiosè de rescript. in 6.* Doctores *in l. mortuo Judice, ff. de Judic.* Menoch. *de arbitr. lib. 1. quæst. 68. num. 21.* Præsertim quia Conservatoriæ dicuntur favorabiles, & tanquam tales non restringi, sed debere extendi, animadvertunt Felin. *in cap. Eam te num. 15. de rescript.* Gemin. *in cap. cum in illis, §. 1. in fin. de præb. in 6.* Jas. *cons. 145. numer. 5. lib. 4.* Neviz. *cons. 35. num. 7.* & faciunt tradita per Guttier. *pract. quæst. 4. num. 6. lib. 3.* Quapropter gratia, quæ ab initio concessa fuit, servanda est juxta *l. proponebatur, ff. de Jud.* cum aliis *in decis. 253. num. 97. part. 5. rec.* Sicut in specie gratiæ super Conservatoria servanda esse tradunt plures allegati in *dec. 616. num. 2. par. 2. rec.* & generale habetur in gratiis Pontificiis ob concedentium reverentiam esse perpetuò mansuras, *l. fin. ff. de Const. Princ. cap. decet, de reg. jur. in 6. §. illud auth. Const. quæ dignit.*

2 Neque adversatur Constitutio Gregor. XV. *de Conserv.* quia loquitur de electionibus, seu deputationibus emanatis in vim quorumcunque privilegiorum per habentes facultatem sibi eligendi, & deputandi ad tempus, vel in perpetuum, non autem de factis nominatim ab ipso Pontifice fixis, & certis, longè minus odiosis, quàm electi a partibus ita incerti, *c. ad hæc de rescript.* cum aliis per Monet. *d. cap. 3. num. 21.* Neque generalitas verborum ipsius Constitutionis est considerabilis, deficiente necessaria differentis speciei expressione, ut quoad eandem Constitutionem censuit Rota *decis. 49. num. 19. part. 7. rec.* Quia ratione deficientis comprehensionis sub dicta Constitutione, opus non est ejusdem qualitatis, dum Pontifex sine difficultate potuit dare Conservatores, carentes qualitatibus, aliàs requisitis, *cap. fin. de rescript. in 6.* itaut censeatur, si opus fuisset, dispensasse, Gloss. *in d. cap. fin. in fin. & in cap. Statutum in princ. v. Canonici, & v. literarum, eod. tit.* Monet. *d. cap. 9. num. 411.* Suffragante præsertim longæva observatione ante, & post dictam Constitutionem, cui deferri ad effectum, ut deputari possint in Conservatores, qui aliàs de jure non possent, docuerunt Guido Papæus *dec. 247. & singul. 435.* Monet. *cap. 7. num. 506.* Sicut in aliis quoque passim Conservatorum jurisdictionem consuetudine prorogari non dubitarunt congesti per Monet. *d. cap. 7. n. 457. & seqq. præcipuè 507.*

3 At nihilominus affirmandum est. Etenim omnes deputationes Conservatorum authoritate Apostolica factæ abrogatæ fuerunt in dicta Constitutione Gregoriana *§. 1. & 13.* & ad novas deputationes ibi deveniri mandatum fuit, & quidem in personas in dignitate Ecclesiastica constitutas, ac simul electas in Judices, aut in Conciliis provincialibus, aut in Diœcesanis, ut ibidem *§. 2.* Et de comprehensione generali dubitari non potest, quia Sacrum Concilium loquitur per verba universalissima: nemini omninò cujuscunque dignitatis, & conditionis sit, etiamsi Capitulum fuerit. Quare non possunt esse latiora, & cùm sint concepta negativè, potentiùs negant, quàm si affirmativè, Glossa *in l. hoc genus 105. in fin. ff. de condit. & demonstr.* Rimin. jun. *cons. 263. num. 4. & seqq.* Surdus *dec. 243. num. 6. & 7.* & Constitutio Gregoriana etiam loquitur de quibuscunque Conventibus, Capitulis, Militiis, Congregationibus, Collegiis, &c. quæ pariter sunt amplissima, & effrenat, cum verbum *quibuscunque* comprehendat etiam impropria, Archid. *in cap. si sibi num. 4. de præb. in 6.* Roman. *cons. 31. num....* ubi latè Add. Surd. *consil. 453. num. 8.* Rot. coram eodem Gregorio *decis. 516. num. 3. & seqq. ac in recent. decis. 36. num. 4. & 5. part. 5.* additurque in ea clausula, *locis quantumvis exemptis, etiam de necessitate exprimendis, seu illorum personis cujusvis qualitatis, seu conditionis existant*, quæ non recipit restrictionem, idem Gregor. *decis. 109. num. 10.* Et in derogatoriis adsunt clausulæ, *quorum tenores, etiamsi eorum tenor esset inserendus*, aliæque amplissimæ, quæ certam operantur derogationem privilegiorum, quantumvis favorabilium; & quacunque derogatoria derogatoriarum munitorum, præcipuè cùm appositæ sint in Constitutione generali ex traditis per Gonzal. *gloss. 36. num. 31. & seqq.* Buratt. *dec. 390. num. 5. & 6. in recentior. decis. 666. num. 2. & seqq. p. 1.* & in Montis alti Primiceriatus 8. Junii 1643. coram Cardinali Verospio. Loquiturque explicitè, tàm de existentibus intra, quàm extra Italiam *§. 6.* tametsi in Constitutionibus Pontificiis non cadat hæc distinctio, quia per totum Orbem ligant, & operantur ex cumulatis per Paris. *de resign. lib. 10. qu. 9. num. 6. & seq.*

4 Ac ita, ut attendi amplius non debeant causæ pro derogatione d. Constitutionis Gregorianæ. Nam licèt Judices Synodales esse soleant de Capitulo Cathedrali, cum quo forte, qui habebant conservatores perpetuos plures habent differentias, non omnes tamen Judices Synodales eliguntur Canonici, sed possunt eligi etiam in aliis dignitatibus constituti ad formam *cap. Statutum, de rescript. in 6.* innovati in dicta Constitutione, estque inverisimile, quòd totum Capitulum, & illius singulares personæ inimicitias gerant cum hujusmodi privilegiatis. Quòd si dari posset casus suspicionis, remedia sunt prodita è jure, permittente allegare suspectos suos Conservatores, ut in Concilio Tridentino *sess. 14. cap. 5.* & tradunt Lezan. *tom. 2. qq. reg. cap. 10. num. 74.* & Barbos. *de potest. Episc. part. 3. allegat. 106. num. 32.* Præcipuè quòd Nuncii Apostolici vel maneant in eisdem Civitatibus, vel in vicinis, & demum suspectus in judicando non est suspectus in delegando juxta textum *in cap. Cum speciali, de appell. & in cap. Judex, de offic. deleg. in 6.* & in terminis conservatoriis dicunt Vammes. *ad jus Can. cons. 171. num. 3. & 4.* Cocchier. *de conservat. part. 2. quæst. 10. numer. 5.* Hinc S. Sedes non solet concedere confirmationes privilegiorum, jam revocatorum, *cap. Cum dilecto, de confirm. util.*

Neque

5 Neque obſtat, quæ in contrarium adduximus. Quia Conſtitutio Gregoriana apertiſſimè loquitur de Conſervatoribus deputatis, etiam pro ſæcularibus, & perpetuis, ut in §. 1. ibi: *revocavit omnes electiones, nominationes, ſeu deputationes, &c. in vim quorumcumque privilegiorum perpetuò, vel ad tempus, ſeu aliàs quocunque jure, vel titulo hactenus factas.* Ergo comprehendit deputationes per privilegium, etiam perpetuò factas, ac etiam Conſervatorias, quæ a legatis, aliiſve inferioribus conceduntur, quorum meminit Monet. *de conſecrat. cap. 2. num. 4.* Clariſſimè idipſum convincitur ex Conſtitutione Clem. VIII. cujus veſtigiis inhærere voluit Gregorius, ut narratur ſub initio Conſtitutionis. Clemens enim in ſua Conſtitutione 3. præmiſſa ratione, quòd certa notitia de Conſervatoribus haud facilè haberi poteſt, & eligi interdum Judices minus idoneos, revocavit deputationes quaſcunque in literis conſervatoriis hactenus per Sedem Apoſtolicam perpetuò, vel ad tempus conceſſas, & directas Judicibus, & Conſervatoribus, non habentibus qualitates requiſitas in Conſtitutione Bonifacii, & qui in Conciliis provincialibus, aut Diœceſanis juxta decreta Concilii deſignati non ſunt.

6 Et in eodem Concilio *d. ſeſſ. 14. cap. 4.* ſtatuitur *quorumcunque Judicum deputatione.* Ergo non poteſt diſtingui deputatio temporalis a perpetua, cùm illa dictio univerſalis non recipiat diſtinctionem, Roman. *conſ. 44. num. 6.* Roland. *conſ. 27. lib. 4.* Surd. *conſ. 35. num. 27.* Quando autem Conſtitutio, vel lex emanat pro ampliatione, vel exequutione antecedentis, tunc debet intelligi juxta illius terminos; ac ſi de verbo ad verbum eſſet inſerta in lege nova, ut benè Surd. *conſ. 177. num. 34. & ſeq.*

7 Neque obſtat, quòd Conſervatores temporales poſſint eſſe ignoti partibus. Quia hæc non eſt ſola ratio hujus diſpoſitionis, ſed etiam inhabilitas quorundam electorum, ut clarè explicavit Clem. VIII. in ſua Conſtitutione, quæ proculdubio viget contra deputationes dignitatum perpetuarum, cùm aliquando poſſunt concedi indoctis ſaltem in jure Canonico, & ſufficit unam ex rationibus militare, ut locum habeat diſpoſitio legis, §. *affinitatis, inſtitut. de nupt.* Natt. *conſ. 14. num. 6.* Rota *dec. 733. num. 8. par. 2. rec.* & in aliis paſſim.

8 Adeòut prætenſus non uſus minimè ſit attendendus, quia obſervatio Conſtitutionum Apoſtolicarum non evitatur hujuſmodi effugiis, ſed debet mandari exequutioni, non obſtante prætenſo non uſu, etiam longiſſimi temporis, cùm Pontifex habeat authoritatem a Deo, non a populo, ut cæteri Principes, Cavaler. *dec. 77. num 3. dec. 85. num. 2. dec. 91. num. 6. & 7. & dec. 111. num. 1. & in rec. dec. 610. num. 7. par. 8.* coram Merlino *deciſ. 814. n. 4. & 5.* Præcipuè, ſtante decreto irritante, aliiſque ampliſſimis clauſulis §. 12. *Conſtit.* Gregorianæ appoſitis, quo caſu non poteſt tolli per contrariam conſuetudinem, Buratt. *dec. 6. num. 3. & in rec. dec. 373. num. 7. & 8. par. 5. & d. dec. 610. num. 8. & ſeqq. par. 8.* cum vulgò aliis.

9 Et quidem ſicuti negandum non eſt, Capitula Cathedralium ex cauſis rationabilibus a juriſdictione Epiſcoporum eximi poſſe, quemadmodum plura exempta ſunt; ita etiam exemptionum abuſum excreviſſe, ut Epiſcopis quibuſdam Xenodochia tantùm, & hoſpitalia, & aliquot Parochialium Eccleſiarum Rectores ſubſint, adeò quòd Paſtores ſine grege, eorumque Cleri ſine Epiſcopis rectè dici poſſint. Unde non mirum, quòd cùm propter exemptionem hujuſmodi nemo ſit, qui diſcolus delinquentes, & malè moratos Clericos corrigat, corripiatve, & ea propter unuſquiſque pro genio ſuo, quæque ſibi liceant, impunè, populus ſibi ſcandala, Epiſcopo contemptum excitarint, de habitu Clericali, pravis, & ſcandaloſis moribus, obloquutionibus, & ſimilibus nulla ratio, delicta verò, exceſſus, facinora admodum rarò, condignè rarius, aut nunquam puniuntur.

10 Nam ſi contingat Promotorem fiſcalem Epiſcopi delinquentem Clericum, immò etiam laicum alicui ex Eccleſiis hujuſmodi privilegiatis qualitercumque ſuppoſitum, pro quovis delicto convenire coram Ordinario, uti Epiſcopo, allegat delinquens, ſe exemptum, Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectum, & nullam Epiſcopo in ſe competere juriſdictionem. Si coram eo, uti Delegato Apoſtolico ad diſpoſitionem Concilii Tridentini, negat idem delinquens Epiſcopum ullam habere inde in ipſum authoritatem, ex quo Clerus Concilium, ſalvis ſuis privilegiis, & exemptionibus tantùm, & non aliter receperit.

11 Si Fiſcus delinquentem coram Sedis Apoſtolicæ Nuncio evocat, delinquens illius judicium eludit eo ſub prætextu, quòd non poſſit Clerus in prima inſtantia evocari extra Diœceſim. Si contingat Nuncium delegare cauſam perſonæ particulari, aut delinquens illius judicium ſimiliter eludit ſub prætextu alterius Privilegii, quòd Clerus non poſſit evocari coram alio, quàm proprio Judice, aut exigua a delegato reportatur juſtitia, ex quo ſibi, vel ſuis a judicio nihil utilitatis, odii verò, obtrectationis, & inimicitiæ plurimum obveniat.

Quòd ſi Fiſcus delinquentem coram proprio Capitulo conveniat, conſummatio ſuſceptæ juſtitiæ deſideratur 12
cùm confratrum nemo confratrem, cujus minas, obtrectationes, & parentum, ac amicorum inimicitias timet, lædere velit, præſertim pro delictis minoribus. Quod ſi delictum ſit gravius, negat delinquens Capitulo juriſdictionem judicialem, ſed dumtaxat ad morum correctionem, & ad aliqualem punitionem, competere, ſicque Fiſci ab inquiſitionibus deterrentur, aut laboribus, & expenſis defatigari ab earum proſequutione deſiſtunt, & conſequenter delicta remanent impunita.

Hi ſunt Conſervatoriarum, & exemptionum juri di- 13
vino, Petri, & aliorum Sanctorum Apoſtolorum, inſtitutionibus, ſacris Canonibus, Conciliis, Bernardi, Auguſtini, & aliorum Patrum ſententiis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis repugnantium fructus. Ut proindè haud immeritò Adrianus VI. apud Onuphrium *de vit. Pontif.* poſt Platinam conſtituerat quoque, ut aſſeruere, qui id coram a narrante audiverunt, antiquas exemptiones quarundam Eccleſiarum, etiamſi opera ſua aliquando impetratas, annullare, quod videret eas, contra quam ratus eſſet, ad nihil aliud uſurpari, quàm ad impunitatem ſcelerum, & materiam majoris laſciviæ, & nequitiæ, neque viſitationem annuam ad vitia exemptorum corrigenda a Decanis ad id deſignatis, fieri juxta formam diplomatis a ſe impetrati. Et annullaſſet, niſi morte immatura præventus fuiſſet. Hinc Sacrum Concilium Tridentinum *d. ſeſſ. 14. cap. 15.* & memoratus Gregorius V. §. 9. graviſſima Conſtitutione ſanxerunt, ut Conſervatores hujuſmodi non poſſint amplius ſe ingerere in cauſis activis privilegiatorum, neque in criminalibus, & delictis ſpecificè probatis. Et latè etiam juxta terminos juris communis probat Monet. *de Conſerv. cap. 7. art. 253.* ubi in fine ſubdit, cauſas criminales indigere ſpeciali mandato juxta textum *in cap. 2. de offic. Vicar. in 6.*

Cæterùm dubitatum fuit in Sac. Congregatione Con- 14
cilii, an liceat Doctoribus, & Abbatibus a gravaminibus ab Ordinariis locorum ſibi illatis, & inferendis vigore dicti decreti *cap. 5. ſeſſ. 14.* appellare ad ſuos Superiores, & ad Conſervatores ſuorum privilegiorum, S. Congregatio cenſuit, literas conſervatorias habere locum, præterquam in caſibus, in quibus hoc S. Concilium tribuit juriſdictionem Epiſcopis in Regulares. Quæſitum autem fuit, an textus iſte concurrat cum *c. 20. ſeſſ. 24.* de cauſis in prima inſtantia cognoſcendis coram Ordinario, & reſponſum fuit negativè. Nam Conſervatores iſti, de quibus *in d. cap. 5. ſeſſ. 14.* & per Gloſſ. *in cap. fin. de offic. Leg. in 6.* poterunt cognoſcere cauſas ſuas, etiam in prima inſtantia 25. Auguſti 1572.

CONSULTATIO CLXIII.

An Epiſcopus præcipere poſſit Regularibus, quòd abſtineant, etiam ſub cenſuris, ab audiendis Confeſſionibus in eorum Eccleſiis a Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis?

ET affirmativè reſpondendum videtur. Quia Summus 1
Pontifex non poteſt immediatè concedere Regularibus facultatem Confeſſiones audiendi, alioquin Eccleſiæ corpus foret monſtruoſum, ſi caput pedibus immediatè communicaret. Unde nequit facere, quòd fideles omnia peccata ſemel in anno proprio Sacerdoti Parochiali confiteri non teneantur. Et ut ait Sanctus Gregorius *lib. 1.* Si ſua unicuique Epiſcopo juriſdictio non ſervatur, quid aliud agitur, niſi, ut per nos, per quos Eccleſiaſticus cuſtodiri debuit, ordo confundatur? Accedit quòd Regulares ſubduntur Epiſcopo, ſaltem quoad approbationem pro audiendis Confeſſionibus, qui cùm poſſit ex juſta cauſa limitatè approbare, ſtante tali prohibitione, cenſetur limitatè approbare, ut nimirum non approbet, quoad dictum tempus. Ac demum, quia S. Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 15. de ref.* derogat omnibus Privilegiis, ac Conſtitutionibus Pontificiis ad favorem Regularium, teſte Suarez *diſp. 28. de pœn. ſect. 5. num. 15.*

At nihilominus negandum omninò eſt. Nam cùm 2
ſint ſimpliciter approbati ad Confeſſiones audiendas, non poſſunt abſque nova cauſa, eaque ad ipſaſmet Confeſſiones pertinente, ab illis de cætero excipiendis ſuſpendi juxta ea, quæ aliàs tradidi, ac decreta S. Congrega-

gregationis ſuper Epiſcopis, ac Sacri Concilii Tridentini apud Lezan. *in ſumm. tom. 1. cap. 19. num. 9.* ſubdentem etiam *num. 10.* quòd dicta approbatio ad ſui validitatem non requiritur, quòd detur in ſcriptis, & quòd hujuſmodi ſuſpenſio, ſive prohibitio non debeat a Regularibus attendi. Quia in tali caſu Ordinarii excedunt limites ſuarum facultatum. Regulares enim habent juriſdictionem audiendi Confeſſiones a Pontifice, ab Ordinariis verò ſimplicem perſonarum approbationem, ut habet *extravag. Inter cunctas de privil. Conſtitut.* Clementis IV. incipiens, *Exigentibus*, privilegium Sixti IV. pro Ordine Prædicatorum, Pauli III. pro Societate Jeſu, Pauli IV. incipiens, *Ex Clementi*, & *Clement. Dudum*, §. *per hujuſmodi*, *de ſepult.* & notant Gloſſa *in cap. ſi Epiſcopus*, *v. Item tertiò*, *de pœnit. & remiſs. in 6.* Valquez *3. part. tom. 4. quæſt. 93. art. 3. dub. 3. num. 2.* Suarez *diſput. 78. de pœnit. ſect. 4. num. 22.* aliique paſſim. Quæ juriſdictio, ſequuta approbatione, haud poteſt per eoſdem Ordinarios, uti inferiores impediri, niſi emergat nova cauſa, ob quam poſſint judicari, quòd non ſint amplius idonei. Eoque magis quando prohibitio ſit una, & generatim quoad omnes Regulares. Quod fieri nequeat jampridem declaravit Sacr. Congregat. Concilii decreto ſuo relato a Peyr. *Conſtit. 2. Sixti IV. §. 11. numer. 45.* ſubdens etiam, quòd Regulares ſic ſuſpenſi non tenentur obedire.

3 Neque obſtat vetus, ac temeraria illa ratio in contrarium adducta. Eſt namque una ex pluribus, quas ſub Joanne XX. contra Regulares, habentes a Sede Apoſtolica generalem facultatem audiendi Confeſſiones excitaverat in Gallia Joannes de Poliaco, quamquam idem Pontifex, tanquam falſam, & erroneam, atque a doctrina deviam damnavit, ac reprobavit, aſſerens doctrinam contrariam eſſe veram, & Catholicam, quòd ſcilicet ii, qui Regularibus confitentur non magis teneantur eadem peccata iterùm confiteri, quàm ſi aliàs ea confeſſi fuiſſent ſuo proprio Sacerdoti juxta præceptum Eccleſiæ. Inhibuitque univerſis, & ſingulis, ne quiſquam dictam propoſitionem, utpotè a Catholicis mentibus reſpuendam, tenere, ſeu defendere quomodolibet, vel docere auderet, ut legitur in Extrav. *Vas electionis 2. de hæret.* inter communes. Nam Summus Pontifex eſt fons totius poteſtatis, non quidem Ordinis, ſed juriſdictionis, a quo ſuam quoque Epiſcopi hauriunt. Eſto enim ab hominibus eligatur, juriſdictionem ordinariam immediatè accipit a Chriſto juxta illud Matth. *16. Tibi dabo claves regni cœlorum*. Id enim non tantùm pro Petro, ſed etiam pro reliquis Summis Pontificibus dictum eſt, ut docent Theologi omnes. Ea autem juriſdictio ſicut non datur ab hominibus, ita non dependet ab ulla alia hominum juriſdictione, ſed potiùs omnes ab ea dependent, eſtque univerſalis extendens ſe ad omnes fideles, quos Pontifex, ſive per ſe, ſive per alios, tanquam oves Chriſti paſcere debet, *Joan. 11.* Videndus Bellarm. *de Pontif. lib. 4.*

4 Et confirmatur. Nam ſi ſola Parochi licentia ſufficit ad valorem Confeſſionis ſine licentia Pontificis Maximi, aut Epiſcopi, ut *in cap. Omnes utriuſque ſexus*, *de pœnitent. & remiſſ.* cur non ſufficiet licentia Summi Pontificis ſine licentia Epiſcopi, vel Parochi? Nonne Pontifex poteſt audire per ſeipſum Confeſſionem cujuslibet fidelis ſine licentia ullius Epiſcopi, aut Parochi? quæ igitur ratio eſt, cur poteſtatem illam non poſſit alteri delegare, itaut Confeſſio valeat ſine licentia Epiſcopi, aut Parochi?

5 Neque ulla fit injuria Parocho, quòd Pontifex, vel Epiſcopus, quibus ipſius juriſdictio aliquo modo eſt ſubordinata, per ſe fidelium ſibi ſubditorum Confeſſiones audiant. Ergo neque, quòd id præſtent per alios ab ipſis deputatos, cùm non minus hoc, quàm illud agere poſſint. Et ſatis eſt, quòd ipſi hunc, aut illum judicaverint idoneum ad Euchariſtiam recipiendam. Eorum enim ſententiæ Parochus ſtare debet, & tutus eſt in conſcientia. Minuſque per proprium Sacerdotem *in d. cap. Omnis utriuſque*, ita intelligitur Parochus, ut Superiores excludantur. Si enim hoc ita eſſet, ſequeretur nullum poſſe in Paſchate confiteri Epiſcopo, aut etiam Summo Pontifici ſine Parochi licentia. Quod abſurdiſſimum eſt. Per proprium ergo Sacerdotem intelligendus eſt omnis ille, qui non eſt alienus, ideſt omnis ille, qui habet juriſdictionem ordinariam in hoc foro, cujuſmodi ſunt Summus Pontifex, & Epiſcopus. Quare ſatis eſt confiteri illis, aut de eorum licentia, quæ pœnitentibus conceſſa cenſetur eo ipſo, quòd aliquos ad Confeſsiones eorum audiendas deputaverint.

6 Et hinc anno 1592. excitata hac ſpuria, & damnata propoſitione in Diœceſi Attrebatenſi, Clemens Octavus prævia narratione, quòd ad coercendam antiquorum Parochorum temeritatem, qui non ſine maximo animi ejus dolore, & graviſsimo fidelium ſcandala palam aſſerebant, non licere fidelibus audire ſacrum, niſi in Eccleſia Parochiali, neque tempore Paſchali, aut quadrageſimali confiteri Mendicantibus, aut Presbyteris Societatis Jeſu, eo quòd mediante comminatione cenſurarum Eccleſiaſticarum fideles a prædictis deterrebant, ſanxit, & declaravit, licere ſæcularibus Chriſtifidelibus univerſis liberè Miſſas audire in Eccleſiis dictorum Regularium, etiam diebus Dominicis, & tàm Patribus, & Presbyteris Collegii Duaceni Attrebatenſis Diœceſis, quàm aliis Privilegiatis, quibus id a Sede Apoſtolica indultum eſt, peccata ſua, etiam quadrageſimali, & Paſchali, & quovis alio tempore confiteri poſſe, dummodò tamen Sacramentum Euchariſtiæ die feſto Paſchatis Reſurrectionis in propria Parochia a ſuis Parochis ſumant.

Anno mileſimo ſexcenteſimo vigeſimo tertio, præ- 7
tendentibus Parochis, quòd per Conſtitutionem Gregorii Decimiquinti *de privil. exempt.* fuiſſet reſtricta facultas Confeſſorum Regularium, Sacra Congregatio Concilii declaravit in vim dictæ Conſtitutionis non poſſe Ordinarios Regularibus præſcribere, ut certis tantùm in locis, ac temporibus, aut certarum perſonarum Confeſsiones audiant, vel aliàs illorum privilegia in Sacramentis adminiſtrandis reſtringere, aut moderari, ut in decreto impreſſo poſt memoratam Conſtitutionem.

Eodem anno facta per Epiſcopum Lingonenſem Pa- 8
tribus Societatis Jeſu Collegii Calvimotenſis prohibitione, ne audiant Confeſsiones a dicta Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis, habito recurſu ad Sacram Congregationem Concilii, emanavit decretum non poſſe prohibere.

Anno 1644. prohibente Vicario Archiepiſcopi Bur- 9
degalenſis omnibus Regularibus illius Diœceſis, ne audiant Confeſsiones dicto tempore, eadem Sacra Congregatio renovavit præfatum decretum, quod poſtea Innocentius X. per ſuas literas in forma Brevis ſub datum 7. Februarii 1645. confirmavit, Rex Chriſtianiſſimus Ludovicus XIV. reverenter ſuſcepit, & per totum ſuum Regnum ſervari mandavit. Quorum autographa ſervantur in Monaſterio Burdegalenſi Ordinis Prædicatorum.

Quare cùm res ſit toties ſolemniter judicata, ſuffice- 10
re debet nobis Parochis ad inhibendum omnem litis ingreſſum, ſi bonis legibus, & diſciplinæ majorum ſua conſtaret authoritas, ut taceam quàm nullo jure, pravo more, peſsimo exemplo contra Sedis Apoſtolicæ edicta, contraque rationem æquitatis inimiciſsima lite experiamur adverſus gentem nobiſcum, & fœdere arctiſſimo, & amore, doctrina, religione devinctam, & quod hìc rei caput eſt, cauſa conjuncta. Et cùm prohibitio de non excipiendis hujuſmodi Confeſsionibus ſit directè contraria relatis declarationibus, & Privilegiis Regularium, ne poſsint cenſurari, ut aliàs docuimus, cenſura omnis eſt eo ipſo irrita, nulliuſque roboris, vel momenti ad notata per Doctores *in capit. 1. §. In eos autem de privil. in 6.* Sanchez *de matrimon. lib. 7. diſputat. 33. numer. 23.* Proindeque, ſtante hac notoria nullitate, non ligat, nulloſque operatur effectus, Cardin. Seraphin. *deciſ. 1098. num. 4. & deciſ. 139. numer. 3.* ne utroque foro ſervari debet, Sanchez *conſ. moral. lib. 6. cap. 9. dub. 1. numer. 28.* Guttier. *quæſt. Canon. 1. lib. 1. capit. 4. numer. 36. cum ſequentibus*. Et quòd hujuſmodi excommunicatio non inhabilitet ſic excommunicatum a divinis, traditque Gemin. *conſ. 99. numero 6.*

Minus obſtant D. Gregorius, aliive Patres. Nam lo- 11
quuntur de Epiſcopalis Ordinis dignitate, quæ Epiſcopis divinitus datur, non verò de juriſdictionis poteſtate, quæ ex Pontificis Principatu manat, ut apertè Leo *epiſt. 89.* Sixtus, & Innocentius horum nominum primi *epiſt. 1. & cap. Quilibet 8. quæſt. 5.* Et Gregorius præcipuè non Epiſcopos divino jure ſua juriſdictione præditos affirmat, ſed quam a Pontifice acceperunt, eam illis, ſi depoſitionis cauſa non ſubſit, ab eodem integram ſervari, oportere, docet, ne hierarchicus Eccleſiæ ordo interturbetur. Eccleſiaſticus enim ordo haud ſanè leviter in Eccleſia confunderetur, ſi juſta Epiſcopis juriſdictionis poteſtas denegaretur. Quod luculenter idem Gregorius *ep. 7. lib. 4.*

Non urget illud, quod de approbatione dicebatur. 12
Quoniam, ut diximus, Confeſſarii Regulares non recipiunt juriſdictionem ab Ordinariis in approbatione, ſed habent a Summo Pontifice, & approbatio requiritur ſolùm, tanquam conditio, ut exerceri poſsit juriſdictio, *d. Clem. Dudum*, §. *Per hujuſmodi de ſepult. & extr.*

extr. Inter cunctas, de privileg. Ergo non possunt Episcopi prohibere, ne Regulares absolvant aliquo tempore, quia inferior non potest limitare, quæ concessa sunt a Superiore, neque in iis se ingerere, *Clem. Ne Romani, de elect.* Et advertit Barbat. *cons.* 1. *numer.* 1. Boich. *de Simon. part.* 3. *numer.* 124. Manfred. *d. decis.* 261. & Lavor. *de Conclav. cap.* 3. *numer.* 10. Et licèt Episcopi possint limitatè approbare Regulares ad certum tempus, locum, vel genus personarum, ut tradunt Suarez *tom.* 4. *de pœnit. disput.* 28. *sect.* 7. *dub.* 6. Ugolin. *de potest. Episcop. par.* 1. *cap.* 20. *num.* 6. Cened. *lib.* 1. *canon. quæst.* 38. *numer.* 21. & 22. Fagundez *præcept.* 2. *Eccles. lib.* 7. *cap.* 2. *numer.* 17. Rodrig. *tom.* 1. *qu.* 59. *artic.* 8. Mirand. *tom.* 1. *man. qu.* 45. *art.* 10. *concl.* 10. Guttier. *lib.* 1. *can. quæst. cap.* 27. *num.* 18. & 19. Homobon. *tract.* 5. *exam. cap.* 3. *quæst.* 17. & Lezan. *tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 8. Hæc tamen limitatio non potest adhiberi, nisi secundùm mensuram idoneitatis. Undè quando reperiunt simpliciter idoneos, debent simpliciter approbare, ut declaravit S. Congreg. Concilii sub die 2. Julii 1587. & nos fusè alibi. Et proindè approbatio non est libera Episcopis, ut possint eam ad libitum limitare, aut moderari, & ideò non possunt limitare, ne se extendat ad dictum tempus quoad eos, quos simpliciter, & absolutè idoneos reperiunt.

13 Denique S. Concilium Tridentinum non derogare dictis privilegiis, & Constitutionibus Pontificiis, docent Navar. *cap.* 27. *man. num.* 162. Palat. *in* 4. *dist.* 17. *disput.* 7. aliique apud Dian. *par.* 3. *tract.* 2. *resolut.* 24. & *part.* 5. *tract.* 13. *resol.* 45. Cocchier. *de jurisdict. Ordin. in exemp. par.* 4. *quæst.* 27. & alii quamplures, nominatim Rodrig. *in comp. resol.* 32. *num.* 4. qui asserit, adhuc approbationem Regularium esse perpetuam virtute *d. Clem. Dudum*, & ita declarasse Pium V. ut habetur *in Constit.* 7. *numer.* 4. Ea quippè ratione quia hoc privilegium transierit in legem insertam in corpore juris, cui non derogatur absque mentione speciali. Undè Tridentinum non revocat talem jurisdictionem, sed tantùm addit approbationem Ordinarii, cum qua jurisdictio sit exercenda.

14 Porrò quamvis hæc ita se habeant, debent tamen aliquando Regulares juxta prudentissimum plurimorum consilium ob bonum pacis juri suo spontè cedere præsertim in iis locis, ubi inter ipsos, & Parochos occasione confessionis paschalis graves turbæ excitari solent. Immò sunt nonnulli, iique gravissimi viri, qui libenter ipsis authores sunt, ut a confessionibus sæcularium audiendis omninò abstinerent, saltem quando suppetit copia aliorum Sacerdotum, qui eo officio ritè, & cum animarum fructu defungi possunt.

CONSULTATIO CLXIV.

An tertius, qui eligitur in casu discordiæ inter Episcopum & Conjudices capitulares juxta formam in Tridentino cap. 6. *sess.* 25. *de reform. præscriptam, debeat eligi ex gremio ejusdem Capituli?*

1 SAcrosancta Synodus Trident. ad extirpandum hæreses, ac mores reformandum maximè congregata, nihil priùs, sibi faciendum putavit, quàm in Capitula Cathedralium animadvertere, illorumque singulares personas sub omnimoda jurisdictione, & correctione suorum Episcoporum restituere, & ut habet *sess.* 6. *cap.* 4. & ab eisdem toties quoties opus fuerit per seipsos solos, vel illis, quibus sibi videbitur adjunctis, corrigi, & castigari posse decrevit, nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, juramentis, sive concordiis, quæ tantùm suos obligent authores, suffragantibus.

2 Et quamvis hoc decretum universis ferè Capitulis vigentem præbuerit materiam reclamandi, attamen id unum fuit ad eorum favorem immutatum, quod Capitulum cujuslibet Cathedralis eligat quotannis ex suo gremio duos, de quorum consilio, & assensu Episcopus, vel ejus Vicarius tàm in formando processum, quàm in cæteris omnibus actibus usque ad finem causæ inclusivè, procedere teneatur, hac tamen differentia adjecta, quòd unum tantùm sit adjunctorum votum comparativè ad alterum Episcopi, adeòut eorum alteri possit Episcopus accedere. Quod si ambo ab eo discordes fuerint, tunc intra sex dierum spatium cum Episcopo tertium eligant. Et rursus si in electione tertii pariter discordent, ad viciniorem Episcopum electio devolvatur, & juxta eam partem, cum qua dictus tertius conveniet, articulus discordiæ terminetur, cujus verba clara sunt *in cap.* 6. *sess.* 25. *de reform.* quæ famulantur antecedenti decreto *cap.* 4. *d. sess.* 6. adeòut unum, & alterum in confirmationem jurisdictionis Episcoporum conveniat, ut in his terminis observavit Rota *dec.* 743. *par.* 1. & *dec.* 328. *par.* 2. *div.* ubi & Concilii decreta exponuntur pro Episcopis. Alioquin enim eorum jurisdictio multis periculis, contumeliis, atque ludibriis esset obnoxia, *cap.* 1. ubi Glossa *verb. obedientiam d.* 93. dum noverint correctionis pœnam in criminalibus non esse timendam, indeque audaciores effecti effrenatiùs peccare non desinant contra expressum finem Sac. Concilii corrigendi Ecclesiasticorum mores, præcipuè Capitulorum, privilegia exemptionum sibi vendicantium adversùs naturalem, & propriam Episcoporum jurisdictionem, ut ex mente illius S. Congregationis annotavit Rota coram Seraph. *decis.* 493. & 497. *num.* 1. & 2. ac in allegata *dec.* 328. *p.* 2. *div.* & prosequitur Lotter. *de re benef. lib.* 1. *quæst.* 25. *numer.* 57. inquiens: Et hæc quidem cum ita fuerint statuta respectu aliorum locorum, & Ecclesiarum, necesse etiam fuit provideri prout sanctissimè provisum fuit per Sac. Concilium Episcoporum, quinimmò Reipublicæ Christianæ indemnitati respectu Capitulorum ipsarum Cathedralium, & aliarum majorum Ecclesiarum, in quibus privilegia hæc exemptionum omnium scandalorum, & delictorum fomitem præstabant. Faciuntque tradita a Venero *in exam. Episc. lib.* 4. *cap.* 27. *num.* 7. ita, quod Capitulis, sive Canonicis exemptionem non habentibus, Episcopi procedere rectè valeant per se ipsos sine adjunctis, ut statuitur *d. cap.* 6. *sess.* 25. & vetustiores Canones disponunt, *c. Cum Episcopus de offic. Ordin. in* 6. & *c. omnes Basilicæ* 16. *qu.* 17. estque in specie decisio Achil. de Grass. 2. *de offic. Ordin.* & *d. dec.* 743. *par.* 1. *div.*

Sententiam igitur negativam probo. Primò, quia 3
Concilium perspicuis verbis, loquitur, decernendo, ut Capitula Cathedralium, eorumque personæ visitari, corrigi, & emendari possint a propriis Episcopis, & ad hunc effectum abrogavit quascunque exemptiones, sive privilegia. Deindè non recedendo a resolutis, immò potiùs decretum sub Paulo III. editum, quo prædicta statuta fuerant, expressè innovando, præscripsit modum procedendi cum duobus adjunctis capitularibus quotannis eligendis, qui in casu discordiæ cum Episcopo tertium eligant intra sex dierum spatium, quibus elapsis, & electione non facta, ad viciniorem Episcopum electio devolvatur, absque eo quòd nec in uno, neque in altero casu præcipiat, ut tertius a Capitulo eligatur, ut voluit in primo duorum adjunctorum. Ex quo quidem discretivo modo loquendi, & ex forma adeò præcisa in electione tertii adhibenda non videtur opinione, vel cogitatione dignum, quod Sac. Synodus voluerit, esse eligendum ex gremio ejusmodi Capituli, sed sub juris communis dispositione relinquendum, atque adeò eligendum esse extraneum, cujus authoritati pareatur per textum satis planum *in l. Item si anus, §. fin. ff. de recept. arb.* ibi: *Et debet Prætor cogere arbitros, si non consentiant, tertiam personam certam eligere, cujus authoritati pareatur.* Cum quo videtur explicitis verbis Concilium convenire, dicens: *Tertium eligant, & juxta eam partem cum qua tertius conveniet, articulus, in quo erat discordia, terminetur*, & in propriis terminis *d. cap.* 6. *sess.* 25. observat Valenzuol. *cons.* 284. *num.* 20. ibi: & quod non dicit lex, aut Constitutio conciliaris, non debemus dicere, juncto *num.* 44. in quo habet, quod semper casus omissus a jure novo, remanet in dispositione juris antiqui *l. commodissimè, ff. de lib.* & *posthum. l. si cum dotem in princip. ff. solut. matrim.* Ubi Doctores, & tradit Caren. *de offic. S. Inquisit. par.* 2. *tit.* 6. *numer.* 86. ibi: *Inquirant, & procedant.* Si enim Pontifex voluisset, quòd etiam causæ terminarentur, illud utique dixisset; & cum determinatione causarum Papa ibi mentionem non fecerit, intelligitur, eam voluisse reservare dispositioni juris.

Secundò, quia si voluisset Concilium, ut ex gremio 4
Capituli tertius eligeretur, utique non omisisset hanc, per quam necessariam qualitatem, sicuti non omisit in casu adjunctorum illis verbis: *Eligat ex capitulo duos.* Et si voluisset, in casu discordiæ esse eligendum pariter capitularem, eadem facilitate, eodemque compendio verborum potuisset exprimere, ac expressit in primo casu *l. un. §. fin autem deficientis, Cod. de caduc. toll. cap. Inter corporalia, de translat. Episcop.* ibi: *Unde si circa translationem fieri voluisset, quod de cessione dixerat, de translatione poterat expressisse, & quod non est Sanctorum Patrum decreto sancitum, superstitiosis non est adinventionibus præsumendum.* Cum quibus faciunt, quæ profert Tiraq. *in l. si unquam, v. libertis, Cod. de revoc. donat. numer.* 3. Surdus *cons.* 426. *num.* 18. Gregorius XV. omninò videndus *decis.* 433. *num.* 4. & in hac specie Valenz. *d. cons.* 184. *num.* 21.

5 Tertio, quia quando duo conſtituuntur partes, non debet induci inter eos diſparitas, pro altero præferendo juxta regulam Gloſſ. *in l.* 1. *§. veteres*, *v. per unum*, *ff. de aequ. poſſ.* Bald. *conſ.* 123. *num.* 3. *lib.* 5. Sed a Concilio Capitulum per illos duos adjunctos æquiparatur Epiſcopo in hoc exercitio juriſdictionis. Igitur non debet dari tertius ex eodem Capitulo. Quia ita vires acquireret vox Capituli ſupra Epiſcopi ſuffragium, qui certè efficeretur deterioris conditionis. Nam Capitula Cathedralium repræſentata in hoc caſu per dictos duos adjunctos, addito tertio ex eiſdem Capitulis, efficientur melioris conditionis, quàm ipſi Epiſcopi, cùm eorum votum indiſtinctè prævalebit in deciſione cauſarum, non ſolùm præter, ſed etiam contra intentionem Concilii, quæ fuit ſuſtinendi potiſſimùm juriſdictionem naturalem Epiſcoporum, ac reſtituendi diſciplinam Eccleſiaſticam penè collapſam, depravatiſque moribus Eccleſiaſticorum deturpatam. Et ita quæ ad favorem juriſdictionis Ordinariæ, & ad coercendam Capitulorum licentiam prætextu exemptionum nimis liberam, duobus illis capitibus ſtatuta fuerunt, retorquerentur in odium, ſi tertius ex gremio Capituli foret eligendus.

6 Quartò, licèt in quavis diſpoſitione regulariter ob præſumptam voluntatem diſponentis, detur extenſio de caſu ad caſum ſimilem, quando non eſt contra jus, vel non ſequitur abſurdum, *l. Titius* 25. *§. Lucius*, *ff. de lib. & poſth.* Attamen de perſona ad perſonam nunquam permittitur, *l. ſi quis ita*, *§. ſi quis cum ignoraret*, *ff. de teſtam. milit. l. ſi ita ſtipulatus* 126. *§. Chryſogonus*, *ff. de verb. oblig.* ibi: *Rarò autem ineſſe tempus, vel conditionem ex eo, quod agi apparebit, intelligendum eſt, perſonarum nunquam niſi expreſſa ſit*, & aſſerunt Doctores nominatim Tiraquell. *de retract. lignag. §.* 1. *gloſſ.* 9. *ſub num.* 39. ubi ait, quod certis perſonis contra, aut etiam præter jus commune conceſſum eſt, id cæteris denegatum cenſeri. Conceſſum autem fuit Capitulo per *d. cap.* 6. *ſeſſ.* 25. ut è ſuo gremio duos eligeret, qui cum Epiſcopo procederent, ſed cùm ad tertii electionem ob aliquam diſcordiam deveniendum eſſet, non expreſſit, quod deberet eligi ex Capitulo. Ergo denegatum cenſetur. Nec, ut proſequitur idem Tiraquellus, ex præſumpta, & veriſimili mente diſponentium fit extenſio perſonarum, & ubi verba legis, aut ſtatuti deficiunt, deficit & ipſius diſpoſitio. Ac proindè qualitas eligendi ex Capitulo conſiderata in primo caſu duorum adjunctorum, non cenſetur repetita quoad tertium, ne ſequatur contrarius effectus diſpoſitioni Tridentinæ, ut notat in iſtis terminis Decian. *conſ.* 1. *num.* 151. *lib.* 2. Id, quod adeò verum eſt, ut neque in favorabili diſpoſitione detur extenſio de perſona ad perſonam juxta ea, quæ docet idem Tiraquel. *in d. l. ſi unquam*, *v. libertis C. de revoc. donat. num* 30. Bero. *conſ.* 126. *num.* 13. *lib.* 3. & Cravett. *conſ.* 161. *num.* 11.

7 Pluſquam autem manifeſtum eſt, juriſdictionem adjunctorum non favorabilem, ſed odioſam eſſe, & contra jus. Nam jure communi ſolùm ad Epiſcopos pertinet delicta ſui Cleri punire, & ita ſtrictiſſimè eſt intelligenda, ut quoad minùs fieri poſſit, detrahatur authoritati Ordinariorum, Franc. *in cap.* 1. *notabil.* 3. *de privileg. in* 6. ubi Gemin. & alii, ac tradunt Aretin. *conſ.* 76. *num.* 8. Qota *deciſ.* 30. *num.* 4. *part.* 6. & in terminis Seraph. *deciſ.* 1040. *num.* 2. *& deciſ.* 1050. *num.* 2. *& 3.* Vener. *in exam. Epiſcop. lib.* 4. *cap.* 27. *nu.* 41. Itaque cùm Concilium ſtatuerit, ut eligantur duo adjuncti ex Capitulo, & de tertio in caſu diſcordiæ nihil ſtatuerit, ſanè ad eum non debet extendi, nec ratione perſonæ, nec ratione privilegii, maximè cùm minùs debeat dari extenſio in exemptione Cathedralis a ſuo Epiſcopo tanquam magis repugnans juri poſitivo, & rationibus naturalibus, quàm cæteras exemptiones, ut præclarè advertit Bellam. *conſ.* 20. *num.* 9. *& ſeqq.* Contra verò mens Concilii fuit aſſiſtendi magis, & favendi Epiſcoporum authoritati, & juriſdictioni, quàm Capitulorum exemptioni, utque minùs quoad ejus fieri poſſet, lædereturr, Rot. *dec.* 321. *num.* 2. *diverſ. part.* 2. Sarav. *de juriſd. adjunct. quæſt.* 2. *num.* 7. *& 8.* ac latiùs *qu.* 5. *num. item* 7. *& quæſt.* 29. *num.* 45.

8 Quintò, quia verba, quibus ſæpè Concilium utitur, ſcilicet: *Tertium eligant, ad viciniorem Epiſcopum electio devolvatur*, apertiſſimè denotant electionem omninò liberam eſſe debere, & non coarctatam ad idem Capitulum, neque ad certam perſonam. Sic enim in ſimili caſu Collegii Bononienſis mandabat erectio eligendos eſſe ſcolares talis, & talis nationis. Auctis verò facultatibus Collegii, quæſitum fuit, an alii adjungendi eſſent ex eiſdem nationibus, & Rota reſpondit negativè, quia tale onus in fundatione non imponebatur, ergo electio erat libera, Seraphin. *deciſ.* 1491. *ſub initio*. Pariter Vicario capitulari eligendo reſolutum fuit, poſſe eligi extra gremium Capituli, quia de jure non diſponitur, neque per Concilium, quod ſit è Capitulo eligendus, Garz. *de benef. part.* 5. *cap.* 7. *nu.* 13. Merolli. *tom.* 3. *diſp.* 7. *cap. etiam* 7. *num.* 187. Vulpel. *in praxi Epiſcop. cap.* 44. *num.* 25. & Diana cum aliis *part.* 8. *tract.* 4. *reſol.* 58. Simile quoque eſt de arbitrio eligendo, quando unus ex delegatis juratur ſuſpectus, tunc enim non eſt neceſſe, quòd ſit Canonicus, vel alias in dignitate conſtitutus, ut traditur a Doctoribus, præcipuè Compoſtel. *in cap. Suſpicionis num.* 3. *de offic. deleg.* Imol. *numer.* 12. Quibus accedit, quod Epiſcopus vicinior, cui diſcordantibus Epiſcopo, & adjunctis, commiſit Concilium tertii electionem, non coarctatur, illum eligere ex gremio Capituli, ſed poteſt eligere quem ipſe voluerit, ut præter cæteros ſtabilit. Vener. *d. lib.* 4. *cap.* 27. *num.* 51. Ea ratione, quia facultas abſoluta, data eſt ei a Capitulo eligendi tertium, quem voluerit. Ergo ſi vicinior Epiſcopus poteſt eligere tertium, quem voluerit, poterit quoque Epiſcopus Ordinarius, cùm nulla poſſit dari ratio differentiæ magis in uno, quàm in altero caſu, & cùm Concilium in utroque modo iiſdem verbis loquatur.

Sextò, quia Concilium tàm in electione tertii facienda ab Epiſcopo, & ab adjunctis, quàm ab Epiſcopo viciniori in eorum diſcordia, indefinitè loquitur: *Tertium eligant. Electio ad viciniorem Epiſcopum devolvatur.* Quod idem eſt, ac ſi generaliter, & ſine aliqua limitatione perſonarum loquutum fuiſſet, *cap. Cum dilectus* 8. *de conſuetud.* ubi ſtatutum fuerat, quòd fratribus Monaſterii Andrenſis, & Capitulo Karoſenſi competeret electio Abbatis dicti Monaſterii, & Pontifex ibi determinat, ſtatutum intelligendum eſſe, ut ad Capitulum ſpectet confirmatio, ad Monaſterium verò libera electio, ſive de gremio ſuæ Eccleſiæ, ſive aliundè. Statutum ergo ſimpliciter loquens non debet reſtringi ad gremium Capituli, ut ibi obſervant Butr. *in* 2. *lect. num.* 25. Imol. *num.* 1. & cæteri. Quia indefinita loquutio æquipollet univerſali, *l. ſi pluribus* 45. *de leg.* 2. ibique Bart. *l. ſi ſervitus* 22. *ff. de ſervit. urban. præd.* ibi: *& humanius eſt verbo generali omne lumen ſignificare*, *l. ſi plures* 97. *l. Julianus* 66. *ff. de legat.* 3. & admittunt Covar. *lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 6. Menchad. *controverſ.* 30. *num.* 28. *lib.* 2. Eadem igitur generalitate, ac ſine ulla coarctatione ad aliquod genus perſonarum facienda eſt tertii electio, quia omnes comprehenſi intelliguntur, ac ſi expreſsè eſſent nominati, *l.* 1. *§. Et generaliter*, *ff. de legat. præſt.* ibi: *Generaliter autem parentes*, *& liberos Prætor excepit*, *nec gradus liberorum, parentumve enumeravit, in infinitum igitur eis præſtabitur*, ubi notat Gloſſ. *v. in infinitum.* Ergo dictum generaliter intelligitur generaliter, *l. in fraudem* 16. *§. final. ff. de milit. teſtam. l. quinque* 4. *§. parentum*, *ff. de in jus voc. leg. metum* 9. *§. animadvertendum*, *ff. quod met. cauſ.* in hæc verba: *Animadvertendum eſt autem, quod Prætor hoc edicto generaliter, & in rem loquitur, nec adjecit a quo geſtum ſit, & ideò ſive ſingularis ſit perſonæ, quæ metum intulit, vel populus, vel Curia, vel Collegium, vel corpus; huic edicto locus erit*, *l. omnes ibique* Gloſſa *v. Enumeratæ*, *C. de præſcript.* 30. *vel* 40. *annorum*. Tiraquell. *de retr. lignag. §.* 1. *gloſſ.* 14. *numer.* 96. *& ſeqq.* Surdus *dec.* 277. *numer.* 4. 5. *& 26. ac deciſ.* 164. *numer.* 2. Roman. *conſ.* 3. *num.* 19. 9

Septimò, quia verbum *Tertius*, de quo in Concilio, ſumitur pro perſona media, neutri parti plus, minuſve adhærente, hoc namque eſt tertium, & medium æqualiter diſtare ab extremis. Itaque ſi tertius magis adhæreret uni, quàm alteri parti, non eſſet tertius, ſive mediator, ſed partialis, quod nomini tertii, ac ipſi rei repugnat. Quam ob cauſam debet eſſe communis partibus, ut penſare utriuſque juſtitiam æqua lance, & recto judicio poſſit, ad Lopez *gloſſ.* 5. *in l.* 29. *tit.* 4. *par.* 3. & Guttier. *pr. quæſt. lib.* 1. *quæſt.* 93. *& 94.* ubi etiam addit, tertium adjunctum quemlibet eligi poſſe, non coarctatum ad certum genus perſonarum, ut debitum finem juſtitiæ conſequatur, in his præcipuè materiis morum correctionem concernentibus. Nemo autem affirmaverit, Capitularem in tertium eligendum eſſe medium, & æqualem partibus, ut ex ſequenti fundamento oſtenditur. 10

Octavò, quia Canonici in cauſis ſuorum Canonicorum, etiam civilibus, partiales, & ſuſpecti reputantur, non ſolùm in judicando, verùm etiam in teſtificando propter unius corporis unionem, & fraternitatem, quam omni vinculo carnali ſtrictiorem eſſe, leges, & Doctores teſtantur, ut *c. Cùm R. Canonicus de offic. deleg.* ibi: *Exceptis Canonicis Januen. quos, cùm ſint ejus ſocii, meritò habet*

bet pars adversa suspectos, ubi Gloss. v. *Cùm sint socii*, advertit quod Canonicus non potest esse Judex Canonici sui propter familiaritatem, ubi etiam Abb. *numer.* 2. observat, quòd Canonici dicuntur socii inter se, & hac de causa unus non potest esse Judex in causa alterius sine recusatione. Nam societas habet quodammodò jus fraternitatis, & Alberic. *in l. verum, ff. pro soc.* asserit, quòd Canonici ejusdem Ecclesiæ dicuntur inter se habere fraternitatem, sicuti fratres carnales, & propterea magis suspecti, Valenz. *cons.* 121. *num.* 132. *& seq.* & in specie ita sæpiùs judicatum referunt Gaspar Maynar. *dec.* 85. *num.* 179. *par.* 1. & Fontanel. *dec.* 15. *num.* 7. *cum pluribus seqq.*

11 Hæc autem suspicio non ex uno, sed ex tribus planè capitibus consideratur. Primò, ratione Canonici fratris, socii, & partialis accusati. Secundò, ratione adjunctorum confratrum, sociorum, ac partialium similiter, quorum sententiam, seu judicium, si ipse Episcopus accedat, præcisè contemnere debet. Tertiò, ratione ipsiusmet Capituli, cujus pars, & membrum est, & cujus sunt etiam accusatus, & adjuncti. Et quemadmodum Vicarius Episcopi non potest in tertium eligi non alio motivo, quàm conjunctionis, & cohærentiæ inter ipsos, & quasi idipsum censeatur tribunal Episcopi, & Vicarii, *cap. non putamus de consuetud. lib.* 6. *cap. Romana, de appel. eodem*, ac fusè confirmat Sarav. *quæst.* 14. *num.* 9. Ita quoque, ac fortiori quidem ratione censendum est de Canonico. Et ne prætereà contingat contractus pactitius saltem in eorum mente, facio, ut facias, hodie tibi, cras mihi: Sicuti ex hoc motivo dicitur facta constitutio in Francia, ne causæ Senatoris tractarentur in Senatu per unum ex Collegiis rei criminis, ut refert Fontanell. *d. decis.* 15. *num.* 10. omninò legendus. Tertii enim authoritas transcendit facultatem adjunctorum, & in hoc casu efficitur major quocunque Ordinario, sive Episcopo. Quia ejus arbitrio standum, & parendum est. Ideòque omni suspicione, animi affectione, ac personarum exceptione carere debet. Atque hasob causas nullatenus præsumendum est, Concilium voluisse, quod his, cujus arbitrio totum causæ momentum repositum est, ex eodem Capituli consortio eligi deberet.

12 Nonò, quia esset planè absurdissimum, si in discordia tertius deberet eligi ex Capitulo. Nam sola discordia adjunctorum, stante naturali hominum facilitate, & prona natura, etiam extra dolum, & fraudem ad dissentiendum, ut ait Ulpianus *in d. l. Item si unus, §. fin. ff. de recept. arb.* & Innoc. III. *in cap. Cum speciali, de appellat.* esset profectò causa auferendi ab Episcopis totam jurisdictionem, quæ eis de jure communi competit in Canonicorum causis criminalibus, & transferendi eam ad unum duntaxat Canonicum, quando Concilium omnibus non concessit. Præterquamquod commoda quidem occasio adjunctis capitularibus offerretur aliquando malitiosè dissentiendi, ut fieret translatio jurisdictionis in Capitulum per tertium ex eo eligendum, & hac via consequendi quod per se ipsos non poterant, data comparatione ad Episcopi suffragium. Quæ ita consona sunt rationi, ut nulla egeant legum authoritate, quia ratio ipsa lex est, & dominatur omnibus actibus humanis. Porrò si ratione lex consistit, lex erit omne jam quod, & ratione constiterit, quod religioni convenit, quod disciplinæ congruit, quod saluti proficit ex Isidoro relato *in cap.* 2. *Consuetudo d.* 1. & Glossa *in cap. Ego solis d.* 4. At quisnam poterit excusare naturalem discrepantiam, & aversionem, quam habent Canonici, præcipuè Cathedralium, adversus disciplinam, & correptionem Episcoporum, quibus propterea in quantum possunt, & valent, modis omnibus, contrariantur, nisi eorum faciant voluntatem, ut inquit Alv. Pelag. *de planct. Eccles. lib.* 2. *c.* 26.

13 Decimò, quia Capitulo collectivè, non verò singularibus ejus personis data fuit a Concilio hæc jurisdictio per illos duos adjunctos, a se quotannis eligendos, exercendas, ut inquit Sarav. *de jurisdict. adjunct. quæst.* 9. *n.* 1. inferens, ergo nec adjunctis a Capitulo electis, quia Capitulum repræsentant. Et expressiùs *quæst.* 11. *num.* 19. respondens interrogationi, cur si jus commune est servandum, Capitulum procedit cum Episcopo per adjunctos ab illo nominatos? inquit cum Hostiense, majorem partem Capituli censeri, quando est communis jurisdictio Episcopo, tanquam Prælato, & Capitulo, & unus ex duobus nominatis ab isto, illi accedat. Ubi notanda sunt verba illa, Capitulum procedit cum Episcopo per adjunctos, & doctrina Hostiensis, tribuens Capitulo unum tantùm suffragium, & quòd si alter ex duobus ab illo nominatis Episcopo accedat, fiat determinatio. Quod maximè considerandum est, quia ex ea desumpta videtur dispositio, sive moderatio contenta *in d. cap.* 6. *sess.* 25. & advertit Lotter. *de re benef. lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 81. inquiens, non urgere, quòd agatur de munere judicandi, quia Portionarii casu, quo eligantur in Conjudices, repræsentant ipsum Capitulum, a quo procedit illa potestas. Ideòque Capitulum potest semel facta electione sub initio anni, sæpiùs illam revocare, & alios eligere, ut tenet idem Vener. *d. cap.* 27. *num.* 39. Quòd sanè non posset, semel facta electione, si non sibi, sed singularibus personis data esset hæc jurisdictio, denotante id non obscurè Concilio verbis illis: *Capitulum quotannis eligat ex Capitulo duos.*

Ex quibus Capitulum collectivè consideratur, tanquam 14
unum corpus mistum, *l. cum fundus* 55. *ff. de condit. & demonst. l. un. §. his itaque, Cod. de caduc. tollen.* Quod in jure est repræsentativum corporis naturalis, *l. mortuo, ff. de fidejuss.* Boer. *de aut. magn. Consil.* Belencin. *de ebaritat. subsid. quæst.* 100. *numer.* 1. Atque adeò neque secundùm jus, neque secundùm naturam tertius potest eligi ex eodem gremio Capituli, quia nec de jure, neque de facto datur possibilitas ad hoc, ut persona, quæ per se ipsam constituitur in esse Judicis, possit etiam esse altera tertia sui ipsius in casu discordiæ inter ipsum, & alium vertentis ad decidendum, tanquam tertius, dubium, in quo tanquam Judex ab altero discordavit, dareturque naturalis repugnantia, quòd Capitulum una eademque persona fungeretur vice duarum, scilicet Judicis principalis cum altero judicantis, & tertii solius dirimentis discordiam contra regulam textus *in cap. fin. de instit. cap. per nostras de jurepatr. cap. didicimus* 24. *quæst.* 1. *cap. Presbyteros* 16. *quæst.* 1. *cap. singula* 89. *d. l. si plures* 9. *ff. de pact.* ac reclamante Tiraquello *de retr. lignag. §.* 1. *gloss.* 9. *num.* 4. & Baldo *consil.* 375. *num.* 1. *vol.* 4. Quam ob causam sententiam adjunctorum Capitulo tribuitur, tanquam ab ipso prolata per organum, & interessentiam adjunctorum, ut in terminis similis legis mandantis judicari causam a Judicio ordinario, & duobus decuriombus loquitur Azeved. *in l.* 7. *tit.* 18. *lib.* 4. *recop. per textum in l. Item eorum, §. Si decuriones, ff. quod cujusque univ. nom.* & in his terminis Zipæus *lib.* 1. *de offic. ordin. consult.* 4. *§. nervosa.*

Undecimò, quia inde sequeretur maximum inconve- 15
niens: Nam, ut diximus, tertius in hoc casu efficitur major quocunque Ordinario, sive Episcopo, quia de juribus, & justitia sententiæ, vel judicii Episcopi cognoscere, & judicare debet. Perindignum autem est, ut Capitularis, & quæ subditum Episcopi negari non possumus, de ejus sententia, & judicio judicet, repugnante regula juris *in cap. Statutum*, ubi Gloss. *v. Canonicis, de præscript. in* 6. Ordoque Ecclesiasticus perturbaretur, dum inferior constitueretur judex Superioris contra textum *in cap. ult.* ubi Glossa *v. Et potiores* 89. *d.* Nam pro munere judicandi non solùm exigitur intellectus, & capacitas, sed etiam majestas quædam, & decus circa personam, Lotter. *d. cap.* 25. *numer.* 72. Maximè cùm evenire posset, ut tertius esset Portionarius, aut Dimidius, ut possunt esse in Ecclesiis, in quibus habent vocem in Capitulo, Vener. *in exam. Episcop. lib.* 4. *cap.* 29. *numer.* 25. Lotter. *ubi supra*, & Prælatus esset Cardinalis, vel Archiepiscopus, quod rationi dissonum est.

Denique, quia observatio id declaravit: Nam hucus- 16
que post Concilii publicationem nusquam visum, vel auditum fuit quòd tertius deberet eligi ex eodem Capitulo. Observatio autem probatur non solùm ex actibus affirmativis, & positivis, sed etiam ex negativis, Decius *cons.* 48. *num.* 2. Franch. *decis.* 22. *num.* 4. Rota coram Seraph. *dec.* 1410. *& in recent. decis.* 396. *num.* 12. *p.* 5. Quare tollit omnem ambiguitatem, quia deservit comprobationi jurisdictionis Episcoporum habentium intentionem fundatam non solùm in antecedenti dispositione *d. cap.* 4. *sess.* 6. verùm etiam in antiquiori jure communi, quæ omninò est attendenda, cùm etiam declaret, quod a principio actum est, *l. si de interpretatione, ff. de legib. cap. Cum consuetudinis, de consuet. c. Contingit, de transact.* Mastril. *dec.* 52. *n.* 14. Pariè *cons.* 36. *n.* 8. *vol.* 1. passimque alii.

Non obstat declaratio quædam S. Congregationis Con- 17
cilii. Quia licèt summa sit illius authoritas, ac veneratione digna, non est tamen novum, quòd Summus Pontifex, vel per seipsum quandoque eas moderetur, vel ex integro examinandas, & decidendas committat, vel ipsamet S. Congregatio, partibus iterùm ac plenius auditis, eas revocet, ut fertur *in dec.* 214. *num.* 6. *part.* 8. *rec.* Quinquies enim Sac. Rituum Congregatio decreverat, præcedentiam deberi Capellanis erectis a Cardinali Toletano, & nihilominus Paulus V. causam in Rota commisit, non

dræſuppoſitis decretis, atque ex integro examinari. Et penotat etiam *deciſ.743. par.1. & dec.328. par. 2. div. & dec.137. num.3.* coram Urgellenſi, & in his terminis Sarav. *quæſt.* 18. *qui num.* 1. referens quandam declarationem, & *num.* 16. aliam omninò contrariam, ait *num.*20. hoc ſuppoſito, non obſtat declaratio Cardinalium, quæ cum prior ſit, manet derogata per poſteriorem. Et *quæſt.*25. *num.6* inquit: In hac difficultate ſciendum eſt primò, in Congregatione fuiſſe propoſitum an textus *in cap.4.ſeſſ.6. & in cap.6.ſeſſ.25. de reform.* in Tridentino comprehenderet in ſuis derogationibus concordias confirmatas ex certa ſcientia, & cum cauſæ cognitione, & licèt primò fuiſſet reſponſum comprehendere, ſed poſteà Sanctiſſimus, excitantibus Dominis de Rota ex Congregationis ſacræ ſententia declaravit in hoc textu, & *d.c.4. ſeſſ.* 6. eſſe præſervatas dictas concordias. Quippè Principis, ac Superiorum omnium intereſt leges, & declarationes a ſe editas reformare, dum noverint eſſe damnoſas ex notatis *in c. Non debet, de conſangu. & affin. cap. Qualiter, & quando* 1. *de accuſat.* ibique Gloſſ. *v. Corrigere*, & communiter Theologi cum D. Thoma 2.2. *q.*97. *art.*1. & ſubſcribunt Covar. *in cap. Alma par.2. ſub num.2. de ſent. excom. in 6.* Manent. *dec.61. nu.* 55. & expreſſit tanquam æquiſſimum Imperator *in auth. de nupt.* his verbis: *Non enim erubeſcimus ſi quid meliùs horum, quæ priùs ipſi diximus, adinveniamus, competentem prioribus imponere correctionem.*

18 Minùs obſtant antiqua jura. Nam quatenùs aſſerunt Epiſcopum non poſſe cauſam ſine præſentia, vel conſilio ſuorum Clericorum audire, non faciunt ad rem. Quia probant tantùm de jure antiquò requiri conſilium Clericorum, ſed neque textus aliquis, neque Doctor dicit, quòd ſi Capitulares non concordant cum Epiſcopo, detur tertius ex Capitulo, ex qua adjunctione votum Capituli augmentum recipiat, cùm tamen eodem jure antiquo, ac etiam juxta terminos Concilii major ſit, ac præcipua juriſdictio Epiſcopi, ut dixit Rota coram Serraph. *deciſ.* 1213. *num.3. ad fin. & nu.* 4. & annotat Gratian. *diſcept.* 100. *nu.* 64. Præterquamquod ex juribus prædictis alia de negotiis civilibus tangentibus Eccleſiæ utilitatem, ac bonorum adminiſtrationem, ubi non juriſdictionaliter, ſed œconomicè proceditur, alia de præſentia, ſive conſilio, quod ſequi eſt voluntatis, non autem neceſſitatis, ut tuetur Sarav. *qu.* 1. *nu.* 1. loquuntur, non verò de conſenſu requirendo. Id, quod ſi attentè perpendatur, manifeſtè apparet ex ipſo Tridentini decreto *cap.*4. *ſeſſ.6.* Nam ibi Concilium ſupponit, Capitula Cathedralium exempta eſſe a juriſdictione Epiſcoporum, non ex juris diſpoſitione, ſed exemptionibus, conſuetudinibus, ſententiis, juramentis, concordiis, &c. quarum pleraque fœdum etiam ſortitæ ſunt originem, quod pudet referre ex conjectura viri prudentiſſimi Jacobi Cujacii *in cap. Cum non liceat, ad fin. de præſcript.* traditque Lotter. *d. l.* 1. *qu.*25. *nu.*1. Et ideò hæc omnia derogando Concilium reduxit ad primævam Epiſcoporum juriſdictionem, quam habent fundatam in jure communi, nempè *in cap.* 1. *de offic. Ordin.* ibi: *Habeant igitur Epiſcopi ſingularium Urbium in ſuis diœceſibus liberam poteſtatem ſcelera inquirere, ulciſci, & judicare, cap. Irrefragabili*, ubi Gloſſa Magiſtralis, *v. Capitulum, cap. Cum Epiſcopus, de offic. Ordin. in 6.* ibique Doctores.

19 Non obſtante opinione Saraviæ *d. quæſt.*1. *num.*11. & *quæſt.*2. aſſerentis jus commune aſſiſtere juriſdictioni adjunctorum. Nam præterquamquod jura ab eo producta nihil probant, de tertio in caſu diſcordiæ eligendo, & loquuntur de conſilio, ac præſentia, non autem de conſenſu adhibendo, idem Saravia vi veritatis compulſus contrarium tenuit *quæſt.*11. Ubi diſputat, an Eccleſia Cathedralis poſt Tridentinum erecta gaudeat privilegio adjunctorum? & *num.* 12. minimè gaudere affirmat; & *num.*18. comprobat hanc ſententiam quadam declaratione S. Congregationis Concilii, dicens: *Tota ergo vis hujus ſententiæ conſiſtit in declaratione S. Congregationis hujuſmodi tenoris.* Hoc decretum, videlicet *cap. 6. ſeſſ.*25. non pertinet ad Eccleſiam Cathedralem, tanquam Cathedralem, ſed tanquam exemptam. Undè Eccleſia Collegiata erecta in Cathedralem non comprehenditur hoc decreto, ut etiam obſervat Cardinalis Seraphinus *dec.*493. Ubi dicit Concilium non comprehendere alias Eccleſias, & Capitula, quàm quæ jure exemptionis gaudent.

20 Igitur manifeſtè liquet, non ex jure communi Cathedralibus Eccleſiæ jus judicandi cum Epiſcopo in cauſis criminalibus competere. Quia ſi hoc eſſet, omnibus Cathedralibus univerſi Orbis Chriſtiani competeret adjunctos habere, cùm lex univerſalis, & jus commune omnibus loquatur, & ubique ſervetur, & tamen in Italia nota, & in Hiſpania pro majori parte non adhibeatur, extra eam nullum eſt Capitulum, quod habeat adjunctos. Vel etiam quocunque tempore Eccleſia in Cathedralem erecta fuiſſet, ei competeret, maximè cùm in noviter erectis Epiſcopus non poſſit habere præſcriptione quidem, vel conſuetudine plus juris, quàm a communi conceſſum. Quamobrem neceſſarium fuit, ut Pontifex Summus in ſecularizatione Eccleſiæ Cæſarauguſtanæ ſub anno 1604. per modum privilegii hoc ei concederet, ut ex Bulla, quæ extat apud Sarav. poſt *quæſt.* 1. *a numer.* 76. Aliàs enim privilegio adjunctorum non gauderet.

Nec quicquam obſtat, quod dicitur de additamento, 21
ſubrogato, & devoluto quoad iſtum tertium. Quia, præter quòd in exorbitantibus a jure, & in perſonis diverſis non cadit repetitio qualitatis in præcedenti caſu expreſſæ, ut regulam declarat Soccinus *in fallent. reg.* 420. argumentatio de additamento, quòd debet habere naturam principalis, retorquetur, cùm non ſit æquum, quòd repræſentet ſolùm Capitulum, dum non eſt unicus Judex, ſed cum Ordinario. Et ideò hinc potiùs ſequitur merè tertium, & extraneum eſſe aſſumendum, ne participet de uno ſolo in præjudicium alterius. Ac ſi eſt capitularis, erit in favorem ipſorum, & hoc votum, ſeu ſententia eorum vires aſſumet, cùm addatur ex eorum parte, & ſic pars Epiſcopi deſerta ſemper manebit. Immò non poteſt argui, quòd additamentum ſequatur naturam principalis, quando præjudicaretur juriſdictioni Ordinarii ad favorem exempti, ut dixit Angel. *in l. ſi ſervitus, num.* 7. *ad fin. ff. de ſerv. urban.* quem ſequitur Brun. *de augm. concl.9. num.* 8. & *ſeq.* Cocchier. *de juriſd. in exempt. par.* 1. *quæſt.* 37. *num.* 2. & 3. Præterea falſum eſt, aſſerere tertium eſſe additamentum, quia nemini additur, ſed ipſe ſolus judicat, ut ſuprà dicebamus.

Pariter non obſtat argumentum deſumptum ex na- 22
tura ſubrogationis. Quia tertius non ſubrogatur. Non enim ſubrogatur quis in locum alterius, niſi vel principalis, in cujus locum ſubrogatur, ſit extinctus, vel abſens, ſive aliter impeditus. Aliàs enim non habent locum termini ſubrogationis, ut benè explicat Decian. *conſ.*19. *num.*137. *lib.*3. Adjuncti autem, ſeu eorum ſententia è medio non tolluntur, neque abſentes, vel impediti ſunt.

Item nec obſtat, Concilium voluiſſe obviare poten- 23
tiæ aliquorum Prælatorum volentium dominari magis, quàm gregem paſcere, & pro libito, affectu, vel odio abſolvere, & condemnare. Quia hæc ratio neque fuit finalis, neque impulſiva Concilii. Nam ſi hoc *eſſet* verum, idem ſtatuiſſet quoad univerſas Eccleſias, maximè quoad fundandas, & quamplurimæ ſunt Prælatorum ſuorum omnimodæ juriſdictioni ſubjectæ, nec in eis potentia abutuntur, neque odio, vel amore dominantur. Quinimmò clariſſimum eſt, plures turbas evenire in Eccleſiis, quæ privilegio adjunctorum gaudent, nam Capitulares nulla formidine pœnæ deterriti, cùm ab ipſis ſociis, & fratribus, & quorum manè invicem ipſi Judices erunt, judicandi ſunt, delinquendi laxant habenas, nec Epiſcopum curant, itaque nonnulli, quos obedientiæ ſpecimen præbere omnibus oportuit, ſuo penitus arbitrio vivunt, & quicquid libitum eſt, licitum putant.

Et ſimiliter, quæ a Cardinali de Lugo *reſponſ. mor.* 24
*lib.*5. *dub.*28. adducuntur, nullius ſunt momenti. Supponit enim *numer.*5. quod in caſu diſcordiæ inter Epiſcopum, & Adjunctos debeat a Capitulo cum Epiſcopo Tertium eligi. At decipitur. Quia id non ait Concilium. Immò, quod ſi ambo ſcilicet Adjuncti ab Epiſcopo diſcordes fuerint, tunc intra ſex dierum ſpatium cum Epiſcopo Tertium eligant ipſimet Adjuncti, non autem Capitulum. Deindè proſequitur argumentum a ſimili parificando particulam illam Tertium cum particula, *Alium*, & inquit: Sicut iſta eſt nota ſimilitudinis, & repetitiva qualitatum præcedentium, ita illa importat eundem effectum, ac non diſſimilem interpretationem eligendi dictum tertium ejuſdem generis, & qualitatis capitularis. Et ita exemplicando materiam concludit, quod ſenſus planus, & ſincerum verbum Concilii eſt, quod eligatur alius tertius Capitularis ex eodem genere perſonarum.

At enim verò inefficacia hæc ſunt. Etenim non reperi- 25
tur in jure ſcriptum, quod dictio illa, *Tertium*, ſit repetitiva ſpeciei, & qualitatis præcedentium, immò potiùs perſona media, & indifferens uni, & alteri, ſcilicet Epiſcopo, & ipſius Adjunctis, ut pluribus demonſtratum, & convincit Specul. *tit. de arbitr. §. ſequitur a num.*15. *cum multis ſeqq.* Bart. *in l. ſi dominium, nu.4. ff. de furt.* Alioquin ſi ex eodem Capituli conſortio eſſet aſſumendus, non eſſet Tertius,

ſed

ſed eadem perſona, quia & ipſe Capitulum repræſentaret, quod eſſet valdè inconveniens, ac omninò abſurdum juriſdictionem totam ab Epiſcopo adimere, & perſonis capitularibus attribuere. Qua dumtaxat ratione abſurdi viſitandi receditur a regula allegata, ut poſt Socin. ſen. *conſ.*300. Et Menoch. *conſ.*335. *num.* 18. & *ſeqq.* advertit Rota *deciſ.* 714. *num.* 5. *part.* 2. *rec.* Ubi perpendit dictiones *aliis*, quæ licèt ſit nota ſimilitudinis includit nihilominus diverſa ab expreſſis.

26 Sicuti etiam nihil urgent regulæ *numer.* 6. adductæ. Quia verè iſte Tertius non ſubrogatur a Concilio in locum Adjunctorum, vel Epiſcopi. Subrogatus enim non habet majorem poteſtatem eorum, in quorum locum ſubſtituitur, ſicuti habet iſte Tertius, in hoc caſu, cùm articulus, in quo erit diſcordia juxta ejus votum terminatur, ut de tertio adhibito in caſu diſcordiæ inter duos arbitros diverſi generis loquitur text. *in d. l. item ſi unius §. fin.* & ibi communiter ſcribentes, *ff. de recept. arbitr.* Epiſcopus quippe in hoc loco conſideratur ut unum, & Adjuncti ut alterum genus, ſive corpora diſtincta, ac proindè illis inter ſe diſcordantibus, Tertius eſt adhibendus, qui neque ab uno, vel altero genere deſcendat, aut participet in affectione, ut ex præſumptione juris dicuntur eſſe omnes Capitulares in hujuſmodi cauſis cognoſcendis, vel decidendis, ex *c. Cum R. Canonicus, de offic. deleg.* Quod procedit in omnibus materiis, in quibus Epiſcopi, & Capitula accipiuntur ut duo genera perſonarum, & corpora diſtincta, ut in hoc Concilii contingit, quemadmodum docent Gemin. Franch. & alii *in cap. a collatione, de appell. in 6.* & latiùs diſtinguit Selv. *de benef. par.* 2. *qu.* 17. *per tot.* Put. *deciſ.* 116. *lib.* 3. *in correct.* & comprobat Gonzal. *ad reg.* 8. *gloſſ.* 42. *num.*58. & *ſeqq.*

27 Argumentum verò formatum *numer.* 7. quod nulla ſit major ratio, ut Tertius debeat eligi ex Capitulo, quam alii duo primi, quaſi indecens foret, quod Canonici, qui antea exempti fuerant ab ipſius Epiſcopi judicio, ſubjiciantur hoc in caſu judicio alterius Clerici privati, & certè inferioris Ordinis juxta notata *in c. Cum inferior, de major.* & *obed.* ex jam dictis eliditur. Nam in primo diſtinctionis membro duorum Adjunctorum non ineſt inconveniens tribuendi ſoli Capitulo juriſdictionem, ſicuti in hoc Tertio contingit. Quia omnis determinatio cauſarum hujuſmodi in ejus arbitrio repoſita eſt: quare, ſuppoſita neceſſitate, quod debeat eligi ex eodem gremio Capituli, utique Concilium in hac re confunderetur, non declararetur. Clariora enim ſunt verba, & magis perſpicua intentio, illius, qualis fuerit ſuprà *cap.* 4. *ſeſſ.* 6. quæ fuit a ſancta ſynodo innovata, non derogata *in d. cap.* 6. *ſeſſ.* 25. prout ſe habet declaratio, & opinio ipſius Cardinalis de Lugo.

28 Cæterùm inconveniens, quod Superiores ab inferioris Ordinis Sacerdote judicentur, non procedit in his terminis, ut poſt alios declarat Felin. *in d. cap. Cùm inferior ſub num.* 3. Quia non reperitur in jure, quod Canonici ſint Superiores, vel ullam dicant juriſdictionem in Clericos inferioris Ordinis, licèt præfulgeant majoris dignitatis prærogativa, & præeminentia, atque adeò nulla ſequitur indecentia, quod unus Canonicus Cathedralis a Judice delegato judicetur, præcipuè quando ex diſpoſitione Concilii generalis eligitur. Tunc enim efficitur major quocunque Ordinario, ut pluribus probat Felinus loco allegato, eſtque certa Doctorum ſententia, quam tenent communiter Canoniſtæ *in cap. ſanè de offic. deleg.*

29 Rurſus exemplum allegatum, quando omnes Canonici, & univerſum Capitulum deliquerint, quod tunc Epiſcopus valeat per ſeipſum procedere abſque Adjunctis extra Capitulum eligendis, ne ipſi uti inferioris Ordinis Clerici juriſdictionem dicant in Canonicos ſuperioris hierarchiæ, non convenit, immò potiùs ſi rectè penſitetur, facit in oppoſitum conſiderando *d. cap.* 4. *ſeſſ.* 6. ubi Concilium abſolutam reſtituit juriſdictionem Epiſcopis in omnes Canonicos, & Capitula, quantumvis exempta procedendi toties, quoties per ſeipſos abſque Adjunctis, quod eſt conforme, diſpoſitioni juris communis, ut ſcriptum eſt *in d. cap. Omnes Baſilicæ* 16. *quæſt.* 7. & *cap.* 1. *de offic. Ordin.* ac proindè iſta noviſſima diſpoſitio Concilii adhibendi Adjunctos, cùm nequeat in uſum redigi in delictis capitularibus, meritò S. Congreg. cenſuit, poſſe Epiſcopum per ſeipſum inquirere, & punire univerſum Capitulum, & Canonicos capitulariter delinquentes juxta juris communis decreta, ut in *cap. Ab exordio d.* 35. Gloſſ. *in cap. Statutum, de præb. in 6.* ac latè Felin. *in cap. Cùm acceſſiſſent ſub num.* 5. *de conſtit.* In exorbitantibus namque benigna ſemper, & favorabilis eſt opinio, quæ ad terminos juris communis deciſionem reducit, & illa eo magis amplectenda, per quam abſurda vitantur, ut habetur *in cap. Dudum §. nos igitur, de præb.* eodem *lib.* 6. & *in l. nam abſurdum, ff. de bon. liber.*

At nihilominus, licèt hæc ſententia arriſerit antiquioribus pleriſque, nec paucis optimæ notæ recentioribus, ea tamen non obſtante tenendum eſt, ejuſmodi Tertium eligendum eſſe ex gremio ejuſdem Capituli. Id, quod ex ſequentibus demonſtratur. 30

Primò, quia Epiſcopi ante Concilium Tridentinum non poterant ex ſe cognoſcere cauſas hujuſmodi, niſi cum præſentia ſuorum Clericorum, *cap. non liceat* 3. *qu.* 6. ibi: *Reus ab omnibus judicetur*, *cap. Epiſcopus* 15. *quæſt.* 7. ibi: *Epiſcopus nullius cauſam audiat abſque præſentia ſuorum Clericorum, alioquin irrita erit ſententia Epiſcopi, niſi Clericorum præſentia confirmetur*, & *cap. ſeq.* ibi *Epiſcopus Sacerdotibus, ac miniſtris ſolus honorem dare poteſt.* Si enim hi, qui in ſæculo a dominis ſuis honoris libertatem adepti ſunt, in ſervitutis jugum non revocantur, niſi publicè apud Prætoris, vel Præſidis tribunal in foro fuerint accuſati, quantò magis hi, qui divinis altaribus conſecrati, honore Eccleſiaſtico decorantur, qui profectò, nec ab uno damnari, nec uno judicante poterunt honoris ſui privilegiis exui, ſed præſentari ſynodali judicio, & quod canon de illis præceperit definiri. 31

Idem habetur ex *cap. Novit*, 4. *de his, quæ fiunt a Prælat. ſine conſenſ. Capit.* ibi: *Novit tuæ diſcretionis prudentia, qualiter tu*, & *fratres tui unum corpus ſitis, ita quod tu caput*, & *illi membra eſſe probantur. Undè non decet, te, omiſſis membris, aliorum conſilio in Eccleſiæ tuæ negotiis uti, cùm id non ſit dubium*, & *honeſtate tuæ*, & *Sanctorum Patrum inſtitutionibus contraire*, & ex *cap. Quanto* 6. *eod.* ibi. *Et aliis Eccleſiæ tuæ negotiis fratres tuos requiras*, & *cum eorum conſilio, vel ſanioris partis peragas*, & *pertractes*, & *quæ ſtatuenda ſunt, ſtatuas, errata corrigas*, & *evellendo diſſipes*, & *evellas.* Item ex *cap. Qualiter* 24. *Debet coram Eccleſiæ ſenioribus veritatem perſcrutari de accuſat.* atque ex *cap.* 1. *de exceſſ. Prælat.* ibi: *Mandamus &c. ne de cætero irrationabiliter gravetis &c. aut ſine judicio Capituli ſuſpendere, aut eorum Eccleſias interdicto ſubjicere attentetis*, cum aliis adductis a Sarav. *de juriſd. Adjunct. qu.* 1. *per totam*, & Lotter. *de re benef. lib.* 1. *quæſt.* 25. *num.* 60. & *ſeqq.* 32

Ex quibus 1. apparet jus commune aſſiſtere diſpoſitioni Concilii circa Adjunctos, ut fuſiſſimè probat Oldrad. *conſ.* 251. *numer.* 2. Sarav. *d. quæſt.* 1. qui etiam *ſeq. qu.* oſtendit, Concilium nihil de novo diſpoſuiſſe. Quod item probant Lotter. *ubi ſupra num.* 62. Rot. *dec.* 2. *numer.* 5. *de jurejur.* coram Cæſar. de Graſſ. in Conchen. juriſdictionis 29. Maji 1551. coram Achille, & *deciſ.* 204. *numer.* 2. apud Verallum, Caputaqu. *deciſ.* 202. *num.* 2. Mohed. *deciſ.* 242. aliàs 2. *de for. comp.* & Mantic. *deciſ.* 202. *numer.* 9. ac Rot. in Conchen. Electionis Tertii adjuncti 1. Julii 1650. coram Emin. Cerro. Secundò, infertur, Adjunctos debere eſſe de Capitulo, dum textus *in d. cap. Novit*, inquit, *non dicere, omiſſis membris aliorum conſilio in Eccleſiæ negotiis uti*, & *d. cap. quanto*, fratres requirendos monet, & in *cit. cap. Qualiter*, de Eccleſiæ ſenioribus loquitur, & *alleg. cap.* 1. in ſpeciem judicium Capituli exigit. Undè ſicut duo primi Adjuncti debent ex Capitulo eligi, ut diſponit Concilium, ita pari ratione tertius ex eodem Capitulo eligendus eſt, ne omiſſis membris ipſius Eccleſiæ in ejus negotiis aliena adhibeantur conſilia, & capitularium conſcientiæ extraneis præſententur judiciis, *cap. non liceat* 3. *quæſt.* 6. ut reaſſumit Hoſtien. *in cap. quia propter num.* 26. *de elect.* & firmat *d. dec.* coram Em. Cerro, *§. quæ quidem, in fin.* 33

Quod ſi iſtæ rationes ſunt efficaces ad effectum, ut in caſu, quo devolvitur electio tertii adjuncti ad Epiſcopum viciniorem, ipſe alium non eligat, quàm Capitularem, ut probatur *in c. Ne pro defectu, de elect.* Rot. in d. Conchen. *§. ultim.* multò magis hoc præſtandum erit, quando Epiſcopus, & Adjuncti Tertium eligunt. Ratio enim cujuſvis diſpoſitionis, præſertim legis, tanquam intrinſeca illius virtus, & ſpiritus illi prædominans magis attendi debet, quam lex. Quia ex ratione efficitur jus, & lex eſt quicquid in ratione conſiſtit, immò ratio eſt ipſa lex, quæ impulit legislatorem ad ſic ſanciendum, itaut rationis interpres lex ipſa dicatur, ut pulchrè ſcripſit Merlin. *deciſ.* 388. *num.* 12. & *ſeq. par.* 5. 34

Secundò, demonſtratur ex verbis Concilii. Quia dum primò mandat eligi Adjunctos ex gremio Capituli, addendo eligi tertium, intelligitur de eodem gremio, cùm præcedentia declarent ſubſequentia, *l. utrum, ff. de petit. hæred. l. qui filiabus in princ. ff. de leg.* 1. Burat. *dec.* 200. *nu.* 8. Et additamentum aſſumit naturam rei, cui adjicitur, *l. ſed* & *ſi adjiciatur, ff. pro ſoc. cap. ſuper eo de præb. in 6.*

Rot. *dec.3. num. 3. eodem tit. in antiq.* ac benè Alexan. *conſ.13. num.13. lib.3.* ubi Apoſtil. *v. Interpretum* , dicit additionem , factam a ſtatuto , intelligi retentis terminis ejuſdem ſtatuti , Boer. *dec.* 284. *num. 3.* ubi , quod ſicut referens eſt in relato, ita additamentum ineſt rei additæ , tanquam pars illius , adeòut Dec. *conſ.*20. *ſub init.* voluerit , additamentum factum alicui ſtatuto , ſeu diſpoſitione pœnali ipſam pœnam repetere . Quod ſequitur Ruin. *conſ.23. nu.28. vol.*5. amplius id etiamſi non fuerit expreſſum, Caroc. ad Dec. *loc. cit. num.* 2. Rota in Anconitana Mannæ 13. Maji 1644. coram Corrado, *§. unde refertur* , & faciunt quæ tradit Sarav. *quæſt. 3. num.* 12.

36 Hoc idem comprobat continuatio orationis ſub eadem verborum ſtructura , itaut una diſpoſitio declaret aliam , & operetur , quod qualitas perſonarum poſita in priori diſpoſitione , cenſeatur repetita in ſequenti , nec ob diverſitatem caſuum ſit diverſo modo terminanda , ut egregiè per Rot. *deciſ. 33. num. 7. cum quinque ſeqq. part.*7. Maximè ſtante dictione illa , *quod ſi* , in Concilio appoſita , quæ inducit repetitionem omnium qualitatum præcedentium ex Barbol. *dict.* 277. *numer.* 2. *art.3.* Ubi ait idem importare , ac dictio *ſed* , quæ pariter qualitates antecedentes repetit ex Vulpel. *de præpoſ. ad verb. ſignif. dict. ſed, & de dictione quo verò* comprobat Rot. *dec.* 168. *num.* 2. *cum pluribus ſeq. par.6. recent.* loquens etiam quando unaquæque diſpoſitio habet ſuum verbum particulare, ſecunda tamen primæ jungitur per ſimiles dictiones.

37 Favet quoque natura ſubrogationis, quæ eaſdem qualitates in ſubrogato exigit , quas habebat is , in cujus locum fit ſubrogatio , ut in terminis juriſdictionis probant text. *in cap. ſtatutum, §. in illo quoque de reſcript. in 6. cap. fin. §. vices ſuas de offic. deleg. etiam in 6.* & in ſpecie Valenzuel. *conſ.* 190. *numer.* 47. & 54. & Gratian. *diſcept.* 800. *num.* 5. Adeòque ut nec ſubrogationis vim excludat major , aut minor numerus ſubrogatorum , Lap. *alleg.* 88. *num.* 7. & 9. Sic devolutio non mutat , ſed retinet ſingulas primævas qualitates, & circumſtantias, Felin. *in cap. Cum acceſſiſſent num.*18. *de conſtit.* Ferret. *conſ.*211. *num.*12. & ſcrutatores ex eodem Collegio debent eligi, *cap. quia propter de elect.* Petr. de Baſch. *in direct. elect. cap.*24. *par.* 3. *num.*3.

38 Præterea ſi Tertius Adjunctus non eligeretur ex eodem Capitulo , ſed extraneus , opus quidem eſſet , ut ſuffragandi munus ſuppleretur literis , vel nunciis cùm tamen ad ſuffragandum omnes ſimul convenire debeant, *l. ſi intres* 20. & *l. ſicut tribus* 21. *ff. de recept. arb. l. duo ex tribus* 39. *ff. de re jud.* Angel. *conſ.* 52. *ante fin.* Caſtr. *conſ.* 193. *num.*3. *vol.*1. Signorol. *conſ.* 104. *num.*10. ut ſimul convenientibus unus alterum in ſuam ſententiam trahere valeat per text. in eadem *l. ſi tres*, & Caſtr. *loc. cit.*

39 Non obſtat , quod Sac. Concilium Epiſcopus faveat ad compeſcendum nimiam licentiam Capitularium, atque ideò reſtringenda ſit hæc diſpoſitio de Adjunctis . Nam licèt Concilium *d. cap.*4. *ſeſſ.*6. ſatis Epiſcopis ſuffragium fuerit , omnibus exemptionibus conſuetudinibus, ſententiis , & concordiis , etiam juratis derogando , hanc tamen abſolutam poteſtatem limitavit *d. cap.6. ſeſſ.* 25. Quia experientia conſtabat convenire Reipublicæ chriſtianæ , ut aliquorum Prælatorum plus volentium dominari , quàm paſcere gregem , potentiæ obviaretur per adjunctionem Canonicorum , teſtibus Navar. *lib.* 1. *de offic. Ordin. conſ.3. num.*5. & Sarav. *d. quæſt.* 1. *num.* 38. & *ſeq.* Additque Piaſec. *in prax. Epiſcop. part.* 2. *cap.* 2. *numer. nono* , diſpoſitionem Concilii de Adjunctis emanaſſe in recompenſationem aliarum facultatum juriſdictionalium , quibus Cathedralia Capitula gaudebant.

40 Neque dici poteſt , Concilium Capitularibus aliquam juriſdictionem conceſſiſſe , quam antea non habebant . Quia diſtinguendum eſt cum Saravia *d. quæſt.*2. *num.* 9. Aut enim loquimur de juriſdictione Capitulis competente poſt *cap.*4. *ſeſſ.*6. *de reform.* & verum eſt , quod aliqua de novo eſt tributa juriſdictio Capitulis . Aut loquimur de juriſdictione ante *d. cap.* 4. & tunc potiùs ablata , quàm de novo conceſſa Capitulis juriſdictio intelligitur , quod clariſſimè ſignificavit Rota *dec.*743. *nu.* 5. *part.*1. & *dec.*321. *num.*2. *p.*2. *diverſ.* nec contrarium dicit Achil. *dec. illa* 2. *de offic. Ordin.* quæ diſcurſus , non deciſio eſt, nobiſque favet , Mantic. *dec.*180. *num.*6. & aliis relatis Barboſ. *de poteſt. Epiſc. part.* 3. *alleg.* 73. *nu.* 5. Sarav. *d. num.*9.

41 Minuſque obſtat textus *in l. Item ſi unus, §. fin. de recept. arb.* Nam ibi duo arbitri non erant electi ex certo genere perſonarum, ac ideò nil mirum ſi textus non requirit ex eodem genere tertium eligi. Deinde textus non dicit , tertium eligendum extraneum eſſe poſſe , undè contrarium deducitur non ſolùm ex adductis , ſed etiam ex Gloſſ. *in l. ſi eum, §. qui injuriarum v. item nota, ff. ſi quis caut.* Regula autem quod caſus omiſſus remaneat in diſpoſitione juris communis, non procedit, quando eadem ratio eſt caſus expreſſi, ac omiſſi, tunc enim dictum in uno caſu cenſetur repetitum in alio, Decian. *lib.* 1. *conſ.*7. *num.*48. & *conſ.* 28. *num.* 23. Tiraq. *de retract. gloſ. un. §.* 20. *num.* 11. Anchar. *conſ.* 350. *num.* 2. Immò concurrente identitati ſrationelocum habet alia regula, nempè una pars ſcripturæ alteram declarat. Undè quemadmodum in duobus Adjunctis Concilium requiſivit, quod eligerentur ex capitulo , ita idem intelligitur deſiderafſe in Tertio, *l. qui finibus, ff. de legat.* 2. Cancer. *var. cap.*20. *num.*380. Decian. *conſ.* 12. *numer.*45. *lib.*1. Honded. *conſ.* 57. *num.* 35. & 43. *lib.* 1. Gabr. *conſ.*100. *nu.* 63. *lib.*2. & Rot. *dec.*278. *num.* 6. *part.* 6. *recent.*

Hinc non obſtat ſecunda ratio . Quoniam , ſtante 42
identitate rationis, ceſſat regula illa , & locum habet regula contraria dictæ *l. qui filiabus*, ſatiſque dicitur expreſſum, quod virtualiter ex expreſſo reſultat, *l.*2. *§. ſin autem*, ibique Bart. *ff. de hæred. inſtitut.* Dec. *conſ.*68. *nu.* 2. Decian. *conſ.* 34. *num.*101. *lib.*3. Rot. *dec.*219. *num.* 3. & 4. *part.* 5. & in Tiraſonen. unionis 20. Junii 1645. coram Eminentiſs. Otthobono.

Tertium argumentum haud difficilè ſolvitur . Nam 43
Capitulum nullam habet juriſdictionem, & licèt Adjuncti debeant eligi ex Capitulo, non tamen interveniunt tanquam Capitulares . Aliud enim eſt Capitulum, aliud Canonici, ut ſinguli ex traditis a Cavaler. *dec.*435. *nu.* 1. Undè argumentum hoc , ſicut & cætera , laborat æquivocatione, ſupponens Capitulum facere partem alteram, eamque contrariam Epiſcopo , quod nullatenus ſubſiſtit ex dicendis.

Quartum non procedit in hoc caſu , in quo non agi- 44
mus de extenſione, ſed de comprehenſione, Seraph. *deciſ.*496. *num.* 6. & *ſeq.* ibique Rub. *in ſingul. tom.*1. *fol.*69. referens concordantes, & *fol.*403. *ad deciſ.* Orani 104. *lib.* 1. Neque ſequitur contrarius effectus menti Sac. Concilii , Quia licèt Concilium *in d. cap.* 4. fit ab Epiſcopis , tamen eo *cap.* 6. favorem Capitularium conſideravit in limitationem abſolutæ potentiæ Epiſcoporum , ut diximus , ceſſatque ex adductis , quod ſubditur , juriſdictionem Adjunctorum eſſe odioſam , non favorabilem , & contra jus ex abundè traditis a Sarav. *d. qu.* 1. & 2.

Quintum inefficax eſt . Quoniam additamentum erat 45
factum , ut ibi dicitur , non in eodem , ſed in diverſo Diplomate. Præferebat etiam privilegium illud favorem pauperum Clericorum , & ſic Reipublicæ Chriſtianæ , quod limitandum non erat ad loca illa particularia, in primo Diplomate expreſſa , quorum incolis ſatis proviſum fuerat per aſſignationem factam in primo diplomate , neque de aliorum præjudicio ibi agebatur . Et amplius ſic declaraverat Cardinalis Protector , cui in erectione Collegii data fuerat facultas declarandi caſus dubios. Alia ſimilitudo de Vicario , qui poteſt eligi extraneus non refragatur . Quia nullibi cautum eſt, quod Vicarius debeat eligi ex gremio capituli, ſicuti cavetur de duobus adjunctis. Neque illud de arbitrio eligendo , quando unus ex delegatis juratur ſuſpectus , quidquam favet , quia non eſt neceſſarium , quod habeat qualitates requiſitas *in cap. Statutum, de reſcript. in 6.* & S. Concilii *cap.* 10. *ſeſſ.* 25. *de reform.* Cùm enim arbiter non habeat juriſdictionem propriè delegatam , ſed potiùs conventionalem , dummodò in eum concurrat conſenſus partium , cæteras qualitates , quæ alias requiruntur in Judice delegato ſecundùm Compoſtel. in eo *cap. Suſpicionis num.* 3. *de offic. deleg.* non ſunt neceſſariæ. Poſtremum de Epiſcopo viciniore, qui ſi ad ſe devolvitur electio, poteſt tertium, qui non ſit de gremio capituli, eligere non ſubſiſtit . Quia etiam hoc caſu tertius debet eligi è gremio , ut ſuprà probatum eſt , præſertim ex dicta Conchen. coram Emin. Cerro. Et conſonat allegata concluſio , quod devolutio intelligenda eſt cum ſua qualitate . Neque adverſatur Venerus , qui ſolùm ait , viciniorem Epiſcopum non teneri eligere illum , quem nominaverint , vel Epiſcopus , vel Adjuncti , ſed Tertium, quem maluerit, non autem aſſerit, Tertium, non eſſe eligendum ex gremio capituli.

Sextum, non applicatur huic caſui , neque procedit ex 46
proprietate verborum , ſed potiùs ex quadam æquitate , ut per Bart. *in l.*2. *nu.*3. *ff. de reg. jur.* Rot. *deciſ.*136. *nu.*27. Ubi *num.* 28. ex hoc firmat, regulam non procedere, quando non eſt omnium par ratio, indefinita loquutio univerſali non æquipollet, Coſt. *conſ.*59. *nu.*19. Lotter. *de re benef. lib.*2. *quæſt.*20. *num.*138. Surd. *conſ.* 430. *nu.*22. & *conſ.*431. *num.*67. Rauden. *de anagol. cap.*35. *num.* 32. Apparetque

ex

ex deductis alias, & diverſas rationes militare in eo, qui eſt de gremio, quæ non militant in extero. Textus verò *in cap. Cum dilectus 8. de conſuet.* ita ſe habet: *ut ſic de cætero liberam habeant facultatem, vel de gremio Eccleſiæ ſuæ, vel etiam aliunde.* Quæ verba non leguntur in Concilio.

47 Septimum ineptum eſt. Quia ſi volumus declarare capitulum eſſe partem formalem in hiſce cauſis, poſſet fortè procedere, quod iſte tanquam capitularis non ſit Tertius. Sed abſit, hoc de capitulo affirmare. Nam licèt ſuus capitularis deliquerit, non ideò capitulum eſt pars, ſed potius dici poteſt Judex, quamquam nec illud dicatur Judex, cum Judices ſint illi Adjuncti capitulares, qui licet eſſe nequeant non capitulares, haud tamen ſunt Judices, tanquam capitulares.

48 Octavum evertitur. Quia hæc ratio, ſi vera eſſet, nimis latè pateret, ac deſtrueret totam diſpoſitionem Concilii, cum etiam illi primi duo Adjuncti ſint capitulares, & nihilominus certum eſt, quod Concilium in eis hujuſmodi ſuſpicionem non admiſit. Aliàs enim Em. Cardinales, & Auditores Sac. Rotæ nunquam cognoſcerent cauſas ſuorum collegarum. Quod planè falſum eſt. Idemque ſervari in Senatu Barchinonenſi aſſerit Fontanell. *alleg. deciſ.* Quin dato etiam, quod in uno, aut altero poſſet cadere ſuſpicio, attamen, quod cedat in tribus non præſumitur, cùm dicendum non ſit, quod tres conſpirarint ad injuſtitiam, ſicuti ſi tres teſtes ſingillatim exceptionem patiantur, & conveniant, nihilominus in aliquo dicto, verum dicere præſumuntur non obſtante ſingulorum ſuſpicione. Quia non eſt veriſimile, quod conſpirent omnes tres ad deponendum falſum, ut per Rot. *deciſ.* 772. *num.* 4. *part.* 2. *recent.* Quo argumento ad removendum ſuſpicionem a Judice utuntur Ricc. *deciſ.* 144. *numer.* 1. *lib.* 1. Gratian. *diſcept.* 100. *numer.* 17. & 21. Certumque eſt Canonicum pro Canonico teſtem eſſe poſſe, ut poſt Bald. Dec. Felin. & alios firmat Farinac. *quæſt.* 60. *numer.* 467. & *ſeqq.* ac Maſchard. *concluſ.* 260. *num.* 7. Tantò magis in hoc caſu, in quo non ſolùm in capitulo omnes plerumque bonos præſumpſit Concilium, ſed etiam quando cæteri eſſent improbi, ac delinquerent, unuſque tantum remaneret, qui non delinqueret, illud unum pro bono habuit, ac pro adjuncto adhiberi præcepit, ut de mente Sacri Concilii inquit Sarav. *quæſt.* 6. Seraph. *dec.* 1050. *nu.* 4. & 5. Barboſ. *ad d. locum Concilii num.* 21. *in fin.* & *de Canon.* & *dignit. cap.* 20. *num.* 23.

49 Eo igitur minus totum capitulum poteſt eſſe ſuſpectum, ex quo agitur de cauſa Concanonici, ut in terminis pro excluſione ſuſpicionis tenuerunt Anchar. *in cap. irrefragabili, not.* 7. *num.* 5. *de offic. Ordin.* Mohed. *d. dec.* 242. *aliàs* 2. *de for. comp.* Aliter namque Decanus, & capitulum non poſſent præſcribere jurisdictionem corrigendi Canonicos privativè quoad Epiſcopum, prout poſſe firmant Sarav. *d. qu.* 1. *num.* 21. & Anchar. *loc. cit. num.* 1. Sanè quemadmodum Senatus, Concilium Univerſitas regulariter ſuſpecti allegari non poſſunt, quia non eſt veriſimile, quod nullus vir probus in eis exiſtat. Viv. *lib.* 2. *opin.* 867. *num.* 2. Caroc. *de remed. contra præjud. ſent. except.* 120. *num.* 61. eſſet mera calumnia allegare ſuſpectos omnes Doctores civitatis juxta vulgarem doctrinam Bald. *in l. hoc modo num.* 3. *ff. de cond.* & *de monſtr.* Viv. *d. opin. num.* 1. ita & multò magis capitulares omnes, numero, & qualitate inſignes ſuſpectos habere, temerarium eſſet, non ſolùm ex generali præſumptione, quod quilibet præſumitur bonus, niſi contrarium probetur, ſed etiam ex eo, quod Canonici, tanquam ſacris Ordinibus inſigniti, ac in dignitate conſtituti, & divinis intenti, alieni a quavis umbra ſuſpicionis videntur, quod experientia comprobatur. Probata autem fides removet ſuſpiciones aliàs admiſſibiles, Gratian. *diſcept.* 100. *nu.* 15. & dignitas præſumptionem mali excludit, Ricc. *deciſ.* 144. *nu.* 1. & 2. *part.* 1. Item promotio ad ſacros Ordines ex Archid. & ex Decio Maſcard. *concl.* 222. *nu.* 11. Sicuti qualitatem Sacerdotis, & Religionis ad excludendum exceptiones a teſte ponderant Doctores apud Farinac. *d. qu.* 60. *nu.* 671.

50 Maximè quia ejuſmodi Canonici ex ſe judicare non debent, ſed cum Epiſcopo, cujus authoritas quam magna ſit, nemo eſt qui dubitat. Hinc, quia regulariter ſubditi Principi obſequentes eſſe ſolent, unus ex modis allegandi ſuſpectam totam Univerſitatem, vel Senatum, eſt, ſi caput ſuſpectum fuerit, Viv. *d. loco num.* 3. cum aliis per Caroc. *d. except.* 12. *num.* 62. licèt tanta ſit præſumptio bonitatis, ut eam hoc quoque caſu vigere voluerint permulti, ac ceſſare prædictam ſuſpicionem, quam alii a capite ad membra trahunt, dicentes, probos, ac timoratos viros reperiri, qui pro juſtitia contra proprium quoque ſuperiorem inſurgant, ut Menoch. *reſp.* 7. *cauſ. Fin. num.* 91. & Carocch. *loc. alleg. num.* 63. Igitur ſi quæ ſuſpicio in aliquo particulari Canonico adeſſet, præponderat utique obſequium ſuo capiti debitum, nec non zelus honoris Eccleſiæ ſuæ & capituli, qui plerumque impulit collegas ad animadvertendum in membra putrida. Quamobrem quælibet ratio præponderat prædictæ generali ſuſpicioni, quod Canonico pro Concanonico judicet, ſicuti præponderaret, ſi de alterius Canonici commodo ageretur, Gloſſ. *in d. cap. Cum R. v. Cum ſint ejus ſocii* Boich. *num.* 1. & 2. Butr. *num.* 15. Marant. *in prax. part.* 6. *num.* 57. ſemperque Promotori Fiſcali erit locus appellandi, ne delicta remaneant impunita, aut minus congruè punita.

Ex his autem liquet quam ſit diverſus a noſtro caſu 51
dicti cap. Cum R. Canonicus. Ibi namque unus tantùm Canonicus erat Judex, hic autem tres, ibi agebatur de cauſa privata civili, hic de criminali, ac decore propriæ Eccleſiæ, & quod plus eſt, intereſt Epiſcopus, qui capituli caput, & Princeps eſt. Ibi tractabatur de uno Canonico privato, hic de toto capitulo, in quo temerè aſſeritur, nullum probum reperiri poſſe, cui temerariæ ſuſpicioni, ut occurratur, Gloſſ. *in d. cap. Cum R. v. Cum ex eo*, vult, quod adhibeatur adjunctus, ibi; *Judex recuſatur, vel alius ei adjungitur*. Præter id multi caſus ſunt, in quibus Epiſcopus etiam ſine Adjunctis procedit, eos enumerat Barboſa ad eum Concilii locum *a num.* 17. & *de poteſt. Epiſc. alleg.* 73. *a num.* 12. & *de Canon.* & *dignit. cap.* 28. *a num.* 19.

Nonum non eſt ad rem. Tum quia Concilium no- 52
luit adimere juriſdictionem Epiſcopo, ſed voluit limitare, & æquivocatio conſiſtit, ut tertiò dicimus, quod accipiatur capitulum pro parte formali, & tamen in hujuſmodi cauſis non agitur de cauſa capituli, ſed de cauſa capitularis delinquentis, ut diſtinguit Sarav. *qu.* 9. *num.* 12. Tum quia ſupponit ſcelus enorme ad Adjunctis committendum, quod nullo modo præſumendum eſt, non ſolùm ex generali præſumptione excluſiva delicti, verum etiam ex fidentia, quam de duobus Adjunctis capitularibus S. Concilium habuiſſe conſtat.

Decimum non obſtat. Quia non ſumitur hoc caſu ca- 53
pitulum collectivè, neque agitur de utilitate capituli, ut ipſe Sarav. *d. qu.* 9. *num.* 12. declarat.

Undecimum frivolum videtur. Quia ſi argumentum 54
valeret, non poſſet eligi in tertium, niſi qui eſſet major Epiſcopo, quod neque Concilium dixit, neque prætendi poteſt. Porrò, ſi poteſt eligi in tertium juxta ſenſum adverſariorum quicunque alius doctor extraneus, qui non ſit de capitulo, poterit quoque eligi Canonicus. Si Epiſcopus tertium extraneum non dedignatur, minus dedignari poterit Canonicum, cui delegari ſolent cauſæ Eccleſiaſticæ, quæ non delegantur extraneo, faciuntque pro everſione hujus argumenti, quæ tradit Lotter. *de re benef. lib.* 1. *qu.* 25. *num.* 81.

Ultimum exploditur. Quia capitulares nequeunt re- 55
nunciare beneficio Adjunctorum, ut ex pluribus probat Sarav. *quæſt.* 7. *per totam*, præſertim ex clauſula annullante in decreto Concilii appoſita. Et ideò non ſolùm attendendæ non ſunt conſuetudines, etiam immemorabiles antè Concilium, quibus expreſsè derogat, ſed neque futuræ, obſtante tum decreto annullativo, tum irritante, quod in ſingulis Concilii capitibus ſubintelligitur ex deductis per Barboſ. *ſeſſ.* 1. *num.* 25. & expreſſit Conſtitutio Pii IV. qua Concilium confirmatur, ac firmavit Rota in Mediolanen. Cimiliarcatus 15. Maji 1545. coram Peutingero, §. *non igitur*. Quod impedit quamcunque conſuetudinem in contrarium, Buratt. *deciſ.* 704. *num.* 10. cum aliis paſſim. Neque actus unicus illam inducere poteſt, ad quam ſaltem requiritur actuum frequentia, Rot. *dec.* 454. *num.* 4. *part.* 3. *recent.* Maximè quando idem actus dat cauſam liti ad notata per Poſt. *de manut. obſ.* 17. *nu.* 45. & *ſeqq.* Conſuetudo enim contra jus debet eſſe præſcripta cum frequentia actuum, & populi conſenſu, Alex. *conſ.* 131. *n.* 9. *lib.* 2. Coccin. *dec.* 182. *nu.* 3. Rot. *p.* 1. *div. dec.* 193. & *dec.* 72. *n.* 22. & *ſeqq.* & *p.* 2. *rec. dec.* 497. *n.* 2. ac requiruntur quadraginta anni, *c. ult. in fin.* ubi glo. *fin. in princip. de conſuet.* Rot. *dec.* 525. *nu.* 3. *p.* 1. *rec.* & *dec.* 611. *nu.* 3. *p.* 2. Add. Buratt. *dec.* 497. *litt. B.* & *ad dec.* 857. *num.* 15.

Atque ita etiam pluries declaravit S. Congregatio Con- 56
cilii, ut ex ſubjectis declarationibus.

Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini. A ſacra hac Con- 57
gregatione declaratum eſt, Tertium, qui in caſu diſcordiæ eligitur inter Epiſcopum, & capitulum juxta formam cap. 6. *ſeſſ.* 25. *de reform. debere eſſe Canonicum, vel in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutum, ac tenere jurare ſe juſtitiam adminiſtraturum. Et licèt etiam ſenſerit, quod debeat eſſe Canonicus, vel habere dignitatem in Eccleſia, in qua eligitur, ac fortè de hoc contingat dubitare Decanus, & capitulum Conchenſis Eccleſiæ, petit a veſtris Dominationibus Illuſtriſſimis, &*

Reverendiſſimis, ita in ea jubeant obſervari. Sacra Congregatio &c. cenſuit, Tertium, qui eligitur in caſu diſcordiæ inter Epiſcopum, & capitulum ex præſcripto c. 6. ſeſſ. 25. ejuſdem Concilii debere Canonicatum, vel dignitatem in eadem Eccleſia obtinere. Horatius Cardinalis Lancellottus, qui fuit ſub anno 1618.

58 *Die 23. Novembris 1647. An in caſu diſcordiæ inter Epiſcopum, & Adjunctos, Conjudices, a capitulo deputatos, in quo eligendus eſt Tertius infra ſex dierum ſpatium, debeat ipſe Tertius eſſe unus ex capitularibus ejuſdem Eccleſiæ, vel potius quilibet alius extraneus deputari poſſit? Sacra &c. Tertium eligendum in caſu diſcordiæ debere omninò eſſe capitularem.*

59 *Die 19. Decembris 1648. in cauſa Conchen. electionis Tertii Adjuncti Conjudicis Sacra &c. Utraque parte informante, & rationibus hinc indè deductis maturè perpenſis, cenſuit ſtandum eſſe in decretis ſub die 23. Novembris 1647. ſcilicet, Tertium in caſu diſcordiæ inter Epiſcopum, & adjunctos Conjudices eligendum eſſe omninò debere unum ex capitularibus.*

60 Idem declaratum in Palentina ſub die 4. Julii 1649.

61 *Die 17. Julii 1649. Sacra &c. reſpondit pro capitulo Hiſpalenſi Tertium in caſu diſcordiæ inter Archiepiſcopum, & Adjunctos Conjudices debere ex Sacro Concilio eſſe unum de capitularibus.*

62 Ac demum idem declaratum in eadem Conchenſi ſub anno 1651.

63 Videndus Eminent. Cardinalis de Lugo integro reſponſo ſuo, quod in hanc rem dedit, cujus opera caneſcent ſeclis innumerabilibus, & cujus olim in theologicis auditor fui, & tali me nomine dignor.

CONSULTATIO CLXV.

De quibuſdam reverentialibus Archiepiſcopo debitis.

1 CLemens V. in Concilio generali Viennenſi, relato *in Clemen. Archiepiſcopo de privil.* declaravit, ſive indulſit Archiepiſcopis, in eorum Provincia poſſe deferre crucem ante ſe ac benedicere, aliave reverentialia quædam agere, vel mandare, ut ipſis de jure competit ex *cap. antiqua, de privil. & cap. 1. ut lit. pend.* etiamſi locus aliàs eſſet exemptus, ſine exercitio tamen juriſdictionis, aut alio præjudicio privilegiorum loci exempti ad formam *cap. luminoſo 18. quæſt. 2. & cap. cum Epiſcopus, de offic. Ordin. in 6.* ac refertur plenius *in d. Clem. Archiepiſcopo, de privil.*

2 In quadam Archiepiſcopali ab antiquo exiſtebat quædam dioeceſis ſuffraganea, quæ authoritate Apoſtolica poſtmodum a proprii Metropolitani ſubjectione, ac juriſdictione fuit exempta. Unde per conſequens ex diſpoſitione præfatæ Clementinæ ſigna reverentialia tantùm ipſi Archiepiſcopo remanſerunt. Verùm quia S. Concilium Trident. *ſeſſ. 24. cap. 2. de reform.* præcipit Epiſcopis, nulli Archiepiſcopo ſubjectis, ut pro Concilio provinciali ſemel vicinum aliquem eligant Archiepiſcopum, in cujus Synodo intereſſe debeant, & ad cujus obſervationem decretorum teneantur ſine præjudicio in reliquis propriæ exemptionis, & privilegiorum. Ideò præfata diœceſis exempta pro tali Synodo elegit alium Metropolitanum diverſum ab Archiepiſcopo, in cujus Provincia jacet, & cui ante exemptionem ſubjecta erat. Hinc oritur dubitatio.

3 *An delatio Crucis, aliaque reverentialia in tali diœceſi exempta debeantur proprio Archiepiſcopo, in cujus Provincia eſt diœceſis, vel potius Metropolitano, quem ſemel pro Synodo diœceſanus elegit?*

4 Et videtur reſpondendum, quod debeantur proprio Archiepiſcopo per textum expreſſum dictæ Clementinæ, cui Concilium Tridentinum adhæret. Neque electio voluntaria diœceſani pro Synodo præjudicare poteſt. Quia concilium de ſolo illo actu Synodi præcisè loquitur, ibi: *In reliquis omnibus eorum exemptio, & privilegia ſalva, atque integra maneant.* Et ſi Concilium nihil voluerit innovare in præjudicium exempti, minus dici poteſt, quod voluerit innovare in præjudicium proprii Provincialis.

5 Veruntamen eſt, quod ſi delatio Crucis, aut aliud reverentiale adhibendum eſſet Metropolitano in caſu ipſo Synodali, tunc pro illo caſu arbitrare: quod etiam Metropolitano cumulativè cum provinciali poſſent talia competere. Qui dat enim aliquid, dat etiam neceſſaria *l. 2. de juriſd. omn. Judic.* Præter talem caſum delatio crucis, & alia reverentialia Archiepiſcopo provinciali privativè quoad omnes debentur in vim citatæ Clementinæ, exemptione diœceſis quocunque modo intellecta ad textum *in capit. ſi Papa, de privil. in 6.*

6 Cæterùm non ſolùm Epiſcopi exempti tenentur eligere, ut in allegato decreto Tridentini, verùm etiam Prælati inferiores, qui hanc electionem liberam habet, licèt eorum Capitula contradicerent, ut declaravit S. Congregatio Concilii in Tranenſi. Electio verò ſemel facta ab Epiſcopo exempto Metropolitani, ad cujus Synodum conveniat, ſucceſſores etiam ligat, eadem S. Congregatio in Mediolanenſi die 25. Aprilis 1673. Et Epiſcopus exemptus, qui ſemel vicinum Metropolitanum elegit, cujus Synodo provinciali cum aliis intereſſe non valet, cauſam, ut alii Provinciæ Epiſcopi Metropolitano offerre, & comprobare debet. Et cum Epiſcopo prædicto, qui cauſam abſentiæ a Concilio provinciali minimè comprobatam, nec legitimam habet ex canonibus, ab Archiepiſcopo in Concilio, ut cum aliis Epiſcopis non exemptis, qui ſine legitima cauſa non conveniunt, agi debet, ut in alia Mediolanenſi 8. Junii 1576. S. etiam Congregatio ſuper Epiſcopis in Veſtana 26. Maii 1592. declaravit, Metropolitanum in omnibus Epiſcopatibus, & diœceſibus inter limites ſuæ Provinciæ exiſtentibus, etiam exemptis, poſſe incedere cum Cruce, benedicere populo, & agere quidquid diſponitur *in Clem. Archiepiſcopo, de privil.*

CONSULTATIO CLXVI.

An decretum Apoſtolicum de rebus Regularium non alienandis abſque expreſſa licentia S. Congregationis Concilii in ſcriptis obtenta, comprehendat obligationem factam a Superioribus regularibus prætextu emptionis bonorum pro ſuis Monaſteriis?

QUoniam multæ Religiones habebant privilegium alienandi ſine beneplacito Apoſtolico cum derogatione *extrav. Ambitioſæ, de rebus Eccleſ. non alien. & Clem. 1. eod. titul.* ut Molin. *tom. 1. diſp. 468.* Rodrig. *qu. reg. 27. numer. 3. tom. 1.* Suarez *tom. 4. de relig. lib. 2. cap. 18. numer. 13.* & ſæpè abutebantur hoc privilegio; ideò S. Congregatio Concilii Tridentini juſſu Urbani VIII. promulgavit decretum anno 1624. die 7. Septembris, prohibendo omnibus Regularibus, etiam Militiarum intra fines Europæ tali privilegio utentibus, ne deinceps res immobiles, vel mobiles pretioſas alienent, aut ſuper eis pactum faciant, quo dominium earum transferatur, nec cenſus vitalitios, aut perpetuos, aut hypothecam, aut locationem ultra triennium in eis conſtituant, neque in emphyteuſim, vel feudum concedant extra caſus a jure permiſſos, niſi cum licentia ejuſdem S. Congregationis expreſſa in ſcriptis, gratis concedenda. *Aliàs* ſi faciunt contractus ſunt nulli, ipſique Religioſi incurrunt primò, pœnam privationis omnium officiorum. Secundò, privationis vocis activæ, & paſſivæ. Tertiò, perpetuam inhabilitatem ad ea obtinenda impoſterum, & ſtatuit, ut a dictis pœnis nullius abſolvere, ſeu diſpenſare poſſit, neque Generalis, neque Protector, ſed ſolus Papa, vel eadem S. Congregatio. Quartò, incurrunt ipſo facto dantes, & recipientes excommunicationem, & Epiſcopi, vel Abbates incurrunt interdictum, vel etiam ſuſpenſionem, ut *in d. extrav. Ambitioſæ*. Eademque S. Congregatio anno 1626. die 21. Maii juſſu ejuſdem Urbani VIII. extendit præmiſſum decretum & pœnas ad contractus, quibus Regulares acceperunt pecunias ad cambium, vel mutuò ſub lucro ceſſante. Quod mutuum hìc accipiunt Doctores tàm formale, quàm virtuale, ut ſi legatum ſit factum monaſterio mille aureorum poſt mortem hæredis ſolvendorum, ſi hæres velit ſolvere in vita cum onere ſolvendi hæredi, donec vixerit quinque in centena ſingula in annos ſingulos. Quia ſolutio anticipata eſt mutuum virtuale, *cap. conſuluit verſ. & an negotiator, de uſur.* Ugolin. *de uſur. cap. 6. num. 4.* Navar. *cap. 17. num. 206.* Tolet. *lib. 5. cap. 32. num. 2.* & in terminis de debitore ſolvente anticipatè cum lucro Ugolin. *ibid.* Navar. *num. 131.* Tolet. *cap. 31. num. 7.*

Ex quibus affirmativè cenſeo reſpondendum, etiam quod hujuſmodi obligatio ſit munita obligatione camerali, & concepta ſub ſtrictiſſimis clauſulis, cum verba dicti decreti, *omnium rerum, &c. alienationem, omne pactum, & quaſcunque hypothecas*, adeò ſint univerſaliſſima, & effrena, ut nullam admittant reſtrictionem, ſed comprehendant etiam, quæ ſunt ſpeciali nota digna ex congeſtis per Valenzuel. *conſ. 135. numer. 102. lib. 7.* Cyriac. *controverſ. 426. numer. 29. & 30.* Surd. *conſ. 73. numer. 62. cum ſeqq.* Giurb. *deciſ. Sicul. 84. numer. 16.* Ideoque obligatio facta per dictos Superiores, non ſervata forma dicti decreti, habentis clauſulam annullativam, remanet ipſo jure, & a principio nulla, abſque eo, quod aliquem effectum, vel juris fomentum habeat, Cardin. Mantic. *dec. 76. num. 4. & 5.* ubi quod ligat etiam igno-

ignorantes, Rot. *div. dec. 666. num. 2. part. 4.* & in terminis hujus decreti tradit Novar. *in Lucern. Reg. v. Alienatio sub num. 1.*

Præsertim autem quia finis prædicti decreti fuit avertere a Regularibus omne prorsus detrimentum, ut patet ex illius proœmio, quod regulariter designat causam & rationem finalem Constitutionis ex traditis a Tiraquel. *in tract. cessant. caus. limit. 1. quæst. 1. num. 44.* & *seqq.* unde quia ex dicta obligatione imminet grave damnum Conventibus, certum videtur, nos versari in casu a dicto decreto comprehenso juxta dicta in similibus per Cavalcan. *de contract. decis. 45. post num. 32.* & *seqq. lib. 1.* 3

Non obstat, quod in alienatione Ecclesiæ ex causa necessaria non requiratur beneplacitum. Vera enim est conclusio, sed difficultas est in applicatione. Siquidem causa necessaria ad hunc effectum intelligitur tantùm ea, quæ continet propriam, & precisam necessitatem, ad quam compelli quis de jure ab initio possit ex notatis per Tiraqu. *de legibus connub. glos. 8. num. 197.* & *seq.* & Gabr. *cons. 20. num. 50. cum seq. lib. 1.* quos approbavit Rot. *decis. 177. num. 8. part. 1. recent.* Talis autem necessitas utique non adest in hoc casu. Quia non reperitur in jure cautum, quod causa emendi dicatur precisa, & arctativa, quamvis, emptione sequuta pro pretio exolvendo, necessaria dicatur. Nam ad effectum, de quo agitur, semper alienatio, vel obligatio in sua causa reputatur voluntaria, quando immediatè originem trahit a principio voluntario, quicquid enim inde sequitur, voluntarium quoque existimatur, Tiraquel. *de retract. lignag. §. 1. glos. 14. num. 13.* Cabal. *consul. civil. 115. num. 2.* ubi quod versa vice illa dicitur causa necessaria, quæ initium habuit necessarium, nempè a lege, vel statuto, ut latè comprobat Sperell. *decis. 99. n. 20.* ubi in puncto alienationis, quæ originem trahit a causa æris alieni, quod debitor volens liberè contraxit, & spontè in hac necessitate se posuit, a qua poterat abstinere. Quod etiam clarè sensit Valenzuel. *consil. 187. num. 71.* & *seqq.* ubi causam necessariam cessare ait, quoties factum, ex quo ea deducitur, poterat evitari. Et in terminis, quod similes contractus non sustineantur sine beneplacito, etiam quod sint facti ex causa æris alieni solvendi in exequutionem contractus emptionis, vel similis, firmant Ricc. *in prax. resolut. 7. numer. 3.* & Novar. *loc. cit. sub num. 3.* ubi ita etiam censuisse testatur Sacram. Congregationem super Episcopis, & *numer. 5.* refert Sac. Congregationem Concilii declarasse, non posse sine sua licentia fieri alienationem bonorum Monasterii, etiam ad effectum fabricandi, seu emendi censum, admisitque expresè Rota apud Seraph. *decis. 654. num. 4.* & plenè firmat Modern. Foroliv. *conclus. legal. 81. num. 1.* 4

Confirmatur primò, exemplo legati, de quo dubitatur, an fuerit relictum animo compescendi. Nam conclusio, quod affirmativa procedat, cum agitur de debito necessario, communiter declaratur, ut hæc necessitas non intelligatur de ea, quæ provenit ex contractu, & habet initium a facto merè voluntario, ut latè post alios deduxit Menoch. *præsumpt. 110. num. 1.* & *multis seqq. lib. 1.* 5

Secundò, ex vectigali quod ex necessaria alienatione non est solvendum, solvitur tamen in ea tantùm necessitate, quæ provenit ex contractu. 6

Tertiò, ex laudemio, quod itidem non solvitur subsistente causa necessaria, solvitur tamen in alienatione, quæ in sua causa est voluntaria, ut post alios benè utrumque confirmat Sperel. *dict. decis. 99. numer. 18.* & *seqq.* 7

Quartò, ex fideicommisso, quod licèt ex alienatione necessaria resolvatur, non tamen id locum habet in ea causa, quæ aliquo modo initium habuit voluntarium, vel quæ licèt aliàs necessaria, poterat tamen declinari, quia fideicommissarius poterit sibi aliundè succurrere per textum *in l. pater in princ. ff. de leg. 3.* & tradit Valenzuel. *cons. 187. num. 41.* 8

Neque ambigendum, quin præfatum decretum eadem ratione, qua locum obtinet in quacunque alienatione, procedat quoque in simplici obligatione, & quocunque actu, per quem alienatio sequi potest juxta Gloss. *in l. Item quia, ff. de pact.* Surd. *cons. 5. num. 40.* cum aliis per Valenzuel. *loc. cit. num. 43.* 9

Quæ, etsi clara sint, ubi tamen etiam res dubia remaneret, pro Ecclesia pronunciandum ad *l. sunt personæ, ff. de relig.* & *sumpt. fun.* & dixit Rimin. *cons. 138. in fin. lib. 4.* 10

Minus refert, quod Rota in Amerina bonorum die 26. Februarii 1644. coram Rojas dixerit, distractionem esse exceptam a dicto decreto, tanquam de jure permissa, eo quia per eam extinguitur debitum contractum per Administratorem Collegii occasione acquisitionis prædii. 11

Nam ad hoc, ut distractio bonorum Ecclesiæ dicatur necessaria ex eo, quod fiat pro satisfaciendis Ecclesiæ debitis, requiritur, quod debitum solvendum fuerit contractum ex improvisa, ac inevitabili necessitate, itaut angustia temporis, & imminens periculum non permitteret aditum ad Sedem Apostolicam, & quod aliàs imminens damnum reparari non posset, ut firmavit Rot. in Leodien. collectarum 19. Martii 1604. coram Otthembergo, & in eadem 19. Aprilis 1619. coram Buratto, quodque inde resultaret utilitas Ecclesiæ, quod probandi onus incumbit sustinenti alienationem, Covarruv. *var. resol. cap. 17. num. 3. lib. 2.* & Castr. *oper. mor. tr. 12. pun. 15. §. 6. num. 3. tom. 2.* 12

In hoc autem casu nequit deduci validitas obligationis, prætextu necessitatis, cum emptio fuerit merè voluntaria, & poterat adiri Sedes Apostolica pro impetranda licentia. Neque considerari potest sola prætensa utilitas ex eo, quod per emptionem acquisiverit monasterio. Quia nihilominus requirebatur licentia, *arg.* textus expressi in his terminis *in lib. 1. §. fin. ff. de reb. eor. qui sub tut.* & *cur. sunt*, ubi quod non tenet absque Judicis decreto pignus contractum a minore super ipsa re empta, donec pretium ejusdem rei solveret. Ac idem etiam in puncto Ecclesiæ censuit Rota coram Pamphilio in Veneta pretii bonorum 13. Novembris 1602. ea ratione, quod Ecclesia in contractu emptionis potest decipi, sicut in alienatione. Quam rationem, licèt ad alium effectum, consideravit etiam Covarruv. *d. cap. 17. num. 2.* 13

Et hinc etiam patet, quod nequeat deduci utilitas ex solo contractu emptionis. Quia cùm ex proximè dictis appareat posse in emptione non intervenire utilitatem, utique ad effectum, de quo agitur, qui est sustinendi debitum contractum nomine Ecclesiæ, nequaquam poterit dici quod versemur in gestis ad utilitatem ipsius, cùm hujusmodi utilitas debeat esse clara, evidens, atque indubitata, itaut manifestè conditio Ecclesiæ fiat melior ex cumulatis per Rot. *decis. 582. in princ. part. 1.* & *decis. 78. num. 10. part. 2. div.* ac latissimè *in dec. 243. num. 5. par. 7. recent.* 14

Neque dicatur, quod non est attendendus exitus, dum ab initio Prælatus acquirendo monasterio videtur gessisse rem utilem. Nam, prætermisso, quod reincidit responsio superiùs data, verius est in alienationibus, seu hypothecis, quæ fiunt ex causa utilitatis, non sufficere eas esse factas occasione utilitatis, sed ulterius requiri, Ecclesiam fieri locupletiorem juxta distinctionem, quam inter causam utilitatis, & necessitatis tradidit Archid. *in cap. sine exceptione num. 5. 12. quæst. 2.* eamque sequuntur Laur. de Rodulph. 161. *num. 14.* Bellam. *num. 6.* Henric. Boich. *in cap. Tua, in fin. de his, quæ fiunt a Prælat.* & Rot. *decis. 65. num. 4. par. 2. div.* Nam aliàs aperiretur via fraudandi Ecclesias, cùm quilibet earum administrator posset emere bona, & pro solutione eorumdem alia bona Ecclesiæ quoad proprietatem obligare, ac brevi tempore suo fuco subhastationis bonorum Ecclesiæ pro solvendis aliis bonis emptis minus utilibus, oblato prorsus vili pretio, universas fundationes pias subversum iri, accedente collusione inter administratores, emptores, & laicos vendentes, cui malo, ut occurreretur, multa sancita sunt, ac iste exquisitus modus usurpandi bona Ecclesiæ fuit in genere prævisus *in d. Extravag. Ambitiosæ, de rebus Eccl. non alien.* ac proinde tolerari non debet. 15

Item non subsistit, si dicatur, quod vice obligationis rerum Ecclesiæ videntur quemadmodum subrogarii bona empta. Quia non ita facilè fiunt permutationes bonorum Ecclesiasticorum, sed quidem causa cognita, & benè perpensa utilitate Ecclesiæ, juxta textum *in d. c. Sine exceptione 12. qu. 2.* cum concordantibus. 16

Denique non obstat, quod dictum decretum non comprehendat hunc casum, tanquam mistum, illudque nullum involvere jus novum, & procedere debere præterquam in casibus a jure permissis, qualis a Rota in d. Amerina bonorum coram Royas prætenditur hic esse. Quia per dictum decretum inductum fuisse jus novum convincunt illius verba, ibi: *Alienationes vero pacta, census, hypothecas ex cap. quascunque contra hujusmodi prohibitionem faciendas Sanctitatis suæ authoritate ipso jure, nullas atque irritas decrevit.* Et sic patet, quod verba *præterquam in casibus a jure permissis*, referri dumtaxat debent ad proxima antecedentia, scilicet concessionem in feudum, vel emphyteusim, prout antea constitutum fuerat in *d. Extrav. Ambitiosæ*, quæ cùm in dicto decreto sit innovata, & in proœmio voluerit obviari cupiditati illo- 17

illorum, qui bona Eccleſiæ exquiſitis modis uſurpare præſumunt, non videtur dubitandum quin hic exquiſitus modus ſub fuco venditionis, ſit etiam per dictam *extrav. ambit.* prohibitus.

18 Maximè autem ſi in hac obligatione monaſterii non intervenerit conſenſus capitularis, ſine quo Prælatus regularis non poteſt monaſterium obligare per text. *in Clem. 1. de reb. Eccleſ. non alien.* & in his terminis Rot. *in d. Veneta* pretii bonorum coram Pamphilio, quicquid poſtea dixerit in d. Amerina bonorum, quando Prælatus eſſet ſupremus adminiſtrator monaſterii. Nam Prælatus regularis eſt ſupremus adminiſtrator reſpectu aliorum inferiorum Miniſtrorum, non autem quod contra jus poſſit obligare monaſterium abſque illius capitulari conſenſu. Et ſic a ſua poteſtate adminiſtrandi non infertur ad poteſtatem obligandi, & hypothecandi proprietatem bonorum Eccleſiæ, quæ nullatenus venit ſub generali obligatione, ut tradit Rip. *in l. obligatione, ff. de pign. num.* 49. & *ſeq.* Adminiſtrator quippè domus regularis a Superioribus conſtituitur ad nutum amovibilis juxta Concilium Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 2. *de Regul.* nec habet dominium fructuum, ſed ſolùm illos poteſt in uſum deſtinatum convertere, juxta Conſtit. Concilii Viennenſis, *relatam in Clem. quia contingit, de relig. domib.* innovata Concilio Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 8. *de reform.* ponderando verba, *ex fructibus ad id deputatis acta exerceant*. Unde cùm, ſicuti continetur in eadem Clementina, *ea, quæ ad certum pium uſum largitione fidelium ſunt deſtinata, non poſſunt in alium abſque Sedis Apoſtolicæ licentia converti*, inde quoque eſt irrita hujuſmodi obligatio.

CONSULTATIO CLXVII.

An Summus Pontifex decreto ſuo poſſit inhabilitatem inducere contrahendi matrimonium cum conſanguineis uſque ad ſeptimum gradum incluſivè, quorum majores Judaici, vel Mahumetani ſanguinis labe fuerint infecti?

1 ET affirmativè cenſeo reſpondendum. Evincitur manifeſtè ex eo, quod Summi Pontifices omnibus olim interdixerant nuptias uſque ad ſeptimum gradum conſanguinitatis, vel affinitatis, ut habetur 35. *quæſt.* 2. & 30. ex decretis Gregorii I. *cap. de affinitate* 1. & *capit. progeniem* 16. Julii I. *cap. nullum ex utroque ſexu* 7. Nicolai I. *cap. de conſanguinitate* 17. & *cap. nulli ex conſanguinitate* 19. & Alexander II. *in cap.* 2. 35. *quæſt.* 5. quæ prohibitio duravit uſque ad Concilium Lateranenſe, celebratum ſub Innocentio III. ubi *cap.* 50. redacta fuit ad quartum conſanguinitatis, & affinitatis gradum, *cap. non debet* 8. *de conſang. & affinit.* Igitur id poteſt etiam interdici quod certas perſonas; plus enim eſt reddere multos inhabiles, quàm paucos, ſicut arguit Palud. *in* 4. *diſt.* 32. *quæſt.* 1. *art.* 2. quem ſequitur D. Anton. *p.* 2. *tit.* 1. *cap.* 16. *ante §.* 1. concludendo, quod ſi Papa matrimonium prohibuerit cum certis perſonis, decernens irritum, atque inane, ſi ſecus factum fuerit, ſi adverſus hujuſmodi interdictum poſtea contrahatur, nullum erit, quia per hoc reddit ſubjectum inhabile ad illud contrahendum. Idem, re diſcuſſa, tradit Sanchez *de matrim. lib.* 7. *diſp.* 1. *num.* 7. utiturque eodem argumento, dicens, quod ſicut poteſt ex juſta cauſa reddere inhabiles ad matrimonium omnes perſonas certi generis, ita licitè poteſt inhabiles reddere certas perſonas privatas ex aliqua gravi cauſa, cum ex parte poteſtatis Pontificiæ non ſit major ratio unius, quàm alterius. Concinunt Boſſ. *de contract. matr. cap.* 11. *ſub numer.* 32. & 33. Averſ. *de Sacram. matr. quæſt.* 9. *art.* 4. Coninch. *de Sacr. diſp.* 30. *dub.* 1. *num.* 9. Perez. *de matr. diſput.* 2. *ſect.* 3. *num.* 8. & Dian. *part.* 8. *tract.* 1. *reſolut.* 60. traditque Oſtienſ. *in ſumm. l.* 3. *de matrim. contr. con. interd. Eccleſ. num.* 3. *in fin.* inquiens, quod Papa ex cauſa reddit perſonas inhabiles ad contrahendum. Nam ſicut generalem ſuper hoc condit Conſtitutionem, ſic ſpecialem, & localem, & perſonalem *can. eſt ſciendum* 29. *diſt.*

2 Neque Navarrus *conſ.* 1. & 2. *de matrim. contra interd. Eccleſ.* dubitavit de poteſtate. Quia non ſolùm præfato *conſ.* 1. *n.* 1. ſtatuit certum eſſe in hac quæſtione, quod Pontifex Summus poteſt juſta de cauſa matrimonium interdicere alicui uſque ad aliquod tempus; ſed etiam *conſ.* 2. reſpondendo quæſito in genere, an Pontifex poſſit addere præcepto non contrahendi matrimonium clauſulam, quæ reddat aliquam certam perſonam inhabilem ad contrahendum matrimonium cum aliqua alia certa perſona, inter quas jure naturali, divino, & humano recepto, & ſervato tenet matrimonium contractum, reſpondet *num.* 3. quod de abſoluta poteſtate poſſit hoc facere, non tamen ſibi facilè perſuadere, quod conveniret.

Verùm tale præceptum hoc caſu convenire, atque expedire plura ſuadent. Præcipuum verò ne aliquæ familiæ prænobiles, hactenus puræ ab omni labe inficiantur impuritate ſanguinis Judaici, vel Mahumetani, quem præcipuè nobilitas Hiſpana reſpuit, teſte Jo: Arſe ab Othalora *de Nobil. Hiſp.* 2. *part.* 3. *princip. cap.* 7. *a n.* 16. *tract. tom.* 16. *fol.* 241. & *ſeq.* & gravia indè diſſidia oriantur inter conſanguineos utriuſque conjugis, alteros quidem ad injuriam revocando commiſtionem ſanguinis impuri cum puritate ſuæ familiæ, atque ob id alteros ſpernere. Reipublicæ enim intereſt, quod ordinum, & familiarum dignitas ſalva ſit, *l.* 1. *§. quamvis, ff. de ventr. inſpic.* ubi Gloſs. *v. Ordinum*, notat, abſurdum eſſe, ut ſordidæ ſtirpes ingenuis, ac ſplendidis natalibus audeant ſubrogari, juſtaque cauſa recedendi a regulis communibus eſt bonum pacis, *capit.* 2. *in fin. de ſponſ. impub.* ubi Gloſs. *v. Pacis*. Qua ratione Mil. *in repert. verſ. diſpenſatio poſt med.* ait, diſpenſationem eſſe debitam, quando petitur ob gravia ſcandala evitanda, juxta Gloſſ. *in cap. Ut conſtitueretur* 25. *verſ. detrahendum eſt* 50. *diſtin.* & *capit. requiſitis* 5. *verſ. Ut pleriſque* 7. *quæſt.* 1.

Et in ſpecie, quod juſta cauſa reddendi aliquos pri- 4
vatos inhabiles ad matrimonium inter ſe contrahendum cum impedimento ſit timor gravium diſcordiarum, docent Sanchez, Boſſius, & Diana *in locis citatis*. Quod fortius urget in familiis habentibus prærogativam meritorum ex verbis noviſſimis *cap. Tali conjugio* 17. ibi: *Vel evidens prærogativa meritorum commendet*, 1. *quæſtion.* 7.

Exempla verò recenſet Scholiaſtes Navarri in fine 5
dict. conſ. 1. ibi: *Advertendum tamen temporibus noſtris Papam ex cauſa prædictæ conſimili inhabilitaſſe quandam illuſtriſſimam perſonam ad contrahendum cum quadam muliere*. Itemque quendam alium, qui ut eluderet ſponſalia de futuro, pro quibus lis movebatur, tentabat cum alia contrahere matrimonium de præſenti. Timebantur enim in utroque caſu non levia ſcandala. Quæ repetunt Sanch. *ante fin. d. num.* 1. Boſſ. *d. num.* 33. & Dian. *d. reſol.* 60.

Neque ideò obeſſe poteſt, quod Navar. *d. conſ.* 1. *n.* 6
2. dixerit, rem ſine exemplo eſſe, quod Papa per ſuum interdictum particulare duas perſonas, alioquin habiles, faciat inhabiles ad contrahendum matrimonium, ut contractum ſit nullum, & *conſ.* 2. *num.* 3. non legiſſe apud aliquos, qui teſtantur Summum Pontificem, id unquam tentaſſe, nec facilè ſibi perſuadere poſſe, quod hac noſtra ætate conveniret, ut præciperet hoc fieri, quodve Henriq. *lib.* 12. *de matrim. quæſt.* 12. *numer.* 1. *lit. C.* aſſeruerit, nunquam Pontificem ſimile impedimentum dirimens ſtatuiſſe, nec eſſe expediens, ut id ſtatuat, deque hoc dubitatum fuiſſe in caſu cujuſdam magnatis ad inſtantiam Regis Catholici. Nam de facto Summum Pontificem uſum eſſe hac poteſtate, teſtantur omnes præcitati poſt appendiculam Navarri. Expedire autem liquet ex cauſis ſuperius narratis, quæ licèt reſpiciant perſonas particulares, nihilominus tendunt in commune bonum Reipublicæ. Nam quoties expedit, ut certis caſibus diſpenſetur cum perſonis, id dicitur fieri in bonum commune ipſius Reipublicæ, teſte Rebellio *de oblig. juſtitiæ lib.* 3. *quæſt.* 5. *ſect.* 4. *ſub num.* 21.

CONSULTATIO CLXVIII.

An in cauſis appellationum inter Regulares ejuſdem Religionis poſſint, omiſſo medio, dari commiſſiones a Signatura Juſtitiæ, & inhibitiones ab Auditore Cameræ, ſeu aliis Tribunalibus, an potius hujuſmodi cauſæ ſint gradatim cognoſcendæ coram ſuis Superioribus regularibus, & a S. Congregatione Regularium?

1 ET affirmativè reſolvendum videtur. Quia id jure communi conceditur cunctis in genere per textum *in cap. Quoties*, & *cap. ad Romanam* 2. *quæſt.* 6. *cap. Si duobus de appel.* Navarr. *conſ.* 2. *de appellat. num.* 1. & *conſil.* 4. *num.* 3. *in fin. eod. tit. vol.* 1. Pegna *com.* 31. *in Direct. Inquiſ. part* 3. Unde poſſe Regularem injuſtè vexatum a ſuo Superiore recedere a Conventu, ut adeat Superiorem, & liberetur a gravamine, docent communiter Doctores, præſertim Sanchez *lib.* 6. *in Decal. cap.* 8. *num.* 7. Fagundez *in præcept.* 2. *Eccleſ. lib.* 8. *capit.* 5. *num.* 12. Suar. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 5. *l.* 3. *cap.* 1. *num.* 6. & Lezan. *tom.* 1. *qq. regul. cap.* 16. *num.* 8. & alii contra Bannez 2. 2. *quæſt.* 12. *art.* 1.

Quia in gravamine eſt neceſſaria appellatio ad Supe- 2
riorem, tanquam defenſio neceſſaria, & jure naturali con-

conceſſa, quæ nemini denegari poteſt, *Clem. Paſtoralis, de re jud.* & voluntas Superioris cujuſcunque debet eſſe neceſſariò rationabilis, ac juſta, & proindè habet præſumptam voluntatem Summi Pontificis, quod poſſit ita appellari; & quoad Auditorem Cameræ, conſtat ex Diplomate Pauli V. §. 12.

3 At verò tenendum eſt, non poſſe, idque eſto cauſa appellationis ſit juſta, cum Regularis iniquè, aut indebitè fuerit gravatus. Nequit enim Regularis appellari a ſuo Superiore ordinario ad Sedem Apoſtolicam, omiſſo medio Provincialium, & Generalis. Conſtat primò, ex decreto Clementis VIII. cujus initium, *quoniam nonnulli*, & ante ipſum ex decreto S. Congregationis Cardinalium anno 1587. in quibus interdicta eſt appellatio Regularibus, qui debent gradatim recurrere a Superiore ad Provincialem, a Provinciali ad Generalem, a Generali ad Protectorem, ab hoc ad S. Congregationem, ut refertur in *compend. privil. Mendic. v. appellare, in annot §. 1. & in compend. privileg. Cler. regul.* a Peregrino *tit. appellatio §. 3.* & in ſumma Bullarii a Quaranta *v. Monaſteria, & Conventus*, & ex Conſtitutione Sixti V. cujus meminit apud Duardum Vivaldus *num. 8.* habetur inhibitum eſſe Regularibus adire Apoſtolicam Sedem ob negotia ſine licentia ſuorum Superiorum. Unde qui tales impediunt, ne accedant ad Sedem Apoſtolicam, non innodari cenſura in Bulla Cœnæ docent Duard. *ibid.* Bonac. *punt. 1. num. 27.*

4 Ratio exprimitur in eodem decreto S. Congregationis. Quia ex hoc Ordinum diſciplina relaxatur, Prælati contemnuntur, & Regulares appellantes in dies audaciores evadunt, *ut deſumitur, ex cap. Ad noſtram, de appellat. & cap. Reprehenſibilis eod. tit.* Ubi quod circa appellationem conceditur cæteris, denegatur Regularibus. Immò nec iis illa denegatur, ſed præſcribitur modus, ſive gradus appellandi. Hinc licèt Nuncii Apoſtolici ſive Judices appellationum pro locis exemptis ex S. Congregatione ſuper Epiſcop. in nullius Putineani 6. Martii 1596. non tamen recipere debent appellationes Regularium, ſed illas gradatim eorum Superioribus cognoſcendas relinquere ex eadem in Florentina 8. Novembris 1593. remittendo ejuſdem Superioribus, qui ad ipſos recurrunt, ut in una Venetiarum 4. Junii 1602. maximè quando per hoc miniſtratur illis fomentum perſeverandi in ſua inobedientia, & contumacia, ut ſæpè contingit, ut in Portugallien. 7. Septembris 1600.

5 Et ita etiam in hac ſpecie reſolutum in Sacra Congregatione *de ſtatut. Regul. 5. Julii* 1650. nempè in cauſis Regularium ejuſdem Religionis ſive ſint inter ſubditos, ſive inter ſubditum, & Prælatum, ſive inter monaſterium, & monaſterium, ſive aliàs quomodolibet Auditor Cameræ ſe immiſcere non poteſt in prima inſtantia. Nam Bulla Pauli V. d. §. 12. debet intelligi de illis exemptis, qui ſunt immediate ſubjecti Sedi Apoſtolicæ, & alium Judicem non habent, quales ſunt plures Abbates in Germania in Congregationem non redacti, qui nec Epiſcopis, neque Capitulis ſubſunt, neque ſuos habent Regulares Viſitatores, de quibus loquitur Concilium Trident. *ſeſſ. 25. cap. 8. de Regul.* quales ſunt etiam multi Prælati inferiores, & Commendatarii nullius diœceſis. Et die 19. Julii ejuſdem anni fuit proviſum, ut in cauſis, in quibus Auditor Cameræ poteſt appellationes recipere a ſententiis, & gravaminibus Prælatorum Regularium, inhibitiones minimè decernat, nec Præfectus Signaturæ Juſtitiæ det commiſſiones, niſi citato Procuratore Ordinis. Vide Fagnan. in *c. de Priore de appell.*

CONSULTATIO CLXIX.

An Breve Apoſtolicum, obtentum a Regulari ſuper prorogatione ſui officii, ad quod nulliter fuerat electum, ſit validum?

1 REſpondendum cenſeo, Breve hujuſmodi eſſe ſubreptitium, quia Pontifex proceſſit per viam prorogationis, & extenſionis officii præexiſtenti, ideòque ſuppoſuit in perſona Indultarii officium legitimè præexiſtens. Nam prorogatio duo ſupponit, nempè ſubjectum prorogabile, & extenſibile, legitimè præexiſtens, & ipſum actum prorogationis, & extenſionis factum ab habente poteſtatem, ut in ſimili Lotter. *de re benef. lib. 1. quæſtion. 40. num. 355.* Ut propterea officium propagatum non dicatur novum officium, ſed primum, quando diſponens, durante primo officio, uſus eſt verbo prorogamus juxta theoricam Bart. *in l. 4. numer. 3. ff. de damn. infect.* quem ſequuntur communiter Doctores, quos ibi congerit Apoſtil. *lit. C.*

2 Hoc autem ſuppoſitum corruit; quia officium penes Regularem, nulliter electum, non aderat, & conſequenter nec adeſſe poteſt prorogatio. Quia res prorogata eadem reputatur, ſicuti ad text. *in l. 3. §. ſed manente, ff. de precar.* pluribus firmat Rot. *dec. 21. numer. 8. de præb.* Cumque de jure, ac ſecundùm naturalem rationem, deficiente prorogabili, impoſſibile ſit adeſſe prorogatum, dicendum eſt ex mente Pontificis actum prorogationis corruere, quia talis præſumitur intentio Pontificis, qualis eſt legis ſcriptæ, ac naturalis rationis, ut poſt Bald. & alios per eum allegatos, tradit Dec. *conſ. 33. num. 5.*

Ex quibus ſubreptio Brevis evitari non poteſt, tum 3
ex defectu ſubjecti prorogabilis, & ſic ex defectu cauſæ finalis, ob quam Pontifex motus fuit ad gratiam faciendam, & qua deficiente, conveniunt omnes gratiam vitiari, ut inquit Pariſ. *de conſid. quæſt. 46. num. 38.* & eſt concluſio indubitata, quod ſi Pontifex ſciviſſet talem defectum, non conceſſiſſet ex relatis per Cellium *deciſ. 311. num. 7.* Tum quia cùm agatur de nullitate ſuppoſiti, reſultante ex facto proprio impetrantis, ipſo jure præſumitur in eo dolus, qui in gratioſis vitiat gratiam, & ſi aliàs Pontifex fuiſſet conceſſurus Mohed. *deciſ. 8. de reſcript. ante fin.* Rot. apud Seraph. *deciſ. 601. num. 2. & in recent. deciſ. 295. num. 13.* D. Fagnan. *in cap. ſuper literis num. 7. de reſcript.*

CONSULTATIO CLXX.

An Ordinarius poſſit augere numerum Monialium abſque illarum conſenſu per vota exquiſito, quando irrationabiliter illum præſtare noluerint?

RIEſpondeo, poſſe, ſi redditus Monaſterii ſufficiant, 1
inſtante potiſſimum Civitate pro hujuſmodi augmento ad conſulendum indigentiis plurium familiarum nobilium. Ita Barboſ. *part. 3. de poteſt. Epiſc. alleg. 98. num. 1. & ſeqq. & de jur. Eccleſ. lib. 1. cap. 44. num. 28.* Lezan. *in ſum. v. Monialis num. 5.* Piaſec. *in praxi Epiſcop. part. 2. cap. 3. art. 7. de viſit. Sanctimonialium num. 11.* latè D. Fagnan. *in cap. Non amplius num. 34. & ſeq. de inſtit. & in cap. cum M. Ferrarienſis num. 45. & ſeqq. de conſtit.* qui benè advertit, hoc ipſum procedere, etiamſi numerus eſſet determinatus a Conſtitutione, vel ſtatuto, cum præfixio intelligi debeat, rebus ſic ſtantibus, non autem mutato rerum ſtatu ob redditus auctos, & hanc interpretationem ait recipere Conſtitutionem Gregorii XIII. incip. *Deo ſacris*, quæ maneat, quod ſupra numerum præfixum aliæ Moniales recipi non poſſint, firmatque egregiè Franch. *in cap. fin. num. 3.* Idque in fortioribus terminis, ac ibi Gemin. *num. 5. propè med. de Regul. lib. 6.* Ubi quod in Monaſteriis, quæ abundant redditibus, poſſit Epiſcopus monere Abbatiſſam, & Moniales, ut de novo debeant aliquas Moniales creare, quod ſi non paruerint, poſſit Epiſcopus illarum negligentiam ſupplere, & Moniales propria authoritate conſtituere, quos refert, ac ſequitur Fagnan. *in capit. Porrectum num. 26. & ſeq. de regul.* Calderin. *conſ. 26. eod. tit.* ubi quod poſſit Epiſcopus, & per conſequens ejus Vicarius aliquem incorporare Ordini, vel Religioni ſaltem in caſu negligentiæ, vel defectus, Sanchez *in decalog. lib. 5. cap. 4. num. 71.* Ubi quod Epiſcopus poſſit ſupplere conſenſum Conventus, & Pelliz. *de Monial. c. 3. ſect. 1. quæſt. 25. num. 35.*

Atque hinc patet reſponſio ad objectum, quod atten- 2
ta diſpoſitione juris Canonici Monialium receptio non ſpectet ad Epiſcopum, ſed ad Abbatiſſam, & Conventum juxta theoricam Gloſſ. *per d. textum in cap. fin. de Regul. in 6. v. pertineat*, ibique communiter Canoniſtæ, ac Lap. *allegat. 31. per tot.* cum aliis. Nam inter Monaſterium recipiens, & Monialem profitentem fit contractus reciprocus perpetuò valiturus, & irrevocabiliter, ex quo Monialis jus acquirit, Navar. *conſ. 26. num. 1. de Regul. juxta 2. impreſſ.* Sanchez *in decal. d. lib. 5. cap. 4. num. 62.* Qui contractus, cùm non poſſit celebrari, niſi accedente reciproco conſenſu meritò in Monaſteriis regularibus idem conſenſus aliarum Monialium requiritur, ac præcipuè in receptione ad perficiendum contractum.

Quoniam id limitatur, data negligentia, quam po- 3
teſt Epiſcopus ſupplere, augendo numerum, etiam reluctantibus Monialibus, pro ut limitando textum *in d. cap. fin.* & ſpeciatim declarando allegationem Lapi, cum qua cæteri tranſeunt, benè firmant Gemin. Franch. & Calderin. *locis alleg.* & remiſſivè Mandoſ. *in annot. ad d. allegat. lit. C.* & admittit D. Fagnan. *in d. cap. Porrectum num. 28. & ſeqq. de Regul.* Ac præcipuè quando nimis apertè appareat, Moniales malitioſè ſe opponere receptioni alicujus puellæ ad effectum excludendi jus,

alio-

alioquin Ordinario competens ſuper augmento numeri, ut advertit Turrecrem. *in cap. in fin. num.* 1. 17. *quæſt.* 6. Sanchez *in decal. d. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 66. *prope fin.*

4 Et hæc multò magis procedunt ſtante obſervatione ſubſequuta, quæ eſt optima interpres in quacunque materia, *l. ſi de interpretatione*, *ff. de legib.* præcipuè in ſtatutis, Rota *in recent. dec.* 1. *num.* 1. *part.* 11. *cum vulg.* atque adeò manutenendus eſt Epiſcopus in hujuſmodi poſſeſſione, cùm maximè in hac re attendatur conſuetudo, Rota penes Poſth. *de manut. deciſ.* 285. *num.* 6. Ac ſtante, quod puella recipienda habeat omnia requiſita, quare non videtur juri, minuſque æquitati conſonum, ut ſit in abſoluta, & effrænata facultate Monialium ejuſdem puellam rejicere cum opprobrio Ordinarii, ac ipſius puellæ, totiuſque ejus familiæ dedecore, cùm abſque dubio non ſine ſcandalo populi oriretur ſuſpicio, quod ipſa par non eſſet Monialium dignitati, ut obſervat Carpan. *ad ſtatut. Mediolan. cap.* 415. *num.* 56. Eſcobar. *de pur.* & *nobil. quæſt.* 9. §. 1. *num.* 11. & *ſeqq.* prudenterque conſideravit Rota in his terminis electionis a Collegio Bononienſi agregationis ad Collegia coram Merlino *deciſ.* 832. *num.* 29. & *deciſ.* 882. *num.* 19. & *ſeqq.* & in Rhegien. Conſortii 28. Februarii 1667. §. *dum enim* coram Taya. Quando enim agitur de notabili præjudicio alterius, arbitrium, quod aliàs liberum eſſe poſſet, & abſolutum, tunc non debet eſſe effrænatum, ſed potius ratione arctari debet, & reſtringi, ut ſine cauſa quis non lædatur, Alexand. *conſ.* 47. *num.* 5. *lib.* 7. Ruin. *conſil.* 115. *num.* 8. & *conſ.* 129. *num.* 7. *lib.* 5. Menoch. *de arbit. lib.* 1. *quæſt.* 48. *per tot.* & *quæſt.* 55. *num.* 1. & *ſeqq.* Sanchez *conſil. mor. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 55. *ſub num.* 7. & 18. & in ſpecie Carpan. *d. cap.* 415. *num.* 56. Eſcob. *loc. cit. quæſt.* 9. §. 1. *num.* 11. & *ſeq.* Rota coram Merlin. *d. deciſ.* 732. *numer.* 29. & 882. *numer.* 17. & 20. ubi quod datur appellatio ab habente liberum, & abſolutum arbitrium, ſi ex tali arbitrio quis ſit enormiter læſus.

5 Item quando non agitur, an puella ſit recipienda, ſed potiùs, an ſit rejicienda poſtquam ex rationabilibus cauſis a jure approbatis ipſa multis menſibus reperitur in Monaſterium introducta, atque adeò, ceſſante legitima cauſa, non debet expelli ex ſolo motivo odii, & animo ſe vindicandi contra Ordinarium, prout ſimile habetur in Capellis, ſeu beneficiis manualibus, quæ licèt de ſui natura ſint ad libitum amovibilia, etiam ſine cauſa, non tamen permittitur amotio, niſi abſit malitia, vel præſumptio odii in amovente cum animo ſe vindicari, in quo caſu id competit officio Superioris, Rebuff. *de pacif. poſſ. num.* 33. Dec. *in cap. Ad noſtram in fin. num.* 7. *de conſtrm. util. vel inutil.* Franch. *in capit. cum ſingula num.* 5. *de præb. in* 6. ibique Anchar. *num.* 4. Butr. *num.* 5. & tradit Gratian. *diſcept.* 167. *num.* 22. Gonzal. *in regul.* 8. *Cancel. gloſſ.* 5. §. 6. *num.* 40. 41. 48. & 49. Garz. *de benef. part.* 1. *cap.* 2. *num.* 88. Tondut, *lib.* 1. *quæſt. benef. cap.* 56. *num.* 14. & *ſeq.* Rot. *diverſ. deciſ.* 728. *num.* 2. & *ſeq. part.* 1. & coram Cavalerio *deciſ.* 72. & coram Buratto *deciſ.* 782. *num.* 4. & *deciſ.* 325. *num.* 2. *part.* 2. & *recent.* in Maceraten. Capellaniæ 10. Maji 1600. coram Bevilaqua, impreſſa poſt Zuff. *de legit. proc. deciſ.* 53. *num.* 6. Eòque magis quando amotio inducit dedecus, Maſtril. *de Magiſtrat. lib.* 1. *cap.* 27. *num.* 19. & de variis officialibus, etiam ſi ſint amovibiles ad nutum, probat Bald. *in l. Legiſperitos*, *ff. de excuſ. tut.* Rom. *conſil.* 467. *a num.* 1. & *ſeq.* ubi de Rectore hoſpitalis, Menoch. *de arbitr. quæſt.* 55. *a num.* 1. & *conſult.* 804. *num.* 72. Gratian. *diſcept.* 590. *num.* 14. ubi de officio Secretarii, & generaliter Maſtrill. *loco citato num.* 16. & 41. ubi maximè ſi remotio officialis fiat ab inferiore, Fragoſ. *de repub. part.* 1. *lib.* 3. *diſp.* 5. §. 4. *num.* 42. ac plenè Criſtophar. Creſp. *obſerv.* 7. *ab initio*, & *num.* 14. *cum ſeq.* & *obſerv.* 110. *num.* 2. Rot. in Ravennaten. emphyteuſis coram Dunozetto *dec.* 453. *num.* 51. & 52. & in Hiſpalen. juris nominandi coram Carillo *dec.* 96. *numer.* 12. *ac ſequent.* & alibi paſſim.

6 Nihilominus hodie ex declarationibus Sacræ Congregationis ſuper Epiſcop. & Regular. numerus Monialium augeri non poteſt ab Ordinario ſine licentia Sacræ Congregationis. Ita in Brunduſina die 12. Martii 1602. in Lauretana 27. Julii 1604. & 23. Julii 1649. quæ non conceditur, niſi redditus ita ſint aucti, ut quotannis ultra triginta aureos annuos, &c. *ſit aliquid reliqui*, ut in Rhegien. 29. Novembris 1600.

CONSULTATIO CLXXI.

An Epiſcopus poſſit concedere licentiam acceptandi ad habitum, vel profeſſionem emittendi, Monialibus ad non ſubjectis?

NEgandum videtur. Nam ejus facultas in Monaſteriis Monialium exemptis ad id non extenditur, 1
ut declaravit Sac. Congregatio Epiſcop. & Regular. ſub Gregorio XIII. poſt ejus Conſtitutionem de Monialibus, ſcribens Epiſcopo Rhegienſi his verbis. *Quanto poi alla facoltà dell' Ordinario ne' Monaſterj eſenti non ſi eſtende oltre la viſita, o riforma della clauſura eſteriore, ed interiore, per occaſione della quale ſi può anche domandare alle Monache, ſe ſanno coſa alcuna, che pregiudichi alla detta clauſura, ec.* Quod adeò verum eſt, ut nequeat Epiſcopus, etiam de mandato Sacræ Congregationis, ponere puellas ad explorandam voluntatem in Monaſteriis ſubjectis Regularibus, nec aliis licentiam ingreſſus dare ſine conſenſu Superioris eorum, ut ſæpè declaravit S. Congregatio Epiſcop. præcipuè in Ferrarien. 12. Decembris 1581. in Piſana 22. Maji 1582. & alibi.

Ratio autem eſt. Quia cùm admiſſio ad habitum ſit 2
quædam inchoatio incorporationis ad Religionem, & quidam contractus, quo recepta ſe tradit probandam Religioni, & Religio ſe obligat probare, & viciſſim ſe exhibet probandam, requiritur conſenſus Monaſterii, & illius tantùm Prælati, cui ſubjicitur, quia cùm ſit Superior Monialium, poteſt repræſentare Monaſterium in tali receptione. Certum autem eſt, quòd non ſpectat ad Epiſcopum, Religioni exemptæ quemquam incorporare, ut firmant Rodriq. *tom.* 3. *quæſt.* 5. *art.* 11. Navar. *conſ.* 4. *num.* 2. *de Regul.* Azor. *lib.* 12. *inſtit. mor. cap.* 5. *quæſt.* 4. Bonac. *de clauſ. quæſt.* 2. *punct.* 10. §. 6. *diff.* 9. *num.* 4. & alii communiter cum Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 4. *num.* 75.

Et confirmatur, quia conceſſio hujuſmodi licentiæ eſt 3
actus juriſdictionis, vel ſaltem ſuperioritatis, Sanch. *loc. cit. num.* 7. Atque Epiſcopus nullam habet juriſdictionem in Regulares exemptos, exceptis caſibus a jure, & in ſpecialibus Conſtitutionibus Pontificiis expreſſis. Quod autem Epiſcopus debeat hujuſmodi licentiam concedere nullibi reperitur expreſſum, atque adeò non poteſt illam concedere.

At nihilominus tenendum eſt, Epiſcopum non ſolùm 4
id poſſe, ſed etiam debere. Ita declaravit S. Congregatio ſuper Epiſcopis, & Regularibus per hæc verba: *Al Veſcovo di Breſcia, Altre volte dalla S. Congregazione è ſtato reſolto, che ne' Monaſterj di Monache anche eſenti, e ſoggetti al governo de' Relogari non poſſano introdurſi Zitelle monacande ſenza che vi preceda l' accettazione delle Suore capitolarmente, e per voti ſegreti per un luogo vacante dentro il numero preſiſſo, e la licenza* in ſcriptis *dell' Ordinario. Ora ſentendoſi dalla lettera di V. S. che ne' Monaſterj ſoggetti agl' Abbati Caſſinenſi ſi pretenda da' Superiori di eſſi di poter fare altramente, e di non aver biſogno del ſuo conſenſo, queſti Eminentiſſimi miei Signori inerendo alle riſoluzioni ſuddette, mi han comandato di ſcriverle, che ella non ſolo non lo permetta, ma in caſo di contravenzione proceda contro i tranſgreſſori alle pene canoniche, e alla cenſura di violata clauſura. Glie lo ſignifico, e Iddio la proſperi. Di Roma al primo di Luglio del* 1650.

Ratio eſt, quia id pertinet ad clauſuram Monialium, 5
cujus conſervatio Epiſcopis demandatur per S. Concilium Trident. *ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 5. & per Conſtitut. Gregor. XV. *de privil. exempt.*

CONSULTATIO CLXXII.

An, & quatenus Moniales eximi debeant a juriſdictione Prælatorum regularium, & ſubjici juriſdictioni Epiſcoporum?

REſpondeo, poſſe, ſi conſtiterit odium Monialium 1
ex legitimis cauſis contra Superiores regulares exortum, adeòut ſine ſcandalo, & animarum perturbatione eorum jugum amplius pati non poſſint. Ita enim conſulendum eſt quieti ſubditorum, ut ad compeſcendas inter eos diſcordias obortas, & ad ſcandala evitanda Prælatus, etiam Ordinarius loco cedere, & a Superiore amoveri debeat, ut Eccleſia quietem recipiat juxta doctrinam Innoc. *in cap. Ut teneantur*, *de præb.* quam ſequuntur Abb. *in cap.* 1. *numer.* 9. *de elect.* & *in cap. Ex literis num.* 1. *de homic.* Ubi quod Superior hoc caſu removet Prælatum etiam invitum, & ibidem Felin.

lin. *num.* 2. ubi dicit, conclusionem in omnibus indistinctè procedere, præterquam in Papa, & comprobat Bellett. *disq. Cler. part.* 1. *de discipl. Cler. §.* 15. *numer.* 19. & Gonz. *ad reg.* 8. *gloss.* 2. *num.* 1. *Non est bona arbor*, inquit D. Bernard. *lib.* 3. *de consid. cap.* 9. *faciens fructus tales, insolentias, dissolutiones, dilapidationes, simultates, scandala, odia. Quodve magis dolendum inter Ecclesiasticos etiam inimicitias graves, perpetuasque discordias, antidotum conversum in venenum*, *ibid. cap.* 4. Legendus idem D. Bernardus adversus has exemptiones non semel conclamans, ac nominatim locis allegatis, & *cap.* 8. 9. 10. & *epist.* 42. *sub fin.* & *epist.* 179. & 180. itemque Petr. Blesensis *epist.* 68. & 90. Ivo *epist.* 65. & Joan. Salibur. *lib.* 7. *polycrat. cap.* 19. & 21. Qui asserunt exemptiones hujusmodi plerumque sordere sive penes ambitionem, ac superbiam illorum, qui eas captant, sive penes facilitatem nimiam ultro eas concedentium absque causa.

2 Idque locum habet, etiamsi discordiæ ortæ sint absque culpa Prælati. Ad consulendum enim subditorum quieti, Prælatus, quantumvis innocens, removetur, multò ergo magis, ubi non deest culpa per textum *in d. cap. Ex literis*, ubi Glos. *v. Scandalum*, *de homic.* Ubi enim non unius, sed multorum salus periclitatur, detrahitur aliquid severitati Canonicis, ut plurimis sanandis malis æquitas sincera subveniat, quemadmodum *ex cap. Ut constitueretur* 50. *d.* & *cap. ordinationes quæst.* 1. tradit Roman. *cons.* 33. *a num.* 13. & præcipuè *num.* 15. & 16.

3 Quod si procedit in Prælatis Ordinariis, multò magis obtinere debet in Prælatis ex privilegio, quorum jus debilius est, & cui faciliùs derogatur per text. *in l. ejus milites*, *§. Militiæ*, *ff. de milit. test.* & deducit Rot. apud Merlin. *dec.* 245. *num.* 6. *cum seqq.* Præcipuè in hac materia exemptionis, cujus causa finalis est quies personæ exemptæ a metu vexationum, non fastus, aut ambitio, vel utilitas Superiorum, *cap. quam sit necessarium Monachorum quieti prospicere*, & *cap. luminoso* 18. *quæst.* 2. & comprobat Lotter. *de re benef. quæst.* 24. *num.* 1. Ut propterea, cessante causa privilegii, facilis sit reditus ad jus commune, & latè sit facienda interpretatio, ut res ad suum principium revertatur, Osach. *dec.* 147. *num.* 20. Ferr. *cons.* 39. *a num.* 12. per Glos. *in cap. Statutum*, *v. numerandum*, *de præb. in* 6. Butr. *in cap. olim tibi de verb. signif.* Rip. *in l. si constante num.* 61. post Alex. & Jas. *ff. sol. matr.* Fel. *in cap. cum accessissent*, *de const.*

4 Neque requiritur consensus omnium Monialium, de quo Franch. *decis.* 2. & relati per Buratt. & Add. *decis.* 573. Nam quatenus hujusmodi conclusio discutienda est, ea favet libertati Monialium, quia cùm agatur de re non tàm utili, quàm necessaria, nempè de consulendo quieti animarum, ac æternæ saluti, non attenditur major pars, sed id, quod est rationi consonum ex relatis per Gratian. *dec. March.* 183. *num.* 21. *cum seqq.* Add. ad Buratt. *d. dec.* 573. *num.* 12. In hac enim materia concernente morum disciplinam non est expectandus lapsus, sed præcavendus. Melius enim est occurrere in tempore, quàm post exitum vendicare, *cap. Monachi*, *de stat. Monach. l.* 1. *C. quando liceat unicuique sine Jud.* & ad rem observat D. Fagnan. *in cap. Relatum num.* 9. *ne Clerici*, *vel Monachi.*

5 Quandiù verò non constiterit de causis, ob quas Monasterium Sanctimonialium debeat a regimine Superiorum Regularium eximi, tunc amovendi sunt hodierni Superiores, & confessarii regulares, atque eorum loco alii Regulares suis Superioribus deputandi, & ipsis Monialibus dandus est quotannis ad præscriptum sacri Concilii Tridentini confessarius extraordinarius; & primo anno debet esse sacerdos sæcularis per Ordinarium approbandus, & ita solet rescribere Sac. Congreg. super Episc. & Regular. sicuti in Mejoric. jurisdictionis 5. Octobris 1668.

CONSULTATIO CLXXIII.

An, & quatenus ex concessione Regularibus facta, Ecclesia mutaverit statum, & ex sæculari effecta sit Regularis?

1 Affirmativè respondendum videtur. Primò, si non solùm in illius concessione expressè conventum fuerit, quod ex sæculari fieret Regularis, verùm etiam si accesserit, formalis consensus tàm Episcopi, quàm Rectoris. Mutationem quippè status etiam parochialis, & Collegiatæ è sæculari in Regularem legitimè fieri posse, accedente consensu Episcopi cum interesse habentium, decisum fuit in Concilio Toletano, de quo fit mentio *in cap. si Episcopus* 7. *caus.* 12. *quæst.* 2. Et probat textus apertus *in cap. ad audientiam* 2. ibi: *Si tibi Episcopus diœcesanus consenserit in hac parte*, *de Eccles. ædif.* ubi Glos. *v. Indulgemus*, & communiter Doctores, & signatè Butr. *num.* 5. & Anchar. *num.* 3. *cap. Consultatione* 4. *§. Si religiosis*, & *cap. Apostolicæ* 9. *de donat. Clem.* 2. *de reb. Eccles. non alienan.* Petr. de Perus. *de mutat. stat. Eccles. in princ. numer.* 2. *tract. tom.* 14. *fol.* 175. latè Monet. *de commut. ult. vol. cap.* 11. *de mutat. stat. Eccles. num.* 330. & *seqq.* Gratian. *discept.* 473. *numer.* 1. & *seqq.*

Secundò, si statum Ecclesiæ regularem subsequuta, & 2
inconcussa, observatio patefecerit. Nam licèt juxta sacri Concilii Tridentini decretum *sess.* 7. *cap.* 7. *de reform.* Episcopus diœcesim sibi commissam singulis annis visitare teneatur, & Episcopus forsitan antea visitasset, nihilominus Ecclesiam a tempore, quo concessa fuit Regularibus, & ab eis possessa, nunquam visitare præsumpsit, nec alium quamvis jurisdictionis actum exercuit, sed Regulares, tanquam Sedi Apostolicæ immediatè subjecti, & ab Ordinariorum superioritate penitus exempti assiduè fuerunt inquieta, & pacifica possessione dictæ Ecclesiæ. Ex quibus sanè, juncto libero exercitio omnium sui instituti officiorum per quamplures annos, haud controverso, benè arguitur status regularis dictæ Ecclesiæ, quemadmodum in simili ponderatum fuit per Rot. coram Durano *dec.* 74. *num.* 7. & *decis.* 144. *sub num.* 4. & 7. ac sicuti in his terminis Ecclesiarum Regularium altaria, & capellas, etiam sæculares, quibus non incumbit animarum cura, non possit Episcopus visitare, relatis pluribus declarationibus Sacræ Congregationis Concilii & super Episcopis, probant Barbos. *ad Concil. Trid. sess.* 7. *de reform. cap.* 8. *numer.* 5. & Tambur. *de jur. Abb. tom.* 2. *disp.* 6. *quæst.* 16. *numer.* 13. & dixit Rot. in Barcinonen. jurisdictionis 4. Julii 1646. coram Bichio. Quod intelligendum est, quòad ipsa altaria, Imagines, & alia, ut in Aliphana 31. Julii 1637. non autem quoad bona, & obligationes, si per laicos regantur, *arg. capit. Ex ore* 17. *de privileg.* Trid. *sess.* 22. *capit.* 8. Sacr. Congreg. super Episcop. in Dertonen. 22. Mart. 1604. & in Leopolien. 31. Januarii 1642.

Tertiò, probatur ex illius connexione, & incorpo- 3
ratione domui Regularium, tanquam parte illius integrali. Cùm enim domus sit regularis, proculdubio Ecclesia reputari debet regularis, utpotè ob connexionem, & unionem effecta membrum, etsi pars integralis ejusdem domus, juxta punctuales decisiones Rotæ coram Cantuccio *dec.* 54. *numer.* 11. *part.* 2. *div.* Litta in Parmen. Prioratus 28. Januarii 1584. Gregorii XV. *dec.* 370. *numer.* 3. & Durano *d. dec.* 74. *numer.* 4. *cum duobus seqq.* & *dec.* 144. *num.* 1. *cum tribus seqq.* & Merlin. *dec.* 8. *num.* 3.

Idque etiamsi fuerit relictum in eadem Ecclesia be- 4
neficium simplex collativum cum jure percipiendi fructus. Non enim incompatibile est, quòd dicta Ecclesia fiat regularis, & quòd in ea remaneat beneficium simplex sæculare, nam passim in Ecclesiis Regularium remanent beneficia simplicia, seu Capellaniæ compatibiles cum statu regulari. Possunt enim in eadem Ecclesia esse tàm sæculares, quàm regulares, maximè in favorem Religionis, cujus ratio summa est, sicut in *d. cap. Ad audientiam* 2. *de Eccles. ædif.* inquiunt Ostien. *num.* 1. & Cardin. *num.* 3. Et quamvis non adsit expressa dispensatio super hoc, sufficit tamen tacita, resultans ex formali ejus consensu præstito donationi, ac possessioni dictæ Ecclesiæ, quàm cessioni Rectoris, Rot. *dec.* 2. *num.* 1. *de Offic. Ordin. in antiq.* Gratian. *discept.* 473. *num.* 5.

Ac etiam si præservatum fuerit aliquod jus Episco- 5
po, sicut in terminis, quòd Ecclesiarum altaria, & capellas sæculares, quibus non incumbit cura animarum, Episcopus visitare nequeat tradunt Tambur. *de jur. Abb. tom.* 2. *disput.* 6. *sub num.* 13. & dixit Rot. coram Bichio in Barcinonen. jurisdictionis 4. Julii 1646. *sub §. dictarum tamen.*

Neque objici potest defectus beneplaciti Apostolici. 6
Aliud namque est, quòd Ecclesia è regulari mutetur in sæcularem, quo casu requiritur beneplacitum Apostolicum juxta decisionem Rotæ 137. *num.* 4 *part.* 1. & 363. *num.* 4. *part.* 2. *recent.* & *per text. in cap. qua semel* 19. *quæst.* 3. *in cap. Inter quatuor de relig. domib.* declarat Glos. *in cit. cap. Si Episcopus*, *lit. E.* Aliud verò, quod è sæculari fiat regularis. Quia tunc id sola authoritate Episcopi absque beneplacito Apostolico fieri posse, distinguendo firmat Moneta *d. cap.* 11. *sub num.* 331. *propè fin.* & *num.* 332. Vel sanè beneplacitum præsumeretur ex inconcussa observantia status regularis, Garz. *de benef. part. ult. cap.* 2. *num.* 178. Seraph. *dec.* 381. *num.* 14. & 1042.

& 1042. *num.* 3. Rot. *decis.* 160. *num.* 6. *part.* 2. *divers. dec.* 459. *num.* 4. & 694. *num.* 5. *part.* 1. 568. *num.* 5. *part.* 4. & *dec.* 94. *num.* 17. & *dec.* 186. *num.* 10. *decis.* 202. *n.* 7. *part.* 7. *recent.* Gregor. *decis.* 52. *num.* 2. & Beltram. *in addit. ad dec.* 343. *num.* 5. & aliàs passim.

7 At nihilominus, quòd hujusmodi Ecclesia sit sæcularis sub totali Episcopi jurisdictione censeo, non esse dubitandum, dum constat de statu sæculari, & collativo tàm antiquo, quàm moderno, & actuali, per quem excluditur status regularis, quia implicant, eandem Ecclesiam esse eodem tempore sæcularem, & regularem ob dictorum statuum contrarietatem, quæ non datur in uno subjecto, proindeque dicendum est, Regulares in eadem Ecclesia habere solùm usum, seu facultatem celebrandi, quod non implicat, ut dixit Rota in Treveren. unionis 28. Maji 1641. coram Card. Verospio.

8 Neque obstat concessio, quæ per Episcopum facta fuit. Quoniam Episcopus non potest immutare statum Ecclesiæ, vel beneficii, & de sæculari facere regularem, vel è contra sine beneplacito Apostolico, & aliis solemnitatibus ad alienationem, suppressionem, vel dismembrationem Ecclesiarum requisitis juxta ea, quæ annotant communiter Canonistæ *in capit. Cùm de beneficio, de præb. in* 6. Rot. *decis.* 163. *numer.* 4. *part.* 1. *recent.* & 368. *numer.* 4. *part.* 2. *recent.* Buratt. *decis.* 635. *num.* 9.

9 Minusqtte beneplacitum præsumptum ex lapsu temporis triginta annorum prætendi potest. Tum quia beneplacitum præsumptum nunquam intrat absque observatione continua, vera, & non interrupta, quæ nullo modo prætendi potest, dum Ecclesia semper fuit, & actu est in statu sæculari, & collativo cum proprio Rectore sæculari. Tum etiam quia hujusmodi beneplacitum præsumptum, sublatum fuit per Constitutionem Urbani VIII. aliàs in appendice 47. quam esse in viridi observatione, constat ex Add. *ad decis.* 12. *num.* 30. & *seqq. part.* 3. *rec.* & apud Rot. in Cracovien. dismembrationis decimarum 3. Junii 1650. coram Verospio in Corduben. dimidiæ portionis 20. Junii 1643. coram Meltio, & in aliis.

10 Præterea ad immutandum statum Ecclesiæ duo requiruntur copulativè, potestas nempè, & voluntas. In hoc autem casu solùm deficit potestas, ut supra vidimus, sed etiam voluntas. Quia nullibi constat, Episcopum voluisse immutare statum hujus Ecclesiæ, & de sæculari facere regularem, ut observatur apud Buratt. *d. dec.* 635. & in aliis relatis, quinimmò constat de voluntate contraria, dum Episcopus semper contulit Rectoriam sæcularem.

CONSULTATIO CLXXIV.

An confessores regulares semel ab Episcopis, sive Ordinariis locorum liberè approbati, possint ab eisdem in novo examine reprobari?

11 NOn posse validè absque nova, ac legitima causa, eaque ad confessiones ipsas pertinente reprobari, non solùm pluries declaravit S. Congregatio super Episcopis, & Regularibus, & præcipuè die 20. Novembris 1615. cujus resolutionis meminit Barbosa *de offic. & potest. Episc. part.* 2. *alleg.* 25. *numer.* 30. & *in summ. Apostol. decis. vers. Regularis quoad confessiones collect.* 636. *numer.* 8. illamque integram referunt idem Barbos. *de jur. Eccles. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 43. *numer.* 206. & Tamb. *de jur. Abb. tom.* 2. *disp.* 6. *quæst.* 12. *sub num.* 7. ac rursus ad supplicationem Episcopi Oriolensis die 30. Augusti 1629. cum subsequenti approbatione Sanctissimi die 31. ejusdem, quod etiam decretum referunt Barbos. *de jur. Eccles. d. cap.* 43. *numer.* 209. ac Tambur. *d. quæst.* 12. *num.* 9.

12 Et in Elboren. S. Congregat. Concilii censuit, Bullam B. Pii V. sub datum Romæ anno 1571. idus Augusti, quæ incipit *Romani Pontificis providentia*, de approbatione Regularium Confessorum ab Episcopis facienda, non esse revocatam per Bullam Gregor. XIII. sed secundùm prædictam Bullam B. Pii V. Confessores regulares, qui ad audiendas sæcularium confessiones semel ab Episcopo in Civitate, & diœcesi ejus prævio examine approbati fuerunt ab eodem Episcopo non esse iterùm examinandos. Ab Episcopo autem successore pro majori quiete suæ conscientiæ examinari denuò posse.

13 In Salernitana 15. Augusti 1591. *Sacra &c. respondit, Regularem, sed ad confessiones sæcularum audiendas prævio examine approbatum, posse tantummodò a Successore iterum examinari, ab eodem verò Episcopo minimè, si nova non supervenerit causa.*

In Pisauren. 10. Decembris 1646. *Non obstantibus adductis pro Episcopo Sac. Congre. Concilii censuit, ut Confessarios regulares ab eo suspensos absque novo examine approbet.* Quæ declaratio fuit confirmata 15. Februarii 1648. 14

In Nolana Episcopo. *Conquerentibus Superioribus Ordinum Carmelitarum denegata fratribus dicti Ordinis facultate audiendi confessiones, Eminentissimi Patres Sacræ Congregationis Concilii Trid. præpositi, mandarunt amplitudini suæ injungi, ut ad præscriptam adjunctorum declarationem ejusdem Sacr. Congregationis exequi charitate pastorali non omittat, dum amplitudini suæ fœlicia precor. Romæ* 2. *Septembris* 1651. 15

In una Carmelitarum 1608. *Sacra Congregatio Concilii censuit: Confessores regulares ad audiendas sæcularium confessiones, semel ab Episcopo in Civitate, vel diœcesi sua prævio examine approbatos, non esse ab eodem Episcopo iterum examinandos, approbando declarationem antiquam sequentem.* 16

In una Bobien. 10. Februarii 1583. *Sacra Congregatio Concilii censuit, dandas esse literas efficaces Episcopo Bobiensi, quibus acriter moneatur, ut idoneos ad audiendum confessiones approbet. Quos verò alias ut idoneos prævio examine admiserit, alio examine atque approbatione non indigere, alioquin examen, & approbatio committatur Episcopo viciniori.* 17

Die 20. Novembris 1616. *Sacra Congregatio Concilii decrevit Archiepiscopos, Episcopos, cæterosque locorum Ordinarios, ad quos approbandi confessarios jus spectat non posse suspendere ab audiendis confessionibus Regulares confessarios ab ipsis approbatos, nisi nova superveniente causa ad ipsas confessiones pertinente, vel ob non servatum interdictum ab iisdem Ordinariis impositum. Injuper statuit, eosdem Archiepiscopos, Episcopos, & Ordinarios facultatem adimere confessiones audiendi omnibus simul unius Conventus Regularibus confessariis, eadem S. Congregatione inconsulta, nullo pacto admitti posse. Quod quidem decretum, uti iidem Illustrissimi Patres opportunum, & necessarium duxerunt, ita inviolabiliter observari jubent.* Novum igitur examen, cui subjicere aliquando intendunt Episcopi confessarios Regulares jam a se præcedenti examine approbatos est contra declarationes adductas, ac formam Constitutionis B. Pii V. qua expressè cavetur, Regulares, qui semel ab Episcopo in Civitate, & diœcesibus suis prævio examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterùm non examinari. Quam Constitutionem quoad hoc non revocavit Gregorius XIII. per reductionem privilegiorum Regularium ad terminos Concilii Tridentini, ut declaravit Sac. Congregatio Concilii pro Patribus Ordinis Prædicatorum Terræ Laboris 10. Octobris 1586. apud Quarant. *in suum, Bull. Bar. v. Confessor.* & apud Riccium *in pr. part.* 4. *resol.* 70. *numer.* 4. ac Barbos. *de potest. Episc. alleg.* 25. *numer. vigesimus octavus & vigesimus nonus.* 18

Verùm etiam quia felic. record. Urbanus VIII. omnem in posterum super hoc dubitandi ansam substulit in sua Constitutione, quam articulo iterùm in eadem Congregatione examinato, edidit ad instantiam Eminentiss. Cardinalis de Sandoval, tunc Giennensis Episcopi per snas literas in forma Brevis sub datum 30. Januari 1639. *incip. cum sicut*, relatis a Tambur. *d. qu.* 12. *sub numer.* 9. ac Barbos. *d. cap.* 43. *num.* 210. & *collect. cit.* 636. *numer.* 6. 19

Fuitque etiam resolutum anno 1630. per Sacram Congregationem specialiter deputatam in causa Angelopolitana inter Episcopum, & Patres Jesuitas in responsione ad hoc dubium, & probant Suarez *tom.* 4. *de pœn. disp.* 38. *sect.* 8. *num.* 5. Villalob. *in sum. tom.* 2. *tract.* 9. *diff.* 53. Gavant. *in man. Episcop. v. Confessiones num.* 23. Henriq. *de sacram. pœn. lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 5. & Ludovic. a Cruce *expos. Bull. Cruc. disp.* 1. *cap.* 2. *dub.* 9. *num.* 5. Et quod nova causa debeat esse rationabilis, & probata, dicunt Moron. *resp.* 29. *num.* 32. & *seq.* Castropal. *de Sacram. pœnit. tract.* 23. *qu. un. punct.* 18. §. 4. Lezan. *consult.* 40. *num.* 45. ac Cesped. *de exempt. Regul. dub.* 150. 20

Ratio autem est, quia cùm Regulares ab Apostolica Sede habeant facultatem audiendi confessiones, Concilium verò Tridentinum Confessariorum approbationem concedat Ordinariis, ideò non possunt eam sine causa limitare, alioquin egrederentur terminos sibi concessæ potestatis in præjudicium Sedis Apostolicæ, si facultates ab ipsa concessæ restringerentur, ut animadvertit Pasqualig. *ad Lauret. de Franch. sua num.* 5. Quare semel concessa approbatione Regularibus audiendi confessiones simpliciter, vel cum limitatione temporis, durante tempore approbationis, non possunt sine causa, eaque confessiones concernente, reprobari, vel suspendi ab audiendis confessionibus, quia approbatio habet 21

vim

vim sententiæ, & tribuit jus, quo sine causa privari non possunt, ut annotant Armil. *v. Absolutio*, Sylv. *v. Confes. 2. num. 5.* Rodr. *tom. 3. quæst. reg. 23. art. 6.* Mirand. *in man. Præl. tom. 1. quæst. 4. art. 10. concl. 2.* Suar. *disp. 28. de pœn. sect. 8. num. 7.* Fagund. *in 2. præc. Eccl. lib. 7. cap. 2. num. 26.* Fragos. *de regim. Christ. Reipubl. tom. 2. lib. 8. disp. 18. §. 8. num. 4.* Lezan. *tom. 1. cap. 19. num. 9. & cons. 40. a num. 1.* aliique communiter.

12 Ac ita, ut neque ante finitum tempus videatur posse sine causa revocari, quia privilegium concessum non subdito, post acceptationem non potest amplius revocari, Dian. *part. 6. tract. 7. resol. 62.* Immò sine gravi causa, neque prorogatio debet denegari, Sacr. Congregatio super Episc. 27. Martii 1615. & 7. Februarii 1648. cum causa verò potest Episcopus authoritate Summi Pontificis, & Sac. Congreg. eos suspendere, Bonac. *tom. 1. de Sacram. disp. 5. punct. 4. §. 1. num. 16.* licèt Turrian. *de pœnit. quæst. 8. art. 1. disp. 26. dub. 3.* & Jo: Sancius *in select. disp. 48. numer. 23.* cum quibusdam aliis, quos ipse allegat, asserant Episcopum, posse etiam sine causa, licentiam audiendi confessiones revocare, quia illas concedere est quid merè gratuitum, semper pendens a voluntate concedentis quoad conservationem, nec alio modo tradi ab Ordinariis est credendum, ac sub tali onere, & cum tacita conditione accipiunt licentias, ut docet Suarez *de pœnit. disp. 28. sect. 7. in fin.* hoc tandem resolvens; quamvis in antedictis immediatè oppositum asseruisse videatur, & in Regularibus hæc locum non habere dicat propter Constitutionem B. Pii V. Quare parum referre videtur, quod Barbos. *de potest. Episcop. alleg. 25. numer. 34.* & Bordon. *resolut. 36. numer. 16.* distinguentes inter approbationem absolutam, & limitatam ad tempus, vel beneplacitum, opinentur primo tantùm casu procedere ante dicta, & non posse ab Episcopo exigi novum examen, secus verò in secundo casu, quando scilicet approbatio fuit restricta, & limitata.

13 Siquidem hujusmodi opinio videtur esse manifestè contraria citatæ Constitutioni B. Pii V. ac declarationibus Sacræ Congregationis, quæ non distinguunt ejusmodi approbationes, sed universim mandant Regulares, semel examinatos non posse iterum ab eodem Episcopo examinari, ideoque non sunt restringendæ per excogitatas Doctorum distinctiones, *l. 2. §. convenire, ff. de judic.* passimque aliis. Maximè advertendo, quòd B. Pius V. ubi voluit distinctionem fieri, eam apposuit, ut inter examinatos ab eodem Episcopo, & examinatos ab Antecessore quos permisit, posse a successore pro suæ conscientiæ quiete iterùm examinari. Unde fit evidens, quod si voluisset etiam distinguere inter approbatos prævio examine absolutè, vel ad tempus, utique expressisset, *vulg. l. un. §. fin autem, C. de caduc. tollen.*

14 Vel in omnem eventum cum Sacrum Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 15. de reform.* admittat duplicem approbationis speciem, nimirum per examen, & absque examine solo judicio Episcopi, ut clarè demonstrant verba illa, *Aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur*, quemadmodum etiam post Reginaldum, & Coninchium expensis dictis verbis Concilii dixit Bonac. *tom. 1. de pœn. Sacr. disput. 5. quæst. 7. punct. 4. §. 1. numer. 10.* si admittenda esset hæc opinio, quod, revocato beneplacito, sit in arbitrio Episcopi in nova approbatione cogere Regulares ad se subjiciendum examini, ea procedere solùm possit quoad Regulares approbatos absque examine, non verò quoad examinatos, ac ita conciliantur opiniones, quæ aliàs pugnarent cum præfatis Constitutione B. Pii V. ac declarationibus Sacræ Congregationis, cùm omnes constanter firment, semel approbatum prævio examine non esse iterùm examinis censuræ subjiciendum, nec aliquis expresè asserit contrarium. Unde id, quod dicitur de novo examine, potest congruè intelligi de approbatis solo judicio Episcopi, qui ne dum ab exercitio audiendi confessiones suspendi queunt, sed etiam ad examen compelli, quatenus iterùm velint se excipiendis confessionibus exponere, ut declaravit Sacra Congregatio Concilii in Vercellensi 31. Julii 1615. relata per Novarium *in Lucer. Regular. v. Confessarius num. 18.* & Gavant. *in man. Episcop. eodem v. num. 11.*

15 Quæ distinctio egregiè comprobatur, animadvertendo, quod Pius V. non concessit hoc privilegium, eximens a novo examine simpliciter, sed cum suppositione præcedentis examinis in iis verbis: *Volumus tamen eos, qui semel ab Episcopo in Civitate, vel diœcesibus suis prævio examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non examinari.* Quibus planè ostenditur Summum Pontificem non comprehendere eos Regulares, qui absolutè, & absque examine fuerunt approbati, sed solùm eos, qui prævio examine approbationem obtinuissent, ut speciatim observant, & distinguunt Suarez *de pœnit. disp. 18. sect. 8. num. 5.* Fagundez *in 2. præcept. Eccles. lib. 7. capit. 2. numer. 27.* Castron. *oper. moral. part. 4. de Sacram. pœnit. tract. 23. disp. un. punct. 18. §. 4. num. 13.* Ratio autem diversitatis est, quia, quando Episcopus admisit ad confessiones audiendas sine examine potuit moveri, vel ex fama doctrinæ illius Regularis, vel ex gradu doctoratus, quo sciebat eum esse insignitum, unde prudenter eum habuit pro idoneo. Quia verò fama plerumque est mendax, & solum privilegium doctoratus non facit hominem doctum, multi enim sunt Doctores, non tamen docti, ut latè Gratian. *discept. 186. num. 29.* & isti, qui intuitu solius privilegii fuerunt admissi, benè possunt examinari, & si reperti fuerint minus idonei, reprobari, *arg. l. sed & reprobari, ff. de excus. tut.* ubi notat Baldus *sub init.* & Nicol. de Neapol. cujus lectura habetur post Bartolum, dicens, quod in Regno Neapolitano Archiepiscopus Capuanus omnes Doctores de partibus redeuntes voluit iterùm examinari in Civitate Neapolitana, & quamplures reprobati fuerunt. Quod comprobat Rebuff. *de nomin. quæst. 21. num. 14.* Quare non mirum si cognoscens Episcopus, se fuisse in suo Judicio deceptum, habeat facultatem revocandi, & exponendi examini, quatenus idem Regularis de novo velit confessiones audire.

At quando idoneitas fuit cognita per examen, utique tales in ea investiganda adhiberi solent diligentiæ, ut testimonium approbationis reddatur firmum, ac plenè dixerim infallibile, atque ideò amplius citra injuriam examinati de ea dubitari non possit, præsertim ab eo, qui examinavit, ut inquit textus *in cap. Dilectissimi 8. quæstion. 2.* ibi: *Judicari namque a vobis ultra non debet semel Prælatus, sed tantò nunc subtiliter judicandus est, quanto postmodum judicandus non est. Et in cap. accepimus, de ætat. & qual.* ibi: *Illam tu nec prædecessores tui diligentiam debueritis adhibere, ut minus idonei non ordinarentur a vobis, ac ideò post promotionem eorum exceptionem hujusmodi non poteritis prætendere contra illos.* Quod ibi notat Glos. *verf. exceptionem*, Anchar. *in Clem. 1. v. 16. de concess. præb.* & Boer. *dec. 149. num. 16.* 16

Neque his obstare videtur decretum Urbani VIII. directum Cardinali de Sandoval sub anno 1627. & declaratum per eundem sub anno 1629. quod referunt Barbosa *de jur. univers. lib. 1. capit. 43. numer. 210.* & Tambur. *de jur. Abb. tom. 3. disp. 6. quæstion. 12.* in quo habetur, quod Regulares per eum in diœcesi sua Giennensi approbati ad certum tempus, eo elapso, non possent confessiones audire absque nova ipsius licentia, & approbatione, prævio etiam, si eidem libuerit, novo examine. 17

Nam Pontifex in dicto Brevi non processit per modum declarationis, sed novæ concessionis, ibi: *Concedimus, & impertimur.* Neque voluit hanc concessionem habere vim legis generalis, neque per eam abrogari Constitutionem B. Pii V. aliaque Regularium privilegia, sed concessionem limitavit, ac restrinxit ad diœcesim Giennensem, ac pro ea vice dumtaxat, & cum expressa declaratione, quod aliàs eadem privilegia, & Constitutiones Apostolicæ favorabiles Regularibus in suo robore permanerent, ibi: *Quibus omnibus, & singulis, &c. aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus.* Unde nimis liberè, & contra ejusdem Summi Pontificis intentionem ab aliquibus infertur, hoc Breve esse servandum, veluti legem in omnibus diœcesibus. Quia manifestè repugnat restrictiva illa, *hac vice duntaxat*, per quam excluduntur alii casus, & loca, in Brevi non expressa *l. Julianus ff. de pet. hær.* Glos. *in cap. 1. negativas, de confess. in 6.* & ibi Monach. *num. 16.* Quinimmò cum in dicto Brevi Pontifex usus fuerit verbis illis, *prævio etiamsi eidem libuerit novo examine*, non obscurè expressit, quod aliàs circumscripta hac speciali dispositione, & derogatione privilegiorum, non potuisset Episcopus cogere ad novum examen, cum dictio *Etiam*, sit expressiva casus magis dubitabilis, *l. etiam, ff. de verb. signific.* Surd. *cons. 445. num. 28.* Menoch. *de arb. lib. 1. quæst. 49. num. 8. & cons. 158. num. 75.* 18

Hæc autem faciliùs procedunt, si approbatio prævio rigoroso examine fuerit concessa ad beneplacitum ferè universaliter etiam insignibus Doctoribus, ac Theologis diœcesis. Ex hoc enim satis ostenditur, quod in ordine ad doctrinam, ob quam solùm requiritur novum examen sortiatur naturam approbationis simplicis, & solùm fuerit reservatum beneplacitum suspendendi, si 19

con-

contigerit mutatio in bonis moribus, quemadmodum hujuſmodi formulam ad beneplacitum, eſſe accipiendam latè probat Paiqualig. *deciſ. mor.* 499. *num.* 13. & *deciſ.* 500, *numer.* 6. ſubdens *num.* 7. non poſſe tale beneplacitum revocari, niſi approbatus fiat talis, ut non deberet approbari, ſi de novo eſſet approbandus. Quod etiam tenet Dian. *part.* 3. *tract.* 2. *de dub. Regul. reſolut.* 26. *per tot.* & melius *part.* 6. *reſol.* 62. Aliàs ſi limitatio eſſet adjecta in ordine ad doctrinam, utique eſſet injuſta cum impoſſibile prorſus ſit, quòd ne unus quidem quoad doctrinam reperiatur abſolutè idoneus, ut mereatur teſtimonium idoneitatis. Eſt enim communis ſententia, quòd limitationes in approbationibus Regularium nequeunt apponi ſine juſta cauſa, cùm Regulares jus habeant, ut petant approbationem ſimpliciter, & abſolutè prævio examine, cui ſe offerunt, ſicuti præ aliis docet Card. de Lugo *de Sacr. pœn. diſp.* 21. *ſect.* 3. *num.* 6. quem ſequitur Dian. *d. part.* 6. *tr.* 7. *reſol.* 61.

20 At verò certiſſimum ſit, quod Epiſcopus non teneatur ipſis Regularibus cauſam edicere, ſed Sedi Apoſtolicæ dumtaxat, dùm eam ſibi aperire poſtulaverit. Ita decrevit Sac. Congregatio ſuper Epiſcopis in Toletana 18. Septembris 1595. & in Conſentina 1. Martii, & aſſeverant Barboſ. *in collect. ad cap.* 15. *numer.* 45. *ſeſſ.* 23. *Concil. Trident.* ac Bordon. *in conſil. regul. reſol.* 26. *num.* 83. Item quòd dictus Epiſcopus examinare volens Confeſſarium Regularem ex nova cauſa, debeat id Superioribus Regularibus ſignificare, non quidem cum individua expreſſione cauſæ, ſed tantùm exprimendo, ſe velle ob novam, quæ ſupervenit cauſam ad examen devenire ex Sac. Congregatione Concilii ſub die 2. Septembris 1603. quæ etiam ſub anno 1580. declaravit, poſſe Epiſcopum ex legitima cauſa ſuperveniente, etiam extrajudicialiter tantùm ſibi nota licentias confeſſiones audiendi, a ſe, vel a ſuis prædeceſſoribus ipſis Regularibus conceſſas revocare. Quod elicitur *ex arg. capit. accepimus, de ætat. & qual. ord.* ibi: *Niſi forte, poſtquam promoti fuerint, reddiderint ſe indignos*. Itidem quod Epiſcopus Regulares in hoc contravenientes poſſit punire etiam cenſuris Eccleſiaſticis vigore Conſtitutionis Gregorii XV. *Inſcrutabili*, ubi Pontifex confeſſarios, & concionatores tàm ſæculares, quàm regulares, quomolibet exemptos omnimodæ juriſdictioni, viſitationi, & correctioni diœceſani Epiſcopi, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati ſubjicit, & ſubjectos eſſe declarat, itaut Epiſcopi, ait Pontifex, in ſuprafcriptis caſibus in prænominatas perſonas in præmiſſis omnibus, & ſingulis, aut circa ea quoquomodo delinquentes quoties & quando opus fuerit, etiam extra viſitationem per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaſque pœnas, ut ejuſdem Sedis delegati, procedere, omnemque juriſdictionem exercere liberè, & licitè valeant.

21 Sed ipſius decreti Sacr. Congregationis ſuper Epiſcopos verba hoc demum in loco ponamus. *Cum Sacræ Congregationi Cardinalium, negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum innotuerit, confeſſarios Regulares graviter conqueri, quòd ab Epiſcopis, & Archiepiſcopis, & locorum Ordinariis ab audiendis confeſſionibus quavis ex cauſa indiſcriminatim ſuſpendantur, ac propterea ſæpè contingere, ut ab eiſdem Archiepiſcopis, Epiſcopis, & locorum Ordinariis omnibus ſimul unius Conventus confeſſariis, confeſſiones audiendi facultas adimatur, Illuſtriſſimi ejuſdem Sac. Congregationis Patres, rati vix fieri poſſe, ut hac ſine ſcandalo, magnaque animarum pernicie contingant, re maturè perpenſa, ad omnem ſcandali materiam ſubmovendam; & quò magis ſpirituali piarum mentium conſolationi conſulatur, ſtatuunt, & declarant, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis, ad quos confeſſarios approbandi jus ſpectat, confeſſarios regulares, alias ab ipſis liberè approbatos ab audiendis confeſſionibus poſthac ſuſpendere minimè licere, niſi ex nova cauſa, eaque ad confeſſiones pertinente, vel ob non ſervatum interdictum ab ipſis Ordinariis appoſitum. Statuunt inſuper, eoſdem Archiepiſcopos, Epiſcopos, & locorum Ordinarios confeſſiones audiendi facultates omnibus ſimul unius Conventus regularibus confeſſariis, eadem Sac. Congregatione inconſulta nullo pacto adimere poſſe* 20. *Novembris* 1615.

22 Quod decretum explicatur ab Urbano VIII. citato Brevi ad Epiſcopum Giennenſem, in quo continetur regula ſecundùm quam gerere ſe debeat Epiſcopus cum Regularibus circa confeſſiones, & circa prædicationem verbi Dei, eſtque tenoris ſequentis: *Alias, &c. Cùm ſicut ſuper exponi feciſti in tuis civitate, & diœceſi Giennenſi multi diverſorum Ordinum Religioſi ſub prætextu quod ad ſacras confeſſiones audiendas, & verbum Dei prædicandum ſemel approbati fuerint, abſque tua licentia, confeſſiones prædictas audiant, & verbum Dei prædicent non ſine gravi Chriſti fidelium ſcandalo, & eorum ſalutis animarum detrimento, & licitè per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas contra eoſdem protectores, ii tamen vigore cujuſdam privilegii a fel. rec. Clement. Papa VIII. prædeceſſore noſtro ad favorem Mendicantium emanati, ſe ab alio, quàm a Romano Pontifice pro tempore exiſtente excommunicari minimè poſſe prætendunt. Nos inconvenientibus hujuſmodi juxta creditum nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officium, quantum cum Domino poſſumus obviare, ſupplicationibus tuo nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis Regularium præpoſitorum conſilio tibi Religioſis prædictis, ne abſque expreſſa tua licentia ſacras confeſſiones de cætero audire, minuſque verbum Dei prædicare audeant, & præſumant per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas authoritate noſtra inhibere, eoſdemque ad exhibendum tibi licentias, quas illi deſuper a te, ſive a prædeceſſoribus tuis Eccleſiæ Giennenſis Præſulibus, ſive adminiſtratoribus obtinuerint ad hoc, ut eas vel confirmes, vel revoces, prout ad divini cultus augmentum, & animarum civitatis, & diœceſis ſalutem, & confirmationem in Domino expedire judicaveris, cogendi, & compellendi facultatem dicta authoritate tenore præſentium concedimus, & impartimur, non obſtantibus quibuſcunque Conſtitutionibus, &c. Nunc autem ut litibus, & controverſiis, quæ inter Ordinarium Giennenſem ex una, ac Religioſos prædictos ex altera, partibus de, & ſuper præinſertis prædictis, ut accepimus, ad præſens vigent, & de cætero oriri poſſint quantum cum Domino poſſumus, obviam ire, ad de ſuper opportuno declarationis noſtræ miniſterio providere volentes, de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, ac conſultationibus Epiſcoporum, ac Regularium præpoſitorum, conſilio, partibus auditis, reque maturè diſcuſſa, authoritate Apoſtolica tenore præſentium decernimus, & declaramus, præinſertas literas hujuſmodi ita eſſe intelligendas, & declarandas, ut Regulares quidem in civitate, & diœceſi Giennenſi a prædeceſſoribus Epiſcopis examinati, & approbati ad confeſſiones perſonarum ſæcularium audiendas a præſente Epiſcopo ſucceſſore pro majori conſcientiæ ſuæ quiete poſſint iterum examinari, & ſi minus idonei reperti fuerint reprobari ad præſcriptum Conſtitutionis ſanta memoria B. Pii Papæ V. prædeceſſoris noſtri hac de re editæ. Sed illi, quos idemmet Epiſcopus approbavit, ſiquidem hujuſmodi approbationem obtinuerint ad certum tempus, eo elapſo non poſſint confeſſiones audire abſque nova Epiſcopi ipſius licentia, & approbatione, prævio etiam, ſi eidem libuerit novo examine. Illis autem, quos ipſemet Epiſcopus ad confeſſiones hujuſmodi audiendas ſemel admiſit ſimpliciter, ac ſine ulla temporis præfixione, nullatenus poſſint ab eodem reprobari ſine nova cauſa, eaque confeſſiones ipſas concernentes. Cæterum, an eadem cauſa ſubſit, nec ne, Epiſcopum non teneri ipſis Regularibus edicere, ſed Sedi Apoſtolicæ dumtaxat, ubi eam ſibi aperiri poſtulaverit. Ad hoc quod in eiſdem præinſertis literis dicitur, Regulares non poſſe verbum Dei prædicare ſine Epiſcopi licentia, id locum ſibi vindicare in his tantùm Eccleſiis, quæ ſui Ordinis non ſunt, cum in aliis Eccleſiis ſui Ordinis ſufficiat Epiſcopi benedictio petita, licèt non obtenta, ita tamen, ut ſi Epiſcopus non modò benedictionem ſimpliciter non conceſſerit, verùm etiam Regularibus prohibuerit, quominus prædicent, tunc illo contradicente, in ſui quidem Ordinis Eccleſiis, liceat illis prædicare, quemadmodum S. Concilii Tridentini decretis ſalubriter eſt cautum. Quod ſi Regulares ſive in confeſſionibus audiendis, ſive in prædicando adverſus ea, quæ ſuperius declaravimus quoquomodo deliquerint, in vim earundem præinſertarum literarum ab Epiſcopo Giennenſi coerceri, & puniri poſſint, etiam cenſuris Eccleſiaſticis. Sicque, & non aliter in præmiſſis omnibus, &c. non obſtantibus omnibus illis, &c. cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die* 30. *Januarii* 1629. *Pontificatus noſtri anno ſexto.*

Objiciunt, quòd hæc Conſtitutio, ejuſque declaratio 23
ſit localis pro diœceſi dumtaxat Giennenſi. At perperam. Quia ſicut lex in obligando dependet a voluntate, & mente legislatoris, ita etiam ejus obligatio non plus extenditur, quàm extendatur intentio, & mens legislatoris, quæ tanquam potentior magis attenditur, *l. labeo in fin. ff. de ſuppel. leg. & l. Nominis, & rei, §. verbum, ff. de verb. ſignif.* Et proindè verba legis trahuntur ad menſuram intentionis, & mentis, ut notant Oldrad. *conſ.* 9. *numer.* 3. & 4. Federic. de Sen. *conſ.* 4. *numer.* 5. Jaſ. *conſil.* 140. *lib.* 2. Anchar. *conſil.* 219. *numer.* 5. Tuſch. *lit. M. concl.* 199. ubi latè. Mens autem legislatoris menſuratur a ratione finali, quia cùm non poſſit voluntas legislatoris quicquam velle, niſi

qua-

quatenus movetur ex fine, quidquid eſt volitum in lege, eſt volitum propter finem, & ideò intentio legislatoris, atque adeò obligatio legis menſuratur ex ratione finali, itaut non plus extendatur, quàm extendatur ex ratio ipſa, *l. Cum pater, §. dulciſſimis, ff. de leg. 2. & l. adigere, quamvis, ff. de jurepat. & l. Milites agrum, ff. de re milit.* Et proinde quando in materia, de qua dubitatur, an lege comprehendatur, non reperitur ratio finalis legis, non habet locum lex ipſa, utpotè quia tunc deficiente ratione finali legis, deficit intentio legislatoris, atque lex circa ipſam, *l. ut omni, ff. de adopt. & l. quod dictum, ff. de pact. & l. fin. ff. ad Syllan. & l. ſi maritus, §. ſcripti, ff. ad leg. Jul. de adult. & c. Si Chriſtus, de jurejur.*

24 In hoc autem caſu finis Pontificis eſt providere univerſim animarum ſaluti, itaut per licentias Regularium audiendi confeſſiones perſonarum ſæcularium, ac prædicandi verbum Dei non patiantur ſcandalum, & detrimentum, & proinde aſſignat regulam, juxta quam Epiſcopi in illis ſe gerere debeant, quia per id poteſt damnum inferri Eccleſiæ univerſali, & proinde exigitur a ratione finali Pontificis. Quod clarè conſtat ex procœmio dicti decreti, ibi: *Cùm ſicut nuper nobis exponi feciſti in tuis civitate, & diœceſi Giennenſi multi diverſorum Ordinum Religioſi ſub prætextu quoad ſacras confeſſiones audiendas, & verbum Dei prædicandum ſemel approbati fuerint, abſque tua licentia confeſſiones prædictas audiant, & verbum Dei prædicent; non ſine gravi Chriſti fidelium ſcandalo, & eorum ſalutis animarum detrimento &c. Nos inconvenientibus hujuſmodi juxta creditum nobis ſuper &c.* Ex quibus conſtat, quòd mens Pontificis eſt occurrere ejuſmodi malis. Ex procœmio namque colligitur mens legislatoris, & finis ipſius, *l. fin. ff. de hæred. inſt. & l. 1. ff. ad Maced. & cap. Ex multa, de vot.* & docent Doctores communiter cum Rot. *deciſ. 619. num. 5.* apud Farinac. *part. 2. rec. & deciſ. 298. num. 2. part. 2. diverſ.* Et ideò decretum extenditur ad omnes alias diœceſes, cùm habeat rationem generalem, *l. regula, §. ſi quis, ff. de jur. & fact. ign.* ibique Bartol. traditque Alex. *in l. ſi pupillus, ff. de verb. oblig.*

25 Prætereà quando lex non diſponit per ſe primò de perſonis, ſed de aliqua materia, comprehendit omnes perſonas, in quibus locum habet illa materia. Nam ratione materiæ trahuntur ad ſubjectionem reſpectu legis, quia in ipſis eſt caſus legis, & proinde ceſſat dubium, an comprehendantur ſub lege, vel ne, ut annotant Gloſ. ult. *in l. Ancillæ, C. de furt.* Dec. *conſ. 452. in fin.* Cravett. *conſ. 273. num. 3.* Becc. *conſ. 14. num. 28. vol.* Surd. *conſ. 53. num. 8. conſ. 58. num. 6.* Pariſ. *lib. 9. de reſign. num. 2.* Seſſe *deciſ. Aragon. 154. num. 25.* In hoc autem caſu diſpoſitio Pontificis habet pro materia ſcandali, ſalutis fidelium detrimentum, inconvenientia, que ex hujuſmodi Regularium licentiis audiendi confeſſiones perſonarum ſæcularium oriuntur, quas licentias ita moderatur, ut reducat ad caſus licitos, & honeſtos. Ergo licentiæ iſtæ ſunt moderatæ in quocunque Regulari, etiam extra diœceſim Giennenſem.

26 Quod etiam confirmatur ex ipſo fine dicti decreti, qui eſt favor cultus divini, & animarum, inquit enim Pontifex, ibi: *Ut eas licentias vel confirmes, vel revoces, prout ad divini cultus augmentum, & animarum civitatis, & diœceſis ſalutem, & confirmationem in Domino expedire judicaveris.* Hic autem finis habet locum in omnibus Regularibus aliarum diœceſuum, nam alioquin, & per ſe ipſos impediretur hoc divini cultus augmentum, & animarum ſalus, ſi Epiſcopi, cùm expedire judicaverint, licentias ejuſmodi revocare non poſſent. Ubi autem finis habet locum, habet etiam locum diſpoſitio legis, cujus mens attendenda eſt, *l. ſcire leges, ff. de legib. & l. non aliter, ff. de leg. 3.* Hinc extenſionem comprehenſivam habere locum etiam in lege correctoria, & pœnali ſimul docui cum multis *tom. 1.*

27 Et quod præcipuè id facere poſſit Epiſcopi approbantis ſucceſſor vigore non ſolùm dicti decreti Urbani VIII. ſed etiam declarationis Sac. Congregationis in Albanen. 5. Febr. 1628. tenet Delben. *de immun. cap. 14. dub. 18. ſect. 11. num. 24.* cum quampluribus, qui ſubdunt, ita etiam aliàs declaraſſe S. Congregationem, atque hanc eſſe praxim Epiſcoporum contra Regulares,

28 Omnemque ſcrupulum repellit decretum Sac. Congregationis ſuper Epiſcopis, & Regularibus ſub die 30. Auguſti 1630. quod eſt hujuſmodi: *Epiſcopus, quamvis ſimpliciter, & abſque ulla temporis præfinitione approbaverit Regulares ad confeſſiones perſonarum ſæcularium audiendas, poteſt tamen eaſdem, ſi nova cauſa ſuperveniat, ſuſpendere, ac licentias illis conceſſas revocare, dummodò hujuſmodi confeſſiones ipſas concernat. Cæterùm ſi Regulares cum ſcandalo, aut aliàs inhoneſtè vivant, vel aliquod delictum committant, propter quod rationabili Epiſcopi judicio videantur a confeſſionibus ſuſpendi, cùm præcipua miniſtri qualitas ſit integritas vitæ, ac morum honeſtas, utique ea cauſa ad miniſterium confeſſionis pertinet, ac proinde nihil obſtat quominus ab ea poſſit Epiſcopus Regulares utcumque a ſemetipſo approbatos, ſuſpendere, aut repellere a confeſſionibus audiendis.*

Addo huic argumento opportunam S. Congregationis 29
S. Inquiſitionis cenſuram, quæ ad rem hanc, & ad alias generis ejuſdem egregiè facit.

Feria 5. die 30. Januarii 1659. in Congregatione generali S. Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſſ. D. N. D. Alexandro divina providentia Papa VII. ac Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus Inquiſitoribus a S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis. Cùm nuper a Regularibus Mendicantibus diœceſis Andegavenſis judicio Sedis Apoſtolicæ, ad quam dumtaxat controverſias fidei, ac morum Univerſalis Eccleſiæ pertinet definire, infra inſertæ propoſitiones fuerint oblatæ, de mandato Sanctiſſimi Domini Noſtri Alexandri divina providentia Papæ VII. plurium Theologorum, ac Canoniſtarum a Sanctitate ſua ad id ſpecialiter deputatorum examini ſunt commiſſæ, quo peracto, & relata Sanctitati ſuæ unanimi eorundem Theologorum, atque Canoniſtarum cenſura, idem Sanctiſſimus auditis votis Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum DD. Cardinalium generalium Inquiſitorum eaſdem propoſitiones, prout infra qualificatas, authoritate Apoſtolica declaravit, ac declaratas decrevit, & tales ab omnibus haberi præcipit. 30

Prima. *Concilium Tridentinum non obligat Regulares* 31
in Gallia ad obtinendas approbationes ab Epiſcopis, ut ſæcularium confeſſiones audire poſſint, neque ex illius Concilii authoritate privilegia Regularium reſtringi poſſint, cùm in Gallia receptum non ſit præterquam in deciſionibus fidei, neque etiam Bulla Pii IV. pro confirmatione illius Concilii promulgata.

Eſt falſa, temeraria, ſcandaloſa, in hæreſim, & ſchiſ- 32
ma inducens, S. Concilio Tridentino, & Sedi Apoſtolicæ injurioſa.

Secunda. *Ubi Concilium Tridentinum eſt receptum non* 33
poſſunt Epiſcopi reſtringere, vel limitare approbationes, quas Regularibus concedunt ad confeſſiones audiendas, neque illas nulla ex cauſa revocare. Quinimmò Ordines Mendicantium Religioſi ad eas approbationes obtinendas non tenentur, & ſi ab Epiſcopis Religioſi non probentur, rejectio illa tantumdem valet, ac ſi approbatio conceſſa fuiſſet.

Complex accepta eſt falſa, temeraria, & ſcandaloſa, & erronea.

Tertia. *Regulares Ordinum Mendicantium ſemel ap-* 34
probati ab uno Epiſcopo ad confeſſiones audiendas in ſua diœceſi, habentur pro approbatis in aliis diœceſibus, nec nova Epiſcoporum indigent approbatione. Regulares habent poteſtatem abſolvendi a peccatis Epiſcopo reſervatis, etiamſi ab Epiſcopo authoritas ipſa ipſis indulta non fuerit.

Quoad primam partem eſt falſa, & ſaluti animarum 35
perniciosa. Quoad ſecundam partem eſt falſa, authoritatis Epiſcoporum, & Sedi Apoſtolicæ injurioſa.

Quarta. *Nullus in foro conſcientiæ Parochiæ ſuæ inte-* 36
reſſe tenetur, nec ad annuam confeſſionem, nec ad Miſſas Parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, divinam legem, fidei rudimenta, morumque doctrinam, quæ ibi in catecheſibus annuncientur, & docentur.

Quoad primam, & ſecundam partem ſimpliciter acceptæ 37
eſt erronea, & temeraria: ſuppoſitis verò privilegiis Apoſtolicis, nullam meretur cenſuram. & quoad tertiam partem de auditione verbi Dei ſervetur diſpoſitio Sacri Concilii Tridentini.

Quintæ. *Talem legem in hac materia nec Epiſcopi, nec* 38
Concilia Provinciarum, vel Nationum ſancire, nec delinquentes aliquibus pœnis, aut Eccleſiaſticis cenſuris mulctare poſſunt.

Suppoſitis itidem privilegiis Apoſtolicis nullam meretur 39
cenſuram. Verùm iſta non eſt prædicanda, nec publicè docenda, prout nec præcedens quarta.

Sexta. *Regulares Mendicantes petere poſſunt licitè a* 40
Judicibus ſæcularibus ut injungant Epiſcopis, quatenus ipſis mandata concedant ad prædicandum in adventu, & Quadrageſima. Quòd ſi renuant facere Epiſcopi, decre-

rum Judicum sæcularium tantundem valet, ac si promissio dictis Religiosis concessa fuisset.

41 Est falsa, erronea, & in hæresim, ad schisma inducens.

Hanc ergo qualificationem, & declarationem a cunctis tenendam exequutioni demandandam, & in praxi observandam esse Sanctitas sua declaravit, & mandavit sub pœnis contra schismaticos, temerarios, seditiosos, ac de hæresi suspectos respectivè impositis, contrariis quibuscunque non obstantibus.

42 Ac pro Coronide adjicio verba Constitutionis Clementis X. primo anno ejus Pontificatus emanatæ, quæ casus ferè omnes, ad hanc rem spectantes, perstringit, resolvit, atque omninò præcipit ab omnibus observari, suntque hujusmodi: *Ad hæc Religiosos ab Episcopo ad confessiones sæcularium in sua diœcesi audiendas approbatos non posse in alia diœcesi eas absque Episcopi diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, a quo ipsi Religiosi jam fuerunt approbati. Et generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum sæcularium confessiones audiendas nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones Monialium sibi subjectarum, sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione. Et approbatos pro audiendis confessionibus Monialium unius Monasterii, minimè posse audire confessiones Monialium alterius Monasterii. Itemque confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse expleta deputatione in vim approbationis, hujusmodi, illarum confessiones audire, sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit. Cæterùm in Monasteriis, aut etiam Collegiis, ubi juxta regularia instituta vivitur, posse tàm Prælatos regulares, quam confessores Regularium eorundem Monasteriorum, seu Collegiorum audire confessiones illorum sæcularium, qui inibi sunt verè de familia, & continui commensales, non autem illorum, qui tantùm ipsis deserviunt. Illos autem Religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint ab Episcopis, generaliter quoque, & indistinctè absque alia limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis personarum in diœcesi propria admittendos. Quoad cæteros verò, qui non adeò idonei reperientur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur approbare, & admittere. Semel autem simpliciter approbatos posse in diœcesi Episcopi approbantis quovis anni tempore, etiam Paschali, & quorumcunque, etiam infirmorum confessiones audire absque ulla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia, de qua tamen confessione teneri dictos Religiosos eorundem infirmorum Parochorum illicò certiorem reddere, & hoc posse illis ab Episcopo sub pœna suspensionis a facultate audiendi confessiones præcipi. Sufficere tamen, ut certioratio hujusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam. Et eos, qui dictis Religiosis simpliciter approbatis Paschali tempore confessi fuerint, Constitutioni, quæ incipit, Omnis utriusque sexus, quoad confessiones dumtaxat satisfeciisse censendum. Regulares verò ad hujusmodi confessiones audiendas prævio examine simpliciter, & absque ulla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo, secùs autem si ab ejus Vicario, aut Antecessoribus Episcopis approbatos, non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentias illis concessas revocari, nisi nova interveniente causa, quæ ipsas confessiones concernunt, de qua tamen haud necessarium esse, ut in actis constet, nec etiam teneri Episcopum ipsis Regularibus significare, sed Sedi Apostolicæ dumtaxat, ubi eam sibi aperire postulaverit. Porrò si Regulares cum scandalo, aut aliàs inhonestè vivant, aut aliquod delictum committant, per quod rationabili Episcopi judicio videantur a confessionibus suspendi, in quo ipsius Episcopi conscientiam oneratam esse volumus, cùm præcipua ministri Sacramenti pœnitentiæ qualitas sit vitæ integritas, ac morum honestas, utique eam causam ad confessionis ministerium pertinere, ac proinde nihil obstare, quominus ob eam possit Episcopus Regulares a semetipso approbatos suspendere, aut repellere a confessionibus audiendis. Attamen confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius Conventus Confessoribus adimi ab Episcopo, inconsulta Sede Apostolica, nullatenus posse. Ex facultatibus per Mare Magnum, aliave Privilegia Regularibus cujuscunque Ordinis, instituti, aut societatis, etiam Jesu concessis, non esse potestatem absolvendi a casibus Episcopo reservatis. Et per Confirmationes dictorum privilegiorum, quas Regulares a Sede Apostolica post sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia prius ab eodem Concilio, ac deinde Apostolicis etiam decretis sublata atque extincta, si quæ habebant absolvendi a casibus Episcopo reservatis. Et habentes facultatem ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non ideò a casibus Episcopo reservatis posse absolvere. Posse autem Regularem confessorem in diœcesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia diœcesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam diœcesim, pro absolutione obtinenda, migrasse. Vigore supradictorum privilegiorum nequaquam licere Regularibus, etiam satisfacta parte, absolvere pœnitentes a censuris, quoad externum, & judiciale forum, & absolutos in exteriori judicio, & contentioso. Quinimmò censuris Ecclesiasticis irretitos, & denunciatos ab Episcopis cogi posse gerere se pro talibus, etiamsi a Regularibus fuerint absoluti. Quoties exhibitis aliquibus Regularium Apostolicis privilegiis coram Episcopo, ab eo judicetur ipsa non suffragari casui, de quo agitur, si dictorum privilegiorum verba obscura sint, & ambigua, non esse ad Metropolitanum provocandum, sed cùm ejus sit interpretari cujus est concedere, dictorum privilegiorum interpretationem Sedis Apostolicæ judicio, prout aliàs Constitutione Prædecessoris nostri fel. rec. Clementis IV. statutum fuit, esse requirendum.*

CONSULTATIO CLXXV.

Iterùm de exemptione Monialium a superioritate Prælatorum Regularium, deque earum subjectione Ordinariis, ubi alia multa ad rem injucunda.

QUoties apparet Superiores adeò malè tractare suos subditos, ut reputari possit abusus jurisdictionis, tunc sine dubio danda est exemptio. Hostiensis communiter approbatus *in cap. Licèt enim num. 9. de Simon.* ubi Joan. Andr. *num. 13.* Henric. Boich. *ad med.* Abb. *in cap. 2. num. 10. de sequestr. poss. & fruct.* Staphil. *de litt. inst. titul. de rescript. in form. Brev. num. 67.* Roland. *consil. 40. num. 28. lib. 1.* Natt. *cons. 174. num. 11.* Mandos. *de inhib. quæst. 113. num. 2. & quæst. 154. num. 5. & de signat. grat. tit. de exemptionibus, v. Clerici Episcopo subjecti*, plenè Cassador. *decis. 6. de privil.* & Grammat. *decis. 104. num. 11. & seq.* ac Marches. *de commiss. Judic. Sup. part. 2. §. 2. num. 58.* Immò ex quacunque rationabili causa, Faber. *inst. de his, qui sunt sui, vel al. jur. §. Sed hoc num. 7.* Cassad. *d. dec. 6. n. 3. & 4.* 1

Id maximè faciendum videtur, quando constat Prælatos Regulares causam præbuisse, dissensionibus inter Moniales, & in eas sævire, Roman. *cons. 37. num. 1.* Gulielm. de Bened. *in repet. cap. Raynutius num. 56. de testam.* 2

Vel si Moniales expensis graventur, Guido Papa *decis. 62.* & Prælatorum administratio tendat ad destructionem Monasterii, *cap. Venerabilis*, ubi Glos. *v. Suspecti, de offic. deleg. cap. 2. §. priores*, ubi Glos. *fin. de stat. Mon. cap. Licèt, §. qui vero*, & ibi Glos. *v. Et dilapidabat, de simon.* Roman. *cons. 467. num. 8.* Ut propterea Honorius III. *in dict. cap. Venerabili*, statuit providendum esse de coadiutore unius Episcopi, qui erat suspectus de dilapidatione, & malo gubernio Episcopatus, interdicta sibi administratione. Quod exactè observavit Paulus V. in Trullen. Monasterii; ubi dedit Coadiutorem illius Abbati suspecto de dilapidatione, & malo gubernio ex causis in eo expressis, quamvis postea causa in Rota commissa coram Cardinali Sacrato non fuerit justificata, sed data justificatione, Sedes Apostolica providet de remedio. Eoque magis, quia minor causa in tali casu requiritur, quàm in aliis, Fab. *d. §. sed hoc, instit. de his, qui sunt, num. 7.* Et Princeps ipse propter offensam factam uni subdito privatur jurisdictione, & potestate, quam in illum habet, ut per Gulielm. *d. c. Raynutius num. 56.* Præsertim ubi oppressio est manifesta, timendum est, quod in dies magis graviter increscat, & propterea debent Provideri, etiam ex solis conjecturis probabilibus, Specul. *de denun. num. 3.* 3

Atque ita, ut non obstet, quòd testes ad hæc probandum inducti sint Moniales, vel cives suspecti tanquam pars formalis. Tum quia veritas ista nequit aliter probari, quàm per Moniales, & per eos, qui Monialibus inserviunt, *l. consensum, §. super plagi Cod. repud. l. non omnis §. Barbaris, ff. de re mil. cap. Veniens 2. de test. cap. fin. de test. cog.* cum aliis allegatis a 4

Fari-

Farinac. *de testib. qu.* 62. *n.* 5. Tum quia hic non agitur de interesse particulari uniuscujusque ex Jas. *in l. si quis ne causam, C. si cert. pet.* Unde nisi probetur, quòd testes habeant in Monasterio filias, sorores, vel alias sanguine conjunctas, causa ad eos non pertinet, & ideò sunt plusquam integri testes, ut Rota distinxit in Signina quartorum coram Caval. *decis.* 145. *num.* 3. & plenius Add. *ibid. numer.* 14. Tum etiam quia numerus supplet omnem defectum, Glos. *in l. testium fides, §. numerus, ff. de testib.* Becc. *cons.* 85. *numer.* 17. Farinac. *d. q.* 62. *num.* 309. Gregor. XV. *dec.* 340. *num.* 6. & 7. & *decis.* 351. *num.* 4. Præsertim si sint qualificati, & eorum pars major sint nobiles, Presbyteri, Canonici, Dec. *cons.* 463. *num.* 24. Dec. *cons.* 49. *num.* 8. *lib.* 2. Farinac. *de testib. q.* 54. *num.* 48. 130. & *qu.* 55. *n.* 82. & 127. & *q.* 62. *n.* 327. Qui Ecclesiastici eò magis sunt admittendi cùm non sint in causa, quæ agitur nomine Civitatis, non autem Cleri, neque agitur de aliquo interesse particularium, Felin. *in cap. Insuper num.* 17. *de test.* Farinac. *de testib. q.* 60. *numer.* 450. Rot. in Farsen. bonorum 17. Aprilis 1606. coram Pegna, Gregor. *d.* 2. *num.* 45.

5 Unde Moniales hujusmodi Superioribus regularibus possunt resistere ad necessariam tutelam, & ad repellendum oppressionem, *l. ut vin. de just. & jur. cap. dilecto, de sent. excom. in* 6.

6 Item, si interveniat scandalum exortum ex frequenti colloqutione Regularium cum Monialibus, quæ res sicuti scandalosa est, ita opportuno eget remedio, & Moniales sub horum Regularium cura non sunt ampliùs relinquendæ, sed ab eorum superioritate eximendæ, Abb. *in cap.* 2. *numer.* 10. in primo casu *de sequest. pos.* ibique Butr. *num.* 6. Accessus quippe ad monasteria, & alloqutio cum Monialibus est omnibus de jure prohibita, *cap. Monasteria, de vit. & honest. Cler.* latè Mirand. *in man. Præl. tom.* 2. *de Sanctim. quæst.* 4. *art.* 1. *num.* 1. Et frequentantes, quòd intelligitur pro duabus vicibus secundùm Abb. *in dict. cap. Monasteria num.* 3. Gratian. *discept.* 393. *num.* 17. debent de jure puniri, ut per eundem Grat. *ibi num.* 16. Et multò quidem magis hujusmodi accessus est prohibitus Regularibus, etiam proprii Ordinis, ut declaravit S. Congregatio nonis Maji 1590. teste Sorbo *de privil. v. Ingredi Monasteria*, Quaranta *in sum. v. Monasteria Monialium fol.* 451. aliàs 339. Ratione enim scandali extinguendi relaxantur etiam juri præcepta, Rom. *cons.* 333. *num.* 8. ubi jura allegat, Felin. *in cap.* 2. *de præscript. numer.* 2. plura addens, & quòd Judices supremi ratione scandali possunt leges transgredi advertit Rot. *dec.* 753. *num.* 8. *part.* 1. *divers.*

7 Et ad id sufficit contradictio aliquarum Monialium, præsertim si petatur exemptio a seniori parte. Immò sunt eximendæ, etiam ipsis non instantibus, quia Judex debet hoc facere ex officio, Grammat. *d. decis.* 102. *num.* 15. & 17. & cùm actio ista sit popularis, quilibet potest comparere ad tollenda scandala, & occurrendum indemnitati Monasterii, Felin. *in cap. dilecti num.* 2. *de major. & obed. & in cap. cum super num.* 14. *de re jud.* Redoan. *de reb. Eccles. non alien. quæst.* 77. *cap.* 4. *num.* 8. Idque quoties Prælati regulares iniquè turbant, ac molestant Moniales in personis, vel earundem bonis tàm verbis, quàm factis, *leg. Lucius, §. tres hæredes, ff. ad Trebel.* ubi notat Glos. Bart. & alii post Cyn. *in l. quoties in fin. C. de don. quæ sub mod.* Alex. *cons.* 52. *num.* 2. *vol.* 2. Soccin. jun. *cons.* 113. *num.* 38. & *cons. ult. num.* 15. *vol.* 1. Rip. *in l.* 1. *numer.* 2. *ff. de re jud.* Rimin. *cons.* 375. *n.* 6. & Menoch. *de recup. remed.* 1. *numero* 256.

8 Quod multò magis fieri debet, cùm ista sit materia favorabilis eximere Monasteria Monialium a Regularibus, & illa subjicere jurisdictioni ordinariæ, ex quo fit reditus ad jus commune, quo inspecto, omnia Monasteria Monialium sunt subjecta Ordinario, quoad ea, quę sunt de lege jurisdictionis, Abb. *in cap.* 1. *de statu Monachor. & in cap. Dilectus, de Offic. Ord.* Bertachin. *de Episcop. lib.* 4. *p.* 2. *q.* 35. *n.* 80. *cum seq.*

Et generatim etiam jure communi statuitur propter abusum rerum, iisdem malè utentem privari, easque amittere. Hinc per omnes humanæ societatis gradus vetita est sævitia, vetita est abusio potestatis. Hinc speciatim patronus fiduciarius olim etiam si clienti fraudem fecerat, censoria nota sacer erat, Balduin. *ad leg.* 12. *tabul. cap.* 5. Sic in herili potestate invisa fuit Jovi sævitia Domini, teste Livio, proptereaque servus sevitia, fame, obscenitate passus, venire jussus est *l.* 1. & 2. *ff. de his, qui sui, vel al. leg.* 1. *§.* 8. *ff. de offic. Præf. Urb. l.* 24. *ff. sol. matrim. leg.* 1. *Cod. de emend. ser.* Ita pater, & si vitam, quam filio dederat, eripere quondam impunè

poterat, *l.* 11. *ff. de lib. & posth. leg. fin. Cod. de patr. potest.* postmodum tamen ob ferociam filium emancipare cogebatur, *l. fin. ff. si quis a patr. manum. l.* 1. *§. fin. de lib. ex trib. l.* 5. *ff. ad leg. Pomp. de parric. l. un. C. de emend. propinq. l.* 3. & 4. *Cod. de patr. potest. l. si lenones, C. de Episcop. aud.* Sic etiam præceptoris sævitia culpæ annumeratur, *l.* 5. *§. si Magister, l.* 6. *ff. ad leg. Aquil. l. Item quæritur, §. Julianus, ff. locati*, Mascard. *concluf.* 999. Sic a Societate ante tempus recedere licet ob immodicam socii sævitiam *l. si convenerit ff. pro socio.* Sic Imperator indignum se se imperio gerens, Imperii fastigio dejicitur, *cap. ad Apostolicæ de sent. & re jud. in* 6. Canonistæ *in cap. venerabilem de elect.* Paris. de Put. *de syndic. c. de excess. Imper.* Lancellott. *in templ. Judic. c.* 1. *§.* 2. *quæst.* 6. Daniel Ottho *de jur. public. c.* 10. Parlador. *lib.* 1. *rer. quotid. cap.* 3. *n.* 8. Cujus rei exempla apud Trithem. *Chron. Spanheim an.* 1400. & Minsinger. *decad.* 6. *resp.* 16. *num.* 6.

Et Principem, uti & quemvis alium Magistratum per 9
nimiam sævitiam, quæ tamen in iis non præsumitur testimonio Mascardi *de probat. concluf.* 193. *nu.* 6. *vol.* 1. Gail. *lib.* 1. *obs.* 17. *n.* 7. Menoch. *lib.* 2. *præsumpt.* 60. *n.* 7. juridictione sua abutentem, ea privari posse, notatur expresse per textum *cap. in quibusdam, §. Sacri, extr. de pœn. arg. §. sed hoc tempore* 2. *Instit. de his, qui sunt sui, vel al. jur. l.* 2. *ff. eod.* Cravet. *cons.* 597. *num.* 3. Menoch. *in resp. caus. Finar. art.* 3. *n.* 12. & *seq.* Boer. *decis.* 304. *part.* 1. Ludovic. Peguer. *quæst. crim.* 36. *per tot.* Fachin. *consil.* 19. *num.* 16. Roman. *cons.* 523. *n.* 14. Gram. *dec.* 184. Foller. *pract. cens. fol.* 489. *n.* 39. Mising. *cent.* 5. *obs.* 8. Gail. *d. obs* 17. *n.* 2. & *seq.* & *de pac. publ. c.* 2. *num.* 22. Mandos. *de inhib. q.* 104. *n.* 5.

Hinc & subditi obsequio, fide, sacramentique vincu- 10
lo liberantur, si Princeps concesso dominatu ob sævitiam, aut proterviam præposterè abutatur, per *c. scelus, q.* 1. Luc. de Pen. *l. si Coloni n.* 12. *C. de agric.* Bart. & Bald. *ad l.* 2. *ff. de his, qui sui*, Mising. *d. obs.* 17. Mandos. *ubi supra*, & *c.* 103. Ayell. *de jur. adohæ n.* 23. Fab. 3. *C. tit.* 18. *def.* 2. Modit. *§. Magistratum dub.* 5. Paris. de Put. *tit. de excess. Imper. n.* 12. & *de excess. Reg. c.* 1. & 2. Azeved. *lib.* 4. *ad const. Hisp. tit.* 15. *leg.* 6. *n.* 5. & *lib.* 6. *tit.* 4. *leg.* 22. *n.* 8. Petr. *de jur. quæst. c.* 8. *n.* 76. Roman. *cons.* 523. Curt. Jun. *cons.* 297. *n.* 3. Boer. *decis.* 55. Guido Pap. *decis.* 62. Afflict. *decis.* 265. *num.* 72. Cabed. *decis.* 8. *num.* 1. *p.* 2. Unde laudabile Parisiensis Curiæ edictum. *Abutens imperio privatur*, Papon. *lib.* 13. *arest. tit.* 2. *art.* 5. & *lib.* 23. *tit.* 5. *art.* 12. Coppin. *de doman. lib.* 2. *tit.* 8. *art.* 10. Carond. *lib.* 2. *resp.* 17. & Jo: Gail. *q.* 340.

Ita & quilibet alius abutens privilegio sibi concesso, 11
meretur id amittere, Glos. *in cap. suggestum* 9. *de decim. cap.* 60. *privilegium* 11. *quæst.* 3. *capit.* 7. *d.* 74. *cap. ut privilegia, & cap. tuarum, de privil. l. qui sine, de neg. gest. l. Iudæos* 11. *C. de Iud. cap. licèt quibusdam* 18. *de Regular.* Gail. *de arest. Imer c.* 10. *n.* 13. Carol. Tap. *in l. fin. ff. de constit. Princip. c.* 7. *part.* 2. *n.* 1. Siquidem prætextu privilegium flagitiorum authoritatem crescere, & publicam utilitatem vacillare non oportet, *l.* 2. *Cod. de privil. scol. & est textus in auth. de mand. Princip. §. quod si delinquentes*, ibi: *non permittas privillegiis aliquibus uti nocentes, & in cap. Abbat. de verb. signif.*

Sic quoque Judex privatur jurisdictione, qua abuti- 12
tur, Paris. de Put. *de synod. vers. barateriæ*, ubi allegat *l. Judicis*, & ibi tenet idem Jo: de Plat. *Cod. de dignit. lib.* 12. Cyn. & Bald. *in l.* 2. *§. dominorum de his, qui sunt sui, vel al. jur.* Jacobin. *in tr. de feud. §. Marchio num.* 1. & *de jurisd. num.* 46. & *seq.* Simili Modo pater, & si habet usumfructum, & legitimam administrationem in bonis liberorum adventitiis, *l.* 1. *Cod. de bon. mat.* tamen, si ea dissipet, vel noceat liberis in sua administratione, jure ea privatur, Alex. *in l. Imperator num.* 6. *ad Trc.* Ar. Pinel. *in d. l.* 1. *n.* 33. *C. de bon. mater.* Quin & idem officium erga filium, quod in pietate, non attrocitate consistere debet, *l. Divus Hadrianus* 5. *ad l. Pomp. de parricid.* Volz. *in com. ad l. Cornel. de sicar. l.* 7. *num.* 16. malè usurpans, officio Judicis implorato, ad emancipationem compelli potest, *l. fin. ff. si quis a paren. manum. fuer.* Glos. in *§. fin. v. Penè, quibus mod. jus patr. pot. solv.* Gail. *d. observat.* 17. *num.* 5.

Hinc & de vasallo statuunt feudistæ, quòd in subdi- 13
tos infeudatos sævienti, & homines in jurisdictione infeudata habentes malè tractandi feudum auferatur, & applicetur Domino, Angel. *in auth. qui rem, Cod. de Sacrof. Eccles.* Græveus *concluf.* 16. *consid.* 1. *num.* 14. *lib.* 2. Fab. *lib.* 3. *Cod. tit.* 18. *def in.* 2. Husan. *de prop. homin. c.* 8. *n.* 27. & 28. Cabed. *decis.* 8. *n.* 1. *part.* 2. Thom. Mich. *de jurisd. concluf.* 135. Mandos. *de inhib. q.* 103. *n.* 5. Papon. *lib.* 15. *tit.* 1. *art.* 13. & 21. & *lib.* 23. *tit.* 5.

art. 4. Boff. tit. de Principe num. 57. Zoanet. de dupl. venat. num. 75. Coppin. de dom. lib. 2. tit. 8. num. 10. Maſtril. deciſ. 13. num. 19. Urſil. ad Afflict. deciſ. 265. num. 17. Petr. de poteſt. Princip. cap. 5. num. 120. ex Bero. conſ. 81. num. 19. & ſeq. vol. 1. ubi dicit, Innocentium Quartum privaſſe Federicum Regno Siciliæ propter illicitas, & inconſuetas exactiones, quas faciebat, ubi & ipſe Berous conſulit contra Hippolytum Paganum, quem ea de cauſa, quòd eſſet exquiſitus inventor impoſitionis novorum onerum, a Duce Ferrariæ Comitem creatum, & Caſtro quodam inveſtitum, ob illicitas tamen exactiones, & onera, ſubditis impoſita, ad eorumdem querelam non multò poſt rurſus feudo privatum fuiſſe. Generatim inſuper de feudo ob abuſum domino auferendum loquuntur Vaſq. *Illuſtr. contr. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 17. Schoner. *diſp. feud.* 10. *Theſ.* 50. *lib.* 1. Vult. *de feud. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 36. *in fin.* Schrader. *part.* 9. *cap.* 6. *num.* 61. *ampl.* 1. Zaſ. *part.* 10. *num.* 56. Vveſembec. *cap.* 15. *num.* 6. & ſexcentis congeſtis a Roſental. *in ſynopſ. feud. cap.* 1. *concluſ.* 33. *num.* 45. 38. & 59. Hoc enim pacto ſuperior feudi Dominus contra vim, iniquitatem, & crudelitatem vaſalli ſui ſubditos meritò tuetur, ac defendit, id quod fieri publicè maximoperè intereſt, *arg. §. fin. cum l. ſeq. ff. eodem tit.*

14 Sicuti & maritus ob nimiam auſionem juris in uxorem ſuam, ſævitiamque intolerabilem privatur uxore, & meretur menſæ, thoriſque ſeparationem, Bald. *in l.* 1. *num.* 9. *Cod. de legat.* Schruf. *conſ.* 42. *per tot. cent.* 2. Gail. *d. obſ.* 17. *num.* 5. *per text. in cap. literas, §. fin. de reſtit. ſpol.* & Gloſſ. *in cap. benedicto* 33. *qu.* 1. *v. ſub cautela*, quibus adde Uran. *tom.* 2. *conſ.* 66. *per tot.* Pacian. *conſ.* 66. Fachin. *conſ.* 42. *volum.* 1. Natt. *conſil.* 616. Decian. *conſ.* 26. *vol.* 4. Græveum *concluſ.* 17. *conſid.* 3. *lib.* 1. Laurent. *deciſ. Aven.* 141.

15 Pariter fructuarius frui a Domino juſtè prohibetur, ſi notabiliter reddat deteriorem proprietatem cædendo arbores frugiferas, vel ſimile damnum dando, *l. & eleganter* 7. *§.* 1. *de dol. l.* 2. *ff. ſi uſufructus pet. l. hoc amplius* 9. *§. fin. ff. de damn. infect.* Vveſembec. *in paratit. ff. quib. mod. uſufruct. amit. fin.* Sic & colonus malè utendo fundo, corrumpendoque eum, jure ſuo cadit, & expelli poteſt, *l.* 3. *Cod. locati*. Similiter quoque prodigus, qui bona ſua dilapidando, & diſſipando profundit, meretur interdictionem adminiſtrationis bonorum ſuorum, & conſtitutionem curatoris, ſicut furioſus, per *tot. tit. ff. de cur. fur. & §. furioſi*, ibique Doctores, *inſtit. de cur.* Hinc probari aliquem eſſe prodigum, ſi ei curator bonorum ſit datus, teſtatur Bart. *in l. is, cui, bonis, ff. de verb. oblig.* Sic denique Emphyteutæ etiam res emphyteutica propter ejuſdem abuſum, & ſi eam notabiliter deteriorem fecerit, licitè auferetur *l. jubemus* 14. *§. rem, Cod. de ſacroſ. Eccl.* ubi etiam Paul. de Caſtr. & Jaſ. *n.* 6. Cæpol. *conſ.* 25. *num.* 11. Aurel. Corb. *de jur. emphyt. cap.* 4. *num.* 1. Modeſt. Piſt. *conſ.* 48. *n.* 17. *lib.* 1.

16 Etenim ſi is Protector, qui contra fidem datam tempore neceſſitatis a clientibus invocatus, eos indefenſos relinquit, jus protectionis perdit, is utique qui in fidem ſuſceptos injuſtè oſtendit, ac turbat, multo magis eo privandus eſt. Siquidem delictum conſiſtens in commitendo gravius eſt delicto conſiſtente in omittendo, Gloſs. Bald. Innoc. Alex. Caſtr. Aret. & alii *in l. ſi mora* 9. *ff. ſolut. matrim.* Quod ipſum confirmatur per Ulpiani reſponſum *in l. altius* 15. *ff. ſi ſervit. vindic.* ubi accomodatè ad propoſitum ſcribit, quòd is, qui alium facientem ex officio prohibere neceſſe habet, id ipſe committere non debeat. Et non obſcurè per Julianum *in l. ſi negotia* 13. *ff. mandati*, ubi textus dicit, eum, qui alterius negotia adminiſtranda ſuſcipit, idem præſtare debere in ſua perſona, quod in aliorum. In idem recidit Ruin. *conſ.* 43. *col. pen. lib.* 1. Cæphal. *conſ.* 427. *num.* 4. Quibus adde Viv. *lib.* 2. *deciſ.* 233. *num.* 2. Caccialup. *in rep. leg. fratres, ff. de condit. indebit. num.* 19. nam jus, & injuria ſe compati nequeunt *arg. l. meminerit, Cod. unde vi.* Piſtor. *conſ.* 19. *num.* 28. *vol.* 1.

17 Iſta tamen, quæ de privatione juriſdictionis ex abuſu cauſata, hactenus in medium prolata ſunt, ea moderatione accipienda ſunt, ut procedant iis tantùm in caſibus, quando ſubditi a ſuis dominis, & Prælatis, clientes a ſuis protectoribus, injuſtè, & iniquè turbantur, aut moleſtantur, ſecus autem ſi ab ipſis ſubditis ad hoc provocati, vel aliàs ipſi Prælati juris, rerumque ſuarum tuendarum cauſa aliquid contra eos faciant. Moleſtare namque non dicitur, qui id facit ex cauſa ſibi per alterum data, prout decidit Bartol. *in l. Item quæro, §. inter locatorem; ff. loc.* Menoch. poſt alios *lib.* 3. *præſumpt.* 38. *num.* 4. Sic etiam non ſtatim, aut ob id juriſdictionis abuſus inſimulari poſſunt Prælati, quando ob jurium, rerumque ſuarum conſervationem, juſto modo ſubditos judicialiter conveniunt, Menoch. *conſ.* 230. *num.* 16. & *ſeqq.* quia non inducitur privatio; niſi moleſtia inferatur de facto, & injuſtè, Surd. *de alim. tit.* 9. *quæſt.* 26. *num.* 9. *in princip.* & notant in ſimili Curt. jun. *conſ.* 173. *num.* 13. Corſet. *in ſign. incip. Moleſtia*, Ber. *conſ.* 2. *num.* 9. *vol.* 3. Bald. *in l. unic. num.* 27. *Cod. de his, quæ pœn. nom.* ubi quòd teſtator mandans uxorem non moleſtare, intelligi debeat de moleſtia malo modo, & malo animo illata, & hoc modo intelligit quoque Decian. *conſ.* 581. *num.* 11. ubi amplius ait, quòd, & ſi aliquando veniat etiam moleſtia juris, tamen intelligitur de ea, quæ infertur extra judicium de facto, non de judiciali, vel etiam quando in judicio quidem infertur, ſed per calumniam, & malo animo. Quia moleſtiam, non injuriam infert, qui utitur jure ſuo, *l. injuriarum in princip. ff. de minor. l. nullus videtur, ff. de reg. jur. l.* 3. *§. ſi is tamen, ff. de lib. hom. exhib.*

CONSULTATIO CLXXVI.

An Ordinarius poſſit compellere Regulares exemptos ad intereſſendum generalibus, ſive Synodalibus Congregationibus pro tuenda immunitate Eccleſiaſtica, rebuſque aliis concernentibus indiſtinctè commodum tàm Clericorum ſæcularium, quàm etiam ipſorum Regularium exemptorum?

ET affirmativè reſolvendum eſt. Licèt enim regulariter Abbates, aliique Regulares exempti, carentes animarum cura, populo, & capellis Epiſcopo ſubjectis, de jure ad Congregationes Synodales accedere compelli nequeant, ut firmant Doctores *in cap. Quod ſuper, de major. & obed.* fallit tamen regula, quando hujuſmodi Congregationes convocantur ex gravi cauſa communi ipſis Regularibus, Ricc. *deciſ.* 446. Pax Jord. *de re benef. tom.* 1. *tit. de Synod. diœceſ. num.* 54. Concurrente maximè conſuetudine decennali, quæ cùm non ſit contra jus, ſatis eſt ad obligandum dictos Regulares, idem Pax Jord. ubi ſuprà *num.* 67. Quod autem immunitas Eccleſiaſtica ſit de negotiis gravibus, immò de graviſſimis, æquè ſpectantibus ad Clerum ſæcularem, & regularem, nemo eſt qui dubitet. Et ita ſæpè cenſuit Sac. Congregatio ſuper Epiſcopis, & Regularibus, præſertim in Majoricen. & generatim pro rebus ſpectantibus ad mores, & ad totum Clerum, declaravit Sacra Congregatio Concilii. 1

CONSULTATIO CLXXVII.

An laici poſſint eligere ſepulturam in Eccleſiis exterioribus Monialium? & quatenus negative, ubi ſint ſepeliendi?

NOn poſſunt, ſi hujuſmodi Eccleſiæ non habeant jus ſepulturæ, vel ex privilegio, vel ex indulgentia ſpeciali. Ita deſumo *ex cap. In noſtra de ſepult.* Illudque concedere ſpectat ad Epiſcopum ex jure communi, Abb. & alii in *cap. pen. eod. tit.* Sebaſt. Medic. *de ſepult. quæſt.* 6. *num.* 6. Selv. *de benef. part.* 1. *qu.* 5. *num.* 102. Villalob. *in ſumm. part.* 2. *tract.* 2. *diff.* 1. *num.* 4. & 5. & reſolvit Rota coram Cavaler. *deciſ.* 15. *num.* 2. ubi ſubdit, Legatum a latere id quoque poſſe. Et in ſpecie quòd corpora laicorum ſive virorum, ſive mulierum nequeant ſepeliri in Eccleſia exteriori Monialium, licèt ſolvere vellent pœnam Synodalem, declaravit expreſsè Sacra Congregatio ſuper Epiſcopis, & Regularibus in Maceraten. 8. Novembris 1652. ac niſi de licentia ejuſdem Sacr. Congregationis, & conſenſu Monialium, ut in Feretrana 21. Novembris 1603. Quam licentiam requiri, etiam pro ibi conſtruendo ſepulchro decrevit eadem Sacr. Congregatio in Ferrarien. 12. Julii 1604. illamque concedere ſolet perſonis benemeritis, vel cum eleemoſyna competente, ut in Meſſanen. 6. Auguſti 1601. apud Nicol. *in Floſcul. v. ſepultura numer.* 5. & Marchett. *in pr. Vicar. Capitul. part.* 3. *tit.* 34. *§.* 5. *num.* 131. & probè, ac plenius *§.* 1. *num.* 24. & *ſeq.* ac luculenter eadem Sac. Congregat. in Foroſempronien. 23. Auguſti 1652. per hæc verba, Epiſcopo. *Eſſendo portato alla notizia della Sacra Congregazione, che ſi penſi di ſepellire il cadavero di D. Marchionne, moglie del Ciruſico di coteſta Città nella Chieſa delle Monache di S. Bernardo, dove ſi ha eletto la ſepoltura, queſti Eminentiſſimi miei Signori mi hanno comandato di avvertire a V. Sig. che*

che eſſendo ciò contro i decreti della medeſima Sacra Congregazione non lo permetta in verun modo ſenza eſpreſſa licenza dell' EE. loro. Glielo ſignifico, e Iddio la proſperi. Et in Gravien. 1. Octobris 1560. ibi: *Nelle Chieſe anche eſteriori delle Monache non ſi ponno ſepellire eſteri, e foraſtieri, nè uomini, nè donne, nè anche Principi, ancorchè vi foſſero ſepolti i loro maggiori.*

2 Unde non refragatur *cap. Ubicunque* 13. *quæſt.* 2. qui eſt Concilii Triburienſis, cujus hæc ſunt verba: *Ubicunque temporum, vel locorum facultas tulerit apud majorem Eccleſiam, ubi ſedes eſt Epiſcopi, ſepulturæ celebrentur. Si autem propter temporis, vel loci aſperitatem hoc difficile fuerit viſum, apud Eccleſiam, in qua religioſorum Canonicorum, vel Monachorum, vel Sanctimonialium religioſa Congregatio communiter degerit, ſepeliatur. Si autem & hoc ineptum viſum fuerit, ubi quis decimas perſolvebat vivus, ibi ſepeliatur, & mortuus.* Nam ceſſant modò rationes canonis. Tum quia loquitur non de facultate eligendi ſepulturam in Eccleſiis Monialium, ſed de neceſſitate temporum, vel locorum. Tum etiam, quia & hoc ipſum tanquam ineptum a S. Congregatione ſæpiùs declaratum eſt, ac proinde immeritò urgetur.

3 Pariter repellitur objectio deducta ex declaratione Gregorii XIII. quam refert Marzil. *in declar. lib. 1. cap.* 10. & ex eo Portel. *in dub. regul. v. ſepultura num.* 14. ex quo Pelliz. *de Monial. cap. 7. num.* 10. dicentes, illum declaraſſe, corpora volentium ſepeliri in Monaſterio Monialium debere ſepeliri in Eccleſia exteriori, & non intra clauſtra. Tum quia de hac declaratione non conſtat authenticè. Tum quia, etiamſi conſtaret, intelligenda eſt juxta *dict. cap. in Noſtra de ſepult.* dummodò ſcilicet ex privilegio, vel ex indulgentia ſpeciali liceat Eccleſiis Monialium laicos ad Eccleſiaſticam ſepulturam recipere, qui apud illas elegerint ſepeliri. Præſertim quia præſumitur, quòd Summus Pontifex non tollat jus alienum, nempè Epiſcopi quoad deſignationem ſepulturæ, & Parochi quoad emolumenta funeralia, *cap. Super eo, de offic. deleg.* & notat Felin. *ibid. num.* 3. ac Gomez *ad reg. de non tollen. jur. quæſ. qu.* 5. Tum quia eſt revocata contrariis, ac poſterioribus decretis S. Congregationis ſupra deductis. Conſtitutionis enim tempore poſteriores potiores ſunt eis, quæ ipſas præceſſerunt, *l.* 4. *ff. de conſtit. Princip.*

4 Hoc ipſo modo enervatur, quòd Eccleſiæ omnes Regularium, ac proinde Monialium, quæ a Regularibus reguntur, illorumque privilegiis gaudent, habeant ex privilegio jus ſepulturæ ex *Clem. Dudum de ſepult.* Nam id intelligendum eſt, quatenus illa earum ſexui, & ſtatui non contradicunt, ſive quatenus illorum ſint capaces juxta ea, quæ tradunt Suar. *de legib. lib.* 8. *cap.* 10. *num.* 7. Rodrig. *quæſt. reg.* 13. *art.* 22. *tom.* 2. Bonac. *diſp. de legib. quæſt.* 3. *punct.* 7. §. 2. *num.* 2. Paulus *part.* 1. *op. mor. tract.* 3. *diſp.* 4. *punct.* 12. *num.* 1. Tambur. *de jur. Abbat. tom.* 1. *diſp.* 17. *quæſt.* 1. & *de jur. Abb. diſp.* 17. *per tot.* Aliàs enim cederent non in earum favorem, ſed in odium. Quod eſt alienum a mente Pontificum, ut per Suarez *dict. lib.* 8. *cap.* 17. *a num.* 3. *arg. cap. ultim. de obſerv. jejun.* Contradicit autem earum ſexui, ac ſtatui recipere laicos ad earum Eccleſiarum exteriores ſepulturas per declarationes Sac. Congregationis, ſuperius relatas. Quia per textum *in cap. fraternitatem, de ſepult.* mortuorum ſepulchra, & cœmeteria apud illas Eccleſias, & Monaſteria ex antiquo ſunt diſpoſita, in quibus religioſorum fratrum conventus ſunt conſtituti, & orationes, atque miſſarum ſolemnia, tàm pro vivis, quàm pro defunctis frequentiùs celebrantur, unde ipſorum devotioni, & extremæ voluntati, qui apud hujuſmodi Eccleſias ſepeliri deſiderant, minimè contradicendum eſt. Atqui Moniales omnes regulariter profitentur vitam contemplativam, ac monaſticam, ideòque ferè omnes in proprio gradu Monachorum continentur, quia certum eſt, vitam miſtam ex contemplatione, & actione ſpirituali verſante in miniſteriis erga proximos non habere locum in Religionibus fœminarum, cùm fœminæ non ſolùm ſint incapaces Ordinum, ſed etiam docendi munus ipſi denegetur juxta 1. *Cor.* 14. Præterquam quòd aliud actionis genus conſiſtens in uſu operum miſericordiæ corporalis eſt minus accommodatum Religioni fœminarum, ſicque regulariter minus decet, illud aſſumi ab eis, ut proprium finem, licèt alioqui dicta opera commodè exerceri poſſint a fœminis, juxta Apoſtolum 1. *Cor.* 5. Obſtat quippe obligatio clauſuræ, per quam Moniales prohibentur exire extra clauſtrum ad exercenda dicta opera, quod tamen eſſet omninò neceſſarium. Unde cum occaſione electionis ſepulturæ, ac funeralium relinquatur hujuſmodi Eccleſiis ab ibi ſepelientibus legata perpetua, vel ad tempus promiſſis, non poſſunt dictæ Miſſæ celebrari a Monialibus, neque a Regularibus, non ſolùm ne detur illis occaſio vagandi, ut cenſuit Congregatio Concilii 1648. ſed etiam loquendi cum Monialibus. Unde Sac. Congregatio Epiſcoporum in una Venetiarum 9. Auguſti 1595. ita reſcripſit Patriarchæ: *Perchè nelle Chieſe eſteriori delle Monache ſi ritrovano molte Capelle con obbligo di Meſſe da dirſi da' Frati, la Congregazione, per levar quella prattica, ordina, che dette Capelle ſi trasferiſcano nelle proprie Chieſe de' Frati, laſciando in quelle delle Suore ſolamente una Meſſa.* Et in Lucana 22. Decembris 1628. decrevit, quòd Moniales ſingulis Miſſis pro ſingulis diebus debent eſſe contentæ, exceptis diebus celebrationis propriorum feſtorum, vel exequiarum alicujus Monialis. Poſſunt item permitti duæ in Monaſteriis ita numeroſis, ut omnes eidem Miſſæ nequeant intereſſe.

Hinc Origenes *hom.* 2. *in Num.* tractans illud: *Homo ſecundùm ordinem ſuum incedat*, ſubdit, *quid autem, & de Virginibus dicam, aut de continentibus, vel omnibus, qui in profeſſione Religionis videntur? Nonne ſi quid inverecundum aut petulans, ſi quid protervum, aut quomodolibet a ſuis inſtitutis extraneum geſſerint, arguit eas continuò Moyſes, & dicit, homo ſecundùm ordinem ſuum incedat?* Ex quibus deducitur ratio hujuſmodi prohibitionis. 5

Neque a Sacerdotibus ſæcularibus, ne detur anſa turbandi pacem, & quietem Monialium ex quotidiana illorum celebratione, quæ ſæpiùs cauſa eſt plurium turbarum. Unde Sacra Congregatio ſuper Epiſcopis in Camaldulenſium Piſarum 25. Maii 1619. cenſuit, quòd ubi fieri poteſt removeri debet Parochia ab Eccleſiis Monialium. Quòd Bullæ Apoſtolicæ de cura in Eccleſiis Monialium, ſolitæ exerceri per Curatum amovibilem reputantur ſubreptitiæ, vel falſæ, ut in Januen. 15. Januarii 1602. Et quòd ubi removeri non poteſt, caveat Parochus, ne claves Eccleſiæ exterioris alicui conſignet, ut in Bononien. 15. Septembris 1617. Et cùm quæreretur in Sac. Congregatione Concilii in Urbinaten. 10. Martii 1663. *ad cap. 7. ſeſſ. 21. de ref. & ad cap. 5. ſeſſ. 25. de Regul.* an ex eo, quod Eccleſia Parochialis, quæ communis eſt cum Monialibus, quod incongruum eſſe videtur, quia turbari poſſunt occaſione matrimoniorum, quæ in ea contrahuntur, vel occaſione mortuorum, qui ad illam deferuntur, maximè verò ſi noctu homines in ipſa excubare neceſſe ſit, & ipſi Parocho eſt incommoda, quia in multis functionibus a Monialibus pendet, & aſſiduè conqueritur, vel de paramentis Eccleſiæ, vel de diſtributionibus eleemoſynarum, funeralium, & ſimilium. Unde libenter, & Parochus, & Moniales ſeparationi Eccleſiæ acquieſcerent, poſſit Epiſcopus demandare, quòd hujuſmodi Parochus exerceat jura Parochialia in Eccleſia Confraternitatis laicorum exiſtente in ipſa Parochia, Sac. Congregatio reſpondit, poſſe, accedente concurſu Confraternitatis. Et hac ratione Sac. Congregatio ſuper Epiſc. in Bononien. 2. Maji 1600. declaravit, quòd imagines miraculoſæ reponi non debeant in Eccleſiis Monialium, ne inducatur frequentia ad earum Monaſteria, & quòd neque numerus Miſſarum, neque Capellaniæ non amovibiles eis ſint permittendæ 14. Decembris 1646. Quam ob cauſam antiquitus Monaſteria Monialium in ſolitudine conſtruebantur, ne populari frequentia devotio regularis impediretur, *cap. luminoſo* 18. *quæſt.* 2. Prætereà negatur, quòd Moniales communicent in privilegiis Regularium. Quia privilegia non communicantur ratione regiminis præcisè, ſed ratione ejus inſtituti, & regiminis ſimul. Quia ſolùm regimen non currit in eadem regula, & profeſſione, ut advertit Hurtad. *tom.* 2. *moral. reſolut. tr.* 2. *cap.* 1. *in digreſſ.* §. 3. *num.* 2232. 6

Neque etiam contra tàm rectè conſtitutum a Sac. Congregatione ſenſus vulgi contrarius alicujus momenti cenſendus eſt, quòd nimirum unicuique liceat ſibi eligere ſepulturam in quocunque loco ſacro maluerit per textum *in cap. Cum liberum, de ſepult. & ſimilibus.* Nam id obtinet, niſi obſtet impedimentum temporale, ut quia Eccleſia eſſet interdicta. Durante enim interdicto, non poteſt aliquis in ipſa ſepeliri juxta *cap. Quod in te, de pœnit. & cap. Si civitas, de ſent. excom. in 6. & cap. 1. de ſepult.* Vel impedimentum perpetuum, ut ſi Eccleſia non habeat jus ſepeliendi, aut adſit aliqua prohibitio, ne in illa aliquis ſepeliatur. Utrumque autem tum ex jure communi, tum ex declarationibus relatis in hoc caſu concurrere probatum eſt. 7

Ad extrema non urget aliqua fortaſſis conſuetudo contraria, neque quòd Epiſcopus poſſit Eccleſiis exterioribus Monialium concedere jus ſepulturæ. 8

9 Nam quoad primum, atteſtationes, quæ dantur, ſunt forſitan fides extrajudiciales, quæ nullum conſtituunt gradum probationis, Cæſ. de Graſs. *deciſ.* 2. *num.* 13. *de ſponſ.* Seraph. *deciſ.* 106. *num.* 3. Rot. *deciſ.* 780. *num.* 1. *part.* 1. *diverſ.* Gregor. *deciſ.* 214. cum ibi latè deductis poſt Add. Tum quia ſunt factæ ab ipſis Monialibus, & ideò illarum teſtimonium in cauſa propria non probat, *l. nullus, ff. de teſtib. l. omnibus, Cod. eod.* ac fusè Farinac. *de oppoſ. contr. perſ. teſt. quæſt.* 60. *num.* 2. ac Rot. *deciſ.* 700. *num.* 32. *part.* 2. *div.* Tum quia quòd clam factum eſt, nulla juſta exceptione ſe tueri poteſt, *l.* 1. *§.* 3. *ff. quod vi.* Sive quod latenter, aut per vim, vel aliàs illicitè introductum eſt, nulla debet ſtabilitate ſubſiſtere, *cap.* 5. *de reg. jur.* Tum etiam quia quatenus probaretur, nullius eſſet conſiderationis propter decreta S. Congregationis, quæ id prohibent, præſertim in illa Foroſempronienſis, in qua appoſitum eſt decretum irritans, ibi: *non lo permetta in verun modo.* Quæ verba non ſolùm important nullitatem actus ipſo jure, Gloſs. *in auth. Si qua mulier, Nullatenus, Cod. ad Vellejan.* quam ſequuntur Cardin. *in cap. Super literis num.* 5. *in fin.* ibique Barbat. *num.* 82. *de reſcript.* Grammat. *conſ. crim.* 3. *num.* 12. ac Rot. *deciſ.* 24. *num.* 2. *part.* 2. *diverſ.* Sed etiam habere virtutem decreti irritantis, poſt alios firmat Imol. *in Clem.* 1. *num.* 20. ubi etiam Cardin. *ſi quis autem ſub num.* 6. Jaſon alios adducens *in l. Scriniarios num.* 9. *Cod. de teſt. mil.* ac Felin. *in cap. Ex literis num.* 7. *de conſtit.* & adſtipulatur Rot. *dec.* 24. *num.* 4. *part.* 2. *diverſ.* atque adeò inficiunt poſſeſſionem, ac titulum, *c. Si eo tempore, de elect. in* 6. Gabr. *de reſtit. ſpol. concl.* 4. *num.* 49. Caputaq. *dec.* 325. *num.* 2. *part.* 1. & *dec.* 345. *num.* 2. *part.* 3. Rot. *deciſ.* 913. *num.* 7. *part.* 1. & *deciſ.* 710. *num.* 6. *part.* 2. *rec.* Eòque magis, quando prout in hoc caſu, prohibitio eſt appoſita in decretis generalibus S. Congregationis, illis verbis: *Eſſendo ciò contro i decreti della medeſima Sacra Congregazione* quæ faciunt jus commune, ut per Gonzal. *ſuper reg.* 8. *gloſs.* 31. *num.* 8. *gloſ.* 67. *num.* 29. & fuit reſolutum in Derthuſen. Vicariæ 22. April. 1624. coram Merlino. Ut proinde Moniales ejuſmodi teneantur reſtituere corpora, vel oſſa defunctorum, ſi petantur, & omnia, quæ eorum occaſione perceperunt per textum *in cap. Ex part.* 5. *in dict. cap. cum liberum* 6. & *in cap. in noſtra de ſepult.* & declaravit S. Congregatio ſuper Epiſc. in Sarzanen. 29. Novembris 1622. Maximè ſi corpora fuerint ſepulta in loco, vel capſa ſeparata, & eorum contemplatione relictum fuerit annum legatum Eccleſiæ tumultuanti, ut in Mediolanenſi 17. Februar. 1593. & 13. Julii 1638. ac 5. Julii 1643. Alioquin incurrunt in excommunicationem latam in Bulla Cœnæ, tanquam uſurpantes jura parochialia, de quo alibi.

10 Et quoad ſecundum non poterit ſuſtineri, cùm lex Superioris per inferiorem tolli nequeat, *Clem. Ne Romani ſub init. de elect.* ubi Gloſ. *v. inferiorem*, *c. Quod ſuper his de major.* & *obed.* ac Doctores communiter.

11 Ex quibus rectè ſequitur, quòd ſepeliendi ſunt, prout de jure ſepeliri debuiſſent, ac ſi nullam elegiſſent ſepulturam. Nam cùm electio ſepulturæ non poſſit ſortiri effectum, perinde ſe habet, ac ſi non præceſſiſſet, *l. ſi quis ſub conditione, ff. de teſt. tut.* & *l. ex ſenſu*, *§.* 1. *ff. de appell.* ac proinde ſubintrat diſpoſitio legis, ceſſante diſpoſitione hominis. Sicut enim diſpoſitio hominis facit ceſſare proviſionem legis, *l. fin. C. de pact. conv.* ita è contra ſubintrat diſpoſitio legis, non extante diſpoſitione hominis.

12 Neque audiendi ſunt Genuenſes *in pr. cap.* 76. *num.* 5. & Lavor. *var. tit.* 2. *cap.* 11. *num.* 1. dicentes, ſepeliendos eſſe ubi Epiſcopus, aut ejus Vicarius arbitrabitur. Quia inquiunt, non poteſt dici, quòd non elegerint ſepulturam, nec habuiſſe intentionem, ut ſepelirentur in Parochiali, & proinde arbitranda eſt electio ſepulturæ, habita ratione ad eorum devotionem, & affectionem.

13 Nam hoc pacto neque ſervaretur mens defunctorum, neque diſpoſitio juris. Quamvis enim defuncti elegerint ſepulturam, electio tamen eſt ſine effectu, atque adeò non habetur in conſideratione. Nec poteſt dici abſolutè, quòd voluerint ſepeliri in Eccleſia Parochiali, aut alibi, ubi de jure eſſent ſepeliendi, ſed tantùm ex ſuppoſitione, quòd ſepelirentur ubi elegerunt ſepulturam. Quia non diſpoſuerunt per ſe primò, quòd non ſepelirentur ubi de jure eſſent ſepeliendi, ſed hoc ſolùm venit in conſequentiam ad electionem ſepulturæ in tali Eccleſia. Quare cùm ceſſet hoc ſuppoſitum, quia electio non poteſt habere effectum, ceſſat etiam excluſio ſepulturæ, quæ ſubintrant de jure, *capit. Si Papa de privil. in* 6. & *Clem. Si ſummus de ſent. excom.* Præſertim, quia eſt excluſio conditionalis juxta ea, quæ tradunt Dec. *conſ.* 644. Decian. *reſp. 1. num.* 16. *vol.* 1. & Menochius *conſ.* 175. *num.* 12. quæ non habet locum, niſi purificata conditione.

CONSULTATIO CLXXVIII.

Epiſcopus viſitavit Conventum Regularium ſuæ juriſdictioni ſubjectum in vim decreti ſel. record. Innocentii X. incip. Ut in parvis, propterea quod tunc temporis ibi non erant de familia, neque reipſa alebantur ſex Religioſi. Sed poſt abſolutam viſitationem ſine ulla fraude a Superioribus Regularibus in eodem Conventu adaucta eſt familia, & impletus numerus ſex Religioſorum, ſicque Conventus exemptionem recuperavit juxta declarationes S. Congregationis, nempe 16. & 17. *inter impreſſas. Hoc poſito, quæritur,*

An poſt exemptionem, ut præfertur, recuperatam, Epiſcopus poſſit hujuſmodi Conventum viſitare, ut videat, an ordinationes, & decreta ab ipſo edita in viſitatione præcedenti fuerint exequutioni demandata?

An poſſit decreta exequutioni non demandata exequi, & pro illorum exequutione pœnas adjicere, & aggravare?

Et quatenus poſſit, an hæc facultas, quæ competit Epiſcopo, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato, expiret elapſo integro anno a die publicationis decretorum?

An Epiſcopus poſt exemptionem a Conventu recuperatam poſſit condemnare, & punire, etiam pœna corporis afflictiva, Religioſum, qui pro delicto in Curia Epiſcopali fuerat inquiſitus, & carceri mancipatus eo tempore, quo Conventus erat juriſdictioni Epiſcopi ſubjectus?

AD primum cenſeo negativè. Quia cùm hoc ſit actus juriſdictionis, & Conventus hujuſmodi non eſt amplius ſub juriſdictione Epiſcopi, non poteſt illam exercere in non ſubditum, *cap.* 2. *de conſtit. in* 6. Prætereà facultas videndi, an decreta ſint exequutioni demandata, eſt etiam facultas corrigendi, & eſt ſubjicere propriæ poteſtati Conventum jam exemptum, quod non fit ſine exercitio ſuperioritatis; *argum. cap. Sententia* 35. *quæſt.* 9. & *cap. nimis* 17. *qu.* 4. & *l.* 1. *in fin. ff. de qu.* & *l.* 1. *§. de qua, ff. de poſtul.* Regulares autem ſunt omninò exempti ab omni ſuperioritate Ordinariorum, *cap. Nimis prava de exceſ. Præl.* & *cap.* 1. *§. fin.* & *cap. neque aliquis de privil. in* 6. ac Trid. *ſeſſ.* 21. *cap.* 2. & 21. *de ref. ac ſeſſ.* 14. *cap.* 4. etiam *de reform.* Accedit, quòd exemptio jam recuperata a Regularibus eximit eos omninò à juriſdictione Epiſcopi, atque adeò ſolvit ſubjectionem reſpectu ipſius, ac proinde tollit etiam effectus ſubjectionis. Quia ſublata cauſa, tolluntur etiam effectus, qui ab ipſa proveniunt, *l. adigere, §. quamvis ff. de jurepatr.* cum aliis hujuſmodi. 1

Ad ſecundum cenſeo pariter negativè. Quia ſi Epiſcopus non habet ampliùs juriſdictionem ad exigendam pœnam, neque etiam habet ampliùs jus aliquod ad ipſam, ſive ut perſona publica, ſive ut privata. Nam obligatio ad pœnam eſt ſolùm obligatio juſtitiæ legalis, ex qua ſolum oritur jus ad pœnam exigendam, & obligatio ad ſolvendam. Unde cùm juſtitia legalis non ſit juſtitia privata, ſed publica, fundata in juriſdictione, ſiquidem reſpicit regimen Communitatis, extincta juriſdictione, extinguitur etiam juſtitia legalis, atque adeò etiam jus in ipſa fundatum. Quia non poteſt exerceri jus cum eo, cum quo non poteſt exerceri juſtitia. Ex quo fit, quòd extinguatur omne jus, quod Epiſcopus habebat ad repetendam pœnam contra Regulares non exequentes ejus decreta. Si autem extinguitur jus, extinguitur etiam debitum, quo inobedientes tenebantur luere pœnam, quia jus, & debitum ſunt correlativa, quorum idem eſt judicium, *l. ff. de acceptil.* & *l. ſi quis ſervo, Cod. de furt.* Et uno deſtructo, deſtruitur & aliud, *l. filio, §. matri, ff. de alim. leg.* cum ſimilibus. 2

Ad tertium puto affirmativè reſpondendum per textum *in c. Quærenti, de offic. Jud. deleg.* ubi eſt caſus ſingularis, & ſunt pulchræ, ac copioſæ Gloſſæ. 3

Ad quartum, videtur poſſe. Primò, quia quando cauſa producit effectum conſummatum, non ceſſat effectus, illa ceſſante, *l. fin. init. ff. unde liberi,* & *l. Sancimus, Cod. de admin. tut.* ac explicat Tiraquel. *tract. ceſſante cauſa lim.* 12. *num.* 2. & Surd. *conſ.* 250. *num.* 24. Secundò, quia attenditur ſtatus, in quo erat reus tempore delicti, & cauſa incœpta apud ſuum Judicem debet ab eodem terminari, ut docent communiter Doctores, nominatim Cavalc. *deciſ.* 10. teſtans de communi, aliique cum Farinac. *in pr. crim. qu.* 8. *de inquiſ. num.* 107. Unde Sixtus V. apud Rodriq. *tom.* 2. *qu. reg.* 2. *artic.* 3. tribuit Judicibus ſæcularibus facultatem procedendi contra eos, qui fiunt Religioſi poſt acceptam 4

accu-

accuſationem, aut inſtitutam inquiſitionem. Quare cùm Epiſcopus incœperit judicium, poterit etiam illud perducere uſque ad perfectam exequtionem ſententiæ, illamque tueri, donec pœna imponenda completa fuerit.

5 At nihilominus cenſeo non poſſe. Quia licèt Regularis deliquerit tempore, quo erat ſubjectus Epiſcopo, ac proinde ipſe jus habebat pœnam exigendi, dum tamen perſona, a qua eſt exigenda, efficitur exempta, ſubtrahitur juriſdictione epiſcopali, atque adeò inflictio pœnæ non ſubeſt ampliùs eidem juriſdictioni, ſicut non ſubeſt perſona. Ita ſi quis exiſtens in ſtatu ſæculari committat delictum, & poſteà efficiatur Clericus, non pertinet amplius ad forum ſæculare, ſed judicari debet ab Eccleſiaſtico, ut *to.* 1. probavimus. Quia per mutationem ſtatus eſt omninò ſubtractus ab ipſius juriſdictione, ac ita, ut continuatio pœnæ nequeat ipſius juriſdictionem prorogare, ut docent iidem Doctores, quos ibi adduximus

6 Non obſtat prima ratio. Nam ſolùm procedit quando effectus non dependet in conſervari a cauſa. Tunc enim etiamſi actus ſit conſummatus, corruit deficiente cauſa. Pœna autem inflictiva juriſdictionali modo eſt exercitium continuum ſubjectionis reſpectu infligentis. Nam eſt continuata quædam ſolutio debiti contracti per delictum in ordine ad juſtitiam legalem, quæ cùm reſpiciat debitorem, tanquam ſubditum, facit, ut continuò exerceatur ſubjectio. Cùm autem tollatur ſubjectio reſpectu juriſdictionis Epiſcopi per exemptionem reſtitutam, tollitur etiam continuatio punitionis per luitionem pœnæ, tanquam ea, in qua exercetur ſubjectio, & ordo coercitivæ poteſtatis.

7 Minus obſtat ſecunda ratio. Nam reſpondetur, quòd incœpta cauſa poteſt idem Judex procedere contra reum, qui ſe exemit ab illius juriſdictione condemnando illum in bonis, non autem contra perſonam exemptam, ut etiam diſtinguunt Doctores ibidem a me citati. Quia, ut dicebatur, ponitur obſtaculum per mutationem ſtatus, ne Epiſcopus procedere poſſit ad ulteriora. In Regularem autem non proceditur pœna pecuniaria; ideò puniendus eſt a ſuis Superioribus.

CONSULTATIO CLXXIX.

An Inquiſitores hæreticæ pravitatis habere poſſint familiam armatam? Et quæ arma eorum familia deferre poſſit?

1 NEgandum videtur. Nam juriſdictio ordinaria contra hæreticam pravitatem reſidet apud Epiſcopos, qui ſoli ſunt Judices Ordinarii in rebus ſpiritualibus, & Eccleſiaſticis, ſicuti ſunt illæ, quæ verſantur circa hæreticam pravitatem. Hinc etiamſi concedatur abſque veritatis præjudicio, quòd hæc juriſdictio cohæreat territorio, & ut talis habere debeat familiam armatam, hujuſmodi ſane familia non competit Inquiſitoribus. Quia cùm eorum juriſdictio ſit delegata, non poteſt dici, quòd cohæreat territorio, quemadmodum diſponit textus *in l. 1. §. cum verbum, ff. de offic. Præſid. & in l. 3. C. eod.* & notat Angel. *conſ. 327. n. 3.* & Bald. *in c. de cauſis n. 37. de offic. Jud. deleg.*

2 Neque obſtant Authores, qui contraria ſententiam tuentur. Quia ſe fundant in *Clem. 1. §. 1. de hæret.* ubi præſuponitur, quod ad Inquiſitores pertineant actus armatæ familiæ, quatenus id fiat ad finem tantùm declarandi tales actus poſſe ab illis exerceri abſque interventu Epiſcoporum. At neque ex hoc, neque etiam ex eo, quod aliqui adducunt, quòd nimirum juriſdictio quantumvis delegata non debeat eſſe vana, ſicuti profectò eſſet illa Inquiſitorum, niſi exequtioni demandaretur, neceſſariò infertur, quòd habere debeant propriam, & diſtinctam familiam a familia Principis ſæcularis. Immò cùm hæc teneatur obedire Inquiſitoribus, ipſa ſola ſufficere debet, cùm ipſa exequi poſſit abſque ullo incommodo quicquid ad illorum juriſdictionem pertinet.

3 At nihilominus affirmandum omninò eſt cum Gloſſa *penul. & fin. in Clem. Nolentes, de hæret.* ibique Zabarel. *num. 9.* & Gloſſ. 2. *& pen. in cap. Statutum Civitatis eod. tit. in 6.* Comenſi *in Lucern. Inquiſit. v. Inquiſitor num. 14.* Zanard. *in direct. theol. par. 2. capit. 6. qu. 15.* Duard. *in Bull. Cœn. lib. 2. cap. 1. qu. 33. n. 24.* Pegna *in direct. Inquiſit. par. 3. quæſt. 56. numer. 103.* qui addit Inquiſitores non ſolùm dare poſſe licentiam deferendi arma Officialibus deſtinatis ad denunciandum, vel capiendum hæreticos, ſed etiam cæteris miniſtris, qui quavis alia ratione S. Officio inſerviunt, ut Advocatis, Notariis, Cuſtodibus, Conſultoribus, & hujuſmodi aliis, Farinac. *de hæreſi quæſt. 182. toto §. 6.* ubi alii plures Bordon. *de Inquiſ. capit. 40. numer. 24.* Diana *par. 4. tract. 8. reſol. 31.* & Delbene *de off. S. Inquiſ. par. 2. dub. 195. ſect. 39. numer. 1.* Probatur per textum expreſſum *in d. Clem. Nolentes, §. Porrò, de hæret.* ubi ita decernitur: *Porrò Inquiſitoribus ipſis diſtrictiùs inhibemus, ut nec abutantur quomodolibet conceſſione portationis armorum, nec Officiale, niſi ſibi neceſſarios habeant tales, qui ſe conferant ad ſua cum Inquiſitoribus ipſis officia exequenda.* Ergo non ſolùm hic conceditur, ſed etiam confirmatur uſus armorum, cùm ſolus abuſus prohibeatur. Notatque Vitalin. *in d. Clem. numer. 124.* permiti uſum armorum Religioſis Inquiſitoribus ratione officii, quia ſuper omnes Chriſtianos, etiam Reges, ac Principes in cauſa fidei merum habent imperium, aliàs eis denegatur, ut *in Clem. Ne in agro, §. nos eorum in fin. de ſtat. Monach.* Quia regulariter cuique prohibitus eſt, *in l. un. C. ut armor. uſus inſcio Principe interd. ſit.*

Dicuntur autem Inquiſitores abuti conceſſione dela- 4
tionis armorum, quando licentiam concedunt illa deferendi officialibus, ac miniſtris non neceſſariis. Item quando illam concedunt aliquibus, qui actu non inſerviunt S. Inquiſitionis officio, Farinac. *loc. cit. numer. 93. & ſeq.* Denique arctantur Inquiſitores ad tradita per Gulielmum, & Vitalinum *ubi ſuprà*, & inducuntur familiares eorum, ut deferant arma debito modo, ſicuti Epiſcopi mandant licitè ſuæ familiæ armatæ, ut capiant criminoſos in locis ſibi ſubjectis, nec propterea incurrunt irregularitatem, ſi ſequatur homicidium, aut mutilatio, *ut in c. Epiſcopus ne Cler. vel Monach. in 6. & c. dilecto de ſentent. excom. eod.* Et quamvis abutens poteſtate ſibi conceſſa, mereatur illam amittere, *c. ſuggeſtum de decim. & cap. decet. de reg. jur. in 6.* Inquiſitores tamen propter hunc abuſum non amittunt hoc privilegium, quia non eſt conceſſum perſonæ, ſed officio, atque adeò cederet in detrimentum officii. Delinquunt tamen abutentes, & ideò poſſunt puniri a ſuo Judice. Et hujuſmodi abuſus dederunt cauſam editionis d. Clementinæ Nolentes ut teſtatur idem Vitalin. *loc. cit. n. 126.* Nam Inquiſitores ſibi aſſumebant officiales, ac miniſtros plures quàm eſſent neceſſarii, ut arma deferre poſſent, & majorem formidinem incuterent.

Ex hoc tamen recte elicitur dictam Clem. Nolentes 5
coercere dumtaxat abuſum armorum, quorum jamdiu antea jure, meritòque fuiſſe conceſſum, fatendum eſt, cùm abuſus preſupponat uſum, & abuti propriè eſt ad alium uſum rei uti, quàm in quem ea comparata eſt, *l. 19. & 34. §. 2. de uſufr.* Unde privilegium hujuſmodi conſtat antiquiſſimum eſſe ante dictam Clementinam. Id, quod nemo hactenus animadvertit. Eſt enim coævum Inquiſitorum juriſdictioni, cui naturaliter cohæret, Vetuſtas autem ipſa vicem legis obtinet *l. 1. §. fin. ff. de acq. pluv. arc.*

Hanc familiares, ac miniſtri S. Officii deferre poſſunt 6
arma illa, quo deferunt a Curia ſæculari abſque limitatione, vel ex conceſſione particulari, vel ex tolerantia, ſive conniventia Principum, vel Magiſtratuum ſæcularium, nec poſſunt ſiſti, aut retineri, vel in carcerem condi, vel armis expoliari ob illorum delationem, etiamſi ſint ex armis interdictis, niſi ab Inquiſitore, qui ſolus eſt Judex competens in hac materia. Neque Comprehenduntur in edicto prohibente armorum delationem, publicato a Gubernatoribus, vel aliis miniſtris, aut officialibus laicis, & edictum, quod de dictis familiaribus facit mentionem revocari debet, ac publicari aliud edictum contrarium excipiendo dictos familiares. Quin etiam non obſtante quacumque legis civilis, municipalis, aut alia delationis armorum prohibitione, poſſunt Officiales, & familiares Inquiſitorum quocumque tempore diu, noctuque arma prohibita deferre, ut per Royas *ſing. 2. numer. 8.* Pegn. *in direct. d. quæſt. 56 com. 165.* & Farinac. *ea quæſt. 182. §. 6. numer. 91.* Et ipſi Inquiſitores tam in captura reorum, quàm in aliis actibus pro cauſis S. Officii non ſolùm uti poſſunt familia armata, ſed etiam non tenentur notum facere Principibus, aut Magiſtratibus laicis nomen, & cauſam reorum; & quiſque vocatus ab ipſis ad S. Officium, debet accedere abſque eo, quòd petat licentiam ab ipſis Principibus, aut Magiſtratibus.

Etenim poſſunt Inquiſitores ſine diœceſano capere 7
ſiſtere, ac tutæ coſtodiæ tradere, ponendo etiam in compedibus, ac manicis ferreis, prout ſibi viſum fuerit, hæreticos, ac de hæreſi ſuſpectos, ut *in cit. Clem. 1. de hæred. ſub. initio.* Igitur habere debent familiam armatam per textum *in l. illicitas, §. qui univerſas, ff. de offic.*

Præsid. ubi Doctores, nuncupatus Odofredus, Albericus, & alii. Nam concessa jurisdictione, concessa sunt omnia, quæ ad illam tuendam, atque explicandam sunt necessaria, *l. 2. ff. de jurisd. omn. Judic.* Alioquin concessio foret inutilis, ac planè nugatoria ex *cap. Cùm infirmitas, de pœn. & c. quoniam de sent. excom. in 6.*

8 Neque obstat, quòd non habeant territorium. Primò, quia territorium non importat dominium terræ, sed jurisdictionem, & coercitionis superioritatem, per Bald. *in l. si qua in fin. Cod. de bon. vac. lib.* 11. & Rota coram Merlino *dec. 665. num.* 15. Hæc autem est penes Inquisitores extensa ad terminos suarum diœcesum quoad omnes, qui pertinent ad ipsos. Et ideò cùm interveniat forma constitutiva territorii, negari non potest, quin etiam interveniat territorium.

9 Deinde non desunt Doctores gravissimi, qui asserant Inquisitores esse Judices Ordinarios, ut Archid. *in cap. ne aliqui de hæret. in 6. ad fin.* Bonfad. *in dict. Clem. 1. de hæret. num.* 21. Host. *in cap. ad abolendam eod. tit. num.* 10. Jo: Andr. *ibid. num. 3.* Anchar. *n. 2.* Param. *de orig. S. Inquis. lib. 3. quæst. 2. & in defens. cap. 1. num.* 11. Canter. *in qu. crimin. cap. 2. de prob. per test. qu. 1. num. 65.* & Portocar. *in alleg. pro jurid. Inquis. num.* 48. ac proinde habent territorium quoad actus suæ jurisdictionis.

10 Postremò licèt sint delegati, ut per Sylvestr. *v. hæresi 2. qu. 1. num. 2.* Alciat. *in rubr. de offic. ord. num.* 19. Direct. Inquis. *part. 3. quæst.* 4. ibique Pegna *com.* 53. Molin. *de just. & jur. tract. 5. disp. 38. num. 4.* subdens, quòd hodie Inquisitorum jurisdictio valdè accedat ad jurisdictionem ordinariam, & cùm illa ferè in omnibus conveniat, itaut excludat imperfectiones, & includat perfectiones omnes jurisdictionis delegatæ, sicque quodammodo sit ordinaria quoad utilitates jurisdictionis ordinariæ, delegata quoad utilitates jurisdictionis delegatæ. Quibus adstipulantur Scacc. *de judic. cap. 67. num. 5.* Navar. *cons. 1. de offic. Jud. deleg. num. 1.* Simanch. *de cath. instit. titul. 34. num.* 4. Butr. *in cap. Legatos de offic. Leg.* Narbon. *in 3. part. recopil. lib. 4. tit. 1. leg. 40. glos. 22. num. 79.* Zanard. *loc. alleg. part. 2. præc. 1. cap. 6.* Moscou. *de majest. milit. Eccles. lib. 1. part. 1. cap. 11.* Homobon. *de stat. hom. part. 2. cap. 8.* Torreblanc. *de mag. lib. 3. cap. 5. num. 2. & seqq.* Sous. *in aphor. Inquis. lib. 1. cap. 2. num. 4.* aliique passim per textum *in cap. Per hoc, & in cap. ne aliqui de hæret. in 6.* Attamen eorum jurisdictio major, nobilior, ac fortior est jurisdictione Ordinarii in materia Inquisitionis, ut firmat Gemin. *in dict. cap. per hoc* post Joan. Andr. & tradunt communiter Doctores. Quia cùm sint delegati censentur eadem persona, cujus locum tenent, *cap. sanè de offic. deleg.* ibi: *Judex a nobis delegatus vices gerit*, omniaque nostra facimus quibus nostram authoritatem impertimur, *l. 1. §. sed neque, Cod. de vet. jur. enucl.* Ergo habent eandem jurisdictionem in causis fidei, quam habet Pontifex, qui illos immediatè instituit. Quis autem negaverit Summum Pontificem non habere territorium, cùm totus orbis sit ejus diœcesis, *cap. cuncta per mundum* 17. & 18. *qu. 3.* atque adeò non posse habere familiam armatam?

11 Minus obstat, quòd Inquisitores possint uti brachio sæculari, ac proinde nequeant habere familiam armatam. Nam id concessum est Judici Ecclesiastico in majorem favorem, quòd scilicet habere possit non solùm proprios ministros, & satellites suæ potestatis, sed etiam, si opus fuerit, lictores Curiæ sæcularis, quæ tamquam in ordine inferiori, inservire debet Curiæ Ecclesiasticæ per *cap. Princeps 23. quæst. 5. cap. 1. & cap. quoniam extr. de off. Jud. ord.* Hinc Magistratus laici requisiti præstare brachium sæculare S. Officio, sive Inquisitori contra hæreticam pravitatem, si id negligant facere, incurrunt pœnas de quibus *in cap. ut inquisitionis de hæred. in 6.* Invocatio enim brachii sæcularis est juris remedium extraordinarium, ac subsidiarium, quod non debet, nisi in subsidium, experto jam ordinario, Judex Ecclesiasticus adhibere, *cap. 1. de stat. Regul. & cap. 2. de Cler. excom. minist.* & docet Glos. *in Clem. 2. de relig. dom. v. remediis*, ac Doctores *in c. Cum non ab homine de judic.*

12 Accedit, quòd in criminibus, quæ Curia sæcularis prætendit non pertinere ad S. Officium, vel esse misti fori, datur locus prærentionis, in qua non attenditur sola inquisitio, & citatio verbalis, teste Bossio *tit. de for. com. num.* 140. sed etiam quisnam prævenerit in citatione reali, adeòut Judex capturæ præveniisse dicatur, quia captura realis prævalet verbali. Si autem Inquisitores non haberent familiam armatam ad personaliter reos capiendum, aperiretur via fraudibus contra jurisdictionem Ecclesiasticam, ut scilicet nunquam Judex Ecclesiasticus in dictis criminibus posset Judici laico prævenire.

Ex quibus assumitur, quòd si Domini temporales impediant, ne Inquisitores habeant familiam armatam, vel ne prædicta familia arma deferat, possint ab Inquisitoribus puniri, tanquam turbatores Officii S. Inquisitionis, ut annotant Glos. *in dict. cap. Statutum, v. indirectè, de hæret. in 6.* Cardinal. *in dict. Clem. nolentes, d. §. Porro num. 9. cod. tit.* per ea, quæ tradit Innoc. *in cap. 1. de Offic. deleg.* & advertunt Pegna *dict. part. 3. quæst. 56. com. 103.* Comens. *dict. v. Inquisitor eo num. 14.* Farinacius, Diana, & Delbene locis superiùs adductis, & alii communiter, qui hoc tanquam regulam constituunt. 13

CONSULTATIO CLXXX.

An Princeps, vel Magistratus sæculares assistere possint cum Inquisitoribus in causa hæresis, vel quovis modo ad S. Officium Inquisitionis spectante?

ET affirmandum videtur. Quia judicium debet esse publicum, atque adeò omnibus apertum, quare & in loco publico sententiæ proferri debent, & in loco majorum alioquin enim in secreto latas, irritas statuerunt meritò Carus, Carinus, & Numerianus *in l. cum sententiam 6. Cod. de sent. & interl. omn. Judic.* Expedit enim cognosci publicè judicia, tum civilia, tum criminalia, quia magna authoritas inest judicatis, & ab illis discunt qui similia habent negotia, litem non movere, & si de criminum suppliciis agatur pœna publica aliis exemplo est, ut caveant in eadem crimina incidere, pro quibus alios viderint, & audiverint condemnari. Metuunt, & Judices corruptè judicare, dum censuram adhibendam publicam certò sciunt. Quod igitur infimæ etiam sortis, & classis hominibus jure divino naturali, Gentium, & civili concessum videtur, non potest Principibus citra fœdissimam injuriæ notam denegari. 1

Et licèt pro bono regimine fieri possit occlusis velis, ut observat Caren. *de Offic. Sacr. Inquis. part. 3. tit. 8. §. 10. num.* 58. & in specie disponitur *in cap. statuta, §. Jubemus, & §. & ut de hæret. in 6.* ubi tribuitur, a Summo Pontifice authoritas Inquisitoribus, ac Judicibus, ut in causa hæresis procedant simpliciter, & de plano, ac dicta testium, accusatorum non publicentur, si periculum timeatur, id tamen secretum non extenditur ad Principem, quantumvis sæcularem. Quoniam recta Reipublicæ administratio esse non potest, si ad illius utilitatem non geratur, dum in ea necessarii sunt duo gladii, spiritualis nimirum, & temporalis, ac duo dominia inter se distincta, alterum Terræ, alterum Cœlorum, quamvis primum pertineat ad hominem, secundum ad Deum, ut inquit Psalmista, *Cœlum cœli Domino, Terram autem dedit filiis hominum*, inferendo verbo *dedit* translationem dominii, & Christus Dominus censuit necessarium dicere: *Date quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Quare ob eandem boni regiminis rationem, in Christi nativitate Cæsar decrevit, quòd describeretur universus Orbis. 2

Potest igitur Princeps, ad quem ratio secreti non extenditur, ob rationem boni regiminis scire quicquid fit in exercitio jurisdictionis inquisitorialis, & consequenter ob suam minorem incommoditatem facere, quòd Inquisitoribus assistant ii Assistentes laici, qui magis ei placebunt, ac ipse arbitrabitur. Et confirmatur dicto *§. Jubemus*, in quo expressè præcipitur, quòd Inquisitores, aliique Judices non possint inducere secretum ad exclusionem personarum honestarum, ibi: *ac nihilominus sive Episcopus, sive Inquisitores processerunt, aliquibus aliis personis provisis, & honestis, jurisque peritis, quas ad hoc vocari, & eis per totum processum, super quo deliberandum est sciosè manifestari, ac integraliter explicari volumus.* Quæ quidem qualitates in nullo alio eminent, quàm in Principe, vel saltem in ipso ex juris dispositione præsumuntur. 3

Accedit, quòd sæpissimè contingit reos S. Officii tradi Curiæ sæculari, atque ita debet ista, & potest vel interesse sententiæ, vel saltem videre processum condemnationis, etiam in crimine Ecclesiastico, etiam hæresis, ut post Guliel. de Cun. voluerunt Legistæ, præsertim Alberic. de Rosat. Bartol. Bald. Fulgos. & Paul. de Castr. *in l. Magistratibus, ff. de jurisd. omn. Jud.* idem Bartol. *in l. divus, & in l. non dubium, ff. de cust. reor. & in l. un. in fin. ff. si quis jus dic. non obtemp.* Probaturque 4

turque per §. *ſi verò crimen in auth. de ſanct. Epiſc.* *v. Præter cauſa cognita*, & loquitur de mandato facto per Eccleſiam ſæculari, acceditque Gloſ. *in v. per Epiſcopum in auth. Clericus, C. de Epiſc. & Cler.* & ita etiam Butr. *in c. 1. col. 5. de oblig. ad rat. & in cap. 15. de Offic. Ord.* eſtque communis opinio legiſtarum ſecundùm Imolam *ibi.*

5 Confirmatur item exemplis, & quidem in re graviori. Nam Moyſes laicus in caſu fidei non ſolùm aſtitit, ſed etiam judicavit. David, & Salomon ſacras literas ſcripſerunt, in antiquioribus Conciliis laici aderant, & ſubſcribebant. In Concilio Chalcedonenſi viri patricii, Conſules, & Senatores in omnibus ferè actionibus inter Legatos Pontificis, & Patriarchas ſedent, immò, & munera Judicum exercent apud Nicephor. *lib. 5. c. 16.* In ſexta Synodo *act. 1.* Imperator præſidere dicitur, quod ſervatur ferè in toto illo Concilio. Et *in* 8. Synodo ſimiliter præeſt Baſilius Imperator cum multis Patriciis, & in eiſdem Conciliis laici ſubſcribunt. Immò Baſilius cùm rogaretur ſubſcribere, ait, tranquilliſſimum Imperium noſtrum ſequutum præcedentes Imperatores Conſtantinum, Theodoſium, Martianum, vult deſcribere. Ex quo intelligimus alios idem feciſſe. Et in ſpecie circa hanc aſſiſtentiam multa Venetorum prudentiſſima Reſpublica diverſis temporibus ſtatuit, itaut aſſiſtant aliquos ejus Senatores; multa etiam Magnus Magiſter Religionis Hieroſolymitanæ, qui etiam cum Inquiſitore in cauſis fidei aſſiſtit.

6 At nihilominus his, aliiſque minimè obſtantibus, tenendum eſt, non poſſe permitti, quòd laici aſſiſtant cum Inquiſitoribus in cauſis fidei. Quia laici cauſas fidei nullo modo poſſunt cognoſcere, ſeque in illas ingerere, cùm omninò, utpotè ſpirituales, ſint extra ſphæram ipſorum, niſi eis id concedatur ex privilegio Summi Pontificis, & tunc non ut ferant ſuffragium deciſivum, ſed ſolùm, ut ſint certi, quòd juſtè contra hæreticos procedatur. Ita Zanard. *in direct. theol. p. 1. præc. 1. cap. 7. quæſt. 29.* Et hoc pacto exiſtimat Diana *p. 4. tr. reſol. 108.* procedere conſuetudinem Venetiis, ac in Statu Veneto introducta, quas Inquiſitori aſſiſtat unus ex Senatoribus, ut teſtatur Thuanus *lib. 4. hiſt. ann. 1584.* & Michael Rouſel *in hiſt. Pontif. juriſd. lib. 6. cap. 4. num. 19.*

7 Unde licèt Bartolus, & alii dicant, quòd Judex laicus non teneatur exequi ſententiam contra hæreticum, niſi Inquiſitor illi exhibeat proceſſum, ut videatur, an juſtè vel injuſtè proceſſum ſit, nihilominus Abb. *in cap. 1. de offic. Ordin.* arguit Bartolum, & ait contra eum extare textum expreſſum *in cap. ut Inquiſitionis de hæret. in 6. §. prohibemus*, ubi dicitur, quod de crimine hæreſis, cùm ſit merè Eccleſiaſticum, quoquomodo Judex ſæcularis non cognoſcat. Et concinunt Bald. & Caſtr. in ea *l. magiſtratibus*, ubi etiam Alex. & Jaſ. contra Bartolum, traditque idem Abb. *in c. Ea, quæ de ſtat. Monach. in fin. & in c. ad abolendam de hæreet.* ibique Imol. traditque Angel. *in d. l. Divus 2. ff. de juſt. & jur.* Anchar. *in cap. at ſi Clerici in princ. de judic.* Angel. *in l. magiſtratibus, ff. de juriſd. omn. Jud.* Et ad textum *dict. §. ſi verò crimen* dicunt, quod loquitur in criminibus miſtis, nempè ſacrilegii, & hujuſmodi de quibus in *c. cum ſit de for. comp.* Barbat. *in cap. 1. de Offic. Ordin.* Bald. *in auth. Clericus, Cod. de Epiſc.* ac Felin. *in cap. ad abolendam in fin. eod. tit.* ubi addit, quòd poterit ſæcularis ad cautelam facere, quòd condemnatus confiteatur, ſe eſſe illum, de quo ſententia loquitur, ſicut de bannito capto docet Bart. *in l. demonſtratio in pen. col. ff. de condit. & demonſtr. & in l. inter ſtipulantem, §. ſi Stichum, ff. de verb. obl.* & Bald. *in c. 1. de feud. fœv. culp. non amit.* Angel. & Imol. *in l. nominatim, ff. de hered. inſtit.* quodque ſi Judex ſæcularis vellet commutare pœnam mortis in aliam corporalem, fortè incurreret pœnas, de quibus *in dict. cap. ad abolendam de hæret. & in dict. §. prohibemus*, ſcilicet non exequentium ſententias, quia imperfectè exequitur, cùm debeatur pœna mortis de jure divino *23. qu. 5. cap. ubi mulieris, & quæſt. 8. cap. legi*, & ex jure civili *l. Manichæos, Cod. eod.* & notationes in *dict. cap. ad abolenda de hæret.* confirmatque Gemin. *in dict. cap. ut Inquiſitionis*, inquiens notandum, quòd Judex ſæcularis exequitur ſententiam latam per Judicem Eccleſiaſticum abſque eo, quo cognoſcat de juribus ſententiæ, ac docent Canoniſtæ communiter, ac hodie ſervatur non ſolùm in crimine hæreſis, atque adeò excepto, ſed in omni alio crimine Eccleſiaſtico, de quo laicus cognoſcere non poteſt, ut per Jaſonem, utrumque Decium, & Modium in *dict. lib. magiſtratibus* per Ancharan. & alios *in c. at ſi Clerici de judic. & in repet. Inquiſ. v. exequutio*, Arnald. Albertin. *de agnoſ. aſſert. cath. quæſt. 25. num. 44. & ſeqq.* Unde quando Epiſcopus, vel Inquiſitor hæreticum ad Judicem ſecularem remittit, hic tenetur illius actis ſtare. Quia hæc remiſſio fit a ſuperiore ad inferiorem, qui ſolùm exequi debet, non autem cognoſcere de crimine, Gloſ. *in d. c. Inquiſitionis*, ibique Jo: Andr. *num. 1.* Franch. *num. 3.* & firmant Ubert. Locat. *v. Judex num. 57.* Pegn. *p. 3. direct. qu. 35. num. 85.* Calder. *in tract. de hæret. in rubr. de pœn. hæret. n. 10.* & Farinac. *de pœn. temp. qu. 97. n. 103. & de hæreſ. qu. 186. num. 161.* Et quia id eſt Dei, non Cæſaris.

Non obſtant quæ adducuntur de utroque gladio, cùm 8
jamdiu ſint a Catholicis exploſa, itaut negans gladium temporalem in Eccleſia ſit hæreticus, ut per ipſum Bartol. *in l. 1. §. Præſides, ff. de requir.* apud Navar. *com. 4. notab. 3. de judic. n. 19. §. hæc ſunt*, Farinac. *de hæreſ. qu. 178. n. 55.* & colligitur ex illo S. Scripturæ loco, *Ecce duo gladii ſunt hìc*, id eſt in Eccleſia, ut exponunt Patres, & approbavit Chriſtus illis verbis, *ſatis eſt*. De quibus etiam Caren. *de offic. S. Inquiſ. part. 1. tit. 1. de Summ. Pontif. num. 53.* aſſerens eſſe communem Legiſtarum, & Canoniſtarum ſententiam, & Bordon. *de S. Tribun. c. 5. a num. 22.* aliique recentiores paſſim, ac inter Theologos Bellarmin. *de Sum. Pont. & de Eccleſia*. Quare mirum eſt, hanc litem toties ſopitam, nunc quoque a tumultuoſis quibuſdam iterùm gratis, quippe nullo de novo propoſito argumento, intentari.

Minus obſtat citatum *cap. Statutum, §. Jubemus*. Nam 9
ſatis eſt, quòd ſententia procedat ex conſilio peritorum, ſcilicet Conſultorum, quod religiosè obſervatur, licèt multò probabiliùs ſit Inquiſitores non eſſe obligatos conſilio Conſultorum acquieſcere, ſed poſſe, ſi æquius judicabunt, ſententiam in contiarium ferre, ut per Pegn. *par. 3. com. 127.* & alios apud Delben. *de Offic. S. Inquiſ. part. 1. dub. 194. ſect. 3. num. 1.* Quia conſultorum vota non ſunt deciſiva, ſed conſultiva, relinquiturque arbitrio Inquiſitorum convocare quos voluerint, & quando voluerint, Gemin. *in cap. ut commiſſi, §. advocandi, de hæret. in 6.* & textus *in dict. §. Jubemus*.

Exempla quod attinet nullius ſunt momenti. Non 10
enim exemplis, ſed legibus judicandum eſt. Conſtat autem nullum laicum eſſe neceſſariò vocandum, ne ut aſſiſtentem quidem in cauſis fidei. Primò, ex Sac. Scriptura, docente munus eſſe Sacerdotum doctrinam fidei explicare, ac tradere laicis. Ita Ezech. 44. Agg. 2. Malach. 2. Exod. 19. Deuter. 17. ad Epheſ. 4. Act. 20. Matth. 5. & ult. & Luc. 10. Secundò, ex traditione. Nam *Act. 15.* Apoſtoli ipſi cum Presbyteris conveniunt, & definiunt, reliqua multitudo audit, & obedit. In Niceno primo ſoli Epiſcopi judicant, & definiunt, & Imperator Conſtantinus fatetur fidei definitionem ad ſe non pertinere, Euſeb. *lib. 3. de Conſtit.* Rufin. *lib. 1. cap. 2.* Socrat. *lib. 1. cap. 8.* Theodor. *lib. 1. cap. 7.* In Chalcedonenſi *act. 1.* & in Epheſino primo ſoli Epiſcopi conveniunt, dant ſuffragia, & ſubſcribunt, & *in* 8. Synodo *can. 17.* expreſsè rejiciuntur aſſerentes, Concilia non poſſe congregari abſque ſæcularibus Principibus, idque contra Canones, & perpetuam Eccleſiæ conſuetudinem eſſe dicitur. Idem conſtat ex Synodis aliis uſque ad Tridentinam. Hujus traditionis teſtes ſunt locupletiſſimi Pontifices Clemens Primus *epiſt. 5.* quæ habetur in *can. relatum 35. d. & in lib. 10. recognit.* dicitur, documentum hoc Clementi a Sancto Petro eſſe relictum, Nicolaus Primus *epiſt.* ad Michaelem Imperatorem, & Gelaſius *epiſt.* ad Anaſtaſium Auguſtum. Tertiò, ex factis Imperatorum, & Principum ſæcularium. De Conſtantino jam diximus. De Theodoſio conſtat ex ſuis Epiſtolis ad Concilium Epheſinum *cap. ſatis dict. 96.* & apud Socratem, & Theodoretum locis allegatis, atque Evagrium *lib. 1. cap. 4.* De Valentiniano Sozomeno *lib. 6. cap. 7.* Baſilius ipſe Imperator in octava Synodo *act. 10.* negat ad ſe, & ad ullum laicum pertinere Eccleſiaſtica negocia tractare, Evagr. *lib. 3. cap. 4.* & Literat. *lib. 2. Breviar. cap. 6.* De Theodorico Rege Ariano habetur *in* 4. Synodo Romana ſub Symmacho, extatque graviſſima epiſtola Pulcheriæ Auguſtæ inter præambulas ad Concilium Chalcedonenſe, ac denique Juſtinianus Imperator *in* 8. Synodo in cauſis fidei, & Religionis imperiale judicium judicio Sacerdotum ſubmitti pronunciat. Quartò, ex Patribus. Ex Ignatio Epiſcopo ad Smirnenſes, Dionyſio *epiſt. 8. ad Demophyl.* Tertulliano *de præſcript.* ubi latè irridet hæreticos, qui laicis attribuunt hæc ſacerdotalia munera, Ambroſio *epiſt. 34. contra Maxen.* Chryſoſtomo *lib. 3. de ſacerd. & homil. 4. de verb. Iſa.* Auguſtino *ep. 48. & 166. ac ſeq.* Cyrillo *ep. 4.* Athanaſio *ep. ad vit. ſolit. agentes*, ubi refert verba Oſii Cordubenſis ad Conſtantinum Imperatorem, *Nec te immiſceas Eccleſiaſticis, nec nobis in hoc genere præcipe, ſed a*

no-

vobis discæ, Cypriano *lib. 4. epist. 5.* Basilio *in reg. contract. in 276.* Nazianzeno *orat. 6. 14. & 17.* habeturque *in capitul. suscepistis dict. 10.* Quintò, ex ratione. Nam ejusmodi assistentia ad quandam potestatem jurisdictionis pertinet. Potestas autem jurisdictionis Ecclesiæ non ad laicos, sed ad Sacerdotes per se spectat.

Hinc cùm Valentinianus Imperator ad Synodum indicendam solicitatus esset ab Episcopis Orientis anno 364. pro restauranda consubstantialitatis fide, quæ a Constantio pessundata erat, præclarum hoc responsum, dedisse testatur Sozomenus *lib. 1. cap. 7. Sibi, qui unus è laicorum numero erat, non licere se ejusmodi negotiis interponere, & ideò Sacerdotes, & Episcopi*, inquit, *quibus hæc curæ sunt seorsum per se ubicunque ipsis libitum fuerit in unum conveniant.* Ex ista Valentiniani professione interdictas quidem esse principibus fidei quæstiones, apertè patet, & quod verbo testatus fuerat, rescripto constituit, nempe fidei causas a Sacerdotibus esse judicandas. Exceptione hujus legis usus est sanctus Ambrosius *ep. 35. lib. 5.* cum recusabat de fide cum Auxentio disputare in Consistorio Principis, subditque: *Si conferendum de fide, Sacerdotum debet esse ista collatio, sicut factum est sub Constantino augustæ memoriæ Principe, qui nullas leges ante præmisit, sed liberum dedit judicium Sacerdotibus.* Quare prudentissimè rescripsit Agapetus Pontifex Justiniano Principi, qui edictum aliquod de fide orthodoxa promulgarat, se illud laudare, & amplecti, *non quia laicis authoritatem prædicationis admittimus, sed quia studium fidei vestræ Patrum regulis conveniens confirmamus, atque roboramus.*

Neque abstinere debeo a duobus locis è Concilio Chabilonensi *act. 3.* peritis, quibus hæc sententia penè conceptis verbis est expressa. Dioscorus Patriarcha Alexandrinus literis Concilii evocatus, ut libello Eusebii Doryleorum Episcopi responderet, cùm judicio Synodi stare nollet, nisi adessent cognitioni accusationis adversum se delatæ gloriossimi Judices, & Sacer Senatus, qui pridie locum Principis in Concilio obtinebant, Cecropius Episcopus Sebastopolis unus è tribus Episcopis, qui missi erant ad vocandum Dioscorum, inanem hominis spem his verbis repulit: *Quando canonicæ quæstiones examinantur, neque Judices, neque alios laicos interesse oportet, nisi tantummodò tuam Sanctitatem, quæ in propria accusatur persona.* Idem fatetur ingenuè Justinianus *novella* 83. jurisque rationem reddit: *Si verò Ecclesiasticum sit delictum egens castigatione Ecclesiastica, & multa, Deo amabilis Episcopus hoc discernat, nihil communicantibus clarissimis Provinciæ Judicibus. Neque enim volumus talia negotia omninò scire civiles Judices, cùm oporteat talia Ecclesiasticè examinari, & emendari animas delinquentium per Ecclesiasticam multam secundùm sacras, & divinas regulas, quas etiam nostræ sequi non dedignatur leges.*

11 Quare in causis fidei soli Ecclesiastici præsidere, & assistere debent, ut ostendit Leo, Julius, & Nicolaus Primi, qui docent in Concilio etiam Nicæno id fuisse confirmatum, Synodus secunda ex *ep.* Damasi ad ipsam, & ex *lib. 9. tripart. 24.* Tertia & quarta Synodus Chalcedonensis, aliæque usque ad hæc tempora. Unde si Imperatores interdum, vel sæculares Magistratus hanc assistentiam usurparunt, id non tàm jure, quàm potentia factum est, negamusque propriè loquendo rebus fidei præsidisse, sed tantùm adfuisse invocatos, ut nulli tumultus fierent, & ut Concilia majori quadam exteriori authoritate celebrarentur.

12 Neque urgent decreta Reipublicæ Venetæ. Hæc enim tempore Julii Tertii die 26. Septembris inivit concordiam super modo cognoscendi causas Sac. Officii. Prætendens enim causas tàm laicorum, quàm Ecclesiasticorum non posse cognosci extra suum statum, convenit ut in S. Officio Venetiarum tres Senatores assistant in formandis processibus causarum hæresis, & in aliis Civitatibus illarum Rectores cum Ordinariis, & Inquisitoribus, ac eorum Vicariis, & quòd pro dictis negotiis expediendis semel in hebdomada saltem convenirent. Et rursus sub die 13. Octobris 1605. Qui quidem Assistentes Venetiis deputantur a Principe, & eliguntur seniores, ac prudentiores è Consilio secreto, & tàm Venetiis, quàm in aliis Civitatibus non habent votum decisivum, neque consultivum, sed tantummodò præsentiam, jurisdictio verò integrè manet apud Ordinarios & Inquisitores. Requisiti autem de assistentia in causis, & sententiis, si recusant interesse, satis est, ut enuncietur in Congregatione, quòd requisiti noluerint assistere. Sæpè Inquisitores denunciationem recipiunt absque Assistentium interventu, præcipuè quando adest periculum amittendi occasionem, denunciationes, ac depositiones testium, Assistentibus non requisitis, ex se; vel cùm interventu Ordinariorum recipiunt. Quòd si in eis non est procedendum, eas penes se secretò retinent. Si verò procedendum est, illas communicant in Congregationibus Assistentibus, qui si nolint hoc valere, tunc denunciantes, ac testes repeti possunt, vel curare, ut dicta ratificent. Neque possunt subscribere mandata de capiendo, neque alium suo loco subrogare, quando ipsi impediti assistere nequeunt, præsertim Cancellarium Potestatis. Quinimmò anno Christi 1289. Nicolaus IV. eò tandem deduxit Venetam Rempublicam, ut è Senatus Consulto hoc Sacrum Tribunal in sua Civitate stabilirent, & hoc ipso anno die 4. Augusti constituissent, quòd Joannes Dandalus, tunc Dux haberet plenam authoritatem, ut solus absque ulteriori consilio auxilium Venetiis daret Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, quandocunque ab ipsis fuerit requisitus. Deindè quòd deponeretur pecunia penes aliquem deputatum Venetiis per Commune ad nomen Inquisitorum ita, quòd quandocunque Inquisitores indigerent pecunia pro officio, non oporteret eos alios perquirere, nisi istum sic deputatum, qui teneretur, & deberet quando requisiverint ipsis dare. Quæ omnia in publicum instrumentum redacta Respublica per Marcum Bembum, & Nicolaum Quirinum Nuncios, & Syndicos suos misit ad Pontificem cum alio instrumento Syndicatus, ut ipsam Rempublicam publico nomine ad perficienda Summo Pontifici, & S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus obligarent, & Nicolaus Pontifex acceptavit, & hortatus est, ut efficaciter totum adimplerent. Quod ingenti utilitate, & gloria Civitatis suæ, & Reipublicæ præstiterunt, ut refert Uvading. in annal. minor. ad d. anno 1289.

Aliis verò hujusmodi assistentia nunquam fuit permis- 13
sa, quinimmò expressè denegata Officialibus Helvetiorum, Senatui Pedemontano, Duci ipsi Sabaudiæ, Senatui Januensi, & aliis. Concessa tamen Magno Magistro Religionis Hierosolymitanæ, coram quo causas Equitum dictæ Religionis Inquisitor tractat in Congregationibus habendis cum assistentia Episcopi. Quia ipse Magnus Magister, Prior Ecclesiæ, & Vicecancellarius habent assistentiam tàm in examinibus Equitum præfatæ Religionis, quàm in Congregationibus pro expeditione causarum dictorum Equitum vigore Brevis Greg. XIII. non tamen suas vices possunt aliis committere. In Congregationibus verò nullum votum habent, nec consultivum, neque decisivum, sed tantùm nudam assistentiam. Immò Inquisitor causas Equitum spontè comparentium potest sine assistentia expedire, cæteras verò non item tàm in casu absolutionis, quàm punitionis. Nec mirum quia sunt personæ Ecclesiasticæ, ac verè Religiosæ. Hactenus exempla, quæ, an honestet causam fidei talia in Principes, & Respublicas conveniant; anve jure, ac more fiat, quod omnia ferè Concilia, omnesque Summi Pontifices nunquam ante fecerunt, aliis advertenda relinquo. Exempla quidem vitanda, ne res justo orta principio, brevi ad quoscunque pedaneos Magistratus per ambitum deveniat.

Cæterùm Consiliarii non debent esse suspecti, Cleri- 14
cis autem laicos non solùm suspectos, sed infestos oppido tradit antiquitas, ut ait textus *in cap. Clericis 3. de immunit. Eccles. in 6.* Quod & præsentium experimenta temporum, verba sunt Bonifacii VIII. manifestè declarant, dum suis finibus non contenti, nituntur in vetitum, ad illicita, frœna relaxant. Ac proinde nedum timetur periculum, ne reveletur secretum S. Inquisitionis, quod in magnis rebus necessarium est, sed etiam scandalum, atque damnum. Hinc inter qualitates inteligendis Consiliariis Principis, ac Reipublicæ illa est, ut secreti, fidi, & taciturni sint, qui sua fidelitate Principum consilia non evulgent, maximè in causis gravissimis, quales sunt eæ, quæ in S. Inquisitione tractantur. Et hoc præceptum Leonis Imperatoris libel. bellic. appar. in rebus occultis, inquit, & abditis, fideles adhibe tibi, & temperantes viros, & taciturnos, & qui in tua, & non aliorum potestate sunt, cùm secretæ res istæ, ut secretiores fiant, non indigeant ad agnoscendum multitudinem. Scio non esse contraria, summa reverentia, & observantia Principem suum colere, atque ea solùm intueri, quæ ad Dei cultum, & Reipublicæ Christianæ commodum spectant. At quàm hoc sit arduum in pseudopoliticis ævi nostri, exempla ostendunt. Quare pronuncio cum Dione Cassio: *Sicque Respublica rectè geretur, cùm neque de omnibus de ea consilia inita vulgentur, neque in aperto ea agitentur, neque iis, qui ultrò sese obtrudunt, mandentur, neque ab eorum ambitione in periculum veniant*, Quod est ad mentem *textus in d. c. Statuta de hæret. in 6.* Taciturnitas enim optimum, atque tutissimum, si Valerio credimus *lib. 2. cap. 2.* rerum admi-

administrandarum vinculum est. Ideò tàm nescire quædam Consiliarios, quàm scire oportet, *Tacit. 1. hist.* Cùmque sint pars corporis Principis, *l. qui Juis, Cod. ad leg. Jul. majest.* nonnisi cum voce Principis voluntatem, aut mentem ejus exponere debent. Neque timeri potest de injustitia sententiæ, quia id non præsumitur de integerrimo fidei Tribunali, cùm pro sententia præsumptio, quòd justa sit, militet latè Menoch. *de præsumption. lib. 2. præsumpt. 67.* maximè *numer. 22. & 49.*

15 Illudque hìc monendum semel est, Adversariis in omnibus disputationibus de immunitate, ac libertate Ecclesiastica ferè solemne, & quasi palmarium esse, ut jus civile cum jure Ecclesiastico crassissimo errore, & elencho confundant, & Summum Pontificem, ac Eminentissimos Patres Sacræ Congregationis supremæ Inquisitionis cum hominibus passim aliis in eandem juris sortem, imperitè, admodum, ne dicam ignominiosè, conjiciant. Aut igitur de causis fidei jus in Ecclesia hodie extare novum, & peculiare, Adversarii negent, si quid extare fateri coguntur, ex hoc ipso suum paradoxon ante probatum reddant, quàm de pervulgatissimo aliarum causarum jure commentarios meditentur.

16 Deinde jus causarum fidei falsò, & eroneè opponitur jure divino, naturali, Gentium, ac civili. Lex enim divina in merè politicis, atque adeò in causarum S. Officii ordinatione canonica certum modum non præscribit christianæ prudentiæ, liberumque permittit a Summis Pontificibus paternæ sollicitudinis vicem subeuntibus, ut filiis suis prospiciatur. In quo igitur honestas, æquitas, & ratio naturalis, Gentiumque jus hìc dici læsum possit, ne Argus quidem perspexerit. Quando enim S. Romana Ecclesia pro suæ Reipublicæ forma, proque ea, qua pollet libertate, ac potestate, certam regulam, & cancellos statuit, propterèa ne quidquam in jus naturæ, Gentiumve committatur? Fideles indefensi, incuratique putabuntur? Pro quorum salute Summorum Pontificum provida cura antequam illi nascerentur, vigilavit, ipsaque adhuc Respublica Ecclesiastica fidelissima mater, & severissima inspectrix, quotidie excubat, Advocatum ipsis, & defensorem decernens? Ipsa verò cujuslibet Reipublicæ, ac Politicæ jura propria, & specialia quod attinet, novum non est, neque insolitum posterioribus legibus priores reformari, sæpè etiam tolli, præsertim cum statu mutato publico nova Reipublicæ forma novis legibus constituitur, & sancitur. Aut minorem hodie Summi Pontificis, & Ecclesiæ esse vim, & authoritatem dicemus, quàm olim Populi Romani, primorumque Principum, & liberarum omnibus sæculis Rerumpublicarum in jure suo, ipsum in primis statum politicæ publicum concernente pro re nata, proque necessitate urgente, liberè rogando, obrogando, derogando. abrogandoque fuit?

17 Juri itaque tàm divino, quàm humano consentanea est unica ista, quam defendimus causarum hæresis in sacris Canonibus expressa species, simulque in ventos abit quicquid Adversarii de abjecta, misera, servili, & infami Principum conditione, si lex isthæc Canonum locum habeat, invidiæ conflandæ causæ declamitant. Quin potius ipsi viderint, quàm probè, ac rectè S. Romanæ Ecclesiæ sanctiones prudenter olim factas, & hactenus sanctè custoditas, inhumanitatis, & iniquitatis publico probro insimulent, & traducant, & sub blando fucatæ libertatis nomine suum Ecclesiæ jus ereptum, aut saltem labefactatum eant.

18 Quibus accedit, quod ita Summis Pontificibus, & Apostolicæ Sedi visum ac placitum est, textus *in l. 1. ff. de const. Princip. & in §. Sed & quod Princeps, instit. de jur. nat. gent.* cùm eorum sit ex occasione, & utilitate Ecclesiæ, figere, ac refigere leges, dare ac tollere jurisdictionem per Gloss. *in cap. suspicionis v. ad quos omnia de Offic. Jud. deleg.* Panorm. *in cap. Cæterum num. 2. de judic. ac text. in l. 1. §. Cùm Urbem ff. de Offic. Præf. Urb.* Jura enim quandoque variantur secundùm temporum mutationes, vel quoties evidens utilitas publica id poscat: quoniam ipse Deus ex his, quæ in veteri testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo, textus elegans *in cap. non debet de consang. & affin. & in cap. super eo de sent. excom. & in cap. penult. de transact. & in l. continuus §. cum quis, ff. de verb. oblig.* Sicut videmus multa per Imperatorem Justinianum in Codice ac novellis Constitutionibus mutata. Nam varia rerum natura plerumque aliquid novi producit, cùm in hac mundi machina nihil firmum existat, sed omnia sub perpetuo motu sua mobilitate semper fluctuent, teste eodem Justiniano *in auth. de non alien. vel permut. reb. Eccl. §. ut autem, & §. his autem Cod. de emend. Cod. Just.* Vide Gellium *noct. attic. lib. 20. cap. 1.* & Jason. *in leg. ex toto §. Si ita legatum num. 19. de leg.*

CONSULTATIO CLXXXI.

An Archidiaconus sive prima Dignitas, debeat evocari ad examen ordinandorum?

An, & quomodò Archidiaconus de ignotorum sibi sufficientia publicè testari queat: Ubi ejus officia in id jam neglecta revocantur in usum. Quia ratione antiquus ille Ecclesiarum splendor revivisçere poterit, & aspersa Ecclesiasticis gradibus contumelia detergi?

Ac denique an idem Archidiaconus evocari debeat ad examen per concursum Parochialium? Ubi parerga de sacris Ordinibus?

AD primum affirmandum censeo per textum *in cap. nostrum 9. & in cap. ad hæc, de offic. Archid.* quibus in locis disponitur, spectare ad Archidiaconum examen ordinandorum, illosque Episcopo præsentare. Quod etiam tradunt Zerol. *in prax. part. 2. v. Archidiaconus*, Campanil. *in diverf. jur. disp. 3. num. 17.* Quaranta *in sum. v. Ordo*, ubi habetur, quod officium Archidiaconi est ordinandos primùm examinare, & inquirere, an habeant sufficientem titulum, & posteà illos præsentare Episcopo ordinanti ex juribus deductis. 1

Cum igitur Archidiaconus testari debeat de qualitate ordinandorum Episcopo ordinanti, cùm juxta Pontificale Clementis VIII. ab illo interrogatur: *Scis istos dignos esse?* Ex qua attestatione peccat mortaliter, si pro indignis, & ignotis testaretur, *cap. un. de scrut.* non poterit hoc peccatum evitare, nisi examini intereret. 2

Neque huic resolutioni obstare videtur S. Concilium Trident. *sess. 23. cap. 7. de reform.* Nam ibi non immutatur hæc juris communis dispositio, sed potius confirmatur ex his verbis: *antiquorum Canonum vestigiis inhærendo.* Et quatenus hæc verba confirmationis non adessent, non idcircò diceretur immutatum jus commune. Præterquam quod illo verbo *Sacerdotibus*, Sacr. Concilium intelligere voluit Archidiaconos juxta textum, & Glossam singularem in *can. Pontifices 4. v. Sacerdotes 7. quæst. 1.* Quod sequuta est Rota in Viterbien. celebrationis Missarum 11. Decembris 1609. coram Sacrato. 3

Minus obstat, quod hoc modo Archidiaconus fieret arbiter ordinandorum. Quia pendet a voluntate Episcopi ascisçere quotquot examinatores voluerit, cùm non detur ei numerus limitatus a Concilio, ac proindè illorum approbatio pendet ab ejus arbitrio, cùm votum Archidiaconi esse possit singulare. 4

Denique non obstat, quod licet Archidiaconus habeat a jure, ut possit examinare ordinandos, visitare, & pleraque agere, quæ habentur *in d. c. 1. & c. ad hæc de offic. Archid.* tamen ab Episcopo prohibitus nihil eorum exercere potest secundùm Abb. *in d. cap. ad hæc*, ea ratione, quia censetur Episcopi Vicarius. Nam respondetur, Archidiaconum habere communicatam jurisdictionem Episcopi non ab Episcopo, sed a jure, atque adeò æquè principaliter ipsis a jure tributa. Unde contra opinionem Abbatis est authoritas Innocentii *in dict. cap. 1.* quem ibi omnes sequuntur, & Archid. *in can. perlatis 25. dict.* & Fagnani *ad dict. cap. ad hæc, de offic. Archid.* 5

Et sanè, ut aliquid de officiis Archidiaconi in explorandis, vel commendandis Ordinum candidatis, quæ temporibus nostris nimis neglecta sunt, afferamus, notant Chrysostomus *lib. 2. de Sacerdot. cap. 4.* eam fidem, quæ a vulgi opinione facta est, non esse præcipuum signum, aut unicum, quo qui ordinandi sunt, debeant approbari. Consultò itaque egit Ecclesia, quæ & quorundam occulata testimonia exposcit, & vulgi famam per quosdam examinari præcipit. 6

Archidiaconi igitur eniti debent, ut quantum fieri potest per se ipsos omnium ordinandorum mores, vitamque cognoscant. Sunt enim ex iis Diaconis, qui secundùm Evaristum *epist. 1.* & habetur *in can. Diaconi dist. 93.* quasi oculi videntur Episcopi, & secundùm S. Clementem *epist. 1. ad Jacob. fratr. Dom.* cui consentit Anaclet. *ep. 1.* & Trident. *sess. 24. de reform. cap. 12.* sunt Episcopi oculi oberrantes, & circumlustrantes, ut referant ad Episcopum. Ii sunt, qui, cum reliqui Diaconi oculorum symbolo designentur, ipsi potiori titulo totus oculus censendi sunt, ut argumentatur Isidorus Pelusiota *ep. 29. lib. 1.* Cùm ergo oculi ipsi sint Episcoporum, quòd Episcopi per se ipsos ob negotiorum multitudi- 7

titudinem præstare non possunt, hoc ipsi exequi debent, ut omnes, qui ad Clerum destinantur, vel jam Clero inscripti sunt, habeant benè notos. Quod facilè præstabunt primò, si inter visitandum a quibuslibet Sacerdotibus petant, an Clericum secum habeant, de cujus ingenio, indole, & moribus plenius instruantur. Secundò, si eorum, qui ad Clerum aspirant, vitam per se ipsos explorent, indolem expendant, ingenium tentent, & a viris fide dignis de eorum vita, ac moribus levi saltem cognitione imbuantur. Tertiò, si ex præscripto Concilii Provincialis Mediolanensis sub S. Carolo *tit. quæ ad Sacramenti Ordinis administr. pertin.* primi omnium, tàm sæcularium, quàm Regularium, qui aliquem Ordinem assumpserit, nomina, locum etiam, & tempus, quo ordinati fuerint, confecto ad id speciatim libro, descripta habeant.

8 Verum, quia ne sic quidem Archidiaconus omnium ordinandorum mores penitus perspectos habet, ideò præcipuum ipsius munus est, ut vulgi famam examinet, & iis credat testimoniis, quæ jure præscripta sunt, si ipse alia via de ordinandorum vita, ac moribus certus esse non potest. Olim verò primis Ecclesiæ temporibus, quibus Ecclesiæ disciplina vigebat, facilius multò Archidiaconi de Clericorum poterant moribus, ac ingenio referre, quibus scilicet ejus imperio Subdiaconi, Diaconique subjacere solebant, ut patet ex Synodo Romana sub Sylvestro *cap.* 7. & referunt *can. a Subdiacono dist.* 93. in qua Diacono Cardinali omnes a Subdiacono ad Lectores usque obedire jubentur, & ex Isidoro *epist. ad Ludifer.* quæ habetur in *can. perlectis dist.* 25. nec non ex Gregorio Turonensi *lib.* 10. *hist. cap.* 8. Optato Melevitano *lib.* 1. *contra Parmen.* & aliis. Quæ inferiores ministros sub Archidiaconi tutela, & providentia fuisse demonstrant, quorum proinde vitam, moresque faciliùs pernoverat, quibus scilicet connivere solebat, & quos domestico imperio gubernabat.

9 Hoc verò tempore, quo unusquisque ferè Clericorum suo arbitrio, ac ingenio relinqui videtur, maximum erit Archidiaconi opus, si quid de unoquoque populari rumore feratur, ipse pernoscat, si rumorum conditionem causasque exploret, & ad Episcopum referat. Hoc est enim ipsius munus, quod & ei jura imponunt, dum *cap. Archidiaconus de offic. Archidiac.* omnem curam in Clero tàm in Urbe positorum, quàm eorum, qui per parochias habitare noscuntur, ad eum pertinere decernunt, sive de eorum conversatione, sive honere agatur; dum *d. cap. ad hæc eod. tit.* ad ipsum pertinere debere examinationem Clericorum, si fuerint ad sacros ordines promovendi, statuit, dum *cit. cap. ut nostrum eod. tit.* Archidiaconum illos, qui ad ordines accedunt, examinare præcipit. Hæc enim famæ publicę discussio quædam etiam examinatio est, cui præ cæteris incumbere debet Archidiaconus, cum eruditionis, ac literarum ordinandi dijudicatio ab aliis facilè fieri possit, hæc verò discussio a nullo melius, ac faciliùs, quàm ab Archidiacono queat.

10 Hinc juxta Host. *de scrut. in ordin. fac. §.* 4. ad duplicem præsentationem Clericorum, quæ est Archidiaconorum officiis legitimè faciendam, duplex ab Archidiacono scrutinium, seu examen adhiberi debet. De utraque præsentatione, & scrutinio hìc agendum est. Prima præsentatio Clericorum ab Archidiacono ea est, quæ examen Episcopi præcedit, quam canonici juris, Gloss. *in can. quando d.* 24. Archidiacono competere agnosci, & ex iis elicit; tum *cap. ut nostrum, & cap. ad hæc supracitatis*, quod repræsentationem ordinandorum Archidiacono absolutè simpliciter jura tribuant; tum *can. Ostiarius d.* 25. quod Ostiarius ante ordinationem instruendus ab Archidiacono præscribitur. Quæ omnia arguunt Episcopali examini, vel ab ipso Archidiacono ordinandos debere præsentari.

11 Altera præsentatio est ea, quæ palam, ac publicè fit in ipsa ordinum celebratione. Nam in ordinatione Diaconi, ac Presbyteri præscribitur Archidiacono, ut tàm Subdiaconos ad Diaconatum promovendos, quàm Diaconos ad Presbyteratum hac verborum formula Episcopo repræsentet ex Pontificali Rom. *part.* 1. *tit. de ordinat. Reverendissime Pater, postulat sancta mater Ecclesia, ut hos præsentes Subdiaconos ad onus Diaconi ordinetis, siquidem fuerint Diaconi ordinandi, sin autem Presbyteri, ut hos præsentes Diaconos ad onus presbyteri ordinetis.* Tum interroganti Pontifici. *Scis illos esse dignos, respondeat quantum humana fragilitas nosse sinit, & scio, & testificor ipsos dignos esse ad onus hujus officii.* Hæc autem repræsentatio in Ecclesia Romana in ordinatione Diaconorum, & Presbyterorum a primo Diaconorum fieri consuevit, ut colligitur ex Innocentii III. responso *in cap. unico de scrut. in ord. fac.* quod scrutinii ordine faciendi rationem præscribit. In aliis verò Ecclesiis, in quibus est Archidiaconus, a principe Diaconorum, idest ab Archidiacono; ubi enim Archidiaconus deest, prior Diaconorum, vel qui potissimi sunt ex Clero officium istud præsentandi ordinandos obeunt. Omnium autem Ecclesiarum non sunt Archidiaconi, ut innuit Gloss. *v. examinentur in d. cap. ad hæc de off. Archid.* utque Ecclesię Romanę, ac Constantinopolitanę exempla ostendunt. Nam in Ecclesia Romana nullum Archidiaconum esse hodiernus usus ostendit. De Constantinopolitana idem docet Codinus *de off. c.* 17. *n* 39. cum tamen in utraque olim Archidiaconus fuerit.

Vetus autem Ecclesię Romanę consuetudo fuit, ut 12
ab aliquo Diaconorum Diaconi, vel Presbyteri ordinandi offerrentur, & ad eorum testimonium Pontifex illos ordinaret. Meminit Hieronymum *ep. ad Euagrium* quam licèt reprobet, & unius Urbis esse consuetudinem testetur, non Orbis, satis utique ostendit, se eam amplexaturum fuisse, si qualis nunc est, Orbis consuetudo fuisset, nec tantùm unius Urbis. *Sed dicit*, inquit *ep.* 35. *quomodò Romæ ad testimonium Diaconi Presbyter ordinatur? Quid mihi profers unius Urbis consuetudinem? Quid paucitatem, de qua ortum est supercilium in leges Ecclesiæ vindicas?* Nolebat Hieronymus Urbis Romę consuetudinem recipere, quod secus, quàm in Urbe mos alius toto Orbe vigeret. Nam, ut ipse eadem asserit epistola: *Si authoritas quæritur, Orbis major est Urbe.* Neque verò ab ea quidem Urbe, a qua doctrinę oracula sibi sumendę ducebat, tunc eum in mediis Orientis partibus positus clamitaret *ep.* 58. *ad Damasum. Quisquis cathedræ Petri jungitur, meus est*, & a Damaso de trium hypostaseon in Trinitate reticendis, vel retinendis nominibus responsa flagitaret. Neque ab hac, inquam, Urbe, a qua doctrinę decreta sumenda censebat exempla disciplinę semper petenda judicabat, Orbis tamen consuetudinem perdicit Ubis authoritas, & exemplum Romanę Ecclesiæ cæterę Diaconorum dignitatem extulerunt, ipsisque tandem concesserunt, ut & ad Presbyteratum ordinandos offerent, & parochialibus Ecclesiis prę ficiendos prę sentarent. Quis ergo jam Orbis cum Urbe consentiendam authoritatem non sequetur? Et si propter authoritatem Orbis ab Urbis consuetudine dissensisse aliquando visus est Hieronymus, maximè cum eodem tempore Augustinus, vel quicunque author quęstionum in novum, & vetus testamentum, *quæst.* 101. *tom.* 4. *oper.* quę ipsius nomine circumferuntur, eam carpere consuetudinem ausus non fuerit, quamvis ex ea minimè sequi dicat Presbyteris Diaconos esse prę ferendos, vel ęquando, cum & testimonio populi Diaconi ipsi primùm creati fuerint, cui tamen longè prę cellunt. Quod autem ordinandi ad Episcopum olim perducti fuerint, id Diaconis tanquam officialibus, ac ministris Episcopi, docet convenire.

Duplicem autem illam prę sentationem duplex Ar- 13
chidiaconi præcedere debet scrutinium, seu discussio. Priorem quidem exhibitionem scrutinium illud præcedit, cujus jam meminimus, solers nimirum, & explorata tum inter visitandum, tam aliàs eorum, qui ad Clerum, vel superiores ordinem anhelant, ab Archidiacono censura, ac recognitio. Posteriorem autem Episcopale scrutinium, & examen præcedit, cui Archidiaconum interesse decet, tum quod prædicta jura *in c. ut Archidiaconus, cap. ad hæc, & cap. ut nostrum de off. Archid.* in quibus examinatio Clericorum absolutè, ac simpliciter Archidiacono tribuitur, id ostendere videantur, tum etiam quod juris interpretes passim, ut Host. *in tit. de off. Archid. & tit. de scrut. in ord. fac.* Glossa *in c. cit. de off. Archid.* Rodericus Zambronensis *in spec. vit. human. l.* 2. *cap.* 14. & alii ferè innumeri inter Archidiaconorum officia Clericorum examen, tanquam præcipuum quoddam munus, recenseant.

Ad secundum. Quamquam Archidiaconus Episcopa- 14
li examini præsens ipse minimè fuerit, aliis fortè negotiis detentus; quamquam etiam plures offerri Episcopo Ordinandos contigerit, ut ferè semper contingit, vel alterius Diœcesis, qui cum literis, ut ajunt, dimissoriis ad ordines admitti solent, vel alterius Archidiaconatus, quorum nec vitam exploratam, nec mores cognitos, nec doctrinam compertam habere potest, potest tamen tuta conscientia de eorum moribus, & eruditione testari, tum quod aliorum testimonio inniti, ac sidere queat; tum quod de uniuscujusque probitate, ac pietate præsumere debeat, quandiù nempè contrarium ei non apparuerit: Si enim certa scientia alicujus insufficientiam, vel defectum teneat, obligatur eum Episcopo prodere, qui rem discutiat, & examinet, cujus Episcopi sententiæ, nisi acquiescat, vix a temeritate immunis

munis habebitur, niſi fortè intolerabilem ipſa errorem contineat. Doctrinam hanc haurire poſſumus ex Innocentii III. decreto *in cap. un. de ſcrut. in ordin. fac.* qui eam expreſſius tradit, dum prædictæ quæſtioni reſpondet.

15 Major difficultas circa Innocentii reſponſum, eſt, quomodo qui de ordinandorum vita, ac moribus conſulitur, reſpondere poſſit, ſcire ſe, & teſtificari, illos dignos eſſe, qui ipſi ignoti fuerint, ea nimirum ratione, quod eos dignos eſſe præſumere debeat, quamdiu non fuerit indigni cogniti, ac probati. Videtur enim hæc ratio maximè inſufficiens. Primò enim non ſemper quivis idoneus præſumitur, niſi probetur: Sic enim, verb. gr. qui ætatis veniam impetrare conantur, non præſumuntur veniam iſtam promereri, niſi teſtibus idoneis advocatis morum ſuorum inſtituta, probitatemque animi, & teſtimonium vitæ honeſtioris edoceant, *l. omnes, Cod. de his, qui ven. ætat. impetr.* Sic fidejuſſores, qui pupillis, ac magiſtratibus dantur, non præſumuntur, ſolvendo fuiſſe, niſi fuiſſe probentur, tunc cum darentur *l. 1. §. probatio ff. de Magiſtr. conven.* Sic aliquem ex perſona collegæ conveniri poſſe leges inſinuant, niſi tempore depoſiti fuiſſe ſolvendo ipſum oſtendat *l. ex perſona, C. de probat.* Et certè ratio naturalis oſtendit, eum cui probandis idoneis, & ineptis rejiciendis committitur, non debere generali niti præſumptione, qua de uniuſcujuſque probitate, & ſufficientia cujuſque confidat. Secundò, quorſum Archidiaconus ab Epiſcopo de ordinandorum teſtimonio conſulitur? Quorſum teſtimonium ejus inquiritur, ſi ejus tota teſtificatio in generali præſumptione fundatur? Tertiò, eſto poſſet Archidiaconus, poſſet quivis alius generali illa præſumptione ſuffultus, abſque mendacii nota aliquem dignum officio ſacerdotali, vel diaconali reſpondere, quem non temerè ad hoc officium accedere præſumeret, quamvis de ejus dignitate, vel indignitate nihil reſciret, at vix videtur a mendacii nota excuſari, ſi ſcire ſe eum dignum eſſe, & teſtificari reſponderit, de quo nihil omninò ſolverit. Nam his verbis amplius aliquid aſſerit, quam ſi eum dignum eſſe duntaxat reſponderet. Non enim tantùm dignitatem ordinandi affirmat, quàm præſumit, ſed ſcientiam ſibi de ordinandi ſufficientia ineſſe aſſerit, quam non habet, & legitimum ſe teſtem ejus probitatis, ac ſcientiæ jactat, quam ignorat.

16 Nemini tamen aliqua ex iis faceſsere debent negotium, quin omni anſietate depoſita, & ſcrupulo omni procul ex animo fugato, eorum etiam, quos ignorat probitatis publicus aliquando teſtis adſiſtat, generali ſcilicet Eccleſiæ conſuetudine peccandi timorem excutiens, & pia illa præſumptione, ac probabili de Epiſcoporum ſuos ad ordinationem dimittentium, & examinatorum ſuo, ut creditur, munere defungentium, diligentia, ac ſtudio, fideque ſecurus. Quid enim timent ſuo calculo eorum comprobare ſuffragium, quorum publica eſt authoritas, nec revocanda in dubium fides? Sanè de quolibet, quod bonus ſit, præſumendum eſſe quamdiù contrarium non probatur, canones, legeſque demonſtrant, ut *can. ſi quid d. 86. can. in cunctis 11. qu. 3. & can. innocens 22. quæſt. 4. c. dudum, de præſumpt. & l. ſervos, ff. de manum.* Nec contrarium ſuperius oſtenſum eſt. Nam quod iis, qui veniam ætatis impetrare conantur ſapientiæ, ac honeſtatis morum ſuorum probatio incumbat, ſpecialis ratio eſt, quia in contrarium datur præſumptio minoris ætatis, cui ſæpè adnexa eſt imprudentia, & morum levitas, & petulantia. Quod pariter paupertas præſumatur, niſi probetur, probitas autem præſumatur quamvis non probetur, rationem reddit Hoſtien. *d. tit. de ſcrut. in ord. fac. n. 5.* quia virtutes unicuique ineſſe debent, divitiæ nemini debentur: Sed neque hæc ratio propoſitæ difficultati ſatisfacit. Quippè cùm non omnes ingenii, atque animi dotibus prædíti eſſe debeant, quæ ad ordinationem requiruntur, qua ergo illæ ratione ordinandis ineſſe præſumuntur? An quia forſan nemo temere ſe ordinibus ſuſcipiendis offerre præſumitur? An potius quia judicio Epiſcopi admiſſus, utpotè publico teſtimonio, bonus eſſe, & idoneus præſumi debet, cum & pro judicio Principis ſemper præſumendum ſit, idoneuſque ille credendus videatur, qui publica Judicis authoritate fulcitur? Immò aliquid amplius publicæ authoritati credendum arbitror, & publico judicio, ut non tantùm dignum eſſe ſuſpicari debeamus quem publico teſtimonio ornatum novimus, ſed ut profiteri poſſimus, nos ſcire ſufficientiam ejus, & teſtari eam nobis abundè eſſe perſpectam: cujus ſufficientiæ publicum nobis teſtimonium innotuerit. Quare cum Archidiaconis conſtare debeat ordinandos omnes prius publico examine probatos fuiſſe, quam in ordinandorum catalogum relatos, tutò poſſunt, & ſecura conſcientia dicere, ſcire ſe, & teſtari, eos dignos eſſe, ſaltem quantum humana fragilitas pati poteſt juxta prefatum reſponſum Innocentii III. ſeu verba iſta ad ſufficientiam, quę pro humanę fragilitatis modulo penſitetur, ſeu ad ſcientiam, quę non exactam, & omni ex parte abſolutam indagationem ſequatur, ſed eam, quam humana nos adhibere ſinit infirmitas, referantur.

Ad 3. Negativè. Cùm enim in Sacr. Congregatione 17
Concilii Tridentini quęſitum eſſet, an facultas de jure antiquo competens Archidiacono examinandi, nedum promovendos ad ſacros ordines, ſed etiam inſtituendos in Eccleſiis, ut habetur in *cap. ad hæc, de offic. Archid.* ſit ſublata per Conc. Trid. diſpoſitionem, quę habetur *ſeſſ. 24. c. 18.* ubi quoad Eccleſias parochiales hoc munus demandatur examinatoribus electis in Synodo. Secundò, quatenus ſit derogatum prerogativę Archidiaconi, ut non poſſit ſolus hęc facere, an ſaltem debeat intervenire cum examinatoribus, licèt ipſe non ſit unus ex deputatis in Synodo? Sacr. Congregatio ad primum cenſuit, Concilium privaſſe Archidiaconum ſua facultate examinandi. Ad ſecundum reſpondit, non debere, niſi ſit unus ex deputatis in Synodo.

Parerga illuſtriora. Ordinati ab Epiſcopo falſo, declarantur non ordinati, ſuntque iterùm ordinandi, & interim remanent inhabiles ad ſuſcipiendos ordines, debentque pro rehabilitatione, & diſpenſatione recurrere ad ſedem Apoſtolicam, nec poſſunt in ordinibus ſuſceptis miniſtrare, ac celebrare. 18

Ad ordines ſacros, & Presbyteratum ordinati cum 19
materia porrecta per alium, non autem per Epiſcopum prolatione formę verbis generalibus: *Accipite, &c.* ſunt nulliter ordinati. Quare a quocunque Epiſcopo habente authoritatem, poſſunt ordinari ſecretò extra tempora, & temporum interſtitiis non ſervatis. Quod ſi id publicum fuerit, indeque ortum ſcandalum, publicè reiterentur.

Ordinati ab Epiſcopo ſchiſmatico non poſſunt in or- 20
dinibus ſuſceptis miniſtrare, niſi obtenta diſpenſatione Apoſtolica.

Ordinati a prętenſo Epiſcopo, iterum previo exami- 21
ne ſuper idoneitate ordinandi ſunt ſub conditione ab Epiſcopo viciniori, concurrentibus debitis requiſitis. Qui Epiſcopus poteſt etiam ſub conditione conferre Sacramentum confirmationis iis, qui confirmati fuerunt ab eodem prætenſo Epiſcopo.

Contra uxoratum, qui ſe promoveri facit ad Ordinem 22
Subdiaconatus proceditur in S. Officio.

Promotus per ſaltum poteſt torqueri in S. Officio 23
ſuper intentione. Quod ſi nihil reſultet, remittendus ad ſuum Ordinarium, ut puniatur, & conſcientiæ ſuæ conſulat.

CONSULTATIO CLXXXII.

An Epiſcopus melius faciat ſi ad Sacros Ordines promoveat pauperes, quàm divites?

REſpondeo, omnes quotquot idoneos repererit, ſive 1
pauperes illi ſint, ſive divites. Conſultò tamen, ac maturè Concil. Mediolanenſe 2. *decr.* 27. cum tribus ſequentibus pauperes præſertim a parochis ad ſacra miniſteria præparandos monet. Nam & Chriſtus *Luc. 6.* pauperes ad Apoſtolatum promovit, ignobilia, & contemptibilia mundi eligens, ut fortia quæque confunderet 1. *Cor.* 1. Eaque Evangelicæ legis nota eſt, *Luc. 7.* ſive quod pauperes Evangelizentur, ſive quod pauperes Evangelizent. Unde etiam primis Eccleſiæ temporibus, vel ſoli, vel ſaltem plures pauperes Clerici catalogo inſerebantur. Extat ſiquidem lex magni Conſtantini Imperatoris *l. 3. C. Theodoſ. de Epiſc. & Cler.* nullum deinceps inſtructum idoneis facultatibus, atque obeundis publicè muneribus opportunum ad Clericorum nomen, obſequiumque confugere, ſed eos de cætero in cæterorum duntaxat locum Clericorum ſubrogari, qui fortuna tenues, neque muneribus civilibus teneantur obſtricti. Ideoque non temerè fortè ſuſpicabimur Eccleſiam, quæ pauperum ſanguine plantata eſt, quæ eorumdem ſudoribus coaluit, quæ laboribus adolevit, primum juventutis illius vigorem vix recuperare poſſe, niſi pauperes quoque, ſed urbanè & religiosè inſtituti, ad Clericalis ordinis luxati ruinas reſarciendas, requirantur. Maximè verò cum non jam ad Urbium, ac populoſarum Civitatum culturam, ſed ad viliorum, & ignobilium oppidorum inſtructionem Clericorum multitudo, vel induſtria deſiderari videatur; nam parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis; *Thren. 4.* Divites autem hujus mundi ſaturati ſunt, nec tàm pane Chriſti, præbituro alioqui delitias Regibus, ſaginantur, quàm operantur, *Geneſ. 49.* Quis autem corruptis nunc Eccleſiæ moribus ex divitibus

hujus

hujus mundi, ac ſapientibus in vicis illis, atque ignobilibus oppidis ad parvulos, paupereſque in fide nutriendos, niſi parvulus, & ex paupere familia adſtringi ſe patitur? Quis niſi in paupere domo educatus huic ſe officio Eccleſiaſtico addici ſinit, ex quo nonniſi tenuia emolumenta decerpantur? At his præſertim officiis reperiendi ſunt qui defungantur, pinguiores enim redditus, officia, beneficiaque cùm plures ambiant, facilius eſt ex pluribus magis idoneos, ſi lubeat, ſeligere; deſeri autem eas Eccleſias, quæ ſunt tenujoris redditus, nec tamen minoris momenti, neceſſum eſt, niſi pauperes aliqui ad ſacros Ordines gerendos præparentur.

2 Non itaque ſpectanda eſt in promovendis facultas, ſed mens, adjumenta fortunæ, ſed ornamenta animi, ut proinde Plato *lib. 7. de Rep.* operam eſſe dandam moneat, ut qui utiliter, ac decenter magiſtratu fungi debent, ſint divites boni animi, juſtitiæ, ſapientiæ, pietatis auro abundent. Et quæritur Plinius *lib. 14.* quod cenſus Magiſtratus, ac Equites faciat, cùm ſit ſanctius, & utilius inquirere non quale patrimonium habeat Magiſtratus, ſed cujus exiſtimationis ſit, & quomodo anteactam vitam tranſegerit. Lege Baronium *ad ann. 1173.* ubi de Gregorii VII. natalibus, paupertate, ac moribus agit.

CONSULTATIO CLXXXIII.

1 *An Vicario Chori abſente, ſpectet regimen Chori ad Archidiaconum, primam dignitatem, & eo abſente, ad ſecundam?*

2 *An Archidiaconus prima dignitas, aliàs non Canonicus, debeat deferre Viaticum Epiſcopo ægrotanti, & peragere officium in ejus funere juxta cap. 34. lib. 2. Cæremonialis?*

3 *An in proceſſionibus ſolemnioribus, ſcilicet Sanctiſſimi Corporis Chriſti, & hujuſmodi pretioſiora Eccleſiæ pluvialia debeant inſervire Dignitatibus, & illis abſentibus, Canonicis antiquioribus?*

4 *An Archidiaconus prima dignitas, aliàs non Canonicus, & ſecunda dignitas debeant aſſiſtere Epiſcopo pontificaliter celebranti, vel aliàs, &c. & in omnibus aliis ſolemnitatibus?*

5 *An Vicarius Capitularis Canonicus, ſede vacante, poſſit præcedere dignitates in aliquibus actibus, in quibus nomine Eccleſiæ extra Capitulum inceditur, an verò in loco ſui Canonicatus incedere debeat, & dignitates præcedere teneantur?*

6 *An ad funera Regis, vel Reginæ, aut magnatum, impedito Epiſcopo, vel ſede vacante, debeat celebrare Miſſam ſolemnem prima dignitas, & ea impedita, ſecunda dignitas, an verò præferendus ſit Vicarius Capitularis, Canonicus, vel aliquis alius Canonicus electus a Capitulo?*

7 *An Archidiaconus, aliàs non Canonicus, debeat aſſociare Epiſcopum ad pulpitum, & illi prædicanti cum aliis aſſiſtere?*

8 *An quando duo, aut quatuor ab unoquoque Choro in Vigilia Paſchatis Reſurrectionis, &c. aſcendunt in pulpitum ad intonandum Alleluja, vel hujuſmodi aliquid, dignitates debeant ire ordine ſuæ præcedentiæ, ſicuti generaliter in omnibus aliis actibus, & non ſecundùm ordinem Chori?*

9 *An Canonicus junior, vel dignior teneatur ſupplere officium presbyteri hebdomadarii abſentis, quando hebdomada ad ſimplicem Sacerdotem, non Canonicum ſpectet?*

10 *An ſpectet ad Archidiaconum primam dignitatem convocare Clerum, ſeu convocationem delegare pro adminiſtratione rerum temporalium?*

11 *An Prælatorum in ſede locatio, & in poſſeſſionem beneficiorum immiſſio pertineat ad Archidiaconum?*

1 AD primum cenſeo, reſpondendum affirmativè. Nam Archidiaconus ipſo jure, abſente Epiſcopo, & ejus officialibus, Vicarii munus exercet. Eſt enim Vicarius Epiſcopi abſentis in omnibus ipſo jure conſtitutus, *cap. 1. & cap. Ad hæc, de offic. Archid.* Barb. *in collect. ad d. c. 1. num. 1. & ſeqq. & de Epiſc. alleg. 54. num. 13. & ſeqq. de Can. & Dignit. c. 5. num. 34 & 35.* Leo *in Theſaur. p. 1. cap. 10. num. 2.* Sbroz. *de offic. Vic. p. 1. qu. 3. num. 15. cum ſeqq. & qu. 36. num. 10.* Azor. *inſtit. mor. p. 2. l. 3. cap. 4. quæſt. 2.* Igitur ſi abſente Epiſcopo, & Vicario, ipſe in munere Vicarii ſuccedit in omnibus, ad eum ratione proprii muneris ſpectare debet regimen Chori.

2 Et quidem quoad munus intonandi primam Antiphonam, & principium Matutini eſt textus *in cap. 2. de off. Archid.* ubi quod Archidiaconus lectiones, aut Reſponſoria in matrice Eccleſia, dare debet, & auſcultare, itaut nemo Evangelium, aut Epiſtolam, Reſponſoria, vel quamlibet in Eccleſia Lectionem legat, & cantet, donec auſcultetur ab ipſo. Unde ipſe eſt, qui primus intonat, & dat ordinem gerendorum in Choro, ſicuti deduxit Grammat. *dec. 24. num. 27.* Rot. coram Puteo *dec. 89. n. 3. lib. 3.* Barb. *de Canon. & dignit. d. cap. 5. num. 20.* ubi quod ita etiam reſpondit S. Congreg. Epiſcop. & Regul. in Theatina ſub die 18. Aprilis 1617. Et quod Archidiaconus Cathedralis, uti prima dignitas poſt Pontificalem, dum eſt in Choro, recognoſci debeat, tanquam Superior, & major, & ad ipſum ſpectent nutus, ac verſiculi ſuperiores. Et officio finito, dare ſignum egreſſus a Choro, & licentiam exeundi, antequam ſit finitum; modo non egrediantur, niſi bini, reverentiam exhibentes Archidiacono, & notam facientes cauſam punctatori, ut diſcuti poſſit in pleno Capitulo, & quod ſervetur ſolitum in Miſſis, quæ cantari ſolent ab ipſo Archidiacono diebus ſolemnibus, ſicuti etiam in conficienda tabella Canonicorum, Presbyterorum, & Clericorum, qui deſervire debent Officiis, & in Miſſis ſolemnibus, declaravit eadem S. Congreg. in Aruptina 18. Aprilis 1607. & in Placentina 27. Septembris 1647. & dixi alibi.

Neque dicatur, regimen Chori ſpectare ad Cantorem 3
ex declaratione Sacr. Rituum Congregationis in Tarentina Cryptalearum, relata a Barb. *in coll. 146. num. 4.* Nam illa declaratio intelligenda eſt in eo, quod attinet ad proprium munus, quod verſatur circa modulationem, & cantum, in quo ipſe Cantoribus præeſt, Azor. *d. p. 2. l. 3. c. 22.* In aliis verò, nempè circa dandum ſignum pro Officio inchoando, circa indictionem ſilentii, & hujuſmodi, quæ in Choro evenire poſſunt, videntur proculdubio pertinere ad Archidiaconum eo modo, quo præſente Vicario pertinent ad Vicarium. Sicuti quod ad eum ſpectat in principio Matutini, & Horarum, & Veſperarum intonare *Pater noſter*, dare ſignum, ut incipiatur, & alia peragere, declaravit etiam eadem S. Congregatio Epiſc. & Regul. apud eundem Barboſ. *in collect. 40. num. 11. & 12.*

Abſente verò Archidiacono, munus hujuſmodi vide- 4
tur ſpectare ad ſecundam dignitatem, & ſic deinceps. Quia inter præſentes in Choro ſervandus eſt ordo. Et dum non habetur aliqua legitima diſpoſitio in contrarium, eſſet abſurdum, quod hæc prærogativa, ſive munus non tranſiret gradatim ſecundùm cujuſque ordinem, & dignitatem.

Ad ſecundnm cenſeo pariter reſpondendum affirma- 5
tivè. Quia ita diſponit Cæremoniale *lib. 2. cap. 38.*

Ad tertium, cum non ambigatur, Dignitates habe- 6
re majorem prærogativam, quam habeant Canonici, ac præcedentiam in omnibus functionibus, neque eſt ambigendum eiſdem deberi apparatus pretioſior. Eis enim qui cæteros dignitate præcellunt, debetur quoque major honor.

Ad quartum. Archidiaconus prima dignitas debet e- 7
xercere officium Presbyteri aſſiſtentis Epiſcopo, pontificaliter celebranti, ut pluries reſpondit S. Rituum Congregatio apud Barboſ. *collect. 40. num. 18.* Et iſta aſſiſtentia ſemper facienda eſt a prima dignitate, quocunque nomine nuncupetur, ex eadem S. Rituum Congreg. apud eundem Barboſ. *collect. 57. num. 20.* Unde abſente, aut impedito Archidiacono, ea proculdubio pertinet gradatim ad alias dignitates, & demum ad Canonicos ex eadem S. Rituum Congregat. *collect. 253. nu. 6. & 14. ac ſeq.*

Ad quintum dicendum eſt, Archidiaconum, primam 8
dignitatem ſemper præcedere Vicario Capitulari. Aliis verò dignitatibus præcedere Vicarium Capitularem, Sbroz. *de offic. Vicar. lib. 2. qu. 25. num. 20.* Barboſ. *de Epiſcop. alleg. 54. num. 167. & de Canon. & dignitat. cap. 36. num. 8.* Sed quando Vicarius Capitularis eſt Canonicus debet ſemper ſtare, ſedere, ac incedere in loco ſuo, & tunc nulli præcedit, Barboſa *d. c. 36. num. 10.*

Ad ſextum ex alibi deductis reſpondeo, has functio- 9
nes, tanquam ſolemnes, ſpectare ad Archidiaconum, eo verò abſente, aut impedito, ad ſecundam dignitatem, & gradatim ad alias. Quia iſtæ dignitates præferuntur omnibus aliis, etiam Vicario, in his, quæ ſpectant ad exercitium ordinis, ut ſunt hujuſmodi functiones Eccleſiaſticæ.

Ad ſeptimum. Ex quo Archidiaconus debet exerce- 10
re officium Presbyteri aſſiſtentis, etiam debet eidem Epiſcopo prædicanti aſſiſtere. Cæremoniale enim *lib. 2. c. 8.* de Miſſa ſolemni Epiſcopo celebrante, diſponit, quod Epiſcopo prædicante, ad ejus dexteram ſedere debeat Presbyter aſſiſtens, & ſic ille idem aſſiſtens celebrationi Miſſæ.

Ad octavum videtur reſpondendum, dignitates ire de- 11
bere

bere ſecundùm ordinem, quæ una alteri præcedit. Dum enim non habetur legitima diſpoſitio contraria, ſemper ſervandus eſt ordo præcedentiæ.

12 Ad nonum cenſeo, quando hebdomada non ſpectat ad Canonicum, ſed ad ſimplicem Sacerdotem, alium Sacerdotem ejuſdem ordinis teneri ejus vices abſentis, aut impediti ſupplere, non verò unum ex Canonicis antiquiorem, vel juniorem. Quia regulariter majores minorum vices non ſupplent, niſi ex neceſſitate. Quando verò hebdomada pertinet ad Canonicum, tunc, eo abſente, aut impedito, alter Canonicus ejus vices ſupplere debet. Et ita etiam ſi ex conſuetudine, aut aliter pertineret ad dignitates, ut diſponit Cœremoniale *lib. 1. cap. 27.* ſed ſi omnes Hebdomadarii deficerent, tunc tenentur Canonici, licèt majores ſupplere vices minorum, ſtante neceſſitate. Verùm incipiendum eſſet ab ultimo, ſeu juniore, ut diſponit Cœremoniale eo loco, inquiens, quod deficiente uno gradu fiat tranſitus ad ſuperiorem gradum, & incipiatur ab ultimo.

13 Ad decimum. Haud dubitari poteſt, quin Archidiaconus præferri debeat. Nam ipſe ſuperioritatem, & juriſdictionem in perſonas tàm Clericorum inferiorum, quàm Presbyterorum habet, totiuſque Cleri, & Eccleſiarum negocia gerit cum ampla poteſtate, & authoritate, ut in *cap. 1. de offic. Archid.* Et tradit Azor. *inſtit. mor. p. 2. l. 3. cap. 14.* Atque ideò, licèt Archipresbyter præcedat in divinis, de quo alibi, non tamen in juriſdictionalibus, immò in his ſubeſt Archidiacono, ut in *cap. 1. de off. Archipr.* Ubi Gloſſ. & omnes ac notant Ant. de Pret. *de juriſd. Epiſc. defenſ. inter tr. mag. tom. 2. cap. 6. num. 38.* Felin. *in rubr. de major. & obed. in princ.* & Card. Toſch. *lit. A. concl. 482. num. 10. & ſeqq.* Gratian. *diſcept. forenſ. c. 111. num. 83.* & ante omnes in ſpecie docuit Bald. *in rub. C. pro ſoc. col. 1.*

14 Ad undecimum reſpondeo, ad eundem Archidiaconum, tanquam primam dignitatem pertinere Prælatos in ſede locare, & in poſſeſſionem beneficiorum Clericos immittere ut diſponitur in *cap. ad hæc*, & *in c. ut noſtrum*, utrobique Barboſ. *in collect. jur. can. tom. 1. eod. tit.* ac etiam ordinare proceſſionem, quod Clerici incedant bini, & modeſtè, tradit Jo: Andr. *in c. 2. de offic. Archid.* cum ad ipſum ſpectet cura, & adminiſtratio cultus divini, & modica correctio, *c. 1. eod. tit.* Et ideò, quicquid ſit in adminiſtratione divinorum, ſcilicet celebratione Miſſarum, & hujuſmodi certum eſt, quod in omnibus actibus juriſdictionalibus in Eccleſia, & extra illam, Archidiaconus præferri debeat, etiamſi non ſit ſacerdos, Rot. *dec. 244. num. 2. & 3. part. 3. rec.* niſi tamen pro Archipresbytero poſſeſſio legitimè ſit præſcripta, ſaltem ſpatio quadraginta annorum, ut requiritur in conſuetudine novi juris, alteri jam quæſiti, Rot. *dec. 225. n. 3. & 4. & dec. 524. n. 3. p. 1. rec. & dec 45. in fin. p. 8. & dec. 22. n. 23. & dec. 118. n. 2. & ſeqq. p. 9.* & in ſpecie firmat Barbat. *conſ. 5. num. 9. l. 2.*

CONSULTATIO CLXXXIV.

An populus tempore peſtis, vel alterius neceſſitatis cum conſenſu Epiſcopi, confugiendo ad protectionem Beatiſſimæ Virginis Montis Carmeli, vel Roſarii, poſſit ſe obligare ad celebrandum quotannis illius feſtum, nec non ad ducendum eo in feſto publicam proceſſionem?

1 AFfirmandum puto. Neutrum enim apparet prohibitum. Non primum, quia Epiſcopus, non ſolum, conſentiente populo, & majori parte Cleri, poteſt indicere feſtum, verum etiam, iis non conſentientibus, Butr. *in cap. Conqueſtus, num. 17. de fer.* ac latè Chaſſan. *in catal. p. 3. conſid. 48. v. quidquid tamen*, Genuen. *in prax. cap. 51. num. 1. in fin.* Et quod hoc ſaltem illi ſit permiſſum de conſuetudine, tradit Azor. *tom. 2. l. 1. c. 26. q. 2. in fin.* Barboſ. *in d. c. conqueſtus nu. 25. ad med.* & Caſtropal. *tom. 2. tr. 9. diſput. 2. pun. 3. n. 6.*

2 Neque ſecundum: Nam Epiſcopus poteſt, occurrente publica neceſſitate, ſolemnes, & extraordinarias proceſſiones indicere, ut pluribus relatis comprobat Barb. *de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 78. n. 2. & ſeqq.*

3 Ex quibus ſequitur, quod, excluſa neceſſitate, aſſenſus populi nihil refragetur, quod aliqui ex magiſtratu poſt publica comitia privatim diſſentiant. Nam quatenus eſſet neceſſarius ejuſmodi conſenſus, ille non deſideratur, cum electio facta in publicis conſiliis, in quibus omnes fuerant vocati, non poſſit tolli ex ſubſequenti contradictione aliquorum particularium, *l. non diſtinguemus 37. §. cum plures, ff. de recept. arb.* Rota coram Burat. *dec. 225. num. 4. & dec. 351. n. 6.* Sicuti idem dicitur de diſſenſu quorundam Eccleſiaſticorum, quia ex dictis liquet, non eſſe neceſſarium, & in omnem eventum habetur pro præſtito, cùm in re tam laudabili, & pia nullam habeant cauſam contradicendi, ut in ſimilibus terminis notat Abb. *in d. c. Conqueſtus num. 5. in fin.* & Genuen. *d. cap. 51. num. 1.*

Neque obſtat decretum ſan. mem. Urbani VIII. præ- 4
ſcribens ſolemnitates adhibendas in electione Protectoris. Quia non verſamur in vera, & formali electione protectoris. Neque deficiunt in electione, niſi vota ſecreta, quorum uſus a vi majori, cui reſiſti non poteſt, ſublatus eſt, Rot. *dec. 567. per tot. par. 1. rec.* Et quoniam decretum iſtud unà cum altero excluſivo plurium Protectorum, loquens ſimpliciter de Sanctis, extendi non poteſt ad Beatiſſimam Virginem, de qua non loquitur ſpeciatim, cùm Rex, & Regina non veniant ſub generali diſpoſitione, *cap. fin. in princ. de off. deleg. in 6. c. ne reliqui, de privil. cod. cap. Solitæ de major. & obed.* Pariſ. *conſ. 112. lib. 4. in fin.* & facit *text. in l. Princeps, ff. de legib.* quem ad excludendum Beatiſſimam Virginem ab univerſali præcepto adducit Cevall. *com. opin. q. 434. num. 17.*

CONSULTATIO CLXXXV.

1 *An coadjutor Canonici admitti debeat poſt turnum omnium Canonicorum ad cantandum Miſſas principales, dum Canonicus proximus ſolet, & vult ſupplere?*
2 *An idem Coadjutor poſt turnum omnium Canonicorum debeat admitti ad faciendum functiones in decantatione litaniarum, & hujuſmodi?*
3 *An functiones quædam in diverſis Eccleſiis poſſint fieri in habitu Canonicali a coadjutoribus, uti ſingulis invitatis?*
4 *In quo loco inſtallandus ſit coadjutor, vivente coadjuto?*
5 *Ubi poſt obitum coadjuti?*
6 *Et quid dicendum de ipſo coadjutore, poſt mortem ſui coadjuti?*

REſolutio iſtarum, ac ſimilium difficultatum pen- 1
det ex forma coadjutoriæ. Ideòque illa inſpicienda eſt, quæ ut plurimum reſtringitur ad facultatem faciendi, quæ ad coadjutoris officium de jure, vel conſuetudine ſpectant, ita quod in Capitulo, choro, & proceſſionibus, aliiſque actibus capitularibus, abſente coadjuto, ac divinis officiis in ea celebrandis, tanquam illius Canonicus, & in divinis intervenire, ac ſtallum in choro, ac locum, ſuffragium, vocemque in Capitulo, proceſſionibus, & actibus Capitularibus habere, nec non in omnibus horis Canonicis, divinis officiis, funeralibus, proceſſionibus, & aliis functionibus Eccleſiaſticis in dicta Eccleſia celebrandis intereſſe, &c. poſſit, valeat, & debeat.

Ex quibus verbis notare licet, & reſpondetur ad pri- 2
mum, quod non eſt data facultas faciendi generaliter ea omnia, quæ ſpectant ad coadjutum, ſed ſolùm ea, quæ exprimuntur, circa quæ verſatur neceſſarium ſervitium Eccleſiæ ad effectum lucrandi fructus, & diſtributiones, inter quæ non computatur celebratio Miſſarum ſolemnium cùm in ea propter aliorum Canonicorum ſupplementum, ſervitium Eccleſiæ non minuatur, cùm eodem tempore, quo ab alio Canonico Miſſa cantatur, coadjutor reperiri poſſit in choro; ſed conceditur tantùm facultas ſpectans de jure, vel conſuetudine ad officium coadjutoris, exemplum adjungens per dictionem reſtrictivam, *ita quod*, &c. Quare ſunt ea, quæ conceduntur, inter quæ non eſt celebratio Miſſarum, dum Canonici ſolent, & contendunt illam ſupplere.

Et advertendum eſt, quod in hoc eſt differentia in- 3
ter coadjutores Dignitatum, & coadjutores Canonicorum. Quia illi ſicuti ſedent in ſtallo dignitatis, ita debent facere functiones ſpectantes ad dignitatem coadjutam, ut declaravit S. Rituum Congregatio in Ferrarien. 2. Junii 1640. his verbis: *Sacra Congregatio ad 2. reſpondit: coadjutorem inſervientem pro ſuo coadjuto Canonico ſemper ſtare, ſedere, & incedere debere in ultimo loco poſt omnes Canonicos. Si verò ſit coadjutor dignitatis, coadjutorem inſervientem pro ſuo coadjuto ſemper ſtare, ſedere, & incedere debere in eodem loco, & ſtallo ipſius coadjuti.* Et de hiſce loquuntur omnes declarationes dicentes, coadjutori competere functiones coadjutoris. Sed non ſic coadjutores Canonicorum, qui ſicuti ſedent poſt omnes Canonicos, ut per eandem S. Congregationem in dicta Ferrarienſi, ita non admittuntur ad honorarias functiones, ſi adſint alii Canonici, qui ſuppleant, juxta diſpoſitionem Cœremonialis *cap. 26. lib. 1. de ſupplend. vicib.* ob quam regulam coadjutores nunquam faciunt aſſiſtentiam Epiſcopo, ſi adſunt veri Canonici, ut per eandem Sac. Congregationem in Civitatis Caſtelli 24. Maji 1636. *Sacra, &c. cenſuit, non licere coadjutores Canonico-*

nonicorum, absentibus, vel impeditis coadjutis inservire pro assistentibus Episcopo, solemniter celebranti, vel cum cappa divinis interessenti; sed hoc munus spectare, & pertinere ad veros Canonicos ordine successivo. Et ita in casu proposito servari mandavit. Nam coadjutoria datur pro servitio, & necessitate Ecclesiæ, non autem pro honore, & in gratiam coadjutoris ex Concilio Tridentino *cap. 5. sess. 25. de reformat.* Paris. *de resign. lib. 7. cap. 10. numer. 16.* & Rota *dec. 570. numer. 9. part. 1. rec.*

4 Et facultas data eis in literis coadjutoriæ tota versatur circa ea, in quibus, coadjuto deficiente, minueretur Ecclesiæ servitium, ut Choro, divinis officiis, processionibus, funeribus, Capitulo interesse, & ad supplendum de necessitate, quando ageretur de functionibus pertinentibus jure proprio ad ipsum coadjutum, ut cantare Missas ex obligatione quemadmodum declaravit S. Congregatio Rituum in Patavina die 3. Decembris 1616. his verbis: *Cum in Ecclesia Patavina inter veros Canonicos, & coadjutores Canonicorum, &c. Sac. Rituum Congregatio ad relationem Illustrissimi Cardinalis Lancellotti quoad secundum, teneri coadjutores celebrare Missas, quas vigore testamenti, & institutionis Capellaniæ ipsi coadjuti celebrare tenentur, quando coadjuti sunt legitimè impediti, vel ob senectutem, vel ob ægritudinem non possunt dictas Missas celebrare. Nullo autem modo, quando agitur de functionibus communibus totius Capituli, ut sunt dictæ Missæ solemnes.* In quibus terminis non est verum, quod minuatur servitium, & cultus Ecclesiæ, & quod adimantur coadjutori sibi concessa per coadjutoriam.

5 Multoque minus intrat officium coadjutoris in functionibus, ad quas singulares Canonici eliguntur. Garz. *de benef. part. 4. cap. 5. in add. ad num. 28.* Barbos. *de canon. cap. 29. num. 40.* Gavant. *in man. Episcop. v. coadjutor in addit. num. 23.* Et in hoc casu eliguntur a Cantoribus per singulas Canonicorum classes, quæ non confunduntur in propriis cujusque classis in cantandis Missis. Acceditque quod coadjutores speciatim, ut dictum est, dantur ad agendum, quæ spectant ad officium coadjutoris de jure, vel consuetudine. De jure autem generali coadjutor tantùm supplet in necessariis, *cap. Ex parte de Cler. ægr. cap. un. eod. tit.* & ex forma Cœremonialis *d. cap. 26. lib. 1.* alii Canonici supplent vices in defectum eorum, qui obligantur, & sic volentibus aliis Canonicis supplere, nulla est necessitas muneris coadjutoris.

6 De consuetudine verò constare debet vel in generali, vel in particulari, quæ debet esse præscripta spatio quadraginta annorum, cùm sit contrarius, coadjutores, qui sunt minus digni, æquiparentur in functionibus peragendis veris Canonicis, qui sunt digniores, & in omnibus præferendi, ac ut se ingerant ultra formam coadjutoriæ.

7 Ad hæc si coadjutor non suppleat in tempore, & in turno Canonici coadjuti, non potest ex supradictis, volentibus aliis Canonicis supplere; unde si intret post omnes Canonicos, non serviret pro coadjuto, sed ex persona sua propria, ad quod nullum jus habet, vivente coadjuto, cum sit Canonicus fictus, & Canonicatum non possideat, nec sibi, sed coadjuto actus faciat Garz. *de benef. dict. part. 4. cap. 5. num. 76. & 90.* & Rot. *dec. 410. num. 4. & 6. part. 1. div. & dec. 456. num. 3. part. 1. rec.*

8 Neque refert, quod aliquando eadem Sacr. Congregat. responderit, coadjutores debere facere functiones pro coadjuto post omnes Canonicos. Quia stantibus supra firmatis, id intelligitur de illis functionibus, quas potest, ac tenetur facere uti coadjutor, & casu, quo alii Canonici recusarent, ut servire altari, hebdomadam facere, lectiones, & antiphonas canere, suffragium in Capitulo dare, processionibus interesse, & alia hujusmodi, in quibus plenius satisfit servitio Ecclesiæ ob majorem numerum. Et in his terminis loquitur declaratio Sacræ Congregationis in dicta Patavina.

9 Ad secundum respondeo, secluſa consuetudine, non posse, nisi admittatur post omnes Canonicos precario nomine, & sic revocabiliter quandocunque, & durante tantùm eadem voluntate in Canonicis, per Mantic. *de tacit. lib. 1. tit. 12. num. 9.* Gratian. *discept. 167. n. 16.* Post. *de manut. observ. 42. num. 124.* eaque cessante, nullum jus, nullamque possessionem acquisivit contra Canonicos. a quibus precario possedit, ne ad effectum quidem manutentionis, *l. qui precario, ff. de precar.* Menoch. *de retin. possess. remed. 3. num. 3. 19. 38. & seqq.* Post. *observ. 52. num. 21.* Rot. *dec. 214. num. 6. & dec. 235. num. 3. post ejus tract. & in rec. dec. 29. num. 6.* Posito autem, quod coadjutor non sit in possessione hujusmodi prærogativæ, nisi pro libito Canonicorum, & precario, sequitur, quod nulla præscriptio ad ejus favorem inducta sit, neque allegari possit consuetudo, quæ non præscripta, nullum jus tribuit, atque adeò neque attendenda est, *cap. fin. de consuetud.* ubi Glos. *v. legitimè*, Hostien. *num. 16.* Abb. *num. 13.* aliique.

10 Præterea circa istam functionem militant etiam eædem rationes superius adductæ circa Missarum celebrationem, scilicet quod functio litaniarum non est de comprehensis in literis coadjutoriæ propter ejus maximum honorem; competentem toti Capitulo, non autem particulari Canonico, habenti coadjutorem, & in ea parati sunt reliqui Canonici supplere ad præscriptum libri Cœremonialis. Unde non est necessarium supplementum adjutoris, neque Ecclesiæ servitium minuitur, neque est actus ex pertinentibus ad officium coadjutoris de jure, vel de consuetudine ex jam dictis.

11 Ad tertium respondeo quoque negativè. Quia coadjutoribus non competit ex forma coadjutoriæ, cujus servitium expressè restrictum est ad supplendum pro coadjuto, ubi coadjutus esset obligatus in propria Ecclesia, & in actibus capitularibus in ea celebrandis, & functionibus in illa, vel occasione illius peragendis, non autem ad functiones, ad quas vel coadjutus, vel multo magis ipse coadjutor invitaretur ad invitantium libitum, stante præsertim, quod coadjutores extra suam Ecclesiam, & sine Capitulo nullam habent prærogativam, & agitur cum eis, ac si non essent coadjutores. Unde in concursu cum aliis Sacerdotibus non præcedunt, nisi ratione antiquitatis in Ordine, ut sunt declarationes S. Rituum Congregationis in Anconitana 18. Martii 1623. tenoris sequentis: *Sacra, &c. censuit, coadjutores dignitatum extra Ecclesiam nullum habere privilegium, sed præcedentiam inter eos servandam esse, ac si non essent coadjutores.*

12 Et in Laudensi. *Sacra, &c. ad instantiam dignitatum, & Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis Laudensis respondit, coadjutori dignitatis extra Ecclesiam, & actus capitulares nullam deberi præeminentiam, seu prærogativam supra antiquiores in ordine sacerdotali die 7. Martii 1637.* Ex quibus, atque ex inferius dicendis apparet, Sacr. Congregationem recessisse ab antiqua sententia, quod coadjutores extra Ecclesiam habeant prærogativas, uti veri Canonici, ut in Casalensi anno 1608.

13 Minusque id illis competere potest ex vi consuetudinis, quia est contra jus, ut extra casus expressos in literis coadjutoriæ adsint eodem tempore duo Canonici ejusdem Canonicatus. Consuetudo autem contra jus debet esse non solùm præscripta spatio quadraginta annorum, sed etiam rationabilis *ex cap. fin. de consuet.* ubi Doctores. Quæ præscriptio licèt adesset, desideratur nihilominus rationabilitas, eo quod non conveniat eodem tempore adesse coadjutum in choro cum habitu canonicali, & coadjutorem comparere in alia Ecclesia cum eodem habitu, aliàs enim si coadjutus non esset in choro, coadjutor amitteret distributiones, illasque de suo teneretur dare ex forma coadjutoriæ, estque admodum indecens, habitum canonicalem, permissum coadjutori ad effectum coadjuvandi in Cathedrali, adhibere ad libitum in quocunque loco contra declarationes Sacræ Congregationis, quæ ipsismet veris Canonicis prohibet deferre habitum canonicalem, dum interveniunt uti singuli, etiam intra Cathedralem in functionibus cum aliis presbyteris, ut ex sequentibus.

14 In Comensi. *In causa inter Mazzacronios Ecclesiæ Cathedralis Comensis, & Donatum Peregrinum Canonicum ejusdem super habitu, & loco obtinendo inter eosdem, dum litaniæ, quotidie S. Virginis ibidem decantantur, S. Rituum Congregatio, Em. D. Cardinali Sachetto proponente, censuit, Canonico non competere in casu prædito delationem habitus canonicalis, nec locus super antiquiores Mazzacronios, sed si contingat ipsum Canonicum eodem tempore, & ibidem in forma capituli interesse, tunc habitum canonicalem cum cæteris deferre. Die 22. Novembris 1643.*

15 In Capuana. *Capitulum, & Canonici Cathedralis habentes usum cappæ, & rocchetti, tàm in suis, quàm in aliis quibuslibet Ecclesiis in functionibus, & divinis officiis, supplicaverunt Congregationi Sacrorum Rituum propositæ declarari, se illis uti posse in aliis Ecclesiis, dum conciones habent, vel ab eis pœnitentiæ, vel baptismi Sacramentum administratur, & in aliis similibus functionibus. Eminentissimi verò Patres responderunt, id eis non licere, nisi in propria Ecclesia die vigesima Maji 1651.*

16 Et stante quod, nedum coadjutori, sed neque veris Canonicis,

nonicis, uti singulis interessentibus, ulla competat præcedentia extra propriam Ecclesiam, supra Parochos, ut in Sutrina sub die 2. Novembris 1603. neque ulla prærogativa, immò nec locus, respectu aliorum presbyterorum, ut est declaratum in Cassanensi 19. Martii 1650. & in

17 Sutrina. *Decretum, alias factum pro Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Sutrinæ Civitatis, quòd Canonici, & Capitulum Ecclesiæ Cathedralis in processionibus, & funeribus semper, & ubique præcedere debeant Curatis, etiam in eorum propriis Ecclesiis, non habere locum Sacra Congregatio Rituum declaravit, quando Canonici sine Cruce, & consensu Capituli, uti singuli incedunt.*

18 In Cassanensi. *Canonicus Theologus Cathedralis Cassanensis declarari petiit a Sacra Rituum Congregatione, an Canonicus Cathedralis, &c. residens in aliquo Oppido ejusdem Diœcesis præcedere possit Archipresbytero Curato, & aliis Sacerdotibus in processionibus, & in cantandis vesperis, Missis, & antiphonis in festis solemnibus, & in aliis publicis functionibus. Et Eminent. Patres responderunt, Canonicum præfatum non habere locum, nisi in Ecclesia propria.*

19 Non enim probatur, ut Canonicis ratione habitus prærogativæ debeantur, quando spontè ex ambitione, vel lucro inferioribus immiscent, cùm rationabile non sit, ut eadem persona appareat in uno loco superior, & in alio inferior.

20 Ad quartum jam per eandem S. Rituum Congregationem sub die 14. Augusti, si rectè memini, anno 1655. in Januensi stalli fuit responsum, quod stante divisione Canonicatuum in Ecclesia Cathedrali Januensi in Ordine Subdiaconales, Diaconales, & Presbyterales, & stante quod Coadjutor sit Coadjutor Canonici Presbyteri, hodie esset installandus ultimo loco in ordine presbyterali, inhærendo declarationi, aliàs factæ in Æsina tenoris sequentis: *Quæsitum fuit in S. Rituum Congregatione, ac Coadjutori presbytero in Ecclesia, in qua præbendæ sunt distinctæ, debeatur præcedentia super Canonicos Diaconos, dum pro suo Coadjuto divinis interest. Et Sacra Congregatio respondit, in casu proposito, præcedentiam Coadjutori deberi die 4. Martii* 1644. Et in una Monopolitana Primicerii 17. Julii 1632. utraque parte plenè informante, censuit in præsenti causa ad relationem Eminentiss. Cardinalis Pamphilii, durante coadjutoria, absente, vel impedito primo Primicerio Coadjuto, primum locum, & præcedentiam deberi secundo Primicerio, non autem Coadjutori primi Primicerii. Coadjutoria verò cessante, & facto loco futuræ successioni secundum Primicerium effici primum, & in illius locum subintrare, Coadjutorem verò effici secundum.

21 In Ecclesia verò, in qua Canonici non sunt distincti, Coadjutor Canonici cum futura successione post proprietarii mortem habet ultimam sedem post alios Canonicos, etiam ita Coadjutoria durante, receptos, ut per Barbos. *alleg.* 51. *num.* 14. & Rota apud Farin. *p.* 1. *dec.* 456. sed neque etiam vivente proprietario, sedem habere in loco proprietarii, quia sedere debet ultimo loco post alios Canonicos, Bonac. *de hor. Can. dis.* 1. *q.* 2. *pun.* 4. *n.* 14. Nisi esset coadjutor alicujus dignitatis, præsertim primariæ. Nam tunc, absente coadjuto suo, præcedit omnibus Canonicis, habetque idem prorsus stallum, quod coadjutus, si præsens esset, obtineret, & ad coadjutorem spectant functiones dignitatis coadjutæ, ut pluries S. Rituum Congregationem censuisse refert Barbosa *de Can. c.* 29. *n.* 27. At quomodo id intelligatur diximus supra, videndique Gavant. *in man. d. v. coadjutor n.* 24. Jo: Franc. Leo *in thesaur. for. Eccles. par.* 2. *cap.* 4. *n.* 56. & *seq.* ac Dian. *tr. Miscell. resol.* 38.

22 Verùm in hac re attendi debet forma coadjutoriæ. Nam si ex illius contextu appareat de expressa mente Pontificis, quod coadjutor debeat gaudere eisdem præeminentiis, coadjuto competentibus etiam respectu sedis, dum in ea legitur, *quod non residente coadjuto, illius vice, & loco coadjutor, tanquam Ecclesiæ Canonicus, possit residere cum omnibus, & singulis privilegiis, præeminentiis, honoribus, gratiis, & prærogativis, & habere debeat stallum in choro, locum, & vocem in Capitulo, ac in processionibus, eo modo, quo coadjutus hactenus habere potuit*, ponderando præsertim illa verba, *cum omnibus præeminentiis, &c.* quæ tanquam universalia nullam præeminentiam excludunt, *l. Julianus, & l. Testamento, ff. de leg.* 3. Roland. *cons.* 87. *n.* 8. *vol.* 2. Roman. *cons.* 44. *n.* 5. ac dictionem *eo modo*, quæ tanquam apposita immediatè post mentionem, & concessionem stalli significat identitatem ejusdem in omnibus, & per omnia, prout habebat coadjutus, Gratian. *cons.* 40. *n.* 22. Barbos. *d.* 107. Gratian. *discept.* 832. *n.* 4. & 5. utique dicendum est, coadjutori assignandam esse eandem sedem, in qua reperitur coadjutus.

Id, quod clarius apparet ex verbis subsequentibus: 23
quotiescunque voluerit coadjutus in Ecclesia residere, possit gaudere suis præeminentiis cum stallo, & loco, prout antea gaudebat, & in casu residentiæ coadjutor illi locum cedere debeat. Signum evidens, quod in casu non residentiæ stallum proprium coadjuti debeat occupari a coadjutore. Nam aliàs iste sedem cedere non posset, nisi verè, ac reipsa in ea permaneat, cùm non detur cessio eorum, quæ a cedente non possidentur, Rot. *dec.* 62. *num.* 7. & 8. *par.* 8. *rec.* ex vulgari regula *l. nemo plus, ff. de reg. jur.* Et sic ex demandata cessione loci resultat evidentissima probatio, quod illamet sedes coadjuti esset occupanda in casu non residentiæ a coadjutore, cùm privatio præsupponat habitum, *l.* 10. *ff. de verb. oblig. l. Titio usumfructum ff. de cond. & dem.* Rota in Bononien. portionis 17. Decembris 1607. coram Marquemontio penes Marches. *de commiss. p.* 1. *fol.* 978.

Ac ita, ut in hoc casu ne statutum quidem capitulare 24
a Pontifice confirmatum, obstare possit, per quod ordines Canonicatuum asseruntur confusi, quoad sedis acquisitionem, adeò, quod vigore antianitatis tantùm debeat fieri ascensus, nulla habita ratione, an Canonici optantes sint presbyteri, Diaconi, vel Subdiaconi. Tum quia ex supradictis apparet de expressa mente Pontificis circa assignationem sedis. Tum quia est coarctatum in eventu vacationis Canonicatuum, quæ comprobari nequit in hoc casu. Nam stante coadjutoria cum futura successione, & clausula *ex nunc prout ex tunc*, nunquam datur vacatio Canonicatus, Tondut. *de pension. q.* 22. *n.* 14. Rota coram Seraph. *decis.* 1148. *num.* 2. & coram Duran. *dec.* 12. *num.* 1. & consequenter haud rectè applicatur dictum statutum, cùm requirat vacationem, ut in simili firmavit Rota in allegatis decisionibus, præcipuè verò si in statuto dicatur, adveniente casu vacationis per cessum, vel decessum. Quæ verba, tanquam generalia, non comprehendunt casus speciales provisionum Apostolicarum, Rot. coram Mohed. *dec.* 25. *de præb. n.* 1. Tum quia versamur in Canonicatu reservato, atque affecto per appositionem manus Papæ, ut per concessionem coadjutoriæ, firmavit Rot. *dec.* 36. *n.* 11. & *dec.* 78. *n.* 4. & coram Buratto, & coram Merlino *dec.* 768. *n.* 1. & 10. Unde refragari non potest dispositio statutaria, continens optionem stalli, cùm non detur optio in beneficiis, seu Canonicatibus, quomodolibet reservatis, sive affectis, & in curia impetratis, Garz. *de benef. par.* 5. *cap.* 1. *n.* 452. Mar. Ant. *var. resol. ult. cas.* 9. Rot. *dec.* 2. *de consuet. in antiqu.* & coram Ludovis. *dec.* 478. *n.* 2. ibique Add. *n.* 5. & *dec.* 10. *n.* 5. *p.* 8. *rec.* ac in terminis, quod contra coadjutorem cum futura successione non sit locus optioni, tradit Lotter. *de re benef. l.* 2. *q.* 25. *n.* 28. Rot. *dec.* 40. *n.* 28. *p.* 4. *tom.* 2. *rec.* Tum tandem quia in literis coadjutoriæ solet adesse expressa derogatio statutorum, ibi, *non obstantibus; &c. dictæ Ecclesiæ juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate, aliàs roboratis, statutis, & consuetudinibus, contrariis quibuscunque.* Ideòque tanquam a Papa derogatum, non debet attendi in hoc casu, Rot. *decis.* 136. *num.* 8. & 9. *dec.* 161. *num.* 20. & *dec.* 210. *n.* 11. coram Eminentissimo Cardinali Otthobono, ac proindè absque dubio excluditur optio, Gemin. *cons.* 30. *num.* 8. Lotter. *d. qu.* 25. *n.* 52. Rota *dec.* 40. *n.* 30. *p.* 4. *recent.*

Ad quintum consequenter ad dicta respondendum 25
censeo, post obitum coadjuti competere coadjutori, sedem, in qua reperietur cum præcedentia aliorum Canonicorum postea receptorum in ordine Presbyterali. Nam in hoc articulo habemus decisiones S. Rotæ in Tirasonen. Coadjutoriæ 9. Decembris 1599. & 27. Octobris 1600. coram Pegna inter ejus impressa 770. & 856. in quibus firmatur, coadjutori post obitum coadjuti assignandam illam eandem sedem, in qua reperiebatur tempore obitus coadjuti, atque adeò præferendum Canonicis ingressis post receptionem in coadjutorem, ibique respondetur argumentis, & rationibus contrariis.

Quod potioni jure admittendum est in casu, in quo 26
ex forma coadjutoriæ, ex qua resultant facultates, & privilegia coadjutoris, Barbos. *de Canon. & dignit. c.* 29. *n.* 21. & 25. *in Coll. dec. Apost.* 176. *n.* 10. apparet gratiam esse concessam cum amplissimis clausulis videlicet, quod plenum jus ex nunc verè, & non fictè censeatur acquisitum, & quod coadjutor possit gaudere indulto de annali, & triennali possessione. Ex quibus evidentissimè convincitur, gratiam non consistere in simplici coadjutoria, sed continere a principio collationem cum vera possessione. Nam ex dicto indulto de annali, & triennali possessione desumitur, Summum Pontificem voluisse, coadjutorem sibi possidere, non autem coadjuto, cui revera possidet provisus per simplicem coadjutoriam, & distinguendo inter coadjutorem cum isto, &

absque isto indulto, tradunt Garz. *de benef. par.* 4. *c.* 5. *n.* 9. & Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancel. glos.* 5. §. 9. *n.* 118. concurrentibus præcipuè illis clausulis, & dictionibus *ex nunc plenum jus verè, & non fictè*, quæ denotant, ab initio coadjutorem esse reputandum pro vero possessore Canonicatus, cum dictio *ex nunc* referatur ad tempus actus gesti, & temporis inchoationem designet, licèt tamen effectum futurum denotet, Gabr. *conf.* 69. *num.* 4. *lib.* 1. Marescott. *var. resol. lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 2. cum allis adductis per Barbos. *d.* 117. & illa verba, *plenum jus* includunt ex regula protrita in coadjutoriis, quod coadjutor non habeat jus considerabile in beneficio, cum proprietas dictorum verborum, tanquam universalium, sit omnia comprehendere, & non recipere diminutionem, neque additione indigere, Surd. *conf.* 515. *num.* 1. *vol.* 4. Gratian. *dec. March.* 259. *num.* 5. Barbos. *dict.* 261. *num.* 1. & 2. atque evidentius ex illis verbis, *verè*, & *non fictè*, quæ denotant possessionem Canonicatus reapse esse penes coadjutorem, non autem per speciem, prout est in aliis simplicibus coadjutoriis, cum dictio *verè* omnem fictionem excludat, Gonzal. *loco cit. glos.* 43 *num.* 15. Barbos. *dict.* 410. præsertim in casu, in quo additur, & *non fictè*.

27 Et ex his cessant rationes, & absurda, quæ in contrarium solent adduci, quæque recensentur a Barbos. *de Can. & dignit. d. cap.* 29. *num.* 25. & *seq.* ipsumque diù, & acriter torserunt: ut nimirum, quod Canonici postea ingressi, debeant præferri coadjutoribus ea ratione, quia coadjutor non possidet sibi, sed coadjuto, qui tunc incipit sibi possidere, & quia coadjutor, vivente coadjuto, non dicitur verè Canonicus, sed fictè, ideòque præferendi Canonici postea ingressi, ne plus honoretur Canonicus fictus, quàm verus. Nam utraque ratio cessat, stante formula coadjutoriæ a nobis adducta, ex qua, ut ostendimus, coadjutor non coadjuto, sed sibi possidet, & ideò non potest dici possessor fictus Canonicatus, sed verus ex verbis, & clausulis supra recensitis. Et cum hac responsione tollitur etiam alterum absurdum optionis stalli, adveniente casu obitus aliorum Canonicorum ante dictum coadjutorem sedentium. Nam concurrente vera possessione Canonicatus in coadjutore a principio vigore gratiæ, & clausularum supradictarum, non est dubium, quin a principio suæ receptionis, & possessionis incipiat antianitas, *l.* 1. *Cod. de consul. l.* 12. *cap.* 1. *de major. & obed.* Glos. *in cap. fin. de consuet. in* 6. Jas. *conf.* 192. *n.* 15. & 16. *lib.* 2. Ruin. *conf.* 19. *n.* 4. *lib.* 1. cujus virtute datur ascensus, adveniente casu vacationis, Barbos. *de Canon. & dignit. cap.* 30. *n.* 9. & 10.

28 Ad sextum videtur respondendum, illum præcedere debere, qui prius fuit admissus ad coadjutoriam. Ita namque suadet anterioritas possessionis, quæ in hac materia præeminentiarum potissimum attenditur, ad textum *in c.* 1. & Glos. *in cap. statuimus, v. primum locum, de major. & obed.* Gonzal. *ad reg.* 8. §. 3. *procem. num.* 25. Genuen. *in prax. cap.* 64 *num.* 8. Ricc. *in pr. par.* 1. *res.* 555. & *par.* 3. *resol.* 270. Daniel. de Nobil. *disp.* 60. *num.* 1. Marant. *resp.* 9. *num.* 3. *p.* 2. Valenzuel. *conf.* 34. *num. item* 34. *l.* 1. Altograd. *conf.* 1. *ante num.* 37. *lib.* 2. & alii.

29 Neque obstat, quod non sit attendendum tempus adeptæ possessionis coadjutoriæ, sed successionis per obitum coadjuti, proindeque facto loco successioni ad favorem alterius coadjutoris, vivente adhuc altero coadjuto, meritò ipsi, tanquam effecto vero Canonico, debeatur præcedentia. Nam quidquid esset dicendum, si viveret alter coadjutus, & sic concurreret alter coadjutor, effectus verus Canonicus, & coadjutor viventis coadjuti non adhuc haberet idem plenum jus. Tunc enim dubitari posset, an haberent locum ordinariæ regulæ coadjutoriæ, quod verus Canonicus, etiam postea receptus, habeat præcedentiam supra coadjutorem, licèt ex prægnantia clausularum, quæ solent apponi in literis coadjutoris adhuc viventis coadjuti, etiam in tali casu pro ipso resolvendum foret, ut in terminis limitando regulam contrariam, notat Barbos. *de Canon. d. cap.* 29. *num.* 25. ibi: *Competit igitur præcedentia Canonicis, quamvis posterius provisis, nisi aliud in forma coadjutoriæ caveatur.* Cessat profectò omnis quæstio in casu, quo uterque coadjutus decesserit, & sic ambo coadjutores effecti fuerunt veri Canonici, non attento, quod priùs venerit casus successionis ad favorem alterius coadjutoris, ut in similibus terminis de duobus parem dignitatem consulatus habentibus, quòd præferatur anterior, & si contingat, quod posterior in eadem dignitate assequatur dignitatem majorem, nempè Patritiatus, ob quam mereatur Prælationem, cedere tamen debeat, quatenus etiam alter postea fuerit effectus Patritius, est textus notabilis *in l. ff. de consult. lib.* 12.

Quod absque difficultate debet admitti vigore gratiæ per Pontificem factæ alteri coadjutori, quod scilicet cùm primum per cessum, vel decessum Canonicatum vacare contingeret, is illi nunc, prout ex tunc authoritate Apostolica esset collatus, atque ex nunc in illo plenum jus ei esset quæsitum, posseretque beneficio regularum de annali, & de triennali possessione gaudere. Hæ namque clausulæ operantur, ut sequuta vacatione per obitum coadjuti, collatio ab ipso principio censeatur habere suum effectum, & perindè sit, ac si ab initio de ipsomet Canonicatu provisum fuerit, quemadmodum in his terminis ad hoc, ut post obitum coadjuti, coadjutor debeat habere præcedentiam supra alios posterius receptos, resolvit Rota *in d. Tirasonen.* coadjutoriæ 22. Octobris 1600. coram Pegna. 30

Hinc patet, non subsistere responsionem, quòd hujusmodi clausula *ex nunc prout ex tunc* operetur solùm a die purificatæ conditionis, quia debet intelligi, ut non operetur suum effectum ante purificatam conditionem, non autem, quod sequuta vacatione per obitum coadjuti, in qua consistit conditionis purificatio, effectus gratiæ non retrotrahatur ad diem datæ, ut admittit etiam Barbos. dicens, hanc esse naturam harum dictionum, ut retrahant dispositionem, in qua ponuntur, ad tempus actus. Et articulo in his præcisis terminis disputato per Rotam in Hispalen. præeminentiarum 8. Februar. 1613. coram Sacrato, quæ est *dec.* 456. *num.* 11. & 12. *part.* 1. *rec.* & iterum in eadem causa 20. Febr. 1617. coram Andr. quæ est *dec.* 410. *num.* 7. *par.* 4. eadem satis clarè admisit prædicta verba importare, & coajutor habeat veram tituli collationem, & jus in beneficio verè, & non fictè quæsitum a die datæ coadjutoriæ. Et in tantùm in dicto casu fuit resolutum non competere coadjutoribus antianitatem a die admissionis, in quantum ibi agebatur in concursu actu coadjutorum cum illis, qui verè sunt Canonici, ut legitur in prima decisione *n.* 8. & 13. ubi respondendo ad præfatas clausulas, dicitur, eas in concursu veritatis, & naturalitatis non operari, cùm posterior sit natura, quàm fictio, nisi speciatim per habentem potestatem contrarium sit cautum. Præterea in dicta Hispalensi eatenus fuit denegata anterioritas coadjutori a die admissionis coadjutoriæ, quatenus in hac materia præeminentiarum attenditur præcipuè possessio, non autem titulus, & provisio, quam solùm fuit dictum posse deduci ex dicta clausula *ex nunc prout ex tunc*, ut habetur in dicta prima decisione *num.* 12. & in secunda *num.* 7. Possessionem autem in eo casu firmatum fuit, non posse *suffragari* coadjutori, nisi a die obitus coadjuti, cum illo vivente, coadjutor non sibi, sed coadjuto possideat, adeò, quòd cessante coadjutoria, debeat capi nova possessio, ut fuit dictum *in* 1. *dec. n.* 5. & 6. & *in* 2. pariter *n.* 5. 31

At in casu, quo Pontifex speciatim providit, nedum quoad titulum, sed etiam quoad possessionem, sicuti habetur ex supradicta facultate coadjutori tributa, ut possit beneficio regularum de annali, & de triennali possessione gaudere, quam esse maximæ virtutis, ac operari, ut post admissionem ad coadjutoriam censeatur translata possessio in coadjutorem, perindè ac si esset titularis, probat in terminis Garz. *de benef. p.* 4. *cap.* 5. *num.* 90. dicens, quòd aliàs, secluso tali indulto, non haberet locum dictarum regularum dispositio, ea ratione, quòd vivente coadjuto, non dicitur coadjutor possidere sibi, sed coadjuto, & sequitur Gonzal. *ad d. regul.* 2. *glos.* 5. §. 9. *num.* 118. & ita distinguendo, fuit aliis relatis, judicatum in Lucana Capellaniæ 28. April. 1656. coram Bevilaqua, & dictum, quod *dec.* 456. *p.* 1. *rec.* novam possessionem requirens, loquitur in casu, quo in literis non adsit præfata facultas. 32

Neque est omittenda ratio vitandi absurdi, quod sanè gravissimum esset, si is coadjutor, qui hucusque absque controversia Prælatus fuit alteri coadjutori, tanquam posterius recepto in coadjutoria, compelleretur descendere ad locum inferiorem, dum hodie sunt ambo veri Canonici, sicuti hanc rationem, in hac specie validissimam, consideravit Rota coram Pegna *suprac. dec.* 630. *num.* 5. & *dec.* 680. *sub princip.* 33

Verùm, his non obstantibus, tenendum est præcedentiam deberi illi coadjutori, ad cujus favorem priùs factus fuit locus futuræ successioni post mortem sui coadjuti, ex qua fuit effectus verus Canonicus. Unde alter coadjutor, etiam deputatus cum futura successione, suo coadjuto adhuc vivente, nullo jure prætendere potest præcedentiam, licèt priùs in coadjutoria fuerit admissus, sed debet sedere in ultimo loco post omnes Canonicos, & sic post alterum coadjutorem, effectum Canonicum post obitum sui coadjuti, ut supra jam diximus. Et ita etiam censuit S. Rituum Congregat. in Lauden. 34

præce-

præcedentiæ 5. Aug. 1651. proponente Eminentiſs. Cardinali Franciotto.

35 Nec aliqua diverſitatis ratio poteſt adeſſe ex quo poſtea, defuncto coadjuto alterius coadjutoris, fuit ad illius favorem factus locus futuræ ſucceſſioni, cùm fuerit factus locus poſtquam ad favorem alterius coadjutoris erat jam factus locus ſucceſſioni Canonicatus ſui coadjuti antea Defuncti, ac proindè effectus fuit Canonicus antiquior, atque adeò acquiſivit jus quoad præcedentiam, & locum.

36 Non obſtat, quòd in gratia coadjutoriæ alterius coadjutoris, in qua priùs fuit admiſſus, fuerit Canonicatu proviſus ex nunc prout ex tunc, quòd vacare contigerit, & ex nunc plenum jus ſibi in illis exercere, ac beneficio regularum de annali, & triennali poſſeſſione gaudere. Quia quoad clauſulam *ex nunc prout ex tunc*, cùm fuerit appoſita in diſpoſitione conditionali, nempè ſub conditione vacationis Canonicatus per ceſſum, vel deceſſum Canonici coadjuti, non operatur, niſi poſt purificatam conditionem, non autem a die datæ, ut in terminis diſpoſitionis collatæ poſt mortem, & coadjutoriæ cum clauſula *ex nunc prout ex tunc*, latè firmavit Barboſa *clauſ.* 61. *num.* 4. & 5. Rota coram Merlino *deciſ.* 147. *num.* 1. & 2. & quod verè, & non fictè acquiratur jus ad coadjutoriam intelligitur de jure ad rem, non autem de jure in re, quod acquiritur ex collatione de præſenti, non autem ex conditionali, quæ pendet a futuro eventu, nempè a morte coadjuti, Gonzal *gloſ.* 5. *num.* 40. & 64. Barboſa *de jur. Eccleſ. lib.* 3. *de coadjut. cap.* 10. *num.* 49. *cum ſeqq.* Et quòd non obſtantibus ſimilibus, ac amplioribus clauſulis, apponi ſolitis in coadjutoriis, coadjutor non poſſit ſibi arrogari præcedentiam, veris Canonicis, poſtea receptis debitam, plenè firmavit multis deciſionibus Lotter. *de re benef. l.* 2. *qu.* 25. *num.* 36. & *ſeq.*

37 Multòque minùs poteſt operari clauſula *ex nunc prout ex tunc* ante purificationem coadjutoriæ, eidem clauſulæ annexæ, ſcilicet vacationis Canonicatus, fuerit antea acquiſitum jus præcedentiæ alteri coadjutori, effecto Canonico ex vacatione coadjutoriæ per obitum ſui coadjuti, cùm dicta clauſula non ſit reſtrictiva ad diem data in præjudicium juris alteri quæſiti medio tempore, Barboſa *d. clauſ.* 61. *num.* 8. Put. *dec.* 199. *lib.* 2. Rota coram Merlino *d. dec.* 247. *num.* 4.

38 Atque hinc non obſtat deciſio in Tiraſonen. coadjutoriæ coram Pegna. Nam ab iſta deciſione, & ab alia in eadem cauſa coram eodem S. Rota receſſit in Hiſpalen. præeminentiarum 8. Februarii coram Sacrato *deciſ.* 416. *par.* 1. *rec.* in qua ſatisfit omnibus adductis coram Pegna. Eam refert, ac ſequitur Lotter. *d. qu.* 25. *ſub n.* 38. & confirmavit Rota coram Andrea, ut in *dec.* 410. *p.* 4. *rec.* ubi *n.* 7. & 8. illis clauſulis fusè reſpondetur.

39 Neque relevat, quòd in priori coadjutoria dicatur, quòd coadjutor poſſit gaudere regulis Cancellariæ de annali, & triennali, ex quo prætenditur, fuiſſe acquiſitam poſſeſſionem a die, quo fuit admiſſus ad coadjutoriam. Quia nullo modo fuit acquiſita vera poſſeſſio, cùm duo in ſolidum eodem tempore poſſidere nequeant, ſed tantùm fuit acquiſita poſſeſſio adminiſtrationis, quæ non ſuffragatur ad effectum præcedentiæ, ut in citata *dec.* 466. *num.* 4. & *ſeqq. par.* 1. & *dec.* 420. *num.* 5. & 9. *par.* 1. *rec.* ubi reſpondetur ſimili objecto, quòd coadjutor poſſit gaudere regulis de annali, & triennali, & dicitur fuiſſe reſolutum a S. Rituum Congregatione præſertim conſiderando, quòd in literis coadjutoriæ Pontifex tantùm dixerit, quòd prior coadjutor poſſit gaudere regulis de annali, & triennali, non verò quòd debeat gaudere antianitate, de qua Pontifex nihil dixit, & propterea ad id non debet extendi, ut firmavit Rota in Firmana penſionis 15. Julii 1649. coram Cardin. Celſo.

40 Cæterùm addo non extra rem, quòd Sacra Congregatio Concilii die 5. Junii 1655. reſpondit, Coadjutores Canonicorum poſſe intereſſe choro, & divinis officiis, etiam quando Canonici coadjuti interſunt, cùm his tamen conditionibus conſentientibus coadjutis, in ultimo loco, non in Capitulis, vel aliis actibus Capitularibus. Idem cenſuit 1. Sept. 1657. Et eadem ſub die 9. Novembris 1630. declaravit, ſi ex forma literarum Apoſtolicarum coadjutorum, nunquam tenetur horis Canonicis intereſſe coadjutores, quandiù aliqua ex tribus cauſis expreſſis *in c.* 1. *de Cler. non reſid. in* 6. verè fuerint impediti, diſtributiones quotidianas coadjutis lucrari, perindè ac ſi divinis intereſſent. Si verò ſine cauſa abſint coadjutor, & coadjutus, Capitulum poteſt puncturas, ſeu diſtributiones retinere, ut in Aretina 22. Martii 1659.

CONSULTATIO CLXXXVI.

An, & quo pacto teneantur Canonici ſuum Epiſcopum ad Eccleſiam acceſſurum comitari?

ID videtur deciſum in Cœremoniali Romano *l.* 1. *cap.* 15. per hæc verba: *Cùm Epiſcopus rei divinæ peragendæ cauſa ad Eccleſiam venturus erit, ſive ipſemet celebraturus ſit, ſive alter, debent Canonici omnes cum eorum Eccleſiaſtico, & Canonicali habitu appropinquante hora ad illum accedere, eumque cappa indutum ex ea aula, ſeu camera, quam ad hoc deſtinaverat ad Eccleſiam progredientem comitari, & deducere, & mox in redeundo eadem ordo ſervetur.* 1

Hoc ipſum fuit reſolutum in Sac. Rituum Congregatione in Piſaurenſi tenoris ſequentis: *In cauſa inter Epiſcopum, & Canonicos Cathedralis, referente Eminentiſs. & Reverendiſs. D. Cardinale Franciotto pro Eminentiſ. & Reverendiſs. D. Cardinale Palleotto, Sacra Rituum Congregatio, partibus auditis, cenſuit Canonicos in ſuo habitu Eccleſiaſtico, & Canonicali teneri Epiſcopum cappa indutum per eam viam, & ex aula, ſeu camera, quas ad hoc ipſe ſingulis vicinus deſtinaverit ad Eccleſiam procedentem comitari, atque deducere, & ad eaſdem, ſicut dictum eſt, deſtinatas reſpectivè reducere. Quòd ſi in Sacriſtia, vel alio in loco Epiſcopus cappam deponat, data benedictione, Canonicos dimittat. Si verò Epiſcopus a choro diſcedat, non expletis divinis officiis, duo ſaltem Canonici ea adimpleant, quæ ſupra decreta ſunt die* 22. *Martii* 1653. 2

Et in eadem, referente eodem Eminentiſs. ac Reverendiſs. Franciotto in cauſa inter Epiſcopum, & Canonicos Cathedralis Eccleſiæ, Sacr. Rituum Congregatio, partibus auditis, cenſuit, & declaravit decretum emanatum ſub die 22. Martii præteriti in verſ. *Si verò Epiſcopus a Choro diſcedat non expletis divinis officiis, duo ſaltem Canonici ea adimpleant, quæ ſupra decreta ſunt*, intelligendum eſſe, quòd ſi Epiſcopus ſtatim finita Miſſa Conventuali ab Eccleſia diſcedere voluerit, neque expectare, quòd hora ſexta recitetur, ut de conſuetudine Eccleſiæ, finita Miſſa, recitare ſolet; vel ſi diſcedere voluerit, finitis Veſperis ante Completorium, Canonicos in dictis caſibus teneri Epiſcopum comitari ſaltem extra portam Eccleſiæ, ut dicitur in Cœremoniali *c.* 1. *l.* 2. & poſtea ſtatim reddere ad chorum ad recitandum horam ſextam, aut Completorium. Et ita in poſterum eadem Sac. Rituum Congregat. ſervari mandavit die 24. Maji 1653. Idem nuper declaratum fuit pro Archiepiſcopo Conſentino, & Urbinatenſi. 3

CONSULTATIO CLXXXVII.

An Canonici Eccleſiæ Collegiatæ cedere debeant locum in Synodo beneficiatis Eccleſiæ Cathedralis, quando conveniunt cum Capitulo ipſius Cathedralis? &

An Canonici, & Clerus Cathedralis ſedere debeant in Synodo ad dexteram, Canonici verò cum Clero Collegiatæ ad ſiniſtram?

AD primum reſpondeo affirmativè cum Sac. Rituum Congregatione in Ampurienſi præcedentiæ 20. Januarii 1635. Ex ea ratione, quia membra non debent ſeparari a ſuo capite, ut ſæpè diximus. 1

Ad ſecundum reſpondendum videtur, Canonicos, & Clerum Cathedralis ſedere debere in Synodo ad dexteram, Canonicos verò cum Clero Collegiatæ ad ſiniſtram, ut cenſuit eadem Sacr. Congregat. in dicta Ampurienſi ſub die 11. Maji 1641.

At ego aliter judicandum puto. Nam ſicut controverti non poteſt, Cathedrali, tanquam digniori, deberi præcedentiam ſupra Collegiatam, *c. ſtatuimus, de major. & obed. c. Venerabili in fin.* ubi Gloſſa *de verb. ſignif.* ac tradit Gratian. *diſcept.* 111. *num.* 11. & aliàs declaravit eadem S. Rituum Congregatio, non obſtante conſuetudine in contrarium, ut in Tuſchanenſi 19. Auguſti 1619. etiam in omnibus actibus, & functionibus in propria Collegiata exercendis, ut in Fundana 2. Octobris 1597. referente Barboſa *de Canon. & dignit. c.* 18. *n.* 48. & *ſeq.* ita, admiſſa dicta præcedentia, non videtur ullo pacto recedendum a ea ratione, ne ſcilicet contingat membra ſeparari a capite, & ab illa, qua dictum eſt, Cathedralem eſſe digniorem Collegiata. Dum autem Capitulum Cathedralis ſedet ad dexteram, non ſortitur digniorem locum, & membra ſeparantur a capite. Quia præterquamquòd loci a dexteris, & a ſiniſtris ſunt digniores ſequentibus, & ideò mater Zebedæi tales pro filiis exoptabat, adhuc ad ſenſum patet, quod quando ſedendum eſt in corona, licèt primus locus a dextris ſit honorabilior primo loco a

ſiniſtris, tamen primus locus a ſiniſtris eſt dignior ſecundo loco a dexteris, & ſecundus locus a ſiniſtris eſt dignior tertio loco a dexteris, & ita gradatim deſcendendo. Quippè locus honorabilior is dicitur, qui eſt proximior capiti; unde quò magis quiſque particeps eſt capitis, eo magis debet illi eſſe propinquus.

2 Et ideò, licèt Delphinus ſedeat ad dexteram Regis Franciæ, illique aſſideant Principes Regalis generis, ac deinde Duces, Marchiones, & Comites, tamen ad ſiniſtram ſedet Cancellarius, & poſt eum Præſides ſupremi Parlamenti, ut refert Boer. *de ord. grad. par.* 2. *cap. de ord. Conſiſt. reg. n.* 3. & 10. atque adeò ſecundus Canonicus Cathedralis ſederet inferior primo Canonico Collegiatæ, & tertius Canonicus Cathedralis inferior ſecundo Canonico Collegiatæ, & ſic deinceps. Quod eſſet abſurdum: Quia Canonici Cathedralis dicuntur Clerici primi gradus, Canonici verò Collegiatæ dicuntur Clerici ſecundi gradus ab Innoc. *in cap. fraternitatem, v.* & *major. de ſepult.* Boer. *loco alleg. n.* 24. & propterea ſemper, & ubique, ut ſervetur diſtinctio ordinum, & graduum, quæ unitatem in Eccleſia conſervat, *c. ad hæc* 99. *d.* ubi Gloſ. & Archid. Canonici Cathedralis debent præcedere Canonicis Collegiatæ. Alioquin ſepararentur etiam membra a ſuo capite. Quia caput ſcilicet Epiſcopus, debet tàm a dexteris, quàm a ſiniſtris circumdari a ſuis membris, nempè a Canonicis Cathedralis, qui & dicuntur fratres Epiſcopi, Abb. *in c. novit, de his, quæ fiunt a Prælat.* & ſunt ejus non minus manus dextera, quàm ſiniſtra. Quinimmò contingeret, quòd tybiæ, ſive crura, quales reſpectu Canonicorum Cathedralis ſunt Canonici Collegiatæ, locum manus ſiniſtræ uſurparent, quod eſſet monſtruoſum.

3 Ad declarationem verò S. Congregationis reſpondeo, illam emanaſſe ex motivo, quòd dicta Eccleſia Collegiata fuerit ſubſtituta in locum antiquæ Cathedralis Civitanenſis, unitæ Cathedrali Ampurienſi, ideòque ceſſant in ea rationes adductæ, quas in ſuis terminis omninò certas exiſtimo.

CONSULTATIO CLXXXVIII.

An matrimoniis Catholicorum cum hæreticis, cum quibus immiſti vivunt, poſſint Parochi aſſiſtere ritu Catholico ad impediendam fornicationem, dum ritu hæretico conjugati eodem tecto, ac lecto, tanquam legitimè conjuncti utuntur?

1 REſpondeo, Parochis non licere aſſiſtere hujuſmodi matrimoniis, niſi adſit aliqua juſta cauſa approbanda a Sede Apoſtolica, ut alibi diximus. Quia non ſunt facienda mala, ut eveniant bona. Peccant enim, tàm Catholicus contrahendo cum hæretica, quàm Parochus hiſce matrimoniis aſſiſtendo. Nam Parochus cooperatur matrimoniis hæretici, & Catholici, non quidem quia eſt miniſter, ut exiſtimavit Canus, ſed in quia in genere cauſæ materialis, aut diſpoſitivæ, aut tanquam cauſa, ſine qua non concurrit, quatenus ejus præſentia reddit habiles contrahentes, qui ſine illa habiles non eſſent ad matrimonium poſt decretum S. Conc. Trident. Unde in locis, in quibus publicatum eſt decretum Trid. atque adeò pro validitate matrimonii, requiritur præſentia Parochi, ſi adſit ſpes certa, vel ſaltem ſatis probabilis non evitandi fornicationes, & concubinatus, ſed etiam converſionis alterius conjugis ad fidem, & nullum ſubverſionis periculum videtur adeſſe juſta cauſa iis aſſiſtendi, atque adeò approbanda a Sede Apoſtolica. Quod eſt contra Pontium *de matr. in appen. cap.* 9. §. 2. *præcipuè num.* 5. Si verò non fuerit publicatum, matrimonia contracta ritu hæretico abſque Parochi, ac teſtium præſentia valida ſunt, ut etiam aliàs diximus.

2 Hinc Epiſcopi, ſive Nuncii Apoſtolici permittere non debent, quòd contrahatur inter hæreticos, & Catholicos, niſi hæreticus vellet fidem Catholicam amplecti. Tunc enim Parochus poterit intereſſe. Et licèt Sedes Apoſtolica toleret matrimonia contracta inter Catholicas, & hæreticos in regionibus, in quibus hæreſes impunè graſſantur, nunquam tamen voluit aliquo actu poſitivo illa approbare. Immò quando poteſt ſe opponit, & ea impedit, ſed debent ſe opponere, ac illa impedire in caſibus occurrentibus, quando habent commoditatem faciendi abſque periculo ſcandali, aut tumultus, vel ſaltem non concedant licentiam, neque faciant actum aliquem, ex quo poſſit elici ſuus conſenſus poſitivus.

CONSULTATIO CLXXXIX.

An tolerari poſſit, quod mariti, aut uxores in captivitate exiſtentes per aliquod tempus apud Turcas, ſi nihil de vita, aut morte conjugum audiverint, ad ſecundas tranſeant nuptias ex eo, quòd timeatur prædictos apoſtatare, & ad effectum prædictum recurrere ad miniſtros hæticos? Si verò aliquid ſciverint certi de vita conjugis captivi, illicò recedere debeant a ſecundis nuptiis ſub aliqua pœna pecuniaria? Ubi de diſſolutione matrimonii infidelium ad fidem converſorum.

CEnſeo, hujuſmodi matrimonia eſſe dirimenda, & in poſterum nullo modo id eſſe permittendum, nec prætextu cujuſvis gravis, & imminentis ſcandali tolerari poſſe, aut debere. Non enim ſufficit abſentia mariti, ne per centum quidem annos, ut poſſit mulier ad ſecundas nuptias tranſire, etiamſi toto hoc tempore nihil audiverit de viro ſuo. Quia pro tranſitu ad ſecundas nuptias requiritur, quòd alter conjugum acceperit certum nuncium mortis alterius. Ita Gloſſa *in c. in præſentia in fin. de ſponſal.* Alex. de Nev. *ibidem n.* 22. Abb. *in c. Quoniam §. Porrò n.* 12. *ut lit. non conteſt.* Innoc. *in c. Dominus de ſecund. nupt.* Anchar. *ibid. in fin.* aliique communiter, ac deſumitur expreſsè *ex d. cap. Dominus*, illis verbis: *Id vobis reſpondemus, ut nullus amodò ad ſecundas nuptias migrare præſumat, donec ei conſtet, quòd ab hac vita migraverit conjux ejus.* Et ex *d. c. in præſentia*, ibi: *conſultationi ergo tuæ taliter reſpondemus, quòd quantocunque annorum numero ita remaneat, viventibus viris ſuis, non poſſunt ad aliorum conſortium Canonicè convolare, nec authoritate Eccleſiæ permittas contrahere, donec certum nuncium recipiant de morte virorum.* 1

Ratio autem eſt, quia de priori matrimonio certò conſtat, & proindè certum eſt, adeſſe impedimentum contrahendi aliud matrimonium. Quòd autem diſſolutum ſit matrimonium per mortem alterius conjugis, & ſublatum impedimentum non certò conſtat, ſed ſolùm eſt dubium, & ad ſummum adeſt levis probabilitas. Non poteſt autem quod eſt incertum elidere, quod eſt certum, nec contra ipſum prævalere. Unde cùm incerta mors conjugis ita ſe habeat, ut poſſit eſſe ſequuta, & non poſſit eſſe ſequuta, remanet in ſuo ſtatu impedimentum ligaminis, quod impedit, ac dirimit ſecundas nuptias. 2

Ex quibus infertur contra Simanch. *de Catb. inſt. tit.* 40. *num.* 3. & Guttier. *can. qu.* 8. *num.* 3. *lib.* 2. in contrahendis ſecundis nuptiis non poſſe amplius habere locum bonam fidem, ſi contrahantur abſque certitudine mortis alterius conjugis. Nam jura prohibentia ſunt clara, & ignorantia juris neminem excuſat, *l. juris ignorantia, C. qui admitti*, ubi Doctores. 3

Neque obſtat diſpoſitio *d. c. Dominus de ſecund. nupt.* quatenus diſponit: *Si verò aliquis, vel aliqua id hactenus non ſervavit, & de morte prioris conjugis adhuc ſibi exiſtimat dubitandum, & qui ſibi nupſit, debitum non deneget poſtulanti, quod a ſe tamen noverit nullatenus exigendum.* Nam hæc diſpoſitio non eſt pro tempore futuro, atque adeò nec pro matrimoniis ſubſequuturis ab illo tempore, ſed tantùm reſpicit matrimonia eatenus, & ad tempus illud uſque contracta, ut ſatis declarat dictio illa *hactenus*. Hoc autem diſpoſuit Pontifex de matrimoniis præteritis, quia cùm eo tempore non extaret jus expreſſum, quòd deberet conſtare de morte alterius conjugis, ut locum habere poſſent ſecundæ nuptiæ, fuit locus bonæ fidei, quæ locum habere nequit poſt diſpoſitionem *d. cap. Dominus*. 4

Et proindè tranſeuntem ad ſecundum matrimonium abſque certitudine mortis alterius conjugis puniri poſſe ab Inquiſitoribus, tradunt Farinac. *de hæreſ. qu.* 178. *n.* 71. & Carena *de offic. inquiſ. p.* 2. *tit.* 5. §. 4. *num.* 27. qui teſtatur de praxi. Quia abutitur Sacramento, dum adhuc dubius, an ſit ſolutus vinculo prioris matrimonii tranſit ad ſecundum contra expreſſam prohibitionem S. Canonum, qui requirunt certitudinem mortis, ut poſſit ſuperſtes conjux ad ſecundas nuptias tranſire. Quare contra Parochos, ac alios poteſt inquiri a S. Officio de celebratione matrimonii poligamorum ſine legitimis probationibus, & previa interrogatione, an credant, vel crediderint licere Parochis etiam tempore belli, vel peſtis, dum itinera ſunt infrequentia, & minus tuta, celebrare matrimonia, non factis priùs diligentiis a Sacro Concilio Tridentino præſcriptis. Etſi rectè reſponderit, poſſit damnari ad carcerem triennalem cum ſuſpenſione perpetua a cura animarum, & exilio a locis delictorum. Quoad matrimonia verò, ut ſupra celebrata, debet comprobari vera mors priorum conjugum, & interim moveri conjuges, ne inſimul cohabitent. 5

De

6 De diſſolutione autem matrimonii infidelium ad fidem converſorum hæc habeo. Matrimonium infidelium non dirimitur per converſionem alterius, vel utriuſque, niſi fuerit contractum contra eorum leges, vel contra jus naturæ. Hinc quando alter infidelium ad fidem convertitur, debet ſecundùm Apoſtoli conſilium 1. Corinth. 7. cohabitare cum infideli, donec eſſet aliqua ſpes converſionis, nec vivente infideli, aliam ducere poteſt, niſi infidelis cum converſo cohabitare recuſet, vel ſimpliciter, vel non, abſque contumelia Creatoris, nempè quia ſtudet fidelem a fide pervertere, vel ad peccatum inducere, vel Dei, aut Chriſti nomen non vult audire, niſi cum contemptu, vel familiam a Chriſti fide retrahit. Tunc enim contumelia Creatoris matrimonium ſolvit, & è converſo aliam ducendi conceditur facultas per textum *in c. gaudemus de divort.* & Doctores communiter.

7 Ut autem infidelis converſus contrahere poſſit aliud matrimonium cum fideli, non ſufficit voluntas præſumpta conjugis infidelis, quòd nolit cohabitare, ut ſi regio, ubi degit, valdè diſtet, ſed requiritur etiam diſpenſatio Apoſtolica. Unde Gregorius XIII. *Conſtit. incip. Populi* 25. Januarii 1585. conceſſit quibuſdam converſis, ut poſſint contrahere, priore conjuge prius non præmonito, ſi vix poſſit præmoneri. Nam licèt ſola locorum diſtantia non ſufficiat, ut converſus poſſit aliud matrimonium cum fideli contrahere, priori infideli conjuge priùs non præmonito, ac requiſito, an converti velit, vel ſaltem cohabitare ſine injuria Creatoris, eſt tamen cauſa ſufficiens, ut Summus Pontifex diſpenſare poſſit, prout reipſa diſpenſavit Gregorius XIII. Clem. VIII. & Paulus V. & ita obſervatum cum aliquibus Perſis converſis ad fidem Catholicam in Hiſpania, petentibus declarari, niſi liceret matrimonium ibi contrahere abſque eo, quòd requirantur priores uxores in Perſia commorantes, ſub prætextu conſuetudinis, quæ viget in Perſia dimittendi uxores ad libitum ob difficultatem illas requirendi. Et in Neapolitana, in qua exponebatur, quòd elapſis annis capto a Cæſaris militibus Tauruno in Hungaria, Italis Belgrado, mulier juvenis, Turcæ uxor, capta, & Neapolim Campaniæ ducta, vendita fuit nobili matronæ, quæ poſt nonnullos annos eam ad fidem converſam baptizari fecit, ac deindè libertate donavit, alteri nubere deſiderabat, & cùm ei fuiſſet dictum, quod virum ſuum Turcam requirere debebat, num Neapolim venire, & cum ipſa cohabitare vellet, reſpondit hoc fieri non poſſe ob loci diſtantiam, & quia dictus vir erat Turca, qui ſine libertatis periculo Neapolim venire non poterat, & veriſimile etiam erat, ita ipſum eſſe reſponſurum. Et licèt in tribunali Archiepiſcopatus Neapolitani eſſet conſuetudo, quò iſta requiſitio non attenderetur, ad cautelam tamen S. Congregationem conſuluit, quid in dicto caſu eſſet agendum.

8 Cùm item in tempore Clem. VIII. de hac re actum eſſet in S. Congregatione Concilii propter Perſas, qui Legatum Regis Perſarum in Hiſpania comitati, & ad fidem converſi, uxores ibi ducere volebant, non requiſitis uxoribus, quæ duxerant in infidelitate ob diſtantiam, & difficultatem, Sacra Congregatio Concilii cenſuit, non poſſe hos converſos alias uxores accipere, niſi priùs conſtiterit, an priores uxores vellent ad fidem converti, vel etiam non converſæ vellent cum eis cohabitare abſque injuria Creatoris; loci autem diſtantiam, & difficultatem non ſufficere; cùm poſſint ducere alias uxores, non requiſitis uxoribus, ſed ſubeſſe ſufficientem cauſam diſpenſandi, ut poſſint contrahere abſque requiſitione. Atque ita dictus Clemens diſpenſavit, ſequutus aliud exemplum Gregorius XIII. cum Indiis, qui conceſſit Ordinariis, ut in illa regione poſſent diſpenſare cum Chriſtifidelibus ad fidem converſis, qui ante baptiſmum ſuſceptum matrimonium contraxerant, ut ſuperſtite eorum conjuge infideli matrimonium cum quovis fideli contraherent, dummodò conſtet, etiam ſummariè, & extrajudicialiter conjugem abſentem moneri legitimè non poſſe, aut monitum intra tempus in eadem monitione præfixum ſuam voluntatem non ſignificaturum.

Primùm igitur eum, qui Chriſtianus effectus eſt, non poſſe uxorem denuò ducere infidelem, neque fidelem infideli nubere, ſine ulla dubitatione ex Eccleſiæ uſu, & conſenſu certiſſimum eſt. Nam & ſcelus ingens committitur, & matrimonium nullum eſt juxta Doctorum concordem ſententiam, tametſi quæ illi recitant Ambroſii relati 28. *quæſt.* 1. *cap.* 1. & Auguſtini *cad. quæſt. cap. Sic enim* Concilii Chalcedon. *cap.* 14. cæteraque decreta non id ſatis efficiant. Sed conſenſu, ut dixi, Eccleſiæ ſatis eſt.

De eo verò, qui ante baptiſmum uxorem habuit, ſunt enim inter infideles vera conjugia, ſi ſecundùm leges ſuas naturali legi non repugnantes, peragantur, tametſi Sacramenti vim nullam habeant, niſi in Eccleſia Catholica rata fiant, quid acturus ſit intelligendum eſt Pauli Apoſtoli præceptum 1. *Cor.* 7. Primùm enim per baptiſmum non ſolvitur matrimonium cum infideli, quia potiùs & poteſt, & debet cohabitare cum illo, ſi conjux infidelis ultrò conſentiat, & ſpes ſit lucrandi illum Chriſto. Ita enim docet Apoſtolus: *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam, & ſi qua mulier habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat virum*: Et mox: *Unde enim ſcis mulier, ſi virum ſalvum facies? Aut inde ſcis vir, ſi mulierem ſalvam facias?* Hoc modo Monica Patritium, Auguſtini patrem, ſalvum fecit. Quamobrem juxta ejuſdem Auguſtini contra Pollentium ſententiam præcipiendum eſt, fidelem conjugatum cum infideli legitima conjuge cohabitare, neque alias nuptias inire permittendum, donec illa Chriſtianam Religionem penitus repudiare intelligatur.

Secundum documentum ſit: Si conjux infidelis fidelem deſerat, aut ita cohabitare velit, ut illi vel fidem, vel charitatem rebus, aut verbis deſerere ſuadeat, tunc temporis non cogitur fidelis, cum infideli vitam ducere, quin potiùs licebit, ſi ita placuerit, fidelem aliam conjugem ſibi copulare dirempto jam priori conjugio. Ita ſtatuit Innocentius III. *in cap. quanto de divort.* & ad hunc modum intelligendum dicit, & Pauli Apoſtoli verbum, & Gregorii decretum 20. *qu.* 2. *can. Si infidelis.* Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat, ait Paulus, non enim ſervituti ſubjectus eſt frater, aut ſoror in ejuſmodi. In pace autem vocavit nos Dominus.

Tertium quoque ſit. Cùm dubium eſt, an conjux infidelis fidei impedimento futurus ſit, & an potiùs illum perverſurus a vera Religione ſit, quàm ab ipſo lucrifaciendus, quidnam agendum ſit? Nam neque contumelia Creatoris manifeſtè apparet, neque ſpes etiam ſatis elucet illum ſalvum faciendi. Huic dubitationi occurrendum eſt hoc modo, ut conjux infidelis admoneatur quantum ſatis eſt, ut Religionem Chriſti ſuſcipiat. Quod ſi convenienter admonitus, omninò renuerit, intelligatur obſtinata eſſe voluntate, & fidelem conſortio ſuo potiùs lædere, quàm ab illo adjuvari. Itaque ſeparandum eſſe. Ad hunc modum decernit Toletanum Concilium 4. *cap.* 61. 28. *quæſt.* 1. *can. Judæi*, qui Chriſtianas mulieres in conjugio habent, admoneantur ab Epiſcopo Civitatis illius, ut ſi cum eis permanere cupiant, Chriſtiani efficiantur. Quòd ſi admoniti noluerint, ſeparentur. Hujus Concilii anthoritatem ſequuti Patres in Synodo Limenſi *Conſtit.* 36. ita præcipiunt: *Si alter conjugum baptizari renuerit, Sacerdos adhibito Notario, & teſtibus illum admoneat, ut intra ſex menſes Chriſtianus fiat, & baptizetur, atque eandem admonitionem repetat ſæpè intra illud temporis ſpatium ſaltem ſemel ſingulis menſibus. Quod ſi tranſacto jam ſemeſtri tempore, adhuc baptizari renuit, exinde jam in ſua ſecta obſtinatus reputandus eſt.* Separationem autem illam Concilii Toletani ego non ſolùm, quoad thorum intelligo, ſed etiam quoad vinculum. Itaque licebit, ut graves quoque authores confirmant, nimirum Sotus *in* 4. *d.* 30. *ar.* 2. & 4. Auguſtin. *in canon. uxor.* 28. *quæſt.* 1. & Innocentius *in d. c. Gaudemus de divort.* fideli jam ſuas alias nuptias ſibi conciliare. Contumelia enim Creatoris, & periculum fidei intelligitur, cùm animus conjugis infidelis adeò eſt in ſua ſuperſtitione obſtinatus.

Præterea illud ex eodem Innocentio animadvertendum eſt, nuptias infidelium non teneri Canonis legibus. Quare illa ſolùm matrimonia irrita erunt, quæ cum lege naturali pugnant, quemadmodum apertè repugnat pluritas uxorum, atque etiam repudium primæ, ut Evangelium, & Prophetæ docent Matth. 19. Luc. 16. Malach. 2. At verò, quæ lege ſolùm Eccleſiaſtica prohibita ſunt, ut ſecundo, aut tertio gradu contracta, ea rata fieri, cùm uterque baptizatur, Canones Sacri jubent *in d. cap. Gaudemus*. Cùm verò plures habuit uxores, ſi verè, ut uxores habuit adhibitis cœremoniis, & ritu patrio nuptiis adhiberi ſolito, illam tantummodò retinebit, quam primam eſſe meminerit, aut ſi ignorat, quænam fuerit prima accipiet ex indulto Pauli III. ut *in Conſtitut.* 37. Concilii Limenſis, quam ex omnibus ipſe delegerit. Quòd ſi etiam prima illa abeſt, & baptizari differt, licebit ex aliis, quam velit, ſumere, ita concedente B. Pio V. qui nullo modo Innocentio III. in eodem *cap. Gaudemus*, contrarius eſt. Quandocunque autem uxor infidelis ad fidem convertitur, ſi nondum aliam Chriſtianam accepit, tenetur illam fidelis accipere.

Praxis autem in hac re de jure ſervanda breviter exprimitur in Concilio Limenſi 3. a Sixto V. confirmato *act.*

2. *cap.* 10. ſequentibus verbis: *De iis, qui jam matrimonio juncti convertuntur ad fidem, conjuge adhuc infideli permanente, in ſuperiori Concilio provide conſultum eſt, ut infidelis quidem ſpem ſuæ converſionis maturam oſtendat, Chriſtianus nullo modo ad alias nuptias tranſeat, quemadmodum eſt ſacris Canonibus definitum, ſed conjugis lucrum in Chriſto expectet. Si verò differat converſionem ſuam, neque tamen baptizato conjugi pernicioſus exiſtat, cum a fide advertendo, aut ad peccatum mortale pertrahendos (cæterùm id cùm ſit, ſacri Canones eos, neceſſariò ſeparando volunt, & Chriſtiano novi conjugii ineundi poteſtatem tribuunt) tunc, & expectandum adhuc eſſe per ſemeſtre tempus, aſſiduè de ſua interim converſione admonendum. Sed quoniam tùm periculum recens converſi cavendum eſt, ut ſi diù permanſerit in thoro infidelis, fidem Chriſti fortaſſis amittat, dum vult ſervare homini, tùm verò libertati illius conſulendum eſt, ne cœlebs vivere cogatur, qui forſan utitur. Idcircò decernimus, ut tranſacto ſex menſium ſpatio res ad Epiſcopum deferatur, qui bene perſpecta cauſa, fideli declaret, copiam eſſe aliud matrimonium ineundi propter fidei, aut charitatis ſcandalum, quod patitur. Quòd ſi nullum eſſe periculum in cohabitatione viderit, jubeat expectare infidelem, vel etiam conſulat cohabitare, ſi prodeſſe intelligit juxta Pauli Apoſtoli conſilium. Neque enim poteſt omnibus converſis eadem lex præfigi, cùm occurrant profectò variæ circumſtantiæ, neque ſit omnium infidelium eadem ratio.* Quare Epiſcopi prudentia in re dubia, ne graviter erretur, conſulenda erit, & juxta *cap. Quantò de divort.* cùm caſus acciderit, decernendum. Et ita obſervari me monuit Eminentiſſimus Cardinalis nobilitate ingenita, veteri atque inſita Caſanatæ familiæ pietate, judicio, fide ſpectatus, qui congeſto undique Orbis pene librorum, Bibliothecam Pergamenis, & Philadelphiis, ſi minus extulit, æquavit, quem ſæpiùs audivi cauſas agentem acriter, & ardenter, nec minus politè, & ordinatè ſive meditata, ſive ſubita proferre. Sic enim verſatum ſe paſſim oſtendit in antiquioribus, & utriuſque diſciplinæ arcanis reſignandis, ac hiſtoria ſacra æquè ac profana, Concilia decreta, tùm Pontificis, tùm Cæſaris in ejus pectus confluxiſſe videantur. Unde meritò dubitant, vel ſcientiſſimi ac literatiſſimi quid in ipſo magis emineat prudentia, eruditio, eloquentia? Diceres vivam bibliothecam, purpuratum Sedis Apoſtolicæ Oraculum. Quare eadem Sacra Congregatio die 18. Junii 1611. cenſuit, concedendam facultatem Ordinario juxta exemplum Gregor. XIII. & Clementis VIII. ſupra relatum, itaque agendum cum Sanctiſſimo, qui 21. Junii ejuſdem anni juxta Congregationis ſententiam facultatem conceſſit. Quare Judæa, quæ ante baptiſmum nupſerat Judæo, non eſt reſtituenda viro fideli, cui poſtea nupſit, donec non conſtiterit dictum Judæum ejus primum virum obiiſſe. Faciendæ tamen ſunt diligentiæ, an præfatus Judæus adhuc viveret, & monendus, an ad Catholicam fidem converti velit, vel ſaltem cum ipſa cohabitare ſine injuria Salvatoris, & abſque eo quod traheret illam ad peccatum mortale. Quod ſi dictus Judæus moneri legitimè non poterit, id ſufficiens videtur pro cauſa diſpenſationis juxta Breve Gregorii XIII. in hac materia; ut ſcilicet diſpenſetur cum dicta muliere ad cohabitandum cum viro fideli, cui nupſerat. Et hanc praxim obſervavi duodecim circiter annis, cùm eſſem Deputatus ſuper ſtatu libero matrimoniorum, quæ in Urbe, hoc eſt ex Orbe ferè univerſo contracta ſunt.

CONSULTATIO CXC.

Cùm Turcæ multoties Sacerdotes Chriſtianos, etiam invitos compellant orare ſupra ſuos infantes infirmos, & conſentiunt, ut ſecretò baptizentur, quæritur, an licitè hoc Sacramentum illis adminiſtrari poſſit? Ubi effata de baptiſmo Judæorum, & alia de Turcis.

1 SOlent Turcæ, & Saraceni nobiles ſuos infantes interdum Chriſtianis offerre, ut illi conferant baptiſmum non, ut fiant Chriſtiani, ſed pro ſalute corporali, ut integra valetudine potiantur, a feris non devorentur, neve per fauces malum eructent odorem, & ſunt qui putant id licere ex eo, quòd ſponte eos ad baptiſmum offerunt, & quia magno parvuli beneficio donantur. Nam ſi ex hac vita deceſſerint, in cœleſtem patriam convolabunt. Ita Sylveſt. *in Sum. v. Baptiſ.* 4. *qu.* 7. at ibi quæſtionis hujus meminit, nihil tamen definivit, quam ſententiam appellat veriorem Ricciul. *de jur. perſon. l.* 2. *cap.* 22. *num.* 22.

2 Alii verò negant, id eſſe licitum eam ob cauſam, quod ſtatim parentibus reddi debeant, & proindè grandiores effecti, & a parentibus impiis inſtituti levi negotio a fide deciſcunt. Nec refert ſi parentes ultrò ac ſpontè filios oſferant; ſiquidem ab eis ſtatim filios repetitum, & recuperatum iri, non eſt dubitandum. Neque enim Chriſtiani, quibus Turcarum, & Saracenorum filii baptiſmi gratia traduntur ulla ratione impedire parentes poſſunt ab eis repetendis, & recuperandis. Ex quo perſpicuum eſt, ejuſmodi infantes jure donari, & ablui baptiſmo poſſe, quoties commoda occaſio ſeſe obtulerit a patritio jure, & poteſtate liberandi. Ita Azor. *p.* 1. *inſt. mor. l.* 8. *c.* 25. *q.* 6. Et quidem non poſſunt, moraliter loquendo, ejuſmodi infantes baptizati educari ſub cura parentum infidelium, quin eorum involvantur erroribus, in quo fit magna injuria Chriſtianæ Religioni, & baptiſmatis Sacramento.

Itaque cenſeo, id per ſe licere, ſi non adſit periculum 3
Apoſtaſiæ, ſi verò adſit periculum Apoſtaſiæ, vel alicujus ſacrilegii, quod in hoc caſu eſt ſatis probabile, ac moraliter certum, non licere, atque adeò curandum eſt, ut priùs infantes ſubtrahantur a cura, & conſortio parentum Turcarum, ut tutò baptizari poſſint juxta doctrinam Concilii Toletani 4. *c.* 59. quam ſequitur Suar. *to.* 3. *in* 3. *p. q.* 68. *art.* 10. *diſp.* 25. *ſect.* 3.

Præſertim, quia Turcæ conſentiunt, ut ſuos infantes 4
baptizentur, non ut fiant Chriſtiani, ſed pro ſalute corporali. In quo caſu licèt imprimatur character, *cap. ſicut ficti* 1. *q.* 1. Hoſt. *in cap. debitum de bapt.* Felin. *in cap. fin. verſ. ult. de Judeis*, obligetque ad obſervantiam ex multis, quæ tradit idem Ricciul. *loc. cit. c.* 35. & baptiſmum ſuſcipiens præſumatur illum ſuſcipere, Deo inſpirante, etiamſi dolus adhibeatur, Hoſt. *in cap. Dudum de converſ. conjug.* Anan. *in c. Judei* 2. *n.* 2. *de Jud.* Marquard. *de Jud. p.* 3. *c.* 2. *ſub n.* 2. Nihilominus negari non poteſt, quin intercedat periculum Apoſtaſiæ moraliter certum ex ipſo fine illicito, ob quem Turcæ ſuos filios ſecretò baptizari petunt. Adeoque, ut dicti Sacerdotes in hoc caſu ne fictè quidem poſſint hujuſmodi pueris adminiſtrare materiam baptiſmi abſque debita forma, cùm baptiſmus ſit janua Sacramentorum, & proteſtatio noſtræ fidei, nec ullo modo poteſt, ac debet fingi, aut fictè adminiſtrari. In Sacramentis enim Eccleſiæ nihil eſt per fictionem agendum ex D. Thoma *quodlib.* 5. *ar.* 12. Videatur hac de re Paſqual. *in oper. poſth. queſt.* 45.

Effata de Turcis. Turcæ exiſtentes in triremibus, & 5
petentes baptizari, baptizantur, & poſtea reſtituuntur ſuo Domino.

Cum converſis ad fidem Catholicam, & petentibus 6
declarari ipſis licere contrahere matrimonium in Catholicorum regione, abſque eo, quòd requirant priores uxores in Turcia morante ob difficultates illas requirendi, poteſt diſpenſari.

Permittitur eis vivere Catholicè in occulto, dummo- 7
dò nullum actum idolatriæ fidei Chriſtianæ contrarium committant.

Non ſunt ſacramenta adminiſtranda Turcis, qui antea 8
erant Chriſtiani, & fidem Catholicam abnegarunt, quique pœnitentia ducti vitam Chriſtianam in occulto ducunt, ac petunt ea ſibi adminiſtrari, dum ne bona, aut vitam amittant, non audent publicè ad fidem redire.

Parochis, qui in partibus Turcarum domos Chriſtiano- 9
rum aſpergendo eos aqua benedicta benedicunt, cùm cogantur a Turcis etiam id in eorum domibus facere, poteſt permitti, ut hoc faciant, dummodò non adſit contemptus, ſeu periculum ſuperſtitionis ex uſu aquæ benedictæ apud ipſos remanentis.

Chriſtiani in partibus Turcarum, qui proprias filias Tur- 10
cis in matrimonio collocarunt, ignorantes id eſſe peccatum, admittuntur ad ſacramenta, dummodò eos pœniteat, & faciant quod debent.

Catholici in partibus Turcarum adhibentes Turcas, & 11
ſchiſmaticos pro compatribus, ſuadeantur, ut abſtineant; ſi verò ſine periculo, aut ſcandalo ceſſare nequeunt, eis poterit permitti.

Mulieres Chriſtianæ in partibus Turcarum, aufugien- 12
tes a maritis Chriſtianis, & nubentes Turcis, ſicut etiam mariti, qui poſt fugam cum aliis mulieribus Chriſtianis contraxerunt, non admittuntur ad Sacramenta.

Mulieres Chriſtianæ uxores Turcarum, aliquando etiam 13
invitæ, quæ a Curatis illarum partium non ſolùm a perceptione Sacramentorum, ſed etiam ab ingreſſu Eccleſiæ excluduntur, poſſunt tolerari, ut ingrediantur Eccleſias, & hoc modò in fide retineantur. Ad ſacramenta verò non poſſunt admitti, cùm vivant in continuo concubinatu. Poſſunt tamen ſe præſentare Confeſſario, ut obtineant abſolutionem, ſi ad illam recipiendam idoneæ reperiantur.

Mulieres Chriſtianæ, quæ contraxerunt per vim cum 14
Turcis, non ſunt admittendæ ad ſacramenta, quia ob diſparitatem cultus non eſt matrimonium, & vivunt in concubinatu. Non tamen prohibentur accedere ad audiendum Miſſam, & ſi in tali ſtatu decedant, carent Eccleſiaſtica ſepultura.

Mulie-

15 Mulieres Chriſtianæ in partibus Turcarum nuptæ iis, qui poſtea abnegarunt fidem Chriſtianam, non excluduntur a Sacramentis, ſed permittuntur vivere ſine contumelia Creatoris, cùm ſit verum matrimonium.

16 Cum mulieribus ad fidem Catholicam, a qua apoſtataverant, converſis, petentibus poſſe incedere in habitu Turcico ad evitandum mortis pericula, non diſpenſatur, cùm talis habitus ſit proteſtativus ſectæ Turcicæ.

17 Judæi fingentes ſe Chriſtianos, & ſumentes Euchariſtiam vel tradendi ſunt Curiæ ſæculari, vel ſi recipiant Sacramentum baptiſmi, admittendi ſunt ad pœnitentiam, videndum priùs eſt quo animo id fecerint.

18 Judæis ſuſcipientibus baptiſmum conceditur retentio ſuorum bonorum, dummodò conſtet, ipſos non dediſſe ad uſuram.

19 Converſi ad fidem Catholicam debent habere legitimam ex Conſtitutione Pauli IV.

20 Infantes Judæorum, quos nutrices Chriſtianæ baptizare faciunt inſciis eorum parentibus, illis non reſtituuntur, quia ſunt verè baptizati, & eorum patres tenentur ad præſtandum eis alimenta.

21 Judæi divites cogi debent ad ſubminiſtrandum expenſas victus ſuis filiis neophytis ad fidem converſis.

22 Nequeunt Judæi, uti nutricibus Chriſtianis etiam extra ſuum conſeptum, ſive Ghettum, ne cum licentia equidem Epiſcopi. In caſibus tamen neceſſitatis, adeòut aliter eorum filii educari non poſſint, niſi a nutricibus Chriſtianis, poteſt Epiſcopus ex ſe id permittere, ita tamen, ut omninò prohibeat quodcunque commercium cum ipſis Judæis, & omninò ſeparatæ exiſtant, & infantulos in propriis domibus dictæ nutrices retineant, prohibendo Judæis, ne ad illas accedant.

23 Judæorum filii infantes baptizati in Xenodochio, ſive in hoſpitali peſtilentia laborantium, educandi ſunt apud Chriſtianos, & a ſuis parentibus, ſi poſſident bona, ſubminiſtrari debent alimenta, ſin minus Epiſcopus ſuo zelo paſtorali illis provideat.

24 Judæi baptiſmum ſuſcipientes per converſionem, & pœnitentiam ab anterioribus, & priſtinis delictis in Judaiſmo perpetratis, etiam in foro ſæculari quoad pœnam corporalem, impunitatem non conſequuntur, idque etiamſi cum tota ſua familia baptizentur.

25 Baptizati, & relapſi in Judaiſmum non ſunt iterùm baptizandi, ſed abjurare debent de formali.

26 Eorum ſpontaneam comparitionem volentium ſuſcipere baptiſmum, debet Inquiſitor remittere ad Ordinarium.

27 Ipſorum filii minores ſeptem annorum poſſunt baptizari ad inſtantiam patris, vel matris converſorum ad Fidem Catholicam. Sed ii, qui excedunt ſeptem annos, ſuntque doli capaces, ſunt relinquendi ſuæ voluntati.

28 Puellæ Hebræorum, quæ confugientes ad Chriſtianos, pluries aſſerunt, ſe profiteri velle Fidem Chriſtianam, collocandæ ſunt apud aliquam nobilem mulierem Chriſtianam, ipſæ, earumque parentes examinantur, & nolentes fidem amplecti, reſtituuntur ſuis parentibus.

29 Non licet Chriſtianis pueros Hebræos in articulo mortis conſtitutos baptizare, niſi ubi nulla ſpes adſit, quòd hujuſmodi pueri poſſint ſupervivere, nec adſit ſcandalum.

30 Judæus infans, cujus pater conſenſum, ut baptizaretur, præſtiterat, & poſtea pœnituit, retinetur ſub cuſtodia Chriſtianorum, examinantur teſtes ſuper conſenſu, & in caſu periculi ordinatur baptiſmus.

CONSULTATIO CXCI.

1 *An Clericus contra Eccleſiam ſuam, in qua beneficium obtinet, pro extraneis advocare prohibeatur?*

2 *Quid verò ſi a pluribus Eccleſiis beneficia habeat, & pro una contra aliam poſtulet, an ne, & tum amittet beneficium, quod ab ea habet Eccleſia, contra quam advocati munus ſubire non recuſavit?*

3 *Num verè advocare prohibitus, nihilominus cauſæ litigatorum conſiliis, & ſcriptis inſervire poterit?*

1 AD primum reſpondeo, prohiberi ſub privatione beneficii, *cap. ult. extr. de poſt.*

2 Ad ſecundum. Non puto. Nam *d. cap. ultim.* expreſsè loquitur dumtaxat de Clerico pro extraneo contra Eccleſiam poſtulante. Non igitur extendendum ad Clericum, qui pro Eccleſia contra Eccleſiam advocat. Nam pœnalia, & odioſa reſtringenda ſunt, vulg. *cap. odia de reg. jur. in 6.* Maximè verò hæc ſententia procedit, quando Clericus ab ea Eccleſia, pro qua poſtulat antiquius beneficium habet, *arg. tit. 28. in fin. lib. 12.*

3 Ad tertium extra judicium ei permiſſum cenſeo. Nam pœnæ ſtrictiſſimè ſunt accipiendæ, *cap. pœnæ d. 1.* Vve-

ſemb. *in paratitl. ff. tit. de poſtul. num. 5.* in judicio non item. Perindè enim eſt ſcriptis, an abſque ſcriptis aliquis in judicio advocet, Umen. *in diſputat. 2. ad proceſ. jud. theſ. 5. num. 26.*

CONSULTATIO CXCII.

Quo jure prohibitum ſit Judæis conducere vectigalia Principis ſæcularis, illaque per ſeipſos exercere? Vel etiam conducere bona Principis ſæcularis, vel privatorum?

An eadem prohibita ſint Judæis ex Conſtitutionibus Pontificiis, & an iidem, ſive alii infideles præfici poſſint Chriſtianis? Ubi effata varia de Judæis.

REſpondeo, id illis prohiberi ex jure Canonico, & civili. Et quoad jus Canonicum prohibitum eſt ſacroſanctis Conciliis, & ſanctionibus Summorum Pontificum, Principibus, & Rebuſpublicis Chriſtianis quenquam Judæum ad munera publica admittere, ne occaſione officiorum in Chriſtianos, quos odio capitali proſequuntur, graſſentur. Ita ſancitum in Concilio Matiſconenſi 1. *cap. 13. tom. 2. Concil.* & *in canon. conſtituit 17. quæſt. 4.* & habetur diſertè in Concilio Toletano *3. cap. 4.* quod refertur in *canon. nulla d. 54.* his verbis: *Nulla officia publica Judæis injungantur, per quæ eis occaſio tribuatur Chriſtianis pœnam inferre*: Quod innovatum eſt in Concilio Lateranenſi ſub Innoc. III. *c. 69.* relatum *in c. Cùm ſit nimis abſurdum, de Judæis*, ibi: *Cùm ſit nimis abſurdum, ut blaſphemus Chriſti in Chriſtianos vim poteſtatis exerceat, quod ſuper hoc Toletanum Concilium providè ſtatuit, nos propter transgreſſorum audaciam in hoc generali Concilio innovamus, prohibentes, ne Judæi publicis officiis præferantur, quoniam ſub tali prætextu Chriſtianis plurimum ſunt infeſti.* Et clariſſimè decernitur *in cap. ex ſpeciali eod. tit.* quod eſt Gregorii IX. ſcribentis ad Epiſcopos Aſtoricenſem, & Lucenſem in hunc modum: *Mandamus quatenus Regum ipſum ſolicitè inducatis, ne in officiis publicis Judæos Chriſtianis præficiat, ſicut in generali Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. d. cap. 69. continetur.* Additque Pontifex ad rem: *Etſi forte redditus ſuos Judæis vendiderit, vel paganis, Chriſtianum tunc deputet de gravaminibus inferendis Clericis, & Eccleſiis non ſuſpectum, per quem Judæi, ſive Saraceni, ſive Chriſtianorum injuria regalia conſequantur.* Quod ibi annotant Doctores, nominatim Abbas, & tradit Guttier. *de gabell. quæſt. 132. num. 5.* ubi variis Catholicorum Regum legibus apud Chriſtianiſſimos Hiſpanos ait eſſe ſancitum, Honor. Papa I. in ſua Conſtitutione, quæ incipit, *Dilectus filius §. Item quod Judæis*, & proſequuntur Alex. *conſ. 13. num. 2. vol. 7.* ac Sylveſt. *in ſumm. v. Judæi num. 7.* ac ſtatuit præ cæteris Carolus II. Siciliæ Rex, ut *in cap. Item ſtatuimus, quod Judæis, pag. 316.* Hoc idem ſaluberrimè decrevit Sanctiſſimus vir Carolus in Concilio 1. Mediolanenſi de Judæis ubi, ne dignitatem, ait, vel publicum officium, quod ad Chriſtianos pertinere aliquo modo poſſit, Judæi obtineant. Cederet id namque in ſcandalum, & periculum fidei, cùm facilè Superiorum infidelium authoritate perverterentur fideles ſubditi. Item fieret, ut Superiores infideles facilè cognoſcerent peccata ſubditorum fidelium, atque ita contemnerent ipſorum fidem. Quæ ratio movit Apoſtolum, ut prohiberet, ne fideles *in judicio contenderent coram Judice infideli 1. Cor. 6.*

2 Quo verò ad jus civile ita etiam ſanxerunt Cæſares Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius *in l. juſſio 5. C. de Jud. Juſſio*, inquiunt, *qua ſibi Judaicæ legis homines blandiuntur, per quam eis curialium munerum debetur immunitas, reſcindatur*. Et luculentius *in l. hac valitura 18. eodem tit.* his verbis. *Hac valitura in omne ævum lege ſancimus, neminem Judæorum, quibus omnes adminiſtrationes, & dignitates interdictæ ſunt, nec defenſoris Civitatis fungi ſaltem officio, nec patriæ honorem arripere concedimus*, ſubdentes pulcherrimam, ac evidentiſſimam rationem, *ne*, inquiunt iidem Auguſti, *acquiſiti ſibi officii authoritate muniti adverſus Chriſtianos, & ipſos plerumque S. Religionis Antiſtites, veluti inſultantes fidei noſtræ, judicandi, vel pronunciandi quamlibet habeant poteſtatem*. Idemque elicitur ex *l. jubemus 19. C. de Epiſc. aud.* & *l. nemo 8. C. de poſtul.* & *l. probatorias 9. C. de diverſ. offic.* quas adducit Tholoſan. *de Republ. lib. 4. cap. 5. num. 25.*

3 Ratio habetur ex textibus allegatis, quia ſcilicet nimis videtur abſurdum, ut blaſphemus Chriſti in Chriſtianos vim aliquam poteſtatis exerceat, *d. c. cum nimis, de Judæis*, & *cap. præſenti d. 54.* Nec æquum videtur, ut illi efficiantur Superiores, quos obſtinata perfidia diro ſubjecit jugo ſervitutis, *cap. 1. de Judæis*. Unde Doctores, qui communiter docent, Judæos in terris Chriſtianorum

habitantes non esse capaces jurisdictionis inter Christianos, ut Bartol. *in rub. ff. de justit. & jur. num.* 1. ibique Jas. *numer.* 2. & 8. Anchar. *cons.* 27. *num.* 2. Alex. *cons.* 75. *ante num.* 2. *lib.* 5. Barbat. *cons.* 63. *col.* 2. *lib.* 4. Roland. *cons.* 35. *num.* 41. *lib.* 2. Crot. *in rub. ff. de nov. oper. nunc. num.* 9. & *seqq.* Brun. *in tract. stantib. mascul. ar.* 6. *num.* 60. id extendunt ad Judæos, & infideles, ne possint esse publicani, vel conductores jurium fiscalium, neque rationarii Civitatis, vel fisci, quia hæc sunt munera publica, Bartol. *in l.* 1. *§. cura carnis, ff. de off. Præf. Urb. & in l.* 1. *ff. naut. caup. & stab.* Garz. *de expens. & melior. cap.* 24. *num.* 26. Mugnoz. *de ratiocin. admin. cap.* 8. *n.* 5. Judæi autem, & infideles publici muneris sunt incapaces, *d. l. hac valitura, C. de jud. & d. cap. nulla d.* 54. Quia sunt infames, & odiosi, eo quòd insidiantur fidei Christianæ, Roland. a Val. *cons.* 35. *num.* 9. & 16. *vol.* 2. Bero. *cons.* 28. *num.* 44. *vol.* 3.

4 Quare committens officium Judæo, monitione præmissa per Provinciale Concilium compesci debet; Judeo verò officiali tamdiu Christianorum communio in commerciis ac aliis est deneganda, donec in usum pauperum Christianorum secundùm providentiam Diœcesani Episcopi convertatur quidquid a Christianis fuerit adeptus occasione officii sic suscepti, & officium cum pudore dimittat, quòd irreverenter assumpsit, ut in eodem *cap. Cùm sit nimis, §. si quis autem*, ibique Abb. *in princip.* & Sylvest. *d. num.* 7.

5 Quòd autem attinet ad conductionem bonorum Principis sæcularis, vel etiam privatorum respondetur affirmativè extra Urbem, & Ditionem Ecclesiasticam. Nam juris communis inspecta censura, Judæi etiam inter Christianos possunt habere bona stabilia, ut docemur ex *cap. Judæi* 2. ubi Abb. *ante num.* 3. & *ex cap. multorum, de Jud. & cap. quantò in fin. de usur. & in cap. de terris, & de decim.* & utrobique Doctores, speciatim Abb. *ibi sub num.* 4. Innoc. *in cap. quòd super num.* 4. *de vot.* Anchar. inter *cons.* Calderini 3. *tit. locati*, Roman. *cons.* 489. Ergo multò magis possunt prædia conducere.

6 Limitavi conclusionem. Quia sicuti Judæi nequeunt in Ditione Ecclesiastica bona immobilia possidere ex speciali Constitutione Pauli IV. quæ est 3. in ordine *§.* 2. *in fine*, ita nequeunt prædia conducere. Unde Judæis nullo modo conceduntur licentiæ conducendi prædia a Christianis, & hactenus concessæ a Cardinali Camerario revocandæ. Reliquæ Constitutiones B. Pii V. & Clementis VIII. restringuntur ad Ditionem Ecclesiasticam, ut patet ex consuetudine, & observatione, qua omnes leges interpretamur.

Quod verò non sit licitum fidelibus infideles de novo Dominos proficere, puto esse doctrinam certam, quæ neminem, quod sciam, Catholicum Doctorem dissentientem habet. Tradit eam asseverantissimè D. Thomas 2. 2. *quæst.* 10. *ar.* 10. *in corp.* Nam proposita ista eadem quæstione *dicendum*, inquit, *quòd circa hoc dupliciter loqui possumus. Suo modo de dominio, vel Prælatione infidelium super fideles de novo instituendo, & hoc nullo modo permitti debet. Cederet enim hoc in scandalum, & in periculum fidei: De facilè enim illi, qui subjiciuntur aliorum jurisdictioni mutari possunt ab iis, quibus subsunt, ut sequantur eorum imperium, nisi illi, qui subsunt, fuerint magnæ virtutis, & similiter infideles contemnunt fidem, si fidelium defectus cognoscant. Et ideò Apostolus prohibuit, ut fideles non contendant in judicio coram Judice infideli. Et ideò nullo modo permittit Ecclesia, quòd infideles acquirant dominium super fideles, vel qualitercunque eis præsciantur in aliquo officio.*

Eadem Interpretum est mens, qui illum articulum explicandum susceperunt. Nec mirum, cùm in perspicua veriſſimaque ratione fundatus sit, scandalo infirmorum, & periculo fidei. Quòd ita magnum est, ut ab exordio Ecclesiæ in hunc usque diem experientia irrefragabili compertum sit, infidelium, vel hæreticorum imperium infideles semper traxisse secum ruinam imbecillium, totamque fidem, vel funditus, vel maxima ex parte deleviſſe. Europam circumspice universam, ita ubique gentium contigisse cernes. In Norvegia, Dania, Svetia, Pomerania, Saxonia, Brandemburgio Marchionatu, cæterisque Germaniæ Borealis plagis, Palatinatu, Hassia, Ducatu Vvirtembergensi, plerisque Civitatibus Imperialibus ita Catholica fides hac ex causa periit, ut plerisque in locis nec unus quidem, quasi racemus in vindemiata vinea superstes sit Catholicus. In Anglia pauci, in Scotia pauciſſimi. In Provinciis confœderatis Catholica, eaque sola vigebat fides, simul atque dominis fidei desertoribus pareri cœptum est, mirum dictu, intra paucos annos, itaut plurimum extirpata, atque deleta fuit, ut initio Sacerdotibus eam suscitare satagentibus vix hospitium reperiri posset ad commorandum, vix auditores ad prædicandum.

Antiquiora tempora si repetamus, eadem sub Dominis infidelibus fidei Catholicæ sors, eadem calamitas fuit. Nonne in Africa, Arabia Petræa, Deserta, Felici, Palæstina, nec vestigium quidem supereſt? Vix ullum in Ægypto, in Mesopotamia, cæteraque ferè Syria itidem nullum. Constantinopolis, fidei Catholicæ in Græcia olim columna, & caput, dominantibus Arianis succubuerat. Tanta strages fidei continuò sequuta est intra paucos annos, ut S. Gregorius Nazianzenus columen videlicèt doctrinæ Christianæ, ad ejus resurrectionem destinandus fuerit. Quis in ejus adventu fuerit status Religionis, si scire libet, ipsum audite confitentem, cùm Episcopis congregatis vale diceret, orat. 32. *Hic grex exiguus quondam erat, & imperfectus, quantum quidem oculorum sensu judicari poterat, ac ne grex quidem, sed parvum quoddam, & tenue gregis vestigium, aut reliquiæ, incompositus, pastore carens, nullis terminis inclusus, nec pascui liberi jus habens, nec causa cinctus, aberrans in montibus, in speluncis, in cavernis terræ, huc illuc dispersus, atque disjectus, eoque redactus, ut qua quamque ovem sors tulisset, tegeretur, ac pabularetur, præclareque secum agi duceret, si salutem suam surriperet.* Et in carmine de vita sua testatur, prædicationem suam Catholicæ fidei Constantinopoli tàm visam fuisse novam, *Multos perindè ac si Deos induceret.* Quam ob causam Basilica, ubi fidei inchoata est restauratio, Anastasia, a pietatis resurrectione nuncupata est.

Sed in re perspicua quid multis opus? Totus terrarum Orbis quaque versum ab Oriente in Occidentem; ab Austro in Septentrionem patet, magna fert voce veritati testimonium. Ubique enim fidei interitus dominantem infidelitatem consequutus est, in Græcia, in Asia minore, atque majore, ejusque Provinciis, Syria, Perside, Babylonia, vastissimis Indiæ regionibus, Africa universa. In Germania quodammodo fatale est, ut vera subditorum submissio Principum suorum fidem velut suum sequatur solem, quemadmodum intra paucos annos in Palatinatu vidimus.

Quæ cùm ita sint, manifestum est, nullum esse præ- 7
sentius delendæ fidei venenum, quàm infidelium super fideles principatum. Illicitum est igitur, magnumque crimen infideles Dominos fidelibus præficere, vel ad hoc conferre operam suam. Ideòque re maturiùs considerata, non desidero solùm, sed posco, & efflagito præcipi Collegiis, Communitatibus, ac personis tàm Ecclesiasticis, quàm sæcularibus cujuscunque status, gradus, conditionis, ac dignitatis, ne Judæis dare possint in emphyteusim, vel in censum, locationem perpetuam, vel temporalem, ne quidem ad breve tempus, castra, Terras, sive quæcunque alia bona stabilia, laudemia, census, fructus, vel ususfructus quorumcunque bonorum stabilium, etiam per modum cessionis sub pœna Judæis Ditionis Ecclesiasticæ præter nullitatem contractus, solvendi Fisco omne id, quod ratione contractus solvissent Christiano, ac verberationis, & Christianis solvendi etiam Fisco quidquid exegissent ob hujusmodi contractum a Judæis. Extra tamen Ditionem Ecclesiasticam prospiciendum generali Constitutione. Tum quia hæc prohibitio tendit ad favorem fidei. Tum etiam quia cùm committens officium publicum Judæo, vel infideli inter Christianos debeat nedum puniri, sed etiam dicatur committere sacrilegium, *cap. nimis §. sacrilegii* 17. *quæst.* 4. Anan. *in d. cap. cum sit nimis absurdum ante num.* 3. *de Jud.* ideò partes erunt Summi Pontificis his omnibus malis in Christiana Republica prospicere, quod fieri non potest, nisi per generalem Constitutionem.

Et cum non videatur casus Inquisitionis, quia agitur 8
de re merè temporali, ideò jus exequendi, ac puniendi erit solius Ordinarii, juxta *d. cap. Cum sit, & d. cap. ex speciali de Judæis*, in quo Gregor. Pontifex id commisit Episcopis Asturicensi, & Lucensi. Sed quoniam hæc res tendit ad favorem fidei, cùm nimis sit dedecens, atque absurdum, redundetque in ignominiam Christianæ Religionis, quod in officiis publicis filius liberæ subjiciatur filio ancillæ, & major serviat minori, injuncto odio penitus insito in cordibus Judæorum contra Christianos ac periculo subversionis, ideò quoad conductionem vectigalium, aliaque munera civilia, quibus trahunt Christianos ad peccata, & scelera, non erit forsitan abs re committere Constitutionis exequutionem etiam Inquisitoribus, qui unà cum Episcopis cognoscant, ac judicent ad differentiam Constitutionis Gregorii XIII. *Antiqua Judæorum improbitas*, quam solis Inquisitoribus delegavit. Quod autem ad locationem bonorum privatorum, vel prædiorum Principis, cùm sit merus, ac simplex contractus, in quo non intercedit tantum dedecoris in nostram Religionem, neque tantum scandali, & periculi, idcircò censeo quoad hanc partem illius exequutionem

con-

committi posse solis Episcopis, cæterisque Ordinariis cum pœnis Ecclesiasticis sibi benevisis, ut fecisse videtur Clemens VIII. in sua Constitutione, qui ejus exequutionem non commisit inquisitoribus, sed Camerario, Urbis Vicario, Legatis, Ordinariis, & Gubernatoribus Ditionis Ecclesiasticæ. Et notandum, quòd rebellioni Regni Lusitaniæ ab Austriaca Monarchia præcipuam occasionem dederunt officia ejusmodi publica Judæis Marranis a Ministris Regis, initio piissimo, ac semper Catholico Philippo Quarto Hispaniarum Rege, collata. Unde ex digito Dei, & justo illius judicio Sapientiores, qui de hac re historiam scripsere, id evenisse judicarunt.

9 Essata. Judæi tenentur per seipsos suos libros expurgare, alias puniendi.

10 Penè semper est ipsis deneganda licentia medendi Christianos.

11 Non debet permitti, ut a Christianis accendatur ignis in eorum domibus die Sabbati, etiamsi offerrent eleemosynam locis piis erogandam.

12 Prohibentur cum Christianis promiscuè larvati accedere ad audiendum comœdias, ac simul tripudiare, & contra eos potest procedi per Inquisitores.

13 Retinentes in suo famulatu puellas Christianas, quæ Missam non audiunt, puniuntur in S. Officio, ad quod hujusmodi causæ spectant, non autem ad Judicem sæcularem.

14 Deferentes arma Tunetum, vel Algerium prætextu illa deferendi ad aliquem locum catholicum puniuntur in S. Officio.

15 Testes Judæi absque tortura non faciunt fidem in causa fidei contra Christianum, itaut possit procedi ad torturam contra reum.

16 Retinentes libros prohibitos puniuntur ab Inquisitoribus ex constitutione Clementis Octavi, etiam cum confiscatione. Unde Inquisitores si habeant sufficientia indicia, quòd ejusmodi libros retineant, præcipuè Talmud, qui corrigi non potest, debent contra jus procedere. Nec iidem Inquisitores debent illorum correctionem acceptare, vel libros expurgatos subscribere.

17 Transferentes cum pompa, & luminibus Arcam ab una domo ad aliam puniuntur in S. Officio.

18 Non possunt absque licentia Sedis Apostolicæ novas Synagogas construere.

19 Accedentes ad hospitia Christianorum non puniuntur in S. Officio.

20 Concessa ipsis est per diploma emanatum die 2. Junii 1593. facultas accedendi ad quæcunque loca Ditionis Ecclesiasticæ occasione mercaturæ, dummodò in illis non contrahant domicilium, quod in nullis civitatibus, & locis habere possunt, nisi Anconæ, Romæ, ac Ferrariæ, & ex diplomate Urbani VIII. in Ducatu Urbini.

21 Dantes Christianis panes azymos, quos conficiunt in Paschate, puniuntur extra Urbem a S. Officio, in Urbe ab Eminentissimo Cardinali Vicario.

22 Persolvunt pœnas sibi impositas, non quidem manendo præ foribus Ecclesiæ, sed ante Synagogam.

23 Circumcidentes infantem Christianum severè puniendi ab Inquisitoribus.

24 Existentes in triremibus, volentes suscipere baptismum, instruuntur, & baptizantur, sed remanent in triremibus.

25 Habentes simplex commercium carnale cum mulieribus Christianis, non puniuntur a S. Officio, sed ab Ordinariis. Aliquando tamen simul procedunt, vel ratione contemptus Fidei, & Religionis Christianæ, vel cohabitationis.

26 Non possunt suam synagogam, licèt combustam, in alio loco ædificare, sed debent in eodem loco illam reficere.

27 Percutientes, vel corrumpentes Imagines Sanctorum puniuntur in S. Officio, etiam privativè quoad Judices laicos, idque etiamsi prævenerint.

28 Descendentes ex eorum progenie non admittuntur ad Canonicatus in Cathedralibus, neque ad dignitates in Collegiatis, neque ad beneficia curam animarum habentia, neque etiam ad munus Vicarii, & curæ etiam amovibilis. Quod servandum est a Regularibus in Ecclesiis, in quibus habent curam animarum. Ad Ordines verò promovendi non sunt, nisi viri probatæ vitæ, & ii, quibus merita suffragantur.

29 Non possunt accipere in pignus res cum Crucibus, aut sacris imaginibus, neque in suis tabernis tenere possunt venalia, quæ spectant ad Religionem Christianam, veluti Cruces, Imagines Sanctorum, & hujusmodi alia, quibus abusibus occurrere tenentur Ordinarii.

Pro exercendo fœnore debent petere licentiam a Summo Pontifice. 30

Nequeunt sua animalia in usum carnis mactare in macellis Christianorum cum suis superstitionibus. 31

Neque possunt uti opera fullonum Christianorum. Verùm ob penuriam aquæ potest propter bonum publicum permitti, ut ipsimet deferant pannos lineos ad fullonicum mulierum Christianorum, ut ipsos abluant, & lotos ad suas domos referant. 32

Procurantes liberationem Turcarum a triremibus, ut judaizent, puniuntur in S. Officio. 33

Non possunt uti opera Christianorum in addiscendis literis latinis, vel scientiis, aut artibus. Quod si concedatur licentia, potest concedi, ut doceantur in aliqua domo privata extra Ghettum, in quam non conveniant pueri Christiani, & exceptis diebus festis, atque habita prius diligenti inquisitione de doctrina, & pietate præceptoris. 34

Nequeunt docere Christianos aliquam disciplinam, vel artem. 35

Prohibentur accedere ad cauponas Christianorum cum meretricibus. 36

Non possunt promoveri ad gradum aliquem Doctoratus in Universitatibus Catholicis. 37

Prohibentur apponere suis sepulchris epitaphia, & sculpere nomina, & cognomina, ac patriam defunctorum, & appositа sunt amovenda. 38

Permittitur ipsis uti opera Christianorum quoad frumentum, ligna, & vinum ad vehendum tantùm, cætera denegantur, & utentes in rebus aliis famulatu, vel opera Christianorum puniuntur in S. Officio, sicut & Christiani illam exhibentes. 39

Nequeunt vocari nominibus Christianorum. 40

In vendendis, ac emendis libris tenentur servare mandata, quæ servant bibliopolæ Christiani. 41

Debent subscribere suum examen, licèt examinentur die Sabbati. 42

Cum medicis, & chirurgis Christianis ad eorum domus causa eos medendi accedentibus, Episcopus potest connivere; annuum tamen salarium iis prohibeat. 43

Barbitonsores debent ab Episcopo prohiberi, ne accedant ad eorum domos, ut illos tondeant. 44

Cum puellis ultra secundum gradum, originem a Judæis trahentibus, dispensatur, ut ingredi possint Religionem, & habilitantur ad officia, & munera. 45

Occasione pestis permittitur ipsis opera medicorum Christianorum, si non habuerint medicos hebræos. 46

Eorum synagogæ erectæ absque licentia Sedis Apostolicæ, supprimendæ, ac destruendæ. 47

Prohibetur ipsis mercatura librorum Ecclesiasticorum, illosque apud se retinere. Neque ipsis permittitur typographia idiomatis hebraici. 48

Non possunt deferre processionaliter per suum Ghettum Bibliam. 49

Tenentur deferre signum in pileo, ad idque cogendi. 50

Eorum filii, quamvis non possint invitis parentibus baptizari, si tamen de facto baptizentur, valet baptismus, & apud Christianos alendi sunt. Non licet tamen hujusmodi baptismum conferre, eorum parentibus invitis. Quia tametsi sit bonus, media tamen sunt illicita, præsertim ex Constitutione Julii III. imponentis pœnam mille ducatorum, & suspensionis baptizantibus filios Hebræorum, invitis parentibus. 51

Contra hortantes proprios filios neophytos ad redeundum ad Judaismum non devenitur ad confiscationem bonorum, sed ad mulctam pecuniariam. 52

Amplectentes sectam turcicam, & inquisiti in Sac. Officio, expediendi, ac si essent spontè comparentes cum abjuratione, vel retractatione erroris, in quem inciderunt juxta formam præscriptam a Pegna *in com. quæst.* 146. 53

Pronunciantes blasphemias hæreticales puniuntur in S. Officio. 54

Qui a lege hebraica apostatant ad Mahumetismum damnantur ad revocandum, & detestandum sectam Turcarum juxta formulam præscriptam, damnantur ad carceres ad tempus arbitrio, & interim benignè moneantur ad suscipiendum baptismum. 55

Alia de Judæis alibi dispersim.

CON-

CONSULTATIO CXCIII.

De teſtibus in minori ætate conſtitutis pro cauſis S. Officii Inquiſitionis, ubi an puer ſeptem, vel octo annorum ob jactatam apud ſuos coætaneos magiam, & nocturnos ſagarum conventus apprehendi, & ejus confeſſio attendi poſſit?

Qua pœna affici debeat puer maleficus ob dictam pueritiam, & adoleſcentiam commiſſa?

Et qui proximi pubertati dicantur?

1 TEſtibus decem annorum, vel infra non defertur juramentum, ſed monentur de gravitate juramenti. Impuberes verò, qui nimirum exceſſerunt decennium cum dimidio, admittuntur, immò & coguntur, ſed ſine juramento. Quatuordecim verò annorum, ſi ſunt doli capaces, defertur juramentum de veritate dicenda, quando examinantur. Eorum autem dictum prodeſt ad indagandum veritatem, Clar. *quæſt.* 24. *num.* 17. Et poſitis adminiculis, etiam facit ad torturam ſecundùm Farinac. *de teſtib. quæſt.* 58. *num.* 52. Caren. *part.* 3. *tit.* 5. *num.* 53. Et etiam ad pœnam extraordinariam infligendam, ut notat Clar. *lib.* 5. *pr.* §. *fin. quæſt.* 24. *verſ. ſciendum eſt tamen in fine*, & alii. Puberes verò poſt decimumquartum annum admittuntur cum juramento, & proſunt ad torturam cum aliis adminiculis. Majores autem viginti annis in omnibus delictis dicuntur idonei, & omni exceptione majores, *leg. in teſtimonium* 2. *ff. de teſt.* Farinac. *quæſt.* 58. *de teſt.* & Caren. *eod. num.* 53.

2 Quinimmò minores quatuordecim annorum, necnon cujuſcunque alterius minoris ætatis, dummodò fuerint doli capaces, admitti, immò & ad id cogi, ac torqueri poſſe, ait Delben. *de offic. S. Inquiſit. par.* 2. *dub.* 98. *ſect.* 1. *num.* 17. per text. *in leg. de minore in princ. ff. de quæſt.* Nam ſi in crimine læſæ majeſtatis humanæ id procedit, multò magis in crimine læſæ majeſtatis divinæ procedere debebit, ut per doctores, quos ſequitur Farinac. *de hæreſ. quæſt.* 188. *num.* 75. & Maſcard. *de prob. lib.* 2. *concl.* 462. *num.* 5. ubi tamen ſubdit, quod minor deponere debeat cum authoritate tutoris, aliàs nullius valoris ſit ipſius teſtimonium ex textu *in l. Clarum*, *C. de auth. præſt.* quamvis id hodie in praxi non ſervari, teſtetur idem Farinac. *ubi ſupra qu.* 54. *num.* 24. Verùm carcerato in S. Officio ſolet dari ex regula Curator, ut coram illo ſua dicta ratificet, niſi conſuetudo procedendi ſit contraria.

3 Quod autem ad primam partem dubii propoſiti attinet, negativè videtur reſpondendum, quia diffamatio originem ſumit a pueris, quorum vix unus ejus ætatis eſt, quia de jure teſtimonium prohibere poſſit, præſertim in cauſa tàm gravi criminali. Impuberes autem teſtes eſſe nequeunt, quia in illis deſideratur rei, de qua deponunt, intelligentia, & conſtantia in dictis, quæ propter ætatis lubricitatem abſunt in illa ætate, *leg.* 2. & *leg. inviti*, *ff. de teſtib.* Dec. *in leg. fœminæ*, §. *item impuberes*, *ff. de re jud. leg. moribus*, *leg. pupillus*, *ff. de acquir. hæred. leg.* 1. *Cod. de falſ. mon.* & *Clem. ſi furioſus de homicid.* præſertim verò in criminalibus, in quibus non tantùm impuberes, ſed etiam puberes minores viginti annis a teſtimonio repelluntur, *l. in teſtimonium*, *ff de teſt.*

4 His tamen ratione non attenta, cenſeo apponi poſſe, quia experientia conſtat, etiam pueros in tàm tenera ætate a propriis parentibus perverſos, & in ejuſmodi deteſtandum delictum præcipitatos fuiſſe, ut teſtatur Mezger. *conſ. crim.* 7. de puella duodecim annorum Ferdinandus Vizenegger. *de ſervit. dæmon. cap. ult. num.* 196. Binsfeldius ad *l.* 5. *C. de malef.* & *mathem.* Sprenger. *in mall. malef. par.* 2. *qu.* 1. *cap.* 13. de puella octenni a matre ſeducta, Delrius *lib.* 2. *magic. quæſt.* 16. Inter ſtriges Avenionenſes, ut narrat Mich. Pneumalog. *ſchol.* 6. puer captus fuit, qui Judicibus narrabat, ſe a patre in Synagogam, ſic conventum vocant, deductum, & ibi vidiſſe multa nefaria, & horrenda, itaque conterritum muniviſſe ſignaculo Crucis, & dixiſſe: Jeſu quid iſtuc rei? Simulque cum dicto turbam totam diſparuiſſe, & ipſum ſe ſolùm ibi deprehendiſſe, poſtridie domum rediiſſe, quæ tribus a Synagoga miliaribus aberat, & patrem ad Judices detuliſſe. Undè & puero in vicinia nomen inditum Maſquellon, hoc eſt parvus ſortiarius, huncque puerum cum ipſe Michaeli iſta ſcriberet anno 1582. adhuc Avenioni captivum fuiſſe. Similia narrant, & alii. Impuberes autem doli committendi, & injuriæ faciendæ capaces eſſe crebrò, adeòque etiam capi, & puniri poſſe de jure non eſt dubium per textum in *l. Impuberem*, *ff. de furt.* *l. excipiuntur*, & ibi Doctores, *ff. ad Silan.*

5 Et quamvis ordinariè loquendo puerorum teſtimonio non ſtetur in rebus tàm arduis, excipiuntur tamen delicta ita comparata, & tàm occulta, ut neceſſariò ab ejuſmodi ætatæ informatio ex officio capienda ſit, & aliundè haberi non poſſit, ſæpè enim pueri coram coætaneis proferunt, quòd coram aliis non proferrent, quo in caſu ejuſmodi diffamationem conniveri ab Inquiſitoribus nequeunt. Et quamvis etiam in criminalibus cauſis non tantùm impuberes, ſed etiam puberes minores viginti annis a teſtimonio repellantur, *l.* 3. §. *lege Julia*, & *d. l. in teſtimonium*, *ff. de teſtib.* hoc tamen limitatur, niſi ſit crimen exceptum, graviſſimum læſæ Majeſtatis, & veneficium, in quibus impuberes non tantùm admittuntur, ſed etiam indicium faciunt ad torturam ſecundùm Bartol. *in l. talis*, *C. de his*, *quib. ut indig.* Gloſ. *in l. de minori*, *ff. de quæſt.* Poſſunt igitur ſacri Inquiſitores recipere impuberes multò magis, quando ſummus in facto, cujus veritas eſt difficilis probationis, & per alios haberi non poteſt, præſertim ſi non ad inſtantiam alicujus accuſatoris procedant, prout loquitur textus *in d. leg. in teſtimonium ff. de teſtib.* ſed tantùm ex officio, & per inquiſitionem, Gloſ. *in d. l. inviti*, *ff. de teſt.* Farinac. *conſ.* 29. *num.* 5. & 6. Maſchard. *de probat. vol.* 3. *concl.* 1246. *num.* 3. & 7.

6 Quod autem attinet ad ſecundam partem dubii, an ſcilicet confeſſioni hujus pueri ſtandum ſit, qui fatetur ſe inunctum unguento confecto ex unguine infantium necatorum, ac devectum inſediſſe modò baculo, modò ſcopæ, modò tauro, modò hirco, in montem Veneris, & in arborem Beneventanam cum aliis magis, & ſagis veniſſe, poſt nocturna tripudia Deum, & Beatiſſimam Virginem abnegaſſe, diabolum adoraſſe, eique ſacrificium infantium effoſſorum obtuliſſe, nefandam libidinem cum ipſo, & aliis ſagis exercuiſſe, & fugas communione ſumpta ſacram hoſtiam in ore aſſervatam, & extractam dæmoni oblatam coram eo pedibus conculcaſſe. Ratio dubitandi eſt, quòd tales pueri ſine aſſiſtentia parentum, vel tutorum ex quadam inconſideratione, quod ab aliis audiverunt, effutire, & ſibi attribuendo, irrecuperabile damnum corporis, & vitæ accerſere poſſent. Confeſſio autem minoris, ac pupilli ſine tutoris, aut curatoris authoritate ipſo jure non valet, neque ipſi minori nocet per textum *in l. clarum*, *C. de aut. præſt. leg. in univerſis*, *C. qui tut. dar. poſſ. l. propter*, *Cod. de adult.* Gomez *var. reſol. tom.* 3. *cap.* 1. *num.* 64. ne ex ſua imperitia, vel puerili calore aliquid vel dicant, vel taceant, quod ſi fuiſſet prolatum, vel non expreſſum, prodeſſe eis poterat, ut textus ait *in dict. leg. clarum* Bald. *in l.* 1. *Codice de confeſ. num.* 61. Menoch. *de arbitr. caſ.* 268. *num.* 2. Afflict. *deciſ.* 208. *num.* 4. Quod eadem etiam, & pari ratione obtinet in confeſſione minoris, habentis adhuc patrem, nam & illi ad hoc, ut poſteà confeſſus poſſit condemnari, dandus eſt curator, ut pater ipſe, vel alius arbitrio Judicis, prout notat Farinac. *de reo confeſ.* & *convict. qu.* 81. *num.* 354.

7 At, quia in judiciis uſus, ac obſervatio aliud probat, quòd videlicet impuberibus, & minoribus nulli curatores ad litem permittantur, hoc etiam in præſenti caſu non debet attendi. Quamvis enim impuberis confeſſionem ſine authoritate tutoris, vel curatoris non valere, aſſerant Doctores communiter *in dict. leg. clarum*, id tamen eſt intelligendum in illis, quæ ad veritatem indagandam inſtituuntur, ut ait Bald. *in dict. leg. auxilium*, *ff. de minor. n.* 1. Ita in ſimili, ſi accuſationi ſit reſpondendum, vel aliis interrogationibus a Judice factis, reus per ſe, non per procuratorem reſpondere debet, non obſtante, quòd pro præſente procurator intervenire poſſit, Jul. Clar. §. *fin. quæſt.* 32. *verſ. item verò*. Et reo advocatum dari, qui tunc etiam non admittitur, quando reus examinatur, quia ex quo agitur ad veritatem inveniendam non eſt de ſolemnitate perſonarum curandum, inquit Abb. *in cap. fin. extr. de conſ. num.* 9. Illamque Doctorum theoricam, ut curator, vel tutor in confeſſione interveniat non ſervari in praxi, teſtatur Farinac. *pr. crim. par.* 3. *qu.* 81. *cap.* 10. *num.* 380. Quia facilè veritas in multis delictis per pueros committi ſolitis occultaretur, præſertim in crimine veneficii occultiſſimo, & quòd non ſemper poſt ſe veſtigium relinquit, adeòque valdè perſonale, eſt Clar. *recept. ſent. lib.* 5. §. *fin. qu.* 50. *num.* 2. & *qu.* 55. §. *ulterius num.* 12. Hinc, ſi Judex ſit vir diſcretus, prudens, & cautè procedere ſolitus, hanc Curiarum conſuetudinem, præſertim in hoc delicti genere, valere putat, quia Judex, quæ deſunt fortè impuberibus, aut minoribus propter defectum judicii in ſe defendendo, aut erronea revocando, ſua præſentia, & diſcretione ſupplere ſolet, *arg. text. in leg. un. Cod. ut quę deſunt advoc. par. jud. ſupl. leg. Judices*, *Cod. de jud. cap. judicantem* 30. *qu.* 6. & *leg. ubicunque*, *ff.*

de

de interrog. act. Plura de confessione minoris vide apud Maschard. *concl.* 371. *per tot.* Farinac. *d. qu.* 81. *cap.* 10. *num.* 352. *cum seq. & num.* 370. 383. *&* 387. ac similiter Gomez *d. tom.* 3. *cap.* 1. *num.* 64. *& seqq.* ac Boer. *decis.* 93. *num.* 6. *&* 7. Quamvis enim de jure contrarium sit statutum *in d. l. clarum*, *C. de aut. præst.* tamen de consuetudine non est nulla confessio ob defectum tutoris, vel Curatoris, & minor non restituitur adversus confessionem, ut per Gothofr. *ad dict. leg. clarum*. Vide plura apud Odd. *de restit. in integr. par.* 2. *quæst.* 65. *artic.* 6. *& art.* 9. *per tot.* præsertim *num.* 33. *& seqq.*

8 Hoc autem notandum, quod si confessiones hujusmodi puerorum essent incertæ, & ex parte fallæ factaque inquisitione minimè verificatæ, de rebus occultis, quæ multa vestigia post se relinquunt, itaut de eis certò constare non posset, tanquam confessiones variæ, & incertæ, item non comprobatæ confitentibus non nocent. Quia ante omnia inquirere debet Judex, ut ei constet de corpore delicti. Ubi igitur non apparet de crimine, quàm per confessionem ipsius rei, non potest reus ex hac sola confessione condemnari, Clar. *sent. l.* 5. *dict. §. fin. quæst.* 55. *vers. potest etiam*, & Felin. *in cap. at si Cler. num.* 1. *de jud.*

9 Si verò constiterit de equo aliquo, vel aliis animalibus per maleficium, & quidem eo ipso modo, quem ipse recenset, occisis, & plura alia magiæ indicia concurrant, quòd scilicet Agnos Dei è collo suspensos non patiatur, quod constrictos, firmissimèque annexos mirabili modo solveret, & amoveret, quòd virgis cæsus ictus non sentiat, quòd notaret, quando virgæ aqua non communi, sed benedicta essent madefactæ, quodve recenseret de magis, & sagis, earumque conventibus talia, quæ nullus alius, nisi expertus scire posset, puero autem septem, vel octo annorum cognita impossibilia essent, & quod in omnibus examinibus constanter idem eisdem circumstantiis enarraret, tunc dicendum est, quòd confessio hujus pueri tàm esset verisimilis, ut ei meritò stari, & puer pro malefico haberi deberet. Præsertim quòd in delicto tàm occulto Judex non semper vestigia reperire, & bene contingere possit, ut malefici voluntatem in uno, alteroque casu nocendi habeant, mediaque adhibeant, effectus autem conatui ex singulari Dei providentia non respondeat, & similia delicta vix aliter, quàm ex propria confessione innotescant.

10 Quamvis ergo de corpore delicti debeat constare in omnibus delictis, antequam Judex ad inquisitionem, aut capturam, multò magis ad torturam, & sententiam definitivam procedat, uti notant Doctores communiter per textum *in l.* 1. *§. illud ff. ad Silan.* Clar. *dict. lib.* 5. *§. fin. qu.* 4. ita quidem, etiamsi reus confiteretur delictum aliquod commisisse, ut non posset ex illa confessione condemnari, nisi de ipso delicto aliter, quàm ex ipsius confessione constaret, *leg.* 1. *§. divus Trajanus*, *ff. de qu. l. inde Neratius* 23. *§ fin.* ibi: *occisum esse hominem a quocunque apparet*, *ff. ad l. Aquil.* Farinac. *in pr. crim. par.* 1. *lib.* 1. *qu.* 2. *num.* 7. Boer. *dec.* 164. *num.* 10. & Bald. *in l. cum probatio*, *ff. de prob.* nihilominus tamen quando tale delictum aliquis sponte confitetur, quòd vel sola voluntate perficitur, vel in se est occultissimum, & nulla post se vestigia relinquit, quale est crimen maleficii inter dæmonem, & sagas, soli confessioni delinquentis ad condemnationis effectum statur, Farinac. *loc. cit. num.* 26. ubi ait, lamias eo ipso quòd dicerent se processisse ad ludos, posse absque alio condemnari, quia talia delicta non possunt per evidentiam facti, sicut alia probari. Aliud est, si faterentur infantes unum, vel plures suis maleficiis occidisse, tunc enim in his illis non creditur ad condemnandum, nisi verè occisos esse constet. Nihilominus tamen, si diceret aliquis, se veneficum esse, ad ludos processisse, Deum abnegasse, dæmonem adorasse, infantes occidisse, damna hominibus intulisse, & damna illata non appareant, aut homines non reperiantur occisi, non rectè infertur, maleficum non esse, & puniri ex eo nullo modo posse, quia sunt separata, dæmoni homagium præstitisse, & hominibus damna dedisse, quia multi sunt, qui damna nec hominibus, neque aliis creaturis inferunt, ut venefici, & tamen pœna ordinaria plectuntur, & pro veneficis habentur. Non probat igitur hoc esse, quod ab hoc contingit abesse, Delrius *magic. lib.* 5. *sect.* 16. Binsfeld. *ad d. leg.* 5. *C. de malef. & mathem.* & confessio diversas continens species, & facta, separari, dividi, adeòque pro parte acceptari, & valere potest, Boer. *dec.* 339. *n.* 10. præsertim si pro parte sufficiat ad condemnandum confessio, & ita per solam maleficorum, & sagarum confessionem ex occultis, quantumlibet hominibus ea appareant impossibilia, delictum hoc probari, & pro delicto probato ad effectum pœnæ haberi contra Goldemanum, Vvierum, Fichardum, & alios maleficorum patronos, contrarium asserentes, concludunt tàm Theologi, quàm Jurisconsulti Catholici communiter. Ubi notandum, quòd licet hæc credantur contra sagas ipsas confitentes, ipsis tamen deponentibus, se vidisse tales, etiam eos nominandos, in diabolicis suis ludis, & conventibus, non creditur in præjudicium aliorum. Vide Carpzou. *p.* 1. *crim. qu.* 49. *num.* 59. *& seq.* ubi ait, quod in occultis sufficiat constare de eorundem corpore per conjecturas, & criminis confessi certitudo alia non requiratur, quàm quæ haberi potest, adeòque sufficiunt tales circumstantiæ, & indicia delicti, quæ Judicem de crimine maleficii certum facere queunt. Vide etiam Besold. *in thes. pract. fol.* 410. per rationem, quia hæc nulla vestigia post se relinquunt.

Cùm igitur confessio hujus pueri conformis sit iis, 11
quæ a sagis communiter exerceri, ab ipsoque malo dæmone perfici solent, & a viris doctis ex sagarum confessionibus dudum fuerunt observata, insuper dicta, & facta ejus correspondeant, & si non omnia, saltem aliqua aserta verificata fuerunt, vel verisimilibus indiciis, & conjecturis comprobata, concludendum est, quòd puer iste pro malefico sit habendus, & quòd attendi debeat, id quod est verisimile. Verisimile est autem illum verum dicere in crimine maleficii, qui dicit ea, quæ communiter fieri solent in tali delicto, ut in specie recenset Delr. *mag. lib.* 5. *sect.* 6.

Ad ultimum quod attinet videtur dicendum, quòd 12
infantes a propriis parentibus, vel aliis perversis, & in servitutem diaboli redacti, nunquam ultimo, vel alio graviori supplicio plectuntur. Quia in hanc ætatem, quæ non intelligit, quod agit, rarò formale delictum cadit, ac proinde vel in totum excusantur a pœna *per l. infans*, *ff. ad leg. Cornel. de falsi.* Binsfeld. *ad leg. nemo qu.* 1. *dub. fin.* vel saltem paternè ferula, vel aliis modis emendari, atque in loco tandiu detineri possunt, donec in præceptis fidei Christianæ probè instruantur. Idque etiamsi infans aliqualem usum rationis habeat, quia tantò minor est ejus dolus, quantò minorem habet legis naturalis, ac divinæ notitiam, qua ratione ejus doli vix in foro externo ratio habetur.

Si autem, postquam annum ætatis nonum compleverit, fateretur iterùm commercium cum dæmone habuisse, poterit ob suam inconstantiam, & in pœnam ætati congruam, ut delicti gravitatem meliùs agnosceret, virgis acriter cædi, & duriori hac via ad conversionem reduci. Quia ex communi Doctorum sententia impubes, etsi sit doli capax, non punitur capitali pœna, aut membri mutilatione, nisi sit proximus pubertati, ferè enim in omnibus pœnalibus indiciis ætati, & imprudentiæ succurrendum est, *l. ferè*, *ff. de re jud.* Itaque talis impubes durius quidem emendari potest, quàm infans, & acerbiùs nonnihil virgis castigari, posteà autem expedit, eum ad meliorem frugem, & viam salutis reduci, quia in tàm parva ætate astutia diaboli, & malorum hominum, quandoque etiam propriorum parentum malitia, pueri in hoc peccatum seducuntur, seducti ob ignorantiam nesciunt, quid remedii adhiberi possit. 13

Si verò post annum ætatis decimumquartum completum, se diabolo totum dedisse, Deum, ac Sanctos blasphemasse, cum magno dæmone in forma mulieris commiscuisse, sique in ultimo examine fateretur anno ætatis suæ decimoquinto se iterùm ad nocturnos sagarum conventus evolasse, eaque fecisse, quæ communiter fieri solent, in his casibus, malitia in delictis ab impubere commissis, quantumvis doli capax, & delictum enorme sit, non supplet ætatem, & pœna mortis regulariter, aut mutilationis membri puniri non debet per textus mox adducendos. Quamvis enim doli capax sit, minor tamen est in eo dolus, quàm in adulto, aut majore, quia ut plurimum in ipsa infantia dæmonis imperio sine sua culpa subjiciuntur, subjectorum ratio, & voluntas peccatorum tenebris ita obscurata est, ut suismet viribus, vel aliorum disciplina, non possint opinionem perversam ante maturam ætatem deponere. Ita quidem quoad pœnam temperandam colligitur ex textu *in l. auxilium*, *§. in delictis*, *ff. de minor. l. si ex causa*, *§. nunc in minoribus eod. tit. l.* 1. *§. impubes*, *ff. S. C. Sil. l. sacrilegii pœnam num. pr. ff. ad leg. Jul. pecul. si adulterium cum incestu*, *§. fratres*, *& §. iidem Imperatores*, *ff. ad leg. Jul. de adult. leg. ferè in omnibus*, *ff. de re jud.* textus, Glosa, & Interpretes *in cap.* 1. *& 2. de delict. puer.* 14

Et impuberes doli capaces in atrocissimo hoc venefi- 15
cii crimine ultimo supplicio non esse mulctandos, nisi ex gravissima causa, traditque Binsfeld. *in expl. cit. l.* 5. ubi hæc habentur: Non auderem unquam Judici consulere

fulere in conscientia, ut in hoc enormissimo maleficii crimine arbitrium extenderet ad ultimum supplicium ante decimum sextum ætatis annum completum, nisi maximæ circumstantiæ accederent, Farinac. *de pœn. temp. quæst. 92. num. 106.* ubi quoad minores etiam in atrocissimis loquitur. Idem statuit Clar. *l. 5. §. fin. quæst. 60. in pr.* Dec. *in l. pupillum in fin. & in dict. leg. ferè in omnibus, ff. de re jud.* Menoc. *de arb. jud. lib. 1. cap. 4.* & Boer. *dec. 254. num. 20.* Si ergo hoc etiam in minoribus, id est illis, qui jam puberes facti sunt, in pœnis imponendis jura observari debere statuerunt, quantò magis locum habebit in impubere delinquente, annos pubertatis nondum ingresso, sed infra illos adhuc constituto? Quare dicendum videtur, quòd impubes etiam in hoc atroci maleficii delicti capitali pœna, aut membri mutilatione affici nequeat, sed solummodò virgis acribus castigari possit, & ne tunc quidem si doli capax sit, & proximus pubertati, pœna ordinaria, sed mitiori affici debeat, nisi ex gravissima causa, & consulto prius Summo Pontifice ad tradita per Binsfeld. *ad dict. C. de malef. & mathem. fol. 591. cum seq.*

16 At nihilominus puberem duodecim, vel quatuordecim annorum propter magiam ultimo supplicio, & non quidem pœna ignis, sed gladii affici posse, existimo cum Mezger. *consil. crim. 7. num. 3.* & cum Besoldo *in thes. pr.* ubi ait, id præsertim fieri debere in delictis spiritualibus, & contra naturalem humanitatem hominum, qualis est apostasia, & expressum cum diabolo pactum. Similiter Binsfeldius *fol. 521.* Judicis, inquit, arbitrium posse habere locum, an in tam gravi crimine in minorem ætatem sit mortis supplicium statuendum, idque debere colligi ex circumstantiis concurrentibus, & attendi, an diu fuerit in tali crimine, an perpetraverit multa mala, ut sunt sodomia, rerum sacrarum abusus, & similia. Item an magna astutia sit præditus, an spes constantis conversionis, & emendationis.

17 Si igitur in hoc puero magna levitas, & malitia appareat, nullaque spes constantis emendationis effulgeat, correctiones, & admonitiones parum æstimavit, gravitatem delicti benè intellexit, & apprehendit, poterit ex mente præfatorum Doctorum arbitrium Judicis ad pœnam gladii extendi. Simile quid in genere tradit Carpzov. *par. 3. crim. quæst. 143. num. 48. & seq.* quod fieri possit, ut etiam impuberi ob insignem, ac supinam malitiam mortis supplicium imponatur *leg. excipiuntur in pr. ff. ad S. C. Silan.* ubi tamen tria requirit. Primùm, quòd impubes propria, & mox impleverit annum decimumquartum. Secundum, ut malitia delinquentis sit supina, itaut ætatis defectum suppleat, nec correctio aliqua speranda. Tertium, ut crimen perpetratum sit ex atrocissimis, aut tales circumstantiæ concurrant, quibus delictum aggravetur.

18 Neque obstat, eos magos, fagas, & veneficos, quæ fœdus cum diabolo inierunt, illi sese manciparunt, Deum abnegarunt, propter solam abnegationem, mancipationem, vel commistionem, nisi ad actus nocivos progressi fuerint, vel nisi externum aliquod maleficium accesserit, ultimo supplicio non esse afficiendos, sed erigendos, & sanctissimis institutis ab isto nefando studio abducendos, aut si animum obfirmarint, è finibus christiani orbis exterminandos, relegendos, aut fustigandos esse, ut per Fichard. *cons.* 112. Godelman. *in tr. mag. & venef. lib. 3. cap.* 11. Nam eos etiam magos, & fagas, quæ nemini nocuerunt ultimo supplicio plectendas, & quandoque igni tradendas, & concremandas esse, tenent Berlich. *concl. 5. par. 4. num. 38. 42. 46. & seq.* Carpzov. *part. 1. crim. quæst. 49. n. 20. & seq.* Less. *de just. lib. 2. cap. 42. dub. 4. in fin. ac alii.* Quia hi omnes sunt, vel apostatæ, vel idololatræ, vel sodomitæ, quos leges non permittunt vivere, & absurdum esset, eum qui asinum, vel equum per sortilegium occiderit, interfici, hos autem a morte liberari.

19 Minus obstat, quòd quamvis puer annos pubertatis compleverit, plenam tamen pubertatem nondum attigit. Jura autem, & Interpretes statuunt, & asserunt, fagas propter ætatis imbecilitatem mitiùs, quàm pœna ordinaria puniri debere, prout plures ad hoc allegat Mezger. *cons. crim. 7. num. 3.* Et licèt alii arbitrio Judicis hac in parte multùm tribuant, tamen addunt, nunquam arbitrium extendendum ad ultimum supplicium ante decimum sextum annum completum, nisi maximæ circumstantiæ accederent, ut Binsfeld. *loc. sup. cit.* Ubi putat, ante talem ætatem minorem esse in custodia tolerabili asservandum, & instruendum, cum quo concordat Mezger. *dict. cons. 7. in fin.* Nam respondetur, quòd non semper decimus sextus annus expectandus sit, nisi qui jam puberes carcerati sunt in ipsa infantia dœmonis imperio fuerint subjecti sine sua culpa, atque ita eorum ratio peccatorum tenebris obscurata, ut suismet viribus, vel aliorum disciplina non possint opinionem perversam ante ætatem aliquam maturiorem agnoscere, ac deponere. Quòd si post omnem diligentiam adhibitam, nulla correctionis argumenta appareant, sed in servitute dæmonis persistant, meritò supplicium de hujusmodi ætatis veneficis sumatur. Ita Vizen. *thes. 198.*

Et quidem cùm cuilibet bono magistratui incumbat 20
malis hominibus purgare provincias, & damna imminentia avertere per textum *in leg. congruit, ff. de offic. Præsid.* multò magis blasphemias, sacrilegia, sortilegia, abusus rerum sacrarum, sodomiam, & alia nefanda scelera extirpare. In hoc autem crimine malefici, seu a pubere, seu impubere doli capace committatur, horum scelerum sentina concurrit, quorum singula morte dignissima sunt. Videtur igitur propter atrocitatem criminum, si in iis perseveret impubes, impunitas non esset ad pubertatem, aut supra illam usque ad decimum sextum annum concedenda. Iniquum enim est alios, vel etiam totam communitatem propter alterius scelera tolerata hactenus, pati, aut affligi, aut supra illam usque ad decimum sextum annum, *l. non debet, ff. de re jud. l. si quis in suo, §. leges, C. de inof. testam. leg. sancimus, C. de pœn.* Quæ enim est misericordia uni parcere, & omnes in discrimen adducere, inquit D. Hieronymus? Nocet enim bonis consequenter qui parcit malis *can. sed illud d. 45. l. si. appariter, C. de cohort. lib. 12.* Glos. *in §. homicidia vers. supplicium num. 17. cap. 5.* Si autem homines malefici, etiam impuberes, in quibus nulla salutis, aut frugis spes apparet, non tollantur è medio, non cessabunt alios vexare, & iis damna inferre, immò majora aggravatis sceleribus, sibi suplicia accersent, & de die in diem fient deteriores. Cùm igitur saluti pars sit minus affligi, optimè illis ad salutem æternam consulit, qui maturè flagitiis eripit, Delr. *disq. magic. lib. 5. sect. 16.* Et si puer nondum pubes juxta textum *in leg. excipiuntur, ff. de S. C. Silan.* in capitalem pœnam condemnatus, quod dolo dumtaxat præsumpto cædem Domini sui non revelaverit, quid patietur puer castra diaboli sequutus, tractatus, & nefanda scelera contra Deum, & Rempublicam hactenus ausus? Quamvis enim Judex in levioribus, & minoribus criminibus pronior ad absolvendum, liberandumque esse debeat, in gravioribus tamen contrarium sentiendum, quando tendunt in divinæ, humanæque majestatis offensum, quia major militat favor pro honore divino, & salute Reipublicæ, quàm servatione unus hominis dolosè offendere Deum, & damna damnis cumulare perseverantis.

Ex dictis igitur concludo cum Manzio *qu. 82. num. 3.* 21
quòd rigore juris inspecto puer iste gladii pœna affici possit. Si verò esset sexdecim annorum, & spontè comparens, fatetur se in ætate septem, vel octo annorum ad diabolicos ludos ductum fuisse, multos actus apostaticos, & hæreticales feciisse, poterit abjurare de vehementi, & absolvi cum pœnitentiis salutaribus.

Quod autem ad tertium, quando quis proximus pubertati dicatur, de delictis puerorum constat, siquidem nondum ad pubertatem accedant, eos delinquere non posse, *§. in summ. de obl. quæ ex delict.* quia non magis quàm furiosi voluntatem habeant, *l. pupillus, ff. de acquir. hæred. leg. pupillus, ff. de reg. jur.* & affectu, voluntateque maleficia distinguantur, *leg. verum, ff. de furt.* Unde si eorum pupillorum facto passus sit alius injuriam, meretur ætas excusationem, *l. 1. §. impubes, ff. ad Sillan.* Si verò pubertati proximi sint, quia jam aliquem intellectum habent, *§. pupillus de inutil. stipul.* ob idque facti jam doli, injuriæve capaces intelligunt se delinquere *d. §. in summa*, ætatis suffragio non excusantur, *l. 1. C. si adv. delict.* cùm in ea ætate sint, in qua crimen, quod intenditur cadere potest, *l. impunitas, C. de pœn.* ni quatenus ætatis teneræ miseratio, ad mitiorem pœnam judicantem flectere potest, *l. auxilium, §. in delictis, ff. de minor. cap. 1. & 2. de delict. puer.*

Legimus olim Pateoclum puerum, cùm in aleæ ludo, sedulum puerum fortè occidisset, exilio punitum, *l. aut facta, §. 1. ff. de pœn.* & Trebium Germanum jussisse summi supplicium deponere, qui cùm non multum a pubertate abesset, ad pedes domini cubuerat, cum occideretur nec posteà cædem ejus prodiderat *l. excipiuntur, ff. ad Sill.*

Sed qui propè pubertatem esse dicantur variis opinionibus certatum est, tandem tamen obtinuit Accursii sententia *in l. 1. ff. de novat. in d. §. in summa de obl. quæ ex delict. & in d. §. pupillus*, ut marem pubertati tum proximum dicamus, cum dimidiatum annum supra decimum excessit, fœminam verò, quæ novem annos cum dimidio egressa est, *arg. §. fin. quib. ex caus. man. non lic.* Nam post infantiam usque ad pubertatem sicut in ma-

sculo

sculo septem anni, & in fœmina quinque : quare ex quo excessit quis dimidiam hujus temporis partem, magis pubertati, quàm infantiæ proximus dici debet, Panorm. *in cap. continebatur de desponſ. impub.* quod in ea præsertim ætate solet plerumque malitia tempus supplere, *cap.* 1. *de delict. puer.* Nam & prodit historia, Salomonem nondum decem annos natum, suo complexu nutricem filio Roboam gravidam fecisse, D. Greg. *lib.* 4. *dial. cap.* 19. Gloss. *in sum.* 20. *quæst.* 1. idemque testatur D. Hieronymus *in* 2. *par. epist.* ad Vitalem presbyterum de Achaz, qui in undecimo anno Ezechiam filium suum genuit.

Nec tamen desunt, qui eos pubertati proximos dicant, quia pubertate distant sex plus minus mensibus, Glos & Innoc. *in d. cap. continebatur, arg. leg. non tantùm in princ. ff. excus. tut. cap. continebatur*, ibi: *Si autem fuerit ætati proxima, ut in undecimo, & circa duodecimum annum, & cap. attestationes*, ibi: *vel circa finitionem quartidecimi anni, de desponſ. impub.* Et quoniam dictio *propè, proximè, circa, circiter*, & iis similes, ad modicum tempus referuntur *l.* 2. *§. exactis* 1. *ff. de orig. jur. l.* 2. *§. fin. ff. de lib. exhib. §. ſi verò intra*, ubi Bar. *not. collat.* 2. Quin & a Justiniano dictio *propè* ad semestre tempus limitari videtur, *l. properandum, §. & ſi quidem C. de judic.* Unde putant illi eum propè pubertatem esse, qui non plus sex mensibus distat a pubertate, Glos. & Innoc. *in d. cap. continebatur.*

Ego verò neutram sequor sententiam, sed illis assentior, qui hujus controversiæ decisionem ad generalem consequentiam, aut regulam trahi posse negant Salicet. *in l. impunitaque, Cod. de pœn.* Butr. *in d. cap. attestationes*, cùm & delictorum mille sint formæ, & ingeniorum. Quo circa rem totam, expressa lege non definitam, Judicis arbitrio meritò relinquunt *leg.* 5. *ff. de jur. delib.* Habet autem judicans expendere non tàm annorum numerum, quàm criminis qualitatem, & ætatis doli capacis malitiam, *l. sed & ſi quemcunque, ff. ad l. Aquil. l. impuberem, ff. de furt. d. l. impunitas, & d. §. in ſumma de oblig. quæ ex delict.* Plerique enim, ut Joannes Faber ait, majoris industriæ, malitiæque in decimo anno visuntur, in cæteris in quartodecimo.

Neque obstat denumeratio illa temporis, quæ per Panorm. *in dict. cap. continebatur*, & cæteros in locis communibus fieri solet, cujuscunque supra meminimus. Illa etenim non concludit, nisi respectu infantiæ, a qua plus distat decem annos cum dimidio habens, quàm a pubertate, Salicet. *in dict. leg. impunitas, C. de pœn.*

22 Porrò sagæ non solent puniri exilio, ne in regione, in qua non cognoscuntur, delinquant, sed collocantur aliquo in loco, ut observari possint.

23 Prævia abjuratione de formali in S. Officio, comburuntur a Curia sæculari.

24 Percutientes, vel offendentes sagam aliquam sub prætextu, quòd sit malefica, puniuntur in S. Officio, etiam si id in illius odium non commiserint.

25 Carceratæ a Curia sæculari debent remitti ad Sanctum Officium, pro causa apostasiæ, qua cognita, restituuntur eidem Curiæ sæculari debitis pœnis puniendæ.

CONSULTATIO CXCIV.

An adhuc hodie prorogari possit jurisdictio alterius, & an requiratur consensus Judicis ordinarii, & competentis? Et quid in Clericis?

1 AFfirmativam sententiam, quòd pactis jurisdictio prorogari possit, tuemur per textum expressum *in l. est receptum* 14. *l. ſi convenerit* 18. *ff. de jurisd. leg.* 1. & 2. *de judic.* & quod regulariter litigantibus permissum sit, etiam absque consensu Judicis sui Ordinarii, alterius Judicis jurisdictionem prorogare, & in Judicem non suum consentire *l.* 1. ibique Bartol. Imol. & Curt. *ff. de judic. l.* 2. *in pr.* & ibi Doctores, *ff. eod. l. ſi quis ex conſenſu* 7. *C. de Epiſc. aud. cap. Romana in pr. v. Clericorum de for. comp. in* 6. Bartolus, Romanus, Paulus, Castrensis, Alexander, & alii, *in leg.* 1. *§. & poſt operis, ff. de oper. nov. nunc.* facitque textus, *l. ſi convenerit* 18. & ibi Doctores, *ff. de jurisd. omn. Jud.* & ita Schrader. *p.* 10. *de feud. sect.* 1. *num.* 137. traditque Gail. *lib.* 1. *obs.* 40. *num.* 1. & 2. ubi in terminis scribit, quòd quilibet privilegio fori, sibi a lege, vel Principe concesso, renunciare possit per textum *in l. ſi quis in conſcribendo, C. de pact. & in l.* 1. *ff. ſi quis in jus voc. & in d. leg. ſi convenerit, ff. de jurisd. omn. Jud. & in cap. ſignificaſti de for. comp.* adeòut non requiratur consensus, vel licentia Judicis ordinarii, sed partium sufficiat per *leg.* 1. & 2. *ff. de judic. & leg.* 1. *§. & poſt operis, ff. de nov. oper. nunc.*

Id, quòd non solùm antiquitus, cùm omnes provinciæ ab uno Principe dependerent, & in diversis tantùm diversi Præsides constituti essent, benè tolerari poterat, sicut evocatio testium, quasi videretur id ipsum a Principe tali, cui omnes subsunt, permissum ad tradita Coler. *de proceſ. exequut. par.* 3. *cap.* 7. *num.* 32. sed etiam adhuc hodie procedere, ut per Gaspar. Zegler. *com. concl. §. auſtregæ num.* 56. & *ſeq.* ubi ait, quòd consensus litigantium solus ad prorogandam jurisdictionem sufficiet per *l.* 2. *§.* 1. *ff. de judic.* Et quòd Judices ordinarii jurisdictionis prorogationem impedire nequeant post Vult. *ad l.* 1. *nu.* 66. *C. de jurisd.* tradit Matth. Stephan. *de jurisd. lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 46. Et licèt Berlich. *par.* 1. *concl.* 5. *de prorog. jurisd. nu.* 31. aliquos adducat, id locum non habere in subditis diversorum Principum, attamen ipse *§. his & ſimilibus* contrariam opinionem veriorem esse multis adductis rationibus ostendit, & in fine *d. num.* 31. se hoc in facto habuisse, & obtinuisse testatur. 2

Notandum autem est, quòd quamvis adhuc hodie jurisdictio prorogari possit, hoc tamen eatenus procedit, si privilegium fori principaliter concernat favorem renunciantis, secus est, si etiam favore Superioris respiciat, quo casu absque ejus consensu, & licentia, renunciatio facta non subsistit, ut in privilegiis exemptionum quoties privilegia Papa, vel Imperator Regularibus, vel nobilibus concedere solet, ut nemo eorum subditus coram alio Tribunali in jus vocetur contra privilegium, coram alio Judice compareat, & in ejus jurisdictionem consentiat, ex tali consensu partis non prorogatur jurisdictio in præjudicium Domini facta. Unde eum a tali Judice avocare, adeòque si avocationi locus non detur, appellare poterit, quemadmodum quotidie in talibus casibus, ut per Gail. *lib.* 1. *observat.* 40. *numer.* 1. *qui numer.* 4. addit, dum enim ab aliis Judicibus, cum eximit, eo ipso jurisdictioni suæ immediatè subjicit. 3

Quod verò ad Clericos idem Gail. *num.* 7. inquit ideò Clericis non esse permissum jurisdictionem Judicis laici tacitè, vel expressè prorogare absque consensu Superioris, quia tale privilegium fori non est personale, sed toti ordini Ecclesiastico publicè indultum per textum *in dict. cap. ſignificaſti, & in cap. ſi diligenti, §. fin. de for. comp.* Glos. *ibid. in verſ. manifeſta*, Panorm. *numer.* 1. *in fin. & in can. placuit* 11. *quæſt.* 1. Unde etiam ibidem *num.* 9. distinguit, utrùm lex disponat de foro favore Superioris, an verò mera consideratione privatorum. Primo casu pronunciatio, & prorogatio jurisdictionis fieri nequit absque consensu Superioris, ut in Exemptis, Vassallis, & Clericis : Altero verò casu valet renunciatio. Et ita intelligenda est *dict. l. ſi quis in conſcribendo, C. de pact.* & jura, quæ de prorogatone pactium loquuntur. Quod autem Clericis in Judicem non suum, etiam Ecclesiasticum, non permittitur consentire per *cap. inolita* 42. & *cap. placuit* 11. *qu.* 1. *c.* 1. & *c. ſi diligenti de for. comp.* nisi fortè sit persona Ecclesiastica, & Episcopi diœcesani voluntas accedat, speciale est de jure canonico per text. *in c. ſignificaſti de for. comp.* sicut in vasallo ex usibus feudorum per Gloss. *in c.* 1. *§. præterea ſi inter, verſ. duos*, & ibi Andr. de Isern. Bald. Laud. *num.* 3. Alvar. *num.* 4. Præpos. *num.* 5. Aflict. *a num.* 23. *de prohib. feud. alien. per Frid.* & plures alii, quos citat Schrader. *num.* 136. ac deprehendi potest ex Soccino *regul. jurisd.* 262. *fall.* 3. ubi tradit, etiam vasallo prorogationem permissam esse, quando esset quæstio inter vasallos, non tangens feudum, seu quam non decidant leges feudorum, ut per Doctores *ad cap. cæteram de judic.* 4

CONSULTATIO CXCV.

An baptizatus invalidè, ſive conſcius invaliditatis fuerit, ſive non, redeundo ad veterem ſectam, ſit dicendus apoſtata? Ubi effata varia de apoſtatis a fide.

AFfirmat Alterius *tom.* 1. *de cenſur. lib.* 5. *diſp.* 2. *c.* 2. *col.* 10. Alphonsus a Castro *de juſt. hæret. punit. cap.* 8. *dub.* 3. & Ricciul. *de jur. perſon. lib.* 6. *cap.* 3. in casu, quo baptizatus detexit nullitatem baptismatis, nec tamen curat se validè rebaptizari. At si ignoret defectum baptismatis, & recedat, etiamsi deinceps Ecclesia nullitatem agnoscat, foret tamen verus apostata, quia quamvis unda ablutus non sit, est tamen baptizatus in flamine. 1

Nos verò negativam tuemus. Quia cùm apostasia dicat retrocessionem a fide, quam quis semel ingressus est per Sacramentum baptismatis, baptizatus invalidè, sive conscius invaliditatis fuerit, sive non, quia suscipiens baptismum fictè se gessit. sive quia defectus ex parte 2

mate-

materiæ, formæ, aut ministri contigerit, redeundo ad veterem sectam, non retrocedit a fide. Nam cùm baptisma irritum non sit baptisma, non reddit suscipientem Ecclesiæ subditum, licèt aliquando Ecclesia, secundùm exteriora tantùm judicans, eum possit pro apostata habere, talem quippe eum debet præsumere, donec constet de nullitate baptismi, revera tamen talis non est. Nec ullus excusatur eo, quòd ignorantia infantiæ susceperit baptisma, quod perveniens ad usum rationis susceptum noluisset, aut qui aliquo modo suscipere coactus fuerit. Nam quando coactio non est absoluta, & infantem cadere non potest, non excusat, ut declarat Farin. *de hæres. quæst.* 38. *num.* 140. & definitur *in cap. contra Christianos de hæret. in* 6. his verbis: *Contra Christianos, qui ad ritum redierunt Judæorum, tanquam contra hæreticos procedendum, etiamsi dum erant infantes, aut mortis metu, non tamen absolutè, aut præcisè coacti, baptizati fuerint.*

3 Neque obstat ratio superiùs adducta. Si enim attendendum est baptisma flaminis non minus ille, qui scit, quam qui nescit nullitatem baptismatis, semel baptismo flaminis est baptizatus, dummodò neuter fictè se in susceptione gesserit. Unde & hac ratione cathecumenus rediens ad suam sectam, esset apostata. Quod tamen non admittitur. Quia ingressus ad fidem coram Ecclesia non fit, nisi per januam baptismatis aquei, defectu cujus non potest fieri vera retrocessio. Uterque tamen in foro externo præsumeretur apostata, immò etiam si deinde constiterit Ecclesiæ de nullitate, puniri poterit. Quia non debet esse in cujuslibet potestate Christiano nomine abuti, & Religionem ementiri.

4 Et hinc est, quòd, ne cathecumenus quidem excommunicatione contra hæreticos lata innodari potest. Quia licèt crudelitatem receperit, non tamen fidem in Ecclesiæ manibus, quod sit per baptisma fluminis, professus est, Suarez *de censur. disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 4. Quicquid sit, an hìc aliàs sit dicendus aliquo modo hæreticus, si a fide recedat. Quod affirmat Alterius *d. col.* 10. Suarez *loc. cit.* & Becan. *de fid. cap.* 14. *quæst.* 2. *num.* 4. & Alphonsi a Castr. *dict. cap.* 8. qui & singulariter addit, etiam pœnis hæreticorum hunc obnoxium fieri. Negant autem Cajet. 2. 2. *qu.* 10. *art.* 5. Ugolin. *de censur. par.* 2. *c.* 1. §. 1. *num.* 2. & 3. Sanch. *in dial. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 34. Ricciul. *ubi sup. lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 28. & *seqq.* Tolet. *lib.* 4. *instr. Sacerd. cap.* 3. *num.* 3. & Aragon. 2. 2. *qu.* 11. *art.* 2. *dub.* 3. quibus, & nos adstipulamur.

5 Parerga, sive effata varia. Apostatæ a fide sponte comparentes expediuntur cum pœnitentiis salutaribus, & inhabilitantur ad dignitates suæ Religionis, si fuerint Religiosi.

6 Apostata formalis non est ille, qui captus a Turcis in infantia, nullam potuerit habere jurisdictionem rerum fidei, licèt fateatur credidisse, sectam Mahumetanam esse bonam, & secundùm eam viventes salvari. Ideòque non abjurat, sed expeditur cum professione fidei, absolutione a censuris ad cautelam, & cum instructione.

7 Volentes ad fidem catholicam redire, nihil iis pollicetur, sed tantùm suadentur ad comparendum, tractantur uti sponte comparentes, & cum benignitate.

8 Capti è triremibus catholicorum, & reconciliati, remanent post reconciliationem liberi, si capti sint in puerili ætate. Secus verò si apostataverint in majori ætate. Isti autem si compareant sponte, reconciliantur, sed non acquirunt libertatem.

9 Filii apostatarum sunt baptizandi, etiam invitis parentibus, sive nati sint ante apostasiam, sive post illam, & inviti etiam ad fidem sunt trahendi, *can. plerique*, & *can. si baptizata de consecr. dist.* 4. & *can. Judæorum* 28. *qu.* 1.

10 Captis in bello, etiam contra Christianos, non permittitur, ut possint redimi a Turcis, itaut liberè sectam mahumetanam profiteantur, nec simpliciter sunt tenendi captivi, sed contra illos proceditur. Si autem velint, reconciliantur, & restituuntur suo dominio. Si verò nolint, tractantur, ut hæretici impœnitentes pertinaces.

11 Qui in minori ætate apostatavit, & piraticam coactus contra Christianos exercuit, post abjurationem, prout de jure libertate donatur.

12 Existentes in triremibus Turcarum, piraticam artem facientes, capti a triremibus Christianorum cum aliis Turcis, non comprehenduntur in redemptione captivorum, quam aliquando concedunt Turcis domini triremium, sed debent abjurare apostasiam, & remanere in captivitate, nisi quando capti a Turcis, & abnegaverint, fuerint infantes, vel minores.

13 Apostatæ formales capti damnantur ad carceres perpetuos, vel ad triremes in perpetuum, non autem ad tempus. Licèt eis post aliquod tempus, si instructi dederint signa pœnitentiæ, poterit cum participatione Sacræ Congregationis Sac. Officii Inquisitionis fieri aliqua gratia.

Qui non est apostata formalis, sed vixit more Turcarum, quatenus non fuerit captus in majori ætate, ac minis, & tormentis id fecerit, si major factus captatur dum piraticam contra Christianos exercet, remanet in captivitate, & condemnatur ad triremes ad tempus. Si autem pœna commutetur in carcerem, semper commutetur in minus tempus. 14

Apostata rediens ad fidem Christianam non tenetur abjurare publicè coram infidelibus, sed sufficit abjurare in balneo, hoc est in captivorum carcere coram fidelibus, abstinendo ab actibus infidelitatis, ac deponendo habitum infidelium, quatenus sit protestativus falsæ religionis. Si verò sit æquivocus, potest illum deferre. Quòd si ex illius delatione ratione personæ aliqua oriretur suspicio, tenetur aufugere, cùm primum poterit. 15

Apostatæ relapsi sunt deterioris conditionis, quàm ipsi hæretici. Nam hæreticis pœnitentibus parcitur apostatis verò nunquam parcitur, sed ultimo supplicio puniuntur, *l. hi qui stulta*, *C. de apostat.* 16

Qui fidem negat metu mortis, sed tamen erroribus non credit, licèt verè hæreticus non sit, cùm non habeat, neque habuerit errorem in intellectu, judicio tamen Ecclesiæ, quæ per exteriora de interioribus judicat, hæreticus est habendus. 17

Contra apostatas eodem modo procedendum ab Inquisitoribus, quo contra hæreticos *cap. contra de hæretic. in* 6. 18

Apostata est hæreticus, maximè quando persistit in sua nova professione, & illam credit esse veram. Non est tamen dicendum, quòd omnis apostata sit hæreticus, nisi data pertinacia, & omnimoda recessione a fide catholica, licèt verum sit, quòd omnis hæreticus sit apostata. 19

Pœnæ apostatarum sunt excommunicatio, infamia, irregularitas, privatio omnium bonorum, & jurium, & aliæ pœnæ contra hæreticos statutæ. 20

Pro foro conscientiæ non incidit in pœnas istas Apostata secundùm externum actum tantùm sine assensu, seu errorem intellectus, neque continetur *in can.* 1. *Bullæ Cœnæ Domini*. Unde eum posse absolvi a proprio confessario ab hac, tametsi gravissima culpa, multi ajunt. Sacra tamen Pœnitentiaria solet tales adigere, ut prius abjurent coram S. Officio. 21

Capti a triremibus Christianorum super navibus infidelium, piraticam exercentium, & pugnantium contra Christianos, remanent captivi eorum, qui illos capiunt. Inquisitores tamen debent conficere processum super apostasia, & apostatas, vel reconciliare Ecclesiæ, si ad pœnitentiam reducantur, injunctis de jure inungendis, vel tradere Curiæ sæculari, si pertinaces existant, nec eos consignare eorum dominis, nisi habita cautione de illos non manumittendo, saltem inconsulta S. Congregatione S. Officii. 22

Qui abnegavit fidem Catholicam apud etnicos, & postea pœnitens vitam christianam in occulto ducit, quamvis publicè ob periculum mortis Turcam, vel ethnicum se esse profiteatur, non est admittendus ad Sacramenta pœnitentiæ, & Eucharistiæ. 23

Existentes in triremibus sponte comparentes, ac petentes libertatem, non liberantur, sed solùm reconciliantur. 24

CONSULTATIO CXCVI.

Cuinam Sodalitati competat præcedentia in delatione baldachini in processionibus Solemnitatis Sanctissimi Corporis Christi, & in aliis, in quibus defertur Eucharistiæ Sacramentum?

REspondeo. Si non extat Sodalitas Sanctissimi Sacramenti, debetur antiquiori. Huic enim tanquam digniori debetur præcedentia, *capit.* 1. *de major. & obed.* Bald. *in cap. Cum olim num.* 1. *in* 2. *not. de consuet.* Ruin. *consil.* 19. *num.* 9. *lib.* 1. Chassan. *in catal. glor. mund. par.* 4. *consid.* 17. & Rota coram Buratt. *decis.* 868. *num.* 2. 1

Si autem extat Sodalitas Sanctissimi Sacramenti, ei debetur. Nam ipsa habet fundatam intentionem in jure communi, cùm ad hoc præcipuè sit instituta, ut ipsum Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum associet immediatè, & propterea in hujusmodi actu, tanquam sui muneris proprio, debet cæteris omnibus præferri *ex leg. in civilibus*, *C. de offic. Vic.* Gratian. *discept.* 148. *n.* 127. & *seqq.* 2

& ſeqq. Natta *conſ.* 62. *n.* 1. & Rot. *dec.* 219. *num.* 10. *par.* 9. *rec.*

3 Et in ſpecie, quòd, Sodalitati Sanctiſſimi Sacramenti debeatur præcedentiam etiam in deferendo baldachinum in omnibus actibus diei feſti Corporis Chriſti, & in aliis, in quibus defertur Sanctiſſimum Sacramentum, ſæpius declaravit S. Rituum Congregatio, & ex ſequentibus declarationibus.

4 *In Mediolanenſi die* 19. *Junii* 1655. *S. Rituum, &c. in cauſa controverſiæ præcedentiarum in proceſſionibus Sanctiſſimi Sacramenti inter Societatem SS. Sacramenti loci Leſmi, & Societatem Sancti Ambroſii, cenſuit competere præcedentiam Societati SS. Sacramenti ſupra Confraternitatem S. Ambroſii in omnibus proceſſionibus, in quibus defertur SS. Sacramentum.*

5 *In Laudenſi præcedentiæ anno* 1638. *Sac. Rituum Congregatio declaravit Confraternitati Sanctiſſimi Sacramenti loci Sancti Angeli competere præcedentiam adverſus Confratres S. Marthæ ejuſdem loci in proceſſione Corporis Chriſti, dummodò tamen ipſa Confraternitas SS. Sacramenti intercedens in aliis proceſſionibus cederet præcedentiam ipſis Confratribus S. Marthæ*, tanquam antiquiori, ut ſupra diximus.

6 Deinde anno 1655. recuſante dicta Confraternitate Sanctiſſimi Sacramenti accedere, antedicto privilegio privandam eſſe decrevit, niſi accederet. Et ſucceſſivè per A. C. Bulgarinum anno 1661. declaratum fuit per definitivam ſententiam amiſiſſe dictum privilegium. Nihilominus eadem S. Congregatio æquitatem proſequens ad purgationem moræ, refectis expenſis, illam benignè admiſit. Quare denuò ſupplicatum fuit pro declaratione. Primò, dictam Confraternitatem Sanctiſſimi Sacramenti non teneri ad refectionem expenſarum. Secundò, ſibi competere præcedentiam in omnibus aliis proceſſionibus, in quibus Sanctiſſimum defertur. Tertiò, Confraternitatem S. Marthæ non poſſe, vel debere intervenire in proceſſionibus particularibus, ad quas non eſt vocata.

Et Eminentiſſimi Sacræ Rituum Congregationi præpoſitis, referente Eminentiſſimo Azolino, diligenter, & mature perpenſis ab utraque parte allegatis, decreverunt. Primò, quoad expenſas in decretis. Secundò, quoad præcedentiam deberi Societati SS. Sacramenti, etiam in aliis generalibus actibus, in quibus Sanctiſſimum defertur, firmo remanente decreto primo loco facto. In reliquis verò proceſſionibus particularibus, quæ fiunt tertia Dominica cujuſque menſis Societas S. Marthæ abſtineat. In funeribus neutra accedat, niſi vocata. Et ita ſervari mandarunt die 20. *Junii* 1665. *& die* 19. *Septembris ejuſdem anni.*

CONSULTATIO CXCVII.

An Oblatæ Turris Speculorum Romæ ſolemni, vel ſaltem ſimplici caſtitatis voto teneantur?

1 QUoad votum ſolemne reſpondeo negativè cum Navarro *conſ.* 6. *&* 7. *de ſtat. Monach.* ex ejus rationibus, quibus addo. Primò, quia Moniales, quæ emittunt vota ſolemnia, recipiunt velum converſionis, & profeſſionis ſtatis temporibus, & antequam habeant vigintiquinque annos non poſſunt conſecrari, Gloſ. *marg. in cap.* 1. *de iis, quæ vi, cap. devotis Deo, cap. Virgine* 2. *qu.* 2. & Conſtitutio Clementis VIII. apud Novar. *in Sum. Bull. tit. de conſecr. Virgin.* At Oblatæ Turris Speculorum nullum velum recipiunt, & faciunt oblationem ante dictam ætatem. Neque conſecrantur, neque clauſuram obſervant. Quæ conditiones requiruntur in mulieribus regularibus, alioquin earum profeſſio eſſet nulla ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 25. *cap.* 1. *de Regular.* textus *in cap. Periculoſo de ſtat. regul.* Bulla Pii V. Gregorii XIII. & Clementis VIII. apud *dict. Novar. in tit. de Novit. recip.*

2 Secundò, quia illæ tantummodò Moniales regulares ſunt, quæ emittunt tria vota ſolemnia in aliqua ex Religionibus approbatis per textum *in capit. porrectum de Regularib.* Mulieres autem Turris Speculorum hanc profeſſionem non emittunt, ſed tanquam Oblatæ faciunt ſimplicem oblationem, obligantes ſe ad convivendum juxta conſuetudinem Congregationis, non autem ſecundùm Regulam Religionis approbatæ. Qui modus, atque conſuetudo vivendi fuit quidem approbatus tanquam licitus, non autem declaratus a Pontifice tanquam Regula Religionis approbatæ. Magnum enim diſcrimen eſt inter illas Virgines, quæ eligunt modum vivendi religioſum, & illas, quæ emittunt profeſſionem regularem in Religione approbata, Gloſ. *in Clem. cum ex eo de ſent. excom. & Clem.* 1. *de relig. domib.*

3 Tertio, quia dato etiam, quòd Oblatæ Turris Speculorum faciant oblationem, quæ præſefert profeſſionem Regularem, non idcircò dicendum eſt, quòd ſint Religioſæ Regulares. Quoniam ad hunc effectum requiritur præcisè approbatio ſpecialis Apoſtolica, quæ inter Religiones approbatas illam connumeret per Gloſ. *in cap. quod votum, verſ. approbatis, de vot. in* 6. itaut aliquis vivendi modus ſit religioſus, vel Religio approbata pendeat ab authoritate Pontificia, qua ſpeciatim approbatur pro vera Religione ille vivendi modus. Quod ita verum eſt, ut ſi aliqua virgo poſt emiſſam profeſſionem in Religione non approbata contraheret matrimonium, hoc eſſet validum, etiamſi dum profeſſionem emiſit, crediderit profiteri in Religione approbata, Cherubin. *in ſum. Bullar. Conſtit.* 99. Sixti V. Gloſ. *fin. in d. cap. quod votum, de vot. in* 6. Conſtatque exemplis. Nam tertius Ordo S. Franciſci ſub Nicolao III. & Fratres pauperis vitæ ſub invocatione duodecim Apoſtolorum ſub Alexandro VI. quanquam emitterent tria vota, & viverent in eodem habitu, & ſolita obedientia, nihilominus non fuerunt veri Religioſi, donec ille non fuit approbatus ab ipſo Nicolao, & iſti donec ab eodem Alexandro non fuerunt aggregati Religioni S. Auguſtini.

Non obſtat promiſſio perpetuæ permanentiæ, ſive ſta- 4
bilitatis facta ab hujuſmodi Oblatis, in qua videtur includi votum ſolemne Caſtitatis. Nam id eſſet verum, ſi hoc votum eſſet emiſſum in Religione approbata, ſine qua ſpeciali, atque præciſa conditione non datur votum ſolemne caſtitatis per textum expreſſum *in cap.* 1. *de vot. in* 6. ibi: *Illud ſolum votum debere dici ſolemne, quod ſolemnizatum fuit per ſuſceptionem Sacri Ordinis, aut per profeſſionem expreſſam, vel tacitam, factam alicui de Religionibus, per Sedem Apoſtolicam approbatis.* Sed hæc promiſſio non fit in Religione approbata. Atque adeò non includit votum ſolemne caſtitatis.

Itaque ſicut nullus poteſt erigere collegium, niſi de 5
licentia Principis ex *leg. illis, ff. de colleg. & leg.* 1. *quod cujuſque univ.* ubi dicitur, quòd Collegium omne eſt improbatum, niſi conſtet ſpecialiter approbatum, ita neque aliqua Congregatio hominum, vel mulierum ſpiritualium inſtitui poteſt ſine licentia Epiſcopi, aut Summi Pontificis, & multò minus elevari in Religionem abſque ipſius Summi Pontificis approbatione, qui in Concilio generali relato *in capit. fin. de relig. domib.* prohibuit, ne quis novam inſtitueret Religionem, ſed volens converti aſſumat unam de approbatis. Quod confirmatur *in cap. un. de relig. domib. in* 6. ubi prohibetur inſtitutio novi Ordinis, vel Religionis, & colligitur ex *cap.* 14. *de exceſſ. Prælat.* & itaut nova Congregatio, in qua non fit mentio de tribus votis ſolemnibus, neque eſt approbata, ut Religio, ſed ſimpliciter ejus inſtitutio eſt approbata a Sede Apoſtolica, uti Congregatio benè vivendi, non poſſit per ſe ipſam ſine alia licentia, & authoritate Summi Pontificis elevari in Religionem cum emiſſione ſolemnis profeſſionis, ſed requiratur prætereà ſpecialis licentia Sedis Apoſtolicæ. Quod præter jura citata probatur etiam exemplis multorum Ordinum, ſive Religionum, quæ in ſua fundatione inſtitutæ fuerunt ſine ſtatu regulari: Unde earum profeſſores, ut ſe erigerent in ſtatu regulari petierunt a Sede Apoſtolica facultatem ſolemniter profitendi. Congregatio enim Somaſchæ approbata per Paulum III. *Conſt.* 21. *ex injuncto* ſub anno 1540. elevata poſtmodum fuit in Religionem a Pio V. *Conſtit.* 78. *Injunctum nobis* ſub anno 1568. dum illi conceſſit facultatem emittendi tria vota ſolemnia. Theatinis volentibus fieri Regularibus Clemens VII. *Conſtitut.* 11. *exponi nuper* ſub anno 1524. conceſſit profeſſionem ſolemnem. Clerici minores obtinuerunt eandem facultatem a Sixto V. *Conſtitut.* 81. *Sacræ Religionis* ſub anno 1588. & Barnabitæ a Clemente VII. *conſtitut.* 37. *vota, per quæ* ſub anno 1533.

Quoad ſecundum negativè etiam reſpondendum vi- 6
detur. Primò, quia in formula profeſſionis ipſarum dicitur, *Voveo obedientiam juxta conſuetudinem monaſterii, mutationem morum, & perpetuam ſtabilitatem.* In his autem verbis non exprimitur votum caſtitatis.

Secundò, quia multi Doctores, ut Navar. *dict. conſ.* 7
6. *&* 7. *de ſtat. Monach.* Ricciul. *de jur. perſon. lib.* 8. *capit.* 2. *num.* 7. Sanctarellus *in tract. de apoſtaſ. cap.* 3. *dub.* 1. *num* 5. & Bonac. *in tract. de clauſur. qu.* 2. *punct.* 1. *§.* 1. *num.* 3. *ad fin.* docent, has mulieres non eſſe Religioſas. Ergo non emittunt vota Religionis, atque adeò neque votum caſtitatis.

Tertiò, quia Virgines Turris Speculorum non ſunt 8
Moniales, ſed oblatæ. Oblatæ autem non emittunt vota, & ob id ad clauſuram non obligantur ex Navar. *lib.* 2. *de ſtat. Monach. d. conſ.* 6. *&* 7.

Neque obſtat promiſſio perpetuæ ſtabilitatis. Quia 9
cùm agatur de ſtatu perſonali, nunquam is præſumitur

obliga-

obligatus, præcipuè cùm dicta promissio nullam habeat connexionem cum actu emittendi votum. Tùm quia ejusmodi promissio stabilitatis, sive perpetuitatis intelligitur in terminis præsentibus, donec puella continuaverit permanere in loco, in quo promissionem fecit, *leg. quod servus. ff. de condit. ob caus. leg. continui*, §. *quis*, *ff. de verb. oblig.* atque etiam intelligitur cum tacita reservatione nubendi, ducta ab exemplo aliarum, quæ nupserunt post emissam oblationem in eadem Congregatione. Quia intellectus fundatur in observatione, quæ est certa interpres dubiarum dispositionum, qualis est ista, quæ habet relationem ad eandem observationem, cùm idem sit promittere secundùm consuetudines observatas. Diciturque promissio perpetua, quia puellæ quando faciunt oblationem non se adstringunt ad aliquod tempus limitatum, sed illud suspendunt in sua propria voluntate, vel in aliena illimitata. Immò cùm dicatur perpetua, dicitur vaga, *leg. jurisperitus in princ.* & ibi Bartol. *de excuss. Tut.* Tum re ipsa postea hæc oblatio non est stabilis, quinimmò renovatur quoties aliqua oblata secedit ad rerum piarum meditatione mentem exercendam. Extatque exemplum Patrum Jesuitarum, qui hanc faciunt promissionem perpetuam cum tribus votis solemnibus, & nihilominus plures ad sæculum redeunt. Tum denique quia obligatio permanendi perpetuò in aliqua Congregatione multum differt ab obligatione profitendi in aliqua Religione, Bordon. *de profess. regular. cap.* 1. *num.* 65. Quod si etiam intelligi velimus de voto simplici, cùm id dependeat a conscientia illud emittentis, standum est ejus juramento, *cap. si verò de excomm.* ubi Glos. & Doctores, & *can. Odi* 24. 1. ubi quod Dominus, non ea, quæ offeruntur, sed voluntatem respicit offerentium.

10 At nihilominus affirmativè respondendum est. Primò, quia præfatæ mulieres ea vota emittunt, quæ fundatrix ab ipsis emitti voluit. Fundatrix autem ab ipsis emitti voluit castitatis, & obedientiæ votum, ut expressis verbis asserit Blasius Palma *in vita S. Franciscæ cap.* 16. *circa med.* & sæpius Julius Ursinus *lib.* 3. *cap.* 2. ac alibi. Idem innuit Filliucius in vita ejusdem S. Franciscæ, dum in tertia conditione mentionem facit votorum in plurali. Et confirmatur, quia S. Franciscæ maximè optabat, ut sorores suæ, ac discipulæ ad perfectionem anhelarent, & in ejus assequutione omnem operam impenderent, ut in ipsius vita legitur. Ad assequendam autem perfectionem adhibenda sunt media necessaria, cujusmodi est castitatis votum, & removenda sunt omnia obstacula, & impedimenta, quibus animus avocatur, ne in Deum expeditè feratur, cujusmodi est venus, & venereorum usus, ut benè D. Thom. 2. 2. *qu. ult. art.* 3. & *seqq.* Bellarm. *tom.* 2. *contr. lib.* 3. *de monach. cap.* 9. & Sanch. *in sum. lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 16.

11 Secundò, quia præfatæ mulieres profitentur juxta regulam S. Benedicti, ut habetur in historia S. Franciscæ. Professio autem juxta regulam Sancti Benedicti implicitè complectitur votum castitatis, ut omnes Doctores concedunt, etiamsi in formula professionis solùm dicatur, *voveo obedientiam juxta consuetudinem Religionis*. In hujusmodi enim voto juxta communem Religiosorum sensum, & consuetudinem intelliguntur etiam reliqua Religionis vota, ut benè Alphons. Rodriq. & alii. Addo in processione prædictarum Monialium explicitè contineri votum stabilitatis, atque adeò votum virginitatis, seu continentiæ. Cùm enim nomine perpetuæ stabilitatis intelligatur persistentia in eo statu, in quo profitens tempore professionis reperitur, itaut si est Virgo, virginitatem servet; si vidua, in continentia, & statu viduali permaneat, sequitur in professione ipsarum contineri votum virginitatis, seu continentiæ, servata proportione personæ profitentis.

12 Tertiò, quia præfatæ mulieres petierunt, & obtinuerunt ab Eugenio Quarto facultatem ducendi vitam Apostolicam. Apostoli autem obstricti fuerunt voto non solùm obedientiæ, verùm etiam castitatis, ut probant Vasquez 1. 2. *disp.* 65. *cap.* 5. *num.* 4. & *seq.* Valent. *tom.* 3. *disp.* 10. *qu.* 4. *par.* 1. §. *præterea*, Azor. *par.* 1. *lib.* 11. *cap.* 23. *quæst.* 8. *sub fin.* Plat. *de bon. stat. Religion. cap.* 20. & alii.

13 Quartò, quia is, qui curam illarum habet, antequam puellas ad institutum Oblatarum Turris Speculorum idoneas enunciet, ter eas examinare consuevit. Prima vice ante probationem. Secunda ante novitiatum. Tertia ante professionem. Hujusmodi autem examen inductum non fuisset, si præfatis puellis liberum esset ad sæculares nuptias advolare.

14 Quintò, quia præfatæ mulieres vovent juxta consuetudinem domus. Consuetudo autem Domus invaluit servandi castitatem, illamque implicito voto promittendi, ut clarè habetur in formula, juxta quam aliàs profiteri consueverat.

Sextò, quia præfatæ mulieres sua professione intendunt fieri sponsæ Christi, neglectis sæcularibus nuptiis. 15
Illa autem, quæ sponsa Christi fieri intendit, virginitatem spondet, suamque corporis integritatem Deo vovet, dicat, & consecrat, contempto humano matrimonio.

Septimò, quia in dubiis favendum est Religioni, 16
pioque virginum instituto, cùm magna sit ratio, quæ pro Religione facit. Pio autem Virginum instituto favetur, sustinendo ipsas ex proposito virginitatem servare.

Nec obstant, quæ in contrarium sunt adducta. Ad 17
primum enim respondeo, implicitè contineri votum Castitatis. Tum quia hic est communis Doctorum sensus. Tum quia fuga cujuslibet venereæ voluptatis, & victoria carnis ex voto castitatis ad mutationem morum maximè facit, & stabilitatem arguit. Verùm tamen est, hoc votum, licèt publicè fiat, non esse votum solemne, sed simplex, atque adeò non sortiri effectum voti solemnis, & consequenter non reddere irritum matrimonii contractum, sed illicitum, & peccaminosum.

Ad secundum respondeo, esse Religiosas, sed non 18
propriè, & strictè loquendo, ut etiam præfati Doctores docent. Dicuntur autem non esse religiosæ propriè, ac strictè loquendo, quia ipsarum institutum non fuit approbatum, tanquam vera Religio. Nam ad substantiam propriæ, & veræ Religionis opus est, ut a Sede Apostolica approbetur tanquam vera Religio, nec satis est, ut modus vivendi, ab illa approbetur ex Glos. *in Clem. Cum ex eo num.* 3. *de sent. excom.* Silvest. *v. Religio qu.* 1. Navar. *com.* 1. *de Reg. n.* 18. *corol.* 23.

Ad tertium respondeo, aliquas oblatas, uti sunt Ob- 19
latæ Turris Speculorum, emittere vota simplicia obedientiæ, & castitatis, ut ait Eman. Rodrig. *tom.* 1. *qu.* 44. *art.* 4. *ad fin.* & Sanchez *in Sum. lib.* 6. *cap.* 15. *n.* 13. & clarè patet ex formula, quam alii in facienda professione adhibere consueverant.

Ex dictis infertur primò, non esse audiendum eum, 20
qui asserit, præfatas mulieres nullo castitatis voto teneri, & non peccare contra castitatis votum venereæ delectationi consentiendo. Eodem pacto rejiciendus est Navarrus *cons.* 83. *num.* 11. *de Regul.* asserens nullas novitias a professis distinctas esse, nullamque apud eas de novitiatu mentionem extare. Nam id a veritate alienissimum est, cùm manifestè constet, novitias maximè differre ab eis, quæ absoluto novitiatus tempore simplicia vota in Æde S. Mariæ Novæ publicè emittunt iisdem ferè verbis, quibus Monachi, & Moniales S. Benedicti in facienda professione utuntur.

Secundò, inferri potest præfatas mulieres non esse 21
personas laicas, & sæculares, sed Ecclesiasticas, & religiosas, atque adeò percussorem ipsarum ligari excommunicatione contenta *in capit. si quis suadente dict.* 17. *quæst.* 4.

Ex quo etiam obiter colligi potest, arguendos esse Sa- 22
cerdotes, qui falsò arbitrantes præfatas mulieres esse personas laicas, & sæculares, liberè accedunt ad confessiones ipsarum audiendas. Tum quia, licèt strictè loquendo, non sint religiosæ, nihilominus sunt personæ Ecclesiasticæ, & juxta communem loquendi usum, etiam in libris, ac scripturis ad ipsas pertinentibus, & in Tribunali Eminentissimi Cardinalis Vicarii receptum, vocantur modò Oblatæ, modò Moniales Turris Speculorum, & cum ipsis agi consuevit, tanquam cùm Monialibus. Hac de causa exploratur earum voluntas ante professionem jussu ejusdem Eminentissimi Vicarii, ac formam Sac. Concilii Tridentini. Tum quia, aut præfatæ mulieres nomine Monialium veniunt, & sic irrita est absolutio, utpotè collata sine facultate (in facultate enim ordinaria confessariorum excipiuntur Moniales) aut non sunt Moniales, ut revera non sunt, sed Oblatæ, & sic absolvens ligatur suspensione a Sac. Congregatione Visitationis Apostolicæ lata contra excipientes aliorum confessiones in alienis domibus extra mortis periculum. Quæ in hoc tertio corollario dixi, licèt alicui videri possint non omninò certè, nihilominus negari non potest, quin sint valde probabilia, & ad praxim reducenda, ne ob Confessariorum varietatem, & multitudinem confusio, & scandala sequantur.

CON-

CONSULTATIO CXCVIII.

An inter Religiones Mendicantes debeatur præcedentia Religioni Prædicatorum?

1 HÆc cauſa licèt in primo tomo abſoluta ſit, attamen, cùm etiam ſuum litibus ſit poſtliminium, ideò poſt judicium iterùm cognoſcenda. Et deberi quidem Religioni Prædicatorum abſque dubio judicandum videtur. Illa enim habet intentionem ſuam fundatam contra cæteros Mendicantes reſpectu præcedentiæ in Conſtitutione incipiente *Divina* 71. Beati Pii V. de qua *tom.* 1. in qua mandatur, Fratres hujus Religionis obtinere debere primum, digniorem, & honorabiliorem locum, tàm in Conciliis generalibus, quàm in proceſſionibus, & aliis actibus publicis, ac privatis in quibuſcumque Civitatibus, Oppidis, Terris, & Caſtris, etiam ſi illic Eccleſias, aut Conventus non habuerint, ſive fundati fuerint poſt introductionem aliorum Regularium Mendicantium, ut latius in eadem Conſtitutione motu proprio, & ex certa ſcientia emanata, prævia cauſarum avocatione in quocunque Tribunali pendentium, & clauſula ſublata, ac decreto irritante munita. Nec ſanè abſque rationibus, iiſque urgentiſſimis. Quia, ut ibi ait Summus Pontifex, Religio Prædicatorum fuit per Sedem Apoſtolicam ante alias approbata, retinet nobiliorem locum in Capella Pontificia, & in toto corpore juris canonici prima nominatur, ut *in cap. In his, de privil. cap. quorundam* 24. *§. volentes de elect. in 6. capit. quia ex eo de pact. eod. in cap. Nimis* 17. *de exceſſ. Præl. in cap. un. eod. tit. in 6. in cap. un. §. ſanè de relig. dom. cap.* 1. *de decim. etiam in 6.* ubi Gloſs. & Jo: Andr. *ſub init. & in cap. Joannes* 19. *de teſtam. item in 6.* Gemin. *in cap. Epiſcopus num.* 2. 17. Colleg. Bonon. *conſ.* 1. *numer.* 2. *poſt conſil.* Card. Zabarell. Colleg. Paduanum *ibid. num.* 36. *ubi etiam conſ.* Ferrar. *num.* 16. Lancellott. *in conſ. pro Canon. num.* 121. Anchar. *conſ.* 214. *in princip.* Felin. *in rubr. de major. & obed. numer.* 5. Navar. *conſ.* 1. *numer.* 5. *de ſtat. Monach. lib.* 3. Rodriquez *tom.* 3. *qu. reg.* 37. *art.* 1. Tambur. *de jur. Abb. tom.* 1. *diſp.* 25. *quæſt.* 7. *num.* 1. & 5. Novar. *in ſum. Bull. tit. de præcedentia in proceſſ. num.* 14. Barboſ. *de poteſt. Epiſcop. part.* 3. *alleg.* 78. *num.* 30. aliique paſſim.

2 Etenim ex ordine ſervari ſolito in ſcripturis publicis colligi præcedentiam, tradit Dec. *in cap. Nicolao num.* 7. & *ſequ. de appell. & cap. Avaritiæ num.* 5. *eod. tit. & conſ.* 161. *num.* 2. Baldus *in l. Cum quidam num.* 3. *C. de verb. ſignif.* Rot. *deciſ.* 595. *num.* 2. *part.* 4. *div.* & in Placentina præcedentiæ 1. Febr. 1623. coram Merlino *deciſ.* 322. *num.* 5. *tom.* 2. *noviſ.* & pluribus probat Valenzuol. *conſ.* 1. *num.* 68. & *ſeq.* Ac inter Regulares præcedentiam de jure communi judicandam eſſe, vel ex antiquitate approbationis a Sede Apoſtolica, ut tenuerunt Colleg. Bonon. Paduan. & Ferrar. ſuperius citata, Dec. *conſ.* 50. *numer.* 4. *lib.* 5. Rot. in Romana præcedentiæ coram Lancell. 24. Martii 1600. *part.* 4. *div.* & in Oriolen. 10. Maji ejuſdem anni *deciſ.* 26. *part.* 2. *rec.* coram Litta, & in Salernitana 14. Martii, & 13. Maji 1622. coram Cavalerio apud Tambur. *de jur. Abb. d. diſp.* 25. *quæſt.* 38. Lancell. *in cit. conſ. pro Canon. numer.* 120. & 142. Imol. *conſil.* 164. *numer.* 25. & 58. ac decrevit juſſu Clementis VIII. S. Congregatio ſuper Epiſcopis, & Regularibus, ſcribens Epiſcopo Mantuano ſub die 30. Martii 1594. Vel ex conſuetudine, ut firmarunt Navar. *conſ.* 10. *numer.* 3. *de major. & obed.* Pariſ. *conſ.* 149. *a numer.* 1. *vol.* 4. Fab. de Anna *conſ.* 40. aliique plures, quos congerit Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſcop. alleg.* 78. *num.* 27.

3 Ex quibus habetur, quòd prælibatus Beatus Pius V. in Conſtitutione ſua proceſſit, tamquam Judex, & quod ad hanc partem non conceſſit privilegium, ſed declaravit jus commune, ut colligitur ex illis verbis proœmii: *Omnium mortalium Judices in Terris conſtituti.* Et iterùm: *Ut unicuique quod ſuum eſt, tribuatur.* Ac rurſus: *Honorque, & debitus ordo inter omnes, præſertim Religioſos, ſervetur.* Ac tandem §. 2. *Nos eorum honoris, & jurium conſervationem &c.* Unde *in §.* 3. Ordinem Prædicatorum hac præeminentia gaudere debere declarat, ſtatuit, ac definit. Et *in §.* 7. hanc ſuam Conſtitutionem primò vocat declarationem, deindè Statutum, poſtremò definitionem.

4 Neque dicatur, quòd hæc Conſtitutio ſublata fuerit a Gregorio XIII. Conſtitutione ſua 84. *tom.* 2. Bullarii, quæ incipit, *Expoſcit.* in qua decernit, quòd Mendicantes exiſtentes in quaſi poſſeſſione præcedentiæ, ac juris præcedendi in proceſſionibus tàm publicis, quàm privatis, præcedere debeant, quando verò non conſtet de bono jure, neque de poſſeſſione, ſervetur antianitas introductionis Conventuum in loco, ubi orta fuerit controverſia. Siquidem objectio ceſſat, ponderando, quòd Gregorius excipiens Regulares mendicantes præcedentes de jure, ſive exiſtentes in quaſi poſſeſſione, noluit comprehendere Patres Prædicatores habentes juris aſſiſtentiam, & quaſi poſſeſſionem ab immemorabili, & præſertim emanatæ Conſtitutionis Gregorianæ, attenta Conſtitutione B. Pii, exequutioni demandata, & in viridi obſervatione exiſtente. Et cùm Conſtitutio Gregorii condita fuerit ad tollendas controverſias, quæ orta erant, atque oriri poterant inter Regulares, illæ non poterant oriri cum Prædicatoribus, qui tàm de jure communi, quàm ex privilegio prædicto habebant jus clariſſimum, ac indubitatum in petitorio, ac ideò ſequens Conſtitutio Gregoriana non poteſt trahi ad hunc caſum, ut in ſpecie reſpondit Contelor. *in quæſt. de præcedent. num.* 71. & *ſeqq.*

Et confirmatur ex ratione in proœmio adjecta, ſcilicet pro controverſiis, ac diſcordiis tollendis, quæ quoad alias Religiones benè adaptabatur, non verò quoad Prædicatores, cùm ex Conſtitutione B. Pii jam eſſet jus liquidiſſimum, unde nulla remanere poterat controverſia, vel diſcordia, ut in terminis diſpoſitionis facta ad tollendas diſcordias dixit Rota coram Cardinali Millino *deciſ.* 184. *numer.* 8. Ratio autem appoſita in proœmio dirigit, & reſtringit totam diſpoſitionem, Anchar. *conſ.* 180. *numer.* 4. Roman. *conſ.* 530. *num.* 7. Duran. *deciſ.* 48. *numer.* 11. & *ſeq.* Reſpectu igitur Ordinis Prædicatorum nullum remanebat litis periculum, & ceſſabat omninò legis ratio, qua ceſſante, ceſſat legis diſpoſitio, *cap. Cum ceſſante de appel. l. adigere, §. quamvis, ff. de jurepatr.* Rot. *dec.* 449. *numer.* 3. *part.* 1. *novis.* 5

Ac præcipuè quia lex generalis poſterior non tollit priorem ſpecialem, *ut ex cap. generi, de regul. jur. in 6.* & *ex l. Sanctio* 41. *ff. de pœn.* & *l. in toto jure ff. de reg. jur.* traduntque Doctores, nominatim Contelor. *d. quæſt. numer.* 73. & ita, ut non obſtet, quod aliqui dicunt, regulam hanc non habere locum ubi in poſteriori Conſtitutione clauſula obſtativa exprimit ſaltem in genere Conſtitutionem ſpecialem. Nam in Conſtitutione Gregorii clauſula obſtativa non exprimit ſufficienter B. Pii Conſtitutionem. Gregorius enim derogat privilegiis, indultis, ac literis Apoſtolicis. Conſtitutio autem B. Pii non venit ſub nomine privilegii, ſive indulti, cum ſit juris declaratio. Nec verbum illud *literis Apoſtolicis* poteſt accipi in ſua generaliſſima ſignificatione, ut comprehendat literas concernentes juſtitiam ac declarantes jus partium. Cùm enim derogatio ſit ſtricti juris, Gemin. *conſ.* 35. *numer.* 2. quæ recipit ſtrictam interpretationem, *Clem.* 1. *de præb.* Achil. *deciſ.* 3. *numer.* 4. Rot. *deciſ.* 159. *num.* 7. coram Ludoviſio, & *deciſ.* 23. *numer.* 19. & *deciſ.* 184. *numer.* 39. *tom.* 1. *noviſ.* idcircò termini clauſulæ obſtativæ in Conſtitutione Gregoriana ita ſtrictè ſunt accipiendi, ut non loquatur de literis, quæ jus tertii declarant, ſtatuuntque, cùm neque ſit unde præſumatur, Gregorium voluiſſe tollere jus certum quæſitum Ordini Prædicatorum ex communi jure per B. Pium declarato, confirmato, & aucto, cùm Pontifex non præſumatur velle jus alicujus, vel poſſeſſionem turbare, *capit. cum noſtri de conceſſ. præb.* ubi Abb. *numer.* 7. Menoch. *conſ.* 36. *numer.* 65. & *conſ.* 103. *numer.* 80. Rot. *deciſ. numer.* 7. *tom.* 1. *noviſ.* & ideò Conſtitutionem B. Pii non fuiſſe ſublatam per Conſtitutionem Gregorii tuetur Contelor. *d. numero* 7. 6

Verùm dato etiam ſine tamen veritatis præjudicio, quòd Conſtitutio B. Pii eſſet ſublata per Gregorium, illam tamen poſtea redintegravit Clemens VIII. ut in ſuo Brevi impreſſo apud Tambur. *d. tom.* 1. *diſput.* 25. *quæſt.* 8. & in alio Brevi, etiam cauſa cognita, & per Eminentiſſimos Patres maturè diſcuſſa. Et licèt utrumque fuerit directum ad Hiſpaniarum Superiores, concluſio tamen vera eſt, quòd lex, ſive Conſtitutio directa etiam Præſidi, vel Provinciæ, adhuc ſit generalis per totum Orbem, nec reſtringi poſſit ad illam Provinciam, ut eſt textus *in l.* 2. *§. ſi mater ff. ad Trebell.* & tradunt Bart. *in l. relegatorum §. interdicere num.* 3. *ff. de interd. & releg.* Soccin. *conſ.* 36. *num.* 3. & *ſeqq. lib.* 4. Rebuf. *tom.* 3. *tit. de Salar. taxat. art.* 1. *num.* 15. & 16. ac Rovit. *conſ.* 93. *num.* 2. *lib.* 2. Id, quod vel ex eo confirmatur, quia Clemens in dictis Brevibus ſe fundat in eo, quòd Religio Prædicatorum præcedit omnes alios Mendicantes ex jure communi, etiam in ipſa Urbe, quæ ratio ubique militat. Et ideò Conſtitutio eſt generalis, non autem particularis. Nam quando Pontifex ſcribit non per modum privilegiativum, ſed ut obſervetur ratio juris com- 7

communis, tunc quod reſcribit uni, debet ab omnibus ſervari, ut docuit Gemin. *in cap. ignorantia n. 5. dec. 58.* Doct. *in cap. 1. n. 13. de conſt.* ubi etiam Andr. ab Exea *n. 144. cum ſeq.* Doctores verò contrarii loquuntur in terminis puræ gratiæ, ac liberalitatis, non autem juſtitiæ, & in ſententia Pontificis, data in contradictorio judicio, atque innixa iis, quæ ſtatum totius Ordinis concernunt, ac proinde facit jus quoad omnes, *l. ingenium ff. de ſtat. homin.*

8 Et urget, quòd Clemens motu proprio ipſas B. Pii literas cum omnibus ac ſingulis in illis contentis clauſulis, decretis, ac derogationibus approbavit, & confirmavit cum clauſula ex certa ſcientia, & re maturè diſcuſſa coram pluribus Cardinalibus, atque adeò dicitur redintegrata Conſtitutio B. Pii, ac ſi fuiſſet iterùm conceſſa, non obſtantibus conceſſionibus medio tempore factis, ut dixit Rot. *dec. 166. num. 2. & ſeq.* ſignatè *n. 12. p. 5. rec.*

9 Quare non ſolùm Breve Clementis dum confirmat Conſtitutionem B. Pii dici non poteſt particulare, cum iſta ſit univerſaliſſima. Natura enim confirmationis non eſt alterare ſtatum rei confirmatæ, ſed illum convalidare, ac robur addere, remanentibus omnibus in eiſdem ſtatu ac terminis, *l. Aurelius §. teſtamento, ff. de lib. leg. cap. 1. & 2. de confirm. util. vel inutil.* Ludoviſ. *dec. 267. num. 1. & ſeqq.* Sed etiam, quia Clemens ſuo Brevi non conceſſit Ordini Prædicatorum aliquam gratiam, ſed profeſſis fuit ſe procedere uti ſupremum Judicem, ac proinde, avocatis omnibus, & ſingulis cauſis, voluit plenè cognoſcere de illorum meritis, quibus benè perpenſis, plurieſque auditis partibus, non ſolùm confirmavit Conſtitutionem Pianam, ſed etiam declaravit iterùm Patres Prædicatores præcedere debere alios Mendicantes etiam in locis, in quibus ultimo loco fuerint introducti. Unde cùm ratio, propter quam Pontifex motus fuit ad faciendum declarationem ſit univerſalis, univerſalis etiam dici debet declaratio, licèt emanaverit in cauſis particularibus.

10 Minus dicatur, quòd poſt Clementem VIII. alia emanaverint Brevia, in quibus ſtatuitur obſervatio Conſtitutionis Gregorianæ. Nam illud Urbani VIII. emiſſum ad inſtantiam Procuratoris generalis Ordinis Minorum Conventualium, cùm non ſit motus proprius, neque ex certa ſcientia datum, nullaque in eo fiat mentio Motus proprii B. Pii, neque ſententiæ Clementis VIII. illum confirmantis, ac derogantis Motui proprio Gregoriano, remanet ſine vita, deficiente Pontificis voluntate, quæ legis, & conceſſionis eſt anima.

11 Hinc patet ſubreptitias fuiſſe reſolutiones obtentas a quibuſdam Religionibus, & Breve pro illarum obſervatione emanatum, quia non fuit narrata prædicta Conſtitutio Piana, neque diſcuſſa ejus relevantia, ut in terminis reſolutionis S. Congregationis Concilii dixit Rota coram Pegna *deciſ. 1318. num. 3.* Maximè, quia fuerat confirmata a Clemente VIII. cum cauſæ cognitione, & ex certa ſcientia, in quo caſu, etiamſi fuiſſet derogatum in noviſſimis Brevibus, adhuc derogatio remaneret ſubreptitia, non facta ſpeciali mentione dictæ confirmationis, Gloſſ. *in Clem. dudum v. pacta de ſepult.* Alex. *conſ. 122. num. 6. lib. 4.* Seraph. *deciſ. 748. num. 3. & per tot.* Rot. *deciſ. 496. num. 7. part. 5. rec.* Eòque magis, quia ſemel ac iterùm fuit confirmata, in quo caſu majores habet vires, ac proinde hæc qualitas erat etiam narranda, Dec. *conſ. 165. numer. 3.* & Alb. Brun. *conſ. 12. num. 38.*

12 Ceſſatque omnis difficultas ex eo ſolùm, quod Pontifex nunquam derogat ſententiis in aliorum favorem emanatis, niſi de illis faciat ſpecialem mentionem, prout in durioribus terminis, quòd ſcilicet illas neque tollat Sacrum Concilium Tridentinum, tradit Seraph. *dec. 712. num. 5.* & pluribus allegatis Garz. *de benef. part. 3. c. 2. num. 201. cum ſeqq.* Quòdque eò fortiùs procedere debeat in præſenti, cùm verſemur in ſententia lata a Pontifice ex voto Cardinalium, & Sac. Congregationis ſuper Regularibus in judicatum tranſacta. Quo in caſu ne ſimplex quidem mentio ſententiæ pro derogatione ſufficeret, niſi etiam facta fuerit mentio, quod fuerat tranſitum in judicatum ad textum *in cap. Expoſita de arb.* Alex. *conſ. 94. n. 2. lib. 2.* Dec. *conſ. 295. n. 5.* Garz. *ubi ſupra d. n. 201.*

13 Immò urgent efficaciora, cùm Pontifici oblata fuerint confirmanda, & extendenda decreta, vel vim non habentia, vel quibus jam derogatum erat, vel quæ nulliter fuerant obtenta. Ex quatuor enim literis oblatis Pontifici, prima data fuerat ſub 6. Martii 1582. ſecunda, & tertia ſub 24. Maji 1583. Unde illis abundè fuerat derogatum per Motus proprios Clementis VIII. datos ſub anno 1592. & 1600. Immò & derogatum fuerat per decretum generale dictæ Sac. Congregationis, confirmatum ab eodem Clemente cum derogatione Motus proprii Gregoriani datum ſub die 26. Auguſti 1593. apud Quarantam *v. præcedentia*, & in quo ſtatutum fuit ſervari ubique ordinem in proceſſionibus, qui in alma Urbe ſervatur. Aliudque ſimile decretum, factum ex mandato ejuſdem Clementis cum expreſſa derogatione Conſtitutionis Gregorianæ datum fuit Epiſcopo Hieracenſi ſub 15. Februarii 1593. Quarta verò epiſtola data quidem fuerat ſub die prima Junii 1604. At omiſſo, quòd illa continet decretum proviſionale, & non abſolutum, datumque per verbum *la Congregazione inchina*, illud, tanquam contrarium diſpoſitionibus B. Pii, & Clementis, munitis clauſula ſublata, & decreto irritante ob non expreſſam veritatem fuit nulliter obtentum. Confirmatio enim, & extenſio facta in forma communi, & ad inſtantiam partis non tollit nullitates, neque leges antiquatas, aut irritas roborat, ſi hujus qualitatis non fiat mentio ex traditis a Seraph. *deciſ. 972. num. 17. & deciſ. 406. num. 23. part. 4. tom. 2. recent.* Et præcipuè quia legis extenſio facta ad inſtantiam partis præſupponit legis valorem, nec confirmatio valet, inſcio Pontifice, legem fuiſſe antiquatam, Rot. *deciſ. 608. numer. 25. par. 4. rec. tom. 3.* Tantòque magis, quòd Pontifex in illo Brevi innixus fuit motu proprio Gregoriano non obſtante, quòd in Pontifice non præſumatur juris ignorantia, quia id comprobatur de ignorantia juris communis, non autem de ignorantia ſpecialis conceſſionis, ut tradit Seraph. *dec. 1293. num. 4.* ex communi doctrina Doctorum *in cap. 1. de reſcript.* & deciſum 9. Julii 1597. coram Pamphilio, & 23. Januarii coram Orano. Ideò ſpecialis conceſſio facta Ordini Prædicatorum cum derogatione Motus proprii Clementis exponi Urbano debuerat.

Multòque minus obſtat aliud Breve ejuſdem Urbani 14
confirmans decretum Sacr. Congregationis Rituum ad favorem fratrum B. Joannis Dei, quod incipit: *Commiſſi* in Bull. 76. & illud Innocentii X. incip. *Romanus* ſub die 13. Aprilis 1645. in cauſa particulari vertente inter Patres Minores Obſervantes, & Patres Eremitas Sancti Auguſtini. Quia non ſolùm utrumque datum fuit ad inſtantiam partis, & in nullo ipſorum derogatum a prædictis motibus B. Pii & Clementis, unde adverſus illa militant rationes antea deductæ, verùm etiam quia in illis non fit aliqua mentio Ordinis Prædicatorum, & eorum diſpoſitio Gregoriana, quæ, cum reſpectu Ordinis Prædicatorum ei derogatum fuerit, non poteſt contra illos allegari, Dec. *in cap. 1. in 1. lect. de conſtit.* Rot. *deciſ. 618. numer. 12. tom. 1. noviſ.*

Si quæ verò decreta a Sac. Rituum Congregatione, 15
vel ab alia contra Patres Prædicatores in ſpecie fuerunt data, reſpondetur, quòd non ſemel, ſed pluries in Curia Romana definitum eſt in hac cauſa pro illorum Ordine. Pro illius enim præcedentia primò, declaratoriam ſententiam dedit B. Pius V. & poſt Gregorium XIII. ſemel atque iterùm pronunciavit Clemens VIII. & præcipuè cauſa ſub annum 1600. diſcuſſa, & ſuffragiis munita a doctiſſimis ac pientiſſimis viris Cardinalibus Burgheſio, Baronio, Blanchetto, & Arigonio, & quartum definivit Sac. Congregatio ſuper Epiſcopis ac Regularibus primò ſub annum 1593. in decreto generali, cujus vigore adjudicata fuit præcedentia Conventui Caſtri veteris diœceſis Hieracenſis ſub die 15. Februarii ejuſdem anni tenoris ſequentis. *La Santità di Noſtro Signore hà riſoluto, e ordinato col parere di queſti miei Illuſtriſſimi Signori della Sacr. Congregazione, che intorno alla precedenza tra i Conventi, e le perſone regolari, e così nelle proceſſioni, e funerali, come in tutti gli altri atti publici, e privati ſi abbia d' antendere, ed oſſervare quello ſi fà, e ſi oſſerva in queſta Città di Roma, capo, e maeſtra di tutte l' altre Città Chriſtiane, non oſtante il moto proprio di Gregorio XIII. che incomincia* expoſcit, *e qualſivoglia altra diſpoſizione in contrario. E lo ſignifico a V. S. d' ordine delle Signorie loro Illuſtriſſime affinche lo faccia oſſervare in codeſta Citta, e ſua dioceſi, particolarmente in Caſtelvetere a favore de' RR. Padri di S. Domenico contro a quelli di Sant' Agoſtino, ſenza avere altre mire in conſiderazione delle ſentenze date per l' una, e l' altra parte ſopra queſta loro controverſia.* Et rurſus. *La Santità di Noſtro Signore hà ordinato, che nelle controverſie, che occorrono trà Regolari per conto di precedenza, ſi abbia da fare oſſervare la conſuetudine di queſta Città, capo del Chriſtianeſimo, la quale è di far precedere que Regolari, il cui Ordine è ſtato prima approvato da queſta Santa Sede. Il che ſignifico a Voſtra Signoria di commiſſione di queſti miei Signori Illuſtriſſimi, acciochè ella ſopiſca*

con queſta riſoluzione la differenza, che occorre tra i Camaldoleſi, e quei di Monte Oliveto, come a' medeſimi Monaci dee eſſer noto. Operi adunque V. S. che le parti ſi acchettino a quanto è mente di Sua Beatitudine, a' 30. di *Marzo* 1594. Secundò ſub annum 1618. die 8. Junii in cauſa Neapolitana Turris Græci contra Patres Carmelitas, referente Cardinali Camporeo. Tertiò, ſub die 24. Septembris 1624. auditis iterùm in eadem cauſa Carmelitis, referente Cardinali Madrucio. Et quartò, ſub die 6. Septembris 1625. eadem cauſa, tertiò propoſita, & adjunctis, atque inſtantibus Patribus Minoribus Obſervantiæ. Quòd ſi aliquando contra Patres Prædicatores aliter in S. Rituum Congregatione judicatum fuerit, id ex eo evenit, quòd eorum jura plenè producta non fuerint. Unde nil mirum, ſi emanaverint contra ipſos decreta aliàs nulla, & invalida, tanquam contraria motibus propris B. Pii V. & Clementis VIII. clauſula ſublata, & decreto irritante munitis.

16 Neque aſſiſtentia juris communis, quam ex antiquiori approbatione Sedis Apoſtolicæ habet Ordo Prædicatorum validè impugnatur *ex cap. un. §. Sanè de relig. domib. in 6.* Hæc enim ſunt verba Concilii Lugdunenſis *c. 23.* ex quo illud Capitulum eſt deſumptum: *Sanè ad Prædicatorum, & Minorum Ordines, quos evidens ex eis utilitas Eccleſiæ univerſali proveniens perhibet approbatos, præſentem non patimur Conſtitutionem extendi. Cæterum Carmelitarum, & Eremitarum S. Auguſtini Ordines, quorum inſtitutio dictum Concilium generale præceſſit, in ſuo ſtatu manere concedimus, donec de ipſis fuerit aliter ordinatum. Intendimus ſiquidem tàm de illis, quàm de reliquis, etiam non mendicantibus Ordinibus, prout animarum ſaluti, & eorum ſtatui expedire videbimus providere.* Habetur igitur ex hoc Concilii decreto, Ordines Carmelitarum, & Eremitarum S. Auguſtini fuiſſe ante Concilium generale Lateranenſe inſtitutos, quod non controvertitur, quia & ante illud Concilium celebratum anno 1215. ſub Innocentio III. fuit Ordo Prædicatorum inſtitutus, & vivæ vocis oraculo ab eodem Pontifice laudatus, & approbatus, teſtante Theodor. in vita S. Dominici *lib. 1. cap. ult.* Surio *tom. 4.* die 4. Auguſti, Odorico ad dictum *num. 17.* ſed cardo controverſiæ verſatur in ſolemni Sedis Apoſtolicæ confirmatione. Et ſanè ab eodem Lugdunenſi Concilio approbatis omninò Ordinibus Prædicatorum, & Minorum, alii Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum, tanquam non ſimpliciter approbati, habiti fuerunt, & ſolùm permiſſi manere in ſuo ſtatu. Pro quo notandum, quòd Bonifacius VIII. non ſolùm integrum Concilii textum non repoſuit *in lib. 6. ſub tit. de relig. domib.* ſed aliqua ejus verba, ſcilicet illa *in ſuo ſtatu manere concedimus*, mutavit, & dixit, *in ſolido ſtatu volumus permanere.* Quod factum fuit, ut obſervat Azor. *lib. 12. inſtit. moral. cap. 23. quæſt. 5.* quia Gregorius X. ſub quo habitum fuit Concilium Lugdunenſe, & ante Bonifacium VIII. jam illi Ordines ſtabilem approbationem, quam nondum habebant a Sede Apoſtolica, obtinuerant, vel ipſe Bonifacius primùm pro omninò confirmatis haberi voluit.

17 Pariter quod ad probandum eandem majorem antiquitatem Ordinum Carmelitarum, & Eremitarum S. Auguſtini adducitur, quò nimirum iſti Ordines jam ab anno 490. tempore Gelaſii Papæ militarunt ſub regula S. Baſilii, deficit tàm in facto, quàm in jure. Id enim, quod ſpectat ad Ordinem Eremitarum commentum eſt excogitatum a Chaſſaneo, cui non eſt credendum, quia ſe fundat in S. Antonino *part. 3. tit. 16. cap. 1. §. 8.* ubi tractat de Religionibus militantibus ſub regula S. Baſilii, nulla prorſus facta mentione de Eremitis Sancti Auguſtini. Et certè cùm & Author, & tempus primæ inſtitutionis hujus Ordinis ſint ſub Judice, concedentibus Scriptoribus ejuſdem Ordinis, quibus conſentit Suarez *tom. 4. de relig. tit. 9. lib. 2. cap. 9.* eum a S. Auguſtino inſtitutum ſub ejus regula uſque adhuc militaſſe, aliis verò pluribus, quos refert ac ſequitur Penot. *lib. 1. cap. 48.* ad S. Gulielmum Ducem Aquitaniæ circa annum 1130. & ad Beatum Joannem Bonum ſub anno 1209. ejus inſtitutionem referentibus, hoc certum eſt, eundem Ordinem, qualis nunc eſt, fuiſſe collectum, & inſtitutum ex diverſis Eremitarum Congregationibus ab Alexandro IV. ſub annum 1256. & poſt Gelaſium Papam annis pluſquam 700. atque adeò nunquam vixiſſe ſub Regula S. Baſilii, nec tempore Gelaſii Papæ, neque alterius Pontificis.

18 Carmelitas verò, quòd militaverint ſub regula D. Baſilii, nonnulli affirmarunt. Sed hoc eſt impropriè dictum, eſtque ſolùm veriſimile, quod, ut notat Azor. *part. 1. lib. 12. cap. 23.* & Theatrum vitæ humanæ *lit. R.* Carmelitarum Religio ex parte fuit ex regula D. Baſilii compoſita. Ipſi enim Patres Carmelitæ profitentur, ſe etiamnum militare ſub regula ab Elia ſcripta, vel traditione antiquitus recepta, & a Joanne 44. Patriarcha Hieroſolymitano in ſcriptis redacta, aut etiam ex regula D. Baſilii reparata, & ab Alberto Patriarcha Hieroſolymitano explicato, ut tradit Philippus Sanctiſs. Trinit. *part. 3. diſp. 7. dub. 2. ad 5.* & habetur *in Theatro vit. hum. loc. cit.* Baronius contra ad annum 1181. & alii tradunt, Carmelitas incœpiſſe ab Aymenio Patriarcha Antiocheno ſub eundem annum 1181. Ex quibus conſtat, nunquam eos ſub regula D. Baſilii militaſſe.

Sed, quidquid ſit de regula, ſub qua aliquando præfati Ordines vixerint, objectio deficit in jure. Nam, ut de Carmelitis expreſsè ait Suarez *d. tom. 4. tract. 9. lib. 2. cap. 1.* ex hoc tranſitu, ſi verus eſſet è Regula D. Baſilii ad Regulam D. Auguſtini, vel Alberti Patriarchæ, & ad modum proprium, vivendi harum Religionum, tanta facta eſt mutatio, etiam in ſubſtantialibus, ut ſint aliæ Religiones ab illis, quæ olim erant, & noſtra lis non eſt cum Monachis Baſilianis, ſed cum Mendicantibus. 19

Deindè quia regula D. Baſilii non eſt approbatione antiquior regula D. Auguſtini, ſub qua militant Patres Prædicatores. Nam *in can. 18. pernicioſam quæſt. 2.* utraque recenſetur approbata, & earum prior approbatio non legitur, Suarez *loc. cit. num. 5.* & in Concilio Romano ſub Gelaſio tanquam opuſcula D. Baſilii, & D. Aug. fuerunt receptæ *can. Sanct. d. 15.* 20

Poſtremò quia non debet confundi approbatio Regulæ in genere cum approbatione hujus, vel illius Religionis in ſpecie. Cùm enim ſub una regula plures Religiones inſtituantur variis temporibus, & a diverſis fundatoribus, & ad diſtinctos fines proximos, ac ſub diſtinctis formis vivendi, ad hoc, ut Religio in ſpecie ſit ſolemniter approbata a Sede Apoſtolica, non ſufficit approbatio antiquæ Regulæ in genere, ſub qua antiquiores militant Ordines, ſed eſt neceſſe, ut approbetur ſpecifica illa nova forma vivendi ſub illa communi regula, quæ Religioni eſt propria. Quam quidem confirmationem ſtabilem, & firmam non habuerunt præfatæ Religiones, niſi poſt Concil. Lugdunenſe celebratum anni 1274 ut benè advertit Azor. *d. cap. 23. quæſt. 5.* Quapropter Suarez *d. tom. 4. de Relig. tr. 9. lib. 2. cap. 6. num. 3.* dixit, hoc videri unum ex privilegiis Religionis Prædicatorum, quòd prima fuerit inter omnes, quæ approbationem ſolemnem, & authenticè ſcriptam in ortu ſuo obtinuerit, ut etiam B. Pius V. aſſeruit, & rectè conſideravit Bzovius, quod Conſtitutio ſecunda Honorii III. in qua Ordo Prædicatorum confirmatur adeò fuit ſolemnis, ut ei, nedum Pontifex, ſed etiam Cardinales ſubſcripſerint, ideòque Ordinem Prædicatorum approbatum fuiſſe ante alios Ordines Mendicantes, tradiderunt Azor. *d. part. 1. lib. 17. cap. 23. quæſt. 4.* Tambur. *de jur. Abb. diſp. 2. quæſt. 16. num. 8.* Contelor. *d. quæſt. de præced. num. 11.* Peyrin. *ad Conſt. 3. B. Pii V. §. 2.* & Bordon. *de præced. num. 366.* 21

Conjecturæ autem, ex quibus colligitur Gregor. XIII. derogaſſe Conſtitutioni B. Pii V. deſumptæ, vel ex vicinitate actuum, vel ex eo, quod & in Ordine Prædicatorum militabat ratio Conſtitutionis Gregorianæ, cùm paulò ante illam contra Prædicatores mota fuiſſet lis a Patribus Minoribus Conventualibus Caſtrovillaris, ut patet ex decreto Sac. Congregationis ſuper Epiſcopis, dato ſub die 24. Maji 1583. ad favorem Patrum Minorum, non urgent. Quia decretum illud non fuit exequutioni demandatum, ſed Prædicatores habuerunt præcedentiam ſuper Patribus Minoribus etiam ex decreto Epiſcopi Caſſani ab illo anno 1583. uſque ad annum 1627. in quo perturbata eorum pacifica poſſeſſione per decretum, inaudita parte, extortum a Sac. Rituum Congregatione, & poſteà introducta lite, & a Prædicatoribus obtentis literis non accedendi ad proceſſiones donec lis fuerit terminata, lis hactenus in hoc ſtatu durat, & Prædicatores ad proceſſiones non conveniunt. Quod conſtat ex actis dictæ Sac. Rituum Congregationis, & ex aliis authenticis documentis. Atque ex his conjecturæ prædictæ eliduntur. Per ſimplicem enim porrectionem libelli dati, non citata parte, lis non introducitur. Quod & manifeſtè apparet, quia in dicto caſu concertatio ex parte Patrum Minorum excitata, ſtatim auditis Patribus Prædicatoribus fuit extincta. In contrarium verò magis urget conjectura, quia non eſt veriſimile, quòd Gregorius voluiſſet derogare Conſtitutioni B. Pii V. per quam fortius jus quæſitum erat Prædicatoribus, & ejus mentionem non feciſſet, quemadmodum fecit in Conſtitutione ſua 9. in qua revocavit privilegia Regularium contraria decretis Sac. Concilii Tridentini, 22

tini, & in Constitutione 10. in qua pariter revocavit privilegium concessum Prædicatoribus, ut soli in Dominica intra Octavam Corporis Christi processionem ducerent.

23 Tandem non deficit usus. Nam in Conventibus in Italia post Constitutionem Gregorianam erectis, etiamsi sint recentiores in loco aliis Conventibus aliarum Religionum, nihilominus Prædicatores præcedunt. Ita servatur in locis Castriveteris diœcesis Hieracensis, Bisseti, Turris Græci, Maydæ, Molæ, Prænesti, Ferentini, Rotiliani, Trevis, Bancii vomeris, & Majani. In locis verò Castrivallaris & Coriolani, ne sibi præjudicent, ad processiones non accedunt.

24 Itaque Ordini Patrum Prædicatorum ex motu proprio B. Pii V. confirmato in contradictorio judicio a Clemente VIII. & qui, non obstante Gregorii XIII. Constitutione, adhuc in suo robore vivit cum omnibus suis clausulis, decretis, & derogationibus præcedentiam debere judicandum videtur, quam etiam illi competere ex Authoribus, qui post Gregorium scripserunt, tradunt Fusch. *de visit. cap.* 15. *numer.* 66. Navar. *ex Glos. in capit. Quorundam de elect. in 6. lib.* 1. *conf.* 10. *numer.* 1. *de majorit. & obed.* Rodriq. *tom.* 3. *quæst.* 37. *numer.* 1. Jacob. Philipp. Port. *conf.* 164. *numer.* 2. Sempron. Ascia. *deter.* 60. *numer.* 5. Contelor. *d. quæst. de præced. numer.* 11. Azor. *d. lib.* 12. *instit. moral. capit.* 23. *quæst.* 3. Barbos. *de offic. & potest. Episcop. alleg.* 73. *numer.* 30. *& 37. & in sum. Apostol. Constit. collect.* 372. *numer.* 9. *& collect.* 590. *numer.* 17. Tambur. *de jur. Abb. disp.* 25. *quæst.* 8. *numer.* 5. Flav. Cherub. *ad Constit.* 13. *Clementis VIII.* sentiens, illam esse communem, Lucerna Regular. *v. præcedentia num.* 16. Scortia *in select. Sum. Pontif. const. epit.* 156. *theor.* 139. Michael Fer. *de præced. quæst.* 45. *num.* 9. *&* 13. Peyrin. *ad Constit.* 3. *B. Pii V. §.* 2. *num.* 2. Jacob. Cohel. *in Bul. boni regim. cap.* 37. *num.* 27. & Valenzuel. *conf.* 1. *num.* 4. *& 68. cum tribus seqq.* Atque ita hanc præcedentiam tuetur Contelorus, Donatus, Castellinus, Passarinus, & alii.

25 His tamen minimè obstantibus persistendum est in sententia, quam dicto primo tomo tradidimus. Tum propter rationes ibi deductas. Tum quia, licèt Constitutio B. Pii V. edita in forma Motus proprii mandet expressè, Religionem Prædicatorum in posterum præcedere debere, nihilominus respicit plenarium petitorium, hoc est disponit in terminis, in quibus aliæ Religiones Mendicantes non sunt in possessione, vel quasi præcedendi juxta consuetudinem locorum, in quibus hæc controversia excitatur, non verò loquitur de locis, in quibus aliæ Religionis habent possessionem, vel quasi, vel antiquiores Conventus, atque adeò tanquam loquens in uno casu, non est ad alterum extendenda, *cap. odia*, *& cap. quæ a jure communi*, *de reg. jur. in 6.* Quare cùm aliæ Religiones Mendicantes sint in antiquissima possessione, vel quasi præcedendi juxta antianitatem Conventuum, & consuetudinem locorum, in quibus hujusmodi controversiæ oriuntur, dicendum est, ipsam Pianam Constitutionem non comprehendere casum possessionis, vel quasi tanquam omninò diversum ab alio plenarii petitorii, ut in terminis similis Motus proprii tradunt relati a Garzia *de benef. part.* 2. *cap.* 5. *num.* 38. *& seqq.* & a Rota in Melevitana antianitatis 1. Julii 1643. *§. fin.* coram Verospio, & in alia Melevitana, seu Tranen. translationis 9. Decembris 1644. *§. quia responsum* coram Eminen. Otth. Et ideò nihil dicitur per illam fuisse innovatum in præjudicium illarum, ut in similibus disponit textus *in Clem. Statutum de decim.* & ibi Glos. *v. possidebant*.

26 Tum etiam quia Gregorius XIII. in sua Constitutione similiter edita in forma Motus proprii voluit, atque expressè mandavit, illos Regulares Mendicantes in processionibus, aliisve actibus in quibusvis locis præcedere debere, qui sunt in quasi possessione præcedendi, ibique narrans super præcedentia ortam fuisse controversiam inter fratres S. Francisci, & Fratres Prædicatores in loco Castrivillari, Cassanensis diœcesis, dixit ad se, & ad Sacram Congregationem super Episcopis, & Regularibus habitum fuisse recursum, & exindè idem Summus Pontifex cùm amplissimis clausulis derogatoriorum illis verbis: *Quibus omnibus illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis haberi volumus*, *& mandamus*, quibuscunque in contrarium facientibus etiam expressè derogavit, & statuit servandam consuetudinem locorum. Quæ sanè Constitutio cum suis amplissimis clausulis etiam derogavit Constitutioni B. Pii V. ad tradita per Cassad. *ad regul. Cancel. dist.* 50. *numer.* 2. ac Seraph. *decis.* 291. *numer.* 7. *&* 8. & Gabr. *clausur.* 5. *numer.* 12. *& seqq.* Non obstante, quod Constitutio Beati Pii edita fuerit cum decreto irritante, & clausula sublata, ut per eundem *Cassad. sub numero* 4.

Tum quia post Constitutionem Gregorianam semper a Sacris Congregationibus resolutum fuit, servandam esse prædictam consuetudinem locorum juxta illius præscriptum, ut legitur in literis Apostolicis ab Urbano VIII. in forma Brevis editis, in quibus idem Pontifex etiam voluit, & expressè mandavit observari decreta hac in re emanata, ex quibus Summi Pontifices, cùm casus evenit, semper rejecerunt eorumdem Prædicatorum commissionem ad Signaturam Suæ Sanctitatis, dicentes esse dirimendas hujusmodi controversias inter Regulares secundùm allegatam consuetudinem. 27

Non obstat Constitutio Clementis VIII. Tum quia illa non fuit nova Constitutio, sed simplex extensio Constitutionis Pianæ ad quædam præcisa loca unius Provinciæ Hispaniarum, quæ extensio de jure non admittitur è loco ad locum ex vulgaribus. Tum quia extensio ad unum locum firmat regulam in contrarium in non comprehensis in extensione. Tum quia idem Clemens eo modo extendens, etiam tacitè declaravit Pianam Constitutionem non fuisse in viridi observatione ob subsequutam Constitutionem Gregorii in locis, in quibus vigebat consuetudo contra Prædicatores. Ideoque retorquetur. Quoniam si Clemens servari voluisset in toto Orbe Christiano Constitutionem B. Pii V. ac censeri rejectam Gregorianam, id planè explicitè disposuisset, tanquam de omnibus prædictis plenè informatus. Id autem non disposuit, atque adeò dicendum est ipsum noluisse innovare, quod jus quæsitum aliis Religionibus in aliis Provinciis, vel per consuetudinem, vel dictos antiquiores Conventus, vel per præfatam possessionem, vel quasi, auferatur, cùm in dubio nunquam censetur Summum Pontificem voluisse tollere jus alteri quæsitum, ac suscitare tot lites eo modo terminatas. Tum denique quia ita a Sacris Congregationinibus fuit sæpiùs resolutum, ac etiam ab Urbano VIII. decretum sub anno 1627. & 1638. ut scilicet in posterum servetur inviolatè Constitutio Gregor. Adeò quòd ipsi Prædicatores sub anno 1628. in Sac. Congregat. super Episcopis, & Regular. cum versarent hanc controversiam cum Carmelitis Neapolis ad reportandum victoriam non allegarunt Constitutionem B. Pii, & Clemen. sed solùm consuetudinem, & juxtam illam obtinuerunt. 28

Ex quibus eo magis rejecta remanet Piana Constitutio, quia quando apparet ita fuisse dispositum, & in casu cum scientia Summi Pontificis resolutum contra illam, tunc dicitur dictam Constitutionem non fuisse usum receptam, sed per contrarium usum, decennio servatum, fuisse rejectam, etiam ex intentione Summi Pontificis, ut plenè firmavit Rot. *d.* 1. coram Puteo *lib.* 1. Quando autem apparet rejectam fuisse, vel non usu receptam aliquam Constitutionem, eò magis per dictum contrarium usum, sive consuetudinem, dicuntur rejecti cæteri DD. adversarii, cum ejusmodi consuetudo, sive subsequuta observatio, maximè sciente Pontifice, etiam deroget juri communi, ut firmavit Rota coram Burat. *dec.* 903. ibique Add. *num.* 20. & in terminis præcedentiæ pluries stabilivit Rot. *d.* 585. *num.* 1. *part.* 4. *divers.* & nos alibi fusè. 29

Quod quidem decidendum est per locorum Ordinarios quacunque appellatione remota, ut decernitur in S. Concilio Trident. *sess.* 25. *capit.* 13. cui decreto non potest dici, quod fuerit derogatum per Constitutionem B. Pii ex defectu intentionis, cum neque tacitè, neque expressè de illo fecerit in ea mentionem, Rota coram Caputaq. *dec.* 176. *part.* 1. & cor. Coccino *dec.* 279. *num.* 1. 30

CONSULTATIO CXCIX.

1 *An Equites Hierosolymitani defuncti, idem dico de quibuscunque aliis Religiosis, possint irrequisito Parocho, in cujus Parochia decedunt, & absque ejus licentia, ab aliis Equitibus deferri ad propriam Ecclesiam, ibique tumulari?*

2 *An id procedat, etiamsi elegerint sepulturam in alia Ecclesia, quàm propria, & ideò, an dijudicandi sint instar aliorum Regularium, qui sepulturam eligere non possunt, sed in propria Ecclesia sepeliendi sunt, etiamsi extra claustra decedant?*

3 *An isti Equites deferri possint ad sepulturam in curru clauso tam diù, quàm noctu, Parocho non comitante?*

4 *An Frater Cappellanus in Ecclesia dictorum Equitum possit ministrare Sacramenta laicis infirmis, qui ex causa æris alieni, vel delicti confugiunt ad domos* 1

anne-

annexas dictæ Eccleſiæ, itaut etiam poſſint dictam adminiſtrationem intra ſepta præfatæ Eccleſiæ Parocho prohibere, licet antea permiſſum fuiſſet Parocho dictorum infirmorum confeſſiones audire?

5 *An hæc omnia procedant eodem modo, qui ſervatur reſpectu Regularium, qui habent peculiaria privilegia, cùm dicti Equites ſint proprie Regulares, ſive Religioſi?*

1 AD primum affirmativè videtur reſpondendum ex declaratione S. Congregationis Concilii in Bononienſi ſub die 2. Julii 1620. ubi inter alia cùm illi poſitum fuiſſet, *che morendo frati, come avviene alle volte, e in particolare de' Canonici regolari Lateranenſi, fuor del monaſterio in caſa de' loro parenti, e avendo i Curati amminiſtrato loro i Sagramenti ſe poſſano i loro Superiori fargli portar di notte alla lor Chieſa ſenza dirne coſa alcuna al Curato, e ſenza dargli ragioni parocchiali*, ipſa reſpondit ad 10. *Regulares extra clauſtrum decedentes, poſſe ad eorum Eccleſias deferri etiam Parochis inconſultis*. Et hanc partem tuentur Peyrin. *in Conſtit. Minim. tom. 2. Conſt. 7. B. Pii V. numer. 13.* Lezan. *in ſum. quæſt. regul. cap. 12. num. 41.* Barboſ. *de offic. Paroch. part. 3. cap. 26. num. 68.* Dian. *part. 5. tr. 3. reſol. 110.* & Bordon. *controverſ. 43. num. 40.* Rationes non adducunt, ſed probari poteſt.

2 Primò, quia Regulares non ſolùm dicuntur exempti quoad loca, ſed etiam quoad perſonas, *cap. per exemptionem, de privil. in 6.* & notat ibi Gemin. *numer. 5.* Anchar. *numer. 3.* Franch. *numer. item 3.* Gulielm. de Monte Laud. *in Clem. paſtoralis numer. 24. de re jud.* Rota in Aretina, ſeu Montis Politani juris viſitandi 9. Martii 1596. coram Rubeo, & in Tiraconen. juriſdictionis de Tutela 5. Junii 1593. coram Millino, & in Conſtantien. juriſdictionis 18. Maji 1611. coram Ottembergo. Ac proindè nullam in ipſos acquirit Parochus juriſdictionem ex eo, quòd decedant extra ſua monaſteria, & ſic poſſunt eo irrequiſito, & abſque ejus licentia ad ſuas Eccleſias deferri. Equites autem Hieroſolymitanos eſſe veros Religioſos conſtabit ex reſponſione *ad 5.*

3 Secundò, quia juriſdictio Superiorum regularium non eſt ita coarctata ad monaſteria, ut non poſſint eam exercere in ſuos ſubditos exiſtentes extra monaſteria. Non enim eſt juriſdictio, quæ conveniat ratione monaſterii, ſed præcipuè ratione voti obedientiæ, & monaſterium eſt acceſſorium eorum juriſdictioni. Per votum autem obedientiæ Religioſus ita transfert jura ſuæ voluntatis in Superiorem, ut ipſi non remaneat velle, aut nolle proprium, *cap. non dicatis 12. quæſt. 2. & cap. 3. de teſtam. in 6. & cap. Religioſus de elect. pariter in 6.* Quæ ſubjectio promiſſa Superiori eſt materia voti, quod fit Deo juxta ea, quæ tradunt D. Thom. 2. 2. *quæſt. 88. art. 5. ad 3.* Suar. *tom. 3. de Relig. lib. 10. cap. 2. num. 13.* Paulus *part. 3. oper. mor. tr. 16. diſp. 4. punct. 1. num. 1.* Et cùm ſit ſubjectio perſonalis, ſequitur perſonam ubicunque fuerit, *l. 1. §. Illud ff. quod leg. & l. fin. ff. de contrab. empt.* Atque adeò extenditur ad ſubditos ubicunque ſint, quocunque alio irrequiſito.

4 At nihilominus negativè reſpondendum eſt. Quia propter juriſdictionem, quam Parochus habet in ſua Parochia, non poteſt funus levari ſine ejus licentia, & antequam per ipſum dicatur antiphona *ſubveniente*, ut declarat Imola *in Clem. Dudum col. 16. n. 66*, & ibi Card. *in §. hujuſmodi de ſepult.* Oldrad. *conſ. 82. an fratres n. 2.* ita quòd Regulares in aliena Parochia non poſſint proceſſionaliter efferre defunctum, qui elegit ſepulturam in Eccleſia extra Parochiam, & ſi aliter faciant, licitum eſt Parocho eripere illis Cruces, aliaque proceſſionalia, ut ait Oldrad. *loc. cit.* ubi addit multa licere in ſuo pro ſui juris defenſione. Et licèt *Extrav. ſuper Cathedram de ſepult.* permittat electionem ſepulturæ in Eccleſiis Regularium, non tamen concedit Regularibus, quòd poſſint deferre Crucem proceſſionaliter ſine licentia Parochi.

5 Nec facit, quòd idem Oldrad. *conſ. 225. num. 14.* contrarium voluerit, quòd nempè talis licentia non requiratur. Quia veritas eſt illam adhibendam eſſe ſaltem de conſuetudine generali, cui in iſtis caſibus funerum ſemper ſtandum eſt, maximè circa ea, quæ ſpectant ad Parochum, quamvis aliis Eccleſiis extra Parochialem libera ſepultura concedatur, Gloſs. *in d. Clem. Dudum §. Verum, verſ. integrè de ſepult.* ubi etiam Anchar. *d. §. hujuſmodi*, Imol. *num. 65.* & Card. *in fin.* Abb. *in cap. Cum liberum 11. in fin.* ibique etiam Anchar. *eod. tit.* Et ita per eos concordantur dicta conſilia Oldradi, tenetque Ugolin. *de poteſt. Epiſc. cap. 17. numer. 3.* & in hac ſpecie generaliter cenſuit Sac. Rituum Congregatio in Teleſina 18. Auguſti 1629. & expreſſius in Andrien. 29. Novembr. 1641. ad 1. & declaravit S. Congregatio Concilii in Collen. 11. Aprilis 1609. quatenus juſſit puniri tanquam notoriè, & extra clauſtra delinquentem quendam Regul. S. Franciſci de Paula, qui alteri Regulari Minimo ſui Conventus in domo paterna ægrotanti Sacramentum extremæ unctionis adminiſtraverat, ejuſque cadaver extulerat, irrequiſito Parocho. Ubi advertendum, quòd fuerit punitus duplici ex capite. Quia nimirum extremæ unctionis Sacramentum Regulari ſui Conventus extra Conventum in aliena Parochia ægrotanti adminiſtraverat, & quia illius cadaver irrequiſito Parocho, extulerat. Ex quo elicitur, quòd ſicuti non poſſunt Regulares hoc Sacramentum, neque etiam Sacrum Viaticum Regularibus infirmis extra monaſteria ſine licentia Parochi adminiſtrare, ita quoque non poſſunt eorum cadavera ſine ipſius licentia deferre.

Quod maximè locum habet, ſi hujuſmodi cadavera 6
proceſſionaliter deferant per alienas Parochias ſine Parocho, ut cenſuit Sac. Congregatio ſuper Epiſc. & Reg. in Senogallien 17. Maji 1604. Non tamen pro illis debetur Parocho quarta funeralis, vel aliud, ut etiam cenſuit eadem Sac. Congregatio in Tranen. 10. Junii 1594. & 2. Maji 1615. & confirmatur ex Rituali Romano *in rubr. de exeq. §. Parochus vero, &c.*

Et ſanè ſi Regulares non poſſunt cum Cruce ingredi 7
Parochias alienas ad levanda corpora defunctorum apud ſuas Eccleſias ſepelienda, niſi præmonito priùs, ac requiſito Parocho, ut reſolvunt Villalob. *in ſum. part. 2. tract. 31. diff. 5. num. 3.* Gratian. *diſcept. 429. a num. 45.* Hier. Rodriqu. *in comp. quæſt. regul. reſol. 109. numer. 7.* Idem Lezan. *in ſum. cap. 10. num. 18.* nec quidem poterunt ingredi ad levanda cadavera Regularium in eiſdem Parochiis decedentium, niſi velimus dicere quod ſine Cruce, ac ſine luce illa deferre valeant. Unde cùm dubitaretur in dicta Sac. Congregatione Concilii ſub ea die 2. Julii 1620. an quando moritur aliquis Superior Religioſorum, vel Magiſter, aut Cathedraticus poſſint Regulares corpus illius portare per Civitatem, per plateas, & alias Parochias cum muſica, & ritibus extraordinaris, aut illi imponere pluviale ſine interventu Parochi? Sac. Congregatio reſpondit, non poſſe, ut referunt Lezana, & Bordonus, aliique Regulares *locis præ allegatis*.

Non obſtant initio deducta. Quamvis enim Regulares 8
ſint exempti & quoad perſonas, & quoad monaſteria, ſiunt tamen ſubditi Parocho in iis, quæ concernunt ejus officium, quatenus reperiuntur extra monaſterium in aliqua domo ſubjecta illius Parochiæ. Sic advena hoſpitans in aliena Parochia, in qua moritur, ſit ſubditus ratione loci illius Parochi. Atque adeò cum ratione loci, in quo Regularis vita fungitur, dicatur ſubditus Parochi, ideò nequit ejus cadaver è dicta domo levari abſque interventu, vel licentia Parochi.

Deindè licèt Superiores regulares habeant omnimo- 9
dam juriſdictionem in ſuos ſubditos, attamen ex hoc non tollitur quod Parochis debetur ex jure communi, vel ex conſuetudine circa ea, quæ ſervantur in funeribus, cùm non ſint contraria eorum liberæ ſepulturæ, neque illi repugnent, prout reſpondet Gloſs. *in d. §. hujuſmodi*, & ſequitur Imol. *num. 65.* ubi etiam quod præſentia Parochi non impedit dictam ſepulturam, neque dictam juriſdictionem. Præſertim quia non eſt ſublata juriſdictio Superiorum regularium, quamvis Parochus debeat intereſſe ejuſmodi funeribus, cùm talis præſentia illi non repugnet, ut notat etiam Cardin. *in d. §. hujuſmodi in fine*, ubi quòd iſta opinio eſt tutior, ne detur materia rixarum, & Parochi retrahantur, vel minus diligentes ſint in adminiſtrandis Sacramentis ejuſmodi Regularibus in ſuis Parochiis decedentibus.

Quod verò ad declarationem. Sacr. Congregationis 10
Concilii. Primò, dicendum eſt, illam non carere ſuſpicione, cùm a ſolis ſcriptoribus regularibus adducatur. Deinde intelligi debet ſtante conſuetudine Civitatis Bononienſis. Et poſtremò quatenus deferantur noctu privatim abſque proceſſione, tametſi ne iſta quidem admitti videatur ex decreto Sacræ Congregationis ſuper Epiſc. & Regul. tenoris ſequentis: *Licèt in ſacro generali Lateranenſi Concilio ſtatutum, & ordinatum fuerit, ut fratres Ordinum Mendicantium, cæterique Religioſi non poſſint intrare Parochias cum Cruce ad levanda funera eorum, qui apud Eccleſias domorum, & locorum eorundem elegerint ſepulturam, niſi prius præmonito, & requiſito, ac recuſante Parocho, & tunc ſine ejus, & Ordinarii præjudicio, ſignificatum eſt tamen Sac. Congregationis S. R. E. Cardinalium, negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ, nonnullos fratres, præ-*

sertim Minorum de Observantia cujusdam consuetudinis prætextu, quam neque antiquitate vallari, neque observantia viridi inniti, neque pacifica, & non interrupta possessione firmatam esse constat, contendunt sibi licere defunctorum funera, proprio eorum Parocho absente, eoque irrequisito levare & efferre, idque haud leves controversias, & altercationes aliquibus in locis non sine populi scandalo, & Dei offensione excitasse. Ideò volens eadem Sacra Congregatio omnem ejusmodi dissensionum, & scandalorum materiam occasionemque præcidere, & tàm Parochi, quàm fratres ipsi unanimi inter se voluntate, & ea, qua par est charitate, ultima hæc christianæ pietatis officia defunctis præstent, declarat, & ejusmodi decreti tenore statuit prædictis fratribus Ordinis Minorum de Observantia, aliisque quibusvis Regularibus quorumcunque Ordinum, & Congregationum tàm Mendicantium, quàm non mendicantium existant, nullo modo licere, etiam specialis alicujus consuetudinis prætextu Parochias cum Cruce processionaliter, aut aliàs ad levanda, & efferenda defunctorum cadavera intrare, vel illa levare, & efferre, nisi vocato, & expectato proprio defuncti Parocho, eoque ibidem intersente, si tamen ipse aliter fieri non consentiat, vel nisi requisitus venire expresè omninò recuset. Atque ita observari mandat, & districtè præcipit, firmis cæteroqui, & in suo robore permanentibus iis omnibus, quæ super quarta funerali, & canonica portione, aliisque juribus ad sepulturam pertinentibus a sacris Canonibus, & Conciliorum decretis, Summorumque Pontificum Constitutionibus hactenus sancità, & ordinata sunt, aut aliàs ex particulari consuetudine, vel alio jure observantur. Romæ 12. Januarii 1604.

11 Ad secundum. Id quidem procedere, etiamsi elegerint sepulturam extra propriam Ecclesiam. Pro quo sciendum est, Milites Hierosolymitanos sepulturam eligere posse, si a Religione ejus condendi facultatem habeant sine tamen præjudicio jurium Religionis, & quatenus existant etiam Parochialium, ut declaravit Sac. Congregatio super Episcop. & Regular. die 4. Septembris 1634. Quòd si hanc facultatem non habeant, & aliter in eorum ordinationibus, sive Statutis non decernatur, judicandi sunt instar aliorum Religiosorum, qui si decedant extra claustra, sepulturam sibi eligere non possunt *ex cap. fin. de sepult. in 6.* cùm non habeant proprium velle, aut nolle. Id, quod etiam ibi extenditur, quando moriuntur extra claustra, ita tamen ut commodè ad monasterium deferri possint. Unde si commodè ad monasterium deferri nequeunt, posse sibi eligere sepulturam, tenendum est cum Glossa *in d. cap. fin. v. commodè*, Monach. *ibi in fin.* Archid. *v. eligere* Anchar. *in fin.* Abb. *in cap. Nimis iniqua num. 2. de excess. Præl.* Navar. *com. 2. num. 53. de Regul.* Rosel. *vers. sepultura 2. num. 1.* Tabien. *eod. v. quæst. 4.* Sylv. *quæst. 6.* Armil. *n. 6.* Angel. *etiam eod. v.* Rodriq. *tom. 3. quæst. regul. 60. art. 2.* Sanch. *in decal. lib. 6. cap. 14. num. 3.* Lavor. *tom. 1. var. tit. 2. cap. 11. num. 93.* Ricc. *in pr. part. 4. resol. 293. num. 39.* Barbos. *de offic. Paroch. part. 3. cap. 26. num. 3. & in collect. ad d. cap. fin. de sepult. in 6. num. 1. & seq. & in cap. Cùm liberum eod. tit.* Laym. *lib. 3. tr. 5. cap. 9. n. 6.* Hier. Rodriq. *in comp. resol.* 128. *num.* 16. Lezan. *part. 1. quæst. regul. cap. 9. num.* 10. & Dian. *part. 5. tract. 3. resol.* 110.

12 Desumitur *ex d. cap. fin.* ubi cùm declaretur, quòd Religiosi non possint sibi eligere sepulturam, etiamsi decedant extra claustra, ponitur exceptio; *nisi tàm remotè a monasteriis moriantur, ut commodè ad ipsa deferri nequeant.* Unde cùm iste casus excipiatur a dicta declaratione, poterunt in ipso eligere, quia exceptio tribuit casui excepto quod in aliis negatur.

13 Neque obstat, quòd exceptio fiat ab alia regula, quòd scilicet debeant sepeliri apud sua monasteria. Nam ponitur antecedenter ad hanc regulam, & immissa cum priori regula. Sic enim textus se habet: *Religiosi, nisi a propriis monasteriis adeò forsitan sint remoti, quòd ad ea, cùm moriuntur, commodè portari non possint, nequeunt, cùm velle, vel nolle non habeant, sibi eligere sepulturam.* Et posteà subditur alia regula.

14 Minùs obstat Innoc. *in dict. cap. nimis iniqua n. 2. de excess. Præl.* Franch. *in dict. cap. fin. de sepult. in 6.* Gemin. *ibid. n. 4.* dicentes rationem *d. cap. fin.* quòd Religiosi non habeant proprium velle, aut nolle, militare etiam in iis, qui moriuntur extra claustra. Unde textus ponit duplicem regulam. Primam, quòd Religiosi non possint sibi eligere sepulturam, & ab hac nihil excipitur. Alteram verò, quòd sepeliantur in suo Monasterio, & ab hac excipitur, quando commodè ad monasterium portari non possunt. Id, inquam, minus obstat. Quia talis electio fit cum interpretativa voluntate Superioris. Cùm enim eorum corpora non possint commodè ad monasterium deferri, possit ex hoc interpretari voluntatem Superioris, quod nolit deferri. Et proindè cùm debeant sepeliri extra proprium monasterium, concedere facultatem eligendi sepulturam, ubi voluerint, præsertim quia quando sunt extra propria monasteria, & in longam distantiam habent proprium velle, & nolle, quod ea, quæ ibi de præsenti decernenda sunt, & tunc jus Superioris transfundi in subditum.

Si igitur Religiosus moriatur extra proprium mona- 15
sterium, & ad ipsum commodè deferri non possit, neque eligat sepulturam, debet sepeliri in Ecclesia parochiali, in cujus Parochia moritur instar sæcularium, qui moriuntur in itinere, ut notat Glos. *in d. c. fin. de sepult. in 6. v. Nota primò*, & sequuntur Anchar. & Franch. *in fine*, ubi etiam Gemin. ac Sanchez *in decal. lib. 6. c. 14. n. 4.* ubi sequitur tunc locum, in quo reperiatur, tanquam participans jus ad spiritualia, quæ communicantur in illo loco. Omnis enim fidelis habet jus ad sacramenta, & annexa spiritualia in quocunque loco reperiatur, & proindè, ut ea recipiat in illo loco, in quo est.

Si verò in eodem loco adsit monasterium suæ Reli- 16
gionis, adhuc tenet Glossa loco allegato sepeliendum in Ecclesia parochiali, nisi absit causa perpetuæ residentiæ. Unde videtur hoc velle etiam quando residet in illo monasterio, dummodò tamen ibi non habeat perpetuam residentiam. At melius sentit Butrius *in cap. 1. num. 9. de sepult.* quem sequitur Sanch. *d. cap. 14. num. 4.* sepeliendum esse in monasterio. Quia cùm omnia monasteria ejusdem Religionis sint unita sub uno capite, ratione talis unionis, licèt in cæteris non communicent, debent communicare in spiritualibus. Hoc enim exigit charitas, quia invicem copulari debent, ut membra ejusdem capitis.

Et in his terminis non potest sibi eligere sepulturam, 17
si in illo loco sit aliud monasterium suæ religionis, & manet sub illius Prælati obedientia, itaut ipsum agnoscat pro Superiore, quamvis ibi sit per modum hospitii. Quia valet ratio *d. cap. fin. de sepult. in 6.* quòd non habeat velle, aut nolle, & ideò nec disponere possit de sua sepultura, quia ratione voti obedientiæ subditur Prælatus illius monasterii, tamquam proprio Superiori. Idque etiam si degeret extra monasterium, quia tunc potest commodè deferri ad illud, quod de præsenti censetur proprium monasterium ipsius, quia subditur de præsenti Prælato ejusdem monasterii.

At si non subditur Prælato illius Monasterii, tunc 18
habet libertatem eligendi sibi sepulturam. Quia res eodem pacto se habet, ac si ibi nullum adesset monasterium. Quia sicuti non subditur Prælato monasterii, nec ipsum habet jus, ita nec Prælatus habet jus supra ipsum. Et proindè Religiosus habet proprium velle, ac nolle in ordine ad ea, quæ pertinent ad dispositionem sui ipsius. Unde etiam disponere in ordine ad sepulturam. Quod tenendum etiam quando Religiosus degit intra illud monasterium per modum hospitii; quia suppositio, quòd non subdatur Prælato monasterii, sicuti ad Prælatum nihil pertinet de ipso, ita neque Religiosus amittit concessionem a jure eligendi sibi sepulturam, quæ tantùm cessat ratione subjectionis ad Prælatum suum, & quando commodè ad monasterium proprium deferri potest.

Quæ quidem limitanda sunt, nisi Constitutiones Re- 19
ligionis, aut consuetudo, quæ haberet vim legis, aliter statuerent. Tunc enim standum esset Constitutionibus, & consuetudini, si tamen Constitutiones essent ex certa scientia approbatæ a Summo Pontifice. Quia cùm concessio eligendi sepulturam, quando corpus defuncti non potest commodè deferri ad proprium monasterium urgeat, eo quòd iste casus excipiatur *in d. cap. fin. de sepult. in 6.* non potest Constitutio Religionis, non confirmata a Pontifice prævalere contra dispositionem juris.

Ad tertium, negativè. Constat ex Rituali Romano 20
in dicta *Rubrica de Exequiis* ubi habetur, quòd *Sacras cæremonias, ac ritus, quibus ex antiquissima traditione, & Summorum Pontificum institutis Sancta Mater Ecclesia Catholica in filiorum suorum exequiis uti solet, tanquam veræ Religionis mysteria, Christianæque pietatis signa, & fidelium mortuorum saluberrima suffragia, Parochi summo studio servare debeant, atque usu retinere. Cùm autem antiquissimi ritus Ecclesiastici sit, cereos accensos in exequiis, & funeribus deferre, caveant item, ne ejusmodi ritus omittatur.* Hinc Sacra Congregatio super Episcopis, & Regularibus censuit in Cajetana 28. Januar. 1650. abusum sepeliendi defunctos privatim sine lumine, Cruce, ac Parocho non debere permitti, multòque minus tolerari debere abusum, quòd mortui curru clausi deferantur ad Ecclesiam, ut in

Mu-

Mutinen. 15. Februarii 1658. & 13. Julii 1646. & 26. Februarii 1649. & 17. Martii 1650. ac alibi, reſcripſitque Epiſcopo Cremonenſi ſub die 30. Junii 1640. ut abuſui ſepeliendi mortuos ſine Religioſis viris, & luminibus aliquo opportuno remedio provideret.

21 Hinc funeris impenſa ex defuncti hæreditate detrahitur, & de ſuo quis funerandus eſt, immò & expedit mortuos funerari, *l. impenſa funeris*, & *l. at ſi quis §. de ſuo enim ff. de relig. & ſumpt. fun.* quæ ideò primum defuncti æs alienum dicitur, omneque aliud præcellit *d. l. impenſa*, & *l. Papinianus §. 4. ff. de inoff. teſtam. l. fin. §. in computatione C. de jur. de lib.* Rot. coram Gregor. XV. *deciſ.* 425. *num.* 1. & 2. & ibi Add. *num.* 4. & *deciſ.* 259. *num.* 1. *part.* 2. *rec.* Merlin. *de legit. lib.* 2. *tit.* 1. *quæſt.* 15. *per tot.* & poſt eum Rot. *deciſ.* 10. *num.* 9. & *deciſ.* 20. *numer.* 3. Surd. *deciſ.* 255. *numer.* 4. & *per tot.* Quare convenientes & gradui, & qualitatibus defunctæ perſonæ exequias nulli negandas eſſe, alibi probavimus.

22 Ad 4. pariter negativè. Nam *in Clem.* 1. *de privil.* fertur excommunicatio Papæ reſervata contra Religioſos præſumentes Clericis, aut laicis Sacramentum extremæ Unctionis, & Euchariſtiæ miniſtrare, vel matrimonia ſolemnizare, non habita ſuper his Parochialis presbyteri licentia ſpeciali. Et additur, ut locorum Ordinarii, poſtquam de tali tranſgreſſione conſtiterit, eos excommunicatos faciant publicè nunciari, donec de abſolutione ipſorum eis fuerit facta fides, nullo Religioſis eiſdem ſuper hoc exemptionis, vel alio privilegio ſuffragante. Unde poterunt Regulares citari in tali caſu ab Epiſcopo ad inſtantiam Parochorum ad dicendum cauſam, quare non debeant declarari excommunicati, Rodriq. *tom.* 1. *quæſt. regul.* 56. *art.* 2. *in fine*, ſub qua cenſura comprehenduntur tantùm qui propriè ſunt Religioſi, inter quos numerantur fratres milites Hieroſolymitani, ut alibi probavimus, & infra dicetur.

23 Id, quod in articulo mortis neque licitum eſt, quia Eccleſia ſemper cenſetur reſervare Parochis omnem communionem, qua præceptum divinum adimpletur, quod in articulo mortis adimpleri tenent ex Theologis doctiſſimi. Unde Paulus III. illam expreſsè excepit in privilegio conceſſo Societati Jeſu, de quo apud Bullarium, & ejus compendium. Adhuc tamen in caſu neceſſitatis, articulo mortis inſtante, & deficiente Parocho, poſſunt Religioſi, aliive Sacerdotes viaticum, atque extremam unctionem infirmis miniſtrare, vel ex præſumpta voluntate Parochi, vel Epiſcopi, aut Pontificis. Quod expreſsè declaratur in d. Bulla Pauli III. pro Societate. Idemque jus erit, quando Parochus præſens injuſtè denegant licentiam ad hujuſmodi ſacramenta miniſtrandum, nec vult ipſe miniſtrare, tunc enim abeſſe cenſendus eſt, præſumiturque in tali caſu Eccleſiam dare ejuſmodi licentiam, eamque ad omne dubium tollendum expreſsè conceſſit Sixtus IV. Minoribus apud Bullarium, *conſt.* 33. *num.* 47. & *conſtit.* 34. *num.* 47. & *conſt.* 37. *num.* 64. Eandemque conceſſit Prædicatoribus, Eremitis Sancti Auguſtini, & Carmelitis apud Rodriq. *reſol.* 126. *num.* 5. Quoniam, cùm ad incurrendum eam cenſuram requiratur præſumptio, ut omnes docent, & exprimitur in textu verbo illo *præſumpſerit*, quod importat dolum, ac temeritatem, Cardinal. in eadem *Clem. quæſt.* 39. in eo caſu neque dolus, neque temeritas apparet, cùm rationabiliter, & ex neceſſitate ſubveniatur extremæ neceſſitati morientium, quod excludit temeritatem, & dolum *l. eum, qui merè ff. de judic.* Unde non incurrere miniſtrantes hæc ſacramenta in caſu neceſſitatis, docet etiam Suar. *de Sacr. diſp.* 72. *ſect.* 2. *§. ſed quæres*, Rodriquez ubi ſupra, Angel. *verſ. excommunicatio* 5. *caſ.* 12. *numer.* 5. cum Oſtienſi, & Archid. per textum *in cap. quod in te, de pœnit. & remiſſ.* Quamvis contra de viatico teneant nonnulli, quia non eſt ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, Navar. *cap.* 21. *numer.* 25. Sylveſt. *verſ. excommunicatio* 7. *caſ.* 14. *§.* 3. ex Cardin. *in d. l. Clem. quæſt.* 1. Sed perperam, quia tàm Euchariſtiæ, quàm extremæ unctionis Sacramentum poteſt cauſare primam gratiam, præſertim Sacramentum extremæ Unctionis, quod dicitur Sacramentum pœnitentiæ, quia ut habet Concil. Trid. *ſeſſ.* 24. *de Sacram. extr. unct. ſub initio*, eſt conſummativum pœnitentiæ; ibi: *quod non modo pœnitentiæ, ſed & totius Chriſtianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia, eſſe debet, conſummativum exiſtimatum eſt a Patribus.* Siquidem eſt inſtitutum ad tollendas reliquias peccatorum juxta illud Apoſtoli Jacobi *cap.* 1. & *ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Et conſtat etiam ex forma: *Indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti*, &c. & communiter notant Theologi cum D. Thoma *in* 4. *diſt.* 23. *quæſt.* 1. *art.* 2. *quæſtiunc.* 4. *ad* 1. Præſertim quia nomine pœnitentiæ venit etiam viaticum, ut deciditur *in cap. quod ſi de pœn. & remiſſ.* Neque incurrunt miniſtrantes hoc Sacramentum ex privilegio Apoſtolico ſuis familiaribus ſæcularibus, neque his privilegiis derogatum eſt per hanc Clementinam, ſed privilegiis ne poſſint denunciari excommunicati ab Ordinario Gloſs. *in d. Clem. v. ſuffragante*, Imola *ibi numer.* 25. Rodriq. *loc. cit. & tom.* 3. *quæſt.* 79. *art.* 1. Extatque præ cæteris in hac re inſigne privilegium a B. Pio V. *conſt.* 21. *ſub* 7. Id. Februarii 1567. *tom.* 2. Bullarii Clericis Regularibus Theatinis conceſſum tenoris ſequentis. *Pius, &c. tàm Præpoſiti, quàm cæteri omnes Clerici, &c. nunc, & pro tempore exiſtentes, qui tamen Presbyteri fuerint, Euchariſtiæ etiam pro viatico, ac etiam conſtitutis in articulo mortis, ac extremæ unctionis cæteris Clericis, & fratribus Congregationis hujuſmodi, ac etiam mercenariis famulis, operariis, & ſervis ejuſdem Congregationis, ac quibuſvis hoſpitibus etiam ſæcularibus, & extraneis, quos in locis, vel habitationibus Congregationis hujuſmodi tunc reperiri contigerit, etiam in mortis articulo, & quoties de illo dubitari contigerit, etiam diœceſanorum locorum, Sacerdotum Curatorum quorumcunque, etiam in quorum civitatibus, & diœceſibus, ac Eccleſiarum Parochiis reſpectivè Eccleſiæ, & loca ipſorum Congregationis, nunc, & pro tempore fuerint, aut aliorum quorumcunque licentia minimè petita, nec obtenta, & in caſu, quo non daretur ſpatium petendi talem licentiam propter repentinam neceſſitatem etiam quibuſcunque aliis perſonis, quæ in hujuſmodi neceſſitate intra Eccleſias, Collegia, Domos, & habitationes Congregationis prædictorum reperiri contigerit, ac extra illa aliis quibuſvis infirmis, etiam in mortis articulo conſtitutis ubique in caſu neceſſitatis ſupradictæ, etiam nulla ad hoc per eos petita, nec eis conceſſa licentia cujuſvis Sacerdotis Curati pœnitentiæ Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrare poſſint, &c.* Pro quo privilegio eſt advertendum cum Paſqualigo Clerico Regulari Theatino *in quæſt. moral.* 261. *num.* 2. quòd hoc privilegium non debet accipi in iis terminis, in quibus quilibet Sacerdos ratione neceſſitatis ex interpretativa voluntate Eccleſiæ poteſt hæc Sacramenta miniſtrare, ut dictum eſt, ſed in terminis, quando moraliter non poteſt tempeſtivè advocari, ut in repentina neceſſitate, ceu declarant verba Pontificis, ibi *propter repentinam neceſſitatem*, ut ſi quis ex improviſo ita infirmaretur, quod timeretur de vicina morte, aut ſi infirmi continui devenirent ad talem ſtatum, ut deberent de præſenti hæc Sacramenta miniſtrari, & in aliis hujuſmodi caſibus, in quibus non poſſent, niſi cum licentia Parochi hæc Sacramenta miniſtrari. Ideoque obſervatio hujus privilegii pendet a conſcientia Regularium, cui conſulere debent, an verè caſus neceſſitatis hæc ſacramenta miniſtrandi advenerit, ne ſupradictas cenſuras incurrant. Extra hos verò neceſſitatis caſus nequeunt Regulares hujuſmodi Sacramenta miniſtrare. Non obſtat, quòd ſi non poſſunt extra caſus neceſſitatis hæc Sacramenta adminiſtrare, privilegium nihil eis concederet, cum in caſu neceſſitatis quilibet Sacerdos, ut ſuperius dictum eſt, ea miniſtrare poſſit. Nam cùm hæc Sacramenta non ſint abſolutè, ac ſimpliciter ad ſalutem neceſſaria, cumque dubitabatur, an Regulares potuerint illa miniſtrare, etiam in caſu neceſſitatis, B. Pius V. ad removendum omne dubium conceſſit hoc privilegium Theatinis, ſequens veſtigia Pauli III. ac Sixti IV. qui illud Jeſuitis, ac aliis Regularibus prænominatis benignè conceſſerunt ad ſedandas non ſolùm turbas, quas ſæpè Parochi excitabant verùm etiam conſcientias ipſorum Regularium, qui adhuc dubitabant, an etiam in caſu neceſſitatis hæc Sacramenta miniſtrare potuerint.

Unde ſi aliqua Religio haberet generalem conceſſio- 24
nem privilegiorum inſtar eorumdem Clericorum Regularium, poſſet uti prædicto privilegio, quia cùm talis conceſſio ſe referat ad privilegia alteri conceſſa, non minus operatur, quàm ſi privilegiato omnia, & ſingula alterius privilegia ſingillatim, & ſpecificè conceſſa eſſent, & in conceſſione ſingillatim narrata fuiſſent, ut tradunt Bertrand. *conſ.* 149. *num.* 2. *vol.* 1. Pariſ. *conſ.* 22. *num.* 5. *lib.* 4. Oldrard. *conſ.* 300. *num.* 8. Mandoſ. *de privilegiis ad inſtar quæſt.* 4. *num.* 1. quia inquit relatum eſt in referente, *l. aſſe toto ff. de hæred. inſtituend. & l. ſi ita reſcripſero ff. de cond. & demonſtr.* Eo enim ipſo, quod conceſſio eſt ad inſtar, eſt ad exemplar illorum privilegiorum, quæ alteri conceſſa ſunt, & ideò continet quidquid in ipſis reperitur, cùm exemplar contineatur in exemplato ſecundùm omnia.

Pro quo conſiderandum, an in literis communicatio- 25
nis privilegiorum ſimpliciter communicentur privilegia, an verò communicatio extendatur etiam ad ea, quæ ſunt in præjudicium tertii, quocumque tamen

modo fiat extensio. Si enim simpliciter conceditur communicatio privilegiorum absque ulla expressione, ex qua colligatur communicatio, etiam illorum, quæ sunt in præjudicium tertii, habentes talem communicationem non fruentur dicto privilegio, cùm contineat præjudicium jurium parochialium; quia in generali communicatione non veniunt, quæ continent præjudicium alterius, ut tradit Rota in Vallisoletana quartæ funeralis 19. Aprilis 1606. coram Justo, & in Valentina decimarum 28. Novembris 1603. coram Lancellotto, & Cavaler. *dec.* 101. *num.* 3.

26 Si verò in concessione communicationis privilegiorum fiat extensio, etiam ad privilegia alieno juri præjudicialia, aut expresse, aut tacitè per verba, ex quibus colligitur voluntas Pontificis concedendi privilegia tàm non præjudicialia, quàm præjudicialia, ut si in genere concedat illa, quæ de sui natura continent præjudicium, qualia sunt immunitates, exemptiones, &c. aut adhibeat clausulas abrogantes consensum eorum, qui habent interesse, aut nolit obstare defectum citationis, aut alio modo ostendat suam enixam voluntatem, ut communicatio sit de omnibus privilegiis, & per omnia, aut alio modo simili, tunc, stante tali forma communicationis, fruentur privilegio, de quo supra. Nam communicatio se extendet ad privilegia, etiam continentia præjudicium, juxta ea, quæ tradunt Mandos. *de privil. ad instar. quæst.* 4. *num.* 7. Rota in Bononien. exemptionis 25. Maji 1618. coram Verospio, quæ est *dec.* 30. *tom.* 2. *part.* 4. *rec.* & in Miletensi collectarum 7. Maji 1627. coram Ubaldo.

27 Secluso igitur privilegio, non possunt Regulares extra casum necessitatis ministrare Sacrum Viaticum, & extremam unctionem, nisi suis familiaribus, & continuis commensalibus intra claustra degentibus ex Conc. Trid. *sess.* 24. *cap.* 11.

28 Non obstat, quod si Religiosus aliquis decedat extra Monasterium apud consanguineos, illi administrat Sacramenta Parochus, in cujus Parochia est domus ægroti. Ergo simili ratione Religiosus ministrat Sacramenta parochiano ægrotanti in suo Monasterio. Et confirmatur, quia Religiosus magis est subjectus suo Prælato, quam parochianus suo Parocho etiam in Sacramentis. Ac proindè si non licet Prælato ministrare Sacramenta suo subdito ægrotanti extra Monasterium in domo sæculari, neque licebit Parocho illa administrare suo parochiano intra Monasterium, vel in eorum Ecclesiis, ipsi resistentibus.

29 Huic objectioni facilè respondetur. Quia Regularibus prohibetur administrare ejusmodi Sacramenta Clericis, & laicis per dictam *Clement.* 1. *de privileg.* non verò prohibetur Parochis, quibus ex officio id incumbit per *Clement. dudum §. verum de sepult.* ac Trid. *sess.* 23. *de reform. cap.* 1. & *cap.* 14. Idque ex præcepto divino. *Jo:* 21. *Act.* 10. *Eph.* 43. *d. cap. sicut* 8. *quæst.* 1. *cap. qui Episcopatum* 1. *qu.* 3. *cap. præcipuè* 1. *qu.* 3. *cap. gloria Episcopi* 12. *quæst.* 1. cum iis animarum cura commissa sit.

30 Ad quintum affirmativè. Quia Religio Equitum Hierosolymitanorum est vera Religio. Nam emittunt tria vota essentialia paupertatis, castitatis, & obedientiæ, quæ constituunt substantiam Religionis, ut constat ex formula professionis ipsorum, quæ habetur in ejus *lib. stabiliment. tit.* 2. *stabil.* 5. & *ex cap. Cum & plantare, extra de privileg.* & tradunt communiter Doctores, nominatim Monet. *de conservat. cap.* 10. *num.* 387. Ceval. *tract. de cognit. per viam viol. part.* 2. *quæst.* 148. *num.* 19. Bobadil. *lib.* 2. *polit. cap.* 19. *num.* 11. Sperell. plurimos referens *decis.* 21. *num.* 8. Atque adeò sunt verè Religiosi, ut notant Doctores, quos alibi adduxi, ac judicavit Rota *dec.* 177. *num.* 1. apud Farinac. *part.* 1. *recent.* & coram Puteo *dec.* 382. *num.* 2. *lib.* 1. & coram Gregorio XV. *dec.* 87. *num.* 2. & *dec.* 454. *num.* 3. *part.* 2. *rec.* & in Egitanien. commendæ 8. Junii 1626. coram Merlino, passimque alibi.

CONSULTATIO CC.

An provincialis, aliusve Prælatus regularis, sive eorum Vicarii ab ipsis deputati, pendenti accusatione, sive appellatione super eorum electione, possint administrare, & gubernare suam Provinciam?

1 NEgandum videtur per textum *in cap. fin. §. hæc eadem, de stat. Monach.* ubi quod donec apud Sedem Apostolicam tractatur de amovendo Abbate, suspenditur ejus administratio, alio idoneo deputato. Sic etiam *in cap. inter sollicitudines* 10. *de purg. canon.* statuitur, quòd diffamatus de crimine, suspendatur ab officio, donec se purget, & absolvatur, & firmat Innoc. *in cap. accusatum num.* 1. *de simon.* ubi ait, accusatum suspendi ab officio, nec esse speciale in simonia, sed commune aliis criminibus, inquit Abb. ibi *num.* 3. Capel. Tolos. *dec.* 370. ibique Add. Grammat. *cons. crimin.* 10. *per tot.* Fachin. *dec.* 38. *num.* 63. *ac seqq. lib.* 1. & Franc. a Ponte *dec.* 25. *num.* 1. *cum seqq.*

Quòd faciliùs procedit, quando timentur scandala ob perturbationem totius Religionis, vel Provinciæ, ac ob perperam, & temerè gesta, dum, lite pendente, officium assumit. In quo casu sine dubio debet suspendi administratio ex hac sola causa, ut benè ratiocinatur Fachin. *d. cons.* 38. *num.* 66. & *seqq.* ac probat textus *in cap. quia* 3. *quæst.* 2. & est ratio, quia ob suspicionem scandali potest Judex avocare ad se possessionem, ac præcipere partibus, ne ea utantur. 2

Accedit, quòd, donec cognoscatur causa appellationis debet abstinere ab exercitio sui officii per textum *in l. nulli C. quorum appell. non recip.* quòd latè exornat Barbos. *vot.* 4. *a num.* 62. 3

At nihilominus regula est, quòd Prælatus, sive Officialis accusatus, accusatione pendente, immò etiam post latam sententiam, quando ab ea appellavit, non suspenditur ab exercitio Prælaturæ, vel officii. Sic probat in puncto textus *in cap. nonne* 8. *quæst.* 4. Glos. quem vocant notabilem *in cap. sæpè v. sententia in fin. de appell.* Felin. *in cap. omnipotens sub init. eod. tit.* Lancell. *de attent. accusat. seu inquisitione pendente cap.* 5. ac plenissimè in terminis Novarius omninò videndus *in addit. ad dec.* 8. de Franch. *vers. pro qua facit textus.* 4

Dantur tamen aliqui casus, quibus fortè permissa est talis suspensio, & in illis etiam cum magna circumspectione, ac strictè proceditur, quia remotio dedecus est, ut in hac specie inquit Franch. *d. decis.* 8. *in fine*. Primus est quando de delictis gravissimis, quæ Prælato opponuntur, constat per vulgatam infamiam, & vehementem suspicionem, procediturque per viam inquisitionis, non per viam accusationis, ne scilicet sit in potestate cujus accusatoris aliquem ab officio, sive electione revocare, vel removere per textum *cap. inter consuetudines* 10. *de purgat. can.* ibi: *attendentes autem vulgatam infamiam, grave scandalum, & vehementem suspicionem ex dictis testium obortam*, cui consonat Glos. ibi, *nota quod cùm aliquis est infamatus, non debet statim suspendi ab officio, & beneficio, sed ab officio tantùm, ubi multum sit infamatus.* Plenissimè Innoc. *in d. cap. Accusatum de simon. circa fin.* ibi: *Hæc autem decretalis loquitur tantùm in inquisitione, & exponunt accusatum, idest infamatum, & propter infamiam contra eum procedit inquisitio; speciale enim dicunt in inquisitione, ut nullus, contra quem proceditur inquirendo, possit eligi.* Et est ratio, quia cùm inquisitio non debeat fieri; nisi contra diffamatos *infra eodem*, & electus bonum testimonium debeat habere, etiam ab iis, qui foris sunt, ille, qui diffamatus est, eligi non potest. Sed accusatio, & denunciatio, & exceptio est in optione cujuscunque, etiam nulla infamia præcedente. Et ita per consequens est in cujuscunque optione quemlibet ab electione revocare, vel removere.

Secundus casus est, quando agitur contra officialem, ex eo quòd deliquerit in officio, & tunc ob delicta in officio commissa, dummodò tamen concurrat diffamatio, proceditur ad suspensionem. De delictis verò ante officium ad hunc effectum nulla habetur ratio. Ita Bart. *in l libertus §. In quæstione, ff. de munic.* quem esse communiter receptum, & ad quem in his terminis semper esse recurrendum, ait Vincent. de Franch. *d. dec.* 8. *num.* 5. allegans etiam *num.* 3. Innoc. *in cap. licet, de simon.* qui fundat rationem sui dicti in publica infamia. 6

Et ad hoc caput reducitur textus *in cap. fin. de stat. Monach.* ibi: *Si autem dilapidator inventus fuit, vel aliàs meritò amovendus per diœcesanum, postquam sibi a Visitatoribus hoc denunciatum fuerit; Amoveatur absque judiciorum strepitu a regimine Abbatiæ, de monasterio provideatur interim administrator idoneus, qui temporalium curam gerat, donec ipsi monasterio fuerit de Abbate provisum.* Præter quod hic casus dilapidationis est specialis, & propterea privatur Abbas, & Prælatus sine strepitu judiciorum, juxta *cap. si quis Abbas* 18. *quæst.* 2. cum concordantibus, de quibus latè Tambur. *de jur. Abbat. quæst.* 6. *num.* 4. 7

Tertius casus est, quando crimina non solùm sunt gravissima, sed notoria, vel vehementi suspicione probata; ad quod caput reducuntur simonia, suspicio hæresis, ac ejusmodi. Sic decernit *text. in cap. per tuas de simon.* ubi habetur ratio testium, & adminiculorum, & in illis fit totum fundamentum. Et *in d. cap. Inter sollicitudines* 10. *de purg. canon.* ibi, *attendentes autem vulgatam infamiam, grave scandalum, & vehementem* 8

ſuſpicionem ex teſtium dictis obortam, traditque Novar. *ad dictam dec. 8. verſ. adeò verum*, ibi, *præfata limita, niſi crimen ſit notorium, vel famoſum*. Add. ad Capell. Toloſ. *dec. 331. num. 4.* ubi totum fundamentum conſtituit in infamia, enormitate delicti, & probatione, ac pleniſſimè Innoc. *in cit. cap. licet 31. de ſim. ante num. 4.* ibi, *ſed nota quòd non per ſolam accuſationem removetur, niſi alia probatio adſit*, & mox *num. 5. Nota quod ad inquiſitionem proceditur ob ſolam infamiam de dilapidatione, & ſi non ſit ſuſpectus: ad remotionem ab adminiſtratione, non niſi ſit ſuſpectus, vel dic, quod major ſuſpicio neceſſaria eſt ad hoc, ut removeatur ab adminiſtratione, quam ad procedendum ad inquiſitionem.*

CONSULTATIO CCI.

An novitiæ licita ſit reclamatio ad Prælatum Superiorem, quòd Moniales illam non admiſerint ad profeſſionem?

1 NEgativè videtur reſpondendum. Quoniam a non admiſſione, & electione, tanquam libera, & quæ pendet ab animo, & conſcientia Monialium, non datur appellatio, Cyriac. *controv. 308. num. 34.* Undè antequam præceſſerit reſolutio Capituli, quod ſcilicet Novitia ſit admiſſa, vel rejecta, non eſt licita reclamatio, ut firmat Franch. *in cap. 59. Ut debitus quæſt. 2. num. 9. de appell.* qui ait, hanc opinionem tanquam communem eſſe tenendam, aliàs ſequeretur abſurdum, quòd eſſet in poteſtate cujuslibet Novitiæ, omiſſa via ſcrutinii, & capituli Monialium, prætextu futuri timoris non admiſſionis, recurrere ad Ordinarium, vel ad Superiorem Regularem, & coram eo profeſſionem emittere. Quod nullo modo eſt permittendum; quia cum profeſſio ſit contractus oneroſus, ultrò citroque obligatorius, requiritur conſenſus Monialium, & Novitiæ, *l. in omnibus, ff. de act. & oblig.* Decian. in terminis *conſ. 18. num. 10. lib. 3.* Tambur. *de jur. Abbat. diſput. 6. quæſt. 4. num. 6. & q. 5. num. 1.* Rodriq. *q. regul. 17. art. 7. in fin. tom. 3.*

2 Hinc profeſſio emiſſa coram Prælato Superiore eſt nulla, quia non poteſt admittere Novitiam ad profeſſionem ſine conſenſu majoris partis Monialium, cùm de jure communi ad illas pertineat, nedum quando recipitur ad probationis habitum, ſed etiam quando admittitur ad profeſſionem, Abb. *in cap. ad Apoſtolicam*, ibique Gloſſ. *fin. de Regul.* & in ſpecie probant Mirand. *in Man. Prælat. tom. 1. qu. 15. art. 1. & 2.* Barth. de Vecch. *in prax. Novit. diſp. 6. dub. 2. num. item 2. & diſp. 7. dub. 4. num. 2.* Sanch. *in Decal. lib. 5. cap. 4. num. 65.* Rodriq. *d. tom. 3. quæſt. 17. art. 7.* qui omnes atteſtantur de conſuetudine omnium Religionum, & ita etiam obſervatur juſſu S. Congregationis, & mandatur expreſsè in ejus licentiis impreſſis; quibus addo Tambur. *d. diſp. 6. qu. 5. num. 3.* ubi, quòd ſi Epiſcopus, vel alius Prælatus in hoc caſu compelleret Moniales ad recipiendum Novitiam, ut profeſſam, poterunt ad Superiores appellare. Atque ita declaravit S. Congregatio ſuper Epiſcopis, & Regularibus in una Colonien. 17. Maji 1652. ut ex literis datis Archiepiſcopo Conſentino, Nuncio Apoſtolico Colonienſi ſequentis tenoris: *Molto Illuſtre, e Reverendiſſimo Monſignor come fratello. E' ſtato rappreſentato alla Sac. Congregazione, che una giovane Novizia nel monaſtero dell'Ordine Ciſtercienſe della dioceſe di Lieggi, dopo eſſere ſtata ributtata dalla Priora con voti di diecisette altre vocali ſii ſtata dall' Abbate col ſolo conſenſo della Badeſsa, e di cinque altre Suore cavata fuori del Monaſtero, e nella di lui caſa ammeſsa alla profeſſione alla preſenza di due di quelle Monache, e ricondotta poi nella clauſura, non oſtante, che l' altre abbiano riclamato, e proteſtato. Queſto fatto, ò ſi riguardi la violenza uſata alla reciproca liberta delle profeſſioni, e alla forma tenuta in darla, ò alla violazione della clauſura, ſi come hà recato maraviglia a queſti Eminentiſſimi miei Signori, così è ſtato appreſo per degno di ſevero gaſtigo, e che non paſſi in eſempio. Onde dopo avere l'Eminenze loro dichiarato nulla la profeſſione della Novizia, hanno ordinato, che V. S. formando ſopra il fatto diligente proceſſo, puniſca rigoroſamente l'Abbate, e le complici nel modo, che ſtimerà di ragione, e adeguato al delitto. E che quanto alla Novizia ordini, che ſi facci da quelle Suore nuovo Capitolo. E quando non ottenga legittimamente il conſenſo della maggior parte per eſſere ammeſſa alla profeſſione, ſi mandi alla ſua caſa. Tanto ſi contenti di eſſeguire con darne avviſo, e Dio la conſervi.*

3 At nihilominus in hac recenſeo, hujuſmodi reclamationem cum juſta cauſa eſſe licitam. Evidens enim eſt, quòd Novitia habet notabile intereſſe in cauſa, & ejus non admiſſio ſine cauſa afferret ipſi notabile gravamen atque injuriam. Undè non poteſt rejici ejus reclamatio in cauſa præſertim canonica, in qua ſecundùm jus canonicum licèt a quocumque gravamine appellare, *Clem. 1. in fin. de ſequeſtr. poſſ. & cap. Cum ad ſedem de reſtit. ſpol.* ac notat Abbas ibi, Curt. jun. *conſ. 168. num. 39.* Covar. *pr. quæſt. cap. 23. num. 8.* Afflict. *deciſ. 269. num. 2.* Rot. *deciſ. 4. num. 4. part. 3. rec.* & coram Pegna *deciſ. 1075. num. 4.* & coram Ludoviſio *deciſ. 515. nu. 1.* Æquitas enim juſtitiæ exigit, ut poſſit quiſque ſe indemnem ſervare, & ſe tueri a quocunque gravamine tàm circa perſonam, quàm circa famam, & propria bona. Ideoque eadem Sac. Congregatio ſuper Epiſcopis, & Regularibus ſub die 2. Octobris 1648. ac alibi ſæpiùs declaravit, Moniales non poſſe rejicere a profeſſione Novitiam ſine cauſa. Et licèt aliàs cenſuerit, Ordinarium nullo pacto compellere poſſe Moniales ad acceptandas puellas ad habitum, neque ad profeſſionem, licèt haberent licentiam Sedis Apoſtolicæ, ut ſub 26. Maji 1602. nulloque modo Moniales juramento, vel cenſuris eſſe cogendas ad exprimendam cauſam, cur aliquam Novitiam a profeſſione rejiciant, nihilominus cenſuit etiam poſſe per Ordinarium, ſi ita expedire judicaverit, ſuper hujuſmodi negotio eaſdem Moniales ſecretò interrogari, & ſi quæ ſuffragium adversùs Novitiam tulerunt, idoneam repulſæ cauſam adduxerint, ab incœpto deſiſtet, & conſanguineis Novitiæ, ut acquieſcant ſuadebit. Sin autem Moniales nullam, aut minùs idoneam ſuffragii ſui cauſam attulerint, dabit operam, ut ipſas ab earum ſententia abducat, ne contra Chriſtianam charitatem lædant, aut minuant exiſtimationem Novitiæ. At ſi pertinaciter recuſaverint, de earum contumacia Sacram Congregationem faciat certiorem, ut de opportuno remedio conſeſtim provideri poſſit, ut reſolvit ſub die 5. Novembris 1605. Undè aliquando juſſit iterùm convocari Capitulum, dummodò Monialibus pro extorquendis ſuffragiis vis non inferatur, ut ſub 30. Januarii 1602. Et ſi neceſſe fuerit, Ordinarius ſecretò, & ex improviſo ſe conferat ad Monaſterium, ubi procuret ſuffragia per Moniales liberè dari, ut ſub die 30. Junii 1620. Profeſſio verò Monialium fieri debet in manibus Ordinarii principaliter, non autem Abbatiſſæ, ut 22. Februarii 1625. Emiſſa tamen in manu Superioris, reclamante majori parte Monialium, eſt nulla, ut in d. Colonienſi 26. Septembris 1653.

CONSULTATIO CCII.

An Moniales translatæ ex uno Monaſterio ad aliud, teneantur ſub novo Prælato, ſive Ordinario, cui perpetuò ſubjiciuntur, novam profeſſionem emittere?

ET affirmandum eſt juxta decreta Sac. Congregatio- 1
nis ſuper Epiſcop. & Regular. & Diplomata Apoſtolica, quæ in hac re expediri ſolent, cùm facultas, quæ olim ſive de jure communi, ſive ex Sac. Concilio Tridentino locorum Ordinariis, vel Monaſteriorum Superioribus ſuper hoc competebat, fuit ſublata per conſtitutionem B. Pii V. quæ incipit *Decori*, ut eadem Sac. Congregatio declaravit ſub die 30 Maji 1621. Undè Moniales quacunque occaſione transferri ampliùs non poſſunt a Monaſterio ad Monaſterium ſine ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ, toties, quoties obtinenda, ne occaſione quidem Prioratus, vel alterius officii, quibuſcumque in contrarium non obſtantibus ex decreto Pauli V. publicato a d. S. Congregatione ſub die 22. Decembris 1617. & generalibus Ordinum Procuratoribus intimato. In ejuſmodi autem Diplomate hæc verba ſolent apponi: *Ultra præfatam facultatem ſe, ut ſupra transferendi, intra ſupradictum tempus ad alia Monaſteria ejuſdem Ordinario ſubjecta, vel alterius, ubi æqualis obſervantia, & etiam laxioris, ac ſignanter ad monaſteria Sanctæ Claræ Ordinis Sancti Franciſci, aliaque ſimilia tranſire, atque ibidem profeſſionem, etiam non completo probationis anno, dummodò per duos ſaltem menſes novitiatum agant emittere licitè valeant concedimus.* In quo manifeſtè decernitur, quòd non aliter incorporentur in monaſteria, ad quæ ſunt transferendæ, niſi habito priùs novitiatu, & profeſſione emiſſa ibi, *dummodò*, &c. quod neceſſariò exigit, ut id exiſtat, cui adjungitur, ut tradit Butrius per *textum in cap. fin. verſ. octavò nota, de translat. Epiſc.* Alex. poſt Joan. Andream *in l. 1. ſub initio num. 8. ff. ad l. falc.* & Ruin. *conſ. 202.* Et præfata clauſula, *dummodò per duos ſaltem menſes*, intelligitur de translatione ad monaſteria, vel ejuſdem Ordinis Ordinario loci ſubjecta, vel alterius, ubi æqualis obſervantia vigeat, vel etiam laxioris. Quia illa diſpoſitio omnia illa comprehendit, ibi: *Ultra præfatam facultatem.*

Secundò, id evidenter probatur, quia duobus mo- 2
dis fit translatio ab uno Monaſterio, & incorporatio in alte-

alterum. Vel per professionem expressam in secundo, ut per Frider. de Sen. *cons.* 5. *nu.* 2. ubi Monachus unius monasterii electus Abbas alterius ejusdem Ordinis, dimissa Abbatia, non remanet Monachus secundi, nisi professionem expressam in eo emiserit; ut in puncto Rota *decis.* 109. *num.* 4. *part.* 2. *recent.* Vel authoritate Papæ, seu Sacr. Congregationis per clausulam de stylo solitam: *Ex nunc volumus, ut ejusdem monasterii Monachus censeatis, & in eo in Monachum recipiatis*, ut per eundem Frid. de Sen. *cons.* 19. *num.* 6. *vol.* 2.

3 Tertiò, ex ratione; quia in primo monasterio promiserunt obedientiam Deo in primis, & Generali tantummodò illius Religionis, cui monasterium erat subjectum, ejusdem successoribus, juxta formam traditam a Specul. *tit. de Regular. in princ.* Archid. Joann. Andr. Gemin. *in cap.* 1. *de regul. in* 6. ac Pauli de Castr. *in Auth. Ingressi, C. de sacros. Eccles. num.* 2. Episcopus autem, ad cujus jurisdictionis monasterium transferuntur, non est successor Generalis præfati. Atque adeò moniales translatæ ex vi suæ professionis non tenentur obedire Episcopo, neque Priorissæ illius monasterii, eisdem subjecti. Ac proindè, ut illis obedire teneantur, est necessarium, ut illis in nova professione obedientiam promittant.

4 Hujus probationis ratio est, quia omnis obedientiæ obligatio provenit ex promissione ita, ut eatenus locum habeat, quatenus promissa est, ut ostendit ex D. Bernardo Carol. de Tap. *in tract. de relig. reb. in d. Auth. ingressi cap.* 1. *num.* 40. D. Thom. *in* 2. 2. *d.* 44. *quæst.* 2. *art.* 3. *in ult. arg.* ac ibi D. Bonav. *cap.* 3. *qu.* 2. *in corp.* Et sic jurisdictio concessa Superioribus Religiosorum in Religiosos est ad illos compescendos ad exequendam obligationem susceptam per vota in professione emissa, ut optimè Vasq. 1. 2. *quæst.* 65. *art.* 2. *disp.* 154. *num.* 21. Undè Religiosi, ne ipsi quidem Pontifici tenentur obedire præter obligationem communem aliis Ecclesiasticis ad ipsi obediendum debitam, nisi obligatione voti obedientiæ a se ipsis sponte suscepti, ut benè Less. *lib.* 2. *de just. cap* 31. *dub.* 9. *num.* 76. additque Sanch. *tom.* 2. *in præcept. decal. lib.* 6. *cap.* 1. *num.* 11. quòd Religiosi, etiam secluso privilegio exemptionis, non tenentur obedire Episcopo ex vi voti facti Superiori Ordinis, quoad observantias regulares. Quia, etsi, secluso privilegio essent ipsi Episcopo subditi, sicuti alii Ecclesiastici, id tamen intelligeretur quoad ea, quæ concernerent ordinem judiciarium.

5 Non obstat, quòd in secundo monasterio observantur eadem Regula, & Constitutiones, quæ in primo. Undè, cùm sint eam professuræ, non indigent nova professione in secundo. Quia omisso, quod non eodem modo solent observari, in professione non solùm attenditur, quòd sit eadem Regula, & idem Ordo, sed etiam, quòd sint iidem Superiores inter se subordinationem habentes, quibus obedientia promittatur; & ideò transeuntes ab una Congregatione ad aliam ejusdem Ordinis, ac Regulæ novam professionem emittunt, ut in Congregatione Discalceatorum Eremitarum Sancti Augustini, & aliis. Et quod ampliùs est, etiam si habeant eumdem Generalem, quia Vicarii Generales, & Provinciales dictæ Congregationis sunt omninò diversi, & inter se nullam subordinationem habent.

6 Quæ quidem confirmantur. Primò, quia Moniales, translatæ ante professionem, in novo monasterio emissam, possunt iterùm redire ad primum, & si vellent, teneretur eas recipere, nec Episcopus, vel Priorissa novi monasterii posset eas impedire, quia licentia se transferendi est facultativa ex causa scilicet translationis plenæ, nec potest habere firmitatem, nisi ea sequuta per professionem expressam in novo monasterio. Et ideò ante illam possunt redire ad primum, Sanch. referens Baldum, & alios *loc. alleg. cap.* 7. *nu.* 104. Ergo, ut præfatæ Moniales maneant subjectæ firmiter Superioribus dicti monasterii, est necessarium, ut in illo novam professionem emittant.

7 Deindè si Episcopus aliquam Novitiam in primo monasterio, sibi non subjecto, de facto ad professionem admitteret, illa non esset solemniter professa, neque in illud monasterium incorporata, quia Episcopus non habens jurisdictionem in illo monasterio primo, non potuit Novitiam ad professionem admittere, neque in monasterium incorporare. Aliàs enim contra omne jus extra territorium jus diceret, *l. fin. ff. de jurisd. omn. Jud.* & *cap.* 2. *de const. in* 6. & in specie Abb. *in cap. porrectum de Regul.* latèque Galeat. *vol.* 1. *cons.* 109. *a nu.* 41. Itaque Superiores primi monasterii ex vi professionis, a Monialibus translatis emissæ in dicto primo monasterio, non possunt illas incorporare in secundum monasterium, in quo nullam habent jurisdictionem. Ac proindè, ut in hoc secundo monasterio maneant incorporatæ, est necessarium, ut eas de novo admittat ad professionem Superior ejusdem monasterii.

Ex quibus cessat opinio Ostiensis *in cap. ad Apostolicam de Regul.* quòd scilicet transiens ab una Religione ad aliam sive æqualis observantiæ, sive strictioris, sive laxioris, non tenetur ad emittendam novam professionem; siquidem profitendo unam Religionem, omnes videtur profiteri. Est enim falsum, & contra communem stylum, jus, ac rationem, ut per Navar. *lib.* 2. *cons. tit. de Regul. cons.* 3. 8

Hinc deducitur, non esse faciendam restitutionem illarum dotium a primo monasterio, quia per professionem in eo factam, fuerunt eidem perpetuò acquisitæ ex *Auth. Ingressi, C. de Sacros. Eccles.* Nec transferentur ad aliud monasterium per Monialium translationem, nisi eadem translatione perfecta per professionem, sicut neque per ingressum in monasterium, quia non dicitur ingressa, sive translata absolutè, ac plenè, nisi sit professa *d. auth. Ingressi*, ubi Tapia, quamplures referens *cap.* 1. *art.* 1. Præterea dum non fecerint professionem, remanent Moniales primi monasterii, & Novitiæ secundi. Idque tantò magis admitti debet, quia restitutio dotis monialis, quæ transferri petit, de jure restitui non debet, Hier. Rodriq. *resol. reg.* 54. *num.* 7. nos latè *in primo tomo*. 9

Rursus neque esse faciendam restitutionem census, seu annui redditus, si prætendatur restituendus integrè in sorte principali, quanti æstimatur. Nam quidquid sit, an in annuis præstationibus, in quibus fors a fructibus non distinguitur, possit cadere æstimatio, saltem in dote pro Moniali non potest haberi pro venditione, quia involveret pretium, & consequenter simoniam in receptione Monialium, *cap. quoniam de simon. cap. quam pio* 1. *quæst.* 2. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 3. *ad* 4. Patetque ad sensum, quòd in dote Monialium cesset ratio venditionis, quæ militat in dote æstimata, nam in dote profana fundus æstimatur, quia restitui debet, *tot. tit. ff. sol. matrim.* ut sciatur, cujus periculo pereat, *l. plerumque ff. de jur. dot.* Dos verò Monialium perpetuò applicatur Monasterio, fitque de illius dominio irrevocabiliter ex consuetudine generali, Sanch. *d. lib.* 7. *c.* 7. *n.* 23. Et sic partes non potuerunt cogitare de restitutione, & minùs de tacita conventione, & æstimatione, sed datus fuit census simpliciter pro alimentis, & sic sufficit illius restitutio, etiam fructibus per accidens diminutis. 10

Item neque restitutionem vestium, sive jocalium, utpotè ordinaria quæque unicam summam cum dote minimè faciunt, sed separatim monasterio traduntur, Seraph. *dec.* 126. & *dec.* 132. Ludovis. *dec.* 80. *num.* 10. & 12. ac latè Cavalc. *dec.* 64. *a num.* 12. Et præter id, hæc ultra dotem donata, seu oblata censentur, ac irrevocabiliter data in remissionem peccatorum, itaut neque revocari queant a donationibus, neque a secundo monasterio, Hier. Rodriq. *resol.* 35. *num.* 5. 11

CONSULTATIO CCIII.

An liceat jurare per Sanctos? &
An rectè per, & ad Sancta Evangelia juretur?

AD primum nego. Quia in sacra Scriptura ea tantùm juramenti formula concessa est, quæ per ipsum, & solum Deum fit, *Deuter.* 6. *v.* 13. & *c.* 10. *v.* 20. *Jerem.* 5. *v.* 7. & 12. *v.* 16. *Jos.* 23. *v.* 7. *Matth.* 5. *v.* 44. D. Hieron. & Chrisost. ad dictum *cap.* 5. *Matth.* 1

Ad secundum respondetur negando per proximè allegata fundamenta. Conceditur tamen posse sine impietate, & idolatria proponi in conspectum jurantis sacrosancta Evangelia, & manu, sive duobus prioribus digitis tangi, quod dicitur jurare super, vel tactis Evangeliis, & vocatur juramentum corporale, *l.* 1. *C. si adverss. vendit. l.* 3. *in fine*, *C. si minor. si major. dix.* Cujac. *ad Novel.* 51. Et talis modus jurandi in jure civili, & feudali frequens, & usitatus est, ut *in l. omnibus* 1. §. 1. ibi, *tactis sacrosanctis Scripturis*, *C. de jurejur. propt. calum. l.* 27. *v. ult.* ibi, *sacrosanctis Scripturis propositis*, *C. de Episc. aud. l.* 14. *pr.* & §. ibi, *tactis sacrosanctis Evangeliis*, *C. de Judic. Novel.* 8. *auth. Collat.* 2. *tit.* 3. *lib.* 2. *feud. tit.* 2. *pr.* ibi, *jurent tactis sacrosanctis Scripturis*, & *tit.* 7. *in pr.* 2

CON-

CONSULTATIO CCIV.

An, & quatenus Epiſcopo liceat hoſpitalia, ac cæteros locos pios viſitare, & ab eorum adminiſtratoribus rationes adminiſtrationis exigere?

1 ET affirmativè reſpondendum eſt. Tum quia Epiſcopus de jure communi fundatam habet intentionem ſuper ſubjectione, adminiſtratione, & ordinatione hoſpitalium, quæ propterea ſubſunt illius viſitationi, ut multis relatis probat D. Fagnanus *in cap. Xenodochiis nu.* 1. *& cap. ſeq. num.* 6. *de relig. domib.* Tum etiam ex decretis Sac. Concilii Trid. *ſeſſ.* 22. *de reform. cap.* 8. *&* 9. ex quibus Doctores omnes concludunt, poſſe Epiſcopum, tanquam Delegatum Sedis Apoſtolicæ, quocumque privilegio exemptionis non obſtante, viſitare, & redditionem rationum petere, ut Cocchier. *de juriſd. in exemp. par.* 1. *quæſt.* 31. *num.* 7. *& ult. & par.* 2. *quæſt.* 45. *num.* 77. *&* 95. Jo: Franch. Leo *in Theſ. for. Eccleſ. part.* 2. *cap.* 16. *num.* 26. Fuſc. *de viſit. lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 21. 27. *& ſeq.* Barboſ. *ad d. locum Concilii num.* 9. *&* 10. *& in collect. ad ſeſſ.* 7. *cap.* 15. *num.* 2. *& de juriſd. Epiſc. alleg.* 75. *a num.* 1. Rot. *deciſ.* 67. *nu.* 3. apud Tambur. *de jur. Abbat. tom.* 3. Et ideò adminiſtratores hoſpitalium, qui prætendunt illa eſſe omninò exempta ab hujuſmodi viſitatione, id concludenter probare tenentur ex lege fundationis, ut pariter advertit idem D. Fagnanus *loc. alleg. numer.* 3. *&* 6. Ameyden. *de ſtyl. Datar. lib.* 1. *cap.* 15. *§.* 5. *quæſt.* 11. *num.* 21. & Add. ad Gregor. *deciſ.* 8. *num.* 4. & Rota *dec.* 30. *num.* 2. *p.* 2. *rec.*

2 Ac præſertim ſi aliàs Epiſcopus illa viſitaverit. Sive enim id conſideretur, tanquam demonſtrativum obſervantiæ poſt Tridentinum, ſive ponderetur, tanquam actus poſſeſſorius, apprimè deſervit ad comprobationem juris ipſius, ut in levioribus terminis de manutentione, aliàs obtenta, conſiderat Poſth. *de man. obſerv.* 29. *numer.* 10. *&* 13. Giovagnon. *conſ.* 9. *lib.* 2. *numer.* 76. *& ſeq.*

3 Undè ſuffragari non poſſunt privilegia a Summis Pontificibus tempore fundationis impetrata pro eorum conſenſu, ad quos non rarò recurritur pro impetratione juriſpatronatus, tàm & ſi iſtud poſſit liberè concedi per Ordinarium, ut tradit Conrad. *in prax. benef. lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 37. ſi in eis non legatur talis exemptio, ſique conceſſa non ſint poſt Tridentinum, alioquin ſublata eſſent per ipſum *d. ſeſſ.* 22. *cap.* 8. ac ſi non faciant mentionem, cui reddenda ſit ratio, de qua *d. ſeſſ.* 22. *cap.* 9. ut ex mente S. Congregationis Concilii ponderando privilegium Nicolai V. contra Adminiſtratores Hoſpitalis Papiæ reſpondit idem D. Fagnan. *in d. cap. Xenodochiis num.* 5. Præſertim ſi privilegia fuerunt conceſſa ſub conditione ſufficientis dotationis. Ex hoc enim excluditur antecedens dotatio ad tradita per Spad. *conſ.* 20. *num.* 2. *&* 13. *lib.* 2. & fit, quòd non poſſit eſſe locus privilegio, niſi expreſsè, & concludenter doceatur ab Adminiſtratoribus de adimplemento conditionis, nempè ſufficientis dotationis, ut reſpondit Rot. *deciſ.* 952. *num.* 1. *&* 8. coram Seraph. *& deciſ.* 285. *num.* 140. coram Durano *deciſ.* 2. *num.* 1. coram Millino, *& in rec. deciſ.* 381. *ſub num.* 2. *par.* 1. *&* *deciſ.* 630. *nu.* 68. *ac ſeqq. part.* 4. *tom.* 3. Ubi addit, quòd tunc ſolùm ſufficit ſemiplena probatio, quando agitur de verificatione gratiæ, non autem de exequutione conditionis, quæ inducit formam, ſicuti diſtinguit Seraph. *d. deciſ.* 952. *num.* 7. *&* 8. Exequutio autem conditionis, ſive verificatio juriſpatronatus, ad cujus acquiſitionem tria concurrere debent copulativè, nempè fundi collatio, conſtructio, & dotatio, prout admonet D. Fagnan. *in cap. quoniam num.* 26. *& ſeqq. de jurepatr.* ſatis excludi videtur, ex quo illud, cùm ſit quædam ſervitus, & onus, in dubio nunquam præſumitur, Rot. *dec.* 1353. *numer.* 1. *&* 2. coram Seraph. & pro libertate eſt omnis præſumptio, Rot. *deciſ.* 147. *num.* 8. coram Merlino.

4 Nec ſufficienter probari videtur ex quibuſdam piis fidelium diſpoſitionibus, legatis, & oblationibus factis dictis Hoſpitalibus. Nam quidquid ſit, an ad effectum acquirendi juſpatronatus requiratur expreſſa reſervatio, prout affirmativam opinionem tuetur Abb. *in d. cap. quoniam num.* 10. *de jurepatron.* Paulus de Cittadin. *de jurepatr. part.* 3. *cauſ.* 2. *quæſt.* 5. *numer.* 13. & Calder. *conſ.* 1. *in fin. de jurepatr.* ubi in puncto juris ait veriorem, ac Rot. in Oriolen. juris conferendi 19. Novemb. 1576. coram Blanchetto, & luculentiùs in Narnien. ſuppreſſionis Conventus 5. Maji 1664. *§. Præterea* coram Bevilaqua cum ibi relatis; certum tamen eſt ad acquirendum juſpatronatus neceſſariò requiri, quòd quis expreſsè det cauſa dotis. Nam aliàs per ſimplicem erogationem, donationem, vel legatum factum Eccleſiæ, illud non acquiritur, cum erogans, donans, vel legans videtur potiùs benefactor, quam dotans, & acquiſitor juriſpatronus, ſicut firmant Joann. And. *in c.* 1. *col.* 3. *ſub init. de jurepatr.* ibique Abb. *num.* 10. *& conſ.* 59. *nu.* 2. *& conſ.* 106. *ſub num.* 2. *par.* 2. Rocch. *v. & dotavit quæſt.* 6. *art.* 1. *nu.* 9. *& ſeqq.* & Rot. *deciſ.* 1703. *nu.* 1. coram Seraph. *& dec.* 693. *nu.* 13. coram Merlino, *& dec.* 630. *nu.* 58. *par.* 4. *tom.* 3. *rec.* præclarè Vivian. *de jurepatr. lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 63. Ventrigl. *in prax. de jurepatr. annot.* 1. *§.* 1. *nu.* 8. *tom.* 2. Conrad. *in prax. benefic. lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 26. *& ſeqq.* ubi ait, id procedere, etiam ſi quis profuſam faciat largitionem, & adducit exemplum Conſtantini Magni Imperatoris, qui etſi fecerit magnam dotationem Eccleſiæ Romanæ, non exinde Imperatores dicuntur patroni.

Id, quod certiùs procedit in Univerſitatibus. Nam, 5
etſi Civitas, Populus, ſive Univerſitas acquirat juſpatronatus in Eccleſia, ſive Hoſpitali conſtructo, vel dotato nomine ipſius, hoc tamen non vindicat ſibi locum in dotatione, ſive fundatione facta ex piorum eleemoſynis, & oblationibus particularium per ſingulares de Univerſitate. Quia in hoc caſu patronatus non pertinet ad Univerſitatem, neque ad ſingulos, ſed Eccleſia, vel Hoſpitale remanet liberum, ut pluribus relatis decidit Rot. *dec.* 62. *nu.* 6. coram Carillo, & antea probavit Duran. *diſcurſ.* 285. *nu.* 250. & in Novarien. parochialis 16. Januarii 1651. *§. accedit, & §. dotatio* coram Peutingerio.

Et quatenus ex hujuſmodi piis Chriſti Fidelium diſpo- 6
ſitionibus, legatis, eleemoſynis, & oblationibus potuerint Univerſitates acquirere juſpatronatus hoſpitalium, licèt earum aſſignatio minimè fuerit facta in exequutionem privilegiorum, neque cauſa dotis, ſicuti opus erat adhuc tamen illæ inſufficientes ſunt ex diſpoſitione juris communis, requirentis ad effectum acquirendi juſpatronatus totalem, ac congruam dotem, Duran. *diſcurſ.* 285. *nu.* 35. itaut propterea non ſufficiat quælibet dos, Rota *dec.* 693. *nu.* 13. coram Merlino, & Marin. *reſolut. quotid.* 225. *nu.* 1. *lib.* 1. ſed neceſſaria ſit ſufficiens aſſignatio pro miniſtris, ac infirmis, aliiſque neceſſariis, ut tradit Vivian. *de jurepatr. l.* 1. *cap.* 2. *num.* 65. Rot. *dec.* 101. *nu.* 11. *p.* 6. *rec.* & in Faventina parochialis 4. Junii 1663. *§. neque ex donatione* coram Gerundenſi, & in Leodien. unionis 28. Junii 1666. *§. & ſic apparet* coram Borlemontio. E quotieſcumque competens non eſt, tunc juſpatronatus non dicitur ex dotatione competere, ſed ex mero privilegio, Vivian. *d. lib.* 1. *c.* 2. *nu.* 66. *& lib.* 2. *cap.* 3. *nu.* 13. ac Rot. *dec.* 568. *nu.* 2. *& dec.* 221. *nu.* 12. *par.* 8. *rec.* Quod privilegium ceſſat, ceſſante ſufficienti dotatione, ex cujus cauſa fuit conceſſum, Rot. *dec.* 614. *nu.* 2. *par.* 4. *tom.* 3. *rec.* Ut propterea extra fundantes, & dotantes ceſſet omnis quæſtio, cum eleemoſynæ in conſtructione Eccleſiæ attendi debeant, Coccin. *dec.* 152. *num.* 5. *in fin.* neque legatum, aut donatio, niſi fiat pro dote, Rot. *dec.* 167. *num.* 2. *& 3. par.* 2. *diverſ.* Abb. *conſ.* 59. *num.* 2. *lib.* 2. latè Garz. *p.* 5. *cap.* 9. *num.* 60. *& ſeqq.* Neque augmentum, aut ſupplementum dotis, Millin. *dec.* 187. *num.* 1. *& ſeqq.* Rot. *p.* 1. *rec. deciſ.* 59. *nu.* 5. *&* 6. Lotter. *de re benef. lib.* 2. *quæſt.* 8. *nu.* 33. Neque dos ipſa, niſi ſit totalis, Coccin. *dec.* 106. *nu.* 4. Rot. *in rec. dec.* 222. *num.* 5. *par.* 5. Mantic. *dec.* 320. *num.* 3. Garz. *d. part.* 5. *cap.* 9. *nu.* 52. *&* 53. Omnes enim qui hujuſmodi actus gerunt benefactores potiùs, quam fundatores dici poſſunt, ut probant citati Doctores, dederit Rot. *in Leopolien. adminiſtrationis Hoſpitalis* his verbis.

Quia cùm ſupervenerint poſt erectum Hoſpitale non 7
potuerunt cedere in cauſam erectionis, vel fundationis, ſed tantummodò in argumentum dotationis, & per conſequens dicuntur ſimplices benefactores, non autem fundatores, vel dotatores, quibus proindè per hujuſmodi oblationes juſpatronatus acquiſitum non fuit Gloſſ. *in c. piæ menti* 18. *quæſt.* 7. *verſ. ſi quis autem*, Lambertin. *de jurepatr. lib.* 3. *art.* 3. *quæſt. princ. p.* 1. *nu.* 1. Rot. *diverſ. dec.* 457. *nu.* 18. *par.* 1. & coram Cardin. Cavaler. *dec.* 236. *nu.* 2. multòque minùs eis competere poteſt adminiſtratio, quæ ſoli fundatori, ſeu dotatori competit, *l. ſi quis ædificationem auth. de Eccleſ. & Clem. Quia contingit de relig. dom.* Quò verò ad redditionem rationis bonorum, & rerum hoſpitalis, licèt, ut in alia deciſione dictum fuit, ratio reddi debeat in manibus eorum, ad quos ſpectat gubernium, & regimen, & ſic in manibus Priorum, & Confratrum, ſecùs tamen cautum reperitur a Sacr. Concil. Trid. *d. ſeſſ.* 22. *cap.* 9. *de refor.* ubi expreſsè præcipitur, ut Adminiſtratores omnes tàm Eccleſiaſtici, quàm laici cujuſcumque Eccleſiæ, etiam Cathedralis, Hoſpitalis, Confraternitatis, eleemoſynæ Montis Pietatis, & quorumcunque piorum locorum, teneantur rationem reddere adminiſtrationis Ordinario, conſuetudinibus, & privilegiis quibuſcunque in contrarium ſublatis,

tis, nisi secùs fortè in institutione, & ordinatione talis Ecclesiæ, seu fabricæ expressè cautum esset. Undècùm in limine erectionis hujus hospitalis cautum non fuit, quòd ratio non redderetur in manibus Ordinarii, intrat dispositio Conciliaris, quæ evitari non potest, ex eo quòd hoc hospitale receptum fuerit, etiam sub immediata protectione Regis. Quia licèt similia hospitalia excipiantur expressè a Concilio ab onere visitationis, aliisque contentis *in cap.*8. ut superiùs dictum est, quoad onus tamen reddendi rationem, de quo *in cap.*9. reperitur dispositum, quòd ubi ex privilegio, aut consuetudine, aliave Constitutione, ratio reddi debeat aliis personis, tunc non possit reddi privativè, quoad Episcopum, sed cum iis simul adhiberi debeat Ordinarius, & aliter factæ liberationes dictis Administratoribus minimè suffragentur, Barbos. *in collect. ad idem Concil. Trid. d. cap.*9. *nu.*18. *& de off. & potest. Episc. alleg.*82. *nu.* 32. *& in collect. dec. Apost. v. Administrator num.*4.Marth. *ubi sup. d. par.* 2. *cap.*18. *num.*6. *&* 10. Gratian. *discept. for. cap.*395. *num.*1. *cum seqq.* Rot. *decis.*355. *num.* 1. *&* 10. *& dec.*402. *num.*1. *par.*1. *rec.* Et hactenus Rota.

8 Insufficientia autem satis argui poterit, si constet aliundè obvenisse Hospitalibus plura bona, ex quibus constituta fuit major pars dotis, tàm titulo eleemosynæ, ut ponderat in similibus Rot. *decis.* 106. *num.*12.coram Coccino, quàm ex pluribus bonorum atque reddituum assignationibus factis per ipsos Ordinarios ex quibus potissimùm deprehenditur insufficientia dotis. Ad Ordinarios namque spectat judicare de insufficientia dotis, sicuti ex sententia Sacr. Congregationis Concilii testatur Ricc. *in prax. jurispatr. resol.* 44. *num.* 1. *in fin.* & Lotter. *de re benef. lib.*1. *quæst.*32. *num.*5. Sicque Universitates ex dictis piis dispositionibus, sive augumento dotis minimè acquisiverunt juspatronatus, sed tantùm dici benefactrices, Rot. *dec.*75. *num.*5. *par.*4. *tom.*1. *rec.* Nam ex solo augumento nequit servitus induci, Rot. *dec.*85. *num.* 5. *par.* 1. *recent. &* 630. *num.*59. *part.*4. *tom.* 3. *rec.* ubi ex tali augumento ait, quòd non resultat vera dotatio, sed potiùs ditatio, Rot. *decis.*528. *nu.*1. *p.*1. *div. & dec.*320. *num.*2. *&* 3. coram Mantica, ubi de Episcopo dotante partim de suo patrimonio, partimque de redditibus Ecclesiasticis, maximè si dictæ dispositiones, legata, eleemosynæ, sive oblationes obvenerint post fundationem, Rot. *dec.*236. *num.*2. coram Cavalerio. Nam speciale est in locis piis, ut illis assignetur dos, quando ponitur primus lapis, nec possit per Episcopum concedi licentia ædificandi, non assignata dote, ut benè probat Ventrigl. *in d. prax. de ædific. annot.*17. *§.*1. *num.* 14. *tom.*2. & antea Vivian. *de jurepatr. d. lib.* 1. *cap.*2. *n.* 64. *& lib.*2. *cap.*4. *num.*5. *&* 14. *cum seqq.*

9 Ut proindè non possint postea Administratores juvari possibilitate alterius tituli, stante cursu temporis cum observantia. Quia cùm ipsi allegaverint pro suo titulo privilegia, non possunt ampliùs aliud allegare, ut in similibus respondit Spada *cons.* 20. *numer.*3. *&* 17. *lib.*2. & Rot. *dec.* 680. *num.* 2. coram Pegna. Et in omnem casum, cùm agatur de Universitatibus, intrat potiùs præsumptio usurpationis, & ideò ad probandum juspatronatus, & consequenter exemptionem a visitatione, & redditione rationum, requiritur immemorabilis, ut pluribus relatis respondit Rot. *dec.*630. *num.*80. *par.*4. *tom.* 3. *recent.* Perpetua enim est S. Congregationis Concilii sententia, quòd Juspatronatus Universitatis, etiam parvæ, & sine jurisdictione in loco præsumatur ex usurpatione, ut testatur Rot. *decis.*196. *num.*36. *p.*5. *recent.* Fructraque allegari potest melior titulus, sive observantia, quemadmodum ponderat Ameyden. *de stil. Datar. lib.* 1. *cap.* 15. *§.* 15. *num.* 136. *& seqq.* quando revera constet de vero, & certo principio fundationis, constructionis, & dotationis factæ pro majori parte ex bonis, & redditibus Ecclesiasticis, vel fidelium eleemosynis, quo stante, Universitates non potuerunt acquirere juspatronatus ex dotatione, cùm illud acquiratur de jure Ecclesiæ, ex cujus bonis, vel redditibus fuerunt hospitalia fundata, constructa, & dotata, Rot. *dec.*630. *nu.*56. *p.*4. *to.* 3. *rec.* & Corrad. *in prax. bon. lib.*4. *cap.*2. *num.*45. *& seqq.* ex quorum sola cura, sive administratione minimè inferri potest juspatronatus, tanquam quid separatum, & distinctum, ut tradit Rot. *dec.*59. *nu.*3. *&* 4. *p.*10. *rec.*

10 Quare in his terminis, quòd sublatis per Tridentinum patronatibus ex privilegio, fuerunt sublata etiam respectu eorum, qui dotem non dederunt in totum, sed eam suppleverunt, tradit Vivian. *d. lib.*2. *cap.*5. *num.* 16. & antea *c.* 3. *num.*17. ubi referendo Rotam coram Mantica *dec.*320. *num.* 3. firmat, quòd etiam is, qui dotavit, sed non competenter, dicitur patronus ex privilegio, non ex dotatione.

11 Idque præsertim locum habet, si Universitates, & omnes alii, qui obtulerunt, nunquam jus aliquod exemptionis sibi reservarunt. Ex quo sicuti negari non potest, quòd Episcopo quæsitum esset jus super hospitalibus, ut *d. Clem. si contingat de relig. dom.* ibi: *Et Rectores eosdem utique non exemptos propria, exemptos verò, & alios privilegiatos Apostolica ad id authoritate compellant.* Quodque Universitates post eleemosynas jam datas, & sic ex intervallo conditiones aliquas in præjudicium juris, Episcopo jam quæsiti, apponere non possent, Vivian. *d. lib.*2. *cap.*8. *num.*5. *&* 9. Ita necessariò admittendum est, quòd exemptio è Summo Pontifice concessa, sit merum privilegium, & per consequens cadat sub privilegiorum revocatione. Quod etiam confirmatur ex doctrina Cocchier. *de jurisd. in exempt. tom.* 1. *par.*2. *quæst.*45. *nu.*12. ubi licèt Ecclesia exempta ratione fundationis non possit ab Episcopo visitari jure potestatis suæ ordinariæ, potest tamen tanquam ab Apostolicæ Sedis delegato, quemadmodum S. Congregatio respondit de quadam Lucensi Ecclesia Collegiata S. Michaelis *declarat.* 418. Zerol. *in prax. Episc.* ubi etiam alios refert. Cùm enim S. Concilium Tridentinum *in d. decreto* 8. *sess.* 22. innovaverit antiquam Constitutionem Concilii Viennensis, de qua *in d. Clem. Qua contingit de relig. dom.* sicuti in d. Constitutione fuerat præcisè cautum, quòd Episcopus ex authoritate Sedis Apostolicæ visitaret hospitalia exempta ex fundatione, ita, & S. Concilium Tridentinum debet intelligi, dum præfatam Constitutionem innovavit.

12 Episcopus igitur jure ordinario exemptionem observare debet, nec hospitalia visitare, ac jure delegato illa visitare tenetur, ut per Rot. in Barcinonen. jurisdictionis prima Julii 1646. *§. Tandem non obstat* coram Bichio, necnon in *decis.* 635. *nu.*2. *par.*3. *recent.* cum Add. ad Buratt. *dec.*578. *num.*18. firmante, visitationes factas post Concilium ab Episcopis non concludere locum visitationis non esse nullius: quia etiam loca exempta, & nullius diœcesis Episcopus, uti Sedis Apostolicæ delegatus visitat. Et pro hac opinione textus S. Concilii Tridentini est perspicuus *in d. cap.*8. *sess.*22. *de reform.* ubi innovando *d. Clement. Quia contingit*, sic concludit: *Et si prædictorum locorum cura ad laicos pertineat.* Quod notant omnes apud Barbos. *in d. Clement. num.* 2. *& seqq.* extatque integra lucubratio Pax Jordani *par.*2. *lib.*7. *tit.* 9. *de visit. hospit.* Bellet. *disq. Cler. par.*1. *tit. de bon. Cler. §.* 12. *num.*4. *&* 5.

13 Nec solùm idem textus Concilii *in d. cap.*8. mandat, ut ratio administrationis eidem Episcopo reddatur *ab* Administratoribus hospitalis, sive alterius loci pii exempti, sed etiam sequens *cap.*9. *ejusdem sess.* 22. ubi pariter innovatur *d. Clem. Quia contingit*, & privilegiis quibuscunque derogatur, ut per Barbos. loquentem de exemptis in eodem *cap.*9. *num.*8. *& in cap. antecedenti nu.* 33. Gratian. *discept.*335. *num.*1. *& seqq.* Lezan. *quæst. regul. tom.*2. *cap.*6. *num.* 11. & Navar. *cons.* 3. *de relig. dom.* Id quod etiam extra visitationem, & in casibus a jure non expressis habere locum, declarat idem Barbos. *ubi supra num.*6. ex sententia S. Congregationis, Matth. *de jurisd. p.* 2. *cap.*18. *num.*6. & Pax Jordanus *d. tit.* 9. *num.*23. Et ita, quod licèt ex consuetudine, aut ex statuto, vel Constitutione aliis ratio reddenda esset, adhuc Episcopus adhiberi debeat, ut habetur expressè in eodem decreto Tridentini, ac tradunt Barbos. *ad d. cap.*9. *num.*7. *&* 20. *& de jure Eccles. lib.*2. *c.*11. *num.*42. ubi testatur sic declarasse S. Congregationem, Guttier. *can. cap.*34. *num.*19. Pax Jord. *ubi supra num.*27. & Grat. *loc. alleg. num.*5. Dictumque *cap.*8. Sac. Concilii loquitur, non obstante quavis consuetudine, licèt immemorabili, privilegio, aut statuto. Et *cap.*9. ait consuetudinibus, & privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis. Quam dispositionem intelligendam esse de consuetudinibus, etiam post Concilium introductis, etiam patiente Episcopo, notat Sellel. *in Select. canon. cap.*22. *num.*30. inquiens, ita declaratum in Limana 19. Septembris 1625. & aliàs, præsertim in Messanen. 22. Septembris 1621. Undè nullo temporis cursu præscribi potest, ne visitentur, Molin. *de just. & jur. tom.*2. *tr.*2. *disp.*79. *vers. obedientiæ, & disp.* 81. *in fin.* Cocchier. *de jurisd. in exempt. par.*4. *quæst.*23. *nu.*4. Tambur. *de jur. Abbat. tom.*1. *disp.*19. *quæst.* 3. *num.*2. *&* 3. Et sanè, vel est verior opinio indistinctè firmans ejus visitandi nullo modo posse præscribi, *cap. cum ex officiis*, ibi: *nec contra visitationem de præscript.* Piasec. *in prax. par.* 2. *cap.*5. Pavin. *de visit. par.*1. *quæst.*4. *n.*22. Azor. *instit. moral. p.*2. *lib.*2. *c.*42. *q.*13. Vel saltem ad id facit distinctio, quòd si præscribi potest in casu, quo jus visitandi alteri acquiratur, præscribi certè nequeat, quando nulli acquirentes jus visitandi competens de jure communi, Ostiens. *in summ. de offic. Archid. num.* 5. & latissimè probat Barbos. *de offic. & potest Episc. p.*3. *alleg.* 129. *nu.*9. *& seqq.*

Ne-

14 Neque ullo modo obſtare poteſt, quod dicitur de privilegio in limine fundationis, non ſublato per S. Concilium. Diſtinguendum enim eſt inter *cap.* 8. & 9. In primo agitur de viſitatione, in altero de redditione rationum. Et in hoc ſecundo Concilium præſervat privilegium in fundatione conceſſum, in quo ſi expreſsè caveretur, quòd Ordinarius ſe non ingereret, id eſſet obſervandum, ſecùs quando privilegium fundationis diceret ſolùm, quod ratio redderetur certis perſonis. Quoniam adhuc, illo non obſtante, adhibendus eſt etiam Ordinarius, ut in ſpecie recedendo a contraria deciſione, firmavit Rota in d. Leopodien. adminiſtrationis hoſpitalis, §. *Quod onus tamen*. At in *cap.* 8. ubi agitur de viſitatione, non leguntur præſervata privilegia ex fundatione, & ideò cenſentur in hoc caſu comprehenſa in derogatione ejuſdem capitis, ut in terminis Cocchier. *de juriſd. ordin. in exempt. p.* 2. *qu.* 45. *nu.* 12. Ugolin. *de officio & poteſt. Epiſc. cap.* 24. §. 1. *num.* 3.

15 Ad effectum igitur, ut exemptio dicatur conceſſa ex cauſa fundationis, & dotationis, debet præſervari, & caveri in ipſo limine fundationis, ſeu dotationis, alioquin ſtatim fundata, vel dotata Eccleſia, oritur jus Epiſcopo per *d. Clem. ſi contingat de relig. dom.* Quæ tamen exemptio etiam in ipſo limine reſervata, non operatur, quòd Epiſcopus viſitare nequeat, uti delegatus Sedis Apoſtolicæ, ut in ſpecie, relatis reſolutionibus Sac. Congregationis, tradit Cocchier. *de juriſd. in exempt. d. tom.* 1. *part.* 2. *quæſt.* 45. *num.* 12. Hinc quidquid poſt quæſitum jus Epiſcopo benignitate Summi Pontificis alicui conceditur, id merum privilegium eſt.

16 Et quamquam, ut amittatur in totum juſpatronatus, ceu diſponit Sac. Concilium Trident. loquens de patronatibus ex privilegio, non ſit neceſſarium, quòd ſolutum correſpondeat acquiſitioni, ſed ſatis ſit, quòd privilegium non ſit merè gratuitum, in quibus terminis loquuntur Add. ad Gregor. XV. *deciſ.* 397. *num.* 6. & alii. Tamen ubi quæſtio non eſt de totali amiſſione, ſed ſolùm de aliquo præjudicio, dicendum eſt, quòd Papa ſub revocatione privilegiorum revocaverit etiam illa, quæ ſunt aliquo modo oneroſa, ſed non correſpondentia rei conceſſæ. Sic allegata *deciſ.* 88. *part.* 1. *recent. num.* 4. contrarias deciſiones concordat, Add. Gregor. XV. *d. deciſ.* 397. *numer.* 6. & tradit Barboſ. *clauſ.* 84. *numer.* 8. & 10. Quod ſanè omninò ceſſat, quando nullibi fuit a principio expreſsè cautum de tali exemptione, prout deſiderat Concilium, cujus Sacr. Congregatio de rationibus exigendis in hunc modum declarat.

27 *Sacra, &c. cenſuit decretum cap.* 9. *ſeſſ.* 22. *de reform. habere etiam locum extra viſitationem, & licere Epiſcopis rationem exigere ab Adminiſtratoribus, etiam locorum merè laicalium, & privatorum generaliter, & abſque ulla diſtinctione, etiam quando ex privilegio, vel conſuetudine, aut Conſtitutione eſſet aliis reddenda ratio adminiſtrationis, quia tunc reddenda eſſet eiſdem, adhibito tamen cum illis Epiſcopo, niſi in fundatione, aliter cautum eſſet, nempè quòd rationes Epiſcopo minimè reddendæ eſſent. Quod approbavit in Ferrarienſi* 6. *April.* 1647.

18 Extantque hac in re literæ, ac decreta ejuſdem Sac. Congregationis Concilii data Epiſcopo Papienſi. Etenim anno 1449. ex bonis Eccleſiaſticis Prioratus S. Matthæi Ordinis Sancti Benedicti fuit erectum Hoſpitale in Civitate Papienſi ſub invocatione ejuſdem Sancti authoritate Nicolai V. prout latiùs in erectione continetur, cùmque modernus Epiſcopus pro quiete, ut aſſeruit, ſuæ conſcientiæ, retulerit Innocentio X. malam adminiſtrationem, & bonorum dilapidationem ejuſdem Hoſpitalis, ſupplicando pro declaratione d. Sac. Congregationis, an ei liceret illud viſitare, & rationem adminiſtrationis exigere, prævia remiſſione a Pontifice die 18. Novembris 1651. propoſito dubio, datis hinc indè libellis, Eminentiſſimi Patres cenſuerunt, dandas eſſe declarationes antiquas, ſcilicet decretum, & literas Epiſcopo Papienſi directas ſub die 22. Martii 1575. in libris Congregationis exiſtentes, & tunc oſtenſas, ut ſcilicet Epiſcopo, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato, liceret, non autem uti Epiſcopo authoritate ordinaria tenoris ſequentis.

19 *Cùm Adminiſtratores Hoſpitalis Sancti Matthæi Civitatis Papienſis exempti per privilegium Nicolai V. a viſitatione ordinaria prætenderent ab eodem Ordinario, etiam poſt Concilium Tridentinum viſitari non poſſe, nec coram eo teneri rationem adminiſtrationis reddere, & hac de re Congregationem Concilii conſuluerint.*

20 In libris ejuſdem Congregationis reperitur fuiſſe exhibitam Bullam dicti privilegii Nicolai V. unà cum aliis juribus, & informationibus, & decretum fuiſſe, ut ſequitur.

Congregatio cenſuit, non obſtantibus allegatis ab Adminiſtratoribus Hoſpitalis, jus viſitandi dictum Hoſpitale, & exigendi redditionem rationum ab ejus Adminiſtratoribus competere Epiſcopo, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato ex decretis Concilii cap. 8. & 9. *ſeſſ.* 22. *de refor.* 21

Cùm annotatione rationis ſubſequuta pariter utrique parti data, quod dictum *cap.* 8. tollit privilegium Nicolai quoad viſitationem eoque ſublato, &c. Et quoad redditionem rationis, de qua *in d. capit.* 9. excipitur ſolus caſus quando in fundatione expreſsè cautum eſt, quòd non reddatur Ordinario, & in Bulla Nicolai V. nulla mentio habetur, an reddenda, vel non reddenda ſit. 22

In libro literarum ejuſdem Sacræ Congregationis ſub eadem die 22. Martii 1575. leguntur ſcriptæ Epiſcopo Papienſi literæ tenoris ſequentis. *Illuſtris, & Reverendiſſime Domine. Illuſtriſſimi Cardinales, qui cognitis iis, quæ in ſcripturis adjunctis hiſce literis, quas hac eadem de re ſcripſit, atque omnibus accurato ſtudio, & matura deliberatione perpenſis, cenſuerunt, Amplitudinem tuam, uti Epiſcopum Papienſem non poſſe ex decreto Concilii ſeſſ.* 22. *cap.* 8. *viſitare Hoſpitale hoc S. Matthæi Papienſis. Non poſſe item ex altero decreto ejuſdem ſeſſ.* 22. *cap.* 9. *exigere redditionem rationum ab Adminiſtratoribus ejuſdem Hoſpitalis. Quare Amplitudo tua pro ſua religione, & in ſanctam hanc Sedem obſervantiam ita abſtinebit, & valebit in Domino. Romæ* 22. *Martii* 1575. 23

Datis verò utrique parti dicto decreto, ac literis, non acquieſcentibus Adminiſtratoribus, repropoſitum fuit dubium 22. Februarii 1653. cujus reſolutio fuit reſtricta, an ſupradicta diſtinctio, ut tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato, & non uti Epiſcopo liceat, ſit conformis diſpoſitioni S. Concilii Tridentini, & approbanda ſive eodem, ſive diverſo tempore a Congregatione emanaſſet. Poſt multa fuit facta reiterata reſolutio tenoris ſequentis. 24

Die 16. *Maji* 1654. *Sacra, &c. viſis, ac maturè diſcuſſis omnibus juribus hinc inde deductis, etiam a Judice, per S. Congregationem delegato tranſmiſſis, nec non decretis antiquis, cenſuit licere Epiſcopo Papienſi, uti Sedis Apoſtolicæ delegato viſitare Hoſpitale Sancti Matthæi Civitatis Papienſis, & ab illius Adminiſtratoribus rationem adminiſtrationis exigere ad præſcriptum Sac. Concilii Trid. cap.* 8. & 9. *ſeſſ.* 22. *de refor.* 25

Et deindè ſub die 4. Julii ejuſdem anni, in qua reſolutum fuit, ſtandum eſſe in decretis ſub dicta die 16. Maji. 26

Ex quibus non obſtat primò, quod implicat contradictionem, Epiſcopum non poſſe viſitare vigore Concilii, & poſſe uti delegatum Sedis Apoſtolicæ, cùm hujuſmodi poteſtas illi tribuatur ab eodem Concilio, ut advertit Diana *par.* 1. *tract.* 2. *reſol.* 34. *de immun. Eccleſ.* & quòd ſi aliquid non permittatur Epiſcopo, ut tali, neque competere poſſit, uti delegato vigore decretorum Concilii Tridentini, quia ex eo quòd eſt Epiſcopus, illi conceditur juriſdictio delegata, ut firmavit Rot. coram Seraph. *dec.* 205. *in fine.* 27

Neque obſtat ſecundò, quòd privilegium Hoſpitalibus, aliiſque locis piis conceſſum in limine fundationis per generalem derogationem, non cenſetur abrogatum, ut per Felin. *in cap. nonnulli num.* 23. *de reſcript.* Staphyl. *de litt. grat. tit. de vi, & effic. clauſ.* §. *de clauſ. non obſtantibus*, & in his terminis Steph. Vveym. *ad Conſtit.* 24. *ex antiq. jur. deprompt.* & per Concilium Trid. *innov. conſt.* 16. *num.* 23. quem ſequitur Barboſ. *ad d. cap.* 9. *ſeſſ.* 22. ejuſdem Concilii *nu.* 8. ubi ait ita declaraſſe Sac. Congregationem, & teſtatur Gallemart. *in collect. declarat. ad d. cap.* 8. *nu.* 5. Immò licèt fuiſſet expreſsè derogatum fundationi, adhuc tamen non comprehenderetur præſens caſus, ex eo, quòd fundatio facta fuit a laicis ut firmavit Rot. coram Caputaq. *dec.* 122. *num.* 1. & ſequitur Garz. *de benef. par.* 7. *cap.* 1. *num.* 122. 28

Tertiò, neque obſtat, quòd dictum privilegium exemptionis fuit conceſſum ex cauſa, & titulo oneroſo, ac proindè non cenſetur comprehenſum in generali revocatione, a Concilio jam inducta, Gonzal. *ad regul.* 8. *glof.* 28. *num.* 22. & *glof.* 36. *num.* 36. Lotter. *de re benef. lib.* 2. *quæſt.* 8. *num.* 26. Grat. *diſcept.* 891. *num.* 9. & *ſeq.* Roland. *conſ.* 13. *num.* 1. *lib.* 3. Seraph. *deciſ.* 1082. *nu.* 3. Tum quia deficit voluntas, cùm regulariter non derogetur, Seraph. *deciſ.* 1271. & 1293. *utrobique num.* 3. Tum etiam quia ſtante dicta cauſa oneroſa, dicitur tranſire in contractum, Put. *deciſ.* 50. *num.* 2. Creſcent. *deciſ.* 2. *de priv.* Quo ſtante de jure ordinario revocari non potuit, atque adeò cenſetur præſervatum, cùm non conſtet Concilium, & Summum Pontificem illud confirmantem, voluiſſe uti extraordinaria, & abſoluta poteſtate. Peregrin. *de jur. fiſc. lib.* 1. *tit.* 3. *num.* 38. Menoch. *conſ.* 461. 29

toll.

*num.*12. Sanchez *de matr. lib.* 1. *disp.*33. *num.* 3. Barbos. *clausul.*83. *num.*9. Gabriel. *comm. opin. de jur. quæsit. non toll.concluf.*6. & Rot. *decis.*34. *num.*2. *par.*2.*recent.* Præsertim quando non constat, Hospitale ab aliis dotatum fuisse, tunc enim censetur constructum, & dotatum ab iis, qui ad id tenebantur, *l.*2. *§. si quis ita*, ibique Alberic. *ff. ne quid in loc. publ. l. sed si vir. in princ. ff. de donat. inter vir. & ux.* Duran. *decis.* 368. *num.*16. *ac decis.*338. *num.* 10. *& seq.* Ludovis. *decis.* 278. *numer.* 13. Quinimmò, etiam si constaret aliundè habuisse legata pia, & oblationes fidelium, dummodò tamen præponderent expensæ per fundatores submini*s*tratæ, non cadit sub dicta derogatione, Rot. *decis.*88. *numer.*4. *par.* 1. *recent.* adeòut ad hunc effectum sufficeret interveniss*e* causam onerosam, etiam citra medietatem, ut in terminis derogationis juris patronatus per Concil. Trid. inductæ, firmavit Seraph. *decis.*499. *in fin.* & Add. ad Greg. *decis.*396. *num.*6.

30 Et in omnem eventum, licèt non constaret de formali dotatione per fundatores facta, præterquamquod possent illorum hæredes cogi ad assignandam dictam dotem, quatenus eam non haberet; ad effectum tamen, de quo agitur, sufficit sola promissio, quemadmodum in matrimonio temporali, Castr. & Alex. *in l. si dotationes*, *§.fin. ff. cond. caus. dot.* Jas. *in rubr. ff. sol.matrim. num.*23. Achil. *decis.*73. *numer.* 2. *de const.* Grat. *discept.* 666. *numer.*22. Rot. *decis.*248. *numer.*6. *par.*4. *divers.* Et facta dotis promissione, Ecclesia, sicuti & Mulier, dicitur dotata, Brun. *ad stat. exclus. art.*6. *quæst.*3. *cap.*4. Gabr. *cons.*15. *numer.* 43. *lib.* 1. Et præcipuè, quia non agitur ad effectum cognoscendi, an Concilium potuerit tollere dictum privilegium, quo casu requiritur, quòd causa onerosa illi præponderet; sed tantummodò de præsumenda mente ipsius Concilii, an voluerit ei derogare. Quo casu sufficit privilegium, non fuisse merè gratuitò concessum, sed aliquod onus, etiam non præponderans intercessisse, ut benè declarat Seraph.*dec.* 518. *numer.* 4. & sequitur Add. ad Gregor. *d. dec.* 397. *numer.* 6. Ac præcipuè si præter concessionem privilegii, Papa receperit Hospitale sub sua, & Sedis Apostolicæ protectione. Tunc enim sicuti Concilium præservat exemptiones existentes sub immediata protectione Regum, ita & a fortiori sub protectione Papæ, *auth. multò magis*, *C. de sacros. Eccles.* Unde cum summa circumspectione, ut semper, videtur procedendum in interpretanda abrogatione hujusmodi privilegii, cùm non agatur de solo præjudicio administratorum Hospitalis, sed ipsius Sedis Apostolicæ, cujus interest habere immediatè subjectos, *Clem. pastoralis de re jud.* & per eosdem Administratores non possit illi renunciari, *c. Cùm tempore*, & ibi Abb. *num.*2. *de arbitr.* Glos. *fin. in Clem. penult. de sent. excom.* & Felin. *in cap. cùm accessissent n.* 29. *de const.*

31 Verùm his, ac similibus breviter respondetur. Si Concilium Tridentinum visitationem Episcopis demandasset, tanquam propriam authoritatem explendam, posset quidem de exemptionibus in limine fundationis appositis, dubitari. At cùm hoc illis commiserit, tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, conqueri non possunt exempti. Quia Papa est, qui visitat, mediante Episcopo, non Episcopus authoritate propria; quia delegatus non procedit authoritate propria, sed authoritate delegantis, *cap. officium*, *de hæret. in 6. l. mandatum*, *ff. de off. ejus*, *& l.* 1. *§. qui mandatum cod. tit.* & ideò privilegium exemptionis non dicitur revocatum.

32 Atque ex his etiam patet, nullatenus adversari Pasqualigum *centur.* 1. *quæst. moral.* 88. Quia revera loquitur, quando ipsimet fundatores apposuerunt illam conditionem, vel saltem, illis instantibus, in ipsa fundatione apposita fuit, ut etiam distinguit Barbos. *de offic. & potest. Episc. part.* 3. *alleg.* 75. *numer.*9. Præterea cùm quæ hactenùs a nobis dicta sunt, dispositione juris canonici, decretis Sacr. Concilii Tridentini, declarationibus Sacr. Congregationis, ac Rotæ Romanæ decisionibus, Doctorumque insignium authoritate fulcita sint, uni Pasqualigo præferenda videntur.

CONSULTATIO CCV.

1 *An prætensio Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, vel Parochialis sæcularis, quòd associationi cadaverum, quæ sepeliuntur in Ecclesiis Regularium, debeant interesse tot presbiteri de suo Clero, quot Regulares, habeat aliquam juris assistentiam?*

2 *Ubi quid si hoc ex synodo diœcesana, vel Provinciali, a Sede Apostolica confirmata, disponitur?*

3 *Quidve si ex consuetudine? & utrùm ad probandam hujusmodi consuetudinem concedenda sit remissoria?*

REspondeo. Aut agitur de casu, in quo prætendat, 1
non posse ad funera convocari Regulares, nisi etiam convocentur in æquali, vel majori numero Clerici sæculares aliarum Ecclesiarum, sive nullius Ecclesiæ servitio addicti, & hoc casu probabiliùs dici posse videtur, hujusmodi prætensionem, sive Constitutionem synodalem adversari juris dispositioni, ac privilegiis Regularium, quorum convocatio indirectè hoc modo prohiberetur ob majores sumptus, quibus defunctorum hæredes, invitando Regulares, gravarentur, & in his terminis loquitur Peyr. *ad Constit.*10. *Leonis X. §.*2. *nu.*2.dum agit in genere de convocatione Clericorum, qui ad solùm funus, & pompam funebrem evocari solent, ac ita etiam disponunt Paulus V. & Urbanus VIII. in Constitutionibus inferiùs adducendis pro Regionibus orientalibus, & occidentalibus, ac denique resolutiones, ac decreta sacrarum Congregationum, quæ de hac re circumferuntur.

Aut verò agitur de casu, in quo volentes defuncto- 2
rum hæredes convocare ad funus Regulares, teneantur etiam convocare Clericos, ac Ministros ejusdem Ecclesiæ parochialis ad præscriptum synodi, & hoc casu lex ista est juris dispositioni conformis, atque adeò rationabilis, quemadmodum eam appellat Sacr. Congregatio super Episcopis, & Regularibus in literis, Episcopo Albinganensi datis, hac de re sub anno 1600. quas integras ex prima Synodo diœcesana Albinganensi *tit. de funerib.* huc transtulimus his verbis: *Letto, e considerato il Decreto della Sinodo provinciale di Genova, il qual dispone, che in occasione di funerali, debbano gli eredi de' defonti, i quali vorranno invitare altri del Clero regolare, chiamare il proprio Parocco, e gli altri Sacerdoti, e Ministri Ecclesiastici della Chiesa parocchiale del defonto, e parso a questi miei Signori illustrissimi, che sia ragionevole, e che perciò debba essere osservato, massime stante la confermazione, che V. S. dice aver fatto la fel. mem. di Gregorio XIII. di quella Sinodo, in cui sia inserto. Così V. S. potrà far sapere a' Superiori Regolatori de' Conventi della sua Città, e Diocese, e particolarmente di quella Terra, dove dice esser seguiti tanti scandali per questa cagione, che di ordine di questa Sagra Congregazione debbano da ora innanzi ubbidire, e conformarsi alla dispositione del suddetto Decreto, ed astenersi dal levare i corpi de' defonti, ne accompagnarli, se non servata la forma del suddetto Decreto sotto pena della privazione del loro officio, e della voce attiva, e passiva, e di altra maggiore ad arbitrio di questa S.Congregazione. E perchè il Conservatore di essi frati hà posto la mano troppo innanzi in presumere d'interdire V. S. dall'ingresso della Chiesa, e scomunicare altri, perchè si è voluto fare osservare il suddetto Decreto, se gli scrive l'allegata con ordine di venire quà a scolparsi dall'eccesso suo, la quale si manda a V.S. acciocchè glie la facci presentare, e avvisi come lo dovrà far quanto prima, e il Signor la preservi.* Quarum literarum, diminutè tamen more suo, meminit Nicolius in *compend. Regul. v. sepultura num.*3. per hæc verba: *Non si può proibire di sepellire i morti, che si devono portare alle Chiese de' Regolari sotto pretesto, che non siano stati chiamati i Canonici della Cattedrale Sac. Congregat. Episcop. & Regular.*9. *Novembris* 1592. *E' ben vero, che nel Concilio provinciale di Genova, il qual dispone, che in occasione di funerali, quando gli eredi del defonto vorranno invitare alcuno del Clero Regolare, debbano prima chiamare il Parocco, ed altri Sacerdoti, e Ministri della Chiesa parocchiale del defonto, è ragionevole, e si deve osservare per esser quel Concilio stato confermato dalla san. mem. di Gregorio XIII. eadem S. Congregatio in Albinganen.* 17. *Januarii* 1600.

Ratio autem est. Quia Canonici, Capellani, vel Cle- 3
rici Ecclesiæ parochialis unum corpus cum ipso Parocho constituere videntur, ipsamque parochialem saltem habitu, seu per quandam unitatem repræsentant, præcipuè quando Parochus est caput, & de corpore ejusdem Collegii, & Canonicorum fructus, ac emolumenta in associatione funerum pro majori parte consistunt.

Hinc

Hinc in pluribus Christiani Orbis partibus consuetudo est, quòd ubi agitur de funeribus pauperum, seu aliorum, qui nolunt pompam exequiarum, ille solus Sacerdos, qui ob curæ exercitium Parochi nomen habet, funeri interesse solet: ubi verò funus celebratur, tunc necessariò, tanquam Parochus interesse debet totum Collegium, seu corpus Clericorum eidem Ecclesiæ inservientium, utpotè Parochum repræsentans, ut præsertim servatur in vetustissima Ecclesia parochiali S. Joannis Majoris Neapolis Campaniæ, habente sub se vigintiquinque circiter parochias filiales, quarum singulæ habent proprium Parochum. Ubi enim agitur de funeribus morientium intra limites dictarum parochialium ante omnes interesse debet Collegium hebdomadariorum, tanquam repræsentantium personam Parochi, nec non aliud Collegium Clericorum, qui confratres nuncupantur, eidem Ecclesiæ inservientium, neque vocari possunt Regulares, atque Clerici sæculares aliarum Ecclesiarum sine supradictis Collegiis, ut constat ex decisionibus in Neapolitana funeralium 27. Junii 1661. & 12. Maji 1662. coram Verospio. Canonici autem, beneficiati, & Clerici ipsarum Ecclesiarum debent jure participare de funeribus, & Anniversariis per textum *in cap. un. §. fin. de Cler. non resid. in 6.* ibi: *Canonicis, & aliis beneficiatis, & Clericis Ecclesiarum ipsarum tribuantur*, & ponderatur apud Merlin. *dec.* 685. *num.* 1.

4 Atque hinc non obstant decreta apud Barbos. *de Parech. cap.* 26. *num.* 57. & *in fum. Apostol. decis.* 15. *v. defunctus num.* 5. ut arbitrio hæredum repositum sit convocare ad funus Clericos, vel alios sibi benè visos. Quia id procedit respectu illorum Clericorum sæcularium, vel regularium, qui nullum jus parochialitatis, vel connexionis cùm Parochia habentes, ex mera partium voluntate convocatur, secùs autem respectu Clericorum ejusdem Ecclesiæ, unum corpus cum Parocho, saltem in his functionibus, constituentium. Neque locum habent in particulari diœcesis, ac loci consuetudine contraria, approbata, & confirmata, & ex particulari partium conventione, quibus per hujusmodi decreta derogatum esse non censetur, *text. in cap.* 1. *de const. in 6.* Quinimmò non censetur derogatum observantiæ per longum tempus subsequutæ, cùm de illa expressa mentio esset facienda, neque comprehenditur in revocatione, etiam cum dictione universali, præsertim in hac materia funerum, in qua statur semper consuetudini circa personas, quæ in illis debent intervenire, ut in eisdem terminis firmat Grat. *discept.* 492. *num.* 3. & *seq.* ac ita omnia contraria tolluntur, vel conciliantur.

5 Eademque responsione cessant quæ dicuntur de decretis disponentibus, Regulares obligatos esse in funeribus convocare Parochum, non autem alios. Quia Canonici, Capellani, & Clerici eidem Ecclesiæ inservientes, veniunt sub nomine Parochi, accedente præsertim observantia, quæ in hac funerum, exequiarum, & anniversariorum materia semper, & ante omnia spectanda est, ut per Merlin. *d. decis.* 685. *numer.* 29.

6 Porrò indecorum videtur, ut volentes parochiani cùm pompa funebri tumulari, possint Clericos Regulares, pro suo arbitratu convocare, spretis propriæ Parochiæ Clericis, ac Ministris, Merl. *eadem decis. num.* 34. Undè quod Clerici ejusdem Ecclesiæ debeant præferri aliis aliarum Ecclesiarum, fuit resolutum a Sacr. Rituum Congregatione in Neapolitana 23. Aprilis, & 6. Julii 1649.

7 Neque dici potest, quòd hæc procedere possent in funeribus sepeliendorum in Ecclesia Parochiali, non autem in Ecclesia Regularium. Quia eadem est ratio in uno, ac in altero casu. Nam interventus Canonicorum, & Sacerdotum Ecclesia parochialis, non est ratione loci tumulationis, sed ratione jurisdictionis, quam habent super defuncto eorum parochiano, & quia pompa funebris non consistit in loco tumulationis, sed in processione, sive associatione, quando defunctus a sua domo defertur ad Ecclesiam tumulandus. Quare incongruum, ac irrationabile videtur, quod Clerici sæculares, vel Regulares exteri, & aliarum Ecclesiarum, debeant per fines Parochiæ ducere processione, & associare parochianum defunctum, spretis Canonicis, & Clericis parochialis ipsius defuncti, duplicem jurisdictionem in functione habentibus ratione scilicet subjectionis defuncti, ac territorii, seu parochiæ, in qua functio celebratur.

8 Accedente igitur synodo provinciali super hac re, illa non debet dici contra, sed juxta, vel præter jus, atque adeò non indiget aliqua confirmatione Apostolica in forma specifica, cùm ea requiratur in illis statutis, & Constitutionibus, quæ juris dispositioni directè adversantur, itaut deficiente inferioris statuentis potestate, necessaria sit potestas Summi Pontificis, habentis facultatem derogandi juri communi. In iis verò, quæ sunt juris dispositioni conformia, vel etiam præter, itaut illius positivam correctionem non contineant, certum est, Episcopis, vel Archiepiscopis licitum esse statuere, eorumque Constitutiones intra diœcesim, vel Provinciam absque aliqua Superioris authoritate obligare, ut in specie Constitutionum synodalium Buratt. *decis.* 572. *numer.* 4. ubi Add. *litt. B.* Eoque magis ubi non agitur de Constitutione recenti, sed antiqua, longævam observantiam habente, cùm tunc præsumatur a Sede Apostolica confirmata, ut per Seraph. *dec.* 507. *num.* 3. & Buratt. *d. dec.* 572. *num.* 4.

Et ubi etiam esset contra jus, itaut indigeret con- 9
firmatione Apostolica in forma specifica, id locum haberet in illis privilegiis, vel statutis, quæ ad solam petentis supplicationem absque causæ cognitione solent per Breve, vel literas Apostolicas directè, & immediatè confirmari, in quibus terminis procedunt decisione., & authoritates, quæ in hanc rem adduci possunt. Quinimmò in is terminis, quibus constat, Summum Pontificem commisisse aliquibus negotium examinandum, & ad eorum relationem processisse ad confirmationem, dicitur in forma specifica, ut de examine facto per duos solos Cardinales, ordinarium tribunal non constituentes constat apud Spadam *cons.* 38. *lib.* 2. & *in d.* 192. & 210. *par.* 1. *recent.* Et dicitur confirmatio ex certa scientia, quia ex hac naturali discussione resultat certa scientia in confirmante, Molin. *de primog. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 9. Cabed. *dec.* 2. *num.* 3. *lib.* 2. Tondut. *quæst. benef. part.* 3. *cap.* 121. *num.* 13. Quia confirmatio in forma specifica adesse dicitur ubi est facta cum causæ cognitione, in forma verò communi, quando causæ cognitio non adest, ut rectè *dec.* 166. *num.* 4. & 5. *par.* 5. *recent.*

Hæc autem inspectio nullatenus cadit in synodis pro- 10
vincialibus. Quia ex recepta consuetudine istæ non publicantur, neque ad praxim, & observationem reducuntur, nisi prævio examine, ac emendatione Sac. Congregation. Concilii, ut constat ex literis apud Quarant. *in Summ. Bullar. v. Synodus diœcesana in fine*. Estque penè impossibile dari emendationem absque formali examine omnium, ac singulorum, quæ in lege emendanda continentur. Hinc gesta per Sacras Congregationes, Summo Pontifice ad earum relationem approbante habentur pro legibus, & Constitutionibus Apostolicis, ut acriter, satisque maturè discusso articulo occasione decretorum super erectionibus Conventuum, habetur in Romana hæreditatis 22. April. 1659. coram Meltio.

Et in his terminis nulla requiritur citatio. Quia il- 11
la est necessaria ubi Princeps procedit per viam justitiæ, non autem per viam gratiæ, & privilegii, ut per *d. decis.* 210. *num.* 2. & 3. *part.* 1. & *recent.* & 116. *num.* 14. *cum seqq. part.* 5. Item est necessaria in privilegiis particularibus, quæ concernunt favorem, & commodum, ac respectivè præjudicium, & incommodum privatum, non autem ubi agitur de Constitutionibus, & ordinationibus per viam legis generalis in aliqua diœcesi, vel Provincia. Ideòque inter requisita legis enumerata per Canonistas *in c.* 2. *de constit.* & *in cap.* 1. *de treg.* & *pac.* non reperitur, quòd citari debeant omnes ii, quibus nova lex præjudicare debebit. Quod etiam docet totius Orbis observatio.

Neque obstat, quòd non sufficiat scientia Papæ, 12
sed requiratur etiam derogatio jurium tertio competentium. Quia quando actus est de sui natura præjudicialis, uti est in hoc casu, in quo restringitur libertas ex adverso prætensa, non est necessaria formalis derogatio. Cùm enim Papa optimè sciat suam confirmationem nonnisi cum tertii præjudicio posse comprobari, & nihilominus illam interponit, censetur per necessarium antecedens illi juri voluisse derogare, Rota apud Buratt. *dec.* 176. & ibi Add. *numer.* 13. *decis.* 883. *num.* 7. apud Seraph. *decis.* 762. *numer.* 4. & *decis.* 1445. *nu.* 3. & 6. & *in recent. decis.* 174. *numer.* 2. & 3. *part.* 1. & Spad. *cons.* 46. *num.* 4. *lib.* 2. Etiamsi nulla fiat mentio personarum, quibus præjudicium infertur. Quia faciendo actum de sui natura præjudicialem, virtualiter declarat afficere omnes, ad quos præjudicium spectare potest, Add. ad Buratt. *d. dec.* 576. *num.* 14. & 15. cum ibi adductis. Et generaliter quòd sufficiat tacita derogatio ex ipsa confirmatione resultans, tradit Camuncal. *dec. Bonon.* 28. *num.* 3. & certa scientia confirmantis, Dec. *in c. porrecta num.* 11. *de confirm.*

Et hæc tantò magis debent admitti stante expresso 13
mandato ipsius Summi Pontificis, Episcopo dato, ut decreta synodalia quemadmodum aptata sunt, ita observari,

vari curet. Quæ verba important novæ legis editionem, ac si Pontifex dicat, voluntas ita obſervari, ac proindè nulla alia opus eſt derogatione, cùm ad hunc effectum ſufficiat, quòd conſtet de intentione Pontificis. Put. *deciſ.* 109. *in fin. lib.* 1. Spad. *conſ.* 46. *numer.* 5. *lib.* 2.

14 Quæ præcipuè locum habent in caſu, quo adeſſet particularis tranſactio inter Regulares, & Canonicos ſæculares ſuper hoc modo aſſociandi cadavera a Superioribus Regularium approbata, a qua recedere nequeunt, *l. non minorem*, *C. de tranſact. l. ſicut*, *C. de act. & oblig. l. poſt mortem* 25. ubi Bartolus, & Doctores *ff. de adopt.* accedente maximè divina obſervatione, quæ facilè non eſt mutanda, *l. minimè*, *ff. de leg. cap. cum conſuetudini de conſuet.* Pacta enim quamcunque legem, & conſuetudinem in contrarium tollunt, *l.* 1. *C. de pact.* Rot. *deciſ.* 301. *num.* 3. *par.* 4. *rec.* & lex privata inter contrahentes dicitur, *l. legem C. de pact.* quorum diſpoſitioni cùm acquieverint, non permittitur, at poſt longum tempus poſſint reclamare, *l. fin. C. de temp. in integr.*

15 Minùs obeſt, quòd hæc conventio fieri non poſſit in præjudicium populi, neque ſucceſſorum Conventus Regularium, quia non eſt confirmata a Summo Pontifice, ut per Gregor. *deciſ.* 152. Nam quoad primum, præterquamquod hæc eſt exceptio de jure tertii, quæ non debet admitti, dum ille non reclamat, nullum ex hac conventione infertur populo præjudicium, cùm liber ſit convocandi numerum æqualem presbyterorum, & Regularium, quem voluerit. Et quoad ſecundum ſatis eſt, conventionem hujuſmodi factam eſſe coram ambarum partium Capitulis, ab earum Superioribus approbatam, inſtantibus iiſdem Regularibus, ideòque obligat ſucceſſores, accedente potiſſimùm longa acquieſcentia, itaut ad favorem Capituli præſcriptionem induxerit ex traditis *in capit. fin.* ibique Gloſſ. *v. conſuetudo de conſuet. in* 6. & a Spad. *conſ.* 140. *num. decimo*, *libr. tertio* Et in caſu deciſionis Gregorii ideò deciſum fuit, tranſactionem illam non afficere, quia nec authoritate Papæ, neque Ordinarii fuerat confirmata. Ita enim in ea legitur: *& concordia non eſt aliqua authoritate Papæ*, *vel Ordinarii confirmata*, *& propterea*, *&c.* ponderando dictionem illam, *vel*, quæ ex ſua natura eſt alternativa, & uno tantùm contenta eſt, Rot. *deciſ.* 247. *numer. decimus nonus part.* 5. *tom. prim. recent.* Undè infertur, quòd ſatis fuiſſet, ſi interceſſiſſet authoritas Ordinarii, prout interceſſit in hoc caſu, & ſic deciſio in adverſarios retorquetur. Præcipuè autem ſi tranſactio facta fuerit in exequutionem decreti ſynodalis. Et licèt id in ea non exprimatur, attamen ſecundùm illius obſervationem partes contraxiſſe cenſetur, & ex illa earum verba declaranda ſunt, Bero. *conſ.* 137. *lib.* 3. Eoque magis, quia Regulares legitimè contrahere poſſunt abſque alia approbatione, & contractus eſt omninò validus per Conſtitutionem Leonis X. relatam a Quaranta *in Sum. Bullar. v. privilegia Regularium*, *§. pacta autem.*

16 Quidquid dicendum eſſet, ſi verſaremur in ſimplicibus terminis Conſtitutionis factæ ab Epiſcopo, vel Rectore, in quibus loquuntur, plerique Doctores. Secùs autem in hoc caſu, in quo ſtantibus dictis confirmationibus, vel potiùs novis diſpoſitionibus Papæ, ac S. Congregationis, non eſt ampliùs inquirendum, an Conſtitutio ſit juri conformis, vel præter, aut contra jus, quia qualiſcunque illa ſit, per eas validatur, & hujuſmodi confirmationes operantur, ut ſi Conſtitutio ex ſe valeat, illam magis confirment, ſi verò non valeat de novo concedant, Rot. *deciſ.* 513. *num.* 6. *& deciſ.* 145. *num.* 2. *part.* 6. *recent.* Cabed. *deciſ.* 2. *num.* 3. *libr.* 2. Chriſtin. *dec. Belg.* 45. *num.* 23. *lib.* 1. Spad. *conſ.* 147. *num.* 116. *lib.* 3.

17 Concordia igitur iſta inter has partes inita eſt valida, atque adeò non poteſt impugnari prætextu defectus aſſenſus Apoſtolici, aut Generalium Ordinum. Quia in conventionibus initis per Regulares cum conſenſu eorum Conventuum, non eſt neceſſarius, ut apertè diſponitur *in cap. ultim. de pact. in* 6. & tradunt Bald. *conſ.* 261. *per tot. lib.* 4. Anchar. *conſ.* 136. *num.* 2. Natt. *conſ.* 440. *num.* 31. Rot. *deciſ.* 228. *num.* 4. *&* 5. *part.* 7. *recent.* Dec. *conſ.* 474. *numer.* 10. ubi ait, quòd reprehenſione digni ſunt Religioſi, qui contractibus a ſe celebratis, & longo tempore obſervatis contravenire non verentur. Et in ſpecie de juribus funeralibus Gloſſ. *in d. cap. ultim. v. parochialibus*, *& cap.* 1. *eod. tit. de pact.* Merlin. *dec.* 480. *numer.* 1. Eoque fortiùs in caſu, in quo interceſſit approbatio Epiſcopi pro parte Capituli, & confirmatio quorundam Superiorum Ordinum; undè dubitari non poteſt, quin ſit valida, & debeat etiam a ſucceſſoribus obſervari, cùm ad hunc effectum ſatis ſit, quòd de conſenſu Conventus factæ ſint, ut per Caſtr. *conſ.* 406. *num.* 9.

Minuſque relevant Regularium privilegia. Nam quicquid de illis ſit, ea in caſu conventionis non ſuffragantur 18
cùm per illam cuicunque juri ſibi ex illi competenti derogatum fuerit, ac renunciatum, ut ex textu *in cap. ſi de terra de priv.* ubi Gloſ. Dec. & Felin. ac Marſil. *in rubr. ff. de fidejuſ. num.* 336.

Haud majoris ponderis eſt aſſerta conſuetudo, diſpo- 19
ſitioni Synodi provincialis contraria. Primò, quia debet probari per teſtes formiter examinatos, qui deponere debent de actuum frequentia, temporis diuturnitate, & concordare de tempore, alioquin reputarentur ſingulares, & nihil probarent, ut per Alex. *conſ.* 45. *num.* 3. *&* 4. *lib.* 2. Cabal. *reſol. crim. cap.* 293. Bartol. *in repet. l. de quibus propè fin. ff. de leg.* ac dicere debent, quod animo introducendæ conſuetudinis ita fuerit obſervatum juxta communem opinionem, cum aliàs actus hujuſmodi potuiſſent permitti ex gratia, vel tolerantia Canonicorum, ut ex Alexandro, & aliis advertit Rota Genuen. *deciſ.* 17. *num.* 9. *& ſeq.* Fides verò ex aliis locis diœceſis nihil juvant ad probandum dictam contrariam conſuetudinem. Quoniam ad loca vicina nunquam recurritur pro conſuetudine, ubi contraria eſt in loco, de quo agitur, ut per Feder. de Sen. *conſ.* 95. *numer.* 4. Caſtr. *conſ.* 164. *lib.* 2. Caval. *dec.* 95. *num.* 3. Chriſtin. *dec. Bel.* 56. *num.* 6. Probatio enim conſuetudinis in aliis locis Regionis poteſt juvare, quando non probatur contraria in loco controverſo, Anchar. *conſ.* 255. *num.* 4. Cravet. *conſ.* 21. *num.* 31. *lib.* 4.

Quinimmò, ſecluſa conventione, prætenſa conſue- 20
tudo, tanquam contraria decretis Concilii provincialis, eſt irrationabilis, atque adeò non eſt attendenda per textum *in cap. fin.* ibique Gloſſa, & Canoniſtæ, *de conſuet. & in cap.* 1. *de conſt. in* 6. Bartol. *in d. l. de quibus*, ac cæteri, *ff. de leg.* Habet enim illorum reſiſtentiam, & ab initio vitioſo procedit, a quo licitè incipere minimè poterat, ut in ſimili firmat Cravet. *conſ.* 650. *nu.* 5. & ſaltem debet oſtendi, quod fuerit in judicio agitata, & obtenta, ac probari legitimè præſcripta ſpatio quadraginta annorum, ut eſt textus *in d. cap. fin.* & ibi Gloſſ. *ult.* & Abb. *ſub numer.* 2. *de conſuet.* Rot. *dec.* 458. *num.* 15. *& deciſ.* 497. *num.* 5. *& deciſ.* 594. *num.* 3. *part.* 1. *rec.* Sperel. *deciſ.* 89. *num.* 25. *& ſeqq. lib.* 1. Flor. de Men. *var. quæſt. cap.* 1. *num.* 64. Menoch. 167. *num.* 57. *& ſeq. lib.* 2. & Spada *conſ.* 373. *num.* 5. *lib.* 2. Maximè in caſu, in quo agitur de auferendo jure Caconicis ex decretis ſynodalibus, & ex diutina Regularium obſervatione quæſito, ut per ſpad. *conſ.* 5. *num.* 50. *lib.* 1. *& conſ.* 20. *nu.* 4. *lib.* 2. *cum ibi allegatis*. Et licèt eſſet irrationabilis, ac legitimè probata, minùs tamen ſuffragaretur, ſi in decretis ſynodalibus, & in conventione adeſſent clauſulæ prohibitivæ talium functionum abſque interventu Canonicorum, quæ nec per contraventionem, neque per præſcriptionem tolli poſſunt, Menoch. *lib.* 6. *præſumpt.* 41. *nu.* 10. Immò inducunt malam fidem, cum qua de jure canonico nulla currit præſcriptio, *cap. fin.* ubi omnes *de præſcript.* Sperell. *dec.* 121. *num.* 8.

Neque refragatur, quod in facultativis, & per actus 21
difformes non inducatur conſuetudo. Quia ſtante diſpoſitione ſynodali, qua vetitum eſt hæredibus Regulares abſque Parocho, & Capitulo invitare, & Regularibus ſine illis accedere, non dicitur eſſe in facultativis, ſed actus ſubſequuti dicuntur facti in vim præcedentis decreti ſynodalis, ut per Add. ad Gregor. *deciſ.* 161. *num.* 16. Et quatenus aliqua materiæ facultativæ ſuſpicio ſuboriretur, ex continuatione tamen actuum per longum temporis intervallum geſtorum, excluſa omninò remaneret; neque ſub hoc prætextu poſſeſſio manutenibilis eſſet deneganda, Seraph. *deciſ.* 323. *num.* 3. *& ſeq.* Neque eſt neceſſe hanc conſuetudinem fuiſſe in judicio agitatam, quia cum ſit in exequutionem decreti ſynodalis, nullo alio eget auxilio ad ſui validitatem, & adverſariis hoc onus incumbit, qui contra decretum ſynodale nituntur.

Nullius etiam eſt momenti, quod tàm ipſa conven- 22
tio, quàm decretum ſynodale ſint contra diſpoſitionem Concilii Trident. Nam in Concilio nullibi legitur, quod hæredes defunctorum poſſint quem voluerint Regularium numerum invitare, ſed tantùm id decrevit Sac. Congregatio ſuper Epiſcopis, & Regularibus in Caſſanen. 5. Maji 1617. Quòd non impedit, quominus Epiſcopus pro ſuæ diœceſis exigentia potuerit in hac materia ſtatuere, neque ex hoc ſequitur, quod ſit contra libertatem Eccleſiaſticam. Quia iſta libertas ſolùm conſiſtit, ut Regulares poſſint ad ſepulturam recipere eos fideles, qui illam elegerint in eorum Eccleſiis, ut ex

Clem.

Clem. Dudum, §. *Verum*, *de ſepult.* non tamen ex hoc tollitur, quod aliis de jure, vel ex conſuetudine debetur circa ea, quæ ſervari debent in hujuſmodi funeribus, cùm non ſint contraria dictæ ſepulturæ, neque ei repugnent, ut iiſdem penè verbis ratiocinatur Gratian. *diſcept.* 492. *num.* 15. *& ſeq.* multoque minus dici poteſt contra jus, quia jura funerandi Regularibus competunt ex privilegio, quæ de jure non habent, tanquam carentes populo, ut per Gloſ. *in d. Clem. Dudum*, §. *hujuſmodi*, *v. ſepulturam*, ac etiam, quia jus eligendi ſepulturam eſt contra jus commune, ut per Cæſar. de Graſ. *deciſ.* 2. *de ſepult. num.* 11.

23 Et in omnem caſum, etiamſi Concilium aliquid decreviſſet, nihilominus, attenta immemorabili conſuetudine, illud non haberet locum, cùm per Concilium præcedentes tantummodò, non autem ſubſequutæ locorum conſuetudines tollantur, ut ſæpè declaravit Sacr. Congregatio ejuſdem Concilii apud Garz. *de benef. p.* 3. *c.* 2. *num.* 104. Anguian. *de legib. lib.* 2. *contr.* 20. *n.* 21. & Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancel. gloſs.* 33. *num.* 5.

24 Neque dici debet, inductam fuiſſe novationem. Quia novatio fit vel expreſsè, quando conſtat de cotrahentium voluntate novare volentium, vel tacitè propter actuum imcompatibilitatem, Gratian. *diſcept.* 153. *num.* 34. *& diſcept.* 509. *num.* 10. Dicta autem conventio non præſefert novam diſpoſitionem, a decreto ſynodali diverſam, aut cum illo incompatibilem; immò facta fuit in illius exequutionem, quod Regulares obſervare detractabant, & ex hoc nulla conſiderari poteſt novatio, Rot. *deciſ.* 150. *num.* 52. *p.* 9. *rec.* Gratian. *diſcept.* 290. *n.* 17. *& 19. & d. diſcept.* 553. *num.* 23. *& ſeq.* Add. ad Greg. *deciſ.* 76. *num.* 8. Quod ſi fateamur ortam fuiſſe novationem, neceſſe eſt etiam, ut fateamur tranſactionem fuiſſe validam. Etenim certi juris eſt ex actu invalido non induci novationem, niſi talis actus directè opponatur primo, & cum illo ſit incompatibilis, aut de contrahentium contraria voluntate appareat. Id, quod in hoc caſu conſiderari non poteſt ex ſupra deductis a Gratian. *dict. diſcept.* 290. *& diſcept.* 509. *n.* 25. & a Greg. *d. dec.* 70. *num.* 3. ibique Add. *n.* 9.

25 Quæ omnia licèt ſufficiant in pleniſſimo judicio, ſatis tamen, ſuperque ſunt in ſummariſſimo manutentionis, in quo ſufficit ſola poſſeſſio tempore motæ litis, ut per Rot. poſt Tambur. *de jur. Abbat. dec.* 2. *n.* 4.

26 At nihilominus tenendum eſt, prætenſionem hujuſmodi nullam habere juris ſubſiſtentiam, cùm id pendeat ab hæredum arbitrio, ut plenè firmatur apud Barboſ. *de offic. & poteſt. Paroch. cap.* 26. *num.* 57. ubi refert reſolutionem S. Congregationis ſuper Epiſcopis in dicta Caſſanen. 5. Maji 1617. *& in ſumm. Apoſtol. deciſ. v. defunctus num.* 5. *& v. hæres num.* 3. Lezan. *in ſum. d. v. Defunctus num.* 4. *&* 7. ubi adducit decretum S. Congregationis Rituum ſub die 14. Januarii 1640. per hæc verba: *Electionem*, *& numerum Religioſorum pro aſſociandis cadaveribus ad libitum hæredum defunctorum ſpectare*, *& pertinere*, *& ita ubique ſervari debere*, *declaravit*. Quod decretum refert etiam Paſqualig. *in obſerv. ad Lauret. de Franch. p.* 1. *num.* 1591. *& p.* 2. *in addit. ad qu.* 95. *n.* 2. Fuitque confirmatum ab Alexandro VII. ſub anno 1660. & demandata præcipua ejus obſervatio cum decreto irritante, & clauſula ſublata vigore Brevis, ac tenet Bordon. *reſol.* 51. *n.* 26. *cum ſeq. tom.* 2. ex rationibus ab ipſo deductis. Et Parochus, ſi ſecus fecerit, tenetur ad reſtitutionem, ut per Jo: Sanch. *in ſelect. diſp.* 48. *num.* 24.

27 Neque obſtare poteſt ſynodus provincialis. Primò, quia ex ea læderetur libertas electionis ſepulturæ, cùm dari poſſet caſus impotentiæ, & violarentur privilegia Regularium, nempè Alexandri IV. Martini V. Urbani IV. Clementis IV. & Innocentii IV. ut in hac ſpecie Peyrin. *ad Conſtit.* 10. *Leonis X.* §. 2. *num.* 2. qui his verbis improbat hujuſmodi ſtatuta: *Si quæras etiam*, *quid ſentiendum ſit de illo novo invento*, *quod obſervatur in aliquibus Eccleſiis*, *ut nolint Curati levare corpora defunctorum*, *niſi tot Clerici vocentur ad aſſociandum corpus defuncti*, *quot Regulares? Meo videri illud ſtatutum habet radices in avaritia*, *&c. & videtur contra privilegia Regularium*, *quibus libera ſepultura conceditur*. *Quomodo enim libera erit ſepultura*, *ſi parentes defuncti non poſſent vocare quot fratres volunt*, *niſi vocentur tot Clerici? Et habere ſpeciem monopolii*, *quod injuſtum eſt locupletari cum aliena jactura*.

28 Secundò, ex defectu poteſtatis. Epiſcopus enim non poteſt ſtatuere contra jus, ut per Add. ad Buratt. *deciſ.* 572. *lit. B.* eoque minus contra decreta Sacrarum Congregationum, ut per Barboſ. *in collect. ad Concil. ſeſſ.* 1. *num.* 2. neque contra privilegia Regularium, ut in his terminis probat Azor. *inſtit. moral. part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 11. Caſtropal. *tom.* 2. *tr.* 92. *diſp. un. pun.* 8. *num.* 5. Peliz. *in man. Regul. tom.* 2. *tr.* 8. *cap.* 6. *ſect.* 1. *num.* 57. ibi. *An Ordinarii poſſint facere ſtatutum*, *ne Regulares vocentur ad funus*, *niſi prius vocatis omnibus Clericis? Reſpondetur non poſſe*, *cum tale ſtatutum pietati adverſetur*, *limitem ponat liberæ morientium electioni*, *& deroget juri*, *quod habent Regulares*. Immò ſimoniacum eſſe vult Sylveſtr. *in ſumm. verſ. ſimonia num.* 11. quem ſequitur Ceſped. *de exempt. Regul. quoad ſepulturam cap.* 2. *numer.* 19. *&* 20.

Neque ſuffragatur confirmatio Sacr. Congregationis 29
Concilii, ſive Summi Pontificis, niſi illa fuerit in forma ſpecifica, non autem in forma communi, alioquin ſequeretur abſurdum, quod Epiſcopus ſtatueret contra jus, & Conſtitutiones Apoſtolicas, & S. Congregatio, ſive Summus Pontifex ſtatuta confirmaret ſub involucro verborum, quod nunquam præſumendum eſt, ſed potius facienda quæcunque interpretatio, quantumvis aliàs eſſet impropria, & extranea, ut egregiè Gemin. *in cap. Cui num.* 11. *de præb. in* 6. Dec. *in cap. ex parte* 2. *num.* 15. *de offic. deleg. & conſ.* 38. *num.* 7. Honded. *conſ.* 5. *num.* 77. *lib.* 1. & latè Cæphal. *conſ.* 323. *numer.* 23.

Et quidem ſi negaretur hæredibus defunctorum liber- 30
tas evocandi quos, quotve voluerint ad comitandum funus ad Eccleſiam Regularium, ſequeretur abſurdum, quod hæredes ad evitandum ſumptus funeris non evocarent niſi unum Regularem cum Parocho, qui juxta reſolutiones S. Congregationis alibi adductas non poterit dare mortuo, niſi ultimum vale, & diſcedere, & conſequenter defunctus remaneret ſolus cum uno Regulari, qui ſolus celebraret exequias ſuper cadavere. Et ideò hujuſmodi decreta ſynodalia non poſſunt in hoc caſu habere locum, ſed tantum in caſu, in quo celebrarentur funera in Eccleſiis parochialibus, quo in caſu indecorum eſſet, quod intervenire debeant in Eccleſiis propriis parochialibus Regulares, & presbyteri ſæculares exteri ad excluſionem proprii Cleri, cui in hoc fieret injuria, ſicuti fieret injuria Eccleſiæ regulari, ſi non poſſent Regulares intereſſe funeri in ſuis Eccleſiis, niſi interſint tot presbyteri ſæculares, vel Clerus, & Capitulum Eccleſiæ parochialis.

Neque ſufficit ſcientia Papæ, ſive implicita ſit, quæ 31
deſumitur ex clauſula ex plenitudine poteſtatis, & certa ſcientia, ſive explicita, & verè narrat, quia ſemper requiritur expreſſa derogatio, ut per Cæſ. de Graſſ. *deciſ.* 3. *de reſcript.* ubi aſſignatur ratio, Seraph. *deciſ.* 1082. *num.* 6. *& ſeqq.* cum ex ſcientia Papæ deſumpta ex narratis, potuerit Papa facilè decipi ob verborum involucrum, Rot. *deciſ.* 174. *num.* 3. *part.* 1. *rec.* Immò ejuſmodi concordia, uti facta ſuper jure ſpirituali, & non confirmata a Papa non afficit ſucceſſores, ut per Add. *ad Gregor. dec.* 152. *n.* 3. Et licèt in corpore deciſionis dicatur, quod facta ſine authoritate Papæ, vel Ordinarii ſit invalida, in additione tamen loquitur de confirmatione Papæ tantùm. Præcipuè, quia non poteſt præjudicare hæredibus defunctorum, Gregor. *dec.* 418. *n.* 10. cùm habeant liberam facultatem evocandi, quos maluerint pro aſſociandis funeribus.

Minus quoque refragatur concordia. Quia eſt invali- 32
da, cum non ſit confirmata a P. Generali, ſive a Capitulo generali juxta ea, quæ tradit Peyrin. *ad Conſtit.* 4. *Julii Secundi* §. 3. *notab.* 4. *n.* 9. ubi firmatur, quod per ſuam ultimam Conſtitutionem Leo X. moderatus fuit præcedentem ſuam Bullam, ac revalidavit, reſtituitque in priſtinum ſtatum omnia Mendicantim privilegia. Quod etiam tenet Rodriqu. *tom.* 1. *qu. reg.* 8. *art.* 10. qui etiam adducit Bullam Pauli IV. & Caſſarub. *v. privilegia fratrum n.* 28. *& ſeq.* Eo præcipuè, quia ejuſmodi concordia non eſt inita ſuper juribus parochialibus, cùm jura parochialia dicantur illa portio, ſeu quarta funeralis, quæ de jure canonico debetur Parochis, & ideò ſub jure parochiali non comprehenditur electio ſepulturæ, ſive aſſociatio ad illam, per quam non poteſt præjudicari dicto juri, ſeu quartæ funerali, ut per Rodriq. *d. to.* 1. *q.* 49. *art.* 6.

Neque ſubſiſtit diſtinctio illa de Clericis ejuſdem Ec- 33
cleſiæ parochialis, & de Clericis exteris. Nam, omiſſo, quod non eſt locus diſtinctioni in actu claro in dictis decretis S. Congregationum, expreſsè, ac ſpecificè loquentibus, Rot. *deciſ.* 135. *n.* 9. *p.* 7. *recent.* prætata diſtinctio non ſubſiſtit in jure, quia quando aliqua Conſtitutio indiſtinctè facit mentionem de cura animarum, intelligenda eſt de cura actuali, non habituali, ut per Barboſ. *in tr. var. de appellat. verb. ſignif. appell.* 65. *n.* 1. *de offic. & poteſt. Paroch. part.* 1. *c.* 2. *n.* 77. *de offic. & poteſt. Epiſc. par.* 1. *tit.* 2. *gloſ.* 17. *n.* 40. Rot. *deciſ.* 354. *n.* 3. *& ſeqq. p.* 4. *tom.* 2. *recent.* Et ideò dum S. Congregatio Concil. Trid. diſponit, non excludi Parochum ab aſſociatione

tione cadaverum, intelligitur de Parocho actuali deputato a Capitulo Collegiatæ parochialis. Unde quando Collegiata, vel Cathedralis Ecclesia habet annexam curam animarum, ipsa cura dicitur habitualis, & annexa Capitulo collegialiter, non autem alicui dignitati, sive Canonicatui, qui neque actu, neque habitu dicuntur Curati; sed cura actualis administratur per Capellanum deputatum ab eodem Capitulo collegialiter, ut per Eminentissimum Cardinalem Otthobonum *decis.* 68. *numer.* 3. & 4. & 8. Put. *decis.* 282. *lib.* 1. & firmat etiam Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancel. gloss.* 6. *numer.* 71. & *seqq.* Et ideò dicti Canonici non constituunt unum corpus cum Parocho actuali, quia non habent jurisdictionem parochialem.

34 Decisiones Rotæ in Neapolitana funeralium non adversantur. Nam in illis agebatur, quod confratribus presbyteris S. Joannis sæpè solebat tàm ipsis, quàm hebdomadariis, præter mercedem præfixam pro funeribus, aliquod augmentum præstari ex causa longioris itineris, ac diuturni, sive nocturni laboris accreti, super quo incremento orta fuit inter eos controversia. Nam hebdomadarii prætendebant totum sibi deberi augmentum, & confratres ad illius participationem aspirabant. Rota autem in prima decisione resolvit ad favorem Confratrum ex regula, quod participanti de principali, pars quoque augmenti deferatur. Sed in secunda decisione recessit, quia ab Archiepiscopo in visitatione fuerat constituta merces Confratribus, & sic non faciunt ad casum nostrum.

35 Hoc ipsum etiam evincitur ex eo, quod de jure statutum est deberi Parocho ad quartam funeralem, & ideò si Canonici, & Presbyteri Collegiatæ vellent comitari funus tanquam Parochi, licèt de jure non sint, nihilominus ipsi unà cum Parocho actuali non possunt accipere, nisi unicam quartam funeralem inter se dividendam, non autem tot quartas funerales, quot sunt Canonici, ac presbyteri, quia id esset exorbitans a jure, & propterea dum volunt habere alia emolumenta, præter quartam, non dicuntur accedere uti Parochi, quibus non debetur, nisi quarta, & sic contendunt pro emolumentis extraordinariis, non pro accessu ad effectum consequendi quartam parochialem. Immò si Canonici, ac presbyteri dicerentur tot Parochi, & constituerent unum corpus cum ipso Parocho, utique possent cogi ad associandum funus, a quo Parochus non potest excludi, & tamen non possunt cogi.

36 Denique non obstant literæ Sacr. Congregationis super Episcopis, & Regularibus superius adductæ, ac datæ sub die 17. Januarii 1600. Tum quia emanarunt cum præsuppositа confirmatione illius synodi in forma specifica, facta a Gregorio XIII. Tum etiam, quia decretum synodi Albinganensis, de qua in dictis literis fit mentio, loquitur de funeris exequiis, & de psallendis officiis divinis, cum multoties efferuntur cadavera ad Ecclesias privatim, & deinde expositо cadavere in Ecclesia invitantur Sacerdotes ad celebrandum exequias cum pompa. Et hoc casu statuit dicta synodus, quod primum evocetur Clerus, ac deinde alii, quos voluerint hæredes invitare, non autem loquitur de comitandis cadaveribus, quia in hoc voluit servari consuetudo, cum in dubio semper præsumendum sit, quod quælibet dispositio sit juxta dispositionem juris, non autem contra jus. De jure autem est, quod pro celebrandis exequiis in Ecclesia parochiali interesse primum debeat Clerus illius parochialis, & deinde alii, qui non possunt evocari, nisi evocato prius Clero, non obstante quacunque consuetudine. Unde eadem Sacr. Congregatio re maturius discussa sub die 23. Novembris 1663. censuit, *Synodum præfatam non comprehendere Regulares in casu, de quo agitur, ideoque esse ad libitum disponentium, vel ipsorum hæredum convocare numerum Clericorum, & Fratrum, quos ipsi maluerint, non attenta præfata concordia, cæterisque in contrarium allatis non obstantibus quibuscunque.* Quod decretum fuit postea sub die 27. Martii 1664. ab eadem S. Congregatione confirmatum his verbis: *Sac. Congregatio, &c. attentis narratis, reque denuò auditis partibus, Eminentiss. Ilcio referente, maturè discussa, statuit, ac decrevit, standum esse in decisis, quibuscunque non obstantibus.*

37 Ex quibus resolvendum est, posse hæredes ad suum arbitrium evocare ad funus comitandum quoscunque, & quemcunque numerum voluerint, dummodò non excludatur proprius Parochus defuncti.

38 Quo verò ad consuetudinem immemorabilem. Ad illam probandum debet concedi remissoria, Quia per Constitutiones Apostolicas, & decreta Sacrarum Congregationum pro Regularibus non est sublata immemorabilis, & prærogativa, quod in associatione funerum ad Ecclesias, regulares evocetur Clerus parochiæ defuncti simul cum Regularibus, potest introduci ex consuetudine quadragenaria, utque certæ personæ ad funera evocentur, cùm non sit impedimentum liberæ sepulturæ, sicut advertit in hac specie Gratian. *discept.* 492. *num.* 7. & *seqq.* Ergo multò magis potuit ex consuetudine immemorabili, ex qua potest allegari privilegium, etiam in reservatis Principi, quando non concurrit incapacitas ex parte allegantis, Buratt. *decis.* 365. *num.* 5. & Add. *num.* 10. Estque protritum, quod illa tribuit meliorem titulum de mundo, Buratt. *dec.* 373. *num.* 5.

Maximè quia est rationabilis. Non enim est merè 39
coactiva hæredum defunctorum, ut præcisè evocent Clerum, sed solùm inducit prælationem ejusdem Cleri in casu, quo hæredes velint funus associari per alios extraneos. Quæ quidem prælatio est in jure fundata ex eo, quod Clerus inservit Ecclesiæ parochiali, & Parocho in administrando Sacramenta parochianis ad textum *in can. nullus*, & *c. obitum* 61. *d. cap. inter*, ubi Glos. *v. aliam de elect.* Rot. *decis.* 413. *num.* 1. *part.* 1. *div.* & *decis.* 337. *n.* 12. *p.* 4. *to.* 2. *recent.* Præterquamquod in funere defertur Crux parochialis juxta consuetudinem, de qua Oldrad. *cons.* 82. Gratian. *discept.* 298. *nu.* 13. & 492. *num.* 7. *ac seq.* Ideò conveniens est, ut quilibet Clerus suam Crucem comitetur, ne indecenter deferatur, & revertatur cum solo Parocho.

CONSULTATIO CCVI.

De Concionatoribus varia ad ornatum c. 1. & 2. *sess.* 5. & *cap.* 4. *sess.* 24. *de reform. S. Conc. Trid. cum Sacrarum Congregationum declarationibus, rebus judicatis, consultis, atque decretis in hunc locum simul congestis.*

VErbi Dei prædicatio ad Episcopum propriè perti 1
nere, nulli dubium est ex Epist. Clementis I. & ex quam multis eruditè probat Sacra Rota omninò videnda *decis.* 234. *part.* 6. *div.* Ipse enim est præco veritatis, & adeò est munus Episcopi, ut ad ipsum solum spectet prædicare, vel suis sumptibus prædicatorem in Cathedrali deputare. Quin etiam quicunque jurisdictionem habent in subditos, tenentur ad prædicationis munus, etiamsi sint Prælati inferiores ex *d. cap.* 2. Trid. *v. Ecclesiarum Prælatos*, idque per seipsos, *c. inter cætera de offic. Ordin.* nisi legitimo detineantur impedimento. Legitimum namque impedimentum multa præstare dicuntur, quæ notantur in *dict. cap. inter cætera*, sed cùm ibi defectus scientiæ legitimum non præstet impedimentum, videtur, quod hæc lex posterior Concilii per precedentem declaretur, *arg. l. sed* & *posteriores, ff. deleg.* præsertim cùm ad eamdem se remittat, & nihil videatur statuere, nisi quod illa statuit. Sed usus obtinuit, ut etiam defectus scientiæ computetur inter legitima impedimenta, iis præsertim, qui licèt sint Doctores in utroque jure, & in aliis scientiis, ad prædicandum tamen inepti sunt, quos ne ludibrio sint, neve authoritas vilescat, tacere potius oportet, & per alium hoc munus explere.

Possunt ergo isti Prælati subdelegare hoc prædicatio- 2
nis munus. Sed an Episcopus deputabit in isto casu, quo Prælatus inferior esset impeditus prædicare per seipsum juxta *cap.* 4. *sess.* 24. vel Prælatus ipse poterit deputare, ut *in cap.* 2. *sess.* 5. *v. viros idoneos assumere*? Dicas, quod Episcopus non deputabit, cùm ille textus procedat in Parochis, & aliis sibi subjectis, & deputatio ista in Cathedrali in tantum pertinet ad solum Episcopum, ut nec Canonici, aut Capitulum possint in ea se intromittere, nec inconsulto, aut contradicente Episcopo aliquem ad prædicandum in Cathedrali, etiam ex prædicatoribus ab ipso Episcopo approbatis, deputare, seu admittere. Tenetur tamen Episcopus sumptibus propriis conducere prædicatorem in Cathedrali. Quod si ex immemorabili tempore sumptus ad alios spectent, Episcopus deputabit, quem voluerit, sumptus tamen ab iis subministrabuntur, qui ab immemorabili ad id tenentur. Quod si nondum certum sit quorum sumptu concionator sit conducendus, tenetur interim Episcopus propriis sumptibus eum conducere, Ricc. *in pr. resol.* 468. *num.* 3. Barbos. *ad Trid. d. cap.* 4. *num.* 3. & Diana *part.* 7. *tr.* 5. *miscel. resol.* 7. Ugolin. *de offic. Episcop. cap.* 42. *sub initio*, Gallesi. *in marg. cas. consec. v. Eleemosyna*, & decisum refert Zeroll. *in pr. p.* 1. *vers. prædicatio*, §. 7. Ricc. *d. resol.* 468. *num.* 1. & *in collect. p.* 5. *collect.* 1766. quibus adstipulatur est textus *in d. c. inter cætera de offic. Ord.* Sbroz. *de Vicar. lib.* 2. *q.* 21. *num.* 1. & Leo *in thesaur. p.* 1. *cap.* 8. *n.* 1.

Nam cùm prædicandi munus sit proprium Episcopi, ut 3
ex Trid. *loc. alleg.* nil mirum, si eo, vel impedito, vel nolente

lente prædicare, suis sumptibus per alium hujusmodi prædicandi muneri satisfacere teneatur, *d. cap. inter cætera*, & Tridentinum ubi supra, Riccius, ac Leo locis citatis, & Ricciul. *lucubr. Eccles. lib. 6. cap. 16. num. 2.* ubi id ampliat in Episcopo quantumvis paupere. Habet enim Communitas intentionem fundatam ad sui favorem contra Episcopum in dispositione textus *d. cap. inter cætera de offic. Ordin.* solumque requiritur consuetudo immemorabilis, ut communitas possit compelli ad victum, & eleemosynam concionatori præstandum, licèt non desint Doctores asserentes, quod Episcopus debeat propriis sumptibus in Ecclesia Cathedrali prædicatorem deputare, quacunque consuetudine, etiam immemorabili non obstante, ut admonet Barbos. ad *d. cap. 4. sess. 24. Trid. num. 3.* ibique Farinac. *§. Beatus Pius V.* ac faciunt annotata per Zerol. *in pr. d. v. prædicatio*, *§. 7.* At desiderari immemorabilem certum est, ad quam inducendam requiritur centenaria completa, ut latè per Gabr. *lib. 5. de præscript. concluf. 1. numer. 78. & 80.* cum rursus quadraginta annorum non sufficiat, deficiente titulo, juxta textum *in cap. 1. de præscript. in 6.* & Gratian. *discept. 620. num. 8.* Quare si concurrant actus in contrarium intra dictos centum annos, excluditur immemorabilis, Rot. coram Gregorio *decis. 51. num. 3.* ubi Add. *lit. B. num. 6.* juncta *decis. 298.* ibique Add. *num. 13.* Put. *dec. 476. lib. 2.* cum aliis per Molin. *de primog. Hispan. cap. 6. lib. 6. num. 60. & seqq. ac inter recent. part. 7. decis. 57. num. 20.* cum potissimum in hoc consistat vis, & efficacia immemorabilis; ut scilicet per centum annos nil unquam fuerit visum, neque auditum in contrarium, Rot. *part. 5. rec. decis. 126. num. 22.* ac alibi sæpiùs. Cessante igitur immemorabili tàm ex defectu temporis, quàm actuum positivorum assiduè, atque interruptè. Episcopus, non autem communitas tenetur subministrare Concionatori sumptus, ut præter declarationes Sac. Congreg. super Episcopis tradit etiam Diana *d. resol. 71.*

4 Quod jus deputandi concionatorem in Cathedrali nullo jure, vel consuetudine potest præscribi contra Episcopum Zerol. *in pr. v. prædicator*, Barbos. *de jur. Eccles. lib. 1. cap. 13. num. 23. & de offic. & potest. Episcop. part. 3. allegat. 76. n. 6.* cum illis præcipuum munus sit verbo Dei pascere oves sibi commissas juxta Canones Conciliorum congestos per August. *in epit. jur. Pontif. lib. 4. tit. 59.*

5 Si quis autem hoc adimplere contempserit districtè subjaceat ultioni. Quæ Prælatorum pœna cùm non sit immutata *in d. c. sess. 24.* remanet *arg. l. qui primus de appell.* & cùm sit apposita affirmativè, ipso jure sine monitione inflicta intelligitur, Abbas post Joann. Andr. *in cap. excommunicationi de rapt.* etsi non servetur, inducit peccatum mortale, *Clem. 1.* & ibi Cardinal. *de immun. Eccles.*

6 Ad hoc idem tenentur Archipresbyteri quoque, plebani, & cæteri, qui in *d. sess. 24. cap. 4.* sub nomine Parochi comprehenduntur *Clem. 1. de Regul.* ubi Glossa. Quia prædicandi officium est curæ, itaut deputatio exclusiva Parochi ab officio prædicandi neque etiam præscribi possit ad plenè tradita in terminis a Ripa *resp. de consuet. num. 39. & seqq.* cum illud intrinsecè inhæreat muneri parochiali juxta Glos. *d. Clem. 1.* ac Sperel. *dec. 70. num. 3.*

7 Hinc infertur ad prædicatorem non teneri eum, qui dignitati, vel Canonicatui curam habet animarum annexam, cùm parochia ab iis differat, Imol. *in Clem. 1. de offic. Vicar.* Rebuff. *ad concord. Franch. v. in forma mandati.* Sed si Decani prædicare velint, prohiberi non debent, nisi ob aliquam justam causam. At contra *Clem. Dudum de sepult.* ubi Mendicantibus etiam prædicare licet, cùm tamen curam non habeant animarum. Dic, illud procedere ex privilegio, sed hodie per Concilium revocatur quoad hoc simul cum Mare magno, ut *dict. cap. 4. sess. 24.* Quare hodie Regulares, etiamsi sint diaconi, vel Sacerdotes simplices non habentes Ecclesiam curatam, non possunt prædicare, nisi de licentia Episcopi, vel Sacerdotis Curati, ut probatur *in c. adjicimus 16. q. 1.* Et posset hoc prædicandi munus committi, etiam simplici Clerico, dummodò aliàs ratione ætatis sit major, & approbatus vita, moribus, & scientia. Quia sacer ordo non est de substantia hujus muneris, & cùm non sit ordinis, sed jurisdictionis, delegari potest, *arg. cap. aqua de consecr. Eccles. vel alt.* Abb. *in cap. quamsit de judic. & in cap. quod Dei timorem col. 2. de stat. Monach.* Fagnan. *cap. responso de sent. excomm. num. 15.* non autem laico, ut minus rectè Navar. *conf. 7. de offic. jud. deleg.* Vice autem versa Curatus, etiam nondum promotus ad Sacerdotium potest, ac debet prædicare populo verbum Dei, sicut & Episcopus non consecratus, cui prohibetur ea tantùm exercere, quæ sunt Ordinis, non autem, quæ sunt jurisdictionis, vel officii, ut *in cap. transmissam, & cap. Quod sicut, §. præterea de elect. & in cap. quamvis 68. d.* Et hanc sententiam aliàs probavit Sacr. Congregatio Concilii. Nam proposito dubio, an officium solemnis prædicationis in Ecclesia posset simplici Clerico in sacris minimè constituto ab Episcopo delegari die 23. Junii 1580. censuit munus prædicationis per Episcopum committi posse etiam Clerico, qui non sit in sacris Ordinibus constitutus. Dictum tamen fuit in Sacr. Congregatione, laico committi non posse. Et ita videbatur tenere tota Congregatio per *cap. ad abolendam, & cap. Cum ex injuncto de hæret.* ac per Concil. Lateran. *sess. 11.* sub Leone X.

8 Quoniam verò videbatur, quod defectus scientiæ legitimum præstaret impedimentum, ut supra diximus, ideò Sac. Concilium *d. cap. 4.* omne impedimentum includit, & dixit *d. sess. 5. cap. 2. si hi legitimè impediti fuerint.* Ex quo sequitur, quod hodie Episcopus non potest cogere Parochum, ut publicè prædicet verbum Dei, poterit tamen cogere, ut inter Missarum celebrationem sacra eloquia, & salutis monita populo explanet ex *sess. 22. de Sacrif. Miss. cap. 8. & ac observ. & evit. in celebr. Miss. & sess. 24. cap. 7.* Quod fieri debet diebus dominicis, & aliis solemnibus ex *d. cap. 2. sess. 5.* quibus adde ex *d. c. 4. sess. 24.* tempora jejuniorum, id est Quadragesimæ, & Adventus arbitrio ipsius Episcopi.

9 At verò an Parochi teneantur in suis Ecclesiis formaliter prædicare dubium est. Etenim cùm Episcopus Eugubinus vellet compellere Regulares Montis Oliveti ad præstandum salarium concionatori suæ Cathedralis, aliàs autem comminaretur se eos compulsurum ad sustentandum proprium concionatorem in eorum Ecclesiis curatis, Regulares adjerunt Sacr. Congregationem Concilii, dicentes onus esse Episcopi præstari salarium concionatori Cathedralis. Quoad Ecclesias autem eorum curatas Concilium Tridentinum non jubere, ut in eis prædicetur formaliter, sed sufficere, ut Parochus se vergat ad altare, & declaret Evangelium, & sermocinetur. Unde cum hoc sit onus Parochi, compellendus ipse erit ab Episcopo, & non cogendi Regulares ad sustentandum concionatorem. Sacr. Congregatio censuit hos Regulares non teneri contribuere impensæ prædicatoris Cathedralis, ut aliàs decisum fuit. Quod autem pro minori impensa eorum Episcopus consentiat, ut contribuant Cathedrali, & sublevet eos a sustentando proprium prædicatorem in eorum Ecclesiis curatis, non probavit S. Congregatio. Quia si verè tenentur sustentare proprium prædicatorem in suis Curatis, malè facit Episcopus eximendo eos ab hoc onere pro servitio suæ Cathedralis; immò ad sustentationem propriam, cùm ipse teneatur de suo alelere prædicatorem in Cathedrali. Si non tenetur, non debet Episcopus eos gravare, ut habeant ibi prædicatorem formalem.

10 An autem teneantur est dubium, ut dixi. Nam licèt jure veteri, qui habet curam animarum videatur teneri ad prædicandum, *cap. Quod Dei timorem de stat. Monachor. vers. ad Parochialium Ecclesiarum regimen in presbyteros ordinavi, ex quo debent prædicationis officium exercere*, ubi Abb. *num. 2.* notat officium presbyteri parochialis esse prædicare. Rip. *lib. 1. resp. 14. num. 39. & 41.* Tamen Concilium *d. cap. 4. sess. 24.* non videtur adegisse parochos ad prædicandum formiter sed tantùm ad Sacram Scripturam, & divinam legem annunciandum, quod fieri potest lectione Catechismi. Sed, quia certum est, verba illa, *Sacras Scripturas, & divinam legem annuncient*, ita referri ad Episcopos in suis Ecclesiis, sicut ad Parochos. Quia verba illa superiora, *ipsi per se, &c.* reguntur ab aliis verbis inferioribus, *Sacras Scripturas, &c.* sicut illa, *in aliis autem Ecclesiis per Parochos, &c.* in Episcopis intelligitur de prædicatione formata ita, & in parochis per regulam, *determinatio una respiciens plura determinabilia debet illa æqualiter determinare*, ideò referendum ad Congregationem generalem.

11 Congregatio generalis die 9. Februarii 1576. fecit magnam vim, quod Concilium *sess. 25. c. 2.* non adegerit Parochos ad præjudicandum, sed ad docendum, prout ibi dicitur, a quo capitulo videtur *c. 4.* declarationem accipere. Item *in d. c. 2. sess. 24.* leguntur illa verba: *Aptus accommodando præsentium temporum usui*, stante quod usus rei invaluit post Concilium, ut parochi non prædicent formaliter, ut fit in Cathedralibus. Et sic usus ita videtur interpretatus per Concilium. Neque obstat, quod *d. c. 4.* sub una structura verborum, eademque determinatione comprehendat, & Parochos, & Episc. ideò

æqualiter debeat determinare. Quia respondetur dupliciter. Primò quando Concilium prius expressit de Episcopis, ibi, *ipsi per se, aut per eos, quos ad prædicationis munus assument*, in persona Episcoporum expressit illam vocem prædicationis. At quando postea disponit de parochis non repetit eam dictionem, itaut propterea sit sensus: Annuncient Episcopi in Cathedralibus per prædicationem, Parochi verò in parochialibus simpliciter. Secundò illa regula, *una determinatio*, &c. fallit quando est diversa ratio, Jas. *in l. jam hoc jure de vulg. & pupill.* Sed munus prædicandi formiter dicitur esse Episcoporum, non Parochorum, S. Thomas 2. 2. *quæst.* 148. *art.* 8. ubi Cajet. Sot. *de just. & jur. lib.* 10. *quæst.* 9. *art.* 3. Item in Cathedrales conveniunt auditores intelligentes, in parochialibus, ut plurimum rudes. Et magna est diversitas respectu locorum, & personarum. Et ad jura vetera, quæ dicunt Parochos teneri prædicare, respondetur ea forma, qua Parochi solent, alioquin si in omnibus parochialibus prædicaretur formiter, quodammodo plures essent prædicatores, quam auditores.

32 Fuere tamen qui distinguerent, ut Cardinalis Alciatus, aut parochialis numerosi est populi, & pinguis, ut Parisiis 60. millia, ut in Hispaniis 347. millia, & tunc ibi prædicetur formiter, in aliis verò non. Alii dixerunt simpliciter, & generaliter respondendum, Parochos non cogendos habere in suis parochiis prædicatores formatos, sed satis esse si doceant secundum *d. c.* 2. Alii considerarunt, rem hanc esse gravem, & exemplarem, & si ita universaliter enunciaretur, parituram scandalum, multos Parochos, qui prædicant formiter, avvocaturos ab hoc bono opere. Præterea non esse tutum sententiam sic generalem enunciare propter parochiales populo, & reditu magnas, quæ plerumque majores sunt pluribus Cathedralibus. Ideò satis esse solum respondere Episcopo Eugubino pro parochialibus suæ Civitatis, & diœcesis, & præsertim horum Regularium Olivetanorum, quas sciunt omnes, & parvi reditus, & nonsatis frequentes populo esse.

33 Tandem omnium consensu decretum fuit, ut Alciatus ore tantùm, & absque scriptis dicat Episcopo Eugubino, ut nolit cogere istos Regulares ad sustentandum prædicatorem formatum in suis parochialibus. Et si alius Episcopus hoc idem quæsiverit, aut alia similis quæstio occurrerit, referret Alciatus, & proponeret in Sac. Congregatione neque hanc responsionem datam Episcopo Eugubino, daret aliis, nisi facto verbo in Congregatione. Dictum est etiam dum S. Thomas, Cajetanus, & Sotus dicunt officium esse Episcopi præcipuè prædicare, verum id esse, sed cum subjiciunt, parochum autem solùm docere debere orationem Dominicam, & symbolum, non alia fidei mysteria, non esse secundùm *cap. quod Dei timorem*, quod dicit eos debere prædicare. Et dum Sotus dicit in Concilio Trident. superssessum fuisse a danda Parochis facultate prædicandi, verum esse sub Paulo III. secundùm *d. cap.* 2. cui Sotus interfuit, secus autem esse quoad Concilium Trident. sub Pio IV. cui Sotus non interfuit.

34 Suprascriptis addit Fagnanus *in d. cap. inter cætera de offic. Ord. numer.* 30. *propè fin.* Concilium Arelatense 4. celebratum sub Leone III. & Carolo Magno Imperatore anno salutis 813. *cap.* 10. de prædicatione *tom.* 3. *Concil. p.* 1. *sect.* 2. *pag.* 188. ubi sic legitur. *Providimus enim pro ædificatione omnium Ecclesiarum, & pro utilitate totius populi, ut non solùm in Civitatibus, sed etiam in omnibus parochiis, ut presbyteri ad populum verbum faciant, & ut benè vivere studeant, & populo sibi commisso prædicare non negligant.* De prædicatione etiam loquitur Concilium Viennense *in Clem. Dudum, §. hujusmodi de sepult.* ibi: *Parochiales Ecclesiæ, & ipsarum Curati, sive Rectores, qui ministrare habent Ecclesiastica Sacramenta, quibus noscitur de jure competere prædicare, seu proponere verbum Dei.* Et Concilium Trident. *in c.* 1. *sub initio sess.* 23. ubi est expressum Curatos omnes teneri præcepto divino oves sibi commissas pascere verbi Dei prædicatione, & de officio prædicandi loquuntur Cardinalis *in d. Clem. Dudum num.* 7. *in 6. quæst.* Abb. *in d. cap. Inter cætera numer.* 1. Felin. *in cap. Excommunicamus* 1. *num.* 4. *de hæret.* quos idem Fagnanus refert *loc. cit. num.* 7. Ex quibus videtur Fagnanum inclinare, quod Parochi teneantur formiter in suis Ecclesiis prædicare. Quod quidem attento forsitan jure antiquo valdè probabile est, secus autem attento jure ultimo Tridentini, ac usu horum temporum, in quibus utilius est absque verborum lenocinio populum edocere quæ ad salutem scire tenetur. Ad nihil enim aliud tenentur Parochi. Hoc autem fieri potest absque formali prædicatione.

35 Ut autem ii incurrant pœnas *in d. cap.* 2. statutas, debent ab Episcopo moneri, & monitio trina, vel una peremptoria loco trinæ præcedere debet, *cap. sacro de sent. excom. & cap. statuimus eod. tit. in* 6. Et adverte, quod spatium trium mensium ibi assignatus aptatur ad prædicatorem in diebus dominicis, & festis, de quibus *in d. cap.* 2. sed verè aptari potest ad Quadragesimam, & Adventum, ut *in d. cap.* 4. *sess.* 24. Appellatione verò censurarum veniunt excommunicatio, suspensio, & interdictum, *c. quærenti*, ubi Abb. *de verb. signific.* Oldrad. *cons.* 86. *in fin.* Infligiturque pœna canonica *cap.* 2. *in fine Præl. vic. suas*, ubi Abb. Quandoque sub districtione canonica, *d. cap. Sacro de sent. excomm.* Nonnunquam sub pœna inobedientiæ, *cap. dolentes de celebr. Miss.* ibi: *in virtute sanctæ obedientiæ*, ubi Glossa quærit, quæ pœna sit; & habetur *in can. si quis sunt d.* 81. Quandoque sub pœna animadversionis, *cap. fin.* ubi Glos. *de except. lib.* 6. *& in cap. pastoralis, §. fin. de offic. deleg. cap. in Lateranensi de prob. cap. dilectus de pœnit. & remiss.* Interdum sub pœna indignationis omnipotentis Dei, & Beatorum, &c. quæ importat privationem beneficiorum *in sess.* 15. *cap.* 2. *v. quod si quis*. Quæ autem important privationem beneficiorum *in l. fin. C. de petit. bonor. sub lib.* 10. Afflict. *in l. inconsutilem de hæret.* Aliquando sub pœna banni christianitatis est excommunicatio, de qua vide Socin. *in c. Si quis presbyter num.* 6. *de purg. can.* & de aliis generibus pœnarum vide Jul. Clar. *in pr. crim. §. fin.* per plures quæstiones, & Sarnen. *de visit. lib.* 1. *c.* 31. Seu aliàs ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur. Equidem quando arbitrium hoc conceditur Episcopo, qui aliàs jurisdictionem habet, intelligitur liberum, & juris ordine non servatur, ut possit omnia, quæ notant Bart. *in l. filius, ff. de donat.* Alex. *in l.* 1. *de arb. & cons.* 33. *part.* 1. itaut etiamsi ei sic expedire visum fuerit, cogendi sunt Curati satisfacere huic muneri prædicandi ex fructibus beneficii proprii, nisi consuetudo inoleverit, ut hæc merces solvatur per alios. Nam consuetudo talis attenditur, ut *in d. cap.* 4. *sess.* 24.

Quod si deputatio concionatoris in aliis Ecclesiis, præterquam in Cathedrali, ab antiquissimo tempore fieri consuevit ab aliis, quàm ab Episcopo, qui de suo solvunt eleemosynam, attenta hac consuetudine, ad illos deinceps spectare debet, ut proinde non obstet canon Conc. Later. *d. c. inter cætera de offic. Ord.* Nam disponit tantùm ubi Episcopus subministrat eleemosynam, ibi: *Quibus ipsi cùm indiguerint congruè necessaria subministrant.* Ita quoque Decretum Sac. Concilii Tridentini *d. cap.* 2. *sess.* 5. ad prædictum canonem Lateranensem se refert, ideòque ad ejus normam est intelligendum, Rot. *decis.* 448. *num.* 8. *part.* 6. *recent.* Et tandem decretum ejusdem Tridentini *d. cap.* 4. *sess.* 24. tribuens Episcopis hujusmodi deputationes, locum non habet, quando ex antiqua consuetudine fit deputatio concionatoris ab aliquo, qui certam eidem eleemosynam præbet, ut aliàs etiam ubi ageretur de deputatione facienda a laicis scripsit Sac. Congregatio super Episcop. & Regul. in Aprutina his verbis: *Al Vescovo. Da che l'Università di Civitella del Tronco di cotesta diocese asserisce di essere in antichissimo possesso di eleggere il predicatore per quella sua Chiesa, non dovrà V. S. turbarla, mentre però somministri le spese, e la solita elemosina al medesimo predicatore. Che la detta Università non fosse in questo possesso, potrà V. S. eleggerlo, ma dovrà anco somministrargli gli alimenti, e la limosina consueta, a' 16. Febraro del* 1615.

Hujusmodi autem consuetudo probari potest ex plu- 36
ribus deputationibus factis ab iis, ad quos spectabat ex attestationibus eorum, qui assistebant expeditioni concionatorum, atque ipsorum concionatorum, qui pro tempore fuerunt deputati. Quæ licèt concernant actus diversos, & separatos, non tamen inducunt dispositionem singularem, cùm illi omnes cumulativè concurrant ad integrandam hanc consuetudinem, Sperel. *decis.* 69. *numer.* 54. Ludovic. *decis. Perus.* 9. *numer.* 9. Cephal. *cons.* 141. *num.* 12. Rot. *decis.* 344. *num.* 16. *p.* 6. *rec.* Debet tamen esse immemorabilis juxta requisita Glossæ *in cap.* 1. *de præscript. in* 6. quam sequitur in his terminis Leo *in thes. for. Eccles. part.* 1. *cap.* 8. *num.* 5. Maresc. *var. cap.* 100. *num.* 10. Rot. *decis.* 502. *num.* 1. *par.* 4. *recent.* Quamvis testes non addiderint majores suos, nec vidisse, neque audivisse contrarium, cùm hæc qualitas per dictam Glossam non fuerit requisita, Add. ad Burat. *decis.* 672. *n.* 9. *dec.* 502. *n.* 4. *p.* 4. *rec.* Ac sufficere observantiam annorum quadraginta tradit Marant. *contr. p.* 6. *resp.* 15. *num.* 6. & Rot. *decis.* 74. *n.* 17. *p.* 6. *& dec.* 56. *n.* 3. *& 4. p.* 7. *rec.*

Et ita etiam, ut non obstet, quod jura, quæ adducuntur 37
sint meræ fides, & earum aliquæ prodeant a publico officiali, attestante de subministratione alimentorum facta concionatoribus, & sic de re spectante ad proprium offi-
cium,

cium, Burat. *deciſ.* 706. *num.* 2. Rota in Oriolen. Decanatus 1. Julii 1648. §. *Verùm etiam* coram Cardinali Corrado, & in Neapolitana pecuniaria 22. Junii 1648. §. *pro majori* coram Meltio. Aliæ verò fides validum recipiunt adminiculum a juramento, & ab aliis juribus, Add. ad Burat. *dec.* 113. *num.* 38. Rot. *dec.* 122. *num.* 71. *part.* 1. *rec.* & in d. Neapolitana *in fine*. Quinimmò ſi hujuſmodi fides ſint ſubſcriptæ, atque recognitæ medio juramento coram publico Notario, & teſtibus a perſonis etiam particularibus integræ æſtimationis, & famæ, ſunt maximi ponderis ad probandum conſuetudinem patriæ, de qua ipſe particulares perſonæ ſunt diligenter edoctæ, ut poſt allegata de conſuetudine tradit Dec. *conſ.* 51. *num.* 101. *lib.* 2. Et licèt regulariter fides non faciat fidem, tamen ſi ſit veriſimilis, & cum ipſa concurrant alia adminicula, & conjecturæ, probat Rot. *dec.* 122. *num.* 7. *par.* 1. *recent. dec.* 323. *num.* 2. *poſt* 2. *lib. conſ.* Farinac. & Gregor. *dec.* 124. ubi Add. *ſub num.* 2. *lit. B.* Et in omnem caſum ſuppleri poſſunt per formale examen. Præſertim ſi accedat factum Epiſcopi, qui approbavit concionatorem ab aliis deputatum cum expreſſa enunciativa, quod ad illos ſpectaret hujuſmodi electio, nominatio, ac deputatio, ut inde magis indubitatum appareat illorum jus, cum ſemper Epiſcopus præſumatur edoctus de iis, quæ ſpectant ad ſuam juriſdictionem, maximè quando agitur de ſuo præjudicio, Felin. *in cap. in noſtra a numer.* 25. *de reſcript.* Rip. *de cauſ. poſſ. & propr. reſp.* 1. *num.* 7. Comitol. *deciſ.* 1015. *num.* 13. Ac præcipuè ſi electiones a Communitate ſucceſſivè factæ, & effectum ſortitæ mediantibus benedictionibus Epiſcopi prædicatoribus elargitis, extarent, prout in ſimili dicitur in materia juriſpatronatus probandi a perſona potente, ſive Univerſitate, in quam cadit præſumptio uſurpationis. Nam licèt tunc ſola immemorabilis non relevet, ſufficit tamen ubi cum ea concurrunt præſentationes continuatæ, & effectum ſortitæ ſpatio quinquaginta annorum ex decreto Sacr. Concilii Tridentini *ſeſſ.* 25. *cap* 9. *de reform.*

18 Sunt verò quædam Monaſteria Caſinenſium, Nonantularum, & pleraque hujuſmodi diſtinctum territorium, ac ordinariam juriſdictionem in ſubditos habentia pleno jure, juxta *cap. quoniam per confeſſionem de privil.* Et in his non videtur procedere *dict. cap.* 2. *ſeſſ.* 25. *v. ſicque verò parochiales*. Sed habet locum *cap.* 11. *ſeſſ.* 25. *de Regul.* In aliis autem procedit, quod *in dict. cap.* 2. dicitur, ut horum negligentiam in prædicatione verbi Dei ſuppleat Metropolitanus illius Provinciæ.

19 Neque decreti Concilii *dict. cap.* 2. exequutionem conſuetudo, vel exemptio, aut appellatio, aut reclamatio, ſive recurſus impedire valet ad effectum devolutivum, ut per Innoc. *in cap. dilectus de appell.* Lap. *alleg.* 1. *num.* 12. Et hoc infertur ex illis verbis ejuſdem *cap. quouſque deſuper a competente Judice, &c. cognitum, & deciſum fuerit.*

20 Quoad Regulares verò neceſſaria eſt approbatio propter vitam, & mores Religioſorum, quæ nota ſunt Superioribus Ordinum, *arg. cap. quam ſit de judic.* ubi Gloſſ. *v. habita* vult, quod non ſufficiat licentiam petere niſi obtineatur, *cap. excommunicamus, §. quia verò nonnulli de hæret. cap. ex iis, §. habetur de verb. ſignif. in* 6. Et hodie nullus Regularis etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum, contradicente Epiſcopo, prædicare præſumat, ut *d. cap.* 4. *ſeſſ.* 24. Aliàs in Eccleſiis ſuorum Ordinum ſufficit benedictionem petere, ut in *d. cap.* 2. *ſeſſ.* 5. Si verò Regularis prædicare velit in Eccleſiis ſæcularibus, vel etiam regularibus alterius tamen Ordinis, tenetur ab Epiſcopo licentiam petere, ut *d. cap.* 2. & ſi ſecus fiat, in excommunicationem incidit, *d. c. excommunicamus eod. §.* ibique Sicul. *col. fin. v. oppono de hæret.* Et ex hoc corrigitur *d. Clem. Dudum, §. in Eccleſiis de ſepult.* per quam poterant Regulares invitari ad prædicandum ab ipſis Sacerdotibus Curatis, facitque Concilium provinciale Colonienſe *p.* 4. *c.* 7. & 14. ac Mogontinum *c.* 49. & confirmatur expreſsè a Gregorio XV. in ſua Conſtit. *Inſcrutabili* edita nonis Febr. 1622. *de exempt. privil.* cujus verba ſunt hæc: *Ac demum habeat Epiſcopus, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus authoritatem coercendi & puniendi quoſcunque exemptos tàm ſæculares, quàm regulares, qui in alienis Eccleſiis, aut quæ ſuorum Ordinum non ſunt abſque Epiſcopi licentia, & in Eccleſiis ſuis, aut ſuorum Ordinum non petita illius benedictione, aut ipſo contradicente præſumpſerint, itaut Epiſcopis in ſupradictis caſibus, & prænominatas perſonas in præmiſſis omnibus, & ſingulis, aut circa ea quoquomodo delinquentes, quoties, & quando opus fuerit etiam extra viſitationem per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaſque pœnas, ut ejuſdem Sedis delegati, procedere, omnemque juriſdictionem exercere liberè, ac licitè valeant.* Ex quibus remanet revocatum decretum S. Congreg. Concilii, quod refertur a Quaranta *v. Privilegia Regularium*, & a Delben. ac aliis, ſcilicet. Congreg. item Concilii cenſuit, Regulares, qui abſque licentia Epiſcopi prædicaverint in Eccleſiis, quæ ſuorum ordinum non ſunt, tametſi decreto ejuſdem Concilii *cap.* 2. *ſeſſ.* 5. contrafecerint, non poſſe tamen puniri ab Epiſcopo, ſed tantùm a ſuis Superioribus regularibus. Quæ omnia ſunt contra Delbene, & Authores recentiſſimos, quos ipſe adducit *cap.* 14. *de immunit. dub.* 4. *per totum*. Etiamſi concionem habere velint extra tempus Quadrageſimæ, vel Adventus, ut ex Gavant. *in man. Epiſc. v. Concio num.* 16. ex Dian. *p.* 7. *tr. miſcel.* 1. *reſol.* 24. reprobante Bordonum, ac cenſuit Sac. Congregatio ſuper Epiſc. & Regul. 16. Octobris 1601. de quo nos alibi.

Non obſtantibus eorum privilegiis, ut in *d. cap.* 2. §. 21
caveant. Eſt enim materna Sedis Apoſtolicæ clauſula, ſi preces veritate nitantur, etiamſi in reſcriptis non ſit appoſita, *c. ex parte* 1. *de reſcr.* & propter timorem ambitionis præſumuntur ſubreptitia, vel obreptitia, Innoc. *in cap. Dudum de privil. poſt initium*. Et ſic nulla ſunt, *c. ad audientiam* 2. *de reſcr. cap. Cum olim de cauſ. poſſeſſ. & propr.* Innoc. *in c. eundem, v. non obſtante de re jud.* Pariſ. *conſ.* 68. *num.* 3. *p.* 3. Et Apoſtolica Sedes quam minimè poteſt, ordinarię juriſdictioni prejudicare intendit, nec ſine certa ratione privilegia concedit, *argum. cap. Sane*, ibique Gloſſ. *v. certa ratione, de privil.*

Notandumque quod *in d. c.* 2. *ſeſſ.* 5. non prohibetur 22
queſtuatio, ſed queſtuantium prędicatio, quo caſu puniri poterunt ab Ordinario, non obſtantibus privilegiis ipſorum. Quid autem ſi approbationem oſtendant Apoſtolicam, vel Ordinarii? Dicendum ut *in ſeſſ.* 21. *c.* 9. propter derogatorias clauſulas, & ſic videtur corrigi *c. Cum ex eo de pœn. & remiſſ. & Clem. abuſionibus eod. tit.*

Ut autem controverſię, quę ſuper hac materia cre- 23
brò oriuntur, facilius dirimantur, proponam ſex caſus in Cathedrali, rex item alios in aliis Eccleſiis inferioribus tum ex hactenus a me dictis, tum ex diſtinctione D. Fagnani *in d. c. Inter cætera de offic. Ord. a num.* 19.

Primus caſus eſt in Cathedrali, ubi non conſtare de 24
conſuetudine eligendi Concionatorem, aut pręſtandi eidem eleemoſynam neque ex parte Epiſcopi, neque ex parte Univerſitatis, vel alterius. Et hic caſus eſt extra dubium. Quia utrumque onus in ſua Eccleſia incumbit Epiſcopo tàm ex diſpoſitione juris communis, ur in *d. cap. Inter cætera*, quàm ex decretis Concilii Tridentini in *d. cap.* 2. *ſeſſ.* 5. ubi Epiſcopo impedito jubetur ſervari decretum Concilii generalis, de quo etiam *in d. c.* 4. *ſeſſ.* 24. Hinc S. Congregatio conſulta, an deputatio prędicatoris in cathedrali Eccleſia pertineat ad ſolum Epiſcopum, itaut Canonici, & capitulum non poſſint ſe in deputatione intromittere, reſpondit, pertinere ad ſolum Epiſcopum. Item ſępiùs cenſuit, Epiſcopum teneri propriis expenſis alere prędicatorem in Eccleſia cathedrali. Id quod multò magis vindicat ſibi locum, ſi Epiſcopus ſit in poſſeſſione eligendi, & prę-ſtandi eleemoſynam.

Secundus caſus eſt, cùm Epiſcopus elegit, & popu- 25
lus, vel alius ex conſuetudine, non tamen immemorabili, eidem pręſtat eleemoſynam. Et tunc hac conſuetudine non obſtante, Epiſcopus, qui eligit, tenetur illi ſic electo eleemoſynam erogare. Etenim Concil. *d. c.* 4. ſuſtulit conſuetudinem non immemorabilem, ſecundùm quam pręſtatio eleemoſynę prędicatori in Cathedrali deputando incumbit alteri, quam Epiſcopo. Et ita fuit ſæpiùs reſolutum, ut patet ex his, quæ dicentur ex caſu ſequenti.

Tertius caſus eſt ubi Epiſcopus eligit, & Univerſi- 26
tas, vel alius ex immemorabili conſuetudine eleemoſynam præſtat. Quo caſu cùm ab immemorabili tempore Communitas Potentiæ conſueviſſet præſtare ſtipendium concionatori, & dubitaſſet Epiſcopus Potentiæ, an poſſet compellere Civitatem ad prædictæ conſuetudinis obſervantiam, Sac. Congregatio cenſuit, poſſe cùm Concilium non ſuſtulerit immemorabilem conſuetudinem.

Poſteà autem cùm Epiſcopus Eugubinus dubitaret, an 27
poſſet cogere Regulares ad eleemoſynam, quam prædicatori ab immemorabili tempore præſtiterunt, relatum fuit ad Gregorium XIII. an vellet obſervari B. Pii V. decretum. Gregorius de eo decreto valdè dubitavit, & interrogavit Cardinalem Alciatum quid ſibi videretur, qui reſpondit duriuſculam ſibi videri declarationem B. Pii V. cùm decretum Concilii *d. c.* 4. non ſuſtulerit immemorabilem, & quando voluit tollere, expreſſit, & in dubio

non cenſetur ſuſtuliſſe. Sanctitas ſua viſa eſt approbare diſtinctionem Cardinalis Urſini, videlicet : ſi laici ſint ſoliti contribuere, nunc quoque contribuere debeant, ſecus ſi Regulares, quoniam prædicationes fiunt præcipuè ad utilitatem laicorum, tamen nihil certi ſtatuit. Sed quia agebatur tunc tantùm de Epiſcopo Eugubino, cui aliàs ſcriptæ fuerunt literæ ſecundum decretum B. Pii V. ideò ſimpliciter reſcribendum, relatis ſuis literis in Congregatione, & relatione facta Sanctiſſimo, Sanctitas ſua dixit, ut obſervaret id, quod aliàs tempore B. Pii V. ſcriptum fuerat ad ipſum. Poſteà verò dubitante Epiſcopo Reatino, an poſſet compellere Univerſitatem ad præſtandum concionatori ſalarium juxta immemorabilem conſuetudinem, & facta relatione Sanctiſſimo die 19. Maji 1575. Sanctitas ſua juſſit ſcribi literas Epiſcopo, ut cogeret Univerſitatem ad ſervandam hanc immemorabilem conſuetudinem, quam Concilium non ſuſtulit. Et licet B. Pius V. aliud decreverit, voluit tamen, ut literæ manerent in ſuo robore quoad eos tantùm, ad quos ſcriptæ fuerint; in reliquis verò caſibus, & locis, ſuper quibus nil ſcriptum fuit, ut ſcriberentur ſecundùm hoc decretum, ut hæc conſuetudo immemorabilis indiſtinctè obſerveretur.

28 Ideòque S. Congregatio ab eo tempore conſuevit reſpondere, poſſe Epiſcopum in ſua Cathedrali concionatorem deputare, & populum nihilominus compellere ad præſtandam eleemoſynam a tempore, cujus initii memoria non extat, præſtari ſolitam.

29 Et in ſpecie Epiſcopus Melitenſis expoſuit Sacr. Congregationi obſervatum fuiſſe a tempore immemorabili, etiam antequam Inſulæ Melitæ a Religione Hieroſolymitana poſſiderentur, ut tempore quadrageſimæ eleemoſyna præſtaretur concionatoribus Eccleſiæ Cathedralis de redditibus cujuſdam gabellæ appellatæ *laſciata del Vino*, quæ antiquitus ad jura Univerſitatis pertinebat, & deinde ad Magnos Magiſtros neſcitur quo jure pervenit, qui licèt ſemper dictam eleemoſynam præſtiterint ex gabella prædicta, tamen Magnus Magiſter Petrus de Monte contra inſtitutum ſuorum anteceſſorum perſolvere recuſavit, & hujuſmodi eleemoſynas de redditibus Epiſcopatus ſede vacante contra dictam conſuetudinem de facto percipi, & ſubminiſtrari mandavit, cùmque ſuper hoc Epiſcopus declarationem, & remedium poſtulaſſet, S. Congregatio cenſuit, ſervandam eſſe conſuetudinem.

30 Quartus caſus, rarò tamen contingibilis, eſt ubi Epiſcopus præſtat eleemoſynam, & populus, vel alius eligit ex quacunque conſuetudine. Et hoc caſu poteſt, ac debet Epiſcopus pergere in præſtatione eleemoſynæ; quia hoc eſt onus ipſius, ut ſupra dictum eſt. Sed poteſt etiam electionem ſibi vindicare. Quia Sacr. Congregat. ſæpiùs cenſuit deputationem prædicatoris in Cathedrali ad ſolum Epiſcopum ſpectare, non obſtante conſuetudine, etiam immemorabili. Et in ſpecie cùm petiiſſet declarari Epiſcopus Cæſarauguſtanus, ad quem pertineret electio prædicatoris in Cathedrali Eccleſia, & an eſſet habenda ratio immemorabilis conſuetudinis, quæ talem electionem alteri, quàm Epiſcopo tribueret, reſponſum eſt, electionem, & deputationem prædicatoris in eorum Eccleſiis Cathedralibus ad ſolos Epiſcopos pertinere, nulla habita ratione cujuſcunque conſuetudinis, etiam immemorabilis, quia talis electio, vel deputatio Capitulo, vel Epiſcopo unà cum capitulo, ſive de ejus conſilio, aut cuivis alteri competeret.

31 Quintus caſus eſt ubi populus, vel alius ex conſuetudine, non tamen immemorabili, eligit prædicatorem, atque illi ſic electo præſtat eleemoſynam. Et hoc quoque caſu poteſt, ac debet Epiſcopus electionem ſibi vendicare, non obſtante conſuetudine, quam ſuſtulit Concilium *d. cap.* 4. ut ſupra dictum eſt. Sed non poteſt compellere populum ad conſuetam eleemoſynam, quia Concilium eodem modo ſuſtulit conſuetudinem non immemorabilem, ſecundùm quam præſtatio eleemoſynæ alteri quàm Epiſcopo in ſua Cathedrali incumbit, ut etiam dictum eſt.

32 Sextus caſus eſt, cùm populus, vel alius ex immemorabili conſuetudine eligit prædicatorem, atque idem præbet ſalarium. Hoc caſu quamvis immemorabilis conſuetudo ſecundùm quam alius quàm Epiſcopus eligit prædicatorem in ſua Cathedrali, ſublata fuerit, & præſervata quoad eleemoſynam, quam alius præſtare conſuevit juxta declarationem Greg. XIII. ſuperiùs relatam; tamen ubi hæc duo ſimul concurrunt, ut ex immemorabili conſuetudine populus eligat concionatorem, & ſalarium præbeat, eo caſu ſemper S. Congregatio cenſuit, poſſe quidem Epiſcopum electionem ſibi vendicare, ſed non compellere populum ad eleemoſynam, quam illi ab immemorabili præſtare conſuevit. Eſſe autem in electione Epiſcopi utrum ipſe malit prædicatorem eligere, cùm populus, vel alius illum ab immemorabili tempore eligere, conſueverit, vel prædicatoris electionem alteri ex immemorabili competentem relinquere, ita tamen, ut ſi Epiſcopus hujuſmodi electionem ſibi aſſumat, populum, vel alium ad ſolitas impenſas prædicatori præſtandas non compellit. Sin verò populum, vel alium prædicta facultate eligendi prædicatorem uti ſinat, eundem cogere poſſit ad eas impenſas, quas in hanc cauſam præſtare ſolitus eſſet. Atque ita in ſpecie reſpondit S. Congregatio ab Archiepiſcopo Cæſarauguſtano conſulta.

In Eccleſiis verò inferioribus primus caſus poteſt 33
conſtitui, ubi Epiſcopus eligit, & alter ſolvit eleemoſynam, qui illam tenetur, vel ſolet præſtare. Et hìc primus caſus eſt ſatis clarus. Quia in aliis Eccleſiis, quàm Cathedralibus, electio concionatoris, ſi Parochi impediti fuerint per ſe prædicare, ſpectat ad Epiſcopum impenſis eorum, qui illas tenentur, vel ſolent præſtare, ut apertè cavetur *d. c.* 4. *ſeſſ.* 24. *verſ. In aliis autem Eccleſiis*.

Hinc dùm Epiſcopus Melitenſis providere voluiſſet 34
de Concionatore in ſuburbio Victorioſæ ſubditis ſuis, & officiales ipſius, conſulto prius Magno Magiſtro Petro de Monte, reſpondiſſent, electionem dicti Concionatoris non ſpectare ad Epiſcopum, ſed ad eos, qui eleemoſynam concionatoribus ex bonis Univerſitatis miniſtrant, Epiſcopo ſuper hoc declarationem poſtulante, Sacr. Congregatio cenſuit, electionem Concionatoris ad Epiſcopum pertinere ex decreto Concilii *c.* 4. *ſeſſ.* 24.

Secundus caſus eſt ubi Epiſcopus prædicatorem eligit, 35
& eleemoſynam præſtat. Et tunc ſimiliter manifeſtum eſt, Epiſcopum debere utrumque adimplere. Quia tàm facultas prædicatorem deputandi in tota diœceſi, quàm onus miniſtrandi expenſas incumbit Epiſcopo de jure communi *ex dict. cap. inter cætera, de offic. Ordinat. cap. Cum perſonæ de privil. in* 6. & ex Concilio Trident. *dict. cap.* 4. in Eccleſiis inferioribus eodem modo jus deputandi ad Epiſcopum pertinet, & ſumptus miniſtrari debent ab iis, qui tenentur, vel ſolent. Epiſcopus autem, ut ſupponitur in hoc ſecundo caſu, & tenetur, & ſolet.

Tertius eſt cùm populus, vel alius eligit prædicato- 36
rem in Eccleſis inferioribus ex conſuetudine non immemorabili, non tamen ei præſtat eleemoſynam. Et in hoc tertio caſu S. Congregat. ſæpiùs cenſuit conſuetudinem non immemorabilem, quam habet populus, vel alius eligendi prædicatorem in ſupradictis Eccleſiis, eſſe ſublatam a Concilio dicto *c.* 4. ideòque poſſe Epiſcopum electionem ſibi vindicare.

Quartus caſus eſt, cùm populus, vel alius prædica- 37
torem eligit ab immemorabili tempore, licèt ei ſumptus non miniſtret. Et tunc Epiſcopus non poteſt ſibi vindicare electionem, quia Concilium *in dict. cap.* 4. non ſuſtulit immemorabilem, ſecundùm quam facultas nominandi prædicatorem in Eccleſiis non Cathedralibus, alii quàm Epiſcopo competeret, ut ſæpiùs fuit reſolutum.

Et in ſpecie cùm Abbas Sancti Joannis Majoris Col- 38
legiatæ Eccleſiæ Neapolitanæ eſſet a tempore immemorabili in quaſi poſſeſſione deputandi concionatores in ſua Eccleſia; poſtea verò ſuperveniente Tridentino Concilio Archiepiſcopus Neapolitanus prætenderet ex Concilio facultatem deputandi Concionatorem in dicta Collegiata non ad Abbatem, ſed ad ſe tantùm pertinere, proindeque dubitatum eſſet, an *c.* 4. *ſeſſ.* 24. Tridentini Concilii ſuſtuliſſet immemorabilem conſuetudinem, Sacr. Congregatio cenſuit per *d. c.* 4. immemorabilem conſuetudinem non eſſe ſublatam quoad effectum prædictum.

Quintus caſus eſt, ubi populus, vel alter ſolet præ- 39
ſtare eleemoſynam, & ex immemorabili conſuetudine eligit prædicatorem. Et hic quoque caſus eſt clarus, quia Concilium illam non ſuſtulit, & propterea populus, vel alius poterit eligere concionatorem, quem ab immemorabili eligere conſuevit, & debebit illi a ſelecto impenſas ſolitas miniſtrare juxta decretum *dict. c.* 4. Quouſque tamen Univerſitas probet immemorabilem per tres conformes, Epiſcopum debere eligere cenſuit, S. Congregatio. Sufficit enim Epiſccpo ſola juris communis aſſiſtentia, ut per Fagnan. *loco alleg. n.* 12. licèt quandoque ex aliqua rationabili cauſa, puta ad vitanda ſcandala S. Congregatio Epiſcoporum, & Regularium, cum imminente jam Quadrageſima præ anguſtia temporis jura partium examinari non poſſunt, in quinto caſu conſueverit reſcribere, ut pro ea vice ſervetur

ſolitum

solitum per modum tamen provisionis, & absque præjudicio jurium utriusque partis tàm in petitorio, quàm in possessorio.

40 Sextus denique casus est, ubi populus, vel alius ministrat expensas, & elegit ex consuetudine non tamen immemorabili. Et tunc quamvis consuetudo hujusmodi secundùm quam alius quàm Episcopus elegit prædicatorem in Ecclesiis inferioribus, sit a Concilio sublata, ut sæpiùs repetitum est ex Sac. Congregationis sententia, ubi tamen hæc duo concurrunt, ut populus præstet eleemosynam, & eligat ex consuetudine; tunc Sacr. Congregatio multoties respondit, & præcipuè in causa Sancti Marci posse quidem Episcopum electionem sibi vindicare, sed non compellere Universitatem ad eam eleemosynam prædicatori præstandam, quam se ab electo tantùm præbere consuevit: Extatque tota de hac re sequens decretum generale ejusdem Sac. Congregationis Concilii, quod est hujusmodi: *Sacra, &c. sæpius censuit electionem, & deputationem prædicatoris ad solos Episcopos in eorum Cathedralibus Ecclesiis spectare, nulla habita consideratione cujuscunq; consuetudinis, etiam immemorabilis, quia talis deputatio, Capitulo, vel Episcopo simul cum Capitulo, sive de ejus consilio, vel cuivis alteri competeret. Est autem in optione Episcopi, utrum ipse velit prædicatorem in sua Cathedrali eligere, aut deputare quando populus illum etiam ab immemorabili eligere, aut nominare consuevisset, vel prædictam nominationem ex immemorabili consuetudine competentem relinquere ita tamen, ut si Episcopus electionem, & deputationem prædicatoris facere voluerit, populum ad erogandam eleemosynam non compellat, sin verò populum prædicta facultate eligendi prædicatorem Episcopus uti sinat, eumdem populum cogere possit ad eas expensas, & eleemosynas prædicatori præstandas, quas ipse populus in hanc causam præstare solitus est. In aliis Ecclesiis ad Episcopum similiter pertinet electio, & deputatio prædicatoris impensis eorum, qui illas præstare vel tenentur, vel solent. Concilium tamen non sustulit immemorabilem consuetudinem, qua facultas nominandi prædicatorem in Ecclesiis non Cathedralibus alteri, quàm Episcopo competeret in sua diœcesi. Joannes Baptista Pamphilius, Franciscus Paulutius S. Congr. Conc. Secret.*

41 Estque decretum antiquum tenoris sequentis: *S. Congregatio Concilii censuit in Abulensi die 3. Augusti* 1586. *deputationem prædicatoris in sua Cathedrali ad solum Episcopum pertinere, nulla habita ratione consuetudinis etiam immemorabilis, qua competeret Capitulo, seu Episcopo, unà cum Capitulo, vel de consilio Capituli.*

42 Addamus aliàs Sacrarum Congregationum declarationes, quas a majoribus accepi, quasque in hunc locum coacervare operæ pretium esse arbitratus sum. Bonis igitur initiis ordiamur.

43 An sit servanda consuetudo, secundùm quam Episcopus in Monasteriis Regularium prædicatores deputat, qui aliquando eorum Ordinis non sunt, S. Congregatio censuit, consuetudinem esse observandam. Si tamen prædicatores ejusdem Ordinis haberi possint, cæteris paribus esse præferendos.

44 Orta dubitatione, an in Parochiali Ecclesia unita Regularium monasterio, in qua per Regularem cura animarum exercetur, possit Episcopus compellere Regulares, ut aliquem ejusdem Ordinis ad prædicandum in eadem Ecclesia deputent, qui de licentia Episcopi hoc munus expleat, non obstante quod in Ecclesia monasterii per eosdem Regulares concio habeatur. Sacr. Congregatio censuit, posse compellere, sed non posse alium præterquam ejusdem Ordinis invitis Fratribus ad prædicandum in dicta Ecclesia deputare.

45 Stante dispositione Sacr. Concilii Trident. *dict. cap.* 4. *sess.* 24. quòd prædicator deputetur ab Episcopo sumptibus eorum, qui eos præstare tenentur, vel solent, vel saltem quod prædicatorem nominet qui ei præbet eleemosynam, & alimenta juxta declarationes Sacr. Congregationis pluries editas, an servanda sit consuetudo, quòd duobus annis nominet prædicatorem Communitas, Episcopus præstet alimenta, & Confraternitates solvant eleemosynam, tertio verò anno, quo elegit Episcopus, ipse solus prædicatori alimenta, & eleemosynam præbeat sine ullo subsidio Confraternitatum? *Sacra Congregatio Concilii, &c. in Viterbiensi die* 14. *Martii* 1663. *censuit, servandam consuetudinem, nisi velit Episcopus jus suum vindicare.* Hoc est per se ipsum, si sit habilis, vel si fuerit legitimè impeditus, per alium suis sumptibus prædicare teneatur, ut habetur expressè *in dict. cap. inter cætera de offic. Ordin.* quòd fuit per Sac. Concilium Tridentinum innovatum. Immò quatenus etiam adesset consuetudo inducta ad Episcopi favorem, adhuc sumptibus propriis teneretur conducere prædicatorem, ut refert decisum Armendar. *in addit. ad recopil.*

leg. Navar. lib. 3. de prædic. Sac. Script. num. 5. ubi *n.* 16. ait decrevisse B. Pium V. inhærendo dispositioni *d. c. inter cætera.* At verò non recedendum a declaratione Gregoriana, quam supra retulimus. In omnem tamen eventum cùm agatur de Cathedrali, & contra Communitatem, si Episcopus prætendit, illam teneri ad præstandum eleemosynam, & alimenta prædicatori ab ipso eligendo, ipsimet incumbit onus probandi immemorabilem præstationis factæ deputatis ab Episcopis, Selell. *in select. canon. cap.* 23. *numer.* 21. ubi testatur ita fuisse pluries declaratum a Sacra Congregatione Concilii, præsertim in Sutrina die 10. Martii 1618. & Julii 1627.

Et quidem licèt Episcopus fundatam habeat intentionem liberè deputandi prædicatores in qualibet parochia suæ diœcesis tum ex jure divino, ut *ad Rom.* 10. *Luc.* item 10. tum ex jure Canonico, *ut in cit. cap. Inter cætera*, & ex Concilio Trident. *d. sess.* 5. *cap.* 2. *& sess.* 24. *cap.* 4. sitque id actus jurisdictionis, qui soli Episcopo competit ex D. Paulo: *quomodò prædicabunt, nisi mittantur*, quem refert Innocentius III. *in d. cap. Excommunicamus, §. quia verò de hæret.* Rot. *dict. dec.* 234. & Sperell. *dec.* 69. *num.* 21. atque ex hujusmodi sola juris assistentia sine alia probatione fit illi concedenda manutentio in sua quasi possessione eligendi per textum *in d. cap. Cum personæ*, ubi Doctores *de privileg. in* 6. Ec hanc opinionem in materia jurisdictionali perpetuò, atque indistinctè amplexa est Sacra Rota, ut testatur Seraphin. *decis.* 1449. *numer.* 1. Unde sequitur in similibus Episcopo non esse prohibendum, ne ipsi sua jurisdictione libere uti liceat, quodque si sit ei inhibitum ante omnia hanc inhibitionem esse revocandam, tenuit Rota *decis.* 493. *numer.* 1. *part.* 1. *rec.* Per contrariam tamen consuetudinem, seu præscriptionem immemorabilem ab hujusmodi jure nominandi, seu deputandi prædicatores in omnibus Ecclesiis suæ diœcesis, excepta Cathedrali, potest excludi, ut constat ex relatis decretis, & tradunt Doctores, quos sequitur Sperell. *d. decis.* 69. *num.* 22. & patet etiam ex declaratione S. Congregationis Concilii in Senogalien si, quæ est hujusmodi. 46

Perlecto in Sacr. Congregatione Em. Patrum Concilii Trident. Interpretum supplici libello nomine Amplitudinis tuæ porrecto circa electionem seu deputationem prædicatorum in Terris Rocchæ Contradæ, & Montis Bodii istius diœcesis, censuit Amplitudini tuæ significandum, ut continuet in sua quasi possessione eligendi, seu deputandi in dictis prædicatores, quibus suppetenda erunt alimenta, & expensæ, seu solvendum salarium ab ipsis Communitatibus locorum, prout hactenus consueverunt quousque factis pro parte ipsarum Communitatum probationibus immemorabilis, quam prætendunt ad suum favorem extare, fuerit per S. Congregationem aliter decretum. Et amplitudinem tuam in Domino valere ex corde optamus: Romæ die 23. *Novembris* 1630. 47

Necnon ex sequentibus declarationibus S. Congregationis super Episcopis, & Regularibus. *Nola al Vescovo. Poichè ogni giorno vengono casi simili a quello, che V. S. ha proposto del predicatore di Marigliano, questi miei Illustrissimi Signori col parere anche della Congregazione del Concilio, hanno deliberato di farne chiara risoluzione, la quale è, che se fuori della Cathedrale i popoli sogliono pagare la limosina pel predicatore, e se per tempo immemorabile sono stati soliti di provvedere di detto predicatore, debbono esser mantenuti nella loro quieta quasi possessione, purchè propongano al Vescovo persona idonea, e approvata da lui. E però se V. S. può persuadere quel popolo ad accettare il suo Gesuita, lo faccia predicare, ma se l'Università, che paga la limosina non se ne contenta, V. S. faccia, che glielene presenti un' altro idoneo, ovvero provveda ella della limosina per soddisfare, e nudrire il predicatore suddetto, che in questo modo non avrà contradizione a' 20. di Febraro* 1582. 48

In Ariminensi. *Congregatio Episc. ex sententia Congregationis Concilii censuit, Episcopum non posse compellere Universitatem ad præstandam solitam eleemosynam prædicatori, si ipse prædicatorem voluerit deputare, secus verò si sinat Universitatem, uti consuevit, eligere sibi prædicatorem, ab ipso tamen approbandum. Si verò adesset consuetudo immemorabilis, quod Universitas solvat, & Episcopus eligat, tunc ea servanda erit die* 29. *Octobr.* 1583. 49

Notandum autem est, quòd si Episcopus turbetur in sua quasi possessione exigendi eleemosynam pro prædicatoribus, potest excommunicationis remedio se tueri per textum *in c. dilecto de sent. excom. in* 6. & docet cum aliis Sperell. *decis.* 70. *num.* 2. ac declaravit Sacr. Congregatio Concillii in Senogallien si his verbis: *Supposita consuetudine præsertim immemorabili, censuit, posse* 50

Epiſcopum procedere etiam cenſuris Eccleſiaſticis contra prætendentes illum expoliare jure eligendi prædicatorem in quadrageſima, & aliis temporibus, & Univerſitatem ad ſolitæ eleemoſynæ ſolutionem, etiam eiſdem cenſuris Eccleſiaſticis compellere.

51 Conſuetudo verò immemorabilis, quòd Capitulum invitet in feſtis ſolemnibus unum ex prædicatoribus approbatis ab Ordinario in Eccleſia Cathedrali, non eſt ſublata a Concilio, ut ejus S. Congregatio declaravit in Hiſpalenſi. Id obſervandum, quòd per decretum Concilii *d. c. 4. ſeſſ.* 24. non debet prædicare in vigiliis: nam illa verba: *tempore jejuniorum*, referuntur ad tempus quadrageſimæ & Adventus tantùm, ut declaravit eadem S. Congreg. in Mediolanenſi, in qua etiam dixit, quòd arbitrium Epiſcopi verſatur circa hoc, an quotidie tempore quadrageſimæ, vel jejuniorum, vel tribus diebus in hebdomada prædicandum ſit. Nemo tamen in Cathedrali prædicare debet, qui non ſit Magiſter in Theologia, eadem S. Congregatio ſuper Epiſcopis in Panormitana 24. Octobris 1596.

52 Ejuſmodi verò immemorabilis ab allegante eſt plenè, concludenter, ac præcisè probanda, Pariſ. *conſ.* 25. *nu.* 14. *lib.* 1. Gabr. *conſ.* 135. *num.* 4. *lib.* 1. cum ſolitis juris requiſitis, Gabr. *de præſcript. concl.* 1. *num.* 81. Oſaſch. *dec.* 101. *num.* 6. & per teſtes conteſtes in omnibus ejus conditionibus, Mareſcot. *var. c.* 100. *n.* 3. *lib.* 2. ac Rota *dec.* 557. *n.* 2. *p.* 7. *div.* quæ tamen excluditur ex actibus contrariis ad textum *in c. Illud*, ubi Gloſ. *de uſucap.* Greg. *dec.* 51. *num.* 3. Immò quòd ſufficiat unicus actus contrarius, etiamſi mille eſſent probati ad illam inducendam, firmat Greg. *dec.* 192. *num.* 15. cum aliis, quos refert Sperel. *d. dec.* 69. *num.* 6. Et quòd ex ſolo rumore, & reſiſtentia; etiam ex unico actu deſumpta excludatur, tenuit Rot. *dec.* 324. *par.* 1. *rec.* & idem Gregor. *d. dec.* 162. *num.* 9. ac Merlin. *dec.* 554. *n.* 3. advertuntque Bartol. *in l. ſemper in ſtipulationibus in fin. ff. de reg. jur.* & Schrader. *de feud. p.* 10. *ſect.* 19. *num.* 157. Quia tanquam actus contrarii conſuetudini non ſinunt illam vires ſumere, ſed eam evertunt. Quid neque prætenſæ probatio immemorabilis poteſt manutentionem impedire. Ubi enim concurrit juris aſſiſtentia, conceditur manutentio contra prætendentem immemorabilem, vel præſcriptionem, donec per tres conformes, in judicatum tranſactas immemorabilis fuerit canonizata, Rota *dec.* 713. *num.* 3. *p.* 4. *div.* & latè ac de communi Poſt. *obſ.* 45. *num.* 19. & cenſuit S. Congregatio ſuper Epiſcopis in Nolana die 16. Decembris 1582. ſcilicet: *mentre ſi fanno le prove del quaſi poſſeſſo, il Veſcovo può eleggere, e la Communità dee pagare* Et in Beneventana 15. April. 1603. *Ordine alla Comunità, che paghi il predicatore mandato dall' Ordinario ſenza pregiudizio delle ſue ragioni. Ed in Urbevetana* 16. *Febr.* 1604. *il Veſcovo dee eſſer mantenuto in poſſeſſo di nominare il predicatore, e la Comunità forzata a pagare la limoſina.* Et decernitur in Tridentino *d. c.* 4. *ſeſſ.* 14. illis verbis ſæpiùs adductis: *predicatores deputentur ab Epiſcopis impenſis eorum, qui eas præſtare, vel tenentur, vel ſolent.*

53 Quare cauſæ iſtæ nulla indigent diſcuſſione judiciali, cum agatur de mera exequutione decreti Sac. Concilii Tridentini, quæ ſolùm ſpectat ad ejus S. Congregationem tàm vigore Conſtitutionis 81. Pii IV. quàm Conſtitutionis 74. Sixti V. ſuper *inſtit.* 15. Congreg. 8. Congr. Et propterea non habet hìc locum regula, quòd lis ubi eſt cœpta, ibi terminari debeat. Quia procedit quando fuit introducta coram Judice competente, non autem incompetente, qualis etiam eſt Auditor Cameræ Apoſtolicæ, qui nullam habet juriſdictionem in ſpiritualibus, ac concernentibus curam animarum, præſertim in prima inſtantia, & multò minus quando agitur de exequutione, ac interpretatione Sac. Concilii Tridentini, quæ ſolùm ſpectat ad ejus Sac. Congregationem. Ut proinde non ſubſiſtat, quòd dicta Conſtitutio Sixti V. diſponat cauſas requirentes telam judiciariam eſſe cognoſcendas a propriis Judicibus. Nam in Congregatione 8. dictæ Conſtitutionis, ubi agitur de facultatibus S. Congregationis nullum verbum de hac re extat, ſed tantùm id diſponitur in ſequenti Congregatione 9. pro ſublevandis gravaminibus Ditionis Eccleſiaſticæ, quæ eſt diſtincta ab aliis Congregationibus, ut liquet ex ejus lectione, & in dicta Conſtitutione Pii IV. expreſsè mandatur, quòd S. Congregatio Concilii exequatur, & cum effectu obſervari faciat decreta dicti S. Concilii ſub pœnis ſibi benè viſis, invocato etiam auxilio brachii ſæcularis.

54 Debent autem Univerſitates nominationem, ſive præſentationem notam facere Ordinario per totum menſem Novembris, quadrageſimæ præcedentem. Quòd ſi præſentatus fuerit rejectus, alium per totum ſequentem menſem Decembris præſentare debent, aliàs eo anno jus amittunt nominationis, quæ devolvitur ad Epiſcopum, Sacr. Congregatio ſuper Epiſcop. in Roſſanenſi 10. Decembr. 1591. in Caſſanenſi 11. Junii 1627. ac alibi. Et Univerſitates nihilominus tenentur expenſas ſubminiſtrare juxta ſolitum, eadem S. Congregatio in Marſicenſi 13. Aprilis 1612. & in Milevitana 22. Junii 1612. Quando tamen nominatio, re integra, nota fit paulò poſt terminum elapſum, admitti debet, ſaltem ex gratia, eadem Sac. Congregatio in Nucerina 29. Januar. 1627. Et cum notam fecerint nominationem in tempore, ſi nominatus poſteà non vult, aut non poteſt concionari, non idcircò debent privari jure ſuo ſine culpa, eadem S. Congregatio in Narnienſi 24. Februar. 1612. Niſi id accederet in ultimis diebus ante quadrageſimam. Tunc enim providebit Epiſcopus, nec Univerſitates recuſare poterint prædicatorem, vel ei eleemoſynam ſolitam denegare, eadem S. Congregatio in Montis Faliſci 18. Septembr. 1638. Et advertendum eſt, quòd Univerſitates in ſuis patentibus literis nominationum uti non poſſunt verbis: *eligimus*, & *deputamus, ac electum, ac deputatum declaramus*; ſed debent uti verbis: *nominamus*, & *præſentamus*, ut ſæpiùs declaravit eadem S. Congregatio ſuper Epiſcopis, nominatim ſub die 17. Septembr. 1655. per hæc verba; *S. Congregatio, &c. cenſuit, Communitatibus, ac Dominis temporalibus locorum, qui ſunt in poſſeſſione nominandi Concionatores non licuiſſe, nec licere eoſdem deputare, ſeu conſtituere, ſed tantùm nominare, & præſentare locorum Ordinariis.*

55 Porrò prædicatorum deputatio non comprehenditur in facultatibus Vicarii præſente Ordinario, Sac. Congregatio Epiſc. in Beneventana 11. Octobris 1647. Neque in facultatibus Communitatum, & Dominorum temporalium, qui ſunt in quaſi poſſeſſione nominandi prædicatores. Non enim idcircò poſſunt illum deputare, vel approbare, *arg. c. Quod autem 5. de jurep.* Quare approbatio prædicatoris ſpectat ad Epiſcopum, licèt electio ſpectet ad alios, eadem Sacr. Congregatio in Aquenſi 8. Aprilis 1603. Quare in Cæſenatenſi 17. Septembris 1655. cenſuit, *Communitatibus, ac Dominis temporalibus locorum, qui ſunt in quaſi poſſeſſione nominandi concionatores non licuiſſe, ſeu licere eoſdem deputare, ſeu conſtituere, ſed tantùm nominare, ſeu præſentare locorum Ordinariis, & Epiſcopus rejicere poterit patentes nominationis hujuſmodi tenoris: Eligimus, & deputamus, ac electum, & deputatum declaramus.*

56 Hinc patroni Eccleſiæ parochialis, qui ſunt in quaſi poſſeſſione nominandi prædicatores, turbari non debent, eadem Sacr. Congreg. in Ferrarienſi 13. Februarius 1604. Idem eadem cenſuit de Gubernatoribus Eccleſiarum, ut in Neapolitana 8. Aprilis 1603. Ac de Confraternitatibus, dummodò neceſſaria ſubminiſtret. Nec præſentatus debet rigidè examinari cauſa illum rejiciendi, ut in Signina 10. Januarii 1605. Sacra tamen Congregatio Concilii 13. Auguſti 1604. cenſuit, facultatem nominandi prædicatores nequaquam eſſe patronis de novo concedendam. Quippe quæ non eſt de juribus patroni, cùm deputatio miniſtrorum temporalium non exigat patroni conſenſum Federic. de Sen. *conſ.* 65. Turnus autem, ſive circulus concionum ubi eſt in uſu, debet obſervari, eadem Sacr. Congreg. Epiſcop. in Sutrina 4. Februar. 1611. & in Senogallienſi 3. Novembris 1612. licèt alternativa eſſet inter Univerſitatem, & Regulares, eadem Sacr. Congregat. in Auguſtinianorum 22. Junii 1646. At ubi non eſt in uſu, non debet introduci, eadem Sacr. Congregatio in Firmana 24. Januarii 1627.

57 Electionem verò vi factam Epiſcopus non admittit, ſed ipſe providet, ut in Militenſi 17. Februar. 1623. cenſuit Sacr. Congregatio ſuper Epiſcopis. Et quando partes non ſunt concordes, ſeu vertitur lis inter Epiſcopum, & Communitatem, S. Congregatio ſolet eligere prædicatorem, vel præcipere, ut jam electus proſequatur ſine præjudicio partium. Ita ſæpè declaravit eadem Sacr. Congregatio præſertim in Detornenſi 10. Novembr. 1645. & in Montiſfaliſci 5. Martii 1648. ac alibi frequenter. In quo caſu tenentur Communitas eleemoſynam erogare, eadem Sac. Congregatio in Civitatis Plebis 24. Februar. 1617. Prædicator verò deſtinatus ab Epiſcopo defuncto, vel electus a Rectoribus antiquis prædicare debet, nec ſucceſſores poſſunt alium eligere, eadem Sacr. Congregatio in Acheruntina 2. April. 1601. & 17. Februar. 1945. & anteà in Mazarienſi 15. Decembr. 1687.

58 Quando qui curam habent animarum per ſe prædicare vel nolunt, vel nequeunt, nec in præſtandis ſumptibus adeſt

adeſt aliqua conſuetudo, quia nimirum anteà non conſueverant concionatores habere, vel quia prædicaverunt Parochi, &c. tunc conſuetudine ceſſante, præſtare prædicatoribus eleemoſinam in cathedrali ſpectat ad Epiſcopum, in Collegiatis ad Capitulum, in Parochialibus ad Parochos, eadem Sac. Congregatio Epiſcoporum in Faventina 17. Martii 1602. Si tamen Parochus eſt aptus ad declarandum Evangelium, ad aliud compelli non poteſt. Et ſi Univerſitas prætendit meliorem prædicatorem, debet illum eligere cum Ordinarii approbatione, & expenſas ſubminiſtrare, eadem Sac. Congregatio in Firmana 15. Junii 1599. Niſi Parochus ſuſpenſus eſſet a prædicatione propter ſuam culpam. Tunc enim ſaltem in Quadrageſima deputari debebit alius ſumptibus ipſius Parochi, niſi ſumptus ex conſuetudine ſpectarent ad alios, ead. S. Congregatio in Ariminenſi 18. Jannarii 1606. Sed regulariter, ceſſante conſuetudine, expenſæ pro prædicatore ſpectant ad eligentem, etiam ad Epiſcopum, ſi ipſe elegit, etiam extra Cathedralem, etiam in dioeceſi, eadem Sac. Congregatio in Ugentina 9. Auguſti 1604. Exiſtente verò conſuetudine, Communitas compelli poteſt ad dandam eleemoſynam prædicatori, electo ab Epiſcopo, eadem S. Congregatio in Monopolitana 4. Julii 1594. in Urbevetana 10. Februarii 1604. in Ferentina 12. Aprilis 1637. & in Prænestina 9. Februarii 1657. Et ex diſpoſitione juris communis *in dict. cap. Excommunicamus, §. quia verò de hæret.* ubi habetur, quòd nullus debet ſibi officium prædicandi aſſumere, niſi ſuper hoc a jure, vel a Sede Apoſtolica, vel a dioeceſano Epiſcopo licentia concedatur, aliàs excommunicari debet, & niſi reſipuerit, alia pœna imponitur, habeturque ex Tridentino *dict. cap. 4. ſeſſ.* 24. ubi quod Epiſcopo in Eccleſia ſua per ſe, vel per eos, quos ad prædicationis munus aſſument impenſis eorum, qui eas præſtare vel tenentur, vel ſolent deputandos, divinam legem annuncient. Et in ſpecie fuit declaratum a Sac. Congregatione Concilii in Acernenſi 10. Decembris 1607. his verbis: *Reverendiſſime Domine: Si amplitudo tua prædicatorem in Cathedrali deputare, Syndici verò, & electi illi eleemoſynam ſic electo præſtare conſueverunt a tempore, cujus initii memoria non exiſtit, fas eſt amplitudini tuæ illos quantumvis detrectantes etiam excommunicationis ſententia compellere ad iſtiuſmodi conſuetam, laudabilemque præſtationem. Quod tamen licèt amplitudini tuæ hec ſpiritualis gladii poteſtas competat, nihilominus ea prudentia, & moderatione utetur, quam ſacri Canones piè, ac ſapienter preſcripſerunt. Ita reſpondent Illuſtriſſimi Cardinales Sac. Concilio Tridentino interpretando, atque exequendo propoſiti, qui tibi ſalutem plurimam in Domino impertiuntur.*

59 Ac ita quidem, ut Univerſitates, vel miniſtri Regii, immò & ipſi Principes ſæculares non poſſint diminuere eleemoſynam dari ſolitam prædicatoribus. Nam per hanc conſuetudinem eſt quæſitum jus Eccleſiæ. Laici autem non poſſunt privare Eccleſias jure ipſis quæſito. Nam tamen cogi poſſunt ad præſtandum eleemoſynam majorem ſolito, eadem Sac. Congregatio ſuper Epiſc. in Caſſanenſi 3. Julii 1590. in Acerretana 32. Martii 1616. in Cronotenſi 27. Martii ejuſdem anni, in Beneventana 17. Maji, & in Aquilejenſi 16. Mart. 1604. Et Nuncii Apoſtolici providere debent, ne Ordinarii volentes cogere univerſitates ad ſupradicta, moleſtentur directè per hortatorias, vel indirectè banniendo, vel aliter moleſtando eorum conſanguineos, vel famulos laicos, eadem Sac. Congregatio in Trojana 30. Aprilis, & 2. Julii 1613. Poteſtque Communitas compelli ad ſolvendum eleemoſynam, licèt jus ſibi ex immemorabili competens eligendi prædicatorem Epiſcopo ſponte cedere velit, Sac. Congregatio Concilii in Campanienſi 2. Martii 1619. Quæ etiam olim cenſuit in Lancianenſi, Epiſcopum, qui legitimè impeditus hoc officium prædicationis per ſe ipſum præſtare non poteſt, per alium impenſis ipſius Epiſcopi præſtare debere, niſi ex conſuetudine hoc ad alium ſpectaret, adeòut Sedes Apoſtolica redarguerit Archiepiſcopum Brunduſinum, qui tempore Quadrageſimæ ad aliam Eccleſiam Cathedralem ſibi unitam concionatorem non miſerat. Et in Militenſi, prædicator alendus eſt ab illis, qui ab immemorabili tempore hæc alimenta præſtiterunt. Et in alia Militenſi, ſi Civitas concionatori eleemoſynam dare ſolet, ea conſuetudo ſervanda. Et Sac. Congregatio Concilii in Sutrina 10. Martii 1618. & 10. Julii 1627. *Prædicatoris electio pertinet ad Epiſcopum, cui ab Epiſcopo electo tenetur Univerſitas eleemoſynam dare, quam hactenus præſtare conſuevit. In Cathedrali verò, ſi Epiſcopus prætendat Communitatem quoque teneri præſtare eleemoſynam, ipſi incumbit onus prædicandi immemorabilem.* Et in Ulyſipponenſi ad impenſas prædicatoris penſionarii contribuere non tenentur. Et in Trojana, & Nuſcana ubi eſt conſuetudo, quod præpoſitus ſolvat expenſas, & eleemoſynam prædicatori, poteſt ad id per Epiſcopum cogi.

Si verò aliqua Communitas, quæ conferre ſolebat eleemoſynam prædicatori alterius oppidi, vel quòd prædicator iret aliqua hebdomada ad prædicandum in ejus Eccleſia, vel quòd ejus particulares homines illuc irent ad audiendum verbum Dei, poſtea velit ex ſe integrum concionatorem habere, non debet amplius gravari priſtina eleemoſynæ collatione, Sac. Congregatio Epiſc. ſuper Epiſcop. in Januenſi 27. Aprilis 1604. 60

Non poteſt tamen Epiſcopus cogere mulctis, ac pœnis populum ad audiendam concionem, vel Miſſam in Parochiali, licèt poſſit, ac debeat cogere Parochum ac celebrandum, prædicandum, & docendum, Sac. Congregatio ſuper Epiſcopis in Ferentina 15. Martii 1583. & Sac. Congregatio Concilii apud Zerol. *part. 2. v. Parochia.* Sed ad audiendam concionem monendus eſt populus, ut diebus dominicis, & feſtis majoribus interſit ſuæ Parochiali, excommunicandus tamen non eſt, ſi monitioni nom paruerit, eadem Sac. Congregatio Concilii apud Armindar. *in addit. ad recopil. leg. Navar. lib. 4. tit. 30. l. 3. de prædicat. num. 35.* Ita etiam eadem Sac. Congregatio Epiſc. ſcribens Epiſcopo Bergomenſi *die* 22. Novembris 1594. ordinavit, *che revocaſſero l' ordine fatto, che i Curati doveſſero inſegnare la Dottrina Criſtiana ſotto pena di peccato mortale, dovendoſi in caſo tale procedere per via di precetto penale, eſeguendo poi le pene comminate in caſo di contravenzione.* Canonici verò ſi in quadrageſima non interſint concioni, privari poſſunt diſtributionibus illius diei, eadem Sac. Congregatio in Caſtellanetenſi 20. Auguſti 1602. & in Comenſi 19. Maji 1590. Unde S. Congregatio Concilii die 2. Junii 1593. approbavit præceptum Archiepiſcopi Tarentini, quòd Canonici non intereſſentes concioni punirentur ſolita punctatura. At cùm in Urbinatenſi quæreretur in Sac. Congregatione Concilii, an ſtante conſuetudine, quòd Canonici punctentur, niſi aſſiſtant concionibus tempore quadrageſimali, expediat eos punctare, ſi non interſint concionibus tempore Adventus, & intra annum, cùm multi eorum non ſine ſcandalo populi dictis concionibus non interſint, eadem Sac. Congregatio die 14. Martii 1633. reſpondit, poſſe ſuaderi, non cogi. 61

Si verò, qui curam habent animarum per ſe prædicare velint, modo vita, moribus, & ſcientia ſint ad hoc munus idonei, non debent ab Epiſcopo impediri, eadem S. Congreg. ſuper Epiſc. in Vetulonienſi, ſive Urbitelli 9. Septemb. 1577. & in Faventina 17. Februarii 1603. & in Treviſana 9. Januar. 1627. Nam Concilium Tridentinum *d. cap. 4. ſeſſ.* 24. non concedit deputari prædicatores in Parochialibus, niſi Parochis impeditis. Modeſtè tamen ſe gerere debent, & ſi ſolùm velint exponere Evangelium, id faciant ad altare, eadem S. Congr. ſuper Epiſc. in Tarracinenſi 26. Febr. 1616. Nec Parochi concionantes per ſe prætendere, ſive poſtulare poſſunt eleemoſynam, quam Univerſitas Concionatoribus dare conſuevit, niſi per eandem Univerſitatem fuerint electi, vel aliàs ſponte ſolvere velit, S. Congr. Concilii in Veſtana 20. Martii 1621. Nam aliàs non zelus animarum, ſed temporalis lucri cupiditas Parochos, licet minus idoneos, ad prædicandum impellere poſſet. Idemque omninò dicendum eſt de Epiſcopo, eadem S. Congr. in Ravellenſi 20. Martii 1614. 62

Clericis etiam curam animarum habentibus licet publicè prædicare, quamvis Sacerdotes non ſint, laicis verò minimè, ſed tantùm legere aliquem librum ſpiritualem, *c. ſicut* 14. *de hæret.* Gloſ. *in d. cap. adjicimus* 20. *v. Sacerdotes 36. qu.* & cenſuit Sac. Congr. ſuper Epiſc. in Cavenſi 9. Junii 1552. At Religioſi Societatis Jeſu, etiam Sacris Ordinibus non initiati poſſunt eſſe concionares ex privilegio Greg. XIII. Conſtit. 95. Presbyteri verò ſæculares, qui curam animarum non habent, ſine licentia Epiſcopi prædicare non poſſunt, ne Vicarius quidem, ſi non eſt in ſacris, vel non approbatus, ead. Sac. Congr. Aprilis 1601. ex Trid. *cap. 2. ſeſſ. 4.* Immò neque Epiſcopus prædicare poteſt ubique ſine licentia Ordinarii loci, ead. Sac. Congr. in Theatina 12. Decembris ex decreto Clementis VIII. teſte Genuenſi *in prax. cap. 58. num. 1.* In Eccleſiis verò ſuæ dioeceſis, etiam Regularium, poteſt prædicare, etiam ipſis Regularibus invitis, eadem Sac. Congreg. in Galliarum 11. Januarii 1584. contra Delbene *de immun. d. c. 14. dub. 4. n. 4.* & Peyrinum ab eo citatum. 63

Ipſe tamen Epiſcopus licentiam concionandi non debet denegare, ſi prædicator fuerit idoneus abſque legitima, & rationabili cauſa, ſine qua nec illum poteſt a prædicatione ſuſpendere. Si verò illam deneget, vel aliquem a 64

præ-

prædicationis munere ſuſpendat, non tenetur cauſam exprimere, cur inde faciat, vel cur Regularibus, etiam in eorum Eccleſiis prædicare prohibeat, S. Congr. Concilii ad Conſtit. 18. Gregor. XV. quja non eſt vera cenſura. Secus autem ſi ab Ordinum officio ſuſpendet, vel excommunicet, aut interdicat, *cap. 1. de ſent. excom. in 6.* Sed tamen requiſitus, illam exprimere tenetur S. Congregationi, ead. S. Congr. in Caſtellanetenſi 6. Octobr. 1603. Non tamen prohibere poteſt in genere, quominus Regulares in Eccleſiis ſui Ordinis concionari valeant. Quia non præſumitur adeſſe juſta cauſa pro omnibus prædicatoribus unius Religionis, ead. S. Congreg. Epiſc. in Salernitana 19. Novembr. 1610. ſed benè in ſpecie ex aliqua juſta cauſa, ut ſi quid in concione dicant quod hæreſim ſapiat, vel quod offenſioni, & ſcandalo ſit, eadem Sac. Congr. in Gerundenſi 4. Auguſti 1597. Vel quando ob publicas ſupplicationes, aut aliam piam cauſam cuperet populum intereſſe quàm frequentiùs poterit Cathedrali, eadem S. Congr. in Faventina 17. Novembr. 1593. Vel, ut cenſuit S. Congr. Concilii in Brunduſina 18. Martii 1645. hora, qua Archiepiſcopus in Eccleſia Cathedrali, vel quando ex cauſa publica, convocatis Clero, Magiſtratu, & populo facit coram ſe prædicare ſolemniter; tunc enim poteſt ſub pœnis etiam cenſurarum præcipere Regularibus, ne illa hora prædicent. Quòd etiam declaravit in Bituntina 17. Februarii, & 2. Martii 1626. ſcilicet dum Epiſcopus concionem habet, omnes alii prædicatores ſilere debent, illiſque poterit inhibere, ut eo tempore a predicatione abſtineant. Ac inſuper prohibere quoque poteſt Epiſcopus concionem non conſuetam extra Eccleſiam cathedralem tempore Adventus, & Quadrageſimæ, Sac. Congregatio ſuper Epiſc. 10. Februarii 1604. Non verò prohibere poteſt in parochiali conciones quadrageſimales eo titulo, ut frequentior ſit populus in cathedrali eadem S. Congr. 20. Febr. 1601.

65 Item poteſt Epiſcopus in Conſtitutione ſynodali prohibere, ne prædicetur feria quinta in Cœna Domini, ut populus officiis, quibus myſteria paſſionis Dominicæ eodem die recoluntur attentiùs intereſſe poſſint. Quæ Conſtitutio a Regularibus quibuſcunque in ſuis Eccleſiis obſervanda eſt, & ſi recuſaverint, ad illius obſervationem ſunt compellendi, S. Rituum Congregatio in Cathacenſi 1. Junii 1601. in Adventu etiam, & Quadrageſima prohibere poteſt, ne prædicent alibi, quando parochialis remaneret ſine concurſu, eadem S. Congr. ſuper Epiſc. in Teleſina 28. Septembris 1621. & 25. Februarii 1622. præſertim in aliquo Feſto, ceu Paſcatis juxta ſolitum, eadem S. Congr. in Dertonenſi 10. Februar. 1604.

66 Et quod pertinet ad Regulares, ii neque extra clauſtra degentes, neque clauſtrales extra Eccleſias ſuorum Ordinum, neque in Eccleſis ſuorum Ordinum, contradicente Epiſcopo, prædicare poſſunt cujuſcunque privilegii prætextu ex Trid. *d. capit. 2. ſeſſ. 5.* In Eccleſiis verò ſuorum Ordinum ſufficit licentia Epiſcopi petita, licèt non obtenta, dummodò Epiſcopus ſe habeat merè negativè licentiam petitam non concedendo, ſecus ſi expreſſè predicare prohibeat, eadem S. Cong. ſuper Epiſc. in Auguſtinianorum 30. April. 1627. & in Cordubenſi 22. Septembris 1628. At in Eccleſiis, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, non ſufficit licentia petita, ſed requiritur obtenta, eadem S. Congr. in Aleſſanenſi 14. Februarii 1601. Quinimmò prædicare volentes in Eccleſiis, quæ non ſunt ſuorum Ordinum, poſſe ab Epiſcopo examinari, declaravit ead. S. Congregatio in Vicentina, aliàs Urgentina 22. Januari 1622. & cenſuit antea S. Congr. Concilii 28. Novembris 1596. contra Delbene, & alios ab eo citatos *d. cap. 4. num. 7.* Sufficit tamen, quòd prædicator regularis ſemel fuerit ab Epiſcopo examinatus, & approbatus, nec idem Epiſcopus poteſt illum iterum ad examen vocare, niſi haberet aliquid novi circa ejus vitam, mores, & doctrinam, ut ſi prædicaret errores, aut ſcandala, vel aliquid piarum aurium offenſivum, S. Congr. ſuper Epiſc. in Camerinenſi 7. Auguſti 1583. in hæc verba: *Camerino al Veſcovo. Se è verò, che V. S. abbia altre volte approvato per la predica di Mattelica Fra Felice, la Congregazione ſente, che hora non ſi poſſa impedire, che non predichi di nuovo, ſe ella però non aveſſe coſa alcuna particolare contro di lui, ò della dottrina ſua. Perchè più volte è ſtato riſolto, che baſta l' approvazione fatta una volta, ſenza farla di nuovo, quando ſi vuol tornare a predicare al medeſimo popolo* Et in Calaguritana 9. Junii 1587. *Cagliari all' Arciveſcovo. Che i Frati approvati circa la dottrina alle prediche dell' Arciveſcovo paſſato, non debbano eſſer di nuovo ſopra ciò eſaminati, ma eſſendo del reſtante di buoni coſtumi con dar loro licenza in iſcritto ſopra l' approvazione fatta altre volte circa la dottrina, gli laſcierà predicare.* In Eccleſiis verò ſuorum Ordinum prædicare volentes, non ſpectat ad Ordinarium eos examinare, ſed ad eorum Superiores, eadem S. Congr. in Salernitana 19. Decembris 1610. Secus autem ſi prædicator ſit Clericus ſæcularis, etiam electus a Regularibus, vel ſi Regularis prædicare velit in Eccleſiis aliorum Ordinum, etiam ab ipſis Regularibus electus, ead. Sac. Congr. in Cajetana 15. Decembris 1607.

Cujuſcunque autem ſint Ordinis, ſi prædicationis mu- 67
nere fungi voluerint in ſuis, vel ſuorum Ordinum Eccleſiis cum ſcripto propriorum Superiorum teſtimonio de examine, & approbatione, de ipſorum vita, moribus, & ſcientia, & de facultate prædicandi perſonaliter coram Epiſcopo ſe præſentare, & benedictionem petere, ſi verò in aliis Eccleſiis, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, concionari voluerint, ejus quoque licentiam, gratis concedendam, antequam id præſtent, obtinere tenentur. Alioquin, ſi his non præmiſſis, vel Epiſcopo contradicente, prædicaverint, ille in eos tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, excommunicationis pœna, vel alia ejus arbitrio infligenda, animadvertere, & Eccleſias, in quibus verbum Dei habebunt, interdicere poteſt. Ita eſt Trid. *d. c. 4. ſeſſ. 24. & c. 2. ſeſſ. 5. de ref.* Concil. Lateranen. *c. 10. dict. cap. Inter cætera de offic. Ord. c. Epiſcopus 3. d. 88.* & Gregorius XV. *Conſtit. Inſcrutabili* contra Delbene, & alios loco allegato. Tenentur autem perſonaliter coram Epiſcopo ſe præſentare non per literas, aut tertiam perſonam, idem Trid. *cit. c. 2. ſeſſ. 5.* Sed in locis diœceſis diſtantibus, & difficilis itineris debet Epiſcopus aliquem deputare, qui det approbationem, & benedictionem, Sac. Congr. ſuper Epiſcop. 20. Septembris 1583. cujus verba ſunt iſta: *I Padri di S. Domenico, che ſogliono predicare ogni anno a Bergomaſca, ſanno molto bene, che debbono venire' ſempre a preſentarſi, e pigliar licenza da V.S. ed eſſendo lontani aſſai per toglier loro il faſtidio, deſiderano queſti miei Signori Illuſtriſſimi, che ſi abbia loro compaſſione con deputare qualche perſona Eccleſiaſtica quivi vicina ſecondo che meglio le parerà, alla quale poſſano i detti Padri preſentarſi per la licenza del predicare, e ottenerla, ſe ſaranno, idonei, eſercitando la detta perſona l' autorità di V.S. come delegata da lei a queſt' azione per non pregiudicare alla giuriſdizione di codeſta Chieſa.* Sacra quoque Congregatio Concilii ſcripſit 10. Maji 1635. litteras hortatorias ad Epiſcopos, qui peramplas habent diœceſes, ut Regularibus longè diſtantibus benedictionem, vel licentiam prædicandi concedant per literas patentes, vel per ſuos Vicarios foraneos. Benedictionem verò tàm ſæculares, quàm Regulares ſemper petere tenentur ab Epiſcopo antequàm munus prædicationis ſuſcipiant; ſive predicare velint in propria Eccleſia, ſive in aliena etiam extra tempora Adventus, & Quadrageſimæ, ut aliàs diximus, & cenſuit eadem Sac. Congregatio ſuper Epiſop. tum alibi, tum in Bertinorienſi ſexto Octobris 1603.

Per hæc autem verba Concilii *d. cap. 4. ſeſſ. 24.* quòd 68
nullus prædicet, contradicente Epiſcopo, non ſolùm nullus, etiam Regularis prædicare poteſt, non tenetur Epiſcopus cauſam exprimere, cur moveatur ad id prohibendum, ut jam dictum eſt, ſed etiam Ordinariis conceſſum eſt, ut a Regularibus antequam officium prædicandi aſſumant, profeſſionem fidei exigant, ut declaravit Sac. Congregatio Concilii in Mediolanenſi. Quare Epiſcopus, ſi nollent Regulares coram ſe profeſſionem fidei emittere, poteſt illis denegare benedictionem prædicandi, ut ex ipſis Regularibus tradit Diana *p. 7. tract. 12. reſ. 24.* Nam ex Conſtitutione Pii IV. ad hanc fidei profeſſionem tenentur omnes Doctores, magiſtri, regentes, & alii cujuſcunque artis, & facultatis profeſſores, ſive Clerici, ſive laici illi ſint, vel cujuſcunque Ordinis Regulares, qui docere, vel promoveri voluerint. Atqui prædicatores docent. Quin etiam per illa verba Sedes Apoſtolica nemini licentiam concedere ſolet prædicandi, niſi de conſenſu Epiſcopi, eadem Sac. Congr. in Oſcenſi, & in Aquilejenſi 3. Auguſti 1589.

Et ſive ſint ſæculares, ſive Regulares, non poſſunt 69
tempore Quadrageſimæ, & Adventus, aliiſque temporibus in pulpito pauperes, ac miſerabiles perſonas abſque licentia Epiſcopi commendare, Sac. Congreg. Epiſcop. in Placentina 20. Julii 1619 ne in propriis quidem Eccleſiis. Poſſunt tamen commendare propria monaſteria eadem Sac. Congregatio 8. Maji 1602. Ac etiam poſſunt, dum prædicant in ſuis Eccleſiis recipere, ac diſtribuere eleemoſynas arbitrio ſuo, & commendare quemcunque locum pium voluerint ex iis, quos Epiſcopus edixerit, at extra ſuas Eccleſias, prout Epiſcopus voluerit. Ad commendandum verò familias, ſeu perſonas

parti-

particulares indistinctè necessaria est licentia Episcopi, S. Congregatio Concilii in Paduana 27. Novemb. 1626.

70 Id etiam adjiciendum, quòd S. Congregatio super Episcopis non concedit licentiam prædicatori Universitatis prædicandi in Ecclesia Regularium, ubi non est solitum, sine consensu ipsorum Regularium, ut in Tolentina 23. Octobr. 1611. Non enim cogi possunt ad acceptandum in suis Ecclesiis concionatores sæculares, vel diversarum Religionum, eadem Sac. Congr. 12. Februarii 1613. Nisi tamen esset consuetudo in contrarium, eadem S. Congregatio in Firmana 28. Februarii 1614. Neque deputatio prædicatoris regularis in Ecclesia ejusdem Ordinis spectat ad Episcopum, eadem Sac. Congr. Concilii 20. Decembris 1631. Neque si Regulares in Parochiali Ecclesia ipsorum monasterio unita per Regularem sui Ordinis prædicare voluerint, illius deputatio ad Episcopum pertinet, sed ad Priorem Regularem. At Concionator, sive sæcularis, sive regularis alterius Ordinis ab Episcopo tantùm est deputandus, eadem S. Congr. in Cremonen. 14. Decembr. 1619. & in Ferrarien. 23. Februarii 1658. Nisi Abbas haberet pro se immemorabilem: S. Congr. super Episcopis in Januen. 26. Aprilis 1607. Abbas item, qui habet in suo territorio jurisdictionem privativè, debet tàm eos, qui licentiam prædicandi obtinere voluerint, quàm alios ad confessiones approbandos in Ecclesiis ipsi Abbati subjectis, Episcopo offerre, Sac. Congr. Concilii in Calaritana. Præpositus etiam exemptus non habet facultatem impertiendi benedictionem prædicatoribus, eadem Sac. Congr. in Cremonen. Neque Rectores, & beneficiati alicujus Ecclesiæ Parochialis sæcularis, subjectæ alicui regulari, poterunt in dicta Ecclesia prædicare sine licentia Episcopi, eadem Sac. Congr. in Calaritana. Si autem adsit consuetudo, ut in Ecclesiis Regularium verbum Dei prædicetur, servanda erit: etsi haberi poterunt fratres illius Ordinis, cæteris paribus præferendi sunt, alioquin alii alterius Ordinis deputari debent ab Episcopo, & a Regularibus illius monasterii ubi erunt recipiendi, eadem S. Congr. in Salernitana.

71 Ad prædicandum verò Monialibus mitti potest quilibet Regularis, modò non alloquatur seorsim alicui ex ipsis, S. Congr. super Episcopis in Montisfalisci 25. Martii 1561. & in Hieracensi 2. Martii 1592. Etiam pro sermonibus spiritualibus ad crates, eadem S. Congr. in Interamnensi 8. Jun. 1563. & in Tarracinensi 5. Martii 1608. Vel ad conferendum cum Monialibus sermonem de rebus spiritualibus sive ad crates, sive ad colloquutorium, eadem Sac. Congreg. 2. Junii, & 14. Novembris 1601.

72 Nulla verò concio, ne passionis quidem dominicæ noctu fieri debet, Sac. Congreg. Episc. in Castrensi 20. Martii 1629. Et omnes etiam Regulares tenere debent in concionibus velum, quo discernant mulieres a viris, eadem Sac. Congreg. in Fanensi 22. Maji 1609. Neque tempore, quo prædicatur Missæ, vel horæ canonicæ sunt celebrandæ, ne submissa quidem voce, neque in altari subterraneo, Conc. Mediol. 4.

73 Denique gratiæ causa non pigebit referre pro Regularibus sequentem epistolam Sac. Congregationis super Episcopis die 7. Martii 1579. *Macerata al Vescovo. Che non poteva proibire, che mentre si predica al Duomo non vi fosse predicatore alcuno, che predicasse altrove, essendo ciò contrario alla consuetudine universale di Santa Chiesa.* Et cum replicasset Episcopus, quod de jure id prohibere potuerit per *Clement. Dudum de sepult.* eadem Sac. Congregatio die 7. Aprilis ejusdem anni sic ei respondit, *Che avendo ella consultato il negozio con la Congregazione del Concilio, e poi col Papa, ha risolto, che non ostante la detta Clementina si potesse predicare in ogni ora nell' altre Chiese, eziandio quando il Vescovo stesso predica, o fa predicare solennemente avanti di se, osservandosi però nel resto il Concilio Trident. nel §. Regulares sess. 5. cap. 2.*

74 Verùm hoc est paradoxum exoletæ vetustatis, quod majestatem Episcopalem lædit, ac proinde a Sacris Congregationibus jamdiu abrogatum, nec unquam in mores transiit. Quare nunc placere non potest. Notæ etiam sunt turbæ, quæ ex hac indulgentia exortæ sunt, item ambitio, simultas, offensio. Et ideò cum eædem Sac. Congregationes in Sanctiones Pontificias juratæ sint, si placitum aliquod eblanditum, aut obreptione ablatum, a Sanctionibus Canonicis, aut æquitate discrepet, judicium suum interponere more majorum solent, prout in hac re illud interposuerunt ex diametro oppositorum, quæ jam protulimus, gravitate, quorum jure tunc utimur.

75 Referam tandem pro coronide verba Constitutionis Clementis X. anno ejus Pontificatus primo emissæ, quæ sunt hujusmodi: *Regulares, qui in Ecclesiis sui Ordinis prædicare voluerint, teneri ab Episcopo Diœcesano benedictionem petere, prædicare tamen posse, quamvis illam non obtinuerint. Quòd si Episcopus benedictionem nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Ecclesiis licere Regularibus prædicare, eosq: contravenientes ab illo tanquam Sedis Apostolicæ delegato, censuris, aliisque pœnis Ecclesiasticis in vim Constitutionis fel. rec. Gregorii XV. prædecessoris nostri, incip. Inscrutabili Dei providentia, coerceri, & puniri posse, Episcopum tamen absq; justa, & rationabili causa contradicere non debere. Et hujusmodi benedictionem teneri etiam Regulares petere, si in quibuscunque Oratoriis sui Ordinis sermonem coram populo, vel in Ecclesiis, aut ad crates monasteriorum Sanctimonialium eorum jurisdictioni subjectarum, licèt clausis januis, & nullus sæcularis ibi interfit, habere voluerint. Posse autem Episcopum licentiam concessurum Regularibus in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt, prædicare volentibus, illos quamvis ab Universitatibus, aut Magistratibus laicis nominatos, etiamsi Episcopi antecessores per tempus immemorabile hanc licentiam absque examine concedere consueverint, quoad doctrinam examinare, si ita ipsius arbitrio, quod moderatum, & discretum esse debet, visum fuerit. Et licentiam prædicandi semel iisdem concessam ob rationabiles causas, licèt occultas, prædicationem tamen concernentes, suspendere. Non posse tamen Episcopum generatim prohibere Regularibus, quin in Ecclesiis suorum Ordinum prædicent.*

CONSULTATIO CCVII.

Iterum de filiis infantibus Paganorum, & Judæorum, an nimirum extra periculum mortis liceat eos baptizare, quamvis eorum parentes consentiant, non quidem certè, ut verè suscipiant Sacramentum baptismi, sed ob salutem corporalem, ut scilicet liberentur a periculo mortis, a vexatione dæmonium, & ejusmodi, si ipsi parentibus restituendi sunt?

2 *Quid verò in periculo mortis?*

3 *Quid etiam de adultis?*

AD primum quod attinet affirmativè respondendum videtur. Quia periculum apostasiæ non est adeò propinquum, aut certum, cùm fieri possit, quòd infans moriatur antequam perveniat ad usum rationis, cum plures ante septennium moriantur. Et quia etiam fieri potest, quòd si fiant apostatæ, etiam ad christianam Religionem revertantur, quod faciliùs continget, si sciant se baptizatos a ministro christiano. Ac tandem quia, etiamsi fierent apostatæ, fieri potest, quòd habeant ignorantiam invincibilem suorum errorum, ac proinde per contritionem de peccatis post baptismum commissis, salventur. 1

At verò tenendum est, non posse in hoc casu baptizari ut alibi etiam diximus. Quia periculum apostasiæ est ex natura rei connexum cum restitutione filiorum, & moraliter certum. Quòd autem pueri moriantur ante septennium, aut in adulta ætate excusentur ignorantia invincibili, est per accidens. Nam quòd post apostasiam sint convertendi, non solùm per accidens se habet, sed etiam non facit ad rem. Quia quod convertantur non est effectus baptismi, sed divinæ illuminationis, quæ si adfuerit, etiamsi non sint baptizati, convertentur, & potuerit baptizari. In omni autem re attendendum est, quod se habet per se, non autem quod se habet per accidens, & id, quod certum est, preferri debet incerto. Est autem moraliter certum periculum Apostasiæ. Quod autem moriantur ante septennium, aut excusandi sint ratione ignorantiæ invincibilis, & per contritionem salvandi, est omninò incertum. 2

Quod etiam locum habet, etiamsi contingat, quòd plures moriantur ante septennium, aut excusentur. Quia quando agitur de baptizandis pueris, & restituendis suis parentibus Turcis, vel Judæis, vel etiam hæreticis, non debet res in generali considerari, sed in illa particulari persona. Semper autem in quocunque filio restituendo parentibus paganis, vel hæreticis periculum apostasiæ, & perversionis est moraliter certum, & quod salventur moriendo ante septennium, aut excusandi sint ratione ignorantiæ invincibilis est omninò incertum, & per accidens. Itaque, ut extra periculum mortis baptizentur, debent separari a parentibus, & subtrahi ab eorum cura. Quia dum remanent sub cura parentum, educabuntur in falsa secta suæ Religionis; unde erunt christiani, quia baptizati, & erunt infideles, quia habebunt voluntatem infidelem, & conformem educationi, atque adeò apostatæ. 3

Accedit, quòd parentes revera non consentiunt in bap- 4

baptiſmum, ſed in abuſum baptiſmi. Ideò enim offerunt filios baptizandos, quia putant baptiſmum habere vim pro illis effectibus corporalibus, non autem quia putant eſſe Sacramentum mundans animam a peccatis, & in quo fiat profeſſio fidei chriſtianæ. Et certum eſt, quod nullo pacto conſentiunt in baptiſmum filiorum, ut eſt Sacramentum. Quare habent voluntatem formalem eos educandi in propria Religione falſa, unde intendunt merum abuſum baptiſmi, & ideò baptizans, quamvis ipſe intenderet conficere verum Sacramentum, & haberet rectum finem, adhuc tamen cooperaretur abuſui Sacramenti; quia infideles abuterentur illa ipſa actione ſacramentali, quia miniſtratur baptiſmus, & ſe haberet non ſicut ille, qui fabricat idolum, ſed ſicut ille, qui ipſum porrigeret, & oſtenderet volenti adorare. Et tandem quia revera baptizarentur invitis parentibus. Nam ipſi non eos offerrent baptizandos ex intentione Sacramenti, ſed ex erronea intentione remedii corporalis, & proinde revera non ſunt conſentientes.

5 Ex quibus etiam fit, quòd nec etiam furtivè licebit eos baptizare fingendo, quòd ablutio baptiſmi ſit ablutio medicinalis extra periculum mortis, ſi ſub educatione parentum remanere debent, non ſecus ac non liceret hoc pacto baptizare filios infidelium, aut hæreticorum propter periculum moraliter certum apoſtaſiæ a fide, vel perverſionis. Quod a fortiori locum habet apud illas gentes, quæ proprios filios vendere ſolent Mahumetanis, quia ſi venduntur, tranſeunt ad ſectam Mahumetanam. Unde præter periculum apoſtaſiæ ratione parentum, adeſt etiam aliud periculum ratione hujuſmodi venditionis.

6 Quoad ſecundum. Sunt qui putent, quod ſi hujuſmodi infantes ſint conſtituti in periculo probabili mortis, poſſint baptizari. Quia in tali caſu ſicuti probabile eſt periculum mortis, ita etiam probabile eſt, quòd non ſint exponendi periculo apoſtaſiæ. Poſſumus autem ſequi opinionem probabilem in quocunque caſu, quia tunc operatio eſt conformis regulis rectæ rationis. Quod etiam ex eo conſtat, quia ex una parte concurrit certa damnatio pueri, ſi moriatur, ex alia verò parte periculum apoſtaſiæ, quod non eſt certum, ſed ad ſummum probabile. Regulæ autem prudentiæ exigunt, quòd ſtante probabilitate, quòd puer ſit moriturus ex una parte, & ex alia quòd ſupervivet, occurratur malo certo permittendo incertum, quàm quod occurratur incerto, permittendo certum.

7 Quare in hoc caſu videtur poſſe baptizari, non quidem propter inſtantiam parentum, cum non ſit ipſis indulgendum, cùm prava intentione petant abuſum Sacramenti, ſed ratione charitatis, ut ſubveniatur conſtitutis in periculo æternæ damnationis, ut ſit ſublatum obſtaculum ſubventionis, nempè reſiſtentia parentum. Si enim creduntur probabiliter morituri, ſunt in gravi neceſſitate ſpirituali, & conſequenter tollitur etiam probabiliter periculum apoſtaſiæ a fide, quam in Baptiſmo recipiunt, & baptizans prudenter procedit, quia ſequitur quod probabile eſt, nec cooperatur abuſui Sacramenti, dum abuterentur parentes infideles illa ipſa actione. Quia non baptizat ob inſtantiam parentum, atque adeò nec conſentit in ipſorum abuſum Sacramenti, ſed quia ex charitate tenetur ſuccurrere conſtituto in gravi neceſſitate. Quòd autem parentes abutantur Sacramento, provenit ex ipſorum malitia. Secus autem, ſi ſecluſa neceſſitate, baptizaret, quia tunc id faceret ad inſtantiam parentum, atque adeò cooperaretur abuſui ipſorum.

8 Verùm ego cenſeo, quòd ne in hoc quidem caſu poſſunt baptizari, niſi ubi nulla ſpes adſit, quòd hujuſmodi filii poſſint ſupervivere, nec adſit ſcandalum. Tum quia, quòd ſint morituri eſt probabile, quòd autem ſint defecturi a fide eſt moraliter certum, atque adeò ſtante certitudine morali apoſtaſiæ, & probabilitate mortis, debet occurri malo moraliter certo, relinquendo id quod eſt probabile. Et tum quia baptizarentur invitis parentibus. Nam eatenus conſentiunt, quòd baptizetur, quatenus intendunt ſalutem corporalem, ac proinde abuſum Sacramenti, non autem ut revera ſuſcipiant baptiſmum, quatenus eſt Sacramentum fidei chriſtianæ. Unde eodem pacto ſe habent, ac non conſentirent, quia error excludit conſenſum circa ignorata, *l. ſi per errorem, ff. de juriſd.* & notat Menoch. *lib. 2. præſum. 19. num. 9.* Quia, ſtante errore, voluntas fertur in id, quod intellectus apprehendit, non autem in id, quod revera eſt. Non autem licet baptizare hujuſmodi infantes etiam in periculo probabili mortis abſque conſenſu parentum, quia adhuc ſunt in eorum patria poteſtate, ac proinde inferretur ipſis injuria, ac eſſet contra juſtitiam, ſecus autem ſi nullum ſequeretur ſcandalum, & nulla ſpes effulgeret, quòd poſſint ſupervivere, cùm in hoc caſu nulla eis fieret injuria, cùm ſint certò breviter morituri. Et ideò, ut licitè baptizentur, non ſufficit periculum probabile mortis, ſed requiritur verus articulus, ſive certitudo mortis, & quod abſit ſcandalum. Et ita intelligendum, quod anteà dixi *conſ.* 185.

Ad tertium. Quod dictum eſt de pueris ante uſum rationis extra periculum mortis dicendum eſt de adultis, ut non poſſint baptizari vero baptiſmo, ſi illum petant tanquam remedium corporale. Quia tunc non conſentiunt in verum baptiſmum, ſed ex intentione erronea petunt merum remedium corporale. Quod ſi inſuper cognoſcerent, & recipere vellent quod in illa actione miniſtrat Eccleſia quamvis reciperent verum baptiſmum, ut habetur *ex cap. majores, §. item quæritur de baptiſm. & c. de Judæis dict.* 45. ac tradunt communiter Doctores cum D. Auguſtino *l. 2. contra Petil. cap.* 35. & D. Thom. *3. p. qu.* 65. *art.* 8. adhuc tamen non liceret eos baptizare, quia indignè accederent abſque debita diſpoſitione. Nam antequam baptizentur, debent erudiri vera fide Chriſti, & ipſam conſentire juxta illud Marci *ult. Qui crediderit, & baptizatus fuerit*, & Matth. *ult. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos.* Et debent diſponi per pœnitentiam *Act. c. 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum.*

CONSULTATIO CCVIII.

1 *An Parochi, præter ſolitam eleemoſynam cogere poſſint hæredes eorum, qui ſepeliri volunt in Eccleſia Regularium, ad ſolvendum aliquid aliud?*

2 *An iidem hæredes poſſint cogi ad ſolvendum Clericis ſæcularibus, cùm interſunt funeri occaſione cadaveris ſepeliendi in Eccleſia Regularium, duplicatam eleemoſynam?*

3 *An ſicut pater in aliquibus locis ex conſuetudine eligit ſepulturam pro filio impubere, hoc idem poſſit mater, eo defuncto, vel abſente? Et quid de filiis naturalibus, ac ſpuriis? Item de adoptivis, & abrogatis?*

4 *Et quid ſi ſuper materia contenta in primo, & ſecundo dubio extaret conſuetudo immemorabilis, an ad illam probandum concedenda ſit remiſſoria?*

AD primum negativè. Quia cùm Regulares, tàm inſpecto jure communi, quàm etiam attentis privilegiis Apoſtolicis, habeant jus ſepeliendi cadavera in ſuis Eccleſiis, ut per Fagnan. *in cap. Fraternitatem num. 6. de ſepult.* quod a Parochis impediri non poteſt, Ricc. *in pr. q. 4. reſol. 193. num. 22.* inde fit, quòd Parochi cogere non poſſunt hæredes eorum, qui ſepeliri volunt in Eccleſia regulari ad ſolvendum aliquid plus præter ſolitam eleemoſynam, dum hoc modo indirecto illis præjudicaretur, ſicuti etiam fraudarentur laici habentes liberam facultatem eligendi ſepulturam, quod proinde admittendum non eſt, ut per Paſſarin. *de homin. ſtat. qu. 187. art. 4. num. 187. tom. 2.* ubi ex mente S. Congregationis ſuper Epiſc. & Regul. probat. quod non poſſit Parochus prætendere plus ex eo, quod extra ſuam Parochialem Eccleſiam fuerit electa ſepultura, ſive in Eccleſia ſæculari, ſive regulari. 1

Quodque facilius negandum eſt, ponderando quod Paulus V. in ſua Conſtitutione edita ſub die 25. Jun. 1608. ad favorem Fratrum Minorum de Obſervantia *in Bullar. n. 3.* in ordine 47. tollendo hujuſmodi abuſus prohibuit Rectoribus Eccleſiarum parochialium Indiarum occidentalium, & orientalium, ne aliquid exigerent ultra præſcriptum a S. Concilio Trident. *ſeſſ. 25. c. 13.* & a Conſtitutione B. Pii V. edita anno 1567. Quæ Pauli conſtitutio fuit confirmata ab Urbano VIII. ſub anno 1624. ut in eodem Bullario, necnon ſub anno 1627. quarum antea mentionem feci *conſ.* 201. *num.* 1. ac denique Clemente X. ſub die 18. Januarii 1672. ut in eodem Bullario, quia approbavit, & confirmavit ſupradictum decretum S. Congregationis ſuper Epiſc. ac Regul. 2

Hujuſmodi autem Conſtitutiones favent etiam cæteris Regularibus, dum emanarunt ex cauſa univerſali, ad tollendos ſcilicet abuſus introductos contra formam S. Conc. Trid. & Conſtitutionis Pianæ. Et quod præfata decreta, & Conſtitutiones ſuffragentur omnibus Religionibus, firmant Lezan. *in ſum. v. ſepultura num. 5.* & alii, quos refert, ac ſequitur Paſſarin. *ubi ſupra num. 167.* Idque ex mente diſponentium, & ex identitate rationis, ut per Peyrin. *tom. 3. priv. 3. cap. 4. num. 8.* Pelliz. *tr. 8. cap. 5. ſect. 4. ſubſect. 2. qu. 19. num. 17.* & Portel. *d. v. ſepultura in addit. num. 2.* Et generaliter quod diſpoſitio Principis in favorem certæ perſonæ, & in caſu particulari edita, habeat vim legis, ita- 3

ut

ut omnibus ſuffragetur, tradit Socin. *conſ. 36. lib. 4. & conſ. 39. num. 2. lib. 2.*

4 Hinc ceſſat pretextus, quòd Parochi ſint ſoliti plus aliquid exigere ultra ſolitam eleemoſynam. Tum quia hujuſmodi exactio, uti abuſiva fuit declarata præfatis Conſtitutionibus, atque adeò non poteſt in ea fieri fundamentum. Tum quia per actus extenſivos non poteſt induci aliqua conſuetudo, cum ad talem effectum requirantur continuæ ſolutiones voluntariè factæ, non autem ad tollendas vexationes, ut in terminis Gratian. *diſcept. 210. num. 23. & ſeqq.*

5 Ad ſecundum pariter negativè ex rationibus ſuperius adductis, cum id, aliaque hujuſmodi in dubio non ſolùm redoleant cupiditatem, & avaritiam ex traditis per Abb. *in cap. abolendæ col. fin. num. 9. de ſepult.* Bellam. *conſ. 32. col. 4. in fin.* cum aliis per Add. ad Matheſil. *ſing. 76. num. 16.* verum etiam repugnent libertati electionis ſepulturæ, unicuique fidelium competenti tàm ex diſpoſitione juris communis per textum *in c. 1. in c. cùm liberum, in cap. de uxore, & in cap. ſeq. de ſepult.* ubi Doctores communiter cum aliis per Rot. *dec. 333. num. 1. part. 3. & dec. 380. num. 37. & dec. 552. num. 6. part. 5. recent.* quàm privilegiorum Apoſtolicorum ad avorem Mendicantium, & in ſpecie Sixti IV. Conſtitutione ſua relata a Lezan. *in marg. magn. Minor. §. 41. & in ſum. d. verb. ſepultura per tot.* necnon Innocentii IV. ut refert Caſarub. *de privil. Regul. tract. 2. cap. 7. prop. 4.* ubi tradit, hujuſmodi libertatem impediri non poſſe per Epiſcopos, & alios Ordinarios, ut in fortioribus terminis declaravit S. Rituum Congregatio in Capuana 31. Martii 1629. relata per Add. *in compend. can. reſol. lib. 4. tit. 17. num. 32. &* per Rot. *dec. 552. num. 29. part. 5. rec.* & declaravit ſæpius S. Congregatio ſuper Epiſc. ac Regular. referente Nicolio in *floſcul. v. ſepultura num. 25.* per hæc verba: *Sacra, &c. inhærens declarationibus alias deſuper editis, cenſuit non licere parochialium Eccleſiarum Rectoribus majorem eleemoſynam pro defunctis in Eccleſiis Regularium ſepeliendis exigere, quàm eis ſolveretur, ſi in propriis, vel aliis ſæcularium Eccleſiis ſepeliri deberent, & contrafacientes ab Ordinario pœnis, & cenſuris ſibi benè viſis, ſeverius eſſe puniendos* 27. *Februarii* 1593. & 22. *Auguſti* 1642. Quod approbavit præfatus Clemens X. ſupradicto ſuo Brevi in Bullarium relato.

6 Neque obſtat conſuetudo contraria. Nam etiamſi legitimè probaretur, non relevaret. Tum quia decretum irritans Conſtitutionum Apoſtolicarum pro omnimoda libertate ſepulturæ ad favorem Regularium impedit quamcunque præſcriptionem, & conſuetudinem in contrarium ex vulgatis. Tum etiam quia hujuſmodi conſuetudo tanquam irrationabilis, & ſcandaloſa non eſt toleranda, ſed radicitus evellenda, ut decidit textus *in d. c. abolendæ de ſepult.* Et cùm tollat jus tàm Regularibus, quàm etiam laicis non valet, ut tradit D. Fagnan. *in c. Quæ in Eccleſiarum n. 115. de conſtit.*

7 Ad tertium reſpondeo affirmativè. Quemadmodum enim Sacri Canones hanc conſuetudinem approbant reſpectu patris, ut expreſsè habetur *in cap. licèt de ſepult. in 6.* ita quoque eadem ratione hoc debet eſſe permiſſum matri, ut ex communi ſententia tradunt Sylveſt. *v. ſepultura qu. 7.* Tabien. & Armil. *eod. v. n. 8.* Lavor. *tit. 2. c. 11. n. 119.* ac fusè Sperell. *dec. 89. num. 7. & 9. in fin. cum ſeq.* ubi oſtendit nullam prorſus diverſitatis rationem conſiderari poſſe in matre, ac in patre, reſponditque contrariis argumentis, & comprobat Donat. *in pr. com. 5. tr. 9. qu. 14. num. 1. cum ſeqq.* Lancell. *inſtit. jur. can. lib. 11. de ſepult. tit. 24. §. de filiofamilias, v. conſuetudo*, Paſqualig. *dec. 493. num. 3.* Barboſa, Molina, Layman, Ventriglia, & alii benè multi congeſti ab Emanuele a Spiritu *in direct. Regul. tit. de privil. in partic. tr. 2. diſp. 3. ſect. 4. num. 124.* & declaravit Sac. Congregatio ſuper Epiſcop. 20. Januar. 1640. & teſtatur Lezan. *in mar. magn. de prædic. ad §. 22. num. 85. in fin.* & nos alibi.

8 Quod verò ad alios ſpurios, & alios affirmativa ſententia eſt probabilior. Quia militat in iis eadem ratio, ob quam inducta fuit conſuetudo dans patri, ac matri jus eligendi ſepulturam filio impuberi, nimirum curam, quam pater, & mater habere debent de ſuis filiis, & proinde debet cenſeri introducta conſuetudo univerſalis, quoad omnes filios juxta amplitudinem rationis, quæ ſit rationabilis omnis conſuetudo.

9 Neque obſtat, quòd appellatione filiorum non veniunt naturales, ac ſpurii, *l. generaliter, C. de inſtit. & ſubſtit. & Clem. 1. de baptiſ.* cum Gloſs. *v. liberi*. Quare cùm per *d. cap. licet de ſepult. in 6.* liceat patri, & matri eligere ſepulturam filio impuberi ſtante conſuetudine, non debet hoc extendi ad ſpurios, & naturales, per quam rationem ita tenent Sylv. *v. ſepult. 7.* Angelic. *eod. v. num. 9.* & Aſin. *in l. 1. familiaria ſepulchra, ff. de rel. & ſumpt. fun. num. 46.* Nam id non debet intelligi univerſaliter, ſed quoad commoda, & honores, ut notant Gloſ. *in d. Clem. un. de bapt. eod. verb. in fin.* Quoad cætera verò, nempè quoad curam paternam, & maternam, & quoad reverentiam, quam ipſi debent parentibus, veniunt appellatione filiorum, atque adeò etiam in ordine ad jus, quod habent parentes eligendi ſepulturam pro ipſis impuberibus. Ex quo infertur, poſſe parentes eligere ſepulturam pro filiis adoptivis, & arrogatis quandiu ſunt impuberes. Quia ſunt ſub cura ipſorum non ſecus, ac ſi eſſent legitimi, ut notant Sylveſter, Angelica, & Aſinius locis ſupra citatis.

Quoad quartum remiſſoria ad probandum conſuetudi- 10
nem immemorabilem contrariam, vel deneganda videtur cùm appareat irrationabilis, & ſcandaloſa per textum *in d. cap. abolendæ de ſepult.* vel ad ſummum concedenda cum declaratione, quòd interim Parochi abſtineant, donec illa probetur, & a Superioribus admittatur, quod juri, & rationi congruit, cùm in his caſibus habet contra ſe juris aſſiſtentiam, ut ex mente S. Congreg. Concilii tradit Rot. *dec. 703. num. 1. & 2. part. 4. div.* & in Theatina juriſdictionis 14. Martii 1625. coram Ubaldo apud Poſt. *de manut. dec. 197. num. 2. & ſeqq.* Nam Regulares habent pro ſe Conſtitutiones Apoſtolicas, ideòque dicuntur habere aſſiſtentiam juris ad tradita per Rot. *dec. 607. num. 8.* apud Poſtium juxta diſpoſitionem textus *in cap. 2. perſonæ de priv. in 6.* Rot. *dec. 39. num. 3.* poſt Pacif. *de Salv.* Mareſch. *var. reſol. lib. 1. cap. 12. num. 1. & ſeq.* ubi de communi, cum aliis adductis a Poſth. *d. tr. obſerv. 45. num. 4. & ſeq.* Habentque exequutionem paratam, Gloſ. *in cap. Si in capitulo, v. exequatur, de conceſ. præb. in 6.* Rota *dec. 22. num. 2.* coram Gregorio cum aliis *in dec. 819. num. 1.* coram Merlino.

Quod autem hujuſmodi conſuetudo ſit irrationabilis, 11
& ſcandaloſa, conſtat manifeſtè ex eo, quod licèt electio ſepulturæ ſit omnibus libera, & Regulares ex diſpoſitione juris communis, ac privilegiorum Sedis Apoſtolicæ poſſint cadavera fidelium in ſuis Eccleſiis ſepelire, nihilominus Parochi ad tollendum hanc libertatem, & ad infringendum dicta privilegia, intendunt per teſtes probare ſe fuiſſe ſolitos exigere ab hæredibus defunctorum, qui elegerunt ſepulturam in Eccleſiis Regularium aliquid plus ultra ſolitam eleemoſynam, eſto quod dicti hæredes ſolverunt dictis Parochis, & Clericis, dum invitantur Regulares, duplicatam eleemoſynam. Unde illorum intentio eſt, quòd laici cogantur indirectè eligere ſepulturam in ipſorum Eccleſiis, & ſic illos privare libertate de jure eis competente, ac eodem tempore infringere privilegia Apoſtolica Regularibus conceſſa, quibus tamen laici neque directè, neque indirectè valent præjudicium inferre, ut per Ricc. *in pr. part. 4. reſol. 193. num. 32.*

Comprobatur ex dictis Conſtitutionibus 47. Pauli V. 12
& Urbani VIII. in quibus hæc conſuetudo declaratur tanquam abuſiva cum clauſula ſublata, & decreto irritante, quæ inficit titulum, & poſſeſſionem, & quæcumque alia in contrarium. Ex quo ſatis detegitur irrelevantia materiæ articulatæ, ut in terminis prætenſæ immemorabilis firmavit Rot. *dec. 319. num. 6. p. 6. & dec. 66. num. 8. p. 7. rec.* cum aliis *in dec. 39. num. 15.* coram Emin. Otthobono. Præcipuè ſi præfatæ Conſtitutiones fuerint comprobatæ per ſententiam Auditoris Cameræ Apoſtolicæ pro illarum exequutione, ut per Rotam *dec. 23. n. 3. & 6.* coram Tarraconen. cum aliis in Anglonen. Archipresbyteratus 24. April. 1655. *§. hinc nulliter* coram Albergato. Ita ſanè, ut non obſtet, fuiſſe appellatum a prædicta ſententia, ſi appellatio fuerit commiſſa per Signaturam Juſtitiæ cum clauſula præſervativa exequutionis, & ad hoc his ceſſantibus, non idcircò elideretur authoritas S. Congregationis, vel denegaretur obſequium ei debitum, ut in ſimili animadvertit Rot. *deciſ. 220. num. 13.* coram Otthobono. Aliàs enim ſi prætextu immemorabilis probandæ retardari poſſit exequutio literarum Apoſtolicarum, & decretorum S. Congregationis ad extirpandum hujuſmodi abuſus, & corruptelas juxta preſcriptionem Sac. Canonum, actum eſſet de illorum religioſa obſervatione. Ideòque attendi non debet, ut præter textum *in dict. cap. abolendæ* docet D. Fagnan. *in dict. cap. Quæ in Eccleſiarum num. 115. de conſtit. & in cap. in ordinario num. 40. de ſimon.* & proinde non debet concedi remiſſoria ad illam probandum, ut per Eminentiſs. Otthobonum *dec. 36. num. 80. & dec. 39. num. 15.* Quæ nec minus conceditur in materia objectiva, Rot. in Romana fideicom. de Bolognet. 16. April. 1646. coram Ghislerio.

Ceſſat-

13 Ceſſatque omnis difficultas ponderando, quòd eædem Conſtitutiones cùm prodierint ex cauſa univerſali, ut ſuperiùs dictum eſt, debent ad commodum omnium Regularium ibi attendi, ut præter citatos tradit Ruin. *conſ. 93. num. 2. lib. 2.* Unde fit, quòd petita remiſſoria contra Regulares nullatenus concedi poſſit, niſi obtenta prius a Summo Pontifice aperitione oris, ut per Gregor. *dec. 211. nu. 6.* Quinimmò neque concedi poteſt contra alios Regulares, ſive attenta communi ratione privilegiorum, Pegn. *dec. 746. per tot.* ſive inſpecta identitate rationis, & cauſa univerſali, quæ accommodatur omnibus Regularibus ex Socin. *d. conſ. 36. num. 6. lib. 4.* & in ſpecie firmat Paſſarin. *de hom. ſtat. q. 187. n. 367. tom. 2.*

14 Ex quo conficitur, quòd cùm immemorabilis eſſet probanda ante dictas Conſtitutiones, & potiſſimum antè illam Urbani VIII. ut per Rotam in Romana prætenſæ devolutionis palatii 18. Junii 1657. confirmata 7. Junii 1658. coram Albergato, ſequitur, quòd ob nimiam inveriſimilitudinem inveniendi teſtes tantæ ætatis, deneganda ſit remiſſoria, prout aliàs in ſimili Rot. *dec. 266. num. 7. p. 6. rec.* & in Barcinonen. alimentorum 17. Maji 1647. coram Dunozetto.

15 Idque præcipuè ſi prætenſa conſuetudo neque in prima, neque in ſecunda inſtantia fuerit allegata, ut proinde præſumatur calumnioſa, ſicuti in ſimili reſpondit Anchar *conſ. 234. col. 1.* Caſtr. *conſ. 281. & 282. lib. 1.* cum aliis cumulatis a Menoch. *lib. 2. præſumpt. 61. num. 4. & 9.* Ideòque deneganda ex traditis a Baldo *in l. non ignorat, verſ. ſi differt petere in 1. not. C. de fructi. & lit. exp.* & cum aliis Rot. in Colonien. Monaſterii 12. Februarii 1629. coram Ubaldo.

16 Attenta igitur irrevelantia, remiſſoria eſt deneganda ne partes tedio, laboribus, & expenſis inutilibus defatigentur ad textum *in l. approbatione, C. de probat.* Caputaq. *dec. 86. n. 2. p. 3.* Moned. *dec. 5. n. 5. de prob.* cum vulgo aliis.

17 At nihilominus quod ad probandum immemorabilem attinet, contrarium cenſeo. Etenim cum remiſſoria regulariter concedatur ex ſola revelantia articulorum, etiam unius in cauſa profana, qualis dicitur quotieſcunq; non agitur de titulo beneficii, licèt vertatur ſuper emolumentis, & redditibus Eccleſiaſticis juxta vulgares deciſiones Gregorii 164. & 403. & in terminis ad probandum immemorabilem Burat. *dec. 392.* Multò magis concedenda eſt, quando Parochialem non habuerunt, neque alias probationes fecerunt, maximè ſi habeant in Conſtitutionem ſynodalem, ex qua certè reſultat vehemens fumus veritatis materiæ articulatæ, cùm non ſit veriſimile, Epiſcopum, & Clerum, ac Regulares, qui ſynodo interfuerunt, id ſtatuiſſe, ac permiſiſſe ſtatui, niſi concurreret immemorabilis, & juſta cauſa articulata ex adductis in additione ad Burat. *dec. 23. n. 13.* & coram Gregorio *dec. 414. n. item 13.*

18 Relevantia eſt manifeſta. Quia facta probatione immemorabilis, quæ non eſt ſublata per ſupradictas Conſtitutiones Apoſtolicas, neque per decreta S. Congregationis, de illa nullam mentionem facientes, Burat. *dec. 270. num. 2.* & in ſtrictioribus terminis de Conſtitutione Clementis VIII. ſuper confirmatione Cœremonialis, abrogante conſuetudines contrarias, reſpondetur *in dec. 647. num. 13. p. 4. tom. 3. rec.* eſtque deciſio coram Merlino 109. utique debebuntur Parochis ſingula, quæ a Regularibus, & a defunctorum hæredibus denegantur pro juribus ſepulturæ, quæ percepturi fuiſſent in ſuis Eccleſiis, non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, & reſolutionibus Congregationum. Quia nec adverſantur cùm præſervetur jus ſepulturæ conſuetum etiam in Conſtitutione 41. B. Pii V. *§. 13.* Quod ſive diverſum ſit a quarta, ſicut probat Gabriel. *conſ. 190. a numerus 1. lib. 2.* potuit conſuetudine introduci, ac taxari, ut proſequitur idem Gabriel. & Gratian. *diſcep. 210. num. 10. cum ſeqq. & dec. March. 26. num. 14. & ſeq.* Sive quartam etiam implicet, illa eſt debita juxta textum *in cap. 1. de ſepult. & in Clem. Dudum eod. tit.* Et hæc pariter potuit conſuetudine taxari, etiam in tertia, vel medietate ex ſola quadragenaria, ut comprobat Barboſ. *de offic. Paroch. p. 5. c. 5. n. 6. & ſeq.*

19 Quare multò magis illis debita erunt, probata immemorabili cum illis requiſitis a jure approbatis, nempè quòd conſuetudo habuerit principium voluntarium, a toto populo ſervata, & alia, de quibus Barboſ. *loc. cit. cap. 26. num. 18.* & Grat. *diſcept. 210. num. 24. & 29.* Stantibus enim his requiſitis, conſuetudo dicitur laudabilis, & ſervanda juxta *c. ad Apoſtolicam, de ſimon.* & ibi Gloſ. *fin. v. laudabilem.*

20 Nec obſtare poſſe videtur, quod iſtud jus ſepulturæ ſit quarta, quæ debetur Parocho, & iſtam non ſolvunt Regulares, ut prætenditur, & ideò nec etiam debeatur illud plus aliquid loco quartæ ſubrogatum. Nam jus ſæpulturæ eſt omninò diſtinctum a quarta, de qua ſolùm Conſtitutio B. Pii V. loquitur *in §. 11. & 12.* & diſtinguit Conventus Regularium, qui ſolvere debent quartam, interpretando Concilium Tridentinum, & poſtea loquitur de jure ſepulturæ abſque ulla diſtinctione. Si autem non eſſet diverſum jus ſepulturæ a quarta, ſuperflua eſſet diſpoſitio Conſtitutionis ſuper jure ſæpulturæ, & planè inepta, dum in quartæ ſolutione vult, quod tantùm ſolvatur in certis caſibus, & jus ſepulturæ indiſtinctè, ac indeterminatè, quando ſit conſuetum.

Ut autem magis cognoſcatur iſta diſtinctio, advertendum eſt, quòd antiquitus corpora defunctorum ſepeliebantur extra Eccleſiam, deinde fuerunt tumulata in Eccleſiis parochialibus, eratque ſolitum, ut quis ad habendum honorabilem locum erogaret aliquid ſpontè pro eleemoſyna Parochis, licèt ſi data eſſet coactè, fuiſſet ſimoniacum. Introducta hac conſuetudine ex ſpontanea oblatione, jus acquiſitum fuit Parochis, ut aliquid perciperent pro jure ſepulturæ in Eccleſia parochiali præter cereos, ſive intorticia, & cætera in funeribus ſolita miniſtrari. Verùm quia poſteà ſtatutum fuit, ut quiſque poſſit ſepeliri in Eccleſiis Regularium, ex hoc ceſſat illa eleemoſyna ſolvi ſolita pro ſepultura Eccleſiæ parochialis, ideò inductum fuit, ut aliquid ſolveretur Parochis pro illo jure, quod amittebant, ex quo defunctus ſepeliebatur extra Eccleſiam parochialem, & ſolvebatur hoc jus ſepulturæ, in Conſtitutione B. Pii V. reſervatum. Pro aliis verò oblationibus factis in funeribus conſulebatur Parochis ſolutione quartæ, quæ illis pariter reſervatur, quando extra Eccleſiam parochialem defunctus ſepelitur. Et differentia inter quartam, & jus ſepulturæ eſt manifeſta. Quia quarta ſolvitur a Regularibus ex iis, quæ in funeribus offeruntur ab hæredibus, jus autem ſepulturæ ſolvitur ab ipſis hæredibus defuncti. Ne ſolvatur quarta ex privilegio eſt ad commodum Regularium. Ut ſolvatur jus ſepulturæ eſt in damnum hæredum ex laudabili conſuetudine ex ſuperiùs dictis. Unde Regulares ex ſuis privilegiis nequeunt impedire, ne hæredes defuncti ſolvant, quod ex jure inductum eſt, ac ipſi ſolvere tenentur ex laudabili conſuetudine pro jure ſepulturæ, dum ipſis non aufertur privilegium ſolvendi aliquid ex ipſis oblationibus funeralibus. 21

Hanc autem quartam ſolvere tenentur omnes Regulares non habentes privilegium cum ſpecifica derogatione *d. Clem. Dudum de ſepult. ut per dec. 83.* poſt Tambur. *de jur. Abb.* Millin. *dec. 49. num. 1.* Etiam ſtante diſpoſitione S. Conc. Trid. *in cap. 13. ſeſſ. 25. de ref.* Quoniam aut eorum Monaſteria ædificata ſunt citra quadraginta annos a publicatione Concilii, & privilegia remanſerunt abrogata, aut ſunt ante. Et cùm Parochi ſint in quaſi poſſeſſione exigendi illud plus loco quartæ, aut pro jure ſepulturæ, ſicut probabitur, dicendum eſt, illos eſſe in poſſeſſione exigendi quartam, & Concilium non ſuffragatur, ut diſcurrit Millin. *d. dec. 49. num. 1.* & declarat Barboſ. *de Paroch. d. lib. 3. cap. 25. num. 13. & ſeq.* juxta *deciſionem 84.* coram Coccino impreſſam poſt Tambur. *loc. alleg.* 22

Eòque magis id videtur juſtum, quia eſt quid modicum ſive ratione juris ſepulturæ, ſive ratione quartæ, quam poſſent Parochi percipere non ſolùm ex omnibus obventionibus, quæ dantur Eccleſiæ regulari in ipſo die funeris, ac toto tempore, quo corpus eſt in funeribus ſuper terram, ſed etiam ex omnibus quibuſcunque relictis tàm jure legati, quàm inſtititutionis, quæ dantur ante, vel poſt cauſa, vel occaſione funeris, ſicut optimè declarat Zabarel. *in d. Clem. Dudum ſub nu. 4. & 5. de ſepult. juxta conſ. 4.* Oldrad. *per tot.* Franc. Leo *in theſaur. for. Eccleſ. par. 1. cap. 181. num. 5. & 6.* Lavor. *var. tom. 1. tit. 2. a v. 191.* Barboſ. *de offic. Paroch. d. c. 23. num. 7.* ubi hoc extenditur etiam ad ea, quæ proveniunt præter voluntatem defuncti, & firmavit Rota in Burgen. Funeralium 15. Junii 1662. coram Eminent. Cerro ſubſequuta ſententia, qua Regulares condemnati fuerunt etiam de omnibus aliis, quæ præſtabantur poſt diem funeris ex aliis novenariis exequiarum, fieri ſolitis prima, tertia, & nona diebus, & in anniverſario, ac in omnibus aliis diebus primi anni. 23

Et circa eleemoſynam duplicatam pro aſſiſtentia officiis in Eccleſiis regularibus, ac ſuffragiis fieri ſolitis per viam, non videtur conſiderari poſſe aliqua difficultas, quia conſuetudo, vel Conſtitutio ſynodalis non eſt coactiva, cùm relinquat in arbitrio hæredum defuncti, an velint Clerum, & Parochum aſſiſtere in Eccleſiis regularium 24

larium ad officium peragendum, ideòque data illorum voluntate assistendi, utique taxatio hujusmodi sustinetur, sicut in hac specie Sylvestr. *part. 2. v. sepultura num. 6. de sepult.* distinguendo inter Clericos ejusdem Ecclesiæ, & extraneos, quòd isti possint convenire, ut habeant aliquid pro labore in recompensationem damnorum, quæ sustinent, trahendo ibi moram, traditque Host. *num.* 14. Nec inde dicitur impediri libertas sepulturæ Regularibus. Quia regulariter possunt liberè, & recipere, & sepelire, salvis iis, quæ Parocho de jure communi, ac legitima consuetudine debentur ex *d. cap. ad Apostolicam de simon.* Grat. *d. discept.* 298. *a num.* 13. *& cit. discept.* 492. *num.* 4. Accedente præsertim ipsa observatione subsequuta solvendi hanc duplicatam mercedem, non obstante dicta Bulla Urbani VIII. in quo casu dicendum est, quod in dicta Bulla prohibita non fuerit, cùm Constitutiones Apostolicæ, præsertim dubiæ, declarationem accipiant ab observatione ex cumulatis a Gonzal. *glos. 9. §. 5. n. 65. & seqq.* Unde cessat, quod Parochi indigeant oris aperitione, quia nolunt aliquid contra id, quod in Constitutione specificè mandatur præter juris dispositionem.

25 Quibus consonat Concilium provinciale Mediolanense *part. 1. tit. 1. de fund. & exeq.* ibi; *Statuat Episcopus in civitate, ac diœcesi sua pro modo laboris quantum mercedis causa dandum sit, qui dant operam in funere, & quod piæ consuetudines serventur.* Et Concilium provinciale 4. *eod. tit.* ubi statuitur, quòd singuli sint contenti mercede, quæ dari solet ad præscriptum Episcopi, & de jure similia stipendia taxata a Superiore dicuntur justa, & in defectum taxæ hujusmodi ea, quæ consuetudo introduxit, sicut de stipendio missæ comprobat Tambur. *de jur. Abb. tom. 2. disp. 5. quæst. 9. n. 2. cum seqq.* & Zacch. *de salar. quæst. 85. num.* 17. Quo jure utitur Clerus Romanus, ut in ejus statutis *de funerib. ac funeralib. tot. cap. 6.*

26 Hæc longiùs fortè quàm res exegit, dicta sint, cùm pro remissoria sufficere etiam relevantiam articulorum dubiam, remissa subtiliori discussione ad merita post factas probationes, concludat Cardinalis Corradus in Hispalensis decimarum 26. Junii 1647. & passim servatur.

CONSULTATIO CCIX.

1 CUm Sac. Rituum Congregatio in Tirasonensi sub die 3. Octobr. 1615. declaraverit Canonicos Cathedralis Ecclesiæ, absente Episcopo, vel Sede Episcopali vacante, in omnibus, & per omnia præferri Magistratibus sæcularibus, qui non sunt de perpetuis, & majoribus, & Concionatores debere eos priùs salutare, prout eos pariter priùs thurificandos declaravit sub die 16. Junii 1605. juxta Cœremoniale Romanum, putant nonnulli Concionatores huic decreto satisfacere tacitè per inclinationem capitis salutando antequam prædicare incipiant, & deinde in concionis exordio dum ad Magistratus sæculares se convertunt, ipsos expresse cum adjectione tituli competentis salutant, Canonicorum salutationum expressam omittendo. Ex qua omissione quodammodò contemni, & minoris haberi videntur, quàm ipsi sæculares Magistratus, ideòque dicendum est, quòd hoc modo non satisfaciunt decreto, ac menti S. Congregationis, sed debent pariter iidem Canonici tunc etiam expresse cum titulo conveniente salutari ante omnes Magistratus eodem planè modo, quo thurificantur prius ante illos. Idque etiam Sede Episcopali suo Præsule plena, quando in concione, non intervenerit, sed tantùm interveniunt Canonici in habitu canonicali, quia sunt membra sui Præsulis.

2 Et sanè multi ex sæcularibus sunt, qui quando non audiunt, vel non legunt in inscriptione literarum, quas recipiunt, famosos libellos titulorum, quos septem Miraculanemphi personæ suæ usurpant, & quando non sentiunt sibi caput dolere cum suis roborantibus superlativis, incipiunt rudentibus vocibus, & iratis, ac horrendis mugitibus domum, & forum implere. Ob hanc insulsissimam phreneſim visus fuit rudere Tygranes in Lucullum, & mugire Perseus in Paulum Emilium, teste Plutarcho *Lucul. & Paul. Emil.* Iis omnibus optimè adaptaretur inscriptio, quam Agesilaus Menecrati medico dedit, qui cùm se medicinæ Deum reputaret suis in literis nomen Jovis sibi usurpabat. Quare Rex ille respondit: Agesilaus Rex Menecrati medico sanitatem mentis. Demus immortalem gloriam Christo Jesu, qui super omnibus creaturis altissimus, humillimus tamen infra omnes vocabatur non filius Dei, sed hominis.

3 Porrò titulus Illustrissimi nullo pacto prætendi potest a Magistratu sæculari in concursu Archiepiscopi, vel Episcopi, id prohibente Sac. Congregatione super Episcopis in Consentina 2. Augusti 1683. ac vetante Excellentissimo Prorege Neapolitano suis præceptis, non solùm Magistratibus, sed etiam Gubernatoribus. Ea quidem ratione, quia ubi major adest, minor æqualitatem desiderare non debet. In quibus præceptis D. Proregia distinguitur superioritas Gubernatoris in Magistratum, qui, illo præsente, præfatum titulum prætendere non potest, & majoritas Præsidis in Gubernatorem, cui pariter hujusmodi prætensio, assistente Præside, penitus est prohibita. Eòque igitur minus competere potest Magistratui in concursu Archiepiscopi, qui non solùm Civitatis Gubernator, sed totius Provinciæ Præses reputatur ex allegatis a Barbos. *in collect. ad c. humilis num. 2. de major. & obed.* Immò Episcopus eidem Præsidi sæculari, & aliis præcedit, ut fusè in *tom.* 1. Quare possunt Ordinarii uti jure suo; scilicet prohibere Concionatoribus, ne titulum hujusmodi Syndicis, aliisque Magistratibus tribuere præsumant eis prædicationem interdicendo, si fuerint Regulares ex Trident. *sess. 5. de ref. cap. 2.* si sæculares sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda. Non tamen sunt partes Ordinariorum prohibere verba officiosa secundùm consuetudinem loci, pro qua admitti debent probationes hinc inde cum manutentione interim, ac sine præjudicio.

CONSULTATIO CCX.

CUm in Ditione Ecclesiastica circa scripturas publicas, & apochas servanda sit Constitutio 83. Sixti V. cum capitulis in ea contentis, de qua in Bullario Cherubini & hæc capitula contineant, quòd dictæ scripturæ, & apochæ, nisi intra quindecim dies ad archivia generalia deferantur, nullius sint roboris, vel momenti, neque ullam exequutionem habeant, nisi ablata nullitate per Cardinalem Camerarium, non tamen sanetur nullitas, nisi refectis expensis ab adversa parte factis pro monitorio obtinendo. Nullitas verò publici instrumenti sanari potest, si ipsum publicum instrumentum, antequam per adversam partem fuerit oppositum de nullitate propter non delationem ad archivium, quandocunque deferatur ad illud, & concordetur cum Archivista, sed nullitas apochæ privatæ non potest hoc modo post quindecim dies sanari, ut per Rotam apud Gallesium *dec.* 132. *num.* 3. 1

Ideò quæritur, an eædem Scripturæ sint asservandæ in dicto Archivio Apostolico, seu Communitatis, an verò in Curia Episcopali?

Et quidem cùm hæc controversia orta esset inter D. Episcopum, & Communitatem Civitatis Castelli, Sacr. Congregatio Eminent. Card. S. Concilii Trident. Interpretum, auditis partibus, censuit, scripturas omnes rogatas a Cancellario Episcopali, tanquam Cancellario illius Curiæ, esse asservandas, & custodiendas in Cancellaria ipsius Episcopi. 2

Idem constat ex sequenti attestatione. Nos Scipio S. R. E. Presbyter Cardinalis S. Susannæ fidem facimus & attestamur in registro literarum S. Congregationis Concilii extare literas ad Vicarium Perusinum unà cum libello infrascripti tenoris, videlicet: Admodum R. D. Cùm actum esset in Sacr. Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum de asservatione scripturarum fori Episcopalis Civitatis Castelli inter Episcopum, & Communitatem ejus Civitatis, S. Congregatio, auditis partibus, censuit, scripturas omnes rogatas a Cancellario Episcopali, tanquam illius Curiæ Cancellario, esse asservandas, & custodiendas in Cancellaria ipsius Episcopi, & ne in hujusmodi scripturarum separatione oriantur controversis, & scandala tibi, quod facimus, committendum duxit, ut illuc te transferas, & scripturas in folio his literis adjuncto exaratas, ac si quæ aliæ rogatæ fuerint a Cancellario Episcopali, tanquam illius Curiæ Cancellario, separes a scripturis Archivii Communitatis, & ad Cancellariam ipsius Episcopi deferendas cures. Quod pro tua diligentia sedulò efficies, & benè valebis in Domino. Romæ die 19. Septembr. 1625. 3

Ad evitandas verò dissensiones, & scandala, quæ in separatione hujusmodi scripturarum oriri possent, fuit eidem S. Congregationi supplicatum, ut pro consueta benignitate dignaretur declarare infrascriptas scripturas ad Curiam Episcopalem pertinere cum clausula si quæ aliæ, &c. Processus, & acta civilia, & criminalia, & mista facta in foro Episcopali. Sententiæ in eisdem causis latæ. Compositiones cum reis inquisitis in Curia Episcopali. Præcepta, & decreta quæcumque inter personas Ecclesiasticas, aut etiam laicas in causis, & negotiis spiritua- 4

libus,

libus, vel aliàs ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus. Edicta cujuſvis generis. Statuta, & Ordinationes Eccleſiarum. Mandata procuræ pro gerendis negotiis Epiſcopatus. Scripturæ multarum, & pœnarum. Item ſupplicationum, & abſolutionum. Acta ſynodi. Viſitationes Eccleſiarum, monaſteriorum, & piorum locorum, eorumque decreta. Regiſtra Bullarum Apoſtolicarum ad eandem Curiam directa. Collationes, & inſtitutiones beneficiorum, eorumque concurſus, & renunciationes, ac permutationes, & ſcripturæ omnes beneficiales. Inſtrumenta traditionis poſſeſſionis eorumdem beneficiorum. Uniones beneficiorum. Erectiones parochialium, beneficiorum, Capellarum, & fontis baptiſmalis. Acta cognitionum Canonizationum, patronatus tàm Clericorum, quàm laicorum, ſeu miſtorum. Scripturæ concernentes exequutionem diſpenſationum matrimonialium, & aliarum literarum Apoſtolicarum. Remiſſiones denunciationum, divortia, & aliæ ſcripturæ matrimoniales. Explorationes voluntatum novitiarum, licentiæ profitendi, & aliæ hujus generis ſcripturæ ad Monaſteria Monialium ſpectantes. Interpoſitiones authoritatis, & decreti in renunciatione novitiorum, & alienationibus aliarum perſonarum fori Epiſcopalis, & inſtrumenta monialium. Licentiæ accedendi ad monaſteria monialium, aut in ea ingrediendi. Scripturæ conſecrationis Eccleſiarum, altarium, cœmeteriorum, campanarum, & hujuſmodi. Item profeſſionis fidei. Item ſcripturæ viſitationis liminum. Scripturæ ordinationis, & collationis chriſmatis. Monitoria ad finem relevandi. Approbationes confeſſariorum, & Curatorum. Dimiſſoriæ, & commendatitiæ. Licentiæ pro Parochis, Canonicis, & aliis Clericis abſcedendi è diœceſi cum literis teſtimonialibus. Scripturæ erectionis, & inſtitutionis ſeminarii. Item locationis in emphyteuſim bonorum Epiſcopatus, & aliorum bonorum Eccleſiaſticorum. S. Congreg. Cardinalium Concilii Trident. Interpretum cenſuit Scripturas expreſſas, ac ſi quæ aliæ rogatæ fuerint a Cancellario Epiſcopali, tanquam Cancellario illius Curiæ, eſſe aſſervandas in Cancellaria ipſius Epiſcopi. Romæ die 4. Novemb. 1625.

CONSULTAIO CCXI.

Res furto ablatæ, quarum dominus non reperitur, ad quem ſpectent?

1 AD Fiſcum etiam Epiſcopi qui etiam habet Fiſcum, ut alibi probatum. Nam carent domino, atque adeò ſunt vacantes, ſive bona caduca, Peregrin. *de jur. fiſc. lib. 4. tit. 3. num. 2. in princ. & n. 29.* cum ibi relatis. Res autem vacantes Fiſco deferuntur ex communi ſententia penes Guazzin. *de confiſcat. pag. 47. num. 1.* Peregr. *d. tit. 3. num. 1. per textum in l. 1. & tot. tit. C. de bon. vacan. lib. 1. & l. 1. ff. de jur. fiſci.*

2 Non obſtat, quod non fuerint relictæ ab aliquo, qui ab inteſtato deceſſit ſine hæredibus. Quia ſatis eſt, rem ſuo domino carere, ut vacans ſit, & Fiſcus ſuccedat. Præſertim, quia Fiſcus agit ad recuperanda bona per furem ſcelere acquiſita. In quo caſu licèt per mortem querelati, vel per vacationem domini rei ſubtractæ criminalis actio ſit extincta, nihilominus competit Fiſco hujuſmodi rei perſequutio, & probato, quod ſit per ſcelus acquiſita, ſibi applicat per textum omninò videndum *in l. Lucius Titius, ff. de jur. Fiſc.* & ibi Gloſs. & Bartol. *num. 3.*

3 Quod ſpeciali jure procedit in Ditione Eccleſiaſtica ex Conſtitutione 37. Sixti V. qua cavetur, quòd res, pecuniæ aliaq; apud fures reperta, applicentur Fiſco, ſi per menſem poſt ſententiam verus illorum dominus non comparuerit.

4 Neque dicatur, quod Conſtitutio procedit tantùm in illis rebus furtivis, quæ in actu capturæ reperiuntur in peris, aliiſque loculis veſtium, quibus delinquens induitur. Nam præterquamquòd a communiter accidentibus fures furtiva bona occultant, & Conſtitutio non poſſet habere locum in furto rei magnæ, vel gravis ponderis, vel animalium; daretur etiam occaſio inveniendi fraudem. Nam omnes fures bona furtiva celarent, ne apud ſe reperiantur, atque adeò dicendum eſt, Conſtitutionem obtinere in bonis furtivis ubicumque a fure fuerint recondita, ſaltem dum ad querelam proceditur. Quia illa dictio *penes delinquentem*, in Conſtitutione appoſita, recipit interpretationem a jure communi, & extenditur ad omnia bona furtiva quoquomodo apud delinquentem ſunt per textum *in l. penes te, ff. de verb. & rer. ſignif.* ibique Doctores. Quod ſi aliter diceretur, Conſtitutio eſſet inanis, ad quod evitandum debet fieri extenſio non ſolùm ex majoritate, ſed etiam ex paritate rationis etiam in pœnalibus, correctoriis, & exorbitantibus, Oſaſch. *dec. 61. per tot.* Farinac. *conſ. 121. n. 62. & conſ. 177. num. 16. & 22.* cum ibi deductis, *& conſ. 135. num. 47.*

Vel dicendum eſt, quòd verus dominus habeat illas 5
pro derelictis. In quo caſu illarum inventor, ſi res alienas in ſuas verteret, furtum committeret, *can. ſi quid inveniſti 14. quæſt. 15. & l. falſus, §. qui alienum ff. de furt.* Et ideò tradenda ſunt Summo Pontifici, vel Epiſcopo, ut in piam cauſam eorum arbitrio erogentur, *can. Sanè ibidem*, & communiter Canoniſtæ *in cap. Cùm tu de uſur.*

CONSULTATIO CCXII.

An aqua roſacea, aliique humores è floribus, herbis, frondibus, expreſſi ſudor, lacrymæ, urina, ſputum, & id genus alia, ſint apta materia baptiſmi, ſaltem in caſu neceſſitatis?

AFfirmant Tanner. *tom. 4. Theol. ſchol. diſp. 4. qu. 1.* 1
dub. 2. num. 1. Putean. *in 3. part. qu. 66. art. 4. n. 5.* Præpoſit. ibi *num. 22.* & Chamerot. *de ſacram. tr. 2. de baptiſm. cap. 2. dub. 2.* aliique aſſerentes in caſu extremæ neceſſitatis, quando aqua non ſupperit, poſſe adhiberi hujuſmodi liquores, conferendo baptiſmum ſub conditione. Quia licet Concilia ad validitatem baptiſmi requirant aquam naturalem, non tamen Eccleſia definivit, quòd alia aqua in nullo alio caſu ſufficiat ad ejus validitatem. Et cùm baptiſmus ſit Sacramentum maximæ neceſſitatis, poteſt ſub conditione conferri in materia dubia, deficiente certa. Quia fieri poteſt, quòd per remedium dubium ſuccurratur proximo, & nulla fit injuria Sacramento, & charitas obligat, ut adhibeatur omne remedium.

Ipſe tamen omninò negativam ſententiam certam eſſe 2
ſine exceptione ſentio cum D. Th. *3. p. quæſt. 66. art. 4. ad 5.* ibique Peſantio, Nugno, Silvio, Mercero, Cabrera, Chelliſonio, ac Ledeſma *in ſum. tom. 1. cap. 3. de batiſ. concl. 1.* Vaſquez *part. 3. tom. 2. diſp. 141. cap. 1. num. 9.* Hurtad. *de Sacram. tr. de baptiſm. diffic. 2. in fin.* ac aliis, quos ſequitur Diana *part. 5. tr. 3. de caſib. occurr. temp. mort. reſol. 2.* hac efficaciſſima ratione. Quia hujuſmodi liquores non ſunt vera aqua elementaris, quæ ſola eſt materia neceſſaria baptiſmi, ut definiunt Concilium Lateranenſe *in cap. firmiter de ſum. Trin.* Concilium Florentinum in decreto fidei poſt *ſeſſ. ult. §. Primum omnium*, & Concilium Tridentinum *ſeſſ. 7. cap. 2. de baptiſm.* Unde cùm Concilia definiant, quod aqua naturalis ſit materia neceſſaria ad validitatem Sacramenti baptiſmi certum manet, quòd ſine ipſa non poteſt confici in quocunque caſu. Quia, ubi deeſt materia Sacramenti, nullo modo fit Sacramentum. Atque ita certam habeo hanc ſententiam, ut opinionem contrariam cenſeam eſſe hæreticam. Videturque definitum a Victore Papa, ut habetur ex ejus *lect. in Brev. Rom.* 28. Julii per hæc verba: *Statuit, ut quavis aqua, modò naturali, ſi neceſſitas cogeret, quicunque baptizari poſſet.*

Non obſtant contraria. Nam per id ſufficienter eſt 3
ab Eccleſia definitum, quòd in nullo alio caſu alia aqua ſufficiat ad validitatem baptiſmi. Definiendo enim, quòd aqua naturalis ſit materia neceſſaria, ſimul etiam definivit, quòd in nullo caſu poſſit ſine ipſa fieri Sacramentum, cùm certum ſit, quòd non poſſit fieri unquam ſine vera materia eſſentiali. Hujuſmodi autem liquores non ſunt aqua naturalis. Nam habent ſinguli proprias virtutes proportionatas rebus, ex quibus extrahuntur, & habent ſinguli propriam ſubſtantiam. Et quanquam baptiſmus ſit remedium omninò neceſſarium, & charitas obliget ad adhibendum omne medium, non tamen obligat ad illud medium, de quo certum eſt non eſſe medium nec poteſt adhiberi ſine injuria Eccleſiæ, & Sacramenti. Et cùm ex ipſius uſu non poſſit ſperari aliquod remedium pro baptizando, irrationabiliter adhiberetur.

Quòd ſi adhibens putaret, quòd quamvis non eſſet 4
aqua, adhuc poſſet confici Sacramentum, dubius eſſet circa definitionem Conciliorum, an eſſet vera. Nec poſſet excuſari, quòd dubius eſſet, an ſit univerſalis, complectens quoſcunque caſus. Quia cùm abſolutè definiant, aquam naturalem eſſe materiam neceſſariam ad validitatem baptiſmi, non poteſt dubitari, quòd definitio complectatur quemcunque caſum.

CON-

CONSULTATIO CCXIII.

Utrùm in Eccleſia Cathedrali, quæ parochialis eſt, & unica in Civitate, curam animarum ſub ſe habens, & ad hunc effectum retinet Curatos, qui ab Epiſcopo approbantur, ſed ſunt ad nutum Capituli amoviles, quòd Sac. Concilii diſpoſitioni repugnare videtur, & hucuſque toleratum dicitur, quia Capitulum ipſum hac immemorabili poſſeſſione gaudet, debeat Epiſcopus, aut poſſit Vicariam perpetuam inſtituere? Ubi aliqua de parochialibus unitis.

1 VIdetur negativè reſpondendum. Etenim de jure, atque ex conſuetudine poteſt animarum cura incumbere alicui Collegio ſive Capitulo, non ut ſingulis, ſed ut univerſis, & ſic habitu, & non actu, *cap. irrefragabilis §. exceſſus de offic. Ordin.* Roman. *conſ.* 325. *n.* 3. ac proinde illam exercere poſſunt per plures, vel etiam per unum miniſtrum amovibilem, itaut verus Rector ſit idem Capitulum, penes quod reſidet cura, exercitium verò penes Vicarium, ſive Capellanum amovibilem, Innoc. *in cap. Cùm non ignores num.* 2. *de præb.* Put. *lib.* 1 *dec.* 282. *in cor. per tot.* latè Gonzal. *ad reg.* 8. *gloſ.* 6. *num.* 71. Lotter. *de re benef. lib.* 1. *quæſt.* 14. *num.* 94. *& ſeq.* Accedit, quòd Vicarius perpetuus ſicut abſque magna cauſa privari, & amoveri non poteſt, *c. ad hæc de offic. Vicar.* Gonzal. *d. gloſ.* 5. *§.* 3. *numer.* 22. ita poteſt ad ſuum libitum eandem curam negligere.

2 At verò affirmativè reſpondendum eſt. Ita expreſsè decernitur in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 7. *cap.* 7. *& ſeſſ. ult. c.* 56. ac diſpoſuit B. Pius V. in ſua Conſtitutione, quæ incipit, *Ad exequendum*, appellationibus, privilegiis, exemptionibus, & conſuetudinibus quibuſcunque minimè ſuffragantibus, ac ſæpiſſimè declaravit S. Congregatio, præcipuè in Aretina Curæ animarum die 8. Februarii 1659. nempè poſſe Epiſcopum curam animarum capitulo Eccleſiæ Cathedralis incumbentem alicui canonicali præbendæ perpetuò unire, vel Vicariam perpetuam erigere. Et in Sarzanen. Viſitationis ſub die 24. Martii 1668. in qua juſſit dari declarationem. Et in Piſaurien. in qua cenſuit quoad curam animarum Eccleſiæ Cathedralis non per amovibilem Vicarium, ſed per certum Rectorem regendam, & adminiſtrandam eſſe, vel perpetua Vicaria erecta, vel injuncto alicui Canonicatui onere ipſius Curæ. Pro parochianis verò extra Civitatem exiſtentibus cùm de nocte ſacramenta adminiſtrari nequeant erigendam eſſe Cappellam extra Civitatem, ab eadem parochia dependentem, in qua idoneus ſacerdos ad ſacramenta prædicta adminiſtrandum in ſubſidium ipſius parochialis conſtituatur.

3 Non obſtant adducta. Nam quoad conſuetudinem, ea eſt ſublata a Tridentino; Et quoad negligentiam Vicarii perpetui in cura animarum exercenda, poteſt coerceri, ac puniri ab Ordinario.

4 Notandum tamen eſt, quòd S. Concilium non mandat abſolutè, quòd beneficia curata, Cathedrabus unita, per Vicarium perpetuum quoad curam animarum exerceantur, ſed arbitrio Epiſcopi, non autem liberè, ut per Garz. *de benef. par.* 11. *cap.* 2. *num.* 8. ſed ita pro bono regimine Eccleſiæ videbitur, relinquit. Unde Epiſcopus ſatisfacit Concilio, ſi cognita cauſa pro bono regimine Eccleſiæ meliùs per amovibilem Vicarium curam exerceri arbitratur. Quare ſine cauſa non eſt ponendus Vicarius perpetuus, Garz. *loc. cit.* Barboſ. *de jur. Eccleſ. lib.* 3. *c.* 6. *num.* 5. *& de poteſt. Epiſc. alleg.* 72. *n.* 190. *& ad d. locum Concilii*, Navar. *conſ.* 11. *numer.* 8. *de ſtat. Monach.* Quæ quidem cauſa, auditis partibus, ventilari debet, Garz. *ibid. num.* 10. *& part.* 12. *cap.* 2. *n.* 380.

5 Eadem quoque S. Congregatio Concilii *ad dict. c.* 2 *ſeſſ.* 7. ita cenſuit. In Pientina. Parochiales Eccleſiæ unitæ monaſteriis, etiam quæ ſunt capita Ordinum, & ubi Abbas generalis ſedem ordinariam principalem habet, ab Ordinariis viſitari debent.

6 In Luca. Portio aſſignanda ex hoc decreto declaratur per Bullam B. Pii V. licèt ea per Gregorium XIII. redacta fuerit ad terminos Concilii in revocatione privilegiorum Medicantibus conceſſorum.

7 In Auguſtana. Si in parochialibus unitis monaſteriis Ordinis Præmonſtratenſis deputentur Vicarii regulares, debent eſſe amovibiles ad nutum Superiorum juxta Conſtitutionem B. Pii V. ſi ſæculares poſſunt ab Ordinario conſtitui perpetui juxta hoc decretum Concilii, & dictam Conſtitutionem. Si verò animarum cura imminet ipſis monaſteriis, in quibus viget regularis obſervantia, tunc eſt locus, *c.* 11. *ſeſſ.* 25. *de Regul.*

8 In Novarienſi. Si parochiales ſunt unitæ Canonicatibus, & Canonici non exercent curam animarum, ut tenentur, Epiſcopus habet remedium *§. Qui verò cap. extirpandæ de præb.* & hujus decreti Concilii *capit.* 7. *ſeſſ.* 7.

9 In Aquilejenſi. Epiſcopus habet facultatem creandi perpetuos Vicarios in parochialibus Eccleſiis uniti, ſeu annexis Collegiatæ Eccleſiæ. Et qui admittendi erunt tàm perpetui, quàm temporarii futuri ſint, prius ab Ordinario examinandi, & approbandi ſunt 22. Januarii 1569.

10 In Bellunenſi. Archipresbyter, qui habet unitam parochialem Eccleſiam ſuo Archipresbyteratui, in parochiali reſidere non tenetur, ſed in ea Vicarius eſt deputandus 15. Aprilis 1570.

11 In Mediolanenſi. Vicarii perpetui conſtitui non poſſunt abſque erectione Vicariæ 25. April. 1573. Erectio autem Vicariæ ſolet fieri in inſtrumento unionis, hoc eſt, quòd ut deinceps parochiali unitæ deſerviatur per Vicarium amovibilem, vel perpetuum. Quod ſi factum non reperiatur, poterit Epiſcopus talem erectionem facere.

12 In Januenſi. Epiſcopus conſtituere tenetur Vicarium perpetuum, aut temporalem in Prioratu, cui cura animarum incumbit, aſſignata ei congrua fructuum illius portione 21. Julii 1574.

13 In Lucana. Gregorius XIII. aliquando ex gratia conceſſit, ut etiam in iſtis parochialibus unitis non deputentur Vicarii, ſed ut aliquis ex Regularibus, ab Epiſcopo tamen approbatus, curam exercere poſſit, dummodò ſecum habeat ſocium ejuſdem Ordinis 10. Aprilis 1576.

14 In Regienſi. Locorum Ordinarii Eccleſias curatas unitas Monaſteriis viſitare poſſunt, & in eis etiam ponere Vicarios perpetuos ſecundùm diſpoſitionem dicti *c.* 7. Sed ſi Eccleſiæ hujuſmodi poſitæ ſunt in loco ipſorum Monachorum, ſervanda erit diſpoſitio *c.* 11. *ſeſſ.* 25. *de Regul.* Idem ſi monaſteria eſſent ab ipſorum primæva fundatione curata 2. Maji 1576.

15 In Eugubina. Congregatio Concilii ad inſtantiam Congregationis ſuper Epiſcopis declaravit in cauſa inter Abbatem S. Verecundi, & Vicarium perpetuum dictæ Abbatiæ omnia onera reſpicentia curam animarum, & adminiſtrationem Sacramentorum ſpectare ad Vicarium perpetuum. Cætera verò onera ad Abbatem, ſive Commendatorem ejuſdem Eccleſiæ, in qua eſt erecta Vicaria. Cumque plures ordinationes ab Epiſcopo in illius viſitatione factæ fuiſſent, & dubitaretur ad quem ſpectet illas exequi, ita fuit ab eadem Sac. Congregat. declaratum.

16 Intanto, che ſarà riſtaurata la Sagriſtia, ſi facci un' armario condecente, dove ſi ripongano le robe della Sagriſtia. *Spectare ad Vicarium.*

Che ſi facci una ferrata alle feneſtre della Capella di S. Verecondo. *Ad Commendatarium.*

Che ſi faccino le pareti alle feneſtre, e l' impannate. *Ad Commendatarium.*

Che ſi facci la chiave con ferratura alta porta della Chieſa. *Ad Vicarium.*

Che il colmone del tetto, che è ſcoperto ſi raccomodi. *ad Commendatarium.*

Che s' indori la patena. *ad Vicarium.*

Che ſi pongano due campane nel campanile, e quella, che vi è rotta, ſi levi.

Videtur ſpectare ad populum, & ſi populus non habet, ad Commendatarium.

Che ſi facci un caſſettino per tenervi i purificatoj. *Ad Vicarium.*

Che ſi facci il coperchio di pietra al ſacrario. *Ad Vicarium.*

Un Confeſſionale nuovo, e quello, che v' è, ſi levi. *Ad Vicarium.*

Che ſi levi lo ſtendardo tutto rotto, e ſe ne facci un' altro. *Ad populum.*

Che agli Altari della Chieſa, dove biſogna, ſi faccino le gradelle. *Ad Vicarium reſpectu altaris, in quo celebrat.*

Che ſi faccino tre pallii. *Ad Vicarium.*

Che al cemeterio vecchio ſi facci uno ſteccato per hora ben fermo, dove non è il muro, e ſi tenga ſerrato. *Ad Commendatarium.*

17 In Bracharen. Cùm Monaſterium S. Mariæ Monachorum Ciſtercienſium Ordinis S. Benedicti per tempus, ut ſupponitur, immemorabile, habeat perpetuò unitam Eccleſiam parochialem S. Petri, iſtiuſque cura fuerit adminiſtrata per monachos ad nutum Abbatis amovibiles, & ab eodem præſentatos cum approbatione Ordinarii, ab annis verò centum eadem cura adminiſtrata

ſtiata reperiatur a Vicariis ſæcularibus, ab eodem Abbate pariter præſentatis, & ab ipſo Ordinario approbatis nulla tamen facta aſſignatione alicujus certæ portionis, nec erectione in Vicariam, ſeu in beneficium perpetuum. Unde Procurator generalis dicti Ordinis ſupplicat pro decraratione, an per modernum Abbatem poſſit ad curam dictæ Eccleſiæ deputari Monachus idoneus ab Ordinario approbandus. S. Congr. Concilii 17. Julii 1649. *ad d. cap.* 7. *ſeſſ.* 7. *de ref.* cenſuit, non poſſe, ſed Ordinarius erigat Vicariam perpetuam.

CONSULTATIO CCXIV.

Nobilis quædam mulier inter cætera ſupremæ ſuæ voluntatis ita diſpoſuit: Lego annua ſcuta centum pro celebratione unius Miſſæ quotidianæ in perpetuum pro ſuffragio animæ meæ, quæ miſſa celebranda erit in illa Eccleſia, ſive loco, quem meus filius, ſive ejus tutor elegerit. Hæredi filio piæ teſtatricis pupillo datus fuit tutor ejus avunculus, qui Capellanum ad dictæ Miſſæ celebrationem conſtituit filium ſuum Sacerdotem, declaravitque hujuſmodi Miſſam quotidianam in Eccleſia Cathedrali celebrandam. Major factus filius, & hæres dictæ mulieris, quærit, an, non obſtante prænarrata deſignatione loci, & Eccleſiæ per tutorem ſuum facta, liceat ſibi locum alium, aliamque Eccleſiam prædictæ celebrationis deſignare? *Ubi aliqua de pubertate non injucunda.*

1 REſpondeo, licere. Nam tutela pubertate finitur, *inſtit. quib. mod. tut. fin. in princ.* Et ita in hac ſpecie declaravit S. Congregatio Concil. in Neapolitana celebrationis die 24. Martii 1668. Qua in re obiter notandum pubertatem Caſſiani in maſculis ex habitu corporis æſtimabant, hoc eſt, eum puberem eſſe dicebant, qui in habitu corporis pubes apparet, & generare poteſt. Proculiani ex annis. Nam puberem eſſe volebant, qui quatuordecim annos explevit. Priſcius quidam ſimul, & habitum corporis, & numerum annorum requirebat, Ulpian. *in fragm. tit.* 11. Juſtinianus tandem conſtituit, ut maſculi anno decimoquarto fint puberes, & fœminæ anno duodecimo viri potentes *l. fin. C. quando tutor, vel curator, & in inſtitut. loc. cit.* Quia mutatio ætatis in maſculo fit per ſeptennium, in fœmina per ſenarium, ut ex Solone Clemens Alexandrinus tradidit *lib. 6. ſtrom.* Idque Juriſconſulti in pubertate definienda ſequuntur.

2 Æſtimabant verò veteres, ut habet Imperator *Inſtit. quib. mod. tut. fin.* juſtam ætatem ſeu pubertatem in maſculis non ſolùm ex annis, ſed etiam ex habitu corporis nudos, & propter, ut de ea judicare poſſent maſculos poris, qua fœminas ad umbelicum uſque nudatas inſpiciebant. *Innoteſcit quippe homini pubertas non ſolùm vocis mutatione, ſed etiam teſtium, & mammarum magnitudine, & maximè ortu pilorum pubis, ait Ariſtoteles lib. 5. de hiſtor. anim. cap.* 14.

Hic pubertatis inveſtigandis modus Imperatori viſus fuit impudicus, ideòque maſculos poſt annum expletum decimumquartum puberes, fœminas verò completo anno duodecimo viripotentes haberi voluit. Ab hac Imperatoris quantum maſculorum pubertatem attinet, ſententia, Ariſtoteles alienus non eſt, quando *lib. 7. de hiſt. animal. cap.* 1. ait. *Mas, ut plurimum ſemen ferre incipit anno peracto bis ſeptimo, ſimul etiam pubeſcere eo tempore incipit.* Idem *lib.* 4. *de gener. anim. cap.* 8. fœminas pubertate mares antevertere adſtruit.

Verùm autem conſentaneum non eſt idcirco fœminis pubertatem priùs obtingere, quàm maribus, quòd mala herba citiùs, quàm bona creſcere ſoleat. Quam rationem ridiculam a Gloſſa *in l.* 2. *C. de his, qui ven. ætat. impetr.* allatam proculdubio omnes, in quorum corporibus mica tantùm ſalis eſt, falſè derident. Potiùs autem illud ideò evenit, quia ſunt debiliores, & frigidiores, ac humidiores. Quoniam exilia poma celeriùs matureſcunt, robuſta ſerius, Macrob. 4. Saturn. 7. Coraſ. *in areſt. Tholoſ. annot.* 1. *in fin.* Quia humida, & laxa celeriùs creſcunt. Citius enim creſcunt laſiçes, quàm quercus, Theophraſt. 1. *de cauſ. plant.* Plutarch. *in problem.* Guibert. Conſtan. *in tr. de matrim. tit. de his, qui nupt. contr. poſ. n.* 24. *& ſeq. & n.* 46. *& ſeq.* Diſſentiunt tamen Gloſſa, & alii apud Borch. *par.* 91. *& ſeq.* & ex parte Scaliger. *exerc.* 13. *cap.* 4. & Alberic. Gentil. 5. *de nupt. c.* 2. *ad fin.* & ante omnes Ariſtoteles *lib.* 4. *de gener. animal c.* 6. qui ait: *In lucem ubi venerint fœminæ, celerius, quam mares perficiuntur. Nam & pubertas, & vigor, & ſenectus fœminis priùs venit, quàm maribus. Sunt enim fœminæ natura ſua debiliores, & frigidiores.*

Nec ſtatim ubi mas, & fœmina pubertatis attigere terminum, ſocietatem nuptialem inire fas eſt, cùm multa præmatura illa corporum conjunctio ſecum trahat incommoda. Nam primò, ad liberorum procreationem parum idonea, quia talium liberi, plerumque imbecilliores, & imperfecti, ut plurimum fœmellæ, & quoad formam parvi, ceu tradit Ariſtoteles 7. *politic. cap.* 16. Secundò, intemperatiores reddit, loco citato, & 7. *de hiſt. anim. cap.* 1. ubi inſimul rationem exponit. Tertiò, convenientem maſculorum ſtaturam impedit, *lib.* 7. *polit. c.* 16. Nativus enim calor, quia conſuetudine conjugali non parum debilitatur, debita boni ſanguinis copia produci nequit, quo deficiente, debitam maris ſtaturam vix aliquis conſequi poterit. Quartò, efficit, ut in puerperio adoleſcentulæ magis laborent, pluresque pereant. Id quod & Trœzeniis cauſam, cur tàm multi in Libitinæ rationem venirent, ſuſcitantibus, reſpondiſſe oraculum tradit Ariſtoteles *loc. cit. cap.* 5. In cauſa tandem eſt, ut tanta, quanta par eſt, obſervantia parentes ſuos liberi non proſequantur. Quando enim liberi ætatem parentum propè contingunt, non ut parentes, ſed ut æquales, quia æquè imberbes, eos habent.

Diſtinguendum proinde putamus inter pubertatem, & convenientem matrimonio ætatem, quàm maſculorum annum 37. fœminarum verò annum 18. eſſe putat Ariſtoteles *loc. cit.* qua ſi congrediuntur ætate mas, & fœmina, non tantùm ambo maximè vigent, verùm inſuper eundem generationis finem habent. Potentia enim generandi in maribus ſe extendit ad annum 65. aut etiam 70. in fœminis verò ad annum 45. aut 50. prout tradit Ariſtot. *d. lib.* 7. *de hiſt. anim. c.* 6.

Hæc, vel tamen non prorſus diſſimilis annorum periodus, ut enim omnes præſcriptum ab Ariſtotele ætatis terminum expectent, opus eſſe non putamus, niſi obſervatur, ſed, vel ætate prorſus pares copulantur, vel juveni adſociatur vetula, edentula, rugiſque conſita; aut contra ſeni decrepito, & defloccato ſaliens, & laſciva puella, generandi facultates diſcrepant, viroque, qui vi adhuc generandi pollet, ad id officium inepta obtingit uxor, & contra. Quod inter conjuges lites excitat, plurimumque ſocietatem nuptialem inturbat, docente Ariſtotele 7. *polit. c.* 16.

Sicuti autem juniores ad hanc ſocietatem ineundam accommodati non ſunt ita nec nimium ſenes unum in Charontis cymba jam in pedem habentes, ad eam ampliùs ſunt idonei: *Etenim, ut juniorum ita, & ſeniorum liberi imperfecti cum corpore, tum mente, confectorum autem ætate imbecilles generantur*, ait Ariſtot. *loc. cit.* magiſque in ætatem ſenili, ubi caloris eſt defectus, fœminæ producuntur, ut habet Ariſtot. 4. *de gener. anim. capit.* 2.

Potiùs quoque tempore hyberno, quàm æſtivo ſocietas ineunda eſt nuptialis, ac liberis operam danda, quod docet Ariſtoteles 7. *polit. cap.* 16. inquiens: *Anni temporibus uti oportet, ut multi jam utuntur, hybernum tempus huic conſuetudini deſtinantes.* In hyeme enim, quia corpora ſunt calidiora, ideò & ſemen eſt efficacius, viſque generandi fortior. Quare & Aquilonis flatu magis mares, Auſtri verò magis fœminæ concipi ſolent, ut tradit Ariſtoteles *lib. 4. de hiſt. anim. cap.* 19. *& lib.* 4. *de gener. anim. cap.* 2. Apud nos itaque vulgi non obtinet ſententia, quæ cùm in hyeme dubitari poſſit, utrùm amoris ergo, an verò frigoris mitigandi cauſa conjunctio fiat, magis idoneum huic rei tempus æſtivum ſtatuit.

CONSULTATIO CCXV.

An Parochi poſſint a Regularibus, præſertim Urbis, nomine quartæ funeralis exigere medietatem omnium, & ſingulorum, quæ in funere, ejuſque occaſione deferuntur, offeruntur que?

1 REſpondeo affirmativè. Quia licèt Regulares habeant liberam ſepulturam illorum fidelium, qui in eorum Eccleſiis ſepeliri elegerint, & quidem ex ſpeciali privilegio *Clement. Dudum, de ſepult.* nam aliàs de jure communi non haberent, ex quo non habent populum, ut notavit Gloſſ. in eadem *Clem. v. ſepultura*, veriſſimum tamen eſt, eoſdem Regulares ſolvere debere integram quartam funeralium Curatis propriis defunctorum, ſicuti verbis clariſſimis diſponitur in *Clement. cit. §. Verum.* Quæ quidem Clementina potiùs dici deberet Bonifaciana, quia ex illius lectione patet, Clementem Quintum approbante Concilio Viennenſi, innovaſſe Conſtitutionem editam a Bonifacio Octavo integrè in ea relatam, ut in principio ejuſdem Clementinæ, & paulò infra *§. Bonifacius*, & *in fin. §. nos etenim* abrogantur etiam conſuetudines, conventiones, & pacta contraria. Quibus concinunt tradita per Barboſ. *de Parochis par.*

par.3.cap.25. num.3. & 4. ubi firmat dispositionem *d.Clementinæ* locum habere contra omnes Regulares, etiam mendicantes.

2 Quæ Constitutio eò magis servanda est, quòd cum paulò post illius promulgationem a dicto Bonifacio factam, Regulares illius observationem subterfugere conarentur sub variis figmentis, & cautelis, idem Bonifacius maximè redarguens avaritiam Regularium, *qui, ut ipsemet Pontifex ait, sponte renunciaverunt propriis, & avarè aliena concupiscunt*, simulque recensendo dictas cautelas, & cavillosas inventiones, illasque improbando, eos damnat de ingratitudine, *qui nempè ipsi recusant perpendere, quòd de magna gratia Sedis Apostolicæ de parochiali jure ipsorum Curatorum, ipsi Regulares habent sepulturam.* Quæ sunt verba ejusdem Pontificis, qui propterea mandavit observari suam Constitutionem datam Avenioni Pontificatus sui anno octavo, qui fuit annus Domini 1293.

3 De quibus verò solvi debeat, dicimus esse solvendam ex omnibus obventionibus tàm funeralibus, quàm aliis quibuscunque relictis distinctè, vel indistinctè ad quoscumque certos, vel determinatos usus, nec non ex datis, vel qualitercunque donatis in morte, seu mortis articulo in infirmitate donantis, vel dantis, de qua ipse decesserit quomodocunque directè, vel indirectè fratribus ipsis, vel aliis pro eisdem juxta verba relata in dicta *Clem. dudum eo §. Verum*, ibique Gloss. *v. Obventionibus*, quod fusius prosequitur Barbos. *d. par. 3. cap. 25. a num.36.* ubi quòd dicta quarta portio debetur ex omnibus, quæ obveniunt ratione funeris in die ejusdem funeris, & tàm antè humationem, & sepulturam, quàm post illam. Item ex iis, quæ dantur pro celebrandis Missis, necnon ex relictis, sive toti monasterio, sive uni ex Regularibus, ac etiam ex candelis, & cereis accensis, quæ circa Crucem, & cadavera deferuntur, ex pannis, & culcitra, ac omnibus aliis, quæ deferuntur in feretro. De qua tantùm quarta, quæ funeralium dicitur, erit nunc sermo, cùm de quarta legatorum aliàs diximus, ac dicemus.

4 Ejusmodi igitur quarta a diversis Summis Pontificibus constituta fuit diversa, nimirum pars dimidia, tertia, & quarta, ut habetur *in cap. certificari, de sepultura*. Quare consuetudini cujusque regionis hac in parte standum est, ut ibi decernitur. Romæ est pars dimidia ex statuto Cleri Romani *cap.* 4. Frequentiùs tamen solet esse quarta, atque idcircò quarta Ecclesiæ parochiali debita consuevit appellari, Gloss. *in d. Clem. Dudum*, quam sequitur Panorm. *cap. de his num.9. eod. tit.* & habetur *ex arg. cap. fin. de testam.* ac declaravit sæpiùs S. Congreg. super Episcop. ac Regular. præsertim 9. Junii 1628. 19. Julii 1641. & S.Congreg. Concilii in Eugubina 3. Augusti 1658. in Vicentina 9. Novembris ejusdem anni, & in Montis Politiani 24. Martii 1668. in qua dixit, manutenendos esse Parochos dictæ Civitatis in exactione medietatis funeralium a fratribus Conventus Montis Castell. Qua de re extat etiam pro Parochis Urbis decretum S. Congregationis Præfectorum, habitæ coram Cardinali Millino, tum temporis Summi Pontificis Vicario contra omnes Urbis Ecclesias tàm Regularium, quantumlibet privilegiatorum, quàm etiam Nationalium sub die 26. Februarii 1629. & a fa. mem. Urbano VIII. die 21. Martii ejusdem anni confirmatum, ac injunctum servari, omni appellatione remota, & aliis quibuscunque non obstantibus. Cujus meminit idem Barbos. *d. cap.* 25. *num.*42. Extantque etiam in ejusdem decreti exequutionem sententiæ obtentæ in contradictorio judicio, quæ sunt hujusmodi.

5 *Christi nomine invocato, &c. per hanc nostram definitivam sententiam, quam de Jurisperitorum consilio, & assensu ferimus in his scriptis in causa, & causis, quæ coram nobis in prima, seu alia veriori formæ fuerunt, ac vertuntur instantia inter RR. DD. Parochos, Rectores, & Vicarios perpetuos Ecclesiarum parochialium sæcularium, & regularium Urbis nominibus, ut in actis actores ex una, & RR. fratres domus S. Mariæ de Ara Cœli de Urbe, Minores de Observantia nuncupatos, eorumque Guardianum reos conventos partibus ex altera de, & super præstatione, & traditione quartæ funeralis de omnibus, quæ obveniunt ratione funeris, & cum funere portantur, ut infra, rebusque aliis, &c. dicimus, pronunciamus, decernimus, & definitivè sententiamus dictos Fratres, & domum S. Mariæ de Ara Cœli, eorumque Guardianum, sacristam, & alios Ministros, ad quos spectat, teneri, & obligatos esse liberè, & absque ulla mora præstare, tradere, & consignare dictis RR. Parochis Ecclesiarum Urbis quartam funeralem, hoc est medietatem omnium intorticiorum, facularum, cereorum, & candelarum, quæ circa cadavera mortuorum per viam deferuntur, quando ipsa cadavera extra eorum Ecclesiam parochialem asportantur, & respectivè associantur ad Ecclesiam, & domum de Ara Cœli, sive ibi habeant sepulturam, sive illi inibi elegerint. Item medietatem omnium intorticiorum etiam circa altaria, cereorum, & aliorum prædictorum, quæ apponuntur circa ipsa cadavera, quando in prædicta Ecclesia permanent, seu deponuntur. Item medietatem omnium, & quorumcunque calicum, librorum, vestium sacrarum, banderiarum, culcitrarum, & aliarum quarumcunque rerum, quæ occasione funeris Ecclesiis debentur, & respectivè in feretro deferuntur, seu medietatem eorum pretii, & valoris, aut alterius summæ concordatæ, seu concordandæ, reservatis utrique parti juribus super quarta legatorum, &c. Item pari nostra sententia dicimus, pronunciamus, decernimus, ac definitivè sententiamus dictis RR. Curatis, & Parochis circa præmissa privilegium, seu Indultum fel. rec. Innocentii Papæ VIII. non obstare, & ipsis RR. fratribus, & domui de Ara Cœli non suffragari, nec suffragari debere, mandatumque, seu mandata exequutiva, & alia necessaria, & opportuna pro paritione hujus nostræ sententiæ, ac pro præstatione, & traditione hujus quartæ, tàm in præteritum debitæ, quàm in futurum, prout casus evenerit, debendæ, deceruenda, & relaxanda fore, & esse, prout decernimus, & relaxamus, victosque victoribus in expensis in causa factis condemnamus, quarum taxationem nobis, vel cui de jure imposterum reservamus. Et ita dicimus, pronunciamus, decernimus, ac definitione sententiamus, non solùm præmisso, sed omni alio meliori modo, &c. Ita pronunciavi ego Ascanius Rivaldus Vicesgerens, & Judex ordinarius. Quæ lecta, lata, data, & promulgata, atque publicata fuit die 20.Decembr.1650. per acta D. Joannis Garziæ Valentini, Notarii Eminentiss. ac Reverendiss. Card. Vicarii.*

6 Quoniam verò iidem Fratres appellarunt a præfata sententia, eorumque appellationis causa commissa fuerat, appellatione remota, tribus Eminentissimis Cardinalibus a san. mem. Innocentio X. specialiter deputatis, ii dictam sententiam in omnibus, & per omnia confirmarunt hunc in modum.

Christi nomine invocato &c. Pro tribunali sedentes, ac solùm Deum præ oculis habentes, per hanc nostram definitivam sententiam, qua de jurisperitorum consilio ferimus in his scriptis in causa, & causis, quæ primò, & in prima coram R. P. D. Vicesgerente Eminentiss. Cardinalis Vicarii Urbis, secundò, & in secunda, seu alia veriori coram nobis vigore Commissionis Sanctissimi, de qua in actis versæ fuerunt, & vertuntur inter RR. DD. Parochos, Rectores, & Vicarios respectivè Ecclesiarum parochialium sæcularium, & regularium Urbis nominibus, in actis actores ex una, & RR. Fratres, ac Conventum ejusdem S. Mariæ de Ara Cœli de Urbe, Minores de Observantia nuncupatos, eorumque Guardianum, reos Conventos, partibus ex altera de, & super præstatione, & traditione quartæ funeralis, hoc est medietatis omnium, quæ obveniunt ratione funeris, & cum funere portantur, ac etiam usque ad humationem cadaverum, rebusque aliis, &c. dicimus, pronunciamus, decernimus, ac definitivè sententiamus, benè, ritè, ac rectè fuisse, & esse per dictum R.P. D. Vicesgerentem ad favorem dictorum Parochorum, Rectorum, & Vicariorum sententiatum, judicatum, & definitum, maleque, nulliter, & perperam per dictos Guardianum, & Fratres ab illius sententia appellatum, provocatum, de nullitate, & injustitia dictum, & proindè dictam sententiam in omnibus, & per omnia confirmandam, & approbandam fore, & esse, prout confirmamus, & approbamus, victosque victoribus in expensis condemnamus, quarum taxationem nobis, vel cui de jure reservamus. Et ita dicimus, pronunciamus, declaramus, & definitivè sententiamus, non solùm præmisso, sed & omni alio meliori modo.

Ita pronunciavi ego M. Antonius Franciottus S. R. E. Cardinalis, & Judex Commissarius.

Ita pronunciavi ego Dominicus Cecchinus S. R. E. Cardinalis, & Judex Commissarius.

Ita pronunciavi ego Franciscus S. R. E. Cardinalis Cherubinus Judex Commissarius. Quæ lecta, lata, & promulgata, atque publicata fuit die 2. Augusti 1651. per acta D. Maximi Righe, Archivii notarii.

8 Cùm hæc igitur ita se habeant, supervacanei operis esse putò, plura dicere. Verùm enim verò nondum id effecimus, ut quiescant adversarii. Nam licèt dictam medietatem non denegent, conantur nihilominùs illam saltem diminuere in intorticiis, & candelis, quæ in ipso funeris tempore apponi solent, atque accendi in altaribus eo prætextu, quòd in dictis sententiis id non fuerit expressum, nec contentum, quodque inserviant non funeri, sed celebrationi Missarum. Undè ajunt, quòd cùm funeralia dicatur ea, quæ occasione funerum ad Ecclesiam deveniunt, & quæ cum funere deferuntur,

ut per *Extravag. Inter cunctas*, *de privil.* Petr. de Ubald. *de can. port. cap.* 4. *num.* 16. & Gloss. *in d. Clem. Dudum* 20 *§. verùm*, *v. funeralibus de sepult.* ubi inter funeralia enumerat solùm eas candelas, quæ dantur ad manus, sicque non potest Parochus prætendere quartam de insignibus, quæ in Ecclesia apponuntur, neque de candelis, quæ accenduntur in altaribus pro sacrificio Missæ. Nam insignia solent apponi ab hæredibus pro ornatu funeris, & excipiuntur *in cap. in nostra*, *de sepult.* etiam ubi cùm funere portantur, & candelæ inserviunt altari pro sacrificio, & non deseruntur cum funere, pro quibus duntaxat debetur legatum in eam causam relictum, Glossa modò relata, quam sequitur Cardin. *cons.* 90. *num.* 3. cum aliis adductis a Gratiano *discept.* 94. *num.* 17. & Tondut. *quæst. benef. cap.* 88. *nu.* 21. ubi quòd non debetur quarta de cereis, quæ cum funere non deferuntur. Atque ideò ubi verba dispositionis non applicantur, ipsa quoque dispositio applicari non potest, *l.* 4. *§. toties*, ubi Castr. *num.* 1. *ff. de damn. infect. l. Hos accusare*, *§. item nec lex ff. de accus.* cum hujusmodi aliis.

9 Et quamvis aliqui Doctores dicant, quartam de insignibus deberi, ut Barbos. *d. cap.* 24. *num.* 44. id tamen intelligendum est de insignibus, quæ cum funere deferuntur supra feretrum, de quibus idem Barbosa loquitur faciens quoque mentionem de libris, culcitra, vestibus, atque aliis rebus, quæ supra corpus cum funere deferri solent, secus autem de insignibus apponi solitis intus, & extra Ecclesiam, de quibus Doctores non loquuntur, neque de jure quarta debetur.

10 Deindè, quia quemadmodum potest consuetudine quoad quantitatem minui, & augeri quarta funeralis, ita etiam potest consuetudine induci, ut de certis rebus præstetur, & de certis non præstetur, ut per Bald. *cons.* 270. *num.* 3. *lib.* 4. Gratian. *discept.* 925. *numer.* 5. & 12. Barbos. *de jur. Eccles. lib.* 3. *cap.* 24. *num.* 2. estque textus *in d. cap. certificari*, ubi Gloss. *v. Consuetudinem de sepult.* Constat autem, quòd nunquam quarta insignium, & candelarum persoluta fuit. Cùmque consuetudo ista, sive observatio non sit contra jus, sufficiunt etiam decem anni, Rot. *dec.* 6. *ex num.* 1. *de consuet. in nov.* In jure enim canonico portio pro funeralibus debita Ecclesiæ parochiali exprimitur *in cap. Cùm super*, & *in cap. in nostra*, *de sepult.* atque adeò non est opus, esse legitimè præscriptam spatio quadraginta annorum. Quia quando quota limitatur a jure, est duplex vinculum, scilicet canonis, & consuetudinis, ideò non requiritur præscriptio quadragenaria, ut egregiè Lavor. *var. tut.* 2. *cap.* 17. *num.* 5. *cum seq.* Cùmque sit notoria non eget probatione, deque illa potest Judex etiam extrajudicialiter se informare. Aym. *cons.* 137. *num.* 5. & extrajudiciales testes suffragantur, Rot. in Mediolanen. fructuum coram Orano apud Marchesan. *de commis. p.* 1. *fol.* 458. *num.* 3. Præsertim in hac materia, in qua summariè proceditur, idque etiam parte non citata, Gratian. *d. discept.* 925. *num.* 5. & 12. Ideòque ab hujusmodi observatione non est recedendum, ut in terminis quartæ funeralis est textus *in d. cap. certificari*, *de sepult.* ubi Glos. *d. v. Consuetudinem* ampliùs vult, si de consuetudine dubitetur, vel variæ sint consuetudines in vicinis Ecclesiis, de minori summa esse intelligendum.

11 De intorticiis verò, ac cereis, quæ ab ipsa Ecclesia dantur pro associatione pauperis, seu alterius de gremio Ecclesiæ ad sepulturam, nulla quarta debetur. Quia sunt ejusdem Ecclesiæ, neque dantur ab hæredibus defuncti, prout resolvit Sac. Congreg. super Episcop. & Regul. Barbos. *de Paroch. d. cap.* 25. *numer.* 40. & Antonell. *de regim. Eccles. cap.* 13. *num.* 3.

12 Sed hæc fuga frustra est. Nam virtualiter in ipsa sententia comprehenduntur. Ibi enim habetur: *Et aliarum quarumcunque rerum*, *quæ occasione funeris Ecclesiis debentur*, *&c.* Hæc enim est virtus illius universalis dictionis, *quarumcunque*, Rot. *decis.* 36. *num.* 4. & *part.* 5. *rec.* & efficacia dictionis, *occasione*, quæ ex natura sua comprehendit omnia, quæ etiam remotissimè, ac per accidens respicerent funeralia, Bald. *cons.* 119. *nu.* 7. *vol.* 2. Corn. *cons.* 153. *num.* 6. *vol.* 2. Cæs. de Gras. *decis.* 2. *num.* 2. *de constit.* facitque venire non solùm annexa, sed etiam simpliciter occasionata, Cæphal. *cons.* 772. *num.* 43. Rot. *dec.* 744. *num.* 17. *par.* 8. *rec.* Comprehenduntur etiam in illis verbis: *Item medietatem omnium intorticiorum*, *etiam circa altaria*, *cereorum*, *&c.* ponderata dictione illa *etiam*, quæ est ampliativa, & augmentativa, operatur expressionem ejus, quod posset deficere, seu exprimit casum magis dubium, & implicat, atque comprehendit casum, in quo minor est dubitatio, Card. Mantic. *decis.* 173. *nu.* 3. & *dec.* 352. *nu.* 2.

Idque comprobatur. Quia de jure non potest denegari, quin hæc veniat appellatione funeralium, & ex causa funeris præstari soleant, sicuti fuit resolutum in decreto emisso in Congregatione Præfectorum Urbis confirmato ab Urbano VIII. & sequendo dictum decretum docent Bonacin. *disp.* 3. *de cont. qu.* 21. *punct.* 6. *propos.* 4. Barbos. *loc. alleg.* & *de jur. Eccles. cap.* 24. *num.* 24. *lib.* 3. & disponitur *in d. Clem. Dudum d. §. verum de sepult.* quæ decernit debitam portionem assignari Parochis de omnibus obventionibus funeralibus, & sic comprehendit omnia, & quæcunque emolumenta cujuscunque qualitatis sint, & conditionis, Abb. *in cap. ad audientiam n.* 6. ubi Addens allegat Bald. *de Eccles. ædif.* traditque Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancel. §.* 7. *proœm. nu.* 205. Navar. *cons.* 4. *de verb. signif.* ac firmat præclarè in puncto Petr. de Ubald. *de can. port. Episcop. et paroch. cap.* 4. *num.* 10. *et* 16. Lavor. *var. tom.* 1. *tit.* 2. *cap.* 17. *num.* 18. Carac. *de jurib. paroch. tit.* 8. *cap.* 2. Ugolin. *de offic. Episcop. cap.* 17. *num.* 2. Rot. coram Caval. *decis.* 101. *num.* 1. *et decis.* 531. *num.* 8. *p.* 5. *vol.* 2. *rec.* ac stabilitur in statuto Cleri Romani *c.* 4. fuitque sæpiùs declaratum a S. Congregatione, ut videre est *in d. decis.* 552. *nu.* 8. atque ita inconcussa consuetudine servatur. 13

Idem dicendum est de armis, sive insignibus familiæ, quæ in pannis lugubribus apponuntur. Nam etiam de iis deberi quarta, quia veniunt nomine funeralium, quæ comprehendunt quidquid obvenit ratione sepulturæ, *c. cùm liberum*, ibique Glos. *v. beneficia*, *cap. in nostra de sepult.* Covar. *cap. ult. num.* 6. *de testam.* Oldrad. *cons.* 211. *num. fin.* & ex Regularibus fatetur Rodriq. *tom.* 1. *art.* 2. *quæst. regul.* 1. *num.* 2. & Tambur. *de jur. Abbat. disp.* 15. *quæst.* 17. *per tot.* ubi *num.* 5. concludit, *quòd illa solùm sunt a quarta funerali exempta*, *quæ tàm respectu cereorum*, *& luminarium*, *quàm respectu ornamentorum*, *seu aliorum determinatorum usuum destinata sunt ad perpetuum divinum cultum ad cap. fin. de testam.* Hæc autem comprehendi sub quarta legatorum alibi docebimus. Ea in specie, quòd quarta funeralis debeatur de armis, & insignibus docet Jul. de Monte Laud. *in d. Clem. Dudum v. donatum*, Petr. de Ubald. *d. cap.* 4. *numer.* 6. & Barbos. *de potest. Paroch. d. cap.* 25. *num.* 44. Et dum sententia continet præstationem quartæ funeralis de omnibus ratione funeris, virtualiter comprehendit etiam quartam de armis, & insignibus, atque adeò debet in hoc exequutioni demandari, ut dixit Rota in Toletana pensionis 10. Junii 1637. coram Pirovano. 14

Quæ omnia locum habent contra quoscunque tàm Regulares, quàm sæculares non citatos, neque nominatos in sententia. Nam sententia facit statum contra omnes, tanquam emanata super quarta funerali, ac proindè super jure universali debito Parochis ex *d. Clem. Dudum*, *de sepult.* in quo eadem est ratio vincendi, atque adeò afficit omnes, etiam non citatos, neque nominatos, *l. ingenuum ff. de stat. hom.* ibique Bald. *numer.* 17. ac Doctores communiter, Alex. *in l. sæpè num.* 62. *ff. de re judic.* & fusè Zeval. *de com. contra com. quæst.* 636. *num.* 4. *cum seq. lib.* 1. Rot. *decis.* 84. *num.* 2. coram Andrea, & *decis.* 535. coram Gregor. *num.* 3. & *decis.* 202. coram Comitulo, & in Narnien. fideicommissi 25. Februarii 1639. *§.* & *hæc*, coram Verospio. Præcipuè quòd illa emanaverit in judicio facto cum justo contradictore, cujus maximè intererat, Bartol. *in d. l. ingenuum num.* 8. Rot. *decis.* 8. *de sent.* & *re jud.* coram Mohed. & coram Achil. *decis.* 5. *de judic.* 15

Non obstat, quòd candelæ in altaribus accenduntur pro Missis celebrandis. Nam etiam de illis expressè præcipitur in dicto decreto Præfectorum quartam deberi. Ita enim in eo legitur: *Ac propterea quando hujusmodi intorticia*, *seu cerei*, *et candelæ in prædictis Ecclesiis pro celebrandis divinis officiis*, *præsente corpore*, *accenduntur*, *finito officio extinguenda esse*, *et cuique medietas consignanda.* Missæ enim pertinent ad officium divinum, suntque pars illius, ut tradunt Gloss. *in Clem. 1. de celebr. Miss.* Navar. *de orat. cap.* 2. *num.* 29. & alii, quos *in* 1. *tom.* adduxi, ac celebrari solent, præsente corpore, constatque quòd candelæ accenduntur non respectu celebrationis Missarum, sed officii. Tum quia apponuntur, & accenduntur eodem cempore, quo alia intorticia undequaque in Ecclesia existentia, & speciatim ad funus adhibita, etiam circa feretrum, & similiter eodem extinguuntur tempore. Tum etiam, quia toto officii divini tempore accensæ permanent, sive in altaribus Missæ celebrentur, sive non, & semel accensæ non ampliùs extinguuntur. Atque idcircò sicut Missæ non celebrantur in omnibus altaribus, ubi sunt candelæ accensæ, ac nisi quatenus adsint Sacerdotes celebrantes, ita neque candelæ accenduntur, & extinguun- 16

tur,

tur, ac proinde clarum eſt, quòd candelæ non accen-
duntur, ratione Miſſarum, ſed ratione ipſius funeris,
pro quo Miſſæ celebrantur. Quod etiam manifeſtè pa-
tet in funeribus, quæ poſt meridiem celebrantur ſine
Miſſis cum candelis in altaribus accenſis.

Hoc ipſum quoque decernit Statutum Cleri Romani
17 *cap.* 4. §. 1. *inquiens, omnia intorticia, vel faculas, quæ ſive circa feretrum, ſive intra Eccleſiam, ſive extra eam in honorem defuncti ſub quovis prætextu accendantur, ad parochialem Eccleſiam pleno jure ſpectare,* & *in* §. 2. ſtatuit, quòd *Parochus medietatem totius ceræ ex anti-quiſſima conſuetudine habeat pro ſua canonica portione*, at-que adeò etiam candelarum, quæ in altaribus accendun-tur. Ad hæc Sac. Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 13. *de reform.* præcipit, quòd hujuſmodi quarta *integro jure parochiali Eccleſiæ perſolvatur, non obſtantibus conceſ-ſionibus, gratiis, privilegiis, etiam mari magno nuncupatis, aut aliis quibuſcunque*. Ideòque non poſſunt in altaribus poſita prætendi exempta. Et ipſamet extravagans *inter cunctas*, quæ ab omni quarta Regulares exemerat, de cujus etiam revocatione aliàs dicemus, non tamen eos exemit a funeralibus, de quibus ſanxit, medietatem eſ-ſe ſolvendam parochiali. Et ne de hiſce candelis, aut aliis unquam fieret dubitatio, immò ut exceptio firma-ret regulam, addidit: *de candellis verò, quas Fratres portant, portio non petatur*, quibus ſcilicet exceptis, de omnibus aliis integrè eſt ſolvenda. Nam de candelis in altaribus idem expreſſiſſet, ſi in illis exemptionem voluiſſet concedere. Quod etiam declaravit Sacr. Con-gregatio Epiſcopor. & Regularium in Romana pro Pa-rocho S. Mariæ in Monterone contra Fratres Carmelitas excalceatos 11. Octobris 1627. & 29. Januarii 1628. & in alia ſub die 6. Septembris 1603. nempè; *Sacra Congregatio cenſuit tàm intorticia, cereos, & candelas, quæ per viam deferuntur, quàm etiam omnia ea, quæ circa cadavera antequam terræ tradantur in Eccleſiis Fratrum, vel aliorum apud quos electa eſt ſepultura, accenduntur, dividenda fore, & eſſe pro æquali portione inter ipſos Pa-rochos, & miniſtros aliarum Eccleſiarum quarumcunque, etiam Regularium, & Nationalium, ſeù aliàs privilegia-torum. Ac propterea quando hujuſmodi intorticia, ſeu ce-rei, aut candelæ in præfatis Eccleſiis pro celebrandis Offi-ciis, præſente corpore, accenduntur, finito officio, extin-guenda eſſe, & cuique medietas conſignanda.*

18 Minus etiam obſtat aſſertum privilegium Innocent. VIII. Tum quia non loquitur de quarta funeralium, ſed legatorum, & oblationum pro celebratione Miſſarum, omninò diverſa a quarta funerali, debita ex candelis, & intorticiis, quæ in aſſociatione cadaverum deferun-tur, & circa ipſa apponuntur ante humationem. Ideò-que cùm exemptio ſit ſtricti juris, quod expreſsè adem-ptum non reperitur, debet cenſeri Parochis reſervatum, Rot. *dec.* 744. *num.* 3. *par.* 1. *div.* & *dec.* 324. *num.* 5. *par.* 1. & *deciſ.* 665. *par.* 3. *recent.* Tum quia jus quar-tæ competit Parochis ex diſpoſitione S. Concilii Vien-nenſis in ſæpiſſimè citata *Clem. Dudum de ſepult.* & ide-ò cùm ſit Conciliaris, ut habetur in corpore, & col-ligitur ex ejus inſcriptione, Rot. *deciſ.* 123. *num.* 1. *par.* 1. *div.* Cavaler. *dec.* 101. *num.* 2. non eſt per prætenſum hoc privilegium abrogata, cùm id non includat ſpe-cificam, & individualem illius derogationem, ut opor-tebat per textum *in cap. ex parte de capel. Monach.* ac plenè Rot. *dec.* 122. *num.* 1. & *ſeq. par.* 1. *div.* & Ca-val. *dict. dec.* 101. *num.* 2. Qinimmò cenſetur implicitè ejus diſpoſitio præſervata per conſuetam clauſulam, *ſal-va juſtitia Eccleſiarum*, quæ ex ſui natura eſt præſerva-tiva jurium parochialium, atque idcircò quartæ funera-lis *can. certificari*, ibique Doctores, *de ſepult.* ac reſol-vit Rota in Valliſoletana quartæ funeralis 19. Aprilis 1606. coram Juſto.

19 Denique non obſtant cætera privilegia Regularium. Quia fuerunt quoad hanc rem abrogata a Sac. Concilio Tridentino *dict. ſeſſ.* 25. *cap.* 13. *de reformat.* Privile-gium verò Beati Pii Quinti, fuit redactum a Gregorio XIII. ad terminos ejuſdem Concilii, ut ſæpiùs firmavit Rota, præſertim in Vercellenſis 15. Januarii 1646. cor. Eminentiſſimo Cerro, & nos probavimus *tom.* 1.

20 Illud autem, quod dicebatur, non deberi quartam de intorticiis, ſeu cereis, quæ aliqua Confraternitas, vel locus pius impendit de ſuo in ſepeliendis pauperibus gra-tis, neque illis ceræ reſidua poſſe a Parocho prætendi, ut cenſuit S. Congregatio ſuper Epiſcop. in Mazzaren. 22. Novembris 1588. & in Fulgiten. 11. Martii 1578. in Polignanen. 21. Auguſti 1606. libenter admittimus, dummodò tamen non ſubſit aliqua fraus, ut cenſuit ea-dem Sac. Congregatio in Firmana 15. Martii 1616. ac modò aliter non diſponatur in peculiaribus Eccleſiarum Statutis, ſicuti diſponitur in ſtatuto Cleri Romani ſuper funeralibus *cap.* 4. §. 1. his verbis: *Quoties defunctus in propria Parochia ſepelitur omnia intorticia, vel faculæ, quæ in ipſo funere accenduntur, ſive circa feretrum ſive ante, ſive retro deferantur, ſive intra Eccleſiam, ſive extra illam, ſive ab hæredibus defuncti, ſive a quocunque alio, etiamſi a Capitulis, ſeu ſodalitatibus ſæcularium in honore-rem defuncti, ſive alio quovis prætextu accendantur, ad ipſam Eccleſiam parochialem abſoluto funeris officio pleno jure ſpectent.*

Sed nec hìc quidem poteſt animus conquieſcere, poſt-eaquam ſemel a Regularium præjudiciis afflatus eſt. Hinc igitur illa etiam perſcrutanda eſt.

CONSULTATIO CCXVI.

An liceat Regularibus ſepelire in ſuis Eccleſiis Confratres laicos, qui ſibi in illis ſepulturam non elegerunt?

COnſtruunt Regulares in ſuis Eccleſiis varia ſepul- 1
chra ſub nomine, ac titulo ſuorum Confratrum, ac ſororum, laicorum virorum, & mulierum, præten-dentes quoties contigerit aliquos ex ipſis Confratribus mori ſine teſtamento, aliave ultima diſpoſitione jus ſe-pulturæ ad ſuas Eccleſias pertinere.

Extat negativa diſpoſitio juris pro Eccleſiis parochia- 2
libus, ad quas, ſepulchro majorum, vel electione defi-ciente, ſpectat jus ſepulturæ. Textus eſt in *cap. is, qui in cap. Cùm quis,* & *in cap. licet, de ſepult. in* 6. & tra-dunt Joan. Andr. *in capit. Religioſi eod. tit.* Burſat. *conſ.* 226. *num.* 110. Bonac. *tom.* 2. *quæſt.* 21. *de ſepult. punct.* 3. *num.* 6. aliique. Et propterea aliàs in fortioribus fuit declaratum, Tertiarios ſepeliri non poſſe in Eccleſiis Re-gularium, niſi viri collegialiter, aut clauſtraliter vivant, mulieres verò caſtitatis votum emiſerint, ut per Barboſ. *in collect. ad Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *cap.* 3. *num.* 28. & ite-rùm *in tr. de jur. Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 96.

Itaque defunctus ex diſpoſitione juris, non elacta ſe- 3
pultura debet ſepeliri in ſepulchro majorum ſuorum, ſi illud habeat, & in defectu illius, in Eccleſia parochia-li. Quod etiam elicitur *ex cap.* 1. *de ſepult.* ubi Pontifex duo decernit. Alterum, quod unuſquiſque debeat ſepeli-ri in ſepulchro majorum ſuorum. Alterum, quòd poſſit ſibi eligere ſepulturam. Ergo ſi non elegit, manet ſe-cundùm jus determinata ſepultura in loco majorum, qua deficiente ſuccedit Eccleſia parochialis.

CONSULTATIO CCXVII.

ILluſtris mulier Hieronyma Mancina de Theophylis, 1
habitans cum ſuo viro in parochia ſancti Joannis de Malva, infirmatur, condit teſtamentum, in quo man-dat ſepeliri in ſepulchro dominorum de Theophylis apud Eccleſiam Araceælitanam Fratrum Minorum Obſervan-tium cum illa minori pompa, quæ viro ſuo videbitur. Moritur, & D. Sertorius Theophylus ejus vir, donec corpus defunctæ uxoris ſuæ nocte ſequenti ad dictam Eccleſiam deferretur, interim illud exponit per modum depoſiti in Eccleſia parochiali cum ſexdecim intorti-ciis, cùmque Miſſa ſolemni in die obitus. Nocte adve-niente cadaver delatum ad Aram Cœli, ſepultum fuit in electo ſepulchro abſque ullo funerali. Quæritur, *an dictis Fratribus debeatur medietas totius ceræ, quæ ex hac expoſitione ſuperfuit?*

Reſpondeo, non deberi. Ita decernitur in libro ſta- 2
tutorum Cleri Romani *cap.* 4. *de canonica portione* §. 3. his verbis: *Candelæ, ſeu intorticia, quæ circa cadaver, ſive in domo, ſive in Eccleſia, in qua loco depoſiti perman-ſerit, accenſæ fuerant, ad illum Parochum pertineant in cujus parochia deceſſerit.* Et ad excludendum Eccleſiam, ad quam defertur cadaver ſepeliendum *in* §. 4. tollit om-nem ambiguitatem, ibi: *Si vero in alia tertia Eccleſia ca-daver deponatur, inter illam,* & *Parochum præfatum can-delæ, ſeu intorticia, quæ ſuperfuerint, ex æquo dividan-tur.* Juxta quod dum cadavera Cardinalium deponuntur in tertia Eccleſia, ex receptiſſima conſuetudine, & juxta 7. §. ceræ dividuntur inter dictam Eccleſiam, & Paro-chum, in cujus parochia Cardinalis mortuus degebat, & Eccleſia, in qua ſepeliendum eſt cadaver, ex illa cera ni-hil accipit. Clariſſimè autem *in* §. 5. per hæc verba: *Intor-ticia,* & *faculæ, quæ accenſæ deferuntur cum cadaver ad propriam Eccleſiam parochialem loco depoſiti defertur, in lucrum dictæ parochialis ex recepta conſuetudine cedant. Et ſi hæredes defuncti velint illas ita accenſas circa cada-ver permanere, illorum æſtimationem eidem ſolvant.* Ra-tio autem eſt, quia depoſitum non eſt ſepultura, ut tra-ditur in dicto §. 3. ac præ cæteris docet Rodriq. *in qu. reg. reſol.* 18. *num.* 16.

Idipſum dicendum eſt, ſi id conſideretur tanquam fune- 3

rale. Quia quarta funeralis non debetur ab Ecclesia parochiali aliis Ecclesiis, in quibus eligitur sepultura, sed ipsi Ecclesiæ parochiali debetur ab aliis Ecclesiis. Quia Parochus tenetur administrare Sacramenta, non autem alii. Et ita decernitur *in cap. Cum super de sepult. & in cap. in nostra eod. & in cap. 2. eod. tit. in 6.* ubi Bonifacius VIII. sancit, quòd canonica portio solvatur illi Ecclesiæ duntaxat, in qua defunctus consuevit audire divina, & Ecclesiastica reciperet Sacramenta, atque adeò Ecclesiæ parochiali. Estque textus formalis loquens in ipsis Minoribus *in Clem. Dudum, §. verum de sepult.* Quare nullam actionem habent supradicti Fratres contra Parochum, sed si aliquid postulare voluerint, agant cum hærede defunctæ.

CONSULTATIO CCXVIII.

An Patres Generales Ordinum in visitando aliquam Congregationem reformatam, debeant socios assumere ex eadem Congregatione reformata?

1 AFfirmativè, Ita enim statutum fuit quoad Carmelitas reformatos a Paulo Secundo, ut in Mare magno ejusdem Religionis apud Lezan. §. 27. *post med.* & observat ipse sub *num. 238. & in sum. v. Reformat. n.* 5. Quæ concessio censetur communicata omnibus Reformatis aliarum Religionum, ut advertit idem Lezan. *num. 6.* Pelliz. *tom. 2. tr. 9. cap. 4. nu. 3.* ac Peyr. *de relig. subd. cap. 18. qu. 1. §. 2. in 4. arg.*

2 Ratio autem est, quia Reformati sunt separati totaliter a primo Ordine, solùmque remanent subjecti Generali, & non aliis; ideòque non debet, neque potest eorum visitatio committi aliis personis ex Ordine antiquo, quia non potest Generalis assumere in socios Visitatores religiosos alterius Ordinis, quem visitat, ut proindè *in Clem. 1. de elect.* prohibita sit electio de Religioso diversi Ordinis, cùm non possit consulere, qui non est benè instructus in Regula, & instituto eorum, qui sunt visitandi, ut tradunt Peyrin. *loc. alleg. quæst. 1. cap. 18. §. 2. concl. 2.* Rodr. *tom. 3. quæst. reg. 77. ar. 9.* Lezan. *tom. 1. sum. cap. 18. num. 98.* & Pelliz. *d. cap. 4. num. 3.*

3 Hinc Cistercienses indultum est, ne tenerentur admittere alios Visitatores, etiam motu proprio a Pontifice deputatos, nisi sint ejusdem Ordinis, non obstantibus quibuscunque derogatoriis, ut refert Rodriq. *d. art. 9.* & Clemens VIII. in erectione Congregationis reformatæ primitivæ Regulæ D. Basilii sub anno 1694. mandavit, ut Generalis per se, non per alium, nisi fortè ex eadem Congregatione reformata possit Monachos visitare.

4 Ex quibus sequitur, hujusmodi Congregationes reformatas non teneri ad procurationem pro Assistentibus, qui non sunt ex eisdem Congregationibus. Quia cùm non possint, neque debeant visitare, nequeunt procurationem petere, vel consequi, *can. relata 19. qu. 1. cap. Si Episcopus 6. de offic. Ordin. in 6.* & Lezan. *in d. Mare magno num. 239.*

CONSULTATIO CCXIX.

Quo pacto satisfactio Missarum in judicio probari possit, etiam apud tribunal R. Fabricæ?

1 REspondeo. Quòd Missæ celebratæ sint, facilè probari potest per testes, vel scripturam. Est enim actus externus subjectus sensibus, ac publicè exercitus, atque adeò plures deponere possent de tali celebratione. At quòd Missæ sint celebratæ pro quo celebrandæ sunt, solùm probari potest per juramentum illius, ad quem pertinet eas applicare. Ita Papæus *decis. 414.* Molfes. *part. 2. sum. tract. 13. cap. 5. numer. 168.* & Alph. de Leon. *de offic. Capel. quæst. 5. sect. 30. numer. 430.* Quia id pendet ab applicatione sacrificii, ac proindè ab actu interno celebrantis, aut illius, juxta cujus intentionem applicatur sacrificium. Quando autem agitur de probando, quod consistit in animo, juramentum habetur pro legitima probatione, ut tradunt Plot. *in l. Si quando num. 57. C. unde, vi*, Thesaur. *decis. 236. numer. 2.* ac Rot. *dec. 7.* aliàs *263. de jurepatr. in nov.* Immò, & in iis, quæ sunt difficilis probationis, ut observat Rot. *dec. 6. num. 8. & 51. & dec. 124. num. 12.* coram Mantica, *& decis. 103. num. 1.* coram Caval. *& decis. 130. num. 9.* ac alibi. Etenim cùm actus interni ex natura sua sint occulti, neque in externam cognitionem devenire possint, nisi manifestentur, non possunt alio modo probari, nisi per manifestationem illius, cujus sunt. At quia manifestans potest fallere, ideò ad eam comprobandam adhibetur juramentum, quòd licèt possit esse falsum, præsumitur tamen verum, nisi de oppositò constet. Et idcircò S. Congreg. super Episcopis in Cæsenaten. 25. Junii 1655. censuit, quòd satisfactio Missarum non solùm per scripturam, sed etiam per omne genus probationum probari possit.

Non obstant Thesaur. *qu. for. 86. lib. 1.* Genuen. *in pr. Eccles. quæst. 126.* Ricc. *in pr. part. 3. resol. 365.* tenentes, id probari non posse per juramentum. Quia inquiunt, si admitteretur probatio per juramentum, idem esset testis in causa propria contra *l. nulli C. de testib.* Undè volunt, quòd id probetur per librum sacristiæ, in quo notantur Missæ celebratæ, ex quo constet, quòd celebratus sit præcisus numerus, aut major illo, quo Ecclesia oneratur, & proindè quando Sacerdos aliquis sæcularis, degens in propria domo, tenetur celebrare aliquas Missas, debet notare in eodem libro Missas a se celebratas. 2

At minùs rectè, cùm hic modus probandi sit omninò insufficiens. Quia non probatur ex eo, quòd Missæ sint celebratæ pro quo erant celebrandæ. Fieri enim potest, quòd Missæ celebrentur non pro supplendo onere legati, sed pro satisfaciendo eleemosynis manualibus, & è contra. Data autem possibilitate contrarii, probatio est insufficiens, *cap. in præsentia, de probat.* ubi Dec. *nu. 12. & l. non hoc, C. unde legit.* ubi Jal. Rot. *dec. 531. nu. 2. part. 3. recent.* Undè hic modus solùm probare potest, quòd Missæ sint celebratæ, non autem quòd sint applicandæ. 3

Extra verò judicium, vel in causa summaria pro celebratione Missarum secundùm dispositionem testatoris probanda, præcipuè quando agitur de probando, an hæredes exequuti sint legata relicta pro celebratione Missarum, sufficit attestatio Rectoris Ecclesiæ, aut Sacristiæ, aut Superioris Religionis, aut illius, qui illas celebravit, ut notat Alph. de Leon. *loc. cit. nu. 432.* testans de praxi apud Tribunal R. Fabricæ. Quoniam attestatio æquiparatur juramento, *c. ad aures, de his, quæ vi. metusq. caus.* & observat Fachin. *lib. 1. cont. cap. 12.* Præsumitur enim, quòd attestans sit paratus, si oportuerit, suam attestationem juramento firmare, ac proindè juramentum inest virtualiter attestationi, tanquam ordinatæ ad certiorandum de veritate. Ideòque in hujusmodi attestationibus plurimùm attenditur qualitas personæ attestantis, ut scilicet talis sit, cujus probitas excludat suspicionem falsitatis, & an de ipsa præsumi possit, quòd, licèt non juret, habeat tamen præ oculis veritatem. 4

CONSULTATIO CCXX.

An Episcopo sternuenti Magistratus sæcularis, vel Gubernator, qui adesse soleat, quando ille celebrat pontificaliter, salutem dicere teneantur, caput reverenter detegere, atque inclinare, & officiosè cum eo agere?

MAximè. Etenim veteres sternutamenta venerabantur, quia spiritus illa sacros æstimabant, provenientes è capite, quod divinum habebant. Similiter iis plaudebant, quia sanitatis signa esse putabant. Item in sternutatione salutem sternuentibus precabantur, ut benè, ac faustè illis succederet, cùm accidens sternutatorium ab idolatricis credebatur augurium sinistri, & felicis eventus. Sunt qui opinentur, grassante per Italiam huc, passim homines sternutamento animam efflasse, ex quo factum, ut sternuentibus in magno quippè discrimine salutem cæteri precarentur. Qui mox exindè relictus, hodieque viget, ut honorem habeamus sternuenti, eumque salvere officiosè jubeamus. At hi evincuntur testimonio antianitatis, ut constat ex subjectis authoribus, nominatim ex Plinio, dicente, quòd Tiberius Imperator tristissimus hominum, & qui religiosis hisce officiis minimè capiebatur, nonne dum vehebatur curru per Urbem, sternuenti honorem habebat ipse, sibique ab aliis exigebat? Et sanè ea salutatio, qua sternuentem impertimur, non est salutis imploratio, sed veneratio est, atque honoris significatio, sicut cum obvios amicos salutare consuevimus non eis quasi aliquid adversi acciderit præsentem opem, ac salutem precamur, sed officii causa honorem salutando habemus. Sed ut se cumque res haberet, hodie quoque mos iste urbanitatis observandus est, præcipuè in viros Magnates, & Ecclesiæ Præsules. 1

Vide Aristotelem *probl. 7. 9. 11. sect. 33. & in hist. animal. lib. 1. cap. 11.* Alexand. ab Alex. *lib. 2. gen. dier. c. 26.* Aristen. *ep. 5. lib. 2.* Pol. Virg. *de invent. rer. lib. 6. cap. 11.* Franc. Fernand. *in didasc. c. 13.* Homer. *in Odyss. lib. 17. v. 541.* Theocr. *idyl. 7. v. 96. & idyl. 18. v. 16.* Catul. *de Acm. & Septim.* Propert. *lib. 2. eleg. 3.* Plin. *lib. 28. c. 2.* August. Niph. *de augur. lib.* 2

Apul.

Apul. *de asin. l.9.* Ammian. *in autolog. lib.2. cap.13. epig.11.* Plutarch. *de Homer. & de Socrat. gen. & in Themistocle*, Jo: Pontan. *de serm. lib.4. cap.9.* Lel. Biscol. *in honor. subsec. tom.1. lib.1. cap.6. & tom.2. lib.11. cap.5.* Xenoph. *de exped. Cyri lib.3.* S. Augustin. *serm. de temp. 241. & de doctrin. christ. lib.1.* Albert. Magn. *de animal. lib.1. tr.2. c.8.* Carol. Sigon. *de Regn. Ital. lib.1.* Athen. *lib.2. cap.51.* Petron. Arbitr. *pag.115.* Baron. *tom.7. an.690.* Gulielm. Durand. *in ration. divin. Offic. lib.6. c.102.* Nicol. Godign. *in vit. Sylverii lib.2. c.11.* Tull. *de divin. lib.2.* Herodot. *lib.6. de Hippol.* Jul. Frontin. *lib.1. c.12.* Jo: Savar. *in Sydon.* Apollin. *lib.7. ep.1. pag.392.* Georg. Erard. *in Petron. pag. 671.* Paul. Monach. Casinen. *hist.* Gulielm. Mimaten. & alios.

CONSULTATIO CCXXI.

An Episcopus possit totam Communitatem ab abstinentia carnium solvere in quadragesimali jejunio ob caritatem, vel penuriam piscium? Ubi, quibus in casibus dispensare possit, & quo pacto?

1 REspondeo, non posse, nisi existente justa, & gravi, & communi causa. Rationes præcipuè duæ sunt. Altera, quia dispensatio in lege Superioris est nulla, non existente causa. Jejunium quippè quadragesimale est de jure divino, ut aliqui sentiunt, sive de jure canonico, ut docent communiter Doctores. Causa autem assignata non potest esse justa quoad omnes; quia in civitate plures sunt divites, & quamplures alii licèt pauperes, sunt tamen assueti cibis quadragesimalibus. Altera, quia dispensatio jejunii quadragesimalis non spectat ad Episcopum ex jure speciali, sed ex consuetudine, quæ fuit inducta quoad singulares personas ob periculum in mora, atque ideo non se extendit ad dispensandum cum tota communitate.

2 Solùm igitur possent Episcopi dispensare tempore pestis, vel ingentis famis, & ita, ut non possit fieri recursus ad Summum Pontificem. Nam quando recursus requirit aliquot dies, damnum ex recursu esset notabile, nec posset repræsentari status causæ, in qua deberet fundari dispensatio, & ideò censetur Episcopo concessa facultas in his casibus dispensandi, tanquam ea, quæ non potest prudenter exequutioni demandari a Pontifice, tametsi ne tempore quidem pestis hoc admittam, March. *de pest. par.6. cap.2. num.6.* Nazar. *tom.2. opusc.7. cas.1.* Dian. *par.10. tract.14. resol.3.* At fuisse ab Episcopis eo tempore dispensatum, testes sunt Acta Panormitana penes Homob. *vol.1. cons. part.2. resp.57.* tenetque Palac. *in 4. d.15. disp.8. par.5. concl.4.* asserens anno, quo scribebat, cum Lusitanis dispensatum ab Episcopis, ut ederent carnes in quadragesima. Hinc a Sede Apostolica dispensationes ejusmodi fuerunt aliquando concessæ, aliquando denegatæ juxta qualitatem locorum, & personarum, adhibito consilio Theologorum, ac Medicorum.

3 Non obstat *cap. Consilium de observ. jejun.* Tum, quia ibi non agitur, an Archiepiscopus Bracharensis rectè dispensaverit, cum nulla in eo casu interceserit dispensatio, ad factum ipsum. Tum, quia loquitur tempore, quo tantæ famis inedia ingruebat, quod magna pars populi propter inopiam annonæ periret, & ideò carnes comedere sunt coacti.

4 Minùs obstant Doctores contrarii. Quia sunt intelligendi de dispensatione quoad singulares personas, non autem quoad totam communitatem.

CONSULTATIO CCXXII.

Cum in decretis de celebrat. Missar. in §. An hæc prohibeatur, ne in posterum onera perpetua Missarum suscipiantur sine Superioris sæcularis, vel regularis licentia in scriptis obtinenda sub pœnis ibi præscriptis, quæritur, An acceptationes factæ sine hujusmodi licentia sint nullæ, & invalidæ?

1 AFfirmat Pasqualigus *de sacrif. leg. qu. 1108. a num.* 3. ea ratione, quia licentia præfata non requiritur, ut simplex consensus, sed ut authorizans. Quando autem consensus intervenit, ut authorizans, requiritur ad validitatem actus ad tradita per Abb. *in cap. Cum nos numer.5. de iis, quæ fiunt a Præl.* Felin. *in cap. edoceri num.7. & 8. de rescript.* Lambert. *de jurepatr. lib.1. quæst.9. princ. art.1. numer.91.* & Rot. *decis.331. nu.6. part.4. recent.* Idque variè confirmat, & præcipuè, quia licentia hujusmodi censetur inducta pro forma. Nam tunc forma censetur inducta, quando inducitur aliquid servandum, quod de jure communi non requiritur, ut observant Aretin. *in l.1. ff. de lib. & posth.* Felin. *in cap. Cùm delicta num.10. de rescript.* Anchar. *cons.36.* Duran. *decis.18. num.17.* Decreta autem *de celebrat. Missar.* cum pro susceptione oneris perpetui Missarum requirunt hanc licentiam, inducunt aliquid, quod non est necessarium de jure communi, ac proindè inducunt formam.

Poterat hoc ipsum etiam confirmare ex clarissima *l.* 2
non dubium C. de leg. qua Theodosius, & Valentinianus Cæsares constituunt, ut actus quicunque a lege prohibitus censeri debeat nullus ipso jure, & facto his verbis: *Nullum pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsequutum, qui contrahunt lege contrahere prohibent. Quod ad omnes etiam legum interpretationes tàm veteres, quàm novellas trahi generaliter imperamus, ut legislatori, quod fieri non vult tantùm prohibuisse sufficiat, cæteraque quasi expressa ex legis liceat voluntate colligere, hoc est, ut ea, quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solùm inutilia, sed pro infectis etiam habeantur, Legislator fieri prohibuerit tantùm, nec specialiter dixerit inutile esse debere, quod factum est, sed & si quid fuerit subsequutum ex eo, vel ob id, quod interdicente lege factum est, illud quoque cassum, atque inutile esse præcipimus.* Ac etiam, quod Actus prohibitus ex naturali lege sit nullus, quia voluntas inferioris non potest esse efficax contra voluntatem Superioris, quæ actui resistit, cùm illum prohibet.

At ego contrà censeo, idque ex eo, quod lex cano- 3
nica prohibens tantummodò aliquid fieri, illud non irritat, nisi expresè, vel æquivalenter si fiat, irritum fore decernat. Ita Turrecr. *in can. non oportet 1.33. qu.4. ad 2.* Palud. *in 4. d.34. quæst.1. art.1. concl.4.* Richard. *in 4. d.32. art.5. quæst.2.* D. Anton. *3. par. tit.1. cap.16.* Silv. *v. matrimonium 7. qu.1. d.3.* Alex. de Nev. *in cap. penult. numer.21. de despon. impub.* Sanch. *de matr. lib.7. disp.2. num.10.* ubi Decii, ejusque sequacium opinionem minùs veram appellat Suarez *de legib. lib.5. cap.29. nu.1. & seqq.* Salas *eod. tr. disp.16. sect.8.* Arriag. etiam *de legib. disp.23. sect.5. num.51.* Layman. *lib.1. tr.4. cap.16. num.3.* Boss. *in moral. tit.19. num.72. & 87.* & apud eum Villalobos, & Castropalaus, Bonac. *pariter de legib. disp.1. qu.1. punct.7. §.7. num.8.* Martinez *p.2. qu.96. art.4. dub.13. concl.2.* Mendoza *lib.1. de pact. cap.4. num.41.* & Farinac. *in fragm. v. lex num.189.*

Patet multis argumentis. Primò, quia per se ex na- 4
tura rei aliud est prohibere, aliud irritare. Nam prohibere est præcipere, ne aliquid fiat; irritare verò est velle id, quod lege fieri prohibetur, si fiat, esse inutile, ac pro infecto haberi. Sic matrimonium prohibitum est fieri tempore interdicto *tot. tit. de matrim. contr.* Item inter compatres ex cathechismo *cap.2. de cognat. spir. in 6.* ac item post simplex votum castitatis, *cap. un. de vot. eod. lib.* & cum quovis alio impedimento impediente. Et tamen in omnibus hisce casibus contractum est validum. Sic quoque ante Concilium Tridentinum matrimonium clandestinè contractum, quod Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis semper detestata est, atque prohibuit, erat ratum, & verum ex eodem Trident. *sess.24. cap.1. de refor. matrim.* Consecratio facta per Episcopum alienum, licèt prohibita, valet. Sententia lata sub conditione, quanquam prohibita, est valida, *cap. biduum 2. quæst.6.* Venditio rei, quam quis Deo vovit, promissio facta meretrici pro usu corporis, matrimonium cum una post inita sponsalia cum alia, & id genus plura prohibita sunt, sed tamen valida.

Secundò. Quia non extat aliqua lex canonica, per 5
quam statuitur, quòd actus ex eo, quòd fit prohibitus, sit nullus, sed potiùs per eam decernitur, quòd ex simplici prohibitione actus non censeatur nullus, nisi lex illum prohibeat cum decreto irritante. Quare Innocentius III. *in cap. ad Apostolicam de Regul.* dixit, quòd multa fieri prohibentur, quæ si fuerint facta, obtinent firmitatem, & *in cap. Si soli de concess. præb. in 6.* decernitur, puniendum esse Ordinarium, si contra mandatum Apostolicum faciat, non autem esse irritum, si faciat, nisi fuerit decretum irritum, ac inane, quòd fieret contra ipsum. Constatque ex stylo Pontificum, qui quando volunt id, quod prohibent esse nullum, prohibendo apponunt decretum irritans, quo declarant mentem suam esse nedum, ut aliquid non fiat, sed ut si fiat, sit nullum.

Hinc facilè respondetur ad objecta. Cùm enim hu- 6
jusmodi oneris Missarum susceptio, omissa hac solemnitate valida esset ex jure communi, ab eo recedendum non est absque manifesto decreto irritante. Decreta autem *de celebr. Missar.* non irritant manifestè hanc susceptionem. Undè tunc solùm licentia habetur, ut authorizans, & pro forma, quando lex statuit formam

ſubſtantialem actus, ſecùs quando ex ea colligitur ſolam formam, & modum, ut rectè, fiat, præſcribi.

Lex verò illa *non dubium*, *C. de legib.* viſa eſt juriſperitis duriſſima, & ut eam ſuſtineant ita limitant, atque diſtinguunt, ut penitùs deſtruant. Satis nobis eſt, illam eſſe purè civilem, atque adeò non obligare Eccleſiaſticos, neque vim habere irritandi Eccleſiaſticos actus. Quàm D. Gregorius *lib. 7. indict. 2. ep. 7.* & habetur *in can. Imperiali 35. quæſt. 2.* non acceptavit, ut habeat vim in legibus Eccleſiaſticis, ſed ea uſus eſt ad confirmandum, quod teſtamentum contra legem civilem factum non debeat ſuſtineri, eſſeque hodie conſuetudine abrogatam docet Molin. *t. 1. de juſt. diſp. 88. §. Ad confirmationem*, addens, quod eſſet ſanè intolerabilis attenta juris poſitivi amplitudine, multiplicibuſque prohibitionibus. Et præter alia, quæ Doctores in eam dicunt, benè Sylveſt. *v. lex quæſt. 28.* cum Panormitano, & Cardin. *in Clem. 1. de reſcript.* ait, legem illam ſolùm habere locum, quando legislator prohibet aliquid non apponendo pœnam, ſecus autem quando præter prohibitionem, progreditur ulterius ad pœnas injungendum, ut in hoc caſu.

8 Prohibitio autem Superioris reſiſtit tantùm exercitio actus, quem præcipit non fieri. Undè ſi fit, illicitè fit, quia illi reſiſtit voluntas Superioris, non verò reſiſtit valoris actus, ſi fiat, ideoque eſſe poteſt, quod ſit prohibitus, & tamen ſi fiat, non ſit inanis. Undè non eſt verum, quod nullitas ſit naturalis pœna actus prohibiti, ut voluerunt Decius, & Baldus apud Suarez *lib. 3. de leg. cap. 25. num. 24.*

9 Adducitur denique in contrarium *regula 64. de reg. jur. in 6.* ibi, *quæ contra jus fiunt, debent pro infectis haberi*. Quod eſt deſumptum *ex l. pacta, C. de pact.* At eſſe id falſum jam ſupra variis exemplis luculenter demonſtravimus, ut proindè Gloſſa regulam hanc limitet in iis tantùm, in quibus ratio prohibitionis eſt perpetua. Quod placuit Tabienæ, Armillæ, Goffredo, Jaſoni, Vantio, Baldo, & aliis apud Suarez *d. lib. 5. de leg. cap. 25. numer. 7.* Sed perperam. Nam matrimonium habentis votum caſtitatis, & impedimentum cognationis ex Catechiſmo eſt prohibitum ex cauſa perpetua, & tamen ſi fiat, eſt validum. Aliqui eam limitant, ut non valeat, quatenus lex illa, vel alia in contrarium decernat actum non eſſe irritum. At extra mentem Canonis. Quia lex prohibens matrimonium habentis votum caſtitatis ſimplex, vel ante Concilium matrimonium clandeſtinum erat lex purè prohibens. Quidam reſpondent, regulam intellige de illis actibus, qui directè ſunt contra jus. Sed id eſt contra leges prohibentes actus, quorum exempla dedimus. Sunt qui ajunt, illam valere ſolùm in actibus contra legem dantem formam ſubſtantialem actui. Multi, quod intelligatur de actibus geſtis contra legem nedum prohibentem, ſed irritantem. Nonnulli, quod actus prohibiti irritari debeant, ſi hoc fieri poteſt, ac expedit. Quamplures, inter quos Suarez cum quo errare malo, quàm cùm aliis vera ſentire *d. lib. 5. de legib. cap. 29. in fine*, quod intelligatur ſine limitatione, ut detur ad inſtructionem Judicum, & ſic loquatur in judicio fori contentioſi, nimirum, ut id, quod fit contra legem, habeatur pro infecto, ſervato ordine juris, ut ſi eſt nullus ipſo jure declaretur talis, vel ſi non eſt talis diſſolvatur, ſi eſt diſſolubilis, & ſi expedit illum diſſolvere. Illud verò *cap. fin. de pact.* loquitur de pactis turpibus, aut rei turpis, & impoſſibilis, quæ nullam obligationem inducunt. Item de actibus ſua natura malis, undè prohibentur, quia mali, non de actibus ab intrinſeco malis, quia prohibiti.

10 Atque ita in hac ſpecie declaratum invenio a S. Congregatione Concilii in Romana 16. Januarii 1644. ſcilicet acceptationes hujuſmodi oneris Miſſarum ſine licentia Superioris non eſſe nullas, neque invalidas.

CONSULTATIO CCXXIII.

An locatio Caſalium diſtrictus Urbis, atque ejuſmodi comprehendatur in extravagante Ambitioſæ de reb. Eccleſ. non alienandis?

1 QUamvis in *extravag. Ambitioſæ Pauli Secundi de reb. Eccleſ. non alien.* expreſsè prohibita ſit locatio & conductio omnium rerum, ac bonorum Eccleſiaſticorum ultra triennium, uſus tamen interpretatus eſt, illam non comprehendere Caſalia diſtrictus Urbis, & ejuſmodi, quæ intra novem annos, & non anteà trinam omnium fructuum reſponſionem dare ſolent, itaut novennium hac ratione ſit in eis habendum pro triennio. Undè novennales eorundem locationes, etiam ſine beneplacito Apoſtolico validæ fuerunt judicatæ a Rota coram Clemente VIII. in Romana reſciſſionis contractus 28. Novembris 1580. animadverſo etiam idem priùs adnotaſſe Nicolaum Aragonium Siculum, inter Auditores admiſſum menſe Februarii 1529. ac retuliſſe Joannem Antonium Capiſuccum Romanum admiſſum anno 1550. & quinquennio nondum elapſo, renunciatum Cardinalem a Paulo IV. Patruum Eminentiſſimi Domini mei Raymundi Capiſucci nuper ad purpuram evecti, in quo certant pari certamine dubia victoria nobilitas, ſapientia, religio, & iterum coram Litta in Veliterna affictus 10. Decembris 1593. quorum integras deciſiones dabimus. Nam Marchef. *part. 1. fol. 109.* prioris ſolùm initium impreſſit, univerſa deciſionis ſubſtantia penitùs omiſſa, poſterioris autem non impreſſæ tantùm meminit Antonellus *de regim. Eccleſ. Epiſcop. lib. 1. cap. 5. §. 1. num. 6.* Quare in Compendio Deciſionum Rotæ circa alienationes rerum Eccleſiaſticarum, quod olim manuſcriptum circumferebatur per manus Curialium, qui in ſcriniis illud cuſtodiebant, mox verò impreſſum a Theodoſio Rubeo Singul. Rot. *tom. 2. part. 4. ex fol. 241. numer. 32.* & a Riccio *collect. 1354. part. 7. pag. 462. col. 2.* leguntur hæc verba, excerpta ex dicta deciſione Clementis VIII. *limita in locationibus Caſalium cùm ſingulo anno fructus non afferant, nam tunc triennium intelligitur de tribus recollectis, non autem de tribus ſolis annis.*

Neque id unquam S. Rota in dubium revocavit quo- 2
ad dicta Caſalia, immò pro certo ſuppoſuit coram Gypſio in Romana affictus 8. Februarii 1593. *deciſ. 727. p. 4. diverſ.* dum loquens de Caſali ad novennium locato per Capitulum, & Canonicos S. Mariæ in Via lata dixit *num. 3. ſatis demonſtratur ex eo, quod ſecundum communem uſum, & artem cultum eorum Caſalium novem anni requirunt pro tribus integris recollectis*, ut benè deducitur in Romana reſciſſionis contractus coram S. D. N. 28. Novembris 1580. & coram Juſto in Nepeſina affictus 14. Martii 1601. *§. & tollit omnem difficultatem, quia in Caſalibus Urbis integri fructus non percipiuntur uno anno, ſed ſingulo triennio, certa locatio facta ad novem annos, dicitur locatio ad triennium*. Quod tenuit Rota coram S. D. N. in Romana reſciſſionis contractus 28. Novembris 1580.

Solumque negavit trahi poſſe ad alia prædia, ex 3
quibus integri fructus percipiuntur quolibet anno coram Milino in Tiburtina locationis 5. Decembris 1597. agente de bonis Abbatiæ Sublacenſis circa fontes Amenſis *deciſ. 157. numer. 4.* ibi: *Alia limitatio, quod locatio ſuſtineretur, quia conſiſtit in terris, & olivetis, ex quibus non percipiuntur fructus quolibet anno, ut fuit reſolutum in cauſa Romana reſciſſionis contractus* 28. *Novembris* 1580. *coram S. D. N. tunc Rotæ Auditore, & poſtea in cauſa Valiterna Caſalis coram Litta, & in aliis cauſis, viſa eſt Dominis applicanda. Quia ultra terras, & oliveta ſunt etiam alia comprehenſa, ex quibus percipiuntur fructus quolibet anno.* Et coram Pirovano in Romana, ſeu Terracinen. affictus 27. Januarii 1627. *dec. 215.* apud Poſt. *de manut. num. 14. poſt med.* ibi: *Nec replicatio urgere videtur ex allegata Urbis conſuetudine, quod locationes fieri ſoleant ultra triennium, & quidem valide reſpectu caſalium, quæ nonniſi de triennio in triennium reddunt fructum, Rota in Romana reſciſſionis contractus 28. Novembis 1580. coram Clemente VIII. Quia, quidquid ſit quoad Caſalia, quæ uniformem habent culturam, ſecus vero quoad bona hujus Abbatiæ*, ſcilicet Foſſæ novæ in finibus Ditionis Eccleſiæ cum Regno Neapolitano, *quæ ejuſdem qualitatis non apparent*. Et coram Cardinali Corrado in Tiburtina affictus 19. Junii 1648. ita loquente de ſublocatione fornacium calcariarum, & bonorum Tiburis, ſpectantium ad Abbatiam S. Laurentii. *Minus obſtat, quod diſpoſita dictæ Extravagantis non habeat locum in locationibus Caſalium exiſtentium in diſtrictu Urbis, ut fuit dictum in Romana reſciſſionis contractus 28. Novembris 1580. coram ſan. mem. Clemente VIII. quia dictæ deciſiones procedunt in illis bonis, quorum redditus ſingulis duntaxat trienniis, vel quinquenniis percipiuntur, ea enim non quidem negantur; ſed ita intelliguntur ſub eadem Conſtitutione non comprehenſa, ut pro tribus integris recollectis locari poſſint, itaut quod de aliis ſtatuitur ad triennium, de illis ad novennium, vel quindecim annos ex Pontificis intentione cenſeatur ſtatutum, cùm ad hunc effectum ſingula triennia, vel quinquennia habeantur pro uno anno. Itaque non applicantur ad ea, quorum redditus ſingulis annis, immò ſingulis diebus, qualia ſunt hæc, percipiuntur.*

Nec quicquam refert, quòd fructus herbarum quotan- 4
nis percipi poſſint in caſalibus Urbis, quamvis unica agrorum cultura ſoleat tantùm fieri intra triennium.

Nam

Nam cùm majori ex parte conſtent agris ſuaptè natura addictis ſationi frugum, licèt habeant prata, ex quibus quotannis fœnum colligitur poſſintque herbæ tàm hyemales, quàm æſtivæ terrarum, dum vacant a cultura, locari pro paſcuis animalium, ſufficit tamen, reſpectu culturæ agrorum nequeant integri fructus unoquoque anno percipi, itaut tres integræ recollectæ omnium fructuum exigant ſpatium novennii, habendi pro triennio, ut illas perfectè includat. Hinc Navar. *in com. de alien. rer. Eccleſ. num.* 21. dum ait, quòd in regionibus, in quibus prædia non ferunt communiter juſtum fructum quotannis, locantur ad plures annos, innuit ad hoc ſufficere, quòd juſtus fructus, hoc eſt integer, non percipiatur ſingulis annis, cum quo ſentiunt Azor. *inſtit. mor. par.* 2. *lib.* 7. *cap.* 10. *qu.* 8. & clariùs *lib.* 9. *cap.* 2. *qu.* 2. ubi quæſito, an poſſeſſio Eccleſiæ, quæ juſtum fructum reddere quotannis non ſolet, poſſit ultrà triennium locari, affirmativè reſpondet cum Navar. *loc. alleg.* etiam ad novem annos quandocunque poſſeſſio talis eſt, ut juſtos fructus ferre non ſoleat, niſi tertio anno. Animadvertendo, ſatis eſſe, quòd juſtum, nempè integrum fructum non reddat ſingulis annis, Guttier. *can. qu. lib.* 1. *cap.* 8. *numer.* 13. exemplificans in agro Epiſcopatus Cantuarienſis, præcipuè conſiſtente in cultura, itaut triennium accipi deberet in univerſa locatione pro ſexennio, & Caldas *de emphyt. extinct. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 31. explicans triennium accipi pro tempore, quo colliguntur tres fructus integri, quam integritatem unicæ recollectionis ponderavit etiam Rota in ſuperiùs allegatis deciſionibus coram Gypſio, Juſto, & Corrado, itaut non ſufficiat aliquos fructus quotannis percipere, niſi integri ſint, nempè conſtituant integram recollectionem univerſorum fructuum conſiderabilem, etiam quoad fruges ex agrorum cultura, quæ in Caſalibus Romanis triennio, & non priùs abſolvitur, quamvis herbarum fructus annuatim colligatur.

5 Quo fit, ut quodlibet triennium in illis habendum ſit pro unica recollectione univerſorum fructuum terræ adeò quod ſingula triennia enumeranda pro unico anno non excedant tempus dictæ Extravagantis, ſi locatio fiat ad novennium juxta theoricam Covar. *var. lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 6. quam præter Navarrum, & alios præcitatos probarunt etiam Quaranta *in Sum. Bullar. v. alienatio rerum Eccleſiæ num.* 17. Zerol. *in pr. Epiſcop. p.* 2. *eod. v. num.* 15. Genuen. *in prax. Archiep. cap.* 61. *num.* 11. Mantic. *de tacit. lib.* 5. *tit.* 3. *num.* 22. & *tit.* 23. *nu.* 32. Gratian. *diſcept.* 238. *num.* 29. Rebell. *de oblig. juſt. lib.* 14. *quæſt.* 5. *num.* 12. Leſſ. *de juſtit. & jur. lib.* 2. *cap.* 24. *dub.* 6. *num.* 30. Sopran. apud Filiuc. *tract.* 44. *cap.* 2. *quæſt.* 2. Em. Sà *v. conductio num.* 14. Bonacin. *tom.* 1. *de alien. bon. Eccleſ. diſp.* 2. *quæſt. un. punct.* 2. *num.* 14. Barboſ. *de offic. Epiſcop. par.* 3. *alleg.* 95. *numer.* 4. & *de jur. Eccleſ. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 30. Ricc. *in prop.* 2. *reſol.* 111. *num.* 1. & 2. Ugolin. *de poteſt. Epiſcop. cap.* 14. §. 7. *poſt num.* 12. Boſſ. *tom.* 3. *de alien. rer. Eccleſ. tr.* 18. *num.* 323. Pyrr. Corrad. *de diſpenſat. lib.* 9. *cap.* 1. *num.* 14. Tondut. *reſol. benef. cap.* 66. *num.* 11. Antonel. *ad regim. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 5. §. 1. *num.* 5. & 6. Alex. Raudenſ. *deciſ. Piſan.* 22. & Rota in deciſionibus adductis, quæ ſunt hujuſmodi.

6 Romana reſciſſionis contractus Lunæ 28. Novembris 1580. coram Hippolyto Aldobrandino, mox Clemente VIII. Domini cenſuerunt, locationem rerum Eccleſiæ, quantumvis factam ad novennium, eſſe validam. Nam circumſcripta Extravagante Pauli Secundi, res non haberet difficultatem juxta notata communiter per Bartol. *in Clem.* 1. *de reb. Eccleſ. non alien.* Alex. *conſ.* 13. *ſive* 17. *numer.* 23. Dicta autem Extravagans non obſtat, cùm in ea parte, in qua prohibet locationes ultra triennium non ſit uſu recepta reſpectu locationum Caſalium diſtrictus Urbis, vel ſaltem uſus interpretatus ſit, quòd illud triennium de jure ex his, quæ mox dicentur, intelligatur de illis rebus, quæ ſingulo anno fructum afferunt. Undè cùm Caſalia non ſint hujuſmodi, ſtante conſuetudine circa culturam illorum cùm ſecundùm communem artem culturæ ad hoc, ut fiant duæ integræ recollectæ ſecundùm artem colentium, ſint neceſſarii novem anni, ut benè deducunt teſtes examinati pro parte dominorum de Scappuciis, & in ſimili videmus quando res non reddit fructus, niſi ſingulo triennio, eo caſu triennium intelligitur de tribus recollectis, & ſic de novem annis, Covar. *var. reſol. lib.* 2. *cap.* 16. *numer.* 6. & facit doctrina Baldi *in l. legem in fin.* & *l. eadem numer.* 6. *C. locat.* Alex. *in l. divortio* §. 1. *numer.* 10. *ff. ſolut. matr.* & ibi Jaſ. *in* §. *quod in anno numer.* 6. Jaſ. & Dec. *in auth. qui rem, C. de ſacroſ. Eccleſ.* Maximè, quia cùm utilius ſit conducentibus conducere Caſalia ad omnes fructus ad triennium, quàm ad novennium, & locare damnoſum, ut benè per bonas rationes probant iidem teſtes valdè nobiles, & admodum periti, ſi contrarium diceremus, ſolemnitas dictæ Extravagantis inducta in favorem Eccleſiarum, in earum odium redundaret, & ita etiam retulit unus ex Dominis reperiſſe bo. mem. Aragoniam annotaſſe, Paulinam non eſſe in uſu quoad locationes Caſalium, ut ſibi retulit Capiſuccus.

Non obſtat, quòd aliqui abſtinuerint confirmare ſi- 7
miles locationes. Quia, ut plurimùm, id factum reperitur in locationibus factis a beneficiatis particularibus, non propter Extravagantem, ſed ad hoc, ut contractus liget ſucceſſores, etiam ubi ceſſat tale periculum vacationis; aliquæ ſi fuiſſent confirmatæ id potiùs fieri ad abundantem cautelam, non autem exindè poteſt inferri, quòd ſit neceſſarium, *l. teſtamentum, C. de teſtam.* Caſſad. *deciſ.* 3. *ut lit. pend. numer.* 8.

Non obſtat ſententia lata in alio Tribunali, quia exemplis non judicamus.

Veliterna affictus Veneris 10. Decembris 1593. co- 8
ram Litta. Dubitatum fuit, an locatio eſſet nulla, & dubium faciebat hoc in caſu, quia reperitur facta ad novennium, & eſt de bonis Eccleſiæ, undè videbatur facta contra diſpoſitionem Extravagantis Pauli Secundi, & augebatur dubietas ex eo, quòd fuit reſervatum beneplacitum Sedi Apoſtolicæ per partes, & tamen non conſtat interveniſſe.

Quibus tamen non obſtantibus, Domini reſolverunt, 9
validam eſſe hac ratione, quia prohibitio alienationis ultra triennium, de qua in dicta Extravaganti, intelligitur reſpectu bonorum, quæ ſingulo anno colono reſpondent de integro fructu, non reſpectu Caſalium diſtrictus Urbis, quæ notum eſt intra novem annos, & non priùs trinam fructuum reſponſionem dare, quo fit, ut hoc in caſu novennium pro triennio reputetur, ſtante quòd triennium capiatur pro tribus recollectis, Cov. *var. lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 6. & in terminis fuit deciſum in illa Romana reſciſſionis contractus 28. Novembris 1580. coram Sanctiſſimo.

Non obſtante dixerunt Domini, quòd partes reſer- 10
vaverint beneplacitum Sedis Apoſtolicæ. Quia fuit facta talis reſervatio ad abundantem cautelam, credentes illud neceſſarium fore. Undè inducta ad unum finem, & effectum, contrarium ejus operari non debent, *l. qui hominum, ff. ſol. matrim.* & *l. ſi certis, C. de pact.* Nec reſervatio beneplaciti in contractu, quem partes putabant invalidum ſine tali confirmatione, ipſum contractum invalidum reddit, ubi aliàs contractus ipſe abſque tali reſervatione ſit validus, *l.* 3. *ff. de teſtam. mil. cap. bono de elect.* Felin. *in cap. Cum ordinem col.* 2. *circa med. de reſcript.* Creſcent. *deciſ.* 189. Sed hæc hactenus.

CONSULTATIO CCXXIV.

CUm Sac. Congreg. Concilii, & aliquando etiam 1
Sac. Congreg. Epiſcoporum, ac Regularium negotiis præpoſita Canonicis de eorum Eccleſia benemeritis ſoleat concedere indultum his verbis conceptum: *Sac. Congreg. Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum; authoritate, &c. attenta relatione Eminentiſſimi Titularis benignè indulſit, ut Orator laudabili ſervitio quadraginta annorum de ſua Eccleſia optimè meritus, officiis divinis intereſſe in poſterum minimè teneatur, & nihilominus fructus omnes ſui Canonicatus, nec non diſtributiones quotidianas percipiat, non ſecus, ac ſi omnibus officiis divinis perſonaliter intereſſet.*

Vel ita. *Sacra Congregatio cenſuit, concedendam eſſe* 2
petitam Jubilationem, attenta gravi ætate ſeptuaginta trium annorum, & laudabili ſervitio quadraginta duo annorum præſtito, nec non relatione Ordinarii.

Sive hoc modo: *Ponderatis ſervitio triginta anno-* 3
rum, ætate ſeptuaginta octo annorum, morbis, & aliis qualitatibus N. N. Canonici, benignè indulſit, ut diebus ferialibus intereſſe non teneatur choro, & nihilominus percipere poſſit redditus, & diſtributiones quotidianas, ita tamen, ut diebus dominicis, ac feſtis intereſſe non omittat.

Aut in hunc tenorem: *Attenta relatione Epiſcopi,* 4
&c. benignè indulſit, ut, veris exiſtentibus narratis, orator ſenio confectus, ac diuturno & laudabili ſervitio de Eccleſia benemeritus, a ſua reſidentia poſſit in poſterum abeſſe, & nihilominus fructus omnes ſui Canonicatus percipere, necnon & diſtributiones quotidianas, non ſecus ac horis omnibus divinis perſonaliter intereſſet.

Cumque hujus gratiæ plenarium effectum, qui illam obtinent consequi nequeant ob difficultates, quæ ab aliis Canonicis in dies excitantur, ideò pro earum resolutione quæritur,

An iis debeantur distributiones, quæ manualiter distribuun-
1 *tur Canonicis, processionibus, ac divinis officiis in nocte Natalis Domini nostri Jesu Christi, & in festivitatibus titularis Ecclesiæ interessentibus?*

2 *An ipsis debeantur distributiones, quæ distribuuntur inter interessentes Capitulis, quales sunt laudemia, & quindennia, non obstante quadam prætensa consuetudine ejusdem Ecclesiæ, quod non dentur infirmis?*

3 *An iidem participare debeant de distributionibus, quæ ob aliorum absentiam Canonicis interessentibus accrescunt?*

4 *An saltem pro tempore, quo personaliter inserviunt participare debeant de hujusmodi augmentis, sive accrescentiis, prout alii interessentes participant?*

5 *An ipsis absentibus dari debeant distributiones anniversariorum?*

6 AD primum. Cùm ex indulto Canonicus participare debeat de omnibus distributionibus sui Canonicatus non secus, ac si personaliter omnibus divinis officiis interesset, & quamplurium Ecclesiarum, præsertim Urbis consuetudo, & S. M. B. Pius V. Constitutione sua 41. omnes, & quoscunque fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta quæcunque in quibusvis rebus consistant, ad Capitulum & mensam earundem communiter spectantia, & pertinentia applicaverit, & assignaverit distributionibus quotidianis distribuendis, ac dividendis inter Canonicos, divinis officiis interessentes, sequitur propterea, quod Canonicus habens indultum participare debeat de distributionibus, sive sint pro publicis supplicationibus, sive pro aliis divinis officiis quovis anni tempore distribuantur, ea nempè ratione, quod ex præfata Constitutione B. Pii V. omnes sunt distributiones quotidianæ inter interessentes divinis officiis dividendæ, & ex communi massa proveniunt, ut probat Monet. *de distrib. part.* 2. *quæst. tertia numer.* 14. & Corrad. *de dispens. lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 18.

7 Ad secundum. Cùm omnes fructus, jura, obventiones, & emolumenta dictarum Ecclesiarum sint in distributiones quotidianas redacta, dubitari nullo modo potest, quin indultum tribuens Canonicis omnes distributiones quotidianas, ista quoque emolumenta comprehendat, illaque lucrentur, licèt Capitulis non interveniant, sicut ea lucrantur, quamquam divinis officiis non interfint, cùm sub nomine divinorum officiorum veniant etiam Capitula, quibus propterea sunt applicatæ distributiones, quæ solis divinis officiis interessentibus tàm de jure, quàm ex præfata Constitutione debentur, ut benè probant Monet. *d. quæst.* 3. *numer.* 14. Garz. *de benef. part.* 3. *cap.* 2. *num.* 549. & D. Fagnan. *in cap. licet num.* 171. *de præb.* Capitula enim fiunt propter servitium Ecclesiæ, & cultum divinum, & ideò permittitur in eis fieri distributio alicujus redditus massæ ex resolutione Sac. Congregationis apud Monetam *loc. cit.* nomenque generale jurium, obventionum, & emolumentorum comprehendit quamcunque speciem reddituum, provenientium ex quocunque modo, etiam ex facto hominis, uti sunt funeralia, & oblationes, atque ex sigillo, ac similibus, Gratian. *discept.* 867. *numer.* 30. & 31. Quinimmò si Canonicis, qui habent indultum, debentur distributiones, quæ dantur interessentibus in choro, & horis Canonicis, multò magis debentur eæ, quæ conceduntur interessentibus Capitulis, inter quos dividuntur laudemia, & quindennia, cùm officium magis principale sit officium chori, & cultus divini, quàm officium assistendi Capitulis, ut rectè observat Garz. *num.* 550. *loc. alleg.*

8 Et ita, ut non obstet prætensa contraria consuetudo, quòd infirmi non lucrantur distributiones in processionibus, ac festivitatibus prædictis, neque laudemia, & quindennia in Capitulis, & sic neque eas debeant lucrari Canonici habentes indultum ob diuturnum servitium.

9 Nam primò, debet legitimè probari, non quidem ex fidibus, & attestationibus extrajudicialibus, Rot. *decis.* 97. *numer.* 10. & 11. *par.* 8. *recent.* Deindè ejusmodi consuetudo esset contra jus, scilicet contra textum *in cap. unic. de Cler. non resid. in* 6. in quo conceduntur hujusmodi distributiones infirmis, prout etiam in dicta Constitutione B. Pii V. §. *qui verò.* Contra autem jus commune requiritur consuetudo præscripta spatio quadraginta annorum, Monet. eodem in loco *quæst.* 12. *nu.* 2. Rot. *decis.* 11. *num.* 8. *part.* 8. *recent.* & in aliis passim, & quòd fuerit obtenta in contradictorio judicio, quodque verisimiliter devenerit ad notitiam, & frequenter id contigerit ex latè traditis a Rot. *decis.* 177. *num.* 5. *par.* 5. *recent.* Et semper debet esse rationabilis per textum *in cap. fin. de consuet.* Cùm consuetudo, quæ non est rationabilis cursu temporis non firmetur, Rot. *decis.* 265. *num.* 24. *d. par.* 5. Immò amittit nomen consuetudinis, ut notat Rub. *ad decis.* 217. *numer.* 411. *p.* 9. *recent. tom.* 1. Non est autem rationabilis consuetudo privandi infirmos dictis distributionibus cùm adversetur utilitati Ecclesiæ, ut probatur *ex cap.* 1. *de Cler. ægr.* ibi: *Quia si alii essent ejus exemplo deterriti, forte non posset, qui militaret Ecclesiæ, inveniri.* Et ideò Sac. Congregatio Concilii Tridentini censuit, non esse confirmandum, uti irrationabile, statutum adimens infirmis dictas distributiones, etiam quæ veniunt per jus accrescendi, ut testatur D. Fagnanus *in d. cap. licet de præb.* & consuetudinem in his terminis reprobat Rota *decis.* 392. *numer.* 5. & *decis.* 1129. *numer.* 8. & 9. coram Pegna. Ideoque tanquam irrationabilis, & contra æquitatem non debet attendi, Eug. *cons.* 53. *num.* 47. & *seq. lib.* 2.

Præsertim cùm sit inducta in præjudicium particula- 10
rium, & in propriam utilitatem inducentium, ut proindè præsumatur irrationabilis, & nullius valoris, Aret. *in cap. sicut, col.* 3. *de prob.* Host. & Butr. *in cap. postulasti de for. comp.* Prob. ad Monach. *in cap. Romana de suppl. neglig. Prælat.* ubi ait, ab hujusmodi consuetudine posse appellari quandocumque stante præcipuè decreto irritante *d. c. un.* & Constitutionis Pianæ, quòd irritat ab initio quicquid in contrarium agitur Gonzal. *ad reg.* 8. *glos.* 67. *n.* 12. Rot. *dec.* 149. *n.* 4. *p.* 2. *div.* & *dec.* 31. *n.* 7. *p.* 5. *rec.*

Et in omnem casum non potest extendi ad eos, qui 11
gaudent indulto ex causa longi servitii præstiti, quanquam in favorabilibus infirmo æquiparentur, cùm consuetudo non extendatur ad similia, & æquiparata, Rot. *dec.* 498. *numer.* 7. *in fin. par.* 1. *recent.* Neque etiam ex identitate, vel majoritate rationis, Rota in Majoricen Canonicatus 25. Junii 1657. coram Meltio §. *hinc etiam*, dum præsertim agitur de consuetudine irrationabili, & minùs æqua, quæ quod fieri potest, debet restringi, Rot. *decis.* 497. *numer.* 7. *par.* 1. *recent.* Et pro Ecclesiis Urbis obstaret ampliùs decretum irritans appositum in d. Constitutione Piana, ex quo omnis contraria consuetudo irritatur, Rot. *dec.* 6. *nu.* 3. coram Buratto, & *decis.* 202. *num.* 24. *par.* 9. *recent.*

Postremò quia non versamur in indulto concesso ex 12
causa infirmitatis, sed ob promerita diuturni servitii quadraginta annorum. Differt namque indultum ex causa impedimenti, & ex causa meritorum. Veterani enim ob servitium diuturnum eximuntur ab ulteriori onere, & retinent integra beneficia cum quiete & pace, ut est textus *in l.* 1. *C. de veter. lib.* 12. cujus dispositio militat etiam in Clericis, qui dicuntur milites cœlestis militiæ juxta Gloss. *in l. miles, ff. de re jud.* & ex pluribus firmat Monet. *d. p.* 2. *q.* 12. *num.* 62. qui *q.* 7. *nu.* 21. meminit statuti, sive Constitutionis synodalis pro veteranis beneficiatis in Cæsaraugustano Archiepiscopatu, non obstante quavis consuetudine, sive Constitutione. Certum autem est, consuetudinem non extendi a persona ad personam, neque a casu ad casum, neque a re ad rem. Rot. *ded.* 67. *num.* 22. & *dec.* 278. *numer.* 11. *par.* 8. *rec.* & *dec.* 411. *nu.* 8. & 9. *par.* 9. *tom.* 2. Maximè autem quando consuetudo est contra jus, Doctores *in l. quod non ratione*, & *in leg. de quibus, ff. de legib.* Archid. Gemin. Franch. & alii *in cap. fin. de consuet. in* 6.

Quod etiam declaravit S. Congregatio Concilii. Nam 13
cum anno 1659. ob servitium quadraginta annorum concessisset indultum D. Canonico Mario Maffeo, licèt sub die 15. Januarii 1661. declarasset, ipsi deberi ea omnia, quæ infirmis Sacræ Basilicæ Vaticanæ debentur, tamen sub die 28. Maji ejusdem anni censuit, non obstante decreto præfato sub die 15. Januarii, frui debere jubilationis indulto ad formam anterioris decreti sub die 27. Septembris 1659. his verbis: *Die* 28. *Maji* 1661. *Sacra &c. censuit, Marium Maffeum Sacrosanctæ Vaticanæ Basilicæ Decanum, non obstante decreto S. Congregationis sub die* 15. *Januarii proximè præteriti emanato frui debere jubilationis indulto ad formam anterioris decreti ejusdem Sac. Congregationis emanati sub die* 27. *Septembris* 1659. *sequentis tenoris. Sacra &c. authoritate sibi attributa &c. benignè indulsit, ut Orator Marius Maffeus Sacrosanctæ Vaticanæ Basilicæ Canonicus facta probatione coram Eminentissimo ejusdem Archipresbytero circa prænarratam diuturnitatem laudabilis servitii, percipere valeat fructus omnes dicti sui Canonicatus una cùm distributionibus quotidianis, & aliis quibuscunque*

emo-

emolumentis, etiamsi choro non interfit, non secus ac si omnibus horis divinis personaliter interesset.

14 Ad tertium. Canonicis indultum habentibus, prout aliis verè interessentibus, dandum esse incrementum portionum absentium, dicendum videtur. Etenim in materia juris accrescendi, cùm sit jus reale, portio accrescit portioni, non autem personæ. Quia portio est illa, quæ portionem ad se trahit, *l. si Titio 39. §. 1. ff. de usufr.* Bellon. *de jur. accresc. cap. 7. quæst. 74. numer. 3.* Sicut ergo portio principalis distributionum debetur iis, qui habent indultum, quamquam non intersint divinis officiis, ita hæc, quæ assumit naturam portionis, cui accrescit. Jo: Andr. *in cap. Cum in tua num. 3. & 4.* ibique Gemin. & Franch. *de consuetud. in 6.* & in specie firmat D. Fagn. *in cap. cum percussio a num. 28.* & præcipuè *num. 31. de Cler. ægr.* ubi in fine testatur ita censuisse S. Congregation, Concilii, & *in d. cap. Licet, num. 138. ac seqq. de præb.*

15 Et sanè cum hujusmodi accretio proveniat ex natura earundem distributionum, quæ certo corpori sunt destinatæ, Gloss. *in Clem. 2. v. suspensus de vit. & honest. Cler.* Garz. *de benef. part. 1. cap. 5. numer. 208. & 225.* Rot. *dec. 500. num. 1.* coram Coccino, competit profectò etiam absenti. Quia ex indulto pro interessente habetur, cum in jure accrescendi, quod a jure dependet, in nihilo differat qui habet indultum a verè interessente, & ficta præsentia veræ æquiparatur, ut tradunt Bald. *in l. un. §.* ubi autem *num. 10. C. de caduc. tol.* Cæphal. *cons. 60. num. 11.* Bellon. *loc. cit. cap. 7. quæst. 61. num. 203.* & D. Fagnan. *in d. cap. Cùm percussio num. 29. & seqq.*

16 Eoque magis, quia non agitur de indulto odioso, sed favorabili ob diuturnum nempè servitium Ecclesiæ præstitum, ut declaravit Gregorius XIII. teste Barbosa ad Concil. Trid. *sess. 24. cap. 12. de reform.* Quod propterea debet extendi, non autem restringi, adeòut instar militis veterani, *qui tamdiu inservit nullo munere personali detentus post labores suos perenni quiete perfruatur*, sunt verba dicti textus *in l. 1. C. de veter. lib. 12.* Dicitur enim Ecclesiæ per gloriam adhuc inservire qui post diuturnum servitium senio confectus ex licentia Summi Pontificis quiescit, Gratian. *discept. 166. numer. 1. cum seqq.*

17 Et ita censuisse S. Congregationem Concilii patet ex sequenti declaratione. In Romana. *Sacerdoti Andreæ Petronillo, Canonico S. Mariæ Transtiberim in ætate octuaginta annorum constituto, & qui ultra quadraginta annis eidem Ecclesiæ inservivit, fuit ab hac S. Congregatione concessa jubilatio cum solita clausula non secus ac si divinis personaliter interesset. Cumque plures ex Canonicis renuant admittere ad portionem punctaturarum, ut vulgò dicitur; Crescenti, ideò supplicatur pro declaratione. Die 13. Maji 1651. Sacra &c. inhærendo, &c. censuit, Oratorem percipere debere etiam portionem accrescentem ex punctaturis non inservientium perinde ac si personaliter divinis interesset.*

18 Quod quidem verum puto, præcisa tamen consuetudine, quæ in contrarium viget in Basilicis, & Collegiatis Urbis, qua extat indultum, ut beneficiati habentes indultum a S. Congregatione non participent de hujusmodi punctaturis. Ita nominatim servatur in Ecclesia S. Petri, S. Mariæ Majoris, S. Laurentii in Damaso, & S. Marci. Consuetudo autem Ecclesiarum semper est servanda, *cap. fin.* cum ibi notatis, *de consuet.* Præcipuè dum congruit rationi. Rationabile quippè est quod qui habet indultum, & non potest perdere, aut facere jacturam, cum nunquam possit punctari, neque etiam lucrum facere possit ex punctaturis aliorum, cum commodum & damnum in omni materia debeat esse reciprocum.

19 Accedit, quod indultum hoc, sicut quodlibet aliud, quod Sac. Congregatio elargitur iis, qui spatio quadraginta annorum inservierunt Ecclesiæ, non est fundatum in solo merito considerato *l. a muneribus, ff. de mun. & honor.* Quia hujusmodi lex promulgata favore militum armatæ militiæ, non suffragatur Clericis beneficiatis, ut volunt Navarrus, Macignus, & alii, quos sequitur Bonacin. *de hor. can. disp. 2. quæst. 5. punct. 6. num. 15.* sed innititur etiam malæ valetudini beneficiati, qui attenta ætate requisita ad consequendum beneficium sacerdotale cum tempore servitii præstiti reputatur septuagenarius vel ferè, & sic debilis ac infirmus, & morti proximus juxta illud Psalm. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Si autem in potentatibus octuaginta anni.* Unde indultum dicitur concessum causa commiserationis. Commiseratio autem debet præservare a damno, non parare lucrum, præsertim cum præjudicio tertii; alioquin respectu tertii esset iniquitas. Et qui habet indultum est tractandus tanquam infirmus. Infirmi autem non participant de hisce punctaturis.

Ad quartum. Nullam difficultatem habet. Indultum 20
enim non reddit qui illud habet deterioris conditionis, & quando actu inservit, tunc reputatur, ut quilibet alius Canonicus, & potest uti jure communi, quod per indultum, nisi quatenus ipse velit, non amisit, cùm favor in odium retorqueri non debeat, juxta textum *in l. 3. ff. de milit. test.* & in terminis docet Fontanel. *decis. 457. num. 17. & seqq.* ac generaliter Rot. *dec. 437. num. 4. p. 9. recent.* Prætereà cum distributiones quotidianæ debeantur interessentibus tàm ex dispositione juris *in c. un. de Cler. non resid. in 6.* quàm ex dicta Constitutione B. Pii V. decreto irritante munita, nulla potest induci consuetudo, per quam habenti indultum non debeantur distributiones, dum verè, ac personaliter interest, prout debentur aliis Canonicis interessentibus. Sicuti neque etiam induci potuit, ut non dentur infirmis ob resistentiam præfati decreti irritantis, Rota coram Buratto *decis. 6. num. 3. & decis. 554. num. 27. tom. 3. & decis. 201. nu. 2. part. 9. recent.*

Ad quintum negativè. Cum enim Pontifex alicui con- 21
cedit privilegium, ut absens possit percipere distributiones quotidianas, virtute hujus privilegii non potest percipere mortuaria, neque anniversaria. Ita Covarr. *lib. 3. var. cap. 13. num. 1.* Felin. *in cap. ad aures num. 14. de rescript.* Anchar. *in Clem. un. de conc. præb. num. 41. & seq.* Add. ad Rot. *decis. 8. de præb. in nov.* Oldrad. *cons. 206. num. 1.* Cened. *quæst. pract. 1. num. 5.* Monet. *de distrib. part. 2. quæst. 14. num. 22.* Quia nomine distributionum quotidianarum non veniunt mortuaria, neque anniversaria, ut notant Azor. *tom. 2. lib. 7. cap. 7. quæst. 4.* Lapus *alleg. 34. & 36.* Navarr. *cons. 13. de Cler. non resid.* & declaravit Sac. Congregatio super Episcopis in Aquilana 27. Septembris 1659. his verbis: *Jubilatis absentibus non dantur distributiones anniversariorum.* Attendendus nihilominus est tenor jubilationis, juxta quem regulanda est ejus dispositio.

CONSULTATIO CCXXV.

OBiit in parochia S. Mariæ in Via lata, in qua de- 1
gebat, Comes Monsmartius, & sepultus est sine pompa funebri in Ecclesia Nominis Jesu Patrum Jesuitarum. Post aliquot dies Eminentissimus D. Cardinalis Chisius, cujus fabulo dictus Comes erat præfectus, in Ecclesia Sanctorum Apostolorum exequias funeris summa pietate prosequutus est, ea cum lege, ut medietas cereorum ex ejus liberali munificentia Parocho antedictæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ cederet. Quindecim exindè diebus quidam equorum domatores, quos ipse Comes formaverat, in eadem Ecclesia Nominis Jesu magistro suo justa funeris magnificè solverunt. Quæritur

An ex hoc funere præfato Parocho canonica portio, sive quarta, quæ funeralis dicitur, debeatur?

Affirmativè tenendum est. Quia, ut alibi dictum est, 2
funeralia dicuntur quæ occasione, intuitu, vel gratia sepulturæ obveniunt, *Cum liberum*, ibi: *Et beneficia, quæ occasione sepulturæ ipsius recepisse noscuntur cùm integritate restituant, & cap. in nostra eodem tit.* ibi: *Quæ ipsius sepulturæ intuitu receperunt, restituant*, & inferius: *quæ sepulturæ eorum, gratia receperunt, restituant universa*, & docent Alber. *in l. Servo alieno 16. §. ineptus numer. 13. ff. de leg. 1.* Frider. de Sen. *cons. 6. num. 2.* subdens etiamsi obvenerint præter voluntatem morientis, idque sive antequam corpus sit sepulturæ traditum, sive posteà, & usque ad trigesimum diem, & quamdiu fit memoria de funere, ut in hac specie Calder. *cons. 4. de sepult.* & alii, quos aliàs adduximus, & in casu, quo exequiæ post diem funeris fuerunt celebratæ cum maxima pompa, Sylvest. *in sum. v. Canonica portio numer. 15.* Card. Zabarel. *in Clem. Dudum §. Verum, v. tertiò quæro*, ubi acriter refellit, qui putant funeralia non dici, nisi quamdiù corpus est in funeribus extra terram.

Quod adeò verum est, ut si fiant exequiæ una die, 3
qua intorticia, & candelæ dentur, & die sequenti corpus sepeliatur, adhuc de dictis prima die elargitis, quarta debeatur. Quod solidè firmat Petr. de Ubald. *cap. 4. de canon. Paroch. numer. 18.* Vel si facto funere una die minus solemni, de quo etiam Parochus suam quartam habuerit, si die sequenti aliæ exequiæ celebrentur cum distributione, aut expositione pariter candelarum, & intorticeorum, sive circa feretrum sive in altaribus, sive alibi, ex iis quoque Parocho eodem integro jure quarta debeatur, sicut resolvit semel, atque iterum, partibus auditis die 3. Augusti 1621. & die 30. Martii 1724. Sac. Congregatio super Episcop. & Regul. per hæc verba:

ba : *Quæſtum fuit, utrum, ſi Parocho in die funeris data ſit ſola candelarum, & facum quarta, & deindè ſequenti die ſolemniori pompa, magno ſcilicet adhibito Religioſorum, Confraternitatum, & presbyterorum numero in alia Eccleſia, ubi mortuus ſepulturæ mandatus fuerat heſterna die, pro ejus anima ſolemnis Miſſa cantetur cum diſtributione candelarum, & intorticeorum in majori quantitate diei præcedentis, debeatur ex his quoque Parocho quarta ? In qua controverſia S. Congregatio, &c. ſemel ac iterum partibus hinc inde auditis die 3. Auguſti 1621. nemine diſcrepante cenſuit, deberi quartam Parocho ex funeralibus ſecundo loco factis*. Quam declarationem referunt etiam Lavor. *var. lucubr. cap. 3. a num.* 179. & Barboſ. *de offic. Paroch. part. 3. cap.* 25. *num.* 38. & deſumitur *ex cap. fin. de teſtam. can. quæſt. 13. quæſt. 2. cap. ad Apoſtolicam* 42. *de ſimon.* Quam doctrinam ſequuta eſt Sacra Rota Romana coram Eminentiſſimo Carpineo in Caſalen. quartæ funeralis 18. Junii 1660. *§. Itaque*, ubi firmatur, quod ad hunc effectum non attenditur abſolutè præſentia cadaveris, ſed occaſio oblationum, ex quibus ſi in memoriam funebrem tendant, quarta debetur uſque ad trigeſimum diem. Idque licèt animus fraudandi non intervenerit. Nam fraus in propoſito non contingit ex machinatione, ſed ex ipſo damno, *l. 1. §. ſi quis, ff. ſi quid in fraud. l. ſi quis cum aliter* 36. *ff. de dol. mal. exempt.* & traditur in eadem Rotæ *dec. §. Idque licet.*

4 Non obſtat, quod ejuſmodi funeris juſta perſolverint extranei in honorem potiùs ſui magiſtri, non pro ſepultura, quodque Parochus debeat eſſe contentus illa Canonica portione, quam ab Eccleſia Sanctorum Apoſtolorum acceperat, ac demum quod non fuerint funeralia, quia funeralia ſunt illa, quæ cum funere deferuntur, minuſque de deſcriptis a Gloſs. *in d. Cl. Dudum, v. funeralia §. Verum*, Petr. de Ubald. *loc. cit. cap. 13. num.* 10. & latè Paſſarin. *de hom. ſtat. quæſt.* 187. *numer.* 489. Unde B. Pius V. in ſua Conſtit. declaravit, hujuſmodi quartam debere ſolvi de iis, quæ offeruntur in die funeris, ut apud Barboſ. *d. cap.* 25. *numer.* 36. Nec poteſt pro iſto jure Eccleſia parochialis cogere hæredes defunctorum, qui ſepulti ſunt extra parochialem ad iterum celebranda funeralia, Rot. *dec.* 473. *part. 3. rec.* Aliudque eſt dare pro defuncti ſepultura. Quæ enim dantur poſt funus & ſepulturam, non dantur pro ſepultura, ſed pro anima defuncti, ut per Doctores apud Paſſar. *d. loc. num.* 493.

5 Nam primum diluitur ex Statuto Cleri Romani *de funeralibus cap.* 4. *§.* 1. cujus verba alibi adducta hic repetimus ob quorundam pertinaciam. *Omnia intorticia, vel faculæ, quæ in ipſo funere accenduntur, ſive circa feretrum, ſive ante, ſive retro deferantur, ſive intra Eccleſiam, ſive extra illam, ſive ab hæredibus defuncti, ſive a quocunque alio, etiamſi a Capitulis, a ſodalitatibus ſæcularium in honorem defuncti, ſeu alio quovis prætextu accendantur ad Eccleſiam parochialem abſoluto funeris officio, ſpectent.* Hæc verba ita ſunt perſpicua, ut non indigeant interpretatione, ſed lectione tantùm. Unde cùm funeralia dicantur, ſive celebrata fuerint expenſis hæredum, ſive aliorum quorumcunque, & quarta funeralis debeatur Eccleſiæ parochiali de omnibus obventionibus ratione funeris ab Eccleſia ſepeliente, *cap. 1. de ſepult. d. Clem. Dudum, §. Verum eod. tit. & d. Statut. Cler. Rom. in cit. cap. 4. §. 2.* nihil refert, an ab hærede factæ ſint expenſæ funebres, vel ab aliis, quibus competeret actio funeraria contra ipſum hæredem, *l. & ſi quis 14. §. hæc actio, ff. de relig. & ſumpt. fun.* Nam Parochiali Eccleſiæ competit conditio ex canone contra Rectores Eccleſiæ tumulantis, non verò contra hæredem defuncti, Petr. de Ubald. *loc. cit. cap. 3. num. 2. eod. tit. num.* 56. & proſequitur Barb. ubi ſupra *num.* 17. & 32.

6 Secundum depellitur tum ex eo, quod ejuſmodi canonica portio non debetur, niſi ab Eccleſia tumulante, ut dictum eſt, & tradit etiam Innoc. *in cap. relatum, & in cap. requiſiſti de teſtam. & in d. cap. in noſtra de ſepul.* Zech. *de republ. Eccleſ. cap.* 28. *num.* 17. Menoch. *lib. 1. præſumpt.* 109. *num.* 56. Rodr. *tom. 1. quæſt. reg. 39. art.* 2. ac decrevit S. Congregatio ſuper Epiſcop. in Acheruntina 12. Junii 1638. in qua cenſuit ad ſolutionem quartæ funeralis non teneri hæredes, vel exequutores teſtamentarii, ſed Rectores Eccleſiæ, in qua defunctus extra ſuam parochialem ſepelitur. Tum ex eo, quia cùm hujuſmodi quarta competat Parocho de jure, quidquid ex mera liberalitate Eminentiſſimi Cardinalis Chiſii Parocho obvenerit occaſione exequiarum, quæ celebratæ fuerunt in Eccleſia Sanctorum Apoſtolorum, quæ aliàs quartam ſolvere non tenebatur, dicitur factum præcipuè in favorem Parochi, nec poteſt computari in quartam de jure debitam ab Eccleſia tumulante, ne dicatur ex aliena liberalitate illum jus commune amiſiſſe, *cap. quod ob gratiam de reg. jur. in 6. l. quod favorem C. de legib.* & Rot. *dec. 17. num. 5. part. 9. rec.* Aliàs quod inductum fuit ad auctionem, operaretur diminutionem adverſus Parochum contra *l. legata inutiliter, ff. de leg. præſt.* Surd. *deciſ.* 195. *numer.* 5. Quod in fortioribus terminis firmat Covar. *in cap. officii, de teſt. num. 3.* ubi ait, quod legatum factum a teſtatore Eccleſiæ parochiali non ſit compenſandum cum quarta funerali debita ab Eccleſia, in qua ſibi ſepulturam elegerat.

Tertium exploditur tum ex declaratione S. Congrega- 7
tionis ſuperius relata. Tum quia funeralia dupliciter dicuntur, vel quia funus comitantur, vel quia cauſa funeris offeruntur, ut rectè diſtinguendo docent Paulus, & Laurentius, quos ſequitur Zabarell. *loc. cit.* Cætera, quæ contra adducuntur mera parerga ſunt, ac proindè non indigent reſponſione.

Et ita tum ex hiſce rationibus, tum ex aliis adductis 8
a D. Hulderico Nardo Cleri Romani olim Camerario Parochus prædictæ Eccleſiæ S. Mariæ obtinuit medietatem totius funeralis, ſive exequiarum hujuſmodi per acta Pipini Notarii Eminentiſs. D. Cardinalis Vicarii ſub menſe Octobris 1673.

CONSULTATIO CCXXVI.

An acceptatio legatorum pro certo numero Miſſarum annualium, ad quorum celebrationem fructus relicti non ſufficiunt, & nomine Fabricæ S. Petri interpellantur Legatarii, an velint illa legata acceptare, & ipſi reſpondent, ſe velle acceptare animo obtinèndi introductionem, ſit de jure admittenda ?

NEgativè reſpondendum videtur. Quia cum hæc 1
onera ſint pacto firmata, debet pactum ſervari, *l. 7. §. Prætor, ff. de pact. & l. 1. ff. depoſit. & l. 1. ff. de verb. ſignif. ac l. pen. Cod. de pact. & cap. 1. & 2. eod. tit.* Quemadmodum enim eſt in cujuſque poteſtate paciſci, vel non paciſci, ita, ſequuto pacto, non eſt amplius alicui liberum venire contra pactum, *l. per fundum, ff. de ſervit. ruſtic. præd. & l. 14. C. de re rei vindic. & l. poſt mortem ff. de pact.* ubi Doctores communiter.

Nihilominus verò affirmativè reſolvendum eſt. Quo- 2
niam etſi liberè interpoſitum ſit pactum ſuper onere Miſſarum, quatenus nemo ad paciſcendum compelli poteſt juxta *l. diem, §. ſtare autem, ff. de recept. arb.* Quia tamen hujuſmodi pactum tendit in præjudicium ſucceſſorum Eccleſiæ, cùm operetur, quod publici miniſtri non habeant ex miniſterio offerendi Sacrificium congruam ſuſtentationem, quæ illis debetur ratione hujus muneris, ideò eſt capax reductionis, quatenus non debet permitti, quod privatorum pactis publica utilitas mutetur per textum *in l. 2. §. Sed quia veremur, C. de juram. calum.* & notant ibi Doctores, Ruin. *conſ.* 10. *num.* 5. Fulgoſ. *conſ.* 29. Cæphal. *conſ.* 375. Plot. *conſ.* 198. *num.* 51. & Pariſ. *conſ.* 69. *num.* 111. *lib. 3.*

Hiſque adiicitur, quod decreta S. Congregationis Con- 3
cilii *de celebr. Miſſar.* requirunt, quod Miſſæ perpetuæ habeant congruum emolumentum, quod oneri correſpondeat, ut diligenter eidem oneri ſatisfiat. Et ideò ſi conventio non ſit conformis prædictis decretis, non ſolùm non habebit juris aſſiſtentiam, ſed potiùs lex conventioni reſiſtet. Unde ceſſat regula, innixa juri naturali, & quod pacta ſint ſervanda, quia cùm aliquo modo lex reſiſtat, in ea non comprehenduntur, *l. a Divo de rit. nupt. & l. non dubium, C. de legib.* & notant Baldus, ac cæteri *in l. nemo poteſt, ff. de leg. 1.* Vivius *deciſ.* 369. *num.* 13. *tit.* 3. Ac proindè hujuſmodi pacta, exigente id publica utilitate, reduci debent ad æquitatem ac debitos terminos.

Et ita declaravit in hac ſpecie S. Congregatio Con- 4
cilii in Romana die 16. Januarii 1644. nempè acceptationem hujuſmodi eſſe de jure admittendam. Objectio autem locum habet ubi onus Miſſarum ex conventione eſſet æqualiter compenſatum, non verò ubi inæqualiter.

CONSULTATIO CCXXVII.

CUm Sacra Congregatio Concilii Tridentini in An- 1
conitana eleemoſynæ ſub die 11. Junii 1664. cenſuerit, ac declaraverit pœnas præſcriptas in ſecundo ex decretis generalibus *de celebrat. Miſſar.* aliàs per eandem Sac. Congregationem editis, nimirum : *Deindè ubi pro pluribus Miſſis etiam ejuſdem qualitatis celebrandis plura ſtipendia quantumcunque incongrua, & exigua, ſive ab una, ſive a pluribus perſonis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Eccleſiis, Capitulis, Collegiis, Hoſpitalibus, Societatibus, Monaſteriis, Conventibus, Congregationibus, domibus, ac locis piis quibuſcunque tàm ſæcularibus,*

ribus, quàm regularibus, Sac. Congregatio ſub atteſtatione divini judicii mandat, ac præcipit, ut abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint, itaut alioquin ii, ad quos pertinet, ſuæ obligationi non ſatisfaciant, quinimmò graviter peccent, & ad reſtitutionem teneantur, eſſe referendas ad quartum, quod eſt hujuſmodi: *Ac ſimiliter omne damnabile lucrum ab Eccleſia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna eandem Miſſam alteri, parte ejuſdem eleemoſynæ ſibi retenta, celebrandam committat*, & in eo repetitas intelligi.

2 Verùm ne ex hac declaratione aliqui Sacerdotes anſam fortè ſumant opinandi, ipſum quartum decretum impune violari poſſe, ideò quæritur, cuinam reatui, atque obligationi Sacerdos adverſus dictum quartum decretum committens, ſubjaceat, non quidem ex vi præcedentis ſecundi decreti, ſed ex malitia actus in ipſo quarto decreto prohibiti.

1 *An ſcilicet peccet mortaliter?*
2 *An muneri ſui ſatisfaciat? Et*
3 *An ad reſtitutionem teneatur?*

3 Et quidem non poſſe Sacerdotes tàm ſæculares, quàm regulares unica Miſſa ſatisfacere obligationi celebrandi contractæ ex pluribus ſtipendiis acceptis deſumitur ex obligatione mutua, quæ conſurgit inter Sacerdotem, & dantem ſtipendium. Qui enim dat ſtipendium pro Miſſa, ſicut exequitur ſuam obligationem ſubminiſtrandi ſuſtentationem mediante ſtipendio, ita exigit a Sacerdote, quod ſe obliget ad miniſterium ſacrificii, & cum effectu obtineat fructum medium ipſius. Certum autem eſt, quod exigens celebrari Miſſam, aut dans ſtipendia pro pluribus Miſſis, intendit, quod ad participandum in illa Miſſa nullus alius admittatur quoad fructum medium, & quod taliter juxta ſuam intentionem celebrentur tot Miſſæ, quot dedit ſtipendia abſque eo, quod admittantur alii in fructu, qui ſolet applicari. Igitur ſi Sacerdos id non ſervat, non ſatisfacit propriæ obligationi.

4 Hæc eſt communis ſententia, quam præ cæteris tuentur Suar. *diſp. 86. de Euchar. ſect. 2. concl. 4.* Vaſquez 1. *part. diſp. 234. cap. 4. num. 7.* & Bellarm. *lib. 2. de Miſſ. cap. 4. propoſ. 4.* Quinimmò graviter peccet, & ad reſtitutionem tenetur. Quibus verbis S. Congreg. non præcipit reſtitutionem, ſed declarat, cùm ejuſmodi reſtitutio fieri debeat ex natura, ſecluſo quocunque decreto juris poſitivi. Quia quotieſcunque læditur juſtitia cum damno alterius, inſurgit obligatio reſtituendi. Non implens autem onus celebrando tot Miſſas, quot ſunt ſtipendia lædit juſtitiam. Quia non implet id, ad quod ex juſtitia tenetur, & eſt cum damno alterius, quia non exhibetur danti ſtipendium, quod ipſe intendit, & eidem debetur. Et hæc quidem perſpicua ſunt.

5 Solùm igitur difficultas eſt circa quartum decretum ejuſdem Sac. Congregationis. Et ad primum Bordon. *in conſ. Regul. reſol. 25. num. 28.* aſſerit, quod retinens, ſibi partem ſtipendii ſive minorem, ſive etiam majorem, non peccat mortaliter, ac proindè non tenetur ad reſtitutionem. Probat id primum, quia decreta *de celebrat. Miſſar.* non damnant opinionem, quod poſſit retineri pars ſtipendii, ſed ſolùm prohibent uſum illius. Ergo cum ſit prohibitio de re aliàs licita, non infert peccatum mortale, atque adeò neque obligationem reſtitutionis. Deindè, quia in decreto habetur tantùm ſimplex verbum, *prohibet*, quod eſt indifferens ad prohibitionem ſub peccato mortali, & ſub veniali, niſi accedat vel gravitas materiæ vel ex intentione legislatoris, qui velit graviter obligare. In præſenti autem non adeſt gravitas materiæ; quia cum ſtipendium attendatur ratione oneris, & obligationis, quam contrahit Sacerdos ad celebrandum, non fit ex hoc capite contra gravem materiam, dum retinetur pars ſtipendii. Item quantitas notabilis eſſe cenſetur, in qua infertur grave damnum. In hoc autem caſu nulli infertur damnum. Non illi, pro quo eſt celebrandum, quia æquè celebrat. Non celebrantis, quia voluntariè accipit ſtipendium ſecundum taxam. Neque adeſt intentio obligandi graviter. Quia non exprimitur hujuſmodi intentio, immò ex contextu aliorum oppoſitum colligitur. Nam retinens ſibi partem ſtipendii non habet juſtum titulum retinendi, & ideò lædit eum, in quem transfert. Nam quando Sac. Congregatio voluit obligare, adhibuit verba id exprimentia, qualia ſunt in dicto ſeundo decreto illa: *ſub obteſtatione divini judicii mandat, & præcipit*. Et rurſus: *ſuæ obligationi non ſatisfaciant, quinimmò graviter peccent, & ad reſtitutionem teneantur*. Unde cum non exprimant hanc gravitatem obligationis in hoc quarto decreto, dicendum eſt, noluiſſe eam inducere.

6 At quartus *in rubr. Miſſal. in append. quæſt. 4. punct. 1. diffic. 3. dub. 1.* ait, eſſe quidem peccatum mortale contra obedientiam, non autem contra juſtitiam, & ideò conſurgere obligationem reſtituendi.

Tenendum omninò eſt, Sacerdotem transferentem 7
onus celebrandi Miſſas in alium, retinendo ſibi partem ſtipendii, peccare mortaliter. Ita docent Averſa *quæſt. 11. de Euchar. ſect. 17. ad fin.* Lugo *de Sacram. lib. 5. cap. 12. quæſt. 7. num. 77.* ac Peyrin. *tom. 3. de privil. ad conſt. 9. Urbani VIII.* ac alii ferè communiter. Patet primò, ex eodem decreto S. Congregationis, in quo declaratur, finem hujus prohibitionis eſſe removere ab Eccleſia omne damnabile lucrum. Si enim lucrum eſt damnabile, oportet, quod ſit illicitum, ac proindè quod ejus prohibitio tum ex intentione, tum racione materiæ ſit gravis. Ex intentione, quia prohibitio ſub peccato tantum veniali non eſſet medium ſufficiens ad excludendum hoc damnabile lucrum. Ratione materiæ, quia illa eſt materia gravis prohibitionis, quæ graviter obſtat fini intento. Hoc autem damnabile lucrum graviter obſtat. Quia S. Congregatio intendit conſervare Eccleſiam, ejuſque miniſtros in exhibendis ſuis miniſteriis innoxios, & ab ipſis removere ea, quæ bonæ opinioni ipſorum adverſantur.

Secundo, ex natura rei. Nam retinens ſibi partem 8
ſtipendii non habet juſtum titulum retinendi, & ideò lædit eum, in quem transfert onus celebrandi Miſſas, ac eum, a quo accepit ſtipendium. Quia cum recipiens ſtipendium, ipſum non acquirat, niſi ratione obligationis ad offerendum ſacrificium, tanquam cum ipſa annexum, eo ipſo, quod abdicat a ſe obligationem, abdicat titulum retinendi ſtipendium, & retinendo facit contra voluntatem illius, qui dedit. Siquidem deſtinavit pro ſuſtentatione celebrantis, & non pro lucro alterius.

Ad ea, quæ adduxit Bordonus reſpondetur, in decre- 9
to S. Congregationis non ſolùm prohiberi uſum opinionis, quod poſſit retineri pars aliqua ſtipendii pro Miſſis, ſed etiam ipſam opinionem. Quod ſatis clarè deſumitur ex illis verbis: *Ac ſimiliter omne damnabile lucrum ab Eccleſia removere volens, prohibet, &c.* quibus declaravit retentionem partis ſtipendii eſſe lucrum damnabile, & ideò damnatum per prohibitionem. Si autem eſt damnabile, eſt etiam injuſtum. Quia ſi eſſet juſtum, non poſſet damnari, ſpectata ipſius natura: verbum autem illud *prohibet* in hoc caſu ratione ſubjectæ materiæ importat prohibitionem ſub mortali. Nam prohibet damnabile lucrum, quod ſimiliter eſt injuſtum, atque adeò prohibitum lege naturali. Conſtatque ex dictis, quomodo utrique fit injuria. Fit celebranti, quia in tantum voluntariè accipit ſtipendium diminutum in quantum non poteſt habere integrum, ad quod habet jus, tanquam annexum obligationi celebrandi. Fit petenti Miſſam, quia ſtipendium non datur ei, cui ex illius voluntate eſt deſtinatum. Ad quarti placitum reſpondetur ex dicendis in dubio ſequenti.

Ad ſecundum & tertium. Idem Bordonus *loc. cit. num.* 10
27. obſervat, quod antè decreta S. Congregationis, qui acceperat pingue ſtipendium, poterat facere celebrare per alium, exhibendo tantùm ſtipendium taxatum, & ſubdit hanc opinionem antè decreta fuiſſe communem. Quia nullibi fit injuria, dum datur taxatum ſtipendium, & retinendo ſibi partem ſtipendii, retinet quod ſuum eſt, cum acquirat dominium illius. Idque limitat, ut non habeat locum in ſimplici exequutione. Quia hic teneretur habere totum ſtipendium.

At nihilominus tenendum eſt, retinentem ſibi par- 11
tem ſtipendii, etiamſi exhibeat ſtipendium taxatum, teneri ad reſtitutionem, ac proindè non ſatisfacere ſuæ obligationi. Quia tunc contrahitur obligatio reſtituendi, quando læditur aliquis in jure ſuo, itaut ei non ſolvatur, quod eſt debitum. Dans autem pingue ſtipendium, totum dat intuitu oneris, quod imponit, & intendit dare intuitu tantùm miniſterii, non propter amicitiam, & ideò tranſit cum ipſo onere, & pertinet ad eum, qui onus adimplet. Ergo qui retinet partem ſtipendii, retinet id, quod de jure eſt debitum exhibenti miniſterium celebrandi, atque adeò non ſatisfacit ſuæ obligationi.

Hinc licèt detur ſtipendium congruum, & taxatum 12
celebranti, fit tamen ipſi injuria, quia non datur totum, quod ipſi debetur. Nam cum totus titulus acquirendi eleemoſynam pro celebratione, quantacunque illa ſit, tantum ſit ad ipſum, & nullo modo apud eum, qui eam primò accepit, quia dum non celebret, ſed in alium transfert onus, totus titulus, quem habebat, reſolvitur, dum ipſi non exhibetur integra eleemoſyna, non datur quod de jure eſt ipſi debitum, & ideo fit ipſi injuria. Unde nec retinens partem elemoſynæ retinet

tinet, quod ſuum eſt, quia transferendo onus celebrandi in alium, amittit jus ad totam eleemoſynam. Quare peccat contra juſtitiam, & proindè obligatur ad reſtitutionem.

13 Atque ita declaravit eadem S. Congregatio in dicta Anconitana eleemoſynæ ſub die 5. Julii 1664. cujus declarationem authenticè vidi, ac legi, & ex parte conſului, nempè, *Ad primum peccare mortaliter. Ad ſecundùm, negativè in caſu, & ad effectum, de quo agitur, hoc eſt non ſatisfacere muneri ſuo quoad diſtributionem eleemoſynæ, licet ſatisfaciat quoad ſacrificium Miſſæ. Ad tertium, affirmativè.* Undè non eſt ampliùs de hoc dubitandum.

CONSULTATIO CCXXVIII.

Præſuppoſito, quod Epiſcopus incœptam ordinationem die Sabbati ob promovendorum multitudinem, ea ipſa die concludere non valens, continuato jejunio, die Dominico ſequenti ordinationes proſequatur, quæritur,

An is Epiſcopus, qui etiam ex indulto Apoſtolico, quod vocant extra tempora, facultatem habet ordinandi Petrum in tribus feſtis diebus, valeat die Dominico ipſum Petrum in Diaconum ordinare, quem præcedenti die Sabbati ad Subdiaconatum promoverat? Et ſic ordinans in quas pœnas incurrat?

1 SUppoſita diſpoſitione Innocentii Tertii relata *in cap. literas veſtras, de temp. ordin.* ubi dicitur, non licere Epiſcopo aliquem præcedenti Sabbato, a ſe ordinatum in Diacono, ſequenti die Dominico, continuato jejunio, in presbyterum ordinare. Ac etiam ſuppoſito, quod Ordines ſacri ſolùm conferendi ſunt in Sabbatis quatuor temporum, aut Sabbato Sancto, aut Sabbato ante Dominicam Paſſionis, *can. quo die, can. ult. 75. d. cap. Eo, de temp. ordin.* Trident. *ſeſſ. 23. cap. 8.* negativè reſpondeo.

2 Nam dicta diſpoſitio procedit etiamſi continuato jejunio naturali ab Epiſcopo, & ab Ordinandis duobus diebus duos Sacros Ordines conferat Salzed. ad Diaz. *c. 25. lit. C.* & Barboſ. *in d. cap. literas num. 2.* cum aliis Doctoribus.

3 Non obſtat dictus unicus caſus, quando ſcilicet ob aliquod juſtum impedimentum Epiſcopus non potuit ordinationes explere in Sabbatis ſupradictis, ut voluit Gloſ. *in d. cap. literas, v. pertinere*, ibique Hoſt. Card. *num. 1.* Anan. *num. 3.* & alii Canoniſtæ, ac Doctores, quos videtur ſequi Diana *par. 1. tract. 15. reſol. 30.* Nam id verum eſt de jure antiquo. Tunc enim Sabbato celebrabatur ordinatio, atque etiam Miſſa in veſperè ejuſdem Sabbati præcedentis diem dominicum, itaut ex veſperè Sabbati, & manè dominici diei conſtituebatur dies unica. Et hoc pacto complebatur ordinatio in eodem die, ut notatur *in can. quod a Patribus d. 75* non autem de jure novo. Quia cum Sac. Concilium Trident. *ſeſſ. 22. in decret. de obſerv. & vit. in celebr. Miſſ.* decernat, quod celebretur horis debitis, & juxta rubricas præſcribatur, ne celebretur poſt meridiem, neque ante auroram, ut etiam decernit B. Pius V. in ſua Conſtitut. data ſub die 29. Martii 1566. ſequitur, quod non poſſit fieri conjunctio veſperè Sabbati cum manè diei Dominici in unum diem. Quia cum ſolùm in manè Sabbati, in quo poteſt celebrari, poſſit fieri ordinatio, ſi continuaretur collatio Ordinum in die Dominico, non celebraretur ordinatio in eodem die, ſed in pluribus. Si enim, ait Innocentius *in d. c. literas*, utrumque ordinem eodem die conferre illi non licuit, pari non licuit ratione unum Ordinem uno die, & alium altero, jejunio continuato, conferre, cum propter continuationem jejunii fictione canonica, ſive manè diei Dominicæ trahatur ad Sabbatum, ſive veſpera Sabbati ad diem Dominicum referatur, profectò manè cum veſpera, ſeu veſpera cum manè ad eundem diem pertinere dicetur. Nam ſi quantum ad hunc neceſſitatis articulum pertinet manè ad unum diem, & veſpera referuntur ad alium, cur eſſet continuatio jejunii neceſſaria, cùm Sabbato ante cœnam, & Dominicam antè prandium intelligantur eſſe jejunii.

4 Minùs obſtat indultum Apoſtolicum, quod ajunt extra tempore ob eandem rationem in textu expreſſam, ſcilicet quia cùm fictione canonica per continuationem jejunii Sabbatum, & Dominica cenſeantur unus dies, diceretur recepiſſe duos ordines ſacros eodem die, quod eſſet contra indultum dans facultatem ordinandi in tribus feſtis diebus. Et ita declaravit Sacr. Congreg. Concilii in una Beneventana 22. Martii 1659.

5 Quare Epiſcopus hoc modo ordinans ex ipſo jure ſuſpenſus a collatione illorum Ordinum, quos ſic contulit, id eſt utriuſque Sacri ſecundùm multorum ſententiam per *d. cap. literas*, ibi: *volumus manere ſuſpenſos*, Majol. *lib. 3. cap. 24. num. 13.* Barboſ. *ibi num. 4.* cum Alterio, & aliis Layman. *lib. 5. de ſacr. ord. cap. 10.* Contra tamen, quòd ea ſententia non ſit latæ ſententiæ, ſed ferendæ, tenent Suar. *de cenſur. diſp. 31. ſect. 1. num. 40.* Jo: Andr. Hoſt. Card. & Anan. *in d. cap. literas*. Recipiens verò ſic duos ſacros Ordines ſecundùm magis communem eſt ſuſpenſus ab exequutione poſteriùs recepti tantùm *d. cap. literas*, ubi eſt caſus de duobus ſacris, & *in c. 2. de eo, qui furtivè*, ubi permittitur miniſtrare in priori benè ſumpto. Et ita Majol. *lib. 3. cap. 24. num. 13.* Navar. *cap. 25. num. 71.* Suar. *d. ſect. 1. nu. 41.* Barboſ. *in d. cap. literas num. 5.* & de communi teſtatur Laym. *loc. cit.* Alii tamen dicunt, talem eſſe irregularem quoad omnes ordines. Ita Navar. *cap. 27. num. 241.* Tolet. *cap. 71. in fin.* Avil. *de cenſur. par. 7. diſp. 9. ſect. 1. dub. 4.* cum Angelo, & Sylveſtro, Majol. *lib. 4. cap. 11. num. 1.* Sed, ſtante prima ſententia ea eſt intelligenda, ut ſit ſuſpenſus ſolùm a poſteriùs ſuſcepto, ſi Epiſcopus non fecit prohibitionem ſub pœna excommunicationis ferendæ, ne quis accederet ad duos ſacros ſuſcipiendos. Si enim talis comminatio, ſeu prohibitio fuit facta, erit ſuſpenſus ab utroque Ordine per *cap. fin. de eo, qui furt.* Quia tunc ab initio accedens ea intentione, in utriuſque receptione deliquit. Adde, quòd ſi non ſit facta dicta comminatio, poteſt Epiſcopus diſpenſare, ut miniſtret in priùs ſuſcepto. Si autem facta eſt comminatio, ſolus Papa ſuper utroque, niſi Religionem ingreſſus; ibi laudabiliter aliquo tempore fuit converſatus, tunc enim Prælatus ejus ſuper utroque poteſt diſpenſare, & etiam, ut ulterius promoveri poſſit, *d. c. 2. & 3. de eo, qui furtivè*, Tolet. *ibid.* Sayr. *lib. 4. de cenſur. cap. 14. numer. 25.* Avil. *loc. cit.* Diaz. *d. cap. 25.* & alii.

CONSULTATIO CCXXIX.

An cultus funerum, & exequiarum fieri debeat juxta qualitatem, & facultates defunctorum?

INter cæteros chriſtianos ritus, quos de funeribus re- 1
cenſet eruditiſſimus Stephan. Durant. *lib. 5. de ritib. Eccleſ. Cath. cap. 23. a num. 10.* ex S. Scriptura, Conciliis & Patribus, illi præcipui ſunt, quòd mortui ſepeliantur diligenter, eorum exequiæ ornentur, & peragantur ex D. Clemente *ep. 1. ad Jacobum fratrem Dom.* ex Origene *lib. 5. & cap. 8.* contra Celſum, ex D. Hieronymo *lib. 1. ep. 25.* ad Paulam, ex D. Auguſtino *lib. 1. de Civit. cap. 13. & ſer. 34. de verb. Apoſt.* ubi ait; mortuos ſepeliendos pro cujuſque viribus.

Quòd corpora cum pompa deferantur, ſcribit S. Gre- 2
gorius Nazianz. *orat. 7. in laud. Cæſarii*, Buchiarius, qui tempore Auguſtini floruit *ep. ad Januar.* Victorinus Uticenſis *lib. de perſequut. Vandal.* & D. Thomas *2. 2. quæſt. 32.*

Quòd in nobilibus aureum velamentum ſuper fere- 3
trum, quo corpus obtegitur, apponatur, tradit D. Hieronymus *lib. 1. ep. 25.* Quòd ornentur etiam pretioſis veſtibus cadavera, teſtantur Origenes *lib. 1. com. in Job.* Euſebius *lib. 7. cap. 16.* Marcel. *lib. 1. cœrem. ſect. 15.* & Guich. *lib. 3. cap. 12.*

Circum funus, ut accenſa ſit multitudo luminum, 4
ſplendoremque ſibi etiam per diem vindicans, repercuſſo Solis radio, affirmant Euſebius *de vit. Conſtant. cap. 2.* Nazianzenus *inveſt. 2. contra Julian. & orat. 10. in laudem Cæſarii*, Conſtantius presbyter *in vit. S. Germani*, D. Chryſoſtomus *hom. 4. in cap. 2. ad Heb.* Gregorius Turonenſis *lib. 8. cap. 10.* & Theodoretus *lib. 2. hiſt. Eccleſ. cap. 26.*

Quòd Clerici ordine progredientes, accenſos cereos 5
geſtantes manibus, funes deducant, aſſerit Gregorius Nyſſenus *ep. ad Olymp.* Sanctus Hieronymus *ad Euſtoch. de obitu Paulæ*, & Novella 59. *de debit. impenſ. in exeq. defunct.*

Hos autem ritus aſſerere poſſum antiquiſſimos eſſe. 6
Nam Pontius Diaconus *in actis S. Cypriani* de ipſo S. Cypriano, *cum cereis*, inquit, *& ſcholaribus in arca cujuſdam Candidi procuratoris magno triumpho ſepultus eſt.* Inſtar triumphi etiam funus Mileſii deſcribitur a S. Gregorio Nyſſeno: *Utrinque quaſi ignei amnes*, inquit, *continentibus facibus tractu continuo perpetuoque fluentes quoad oculi longiſſimè proſpicere ſolent, porrigebatur.*

Atque hinc Rituale Romanum, a Paulo Quinto ap- 7
probatum, quod idem Pontifex religiosè obſervari præcipit in ſua Conſtitutione eidem Rituali præfixa *in rub. de exeq.* ita decernit: *Sacras cœremonias, ac ritus, quibus ex antiquiſſima traditione, & Summorum Pontificum inſti-*

inſtitutis Sancta Mater Eccleſia Catholica in filiorum ſuorum exequiis uti ſolet, tanquam vera Religionis myſteria, chriſtianæque pietatis ſigna, & fidelium mortuorum ſalutiferrima ſuffragia, Parochi ſummo ſtudio ſervare debent, atque uſu retinere. Et poſt pauca : *Cùm autem antiquiſſimi ritus Eccleſiaſtici ſit, cereos accenſos in exequiis, ac funeribus deferre, caveant item Parochi, ne ejuſmodi ritus omittatur, ac ne quid indigne in eo committatur.*

8 Hinc etiam D. Carolus inter Conſtitutiones Concilii Provincialis *de funer. & exeq.* hanc graviſſimam edidit: *Ut vetus Eccleſiæ inſtitutum mortuorum funus piis precibus, & officiis ſolemni more proſequendi multis in locis avaritia, ambitione, ut negligentia depravatum, ad priſtinam pietatis rationem revocemus, Clericis quibuſcunque, &c. hæc ſervanda proponimus.* Et mox : *Si mortuorum hæredes ita ſe impiè geſſerint, ut religioſum exequiarum inſtitutum negligentes, Cruci, Clericis, & funeri debita lumina adhibere nolint, ab Epiſcopo ea cogantur comparare, quæ neceſſaria videbuntur.* Semper enim ait D. Clemens *in conſt. Apoſt.* apud veteres chriſtianos injuria mortuis tribus videbatur, ſi abſque Clericis, pſalmis, ac luminibus debitis ſepelirentur. Quibus concinit idem Rituale Romanum *loc. alleg. & cap. ad Apoſtolicam de ſimon.*

9 Convenientes igitur, & gradui, & qualitatibus, facultatibuſque defunctæ perſonæ funus, & exequias celebrandas eſſe, firmat Lavor. *var. lucubr. cap. 16. num.* 24. Quod eſt de jure, ac privilegio nobilitatis, ut per Bon. de Curt. *de nobil. par. 5. num.* 82. Tiraq. *eod. tr. c.* 20. *num.* 194. *& ſeq.* ac eundem Lavor. *cap. 1. num.* 194. Sicque debet ſubveniri propriis defunctis, quibus tanquam in extrema neceſſitate conſtitutis debita eſt eleemoſyna cereorum, & obſervatio ſacrarum cœremoniarum, ac rituum ex præcepto, ut ait D. Thomas 2. 2. *quæſt. 2. art. 2.* ibique Bagnes *concl. 1. & 2.* inquiens eſſe de fide, quòd ſit opus pium, mortuos ſepelire cum debito honore, Durant. *loc. cit. num.* 17. ubi refellit figmentum hæreticorum, qui exequias mortuorum improbant, & ut inquit textus *in cap. officiis de teſtam. Si conſtiterit, quod in fraudem modicum teſtator conſtituit mortuarium, ut in cæteris Epiſcopus portione debita fraudaretur, quia fraus, & dolus alicui patrocinari non debet, Epiſcopus portionem poterit exigere a canone conſtitutam*, ubi Abb. *numer. quinto* diſpoſitionem hujus textus expreſsè defendit, locum habere ad favorem Parochi multò magis; quia Epiſcopus reputatur extraneus quoad teſtatorem, & ei non tenetur relinquere, ſed Eccleſia parochialis non reputatur extranea, immò eſt creditrix ex diſpoſitione juris, quia jus præcipit, quòd teſtator omninò relinquat Eccleſiæ parochiali. Undè ſubintrat diſpoſitio *cap. requiſiſti eod. tit.* quòd privata teſtatoris diſpoſitio non debet generalem diſpoſitionem canonis immutare, *& cap. fin. eod. tit.* his verbis : *dummodò tamen in fraudem non fiat, ut ea parochialis Eccleſia debeat defraudari.* Idemque diſponitur *in cap. ex part. 3. §. Cum igitur de verb. ſignif. c. de his de ſepul.* ubi dicitur ; *Hæc tuæ volumus prudentiæ innoteſcere, quòd ſi in ægritudine ipſa ad Religionem tranſeant, dummodò de ægritudine illa decedant, de bonis ſuis, Eccleſiis, a quibus aſſumpti fuerint canonica debet portio exhiberi.*

10 Ex qua manifeſtè oſtenditur, id non pendere a diſpoſitione, ſive voluntate teſtatoris, ſed a jure, & quòd ſicut teſtator, ne filium ſuum exhæredet, non debet egredi juſtam ſumptus rationem, ut ex D. Auguſtino *in can. placuit, §. Sed non videtur libera teſtatoris voluntas, & in can. ſi quis iraſcitur 13. quæſt. 2.* eſtque textus *in l. at ſi quis, §. ſciendum, ff. de relig. & ſumpt. fun.* cujus hæc ſunt verba: *Sciendum eſt nec voluntatem teſtatoris ſequendam, ſi res egrediatur juſtam ſumptus rationem. Pro modo enim facultatum debet ſumptus fieri* ; ſic quoque non debet exhæredare ſuam matrem Eccleſiam parochialem, ſed debet ad illius favorem competenter diſponere, atque id mandare, quod conveniens eſt, & conſuetum ex conditione ſuæ perſonæ, aliàs enim illi parendum non eſt, neque ejus diſpoſitio attendenda, Florian. a S. Petr. *in d. l. at ſi quis, §. funeris cauſa*, Lavor. *cap. 16. num. 18. & ſeq.* ibi : *mandanti corpus ſuum non honorificè ſepeliri, prout decet, non obediendum.* Cujus rei reddit rationem Guttier. *ad l. nemo poteſt, ff. de leg. 1. nu.* 82. Quia teſtator non poteſt præcipere, quod humanitati, & civilibus legibus adverſatur, cùmque de jure præſcriptum ſit, ut ſumptus fiat, attenta ratione facultatem teſtatori, nequit teſtator facere, quòd hæc lex in ſuo teſtamento locum non habeat, ut idem *nu.* 90. addens *nu.* 91. quòd ex eo infertur ratio decidendi, ac intellectus *ad l. 13. tit. 6. lib. 5. novæ recopil.* qua cavetur, *que la cera, y Miſſas, ygaſtas del entieramento ſe ſaquen cons las otras mandas gracioſas del quinto del azienda, aunque el teſtator mande lo contrario.* Et inter Kennethi Regis Scotiæ pias leges hæc extat apud Georgium Conæum de duplici ſtatu Religionis apud Scotos *lib. 1. Defuncti Funus habita faculatum ratione jurato.*

Undè ſi quis juſſerit poſt ſuam mortem indui habitu 11
alicujus Religionis, & ſic ſepeliri cum modico funere, adhuc Eccleſiæ parochiali convenientem portionem eſſe debitam, tradit Gloſ. *in d. cap. Officii, v. deceſſerit, de teſtam.* reddens rationem, quia etſi teſtator tranſierit ad eandem Religionem in ægritudine, in qua decederet, debita eſſet dicta quarta, ſcilicet medietas omnium ſuorum bonorum Eccleſiæ parochiali, *d. cap. de his, eod. tit.* Petr. de Ubald. *de quarta Canon. c. 4. num. 19.* Sylv. *v. Canonica portio qu. 19.* & Rodriq. *tom. 1. qu. reg. 78. art. 8.* facitque *c. certificari, de ſepult.* ubi Gloſ. *v. Salva juſtitia.*

Hæc autem juſtitia conſiſtit, aut ne omittatur in fu- 12
neribus, & exequiis honeſtus modus, qui ſemper ſervandus eſt, Lavor. *cap. 1. num. 66.* aut niſi fiant, ſive ex teſtatoris, ſive ex hæredis voluntate, ſive ex quavis alia cauſa, ſi abſque aliena jactura, cum qua non debet ipſe hæres locupletari, *l. nam hoc natura, ff. de cond. indeb.* cum vulgò aliis. Atque ita ſemper cùm ipſius parochialis Eccleſiæ ſatisfactione, aut redintegratione ſecundùm id, quod fieri honeſtum erat, & debebat pro quo leges ipſæ ſunt liberales non ſolùm, ut fiant, ſed etiam ut factæ etiam deducantur, ac repetantur, dummodò juxta facultates, & dignitatem factæ fuerint ; neque id tantùm ratione ipſorum hæredum, ſed etiam de jure naturæ, quod jubet defunctos funerari ex bono, & æquo, itaut Judex de ea æquitate cognoſcens, ſumptum omninò non debeat admittere modicè factum, ſi fortè in contumeliam defuncti hominis locupletis modicè factus ſit. Nam non debet illius habere rationem, cùm contumeliam defuncti feciſſe videatur ſic eum funerando, *d. l. at ſi quis, §. hæc actio, & §. Judex*, ac Rot. *dec. 399. num. 8. & ſeq. par. 5. recent.* Ut proindè etiam Canones dictæ parochialis Eccleſiæ indemnitati, ac redintegrationi ſemper proſpicientes, decernerint, ne unquam Eccleſiarum parochialium juſtitiæ in aliquo præjudicaretur, aut fraus aliqua contra eum committeretur, *cap. 1. 2. & 3. cap. ex parte, cap. Cùm liberum, cap. certificari, & cap. in noſtra de ſepult. & cap. 1. & 2. eod. tit. in 6.* cum Gloſ. *in d. cap. Cùm liberum, v. recepiſſe*, ac Doctoribus communiter.

Neque poteſt de jure civili dubitari, dum ipſæ leges 13
civiles eodem modo diſponunt circa funus factum, quàm circa faciendum, diſtinctè procedendo juxta cujuſque facultates, & dignitatem, ut oſtenditur *ex l. Si quis ſepulchrum, ff. de relig. & ſumpt. fun. §. funus autem, ex l. vel a debitoribus, ex d. l. & ſi quis eod. tit. ex l. funeris impenſam 15. ex l. eum, qui 16. cum quatuor ſeqq. ex l. quod ſi nulla e d. tit. ff. de relig. & ſumpt. fun.* Quales leges eſſe intelligendas de ſumptu funeris faciendo pro cujuſque defuncti facultatibus, ac dignitate docent Alberic. *de Roſat. ad l. 2. ff. ad leg. falcid. num. 3.* Florian. a S. Petro *in d. l. ſi quis ſepulcrum, §. funus, & ſumptus funeris*, Lavor. *cap. 16. numer. 24.* Surd. *deciſ. 255. num. 12.* & Molin. *de juſt. & jur. tom. 2. diſp. 235. & 4.* Bonac. *de contr. quæſt. 21. punct. 6. prop. 3.* Rota in Peruſina fideicommiſſi coram Coccino, quæ eſt *dec. 399. p. 5. recent. num. 17. ac ſeq.* Jo: Baptiſta a Coſta *de rat. q. 144. num. 10.* & alii.

Et quamvis aliqui id non ſervaverint, non ideò po- 14
teſt concludi conſuetudo contraria, ſed potiùs violatio legis, quia prædicti actus non obſervantiæ, etiamſi eſſent majoris partis, non ſunt actus inconcuſſi, ſed interrupti per ſententias in contrarium, quæ deſtruunt conſuetudinem, & tanquam actus contrarii non ſinunt illam viverè, ac vigere ad tradita per Bartol. *in l. ſemper in ſtipulationibus in fin. ff. de reg. jur.* Surd. *conſ. 393. numer. 23.* & Rota coram Merlino *deciſ. 554. nu. 3.* Prætereà eſſet conſuetudo contra honeſtatem, ac proindè irrationabilis, ideòque extirpanda, *cap. fin. de conſuet.* ubi omnes.

Neque obſtat, quod effutiunt quidam hæretici, fu- 15
neris ſolemnia improbantes apud Æneam Sylvium *de orig. Bohem. cap. 35.* quos Huguenoti, aliique ſequuti ſunt, ſuamque hæreſim confirmare conantur tum ex Concilio Elibertino *cap. 34.* quo vetatur cereos per diem in cœmeterio accendi. Inquietandi enim non ſunt ſpiritus Sanctorum. Tum ex D. Chryſoſtomo *homil. 85. in cap. 2. Matth.* tum denique ex S. Auguſtino *lib. 1. de Civit. cap. 11. & 13. & lib. de cur. pro mort. cap. 2.* quibus in locis affirmant, curationem funeris, conditionem ſepulturæ, pompam exequiarum magis eſſe vivorum ſolatia, quàm ſubſidia mortuorum.

Nam præter ea, quæ de fide, & authoritate dicti Con- 16
cilii

cilii Elibertini monent Doctores, itaut apud Catholicos nullam habeat authoritatem, ſed rejiciatur, undè Canus *lib. 5. de loc. theol. cap. 4.* aſſerit, ejus canonem *36.* continere errorem, Bellarminus *lib. 2. de imag. c. 9.* ait frequenter erraſſe, Baronius *tom. 1. an. 54. num. 119. & ſeq.* tradit in multis irritum eſſe, & continere plura, quæ ſinceris Eccleſiæ dogmatibus adverſantur, & canonem, quo prohibentur imagines in Eccleſiis ſuppoſititium eſſe, prohibetur in illo accendi cereos ex ſuperſtitione gentilium, quorum ſuperſtitionem ſpiritus fidelium dolenter ferebant, eoque nomine inquietari dicuntur. Undè ea ſanctione ſuperſtitionem dumtaxat interdixit, ſive in numero, ſive in uſu cereorum, hoc eſt inhibuit ethnicos ritus, & magicas evocationes. Etenim ſolicitari, atque evocari manes ad ſepulchra, & facies ibidem accendi conſueviſſe Plinius *lib. 28. cap. 2.* & Svetonius *in Tiberio cap. 98.* affirmant. Pleraque alia in eo Concilio prohibentur ad extirpandum, & funditus tollendum Gentilium ſuperſtitiones, quas novi chriſtiani in illis Hiſpaniæ partibus retinebant. At nos cereos accendimus non ex ſuperſtitione, ſed ad ſignificandum animas vivere, & defunctorum corpora reſurrecturas. Vide multas hujus rei cauſas, & ſignificationes apud Rutil. Benzonium Epiſcopum Lauretanum *in ſpecul. Epiſc. & Curat. lib. 1. diſp. 2. quæſt. 2.* qui illas expoſuit dum apud Vaticanum in Baſilica Sancti Petri Canonicum theologum agebat.

17 Teſtimonia verò Chryſoſtomi, & Auguſtini bifariam accipimus. Aut quantum pertinent ad ſolemnitatem, & ſic ſunt ſolatia vivorum. Aut quantum ad pietatem, & ſic ſunt ſubſidia mortuorum. Et ſi exhibentur, ut pauperes inde reficiantur, aut Eccleſiæ ædificentur, ſic ipſi defuncti ex præcedentibus meritis ſunt talium honorum capaces. Eaque interpretamur, ut ſepultura, ejuſque pompa per ſe non ſit præſidium ad ſalutem æternam, & accidens tamen prodeſſe poteſt propter preces fidelium, ac recordationem Sancti illius, in cujus Eccleſia ſepultus eſt defunctus. Quod & ipſe Auguſtinus *loc. cit. cap. 4.* & 5. & D. Gregorius *lib. 4. dialog. cap. 50.* obſervarunt. Subditque Auguſtinus *cap. 3. Nec ideò tamen contemnenda, aut abjicienda ſunt corpora defunctorum, quibus tanquam organis, & vaſis ad omnia bona opera Sanctus uſus eſt Spiritus. Undè & antiquorum funera officioſa pietate curata ſunt, exequiæ celebratæ, & ſepultura proviſa.* Præterea Auguſtinus, & ex eo alii loquuntur de rebus, quæ concernunt pompas mundanas ad *l. 1. & l. ſi quis, ac tot. tit. ff. de relig. & ſumpt. fun.* quæ ſunt potiùs conſolationes vivorum, quàm ſuffragia mortuorum, quas Eccleſia non approbat, ut in *cap. Quam præpoſterum 13. quæſt. 2.* non autem de rebus, quæ concernunt divinum cultum, aut refrigerium animæ, ut ſunt cerei, & orationes Clericorum, aliaque hujuſmodi. Et hinc eſt, quòd laici poſſunt de illis ſtatuere, ut per Imol. *in cap. fin. de reb. Eccleſ. non alien.* non autem de iſtis, quia ſunt annexa juri ſpirituali, ut per Panorm. *in d. cap. fin.* ibique Doctores communiter. Et quia dicit Baldus *in l. 1. C. de lat. lib. toll.* quod equi, & arma, quæ aſſeruntur cum funere militis, ac cerei debent remanere apud Clericos, vel Regulares ſepelientes, tanquam acceſſorium cadaveris, *arg. l. medico, §. fin. ff. de aur. & arg. leg.* ideò neque valeret ſuper his ſtatutum laicorum. Sic enim *Sap. 4.* ſepultura inter cæteras eleemoſynas computatur. Undè cera, & oleum ad ſepulchra defunctorum perlata proſunt defunctis, vel in quantum Eccleſiæ offeruntur, vel quatenus pauperibus dantur, vel quatenus in reverentiam Dei fiunt, ut tradit D. Thom. *in 4. d. 45. quæſt. 2. art. 3.* Quare pœnæ etiam ſtatutæ in eos, qui juſta, & exequias defunctis fieri impedimento fuerint, ut liquet ex *conſt. novel.* Juſtiniani 60. ut defuncti, ſeu funera eorum non injurientur a creditoribus. Et D. Chryſoſtomus, ut ipſemet profitetur, non damnat ſepulturæ ſolemnia, ſed luxum, & ſuperfluam ambitionem, modumque ſumptibus adhibendo ſapientia uti per quam laudabile eſt. Sanctus verò Athanaſius prodeſſe defunctis accenſos cereos non ſolùm fatetur, ſed etiam profitetur apud Sanctum Joannem Damaſcenum *lib. de mortuor. ſuffrag. ſi quis diem obierit*, inquit, *licèt in aere deponatur inhumatus, ne omiſeris oleum, & ceram invocato Chriſto Deo, ad ſepulchrum accendere, accepta enim Deo ſunt, plurimamque ſecum referunt retributionem. Oleum, & cera holocauſtum eſt, incruentæ verò hoſtiæ oblatio, propitiatio eſt.* Quod verò ex *D. Matth. cap. 5. & 25.* objiciunt, diluit D. Thom. *2. 2. quæſt. 32. art. 2.*

18 Porrò Deo gratum, & bonum eſſe, quòd tàm ſacris, quàm Sanctorum Patrum ſcriptis commendatur, & Eccleſiæ Catholicæ, jam ſtatim ubi per pacem datum eſt, antiqua conſuetudo recipit cuivis chriſtiano perſuaſiſſimum eſt. Fidelium autem corpora honorificè ſepelire tàm ſacra, quàm Patrum ſcripta laudant, & Eccleſiæ conſuetudo recepit. Igitur, id bonum, & Deo gratum. Docet hoc Gulielmus Bernard. *de ſepult. & exeq.* primum ex lege naturæ *Geneſ. cap. 50.* ubi Joſeph, & cæteri undecim Patriarchæ ſepulturi Sancti Patriarchæ Jacob patris ſui corpus, memorantur apparatus funeris, ejuſque honorifica pompa. Sub lege ſcripta Tob. *cap. 14.* de ipſo Tobia dicitur: *Completis igitur annis centum duobus, ſepultus eſt honorificè in Ninive.* Proindè dicitur Eccleſiaſtici *cap. 38. Fili in mortuum produc lacrymas, & ſecundùm judicium tege corpus ejus, & non deſpicias ſepulturam illius*, id eſt ſecundùm Lyranum diſcretè, & honeſtè ſecundùm merita defuncti corpus illius ſepeli. Ex lege Evangelica Joann. *cap. 19.* Joſeph ab Arimathea, & Nicodemus quia honorificè Chriſti corpus ſepelierint, ab Evangelio celebrantur. Ex Sanctis Patribus idem Nazianzenus eo in loco, ubi de Conſtantii Imperatoris ſepultura dicit: *Conſtantius communibus omnium elatus eſt manibus, ac pompis, iiſque venerandis, ac noſtris necnon cantibus tota nocte reſonantibus, ac luminaribus accenſis, quibus chriſtiani tranſitum pium honorare cenſemus.* Damaſcenus pariter in hiſtoria Barlaam, & Joſaphat enarrat, quod ut ad aures populi pervenit, innumerabilis multitudo ex omnibus Civitatibus, & adjacentibus locis, ad adoranda, & videnda beatorum virorum corpora confluebat honorificè cùm hymnis, & canticis, & lampadibus, ac cereis ardentibus. Hieronymus in epitaphio Paulæ ait, translatam fuiſſe Epiſcoporum manibus, & cervicem feretro ſubjicientibus, cùm alii Pontifices lampades, cereoſque præferrent. Chryſoſtomus *homil. 60. in Joann. Quid enim exclamas ardentes, quæſo, lampades in mortuis ſibi volunt? Nonne eos tanquam athletas comitamur?* Perindè, ac ſi dicat, tametſi animæ, quarum corpora ſepelienda luminaribus accenſis comitamur, forſan mox ad beatitudinem convolarint, & ita pœnæ nullius debitrices noſtris non egeant ſuffragiis, corpora tamen, quibus, ut organis ad pias operationes, per quas debellatis hoſtibus triumphum aſſequutæ ſunt, his proſequimur honoribus.

Quo circà cùm in univerſa quocumque diſtendatur Eccleſia, ritum hunc inoleviſſe tàm ſcriptæ, quàm depictæ hiſtoriæ teſtentur, a Sanctis quoque Patribus celebratum, eum contemnere, ſuperſtitioſum, vanumque dicere, neque Evangelium, neque ſatis chriſtianum ſonat hominem, utpotè qui ſenſum ſuum antiquiſſimorum illorum Patrum in Sacrarum Scripturarum lectione quam exercitatiſſimorum ſententiis, & Eccleſiæ Catholicæ conſuetudini præfert. Ob idque ab hac ſemper obſervata conſuetudine, quæ vim legis habet ex D. Paulo *ep. 1. ad Corint. cap. 11.* ex Tertulliano *lib. de coron. mil.* ex Gregorio Nazianzeno *lib. 2. de theol.* ubi commodè obſervari poteſt, citra neceſſitatem recedere, novitas eſt. Et ſi novitas omnis antiquitati adverſa, ſuſpecta eſt, aut non facilè admittenda, jubere ſine comitatu ullo, ſine ullis luminibus, clamque corpus ſuum, quod organum, vaſque Spiritus Sancti, & Sacri Corporis Chriſti fuit, ſine cœremonia ulla Eccleſiaſtica, quæ omnia commodè præſtari valent, ſuſpectum erit, aut non facilè admittendum.

19 Utinam ſic vanam ſæcularium pompam, opipera, & luxurioſa convivia, argentea immenſa pocula, in cultu corporis luxuriem, domorum ſtructuras, & ornatum exuberantem, aliaſque vanas voluptates quis caperet, ſicut tenuem aliquando Parochis obvenientem victum taxat, & Criminatur: *Quoniam debet in ſpe arare, qui arat.* 1. Corinth. *9. & qui triturat in ſpe fructus percipiendi* cum aliis, quæ ſequuntur ſpiritu Apoſtolico digna. Et præmiſerat: *Quis militat ſuis ſtipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Quamobrem ait & Dominus ad Aaron: *Omnia, quæ ſanctificantur a filiis Iſrael, tibi tradidi, & filiis tuis pro officio ſacerdotali legitima ſempiterna.*

20 Ex quibus patet, quàm parum idoneo fundamento ſententiæ adverſæ innitantur, item & textus, qui videntur adverſari. Nam loquuntur ſi Parochi id exigerent, tanquam pretium, non autem tanquam eleemoſynam, & ſtipendium ſibi debitum ex adminiſtratione Sacramentorum, ut ex Suarez, & aliis alibi probavimus, etiam ex ipſo Rituali Romano *in d. rubr. de exeq.* habetur: *Caveant omninò Parochi, aliique Sacerdotes, ne ſepulturæ, vel exequiarum, ſeu anniverſarii mortuorum officii cauſa quicquam paciſcantur, aut tanquam pretium exigant, ſed iis eleemoſynis contenti ſint, quæ aut probata conſuetudine dari ſolent, aut Ordinarius conſtituerit.* Itaque non ſunt reprehendendi Parochi, ſi juxta laudabilem conſuetudinem inſtant pro funeribus, & exequiis cele-

celebrandis secundùm qualitatem, & facultates defunctorum, eamque curant observari ad præscriptum Rituales Romani, & *d. cap. ad Apostolicam de Simon.* ac exigi illas eleemosynas, quas Ordinarii, & in Urbe Eminentissimus Cardinalis Vicarius, qui est loco Ordinarii, constituerint per Camerarium Cleri Romani, suum ministrum, vel suos officiales, nam quod suum est usurpant, jureque suo utuntur.

CONSULTATIO CCXXX.

An, & quatenus sit locus erectioni novæ parochialis Ecclesiæ, ac deputatione Vicarii in exercitio curæ animarum?

1 NOn videtur esse locus dismembrationi, quando populus longè non distat ab Ecclesia parochiali, quia parva distantia non præbet justam causam dismembrationi, Rot. *decis.* 484. *num.* 3. *part.* 1. *rec.* & in Comen. dismembrationi 32. Junii 1648. *§. in proposito* coram Cardinali Corrado, sed debet esse talis, ex qua parochiani non possint absque magno incommodo accedere ad parochialem pro percipiendis sacramentis, & audiendis officiis divinis, ut innovando Constitutionem Alexandri Tertii *in cap. ad audientiam de Eccles. ædif.* decernit Sac. Concilium Tridentinum *sess.* 21. *cap.* 4. *de ref.* & tradit Rota in decisionibus allegatis.

2 Et ita, ut non obstet, quòd præter distantiam, flumen quoque intercedat; quia dum commodè potest transiri per pontem benè tutum atque securum, utique nullum impedimentum tribuit, Rot. *d. dec.* 384. *num.* 3. etiamsi aliquando vis aquarum pontem fregerit. Quia id tanquam rarissimè contingens, non est attendendum, cùm ad effectum dismembrandi, impedimentum debeat esse assiduum, ac perpetuum, Cost. *de remed. subsid. remed.* 75. *in princ.* ac Rot. *dec.* 68. *num.* 8. *part.* 7. *rec.*

3 Præcipuè verò si ita constiterit Ordinario loci. Nam circa hujusmodi distantiam, vel difficultatem accedendi ad Ecclesiam parochialem totum pendet ab ejus judicio, atque arbitrio, ut est textus *in d. cap. ad audientiam*, tradunt Menoch. *de arbitr. cas.* 497. *num.* 4. Cost. *loc. cit. num.* 4. Ricc. *in prax. resol.* 476. *num.* 5. Pax Jord. *elucubr. tom.* 3. *lib.* 10. *tit.* 31. *de division. benef. num.* 5. *in fine*.

4 Quod eo magis id procedit, si non doceatur, aliquem incolam loci sine Sacramentis obiisse, quod etiam requiritur, ut firmat Rot. *d. dec.* 484. *num.* 5. *part.* 1. *rec.* & *dec.* 6. *num.* 18. coram Eminentiss. Otthobono, & stabilitur in Marsicana dismembrationis fructuum 14 Februarii 1594. coram Pamphilio, cujus particula est hujusmodi: *Præsertim cùm non probetur defectus servitii ita, quod propter paucitatem ministrorum, ac multitudinem incolarum, seu parochianorum aliqui decesserint sine Sacramentis, ut requiritur ad augendum servitium pro ea, quæ aliàs deducta fuerunt in pluribus causis, & ultimo loco in causa Tiraſonen. congrui servitii de mense Maji præteriti coram me.*

5 At nihilominus, quòd justa causa dismembrandi Ecclesias parochiales sit distantia locorum cum magna populi incommoditate ad percipiendum Sacramenta, & audiendum divina, maximè si propterea contingat aliquos parochianos obire sine Sacramentis, licèt hujus rei probatio non sit necessaria, declaravit S. Congregatio Concilii in Tirasonensi. Quo in casu potest Episcopus *d. c.* 4. *sess.* 21. ad novam erectionem procedere, etiam invito Rectore, dummodò tamen præcesserit citatio tàm ipsius, quàm omnium, quorum interest ex eadem Sac. Congregatione, ac Rot. *in rec. dec.* 455. *num.* 6. *part.* 2. & coram Em. Otthobono *dec.* 6. *num.* 8. *ac* 9. sive sint beneficia, sive Capellaniæ, sive sint portiones ipsius parochiæ, ut latè Barbos. *de offic. Episcop. part.* 3. *alleg.* 67. *num.* 10. 20. & 21. Garz. *de benef. part.* 12. *cap.* 2. *n.* 88. ubi refert resolutiones S. Congregationis, ac Rot. *dec.* 465. *num.* 6. *part.* 2. *rec.* Idque etiam in Ecclesiis militaribus, ut in Elborensi, & in Mediolanensi declaravit, decretum de novis parochiis erigendi, aut dividendis locum habere, etiamsi illæ essent subjectæ Regularibus. Non verò sine citatione, ut ex *cap. multis consiliis, cap. Felix*, & *cap. seq.* 16. *quæst.* 1. Glos. *fin. in cap. nulli* 99. *d.* Lap. *alleg.* 66. *num.* 3. Unde eadem S. Congregatio Concilii 23. Julii 1613. sæpiùs auditis utriusque partis procuratoribus, & advocatis, reque accuratè perpensa, censuit, erectionem de beneficio simplici Sanctæ Margaritæ Cœnetensis, utpotè factam, non citato Capitulo Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ, cui cura animarum incumbit, nullius momenti existere, ac de hujusmodi nullitate opponere posse etiam tertium, cujus interest, cùm Capitulum expressè ratam non habeat erectionem, sed simpliciter taceat, & non contradicat. Insuper in Veronensi 2. Octobris 1610. declaravit, augmentum attributum novæ parochiali, cùm matrix Ecclesia vacaret, nullo ei dato defensore, irritum, ac nullum esse. Porrò, etsi nulla videatur erectio ob defectum citationis, tamen si causæ erigendi subessent, licebit Episcopo de novo erigere, ideò scribendum viciniori Episcopo, ut se instruat de causis, quæ si suberunt, peti poterit confirmatio a Sanctissimo, Fagnan. *in d. cap. ad audientiam num.* 30.

Non potest tamen Ecclesia simplex ab Ordinario in 6
parochialem erigi, si erat reservata, vel affecta. Quia Sac. Concilium *sess.* 21. *cap.* 25. loquitur de unionibus, non de nova erectione, ut declaravit ejus S. Congregatio 24. Augusti 1605. Et generaliter nulla Ecclesia in præjudicium alterius construenda est, *c.* 1. *de nov. oper. nunc.* Si verò Monasterium Regularium curam habens animarum fuerit dirutum, & Regulares translati, non possintque ex loco, ubi degunt, dictæ curæ commodè inservire, poterit Episcopus illos cogere ad novam Capellam erigendam in loco, ubi adsunt parochiani, cui Capellæ possint ipsi fratres inservire, dummodò ab Episcopo sint approbati, sive per Capellanum approbatum, & amovibilem *ex cap.* 13. *sess.* 7. & *cap.* 21. *sess.* 25. ut in Novarien si. Et in Mediolanensi declaravit, quòd in illis casibus, in quibus Episcopus novas parochias erigere potest, non poterit unam partem populi ab una separare, & alteri applicare, etiamsi adsit aliqua causa, pro qua nova parochia erigi possit. Si autem separatio fieri licet, assignatio fructuum debet fieri ex fructibus parochialis matricis, & si ea non sufficit, populus est compellendus. Et hoc procedit etiam in parochiis Regularium. Quòd autem Episcopus possit ex fructibus assignare portionem competentem, procedit etiamsi illi in decimis consistant, vel aliàs quomodolibet Ecclesia matrix erit, vel esse poterit, licèt non sit Cathedralis, vel insignis. Quid autem si parochiani sint pauperes, ac egeat Episcopus, vide apud Fagnan. *loc cit. num.* 6. & 7.

Quando igitur agendum est pro dismembratione, sive 7
erectione novæ Ecclesiæ in præjudicium antiquæ parochialis, ea permitti debet, etiam invito Rectore, si in eodem districtu non adsit alia Ecclesia pro remedio parochianorum, qui ob locorum distantiam, vel difficultatem sine incommodo accedere non possunt ad Ecclesiam parochialem juxta Trid. *d. sess.* 21. *cap.* 4. & *d. cap. ad audientiam de Eccles. ædif.* dummodò tamen interveniat solemnitas, & justa causa, quæ copulativè sunt necessariæ in hujusmodi dismembrationibus, cùm sint quædam species alienationis, ut advertit Lap. *d. alleg.* 66. *num.* 3. & 5. ac fuit sæpissimè resolutum a Rota, ut ipsa testatur *dec.* 239. *num.* 1. *part.* 1. *rec.* itaut una sine alia non sufficiat, Rot. *dec.* 119. *num.* 12. *part.* 1. *rec.*

Si verò agatur pro deputatione Vicarii, leviores cau- 8
sæ sufficiunt. Quia non tendit in alicujus præjudicium, sed in adjutorium Parochi, sive Rectoris, quotiescunque in loco minimè difficili, neque incommodo adest alia Ecclesia, vel construi potest cum fonte baptismali, ac cæteris ad parochiam necessariis, in qua satis remanet provisum animarum periculo ad formam præscriptam a Tridentino, & juxta doctrinam Lapi *d. alleg.* 66. *num.* 6. quem sequuntur Rebuff. *in pr. benef. de erect. in curat. num.* 10. & Ricc. *resol.* 476. *num.* 6. *tom.* 1. Lotter. *de re benef. lib.* 1. *quæst.* 26. *num.* 4. *et seqq.* Tondut. *qu. benef.* 59. *num.* 8. *et seqq.* & ex mente S. Congregationis Concilii tradit Fagnan. *in cit. cap. Ad audientiam n.* 20.

Quinimmò si constiterit, quòd via sit montuosa, aspe- 9
ra, lutuosa, ac ita ardua, ut parochiani sine magno incommodo, immò etiam periculo pro recipiendis Sacramentis, & audiendis divinis officiis ad parochialem accedere nequeant, præsertim tempore hiemali propter imbres, ac pluvias, non solùm reputatur necessaria deputatio Vicarii, verùm etiam dismembratio, sive erectio novæ parochiæ juxta ea, quæ tradit Rota in Lucana dismembrationis 9. Maji 1611. coram Ottembergo, *et dec.* 59. *num.* 2. coram Martino Andrea. Quod etiam firmat Lap. in citata *alleg.* 66. *num.* 2. & Barbos. *de Offic. Episcop. part.* 3. *alleg.* 68. *num.* 1. Rebuff. *loc. cit. num.* 2. ac fusè Fagnan. *ubi supra num.* 16. *et seqq.* Ac etiamsi non sit magna distantia, ob fluminis tamen alicujus inundationem reddi potest via difficilis, ut in specie respondit Rota in Calaguritana erectionis in parochialem 11. Januarii 1619. *§. nec relevant* coram Verospio. Immò magna longinquitas, & viarum discrimen non requiritur, sed solùm talis, ut propterea parochianis absque magno incommodo non pateat accessus ad Ecclesiam parochialem, ut rectè observat Fagn. *num.* 18.

Et quando etiam ageretur de erectione novæ paro- 10
chiæ, quæ fieri non potest absque considerabili præjudicio Ecclesiæ antiquæ, dismembrando ab ea partem parochiæ, adhuc satis esset, quòd immineret periculum decedendi sine Sacramentis, neque hujusmodi eventus

esset

eſſet expectandus, quin potiùs præveniendum eſt, ne contingeret, cùm ſatius ſit occurrere in tempore, quàm poſt exitum vindicare, ſeu poſt vulneratam cauſam remedium quærere, ut notat idem Fagnan. *num.* 17. ubi teſtatur, ita declaraſſe Sac. Congregationem Concilii. Quod etiam tradit Garz. *de benef. part.* 12. *cap.* 3. *num.* 9. Si enim periculum mortis quoad fieri poteſt, evitari debet, ita dictante natura, jure divino, & humano, *can. ſi quid verius* 33. *quæſt.* 2. *in fine*, quantò magis occurri debet periculo non mortis corporis, ſed animæ, ac ejus ſaluti provideri, ut in durioribus terminis ad effectum exigendi novas Eccleſias ex diſpoſitione textus *in can. Petrus* 39. *d.* tradit Mandoſ. *deſignat. grat. v. erectiones, v. inſuper.*

11 Accedit, quòd ut augeatur ſervitium divinum non eſt expectandus hic triſtis eventus mortis parochianorum ſine Sacramentis juxta diſpoſitionem *d. cap. ad audientiam de Eccleſ. ædif.* ac Trid. *d. cap.* 4. *ſeſſ.* 21. quibus in locis decernitur ad effectum erectionis novarum parochialium requiri ſolùm parochianos non poſſe accedere abſque magno incommodo, ut etiam conſideravit Rota in d. Lucana 9. Maji 1611. ac cenſuit S. Congregatio Concilii, teſte Garzia *d. part.* 12. *cap.* 3. *num.* 9. ac firmavit Rota in d. Tiraſonen. congrui ſervitii coram Pamphilio, & explicat Lap. *d. alleg.* 66. *numer.* 2. Quanto igitur faciliùs id procedere debebit in caſu, quo tantùm agitur de deputatione Vicarii in Parochi adjutorium, & ejus Eccleſiæ, quæ utique melius eſt, ut deſerviatur per duos, quàm per unum, ut in his terminis dixit Rota *dec.* 428. *num.* 3. coram Seraphino; Idque præcipuè ſi attendatur Eccleſia redditu m opulentia, quæ ſola habita fuit ſufficiens cauſa diſmembrationis, ut tradit Lotter. *de re benef. lib.* 1. *quæſt.* 28. *num.* 25. ac decidit Rot. *d. dec.* 426. *num.* 1. & docet Fagnan. *in fæpè cit. cap. ad audientiam ſub num.* 4. ubi ait, id procedere etiamſi Eccleſia, redditibus non abundet, ſi animarum periculum immineat.

12 Quare non obſtat ſi dicatur, quòd copulativè requiratur cum diſtantia locorum, ac incommoditate itineris etiam obitus parochianorum ſine Sacramentis ſequutus ex aliqua ex dictis cauſis. Nam præter dicta ſuperiùs, quòd ſcilicet non ſit neceſſarius parochianorum obitus, ut ex Fagnano *num.* 17. jura, quæ ad id firmandum allegari poſſunt, loquuntur in terminis validæ diſmembrationis, quæ cùm ſit ſpecies perpetuæ alienationis rei Eccleſiæ, omninò cùm ſolemnitate requirit etiam juſtam cauſam præciſæ neceſſitatis, ut fuit dictum in illa Marſicana relata a Garz. *d. cap.* 3. *num.* 4. Quod non ita procedit in ſimplici deputatione Vicarii, ſive Capellani ad nutum amovibilis, cùm hoc caſu diſmembratio non conſideretur, ut ſtatuit Rota in Aquilejen. diſmembrationis 18. Februarii 1656. coram Meltio. Immò hujuſmodi Vicariorum deputationes fiunt, ne ad diſmembrationem in præjudicium Eccleſiæ matricis deveniatur, ut in ſpecie aliis relatis dixit Rota in Albinganen. diſmembrationis 14. Decembris 1654. coram eodem Meltio.

13 Sola verò populi numeroſitas non præbet ſufficientem cauſam, quia illi providendum eſt per Coadjutores Rectori dandos, *ut ex d. cap.* 4. *ſeſſ.* 21. & ex S. Congregatione Concilii in Calaguritana, in qua declaravit quòd ubi populus eſt numeroſus, itaut unus paſtor populo ſatisfacere nequeat, omninò ſervari debet diſpoſitio hujus decreti, ac Rot. *dec.* 6. coram Em. Otthobono, in qua habetur, quòd Epiſcopus non poteſt novas parochias erigere diſmembrando ab antiquis, niſi duo concurrant: Solemnitas, quæ præcipuè conſiſtit in hoc, quòd citentur habentes intereſſe, & juſta cauſa, qualis non eſt ſola populi numeroſitas, cui poteſt provideri per Coadjutores. Et in Cremonenſi eadem S. Congregatio cenſuit, quòd monachi exercentes curam in parochialibus, eorum Monaſteriis commendatis, niſi ad curam ſufficiant, tot Sacerdotes ſæculares vel regulares ad Abbatis electionem, & Epiſcopi approbationem ſunt adhibendi, quot ad Sacramenta miniſtranda, & divinum cultum celebrandum ſufficiant. Et in Hoſtunenſi 12. Julii 1631. in qua cenſuit, Epiſcopum non poſſe diſmembrare partem curæ animarum ab Eccleſia parochiali, & applicare alteri Eccleſiæ ejuſdem loci ſub prætextu, quòd populus eſſet numeroſus. Et in Aquilana: Licèt Eccleſia parochialis ſita ſit eo loco, ubi minor pars parochianorum habitat, & quòd major pars longè habitet in aliis oppidis, nihilominus Parochus habitare debet propè Eccleſiam, ſed ſuccurrendum eſt illis, qui longè habitant juxta citatum decretum *in d. cap.* 4. *ſeſſ.* 21. & reſpondit Spada *conſ.* 148. *num.* 1. *lib.* 3. Lotter. *de re benef. d. lib.* 1. *quæſt.* 28. *num.* 28. ac Rot. *dec.* 239. *n.* 3. *& dec.* 184. *num.* 1. *& 5. part.* 1. *rec. & deciſ.* 288. *n.* 2. *part.* 2. Add. ad Greg. *dec.* 504. *num.* 8. & in d. Albinganen. diſmembrationis, ac alibi ſæpiùs. Parochialitati enim non repugnat, quod cura adminiſtretur per plures coadjutores, quia iſto caſu non dicuntur plures Parochi, ſed cura inhæret ipſi Eccleſiæ, vel Epiſcopo, qui curam invicem exercent, dicuntur Coadjutores, ut egregiè declarat Gratian. *diſcept.* 865. *num.* 26. Rot. *dec.* 48. *num.* 5. *& 6. part.* 1. *div.* & coram Pegna *dec.* 1444. *num.* 7.

Neque anguſtia, vel deformitas Eccleſiæ antiquæ eſt 14
cauſa ſufficiens. Quia provideri poteſt per ampliationem veteris, vel per conſtructionem novæ Eccleſiæ in loco opportuniori, vel aliis modis abſque diſmembratione ex eodem Trid. *d. cap.* 4. *ſeſſ.* 25. & Rota apud Farinac. *part.* 1. *deciſ.* 484. & Spad. *conſ.* 96. *num.* 4. *lib.* 2. In quo caſu etiam licitum eſt cogere dominos vicinorum ædificiorum ad ea vendendum, Marth. *de juriſd. caſ.* 171. *num.* 3. *&* 4. Gratian. *diſcept.* 742. *num.* 20. & Vivian. *de jurep. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 14.

Nec minus inventio novæ imaginis, etiam miraculo- 15
ſæ, quæ debet transferri ad aliquam Eccleſiam commodiorem, ibique collocari in aliquo altari ad id erecto, vel adornato, ut in Feretrana 28. Maji 1603. cenſuit eadem S. Congreg. Concilii, niſi erigere novam Eccleſiam a fundamentis cederet in majorem ſatisfactionem populi eadem 23. Julii ejuſdem anni.

Neque inſufficientia reddituum. Tum quia ex præ- 16
ſumptione juris præſumuntur potiùs aucti, quàm diminuti, Add. ad Gregor. *dec.* 483. *ſub num.* 8. Rot. *deciſ.* 413. *num.* 1. *part.* 5. *rec.* & coram Seraph. *deciſ.* 1385. *n.* 1. & in Narnien. unionis 16. Novembris 1643. coram Bichio, *§. qui non eſt caſus*. Tum ex facto ipſo, quia cùm Parochi pro tempore ex fructibus Parochiæ ſe ſuſtentaverint, & Parochiam acceptaverint præſumuntur congrui, Lotter. *d. quæſt.* 28. *num.* 25. Mantic. *dec.* 22. *n.* 1. Greg. *deciſ.* 429. *num.* 3. Seraph. *deciſ.* 1385. *num.* 3. & in Narnien. *§. Igitur*, & in Lucana unionis 15. Junii 1650. coram Cello *§. In præſenti*, Tùm quia ſuper inſufficientia adhiberi debet cauſæ cognitio, citatis omnibus intereſſe habentibus, aliàs hoc prætextu non poſſent fieri diſmembrationes antiquarum, & erectiones novarum Eccleſiarum, ut latè firmatur in alia Narnien. unionis 1. Julii 1643. coram eodem Bichio, & in Comen. diſmembrationis 22. Junii 1648. coram Corrado. Tùm quia ſi redditus ſunt inſufficientes, non idcircò ſupprimendus eſt numerus neceſſarius pro numeroſitate populi, ſed populus compellendus ad aſſignandum congruam ſuſtentationem Parochis juxta diſpoſitionem Sac. Concilii Tridentini *d. cap.* 4. *ſeſſ.* 21. *de reform.* & tradita a Bellet. *diſq. cler. tit. de Cler. debit. §.* 14. *num.* 7. *&* 8. & è Fagnano *num.* 5. *& 6.*

Quamvis verò Epiſcopus poſſit erigere Eccleſiam in 17
novam parochialem, non tamen poteſt parochialem ab una Eccleſia ad aliam, etiam commodiorem transferre, ſed recurrendum eſt ad Signaturam Sanctiſſimi, ut declaravit S. Congregatio Concilii in Trojana. Neque erigere fontem baptiſmalem in parochia filiali, applicando illi propterea partem reddituum matricis, eadem S. Congregatio in Urbinaten. 1. Maji 1624. Unde petente Epiſcopo Sedunenſi declarari ſibi licere in Eccleſia ſeu parochia Lemenſi conſtituta duodecim milliaribus diſtante, conſtituere fontem baptiſmalem, non obſtante *cap.* 56. *plures* 16. *quæſt.* 1. S. Congregatio Concilii 17. Auguſti 1626. reſpondit, Epiſcopum non poſſe conſtituere fontem baptiſmalem in dicta Eccleſia, ſed illum, concurrente neceſſitate, ſeu incommodo propter diſtantiam parochialis in nova parochia conſtitui poſſe ad præſcriptum *cap.* 4. *ſeſſ.* 21. *de reform.* Quia in parochia erecta concedi ſolet erectio fontis baptiſmalis ob diſtantiam alterius, etiam invitis Parochis, ut in Urbanen. 19. Junii 1648.

Quæ adeò certa ſunt, ut non obſtet, quòd erectiones 18
novarum parochialium factæ ſunt in actu Viſitationis, in qua cùm Epiſcopus procedat tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, nullam probationem, aut ſolemnitatem ſervare debet. Tum quia cùm materia iſta ſit prohibita, non creditur Epiſcopo quoad cauſam, licèt unio, & diſmembratio fiat in actu viſitationis, ſed plenè, & concludenter eſt probanda, ne aperiatur via eludendi prohibitionem legis, Rota in Comen. diſmembrationis coram Corrado, ibi: *Nec ejuſdem cauſæ juſtificatio ex Ordinarii, minuſque ex ipſorum parochianorum aſſertione ſatis percipitur, ſed aliunde probari debet*, & coram Caval. *deciſ.* 439. *numer.* 6. & coram Eminentiſs. Otthobono *d. deciſ.* 6. *num.* 3. *& part.* 5. *rec. deciſ.* 318. *num.* 2. *& ſeqq. & in d.* Narnien. unionis 1. Julii. Præſertim in caſu, quo Epiſcopus impertitus eſt licentiam ædificandi novam parochialem, & atteſtationem fecit contra id, quod tradit Antonel. *de cult. & privil. Eccleſ. lib.* 1. *capit.* 2. *numer.* 11. non auditis parochianis, quorum majo-

majoris partis conſenſus, & non ſolius Parochi debet accedere, ut deveniri poſſit ad novam parochialis erectionem, ut obſervat Coſt. *de remed. ſuſibd. remed.* 75. *num.6.* & Lancellott. *inſtit. jur. can. lib.2.tit.*18. ac Ricc. *deciſ.*208. *num.*4. & ſub initio *tom.*2. Quia erectio novæ parochialis ſolùm introducta eſt, ac permiſſa favore ipſorum parochianorum. Tum quia objectio locum ſibi vindicaret, ſi ageretur de re nullius, vel modici præjudicii, ſecus autem in iis, quæ grave, ac perpetuum præjudicium præferunt, ut in ſpecie reſpondit Rot. in d. Albinganen. *§. neque obſtat* coram Meltio. Tum etiam quia non ideò debita cauſæ cognitio, ac neceſſariæ probationes, atque intereſſe habentium citationes prætermitti poſſunt, maximè quando Epiſcopus procedit ad inſtantiam partis. Nam hæc concernunt defenſionem alterius, quæ nunquam intelligitur ſublata, ut inquit Rota ad d. Comen. 22. Junii 1648. ubi etiam addit, quòd ex tali diſcuſſione, ac proceſſu ipſa veritas magis eluceſcit, & neceſſitas diſmembrationis, vel comprobatur, vel excluditur, ſed aliud interdum manifeſtatur remedium, quo æquè conſulatur abſque eo, quòd deveniatur ad beneficiorum diviſionem, Sacris Canonibus odioſam, atque prohibitam regulariter, quæ propterea non eſt admittenda, niſi talis urgeat neceſſitas, cui aliter congruè provideri non poſſit, prout antè docuerat Lap. *d. alleg. 66. ſub num.6.* Cùmque probetur in hiſce erectionibus, vel diſmembrationibus tàm publicum, quàm privatum præjudicium, non eſt illi locus, & ſui cuicunque licèt contradicere juxta deciſionem Rotæ 20. *num.*4. *par.*4. *tom.*2. *recent.* & Spad. *conſ.* 92. *num.* 5. *ac ſeq. lib.*2. ubi adjicit, hanc actionem eſſe popularem, & propterea quemlibet admitti poſſe. Quod repetit *conſ.*170. *num.*4. ejuſdem libri, ac Rot. in d. Albinganen. diſmembrationis 4. Maji 1618. coram Remboldo impreſſa poſt d. conſilium. Quilibet enim tueri poteſt jus Eccleſiæ, quia eſt publicum, Gratian. *diſcept.* 715. *num.*27. ac etiam comparere, Rota *deciſ.* 54. *num.* 3. *part.*4. *tom.* 2. *recent.* Potiſſimùm verò intercedere debet conſenſus Parochi, atque ejus citatio in prolatione decreti ab Epiſcopo facti, licèt ab initio per aliquod tempus anteà intimatus contradixerit, ac proteſtatus fuerit quemadmodum decidit Rota in d. Comen. *§. Propterea*, ubi ſubdit, quòd neque hujuſmodi citationis neceſſitas ceſſat ex quo redditus, qui fuerunt aſſignati novo Parocho, fuerint reſervati Parocho antiquo, donec vixerit. Quia non conſideratur tantùm ejus perſona, ſed ejus Eccleſia, ac ſucceſſorium, de quo ita eſt legitimè cognoſcendum, ut ejus vocatio requiratur non ſolùm pro ejus intereſſe, ſed etiam pro forma inducta ad rigorem juris obſervandum in favorem publicum, ne Eccleſiæ depauperentur, prout idem deciditur in Toletana parochialis 1. Februarii 1602. apud Garz. *d. cap.* 3. *num.* 8.

Idque faciliùs procedit in caſu, quo licèt aſſertiones 19
Epiſcopi, ac parochianorum veritate niterentur, ac præſertim quòd aliquando contigerit aliquos parochianos objiſſe ſine Sacramentis, adhuc tamen nihil obſtaret, niſi in ſpecie probetur, quòd deceſſerint in loco illo diſtanti, & quòd id contigerit propè diſtantiam, & difficultatem acceſſus, non autem propter culpam, ſeù negligentiam Parochi, vel conſanguineorum decedentium, vel ob ſubitaneam mortem, ut optimè conſulit Spad. *d. conſ.*69. *numer. ſeptimo*, *libr.* 2. & tradit Rot. *d. deciſ.* 484. *numer.*5. *par.* 1. *recent.* & in d. Albinganen. diſmembrationis 14. Decembris 1654. *§. neque vis aliqua* coram Meltio.

Quin dato etiam quòd benè probaretur talis diſtan- 20
tia loci, ac difficultas acceſſus, itaut verò parochianis inferret magnum incommodum requiſitum tàm ex diſpoſitione juris communis *in d. cap. ad audientiam*, quàm ex Sacr. Concilio Trident. *d. cap.*4. *ſeſſ.*21. non tamen exindè videtur ſtatim deduci ſufficiens cauſa diſmembrationis, cùm ad hunc effectum, ut dicatur ſufficiens, neceſſe ſit ulterius quòd aliter commoditati parochianorum conſuli non poſſit, Rot. in d. Albinganen. & *deciſ.*464. *numer.* 4. *tom.* 2. *recent.* ac reſolvit Ricc. *reſol.*476. *numer.*6. *vol.*1. Et generatim diſpoſitionem *d. cap. ad audientiam*, & decretum Tridentinum procedere, quando aliter provideri non poteſt neceſſitati, niſi ex diſmembratione judicavit Rota in ſæpè allegata Comen. 22. Junii 1648. *§. quia non ideò* coram Cardinali Corrado.

Præcipuè verò ſi diſmembratio, atque erectio novæ 21
parochiæ facta fuerit ex redditibus Eccleſiæ antiquæ. Quod clarè prohibetur quotieſcunque comprobatur, Eccleſiam matricem adeò redditibus non abundare, ut ejus Rector abſque proventibus novæ Eccleſiæ aſſignatis decenter ſuſtentari poſſit. Nam in hoc caſu illius cauſa potior habenda erit juxta diſpoſitionem *d. cap. ad audientiam*, ut firmat Fagnan. *num.*4. ac Rota *dec.* 428. *num.* 1. coram Seraphino.

Potiſſimùm autem in erectione novæ parochiæ re- 22
quiritur, ut juſpatronatus, & præſentatio Sacerdotis noviter inſtituendi reſervetur Rectori Eccleſiæ matricis, ex cujus redditibus collatum fuit pro dotatione, ut diſponitur in eodem *cap. Ad audientiam*, ibi: *ad præſentationem Rectoris Eccleſiæ majoris*, ubi etiam Gloſ. *v. Rectoris*, ac Rot. *dec.*239. *num.6. in fin. part.*1. *recent.* & in d. Albinganen. 14. Decembris 1654. *§. Ulterius* coram Meltio, & Fagnan. *loc. cit. num.* 8. & 9.

FINIS QUARTI TOMI.

Hallelu-jah, Hallelu-jah;
Phy diabolo.

VENETIIS. MDCCXXVI.
Ex Typographia Balleoniana.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.